Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CENSURA CELEBRIORUM AUTHORUM SIVE TRACTATUS

IN QVO VARIA VIRORUM DOCTORUM DE Clariſſimis cujuſque Seculi Scriptoribus Judicia traduntur.

UNDE FACILLIMO NEGOTIO LECTOR DIGNOSCERE queat quid in ſingulis quibuſque Iſtorum Authorum maximè memorabile ſit, & quonam in pretio apud Eruditos ſemper habiti fuerint.

OMNIA IN STUDIOSORUM GRATIAM COLLEGIT, ET IN ordinem digeſſit ſecundùm ſeriem Temporis quo Ipſi Authores floruerunt,

THOMAS-POPE BLOUNT.
Anglo - Britannus Baronettus.

EDITIO NOVA CORRECTIOR; Cui acceſſit Judiciorum Vernaculo Sermone, ſive *Anglicus* ſive *Gallicus*, ſive demum *Italicus* is fuerit in priore exhibitorum accurata in *Latinum* tranſlatio.

Cum INDICE *locupletiſſimo.*



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

GENEVÆ,
Apud G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES.
MDCC. X.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO AUTHORIS
AD
LECTOREM.

AD hanc Provinciam ſuſcipiendam nulla me Ambitio impulit; *Umbraticam* enim vitam, & ab omni ſtrepitu remotam, ſemper in delitiis habui. Hoc verò conſilii mihi ſolum fuit, ut quantum in me eſt, *rem literariam* promoverem. Quum hoc Opus primùm occepi, illud *Orbi literario* communicare haud mihi in animo erat; ad meum uſum ſolummodò congeſſi: Nunc verò, hortantibus viris eruditione claris, in vulgus emitto. Equidem quum obſervarem quàm avidè *Acta Eruditorum*, alioſque id genus libros arripe-

Digitized by Google

rent Homines, non ſolùm qui infimum ſubſellium occupant, ſed qui primum inter eruditos locum tenent, non poſſum non ſperare hanc meam qualemcunque *farraginem* ipſis non omninò ingratam fore. *Doctrina* non ſine ſummo ſtudio & vigiliis paratur. Putare Homines *Divino Afflatu* doctos fieri, *Fanaticorum* eſt; etiam Poeta fruſtra naſcitur, niſi ad præclaram Indolem acceſſerit *Induſtria*. Atque hinc eſt, quòd pauci revera docti ſint [quicquid crepent *Scioli*] quoniam laborem atque operam ferre nequeunt. Vt autem maximum, quantum fieri poteſt, fructum ex lectione perciperes, quendam tibi *Authorum* delectum, deque iis varia Doctiſſimorum Hominum judicia propoſui; quæ ſi inter ſe diligenter contuleris, & tuum ipſe judicium acuere & confirmare poteris, & nunquam in nullius pretii Scriptoribus evolvendis oleum atque operam perdes. Quod enim ad ipſius Operis rationem ſpectat hôc ſe maximè nomine commendat, quòd inde tibi *Bibliothecam* inſtruere poſſis; quam ad rem *Notitia Authorum* apprimè utilis ac neceſſaria; quæ niſi adfuerit, ſæpè evenit, ut Homines in libris comparandis & *tempore* ſimul & *nummis* fraudentur. Huic igitur incommodo, ut occurrerem, hunc laborem exantlavi. Habes enim hîc quandam quaſi Imaginem cujuſque *Autoris*: Vnde deprehendere

poſſis

Digitized by Google

poſſis quando floruerit, & plerumque etiam quando obierit; quænam fuerint ab ipſo ſcripta, vel ſaltem quæ primum obtinuerint locum; quâ valuerit Autoritate in *Orbe literario*; num *Plagiarius* fuerit, & cujus *Scrinia* compilaverit; num prohibitus ſit *Indice Expurgatorio*; Denique, quænam ſit optima cujuſque *Autoris* Editio. Omnia hæc uno intuitu videbis, ſi hunc librum evolvere digneris. Haud mihi eſt in animo de omnibus *Autoribus* univerſim dicere, nimis hoc prolixum foret; ſed de iis ſolùm, qui apud eruditos maximi æſtimantur. Initium ſumpſi ab *Hermete Triſmegiſto*, non illo quidem fictitio qui vulgò circumfertur; ſed vero illo, atque genuino, quem *Moſi* coævum fuiſſe putant; atque inde ad noſtra uſque tempora deſcendo. *Autores*, quos adduxi, ſunt propè ſexcenti. Horum quiſque juxta ſeriem *Temporis* locum habet. Hæc mihi Methodus maximè placuit, quia tibi magis gratum foro putabam, *fluxus* & *refluxus Doctrinæ* obſervare, quàm *Ordinem Alphabeticum* percurrere; Quod magis *Dictionarii* quàm *Hiſtoriæ Literariæ* ſpeciem præberet. Miraberis fortaſſe, Lector, quòd in tantâ præclariſſimorum Scriptorum copiâ qui apud nos in Anglia floruerunt, tam paucos hîc attigerim. Si verò æquâ lance rem ponderaveris, me hac in re penitùs excuſatum habebis. Scriptores enim iſti maximam par-

Digitized by Google

tem in vernaculâ linguâ ſcripſerunt; indeque factum eſt, ut apud eruditos *Exteros*, qui linguam noſtram non callent, haud ſatis noti ſint, licèt de Patriâ noſtrâ optimè meruerint, maximamque famam ſibi domi comparaverint. Hoc igitur in cauſa eſt, quòd de *Scriptoribus Anglicis* judicia aliquot, cenſuras, ſive Obſervationes inter literatos [*Exteros* præſertim] reperire haud facile fuerit. Hôc modô Methodum hujus operis tibi explicui. Si diligentiam noſtram in conquirendis teſtimoniis tibi probari animadvertero, multùm mihi gratulabor; ſin aliter, pro hâc vice mihi veniam dabis, te iterum non interpellabo.

EDITOR

Digitized by Google

EDITOR.

VISUM eſt mihi operæ pretium fore, ſi quamplurima de Authoribus judicia, quæ Nobiliſſimus Scriptor Thomas Pope-Blovvnt, ſive ut ſe polyglottum proderet ſive potius ne cujuſpiam immutationis argueretur, Vernaculâ Eruditorum è quorum ſcriptis ea depromſerat linguâ, hic paſſim exhibuerat, Latinitate donari curarem; quò toti Literatorum vulgo, non ſemper omnium quæ per Europam obtinent Linguarum Callenti, eximium iſtud opus abſque interpretis ope conduceret. Hoc te Volebam, Candide Lector, Vtere & fruere.

CENSURA CELEBRIORVM AUTHORUM.

HERMES TRISMEGISTVS.

NOSIS æqualis fuiſſe memoratur *Diodor. Sicul.* lib. 1. *Mercurium* apud *Oſiridem* ſummo in honore fuiſſe, intimum ejus conſiliarium, & ſacrum ſcribam refert. Juxta *Euſebium Ægyptiis Thoyth* dictus erat. *Iamblicus* de *Myſter. Ægypt.* literas ab eo repertas, & multa librorum millia conſcripta eſſe memorat.

Ægyptius fuit *Mercurius*, Græcè *Hermes*, qui ideò τρισμέγιστος hoc eſt, termaximus nuncupatus, quòd maximus Philoſophus, maximus Sacerdos, maximus Rex extiterit. Nam, ut *Plato* ſcribit, mos erat *Ægyptiis* ex Philoſophis Sacerdotes, & ex Sacerdotibus Reges eligere. *Lil. Greg. Gyrald.* in Dial. 11. de Poet. Hiſt.

Suidas ait, eum floruiſſe ante Pharaonem, ac ter *Maximum* appellatum, quoniam de *Trinitate* oraculum edidiſſet: ſed *Auguſtin.* de Civit. Dei lib. 18. cap. 39. evincit *Mercurium* hunc vixiſſe, etiam poſt ipſum *Moſen*, *Deum Pharaonis*, ut illum ex hoc hauſiſſe, quæ dixit, ſi quæ ad rem dixerit, credendum ſit.

Euſeb. de Præpar. Evang. r. 7. citat ejus librum de *Origine Mundi.* Illud quoque ex *Antiquis* conſtat, eum doctrinam ſuam, ne inundatione *Nili* periret, columnis inſculpſiſſe, quas ſuo tempore adhuc extitiſſe, *Procl.* comment. in *Platon.* refert.

Artapanus apud *Euſeb.* de Præpar. Evang. 9.4. ſcribit, *Moſen* Inventorem literarum apud *Ægyptios* fuiſſe; ideoque ab illis divino Honore cultum, & *Mercurium* appellatum eſſe.

Plato literas ait inveniſſe μνήμης καὶ σοφίας φάρμακον hoc eſt, memoriæ & ſapientiæ remedium, in *Phædr.* & *Phileb.*

Cicero in lib. 3. de *Natur. Deorum* dicit, *Mercurium Ægypto* præfuiſſe, atque *Ægyptii* leges & literas tradidiſſe.

Diod. Sicul. lib. 1. refert, *Mercurium* docuiſſe *Græcos* τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν, rationem explicandi ſenſa animi, ac propterea ἑρμῆν, hoc eſt, *Interpretem* ab illis dictum *Iamblic.* auctor eſt, *Ægyptios Scriptores*, putantes omnia inventa eſſe à *Mercurio*, ſuos libros *Mercurio* inſcripſiſſe. *Iambl.* l. 1. de Myſter.

Qui tametſi homo, fuit tamen antiquiſſimus & inſtructiſſimus omni genere doctrinæ: adeo ut ei multarum rerum, & Artium ſcientia, *Triſmegiſti* cognomen imponeret. Hic ſcripſit libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus Majeſtatem ſummi ac ſingularis *Dei* aſſerit: iiſdemque nominibus appellat, quibus nos, *Deum*, & *Patrem*; ac ne quis nomen ejus requireret ἀνώνυμον eſſe dixit; eo quòd nominis proprietate non egeat, ob ipſam ſcilicet unitatem. *Lactant.* lib. 1. cap 6.

Myſteria in eo [*Mercurio*] multa & Arcana noſtræ legis; etſi *Ægyptium* fuiſſe traditum ſit, nec imbutum veris ſacris. *Lipſ.* Epiſt. cent. 1. Miſcell. Epiſt. 99. Sed Prophanos ut omittam, *Sacri Scriptores* huc etiam eunt. Liceat. *Tr. Maximum* inter eos recenſere, cujus Philoſophia valdè cum *Moſaicâ* [in multis quidem] conſentit. *Lipſ. Phyſiol. Stoic.* lib. 1. Diſſertat. 6.

Librum integrum, qui ſub nomine *Triſmegiſti* circumferri ab aliquot ſeculis cœpit, non veremur pronunciare, & omni aſſeveratione confirmare, eſſe ψευδεπίγραφον, utpote qui ſit *Chriſtiani* alicujus, vel ut dicam meliùs, *Semi-Chriſtiani* merum figmentum.--- Porrò quis fuerit hic *Mercurius*, aut quando vixerit, omitto quærere. Conſtat literarum & omnium ſcientiarum inventionem ad iſtum referri ſolitam. *Caſaub.* Exercit. 1. ad Apparat. Annal. Baron. Sect. 10.

Quodam tempore *Hermes Triſmegiſtus*, cùm in *Ægypto* ſacrum quoddam Animal, *Serapi* dicatum in totâ die duodecies urinam facere, pari ſemper temporis intervallo, obſervaſſet, per duodecim horas *Diem* dividi debere conjecit. Exinde hic horarum numerus longo tempore cuſtoditus, poſtea in viginti quatuor horas diviſus eſt *dies*. Polyd. Verg. de Rer. Invent. l. 2. cap. 5.

HESIODUS.

Claruit ante Chriſtum Ann. DCCCCXLIV.

H*Omerus* antè Chriſtum 907. *Heſiodus* 37. annis Artis ſuæ ſpecimina publicè edidit ante *Homerum*. *Ioan. Seld.* Marmor. Arundel. De ætate verò *Homeri* & *Heſiodi* non convenit inter veteres.

Natus fuit in *Aſcra* Bœotii vico, unde & *Aſcræus* dictus. Hic miſſus à Patre, qui *Cumis* pulſus *Aſcram* conceſſerat, ad ovium cuſtodiam, dormiens ſomniavit ſe repentè Poetam factum. *Scripſit* Poemata, *Clypeum*, *Theogoniam* Ἔργα καὶ Ἡμέρας, *Opera & Dies*, librum παραινετικὸν, & *moralem*, *item* γεωργικά: nam qui illud

Digitized by Google

illud unum & idem opus eſſe cum Ἔργοις putant, valdè falluntur. *Hofm.* in Lexic.

Vir fuit perelegantis ingenii, & molliſſimâ dulcedine carminum memorabilis, otii quietiſque cupidiſſimus. Vell. Paterc. lib. 1. p. 29.

Scriptor puriſſimus, & qui optima virtutis continet præcepta. *Dan. Heinſius.*

Illud certum eſt, *Homerum* & *Heſiodum* parentes & magiſtros Græcæ Poeſeos meritò dici. *Ioan. Andr. Quenſt.*

Major ſimplicitas & rudior antiquitas in *Heſiodo* comparet, quàm in *Homero Lipſ.* in Velleium Paterc.

Raró aſſurgit *Heſiodus*, magnaque pars ejus in nominibus occupata eſt, tamen utiles circa præcepta ſententiæ lenitaſque verborum, & compoſitionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi. *Quintil.* l. 10. cap. 1.

Ἔργα καὶ Ἡμέραι *Heſiodi* argutias, & ſalem habent non ſpurcum. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcip.

Genealogia Deorum *Heſiodi* ad intelligentiam Poetarum utilis, cætera futiliſſima. *Id.* ibid.

Scribit *Pauſanias*, ejus carmen adhuc ſuo tempore in plumbeis tabulis in Muſarum templo [cujus ſacerdos *Heſiodus* fuit] ſervatum fuiſſe.

Tannaquil. Faber ait *Heſiodum* libro ſuo qui inſcribitur Ἔργα καὶ Ἡμέραι Calendariorum autores noſtros imitatum eſſe, qui fauſtos & infauſtos dies interdum notant, ſed Opus illud, ſi attentiùs conſideretur magni momenti non eſſe. Epit. vit. Poet. Gr. *Gallicè.*

Reliqui ſcriptores qui *Morum* præcepta & leges tradidere propter infantiam & ſermonis inopiam, vim virtutis, ac formam germanam non potuerunt nobis ob oculos ponere. At *Heſiodus* expreſſam quandam imaginem, vivis illuſtratam coloribus, nec adſcititio vitiatam fuco, planèque talem qualem *Apellis* color in tabulis, ſpectandam exhibet. *Phil. Melancth.* Præfat. in *Heſiod.*

Genus dicendi medium & æquabile amat, nec humilitate nimia jacens, nec ſuperbè tumidum, quod probè obſervatum D. *Halicarnaſſ. Opera* ejus & *Dies* adeò prudenter & doctè ſcripta ſunt, ut hodieque ex lectione eorundem proficere valeant non *Ethnici* tantùm & *Politici*, ſed & *Oeconomi. Naucleri*, *Agricolæ.* Quod ad *Theogoniam*, in ſpeciem quidem illa *Deorum* multitudinem inſinuat, ſed obſervant naturæ rerum ſtudioſi, ſub involucris iſtis *fabularum* ſæpe *philoſophicas* collectiones recondi, quod & jam olim *Plutarcho* animadverſum. Unum proſpiciendum juventuti *Chriſtianæ*, ne fidem illis nimium alliget, quæ de diſtinctione & obſervatione ſuperſtitioſâ certorum dierum admiſcet. *Borrich.* de Poetis, p. 10.

Heſiodus multa ex *Muſæo* deprompſit. Clem. Alexand. lib. 6. Strom.

Qui *Theogoniam Heſiodi* legerit, meminerit eorum, quæ *Epiphanius* contra *Valentinianos* ſive *Gnoſticos* ſcripſit, qui, quòd *Theogoniam Heſiodi*, trigintaque illa ſecula ſunt imitati, in abſurdiſſimas *Hæreſes* inciderunt. Et *ô horum* [exclamat *Epiphanius*] *nugacitatem & tantam vanitatem*, qui *conjugârunt poeticis*, & *gentilibus fabulamentis ſuam ipſorum nugacitatem.* Ac paulo poſt idem *Epiphanius* oſtendit ex *Heſiodo*, *Orpheo*, ac *Steſichoro* innumeros *illos*, qui apud ipſos *Dii* nominantur, fluxiſſe, id quod & *Irenæus* prædixerat ex *Apoſtolo*, re-

prehendens eos, qui ſermonibus falſis, & Genealogiis vanis, atque interminatis futuri erant ut intenderent. At non ipſi tantùm *Chriſtianæ Eccleſiæ Patres*, verum etiam *alii* habuere ubi *Heſiodum* carperent. Extat etiam *Luciani Dialogus*, qui *Heſiodus* inſcribitur, in quo *Heſiodum* de ſe multa narrantem inducit; eumque ipſe, ut ſolet, irridet; extantque ideò *Epigrammata* in *Heſiodum* plura. Præterquam quòd notum *Proverbium* illud eſt de iis qui ſuperſeneſcunt, *Heſiodia Senecta*, de quo & *Pindari* diſtichon habetur. Ant. Poſſev. Biblioth. Select.

Editio *Heſiodea* laudatur *H. Stephani*, *Danielis* Heinſii, & G. Paſoris, cui Lexicon *Heſiodeum* adjunctum. Quas tamen omnes haud dubiè *Graviana* ſuperaverit.

HOMERUS.

Clar. ante Chriſt. Ann. DCCCCVII.

NON minus obſcura fuit *Homeri* ætas, quàm aut illius Patria aut Parentes; de quâ erat olim quæſtio & vetuſtiſſima & celeberrima, & adhuc ſub judice lis eſſet, ſi non auctoritate noſtri marmoris dijudicata fuiſſet. Floruit *Homerus* ſub *Diogneto* Athenarum Rege, Anno *Attico* 676. *Per. Iulianæ* 3807. annis poſt *Trojæ* cladem 302. antequàm *Olympia* ab *Iphito* & *Lycurgo* inſtaurata ſunt, annis 23. antequàm *Corœbus* ſtadium vicerit, annis 131. De eâ igitur re non eſt ampliùs ambigendum. *Ioan. Marsham.* in Chronologia.

Apud *Græcos* nullum invenitur ſcriptum, de quo conſtet, quod ſit *Homeri* carminibus antiquius. *Ioſeph.* contra *Appion.* lib. 1.

Homerus quidem primus doctrinarum & Antiquitatis parens. *Plin.* lib. 25. c. 2. *Homerus* divinarum omnium inventionum fons & origo. *Macrob.* in ſomn. Scip. lib. 2. c. 10.

Clariſſimum deinde *Homeri* illuxit ingenium, ſine exemplo maximum: qui magnitudine operum, & fulgore carminum ſolus appellari *Poeta* meruit. In quo hoc maximum eſt, quòd neque ante illum, quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt. *Vell. Paterc.* l. 1. c. 5.

Ut *Aratus* ab *Iove* incipiendum putat, ita nos ritè cœpturi ab *Homero* videmur. Hic enim (quemadmodum ex Oceano dicit ipſe amnium vim fontiumque curſus initium capere) omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis ſublimitate, in parvis proprietate ſuperaverit. Idem lætus ac preſſus, jucundus & gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec poeticâ modò, ſed oratoriâ virtute eminentiſſimus. *Quintil.* l. 10. cap. 1.

Homerus ille noſter divinæ ſapientiæ quidam Oceanus. *Angel. Politian.* præfat. in Charmidem Platonis.

Homerum omnium ætatum ſapientes ſunt demirati. *Iſaac Caſaub.* in Epiſt. Qui *Homerum* contemnunt, vix illis optari quidquam pejus poteſt, quàm ut ſatuitate ſuâ fruantur, *Idem* in Diſſertat. de *Homero*.

Nemo tam conſentienti judicio ſapientum omnis ævi laudatus eſt: & id ab iis,

Digitized by Google

iis, qui ipſi laudatiſſimi. Abi igitur Imperititia aut Livor: tu carpere tu carpere non potes immortalem hanc cœleſtemque naturam, *Lipſ.* Animadverſ. in loc. prædict. *Vell. Patere.*

Plutarchus lib. 2. de *Homero*, omnium artium, *Phyſica*; *Medicinæ*, *Politicæ*, *Ethica*, *Eloquentia*; *rei militaris* ſemina *Homero* ineſſe affirmat.

Inter omnes præcipuè celebrata Ilias & Odyſſea, in quibus totius Philoſophiæ & artis Oratoriæ, necnon Poetices lumina conſpiciantur. *Lil. Gyrald.* de Poetis.

Ælianus ſcribit *Agathonem* pictorem quendam *Homerum* pinxiſſe vomentem, reliquos vero Poetas, ea quæ ipſe evomuiſſet, exhaurientes.

Idem Author memorat *Homerum* ab *Indis* in ipſorum linguam converſum eſſe. Ei etiam à quibuſdam templum extructum. *Ælian.* in var. Hiſtor.

In illo verò culpandus maximè *Homerus* eſt, [ut & *Heſiodus*, Ovidius, ac reliqua ferè omnis Poetarum Gentilium turba] quòd eò dementiæ ac impietatis proceſſerit, ut non tantùm augeret mirum in modum Deorum numerum, ſed& turpia quævis de Diis comminiſceretur, illiſque ſtupra, adulteria, inceſtus, contentiones, pugnas, cædes, homicidia, furta tribuerit, hoc eſt, tales *Deos Deaſque* fingeret, quales *cives* honeſta Reſpublica nequaquam ferret. *Ioan. Quenſt.*

Alexander Macedo, ille orbis Monarcha, tanti fecit *Homerum*, ut ejus *Iliada* Divinum Poema, & rei militaris viaticum vocaret; imò Scriniolo, ex *Darii* ſpoliis auro gemmiſque pretioſiſſimo, adſervaret, noctu cervicali unà cum pugione ſubjiceret, cum eo vigilaret, cum eo dormiret.

Baſilius Magnus univerſam *Homeri* poeſin laudem dixit eſſe virtutis.

Duo ſagaciores in *Homero* ſolent improbare, unum, quòd otioſis *Epithetis*, & aliquando ineptis, ſæpè etiam digreſſionibus, & colloquiis frigidis non abſtinuerit; alterum quòd impura quandoque & indigna tradiderit de *Diis*: primum excuſabit ipſa tum artis naſcentis infantia, aut certè adoleſcentia nondum confirmata; ſecundum etiam cordatioribus antiquorum *Ethnicorum* diſplicuit. Quippe *Hieronymus* Philoſophus apud *Diogenem Laertium* narrat, *Pythagoram* apud *Inferos* vidiſſe animam *Heſiodi* columnæ æreæ alligatam, ſtridentemque oppidò; illam verò *Homeri* ab arbore ſuſpenſam, diriſque circumdatam ſerpentibus, quòd tam fœda uterque de naturâ divinâ prodidiſſet. *Borrich.* de Poetis pag. 9.

Multa ex *Orpheo* deprompſit *Homerus*, *Clem. Alex.* lib. 6. Strom.

Homerus Iliadum librorum argumentum deſumpſit ex libris *Corinni* Poetæ *Epici*, qui primus *Iliadem* ſcripſit tempore *Belli Trojani*. Vide *Suid.* in voc. *Corin.*

Homerus omnem *Poeſin* ſuam ita ſententiis farſit, ut ſingula ejus *Apophthegmata* vicem *proverbiorum* in *civium* ore fungantur. *Macrob.* l. 5. Saturnal 116.

Editiones *Homeri* plurimæ ſunt, quas inter præſtantiores habentur *Romana*, *Stephaniana*, *Argentoratenſis*. Nec damnanda ultima *Screvelii*, quicquid etiam in eadem deſideret *Mericus Caſaubonus* peculiari ſcripto.

OCELLUS LUCANUS

Quando floruerit non liquet.

ANtiquus Philoſophus quo tempore floruerit, nondum conſtat inter eruditos. Libellum reliquit de *Univerſi* naturâ: quem Latinè tranſtulit *Ludovicus Nogarola*. Hunc vero emendatiſſimè edidit vir doctiſſimus *Thomas Gale Cantabr*. An.Dom. 1670. in opuſculis.

Ocellus Lucanus Pythagoræ ipſius auditor qui *Platoni* laudatur in Epiſtola ad *Archytam*, nominatur *Philoni Iudæo*, & *Luciano*: & liber hodiè ſanè doctus extat de *Univerſi* naturâ. *Juſt.Lipſ.* manuduct. ad *Stoic Philoſ.* lib.1. Diſſ. 6.

Cæterum ſunt qui tradunt opinionis hujus [de *Mundo non interituro*] non *Ariſtotelem* primum *auctorem*, ſed *Pythagoreos* quoſdam fuiſſe. At mihi *Ocelli* genere *Lucani* inſcriptum *de Univerſi naturâ* commentarium oblatum eſt, in quo quidem *mundum* eſſe *ingenitum*, & nunquam interiturum non ſolum protulit, verùm etiam exquiſitiſſimis rationibus comprobavit. *Phil. Iud.* in lib. *de mundo non interituro.*

Diogenes Laertius quandam *Archytæ Tarentini*, quæ eſt ad *Platonem*, Epiſtolam vitæ illius inſeruit, in quâ hunc *Philoſophum* non *Ocellum*, ſed *Ucellum* nuncupat, ac nonnullos ejuſdem recenſet libros.

Dubitant nonnulli de libelli ejus [*de Univerſi* naturâ] ingenuitate, non conſideratè ſatis, ut ego perſuaſus ſum. Nam & brevitas & gravitas illi ſeculo reſpondet, ut de rebus & ſermone nunc nihil dicam. *Caſp. Barth.* adverſar. lib.42. cap. 1. pag. 1867.

Ocellus Lucanus Liber eſt admodum elegans. Scaligerana 2.

Plurima ex hoc libello *De Univerſi* naturâ ſumpſerunt *Ariſtoteles*, *Plato* atque *Philo Iudæus*. Vid. *Nogar.* annotat. in *Ocell.*

Ocellus in rebus naturæ explicandis *Attico* ſermone uſus eſt. *Nogar.*

Omnia ferè Argumenta quibus *Ocellus* & *Ariſtoteles Mundi* productionem oppugnant, hac ſuppoſitione nituntur; Quod neceſſe fuerit eum generari eo modo quo res in Mundo generari videmus. Quis autem ſanæ mentis hoc ita eſſe unquam aſſeruit? Verùm an ullo *Argumentorum* ſuorum evincunt impoſſibile eſſe ut *Deus*, cujus *infinita potentia* univerſum *Orbem* alio modo produxerit quàm cætera in eodem produci obſervamus? Affirmamus enim infinitam dari *æternamque Eſſentiam*, quæ *Mundi* fuerit Efficiens cauſa, quæq; vi ſua Omnipotente eum ex *nihilo* produxerit, eique *Exiſtentiam* continuet. *Stillingf. Origin.Sacr.* l.3. cap. 2. Sect. 6. *Anglicè.*

THEOGNIS.

Claruit ante Chriſt. Anno DXXXVIII.

POeta Græcus Olymp. 59. natus *Megaris* non *Siciliæ*, ut *Plato* putavit, ſed *Atticæ*, ut ex ipſo *Theognide* non obſcurè colligit *Valerius Harpocration*. *Cræſi* temporibus fuit, ſed diù ſupervixit, nempè ad initium belli *Perſici*. *Hofman.*

Theognis Megarenſis Olympiade circiter ſeptuageſimâ *Gnomis* ſuis & *Elegiis* luculentam famam adeptus eſt, juventuti neceſſarius ſcriptor, & qui mores pravos

vos

Digitized by Google

vos corrigat à crapulâ, à turpibus abſtrahat, ad honores rectâ via graſſandum moneat, & honeſtatis curam ubique inculcet. Hæc quidem de *Gnomologiis* ejus, nam *Paraneſes* ejuſdem ut flagitiis hinc inde reſpersas, monitore *Suidâ*, averſantur boni omnes, & feliciter tenebræ occulunt. Dictio ejus ſimplex, & nativa, ſatis tamen opportuna tum juventuti, tum rebus, quas docere inſtituit. Vid. *Borrich.* de Poet. pag. 20.

Plutarchus in libro de legendis Poetis judicat, *Empedoclem*, & *Parmenidem* in *Phyſicis*, *Nicandrum* in *Theriacis*, *Theognidem* in Sententiis moralibus, *carmen*, non *poema* condidiſſe; numeros autem pro vehiculo mutuatos eſſe à Poeſi, quo pedeſtris effugerent *ſtyli* humilitatem.

Si *Fabro* ſit adhibenda fides, *Theognis* inter præclariores Græciæ Poetas non cenſebatur. Nihil, inquit, pathetici nec ingenioſi continent ejus opera. Omnia in iis admodum ſimplicia & ornamentis vacua. Non tamen diffitetur *Ethicam* ejus cum utilitate legi poſſe, eumque Authorem in Græcia pueros memoriter addiſcere juſſos fuiſſe. *Epit. Vit. Poet Gr. p.* 42.

Ex Suidâ diſcimus, & alterum fuiſſe *Theognidem*, ſed *Tragicum*, qui ob frigida dramata *Nix* diceretur.

Theognis Doricâ uſus eſt *Dialecto*.

Theognis, *Gnomicus* princeps, moribus formandis unà cum *Phocylide* aptiſſimus, & vel *Iſocrate* judice, admodum neceſſarius. *Bonif.* Iudicr. Hiſt. lib. 15. cap. 8.

Theogniden Suidas ait in ejus *præceptis*, non utique purum eſſe. De inimicis vindictam ſumendam docet à Chriſtiana pietate remotus: Sed quid mirum cùm homo Ethnicus fuerit? Ex *Ethnicis* tamen nonnulli, ut *Socrates*, nihil tale conſuluiſſent, ne præcepiſſent quidem. *Claud. Verder.* cenſ. in Autores.

Inter editiones *Theognidis* laudatur H. & *Frederici Sylburgii*.

ÆSCHYLUS.

OLymp. 71. ann. 2. claruit, ut ait *Euſebius* in *Chronicis*: eo Anno ipſe in *Marathonia* pugnavit fortiter, ut eſt apud *Suidam*. Primus hic (inquit *Suidas*) reperit ut Tragici induerent perſonas terribiles & fæcibus inunctas, item ut *Cothurnis*, ſivè grandioribus calceis uterentur. Cùm Tragœdias fecerit 90. vicit vicies octies, imò, ut alii aiunt, ſolùm decies ter. Ex ejus Tragœdiis ſolæ ſuperſunt ſeptem, nec eæ omnes integræ, *Prometheus vinctus*, *Septem Duces ad Thebas*, *Perſæ*, *Agamemnon*, *Choephori*, *Eumenides*, *Supplices*. Claruit ante Chriſt. Anno ccccLxxxII.

Æſchylus ſublimis, gravis & grandiloquus uſque ad vitium: ſed rudis in pleriſque & incompoſitus. *Quintil.* lib. 10. Inſtitut. Orator. c. 1. laudantur tamen frequentes ejus *Metaphoræ*, laudatiores futuræ, ſi in iis perſiſteret, nec ante expectatum eaſdem abrumperet. *Epitheta* ejus, ut militaris animi, plerumque audaciora, conceptus immodici. *Borrich.* de Poet. pag. 29.

Is primùm in Scenam *Hiſtriones* adhibuit duos, *Ariſtotele* teſte; habitum convenientem Principibus induxit, Pulpita inſtravit, ex *Horatio*; cædes à Scenâ

Digitized by Google

Scenâ removit, docente *Philoſtrato.* Cùm verſus ſuos componeret, *ταυρηδὸν ἐβλεπε*, ſecundùm *Ariſtophanem*, ut nempè feritatem cogitationum ſuarum vultu quoque exprimeret. Quin repræſentatio fabularum ejus adeo ſubinde viſa eſt terribilis, ut memoret *Scholiaſtes* ejuſdem, cùm primum ederet in publico *Eumenidas*, puerorum multos à parentibus ad ſpectandum admiſſos præ horrore & metu ſubitò mortuos obriguiſſe; quin & gravidas nonnullas imagine feralium larvarum conſternatas periiſſe in *Theatro* præter expectationem.

Ieſ. Rapinus, ait *Æſchylum* nullo ferè *principio* fulcire mores & decorum quibus Actores ſuos ornat; *Fabulas* ejus nimis eſſe ſimplices; Harum *ordinationem* lugubrem eſſe; *chraſin* obſcuram & intricatam; *Agamemnoniſque Tragœdiam* inter alias vix intelligibilem eſſe: Eum verò, quia totum *Theatri* arcanum in grandiloquentia latere putabat, in vocibus omnem ſuam artem poſuiſſe, præclaris, ſententiis inſuper habitis. Sed addit Rapinus Poetam hunc felicis tamen eſſe ingenii ſanique judicii, Dramatum in eo deſignationes magnificum quid ſpirare, eum in elocutionibus patheticum eſſe; eum denique cum *Sophocle* & *Euripide Tragœdiarum* exemplar exhibere. *Rapin. Reflex.* 22. *in Poet. par.* 2.

Faber ſcribit Poetam hunc amplæ vaſtæque imaginationis fuiſſe, ſed inordinatæ ac furioſæ: Prodigiorum ferax erat, & veriſimile ut quid nimis vulgare faſtidiebat, *Epit. Vit. Poet. Gr. pag.* 54.

Hic Poeta intellectu difficillimus eſt. *Salmaſius* præclarus Criticus, quique difficultates apud intricatiſſimos autores occurrentes explanare delectabatur, earum ſe pertæſum profitebatur, quas apud *Æſchylum* reperiebat, & in quodam librorum ſuorum ait Poetam hunc *S. Scripturâ* obſcuriorem eſſe Quædam in hujus Poetæ Scriptis lectiſſima ſunt, & Veteribus *Tragicis* in Græcia famigeratiſſimis accenſeri meretur. Erudit. *Ephemerid. Gallic.* Matt. 1665.

Primus verò *Æſchylus* grandiloquentiam addidit *Tragœdiæ*; ac fecit, ut verè ambulet *Cothurnata.* Voſſ. lib. 2. Inſtitut. Poetic. cap. 14.

Tanti verò *Æſchylum Lycurgus* celeberrimus ille *Athenienſium Orator* feciſſe dicitur, ut *Statuam illi aheneam* poni curarit, & alteram *Sophocli*, amborumque *Tragœdias* publicè cuſtodiri mandarit: publicum quoque *ſcribam* conſtituit, qui eos *Hiſtrionibus* lectitaret. *Lilius Girald.*

Æſchylus Tragœdus ob quoddam Drama impietatis damnatus erat. Quumque *Athenienſes* jam parati eſſent eum lapidibus obruere, *Amynias* Junior frater, dejectâ veſte, cubitum oſtendit manu carentem. Fuerat autem *Amynias* unus ex iis qui fortiſſimè pugnarant in *Salamine* ubi manum amiſit, & primum ex omnibus *Athenienſibus* fortitudinis præmium conſequutus eſt. Ubi verò *Iudices* hominis animam & miſerationem intellexerunt, repetentes facinorum ejus memoriam, *Æſchylum* abſolverunt, *Ælian.* var. Hiſt. lib. 5. cap. 19.

Vino deditum fuiſſe inde colligas; quòd *Calliſthenes* apud *Lucianum* narret, *Æſchylum* in vino ſolitum ſcribere *Tragœdias*; unde ſenſus patet dicti illius; *Æſchylus cum ſcriberet, cùm invocaſſet magis Bacchum quàm Apollinem.*

Ætate

Digitized by Google

Ætate gravis cùm videret *Sophoclem* ut juniorem ſibi præferri, indignatus in *Siciliam* ad *Hieronem Syracuſanorum Regem* conceſſit, & tandem *Gelæ* obiit, aquilâ in calvam ejus teſtudinem ingentem demittente, de quo *Plutarch. Pauſan. Suid.*

Inter editiones laudatur illa, quæ è manu *Henrici Stephani* & *Adriani Turnebi* exiit. Primum verò obtinet locum illa *Thomæ Stanlei* eruditis commentariis illuſtrata. Hanc editionem *Stanleianam Ephemerides Gallicæ* hiſce verbis laudant. Omnes ejus editiones quas hactenus habueramus imperfectiſſimæ fuerunt. Hæc verò ſumma cura & diligentia procurata fuit, & digna eſt quæ in Bibliothecis reponatur, in iis enim reliquæ ornamento eſſe nequeunt. *Erudit. Ephemer. Gallic. Tom.* 1. *pag.* 115.

PINDARUS.

Poeta *Thebanus* circa 76. Olympiadem claruit. Puerum à parentibus expoſitum apes aluerunt, teſte Ælian. in var. Hiſt. l. 12. c. 45. Claruit ante Chr. Anno ccccLXXVI.

De morte ejus tradit *Valerius* quod in gremio pueri adamati expirârit.

Scripſit lingua *Doricâ, Olympia, Pythia, Nemea* & *Iſthmia*, quæ etiam hodiè extant: plurima alia ſcripſit, quæ deperierunt.

Novem verò *Lyricorum* longè *Pindarus* princeps, ſpiritûs magnificentiâ, ſententiis, figuris, beatiſſimâ rerum verborumque copiâ, & velut quodam Eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. *Quintil.* lib. 10. c. 1.

Corinna eâdem quâ *Pindarus* tempeſtate floruit, quem etiam, ut fama eſt, in certamine quinquies vicit, quamobrem *Tanagræi* ejus imaginem in *gymnaſio* in loco illuſtri poſuerunt, ut ſcribit *Pauſanias*, caputque illi tæniâ revinctum victoriæ causâ. Quare autem *Pindarum* vicerit, duplicem idem autor cauſam affert, & quòd *Corinna Æolicâ* linguâ uſa eſſet, non autem *Doricâ*, quâ *Pindarus*: & quòd cum formoſa eſſet fœmina, facilè *Iudicum* animos in ſe convertit. *Lil. Gyrald.*

Pindaro illud peculiare eſt, animos hominum inopinatò, ſententiolâ aliquâ mirabili veluti virgulâ divinâ, percutere. *Bacon.* Augm. Scient. l. 8. c. 1.

Pindarus nimis opimâ, pinguique eſſe facundiâ exiſtimatus eſt. *Aul. Gell.* lib. 17. Noct. Attic. c. 10.

Pindarus eſt obſcurus imprimis auctor, & reconditorum vocabulorum uſurpator: quem tamen *Academicus Archeſilaus* idoneum imprimis dicebat *vocem implere*, & *verborum magnam præbere copiam.* Lud. Viv. de Tradend. Diſcip. p. 530.

Lacedæmonii in reliquam Bœotiam ſævientes *Thebis* in *Pindari* gratiam pepercerunt. Huic etiam tantum tribuit *Alexander M.* ut cùm *Thebas* everteret, ac in omnes ſine diſcrimine ſæviret, unius *Pindari* penatibus, familiæque parci juſſerit.

Pindarus Thebanus Octogeſimum annum complevit: Poeta ſublimis, cum

quadam novitate ingenii, & multus in cultu Deorum. *Bacon.* de vitâ & morte, ad artic. 5. 6. 7. 9. & 11.

Pindarus auctor ingenioſus, & eruditus ſic ſatis, vocatur à *Barthio* in *Adverſariis.* Nec judicium hoc ſummi viri diſplicet. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. pag. 819.

Fatendum eſt *Horatii* judicium de *Pindaro* Poematibus, *Dithyrambicum* ejus opus, quod cum aliis pluribus nobis periit, unicè ſpectare. *Erudiior. Iudicia Pariſ.* 1686. *per D. Baillet. Gallicè.*

Faber Salmurienſis ait figuras à *Pindaro* uſurpatas nobiles quidem & magnificas eſſe, ſed *Dithyrambicum* ſtylum quandoque ſapere, id eſt audaciam & temeritatem quandam iis minimè gratam cui caſtigatum loquendi genus aliis anteponunt. Addit eum cætera gravem eſſe, ſed paulò nimium iis quæ *Apophthegmatum* nomine veniunt delectari; extra ſuum argumentum ob digreſſionum ſuarum prolixitatem, longe nimis identidem evagari; poſtquam in nubes ſeſe ſummovit ſubitò iterum devolare cùm minimum expectatur; in alutatis aſtantibus iterum ingredi, id eſt eorum quæ prius dixit connexionem cum ſequentibus parum curare *Tan. Fab. Epit. de Vit. Poet. Gr. p.* 65.

Etſi nævis non careat *Pindarus*, aliquid tamen habet quo Lectorem magis capiat quàm *Horatius*, quodque Divinum quid magis ſpiret, juxta *D. Blondelli* ſententiam, Comparatione *Pindari* cum *Horatio.*

Dictio ejus ſublimis, gravis, ſententiis & verborum copiâ frequens, Digreſſionibus quandoque nimia, nonnunquam & ſine nexu abrupta, unde non rara obſcuritas. Figuræ ejus, ut magnificæ, ita aliquando *Dithyrambica*, & præcipites. Hæc audacia noſtris moribus inter vitia cenſetur: *Pindarico* ævo, & ſuccedentibus illi ſeculis haud dubiè inter virtutes numerata fuit, ita Antiqui Scriptores de laudibus ejus diſertè perorant. *Borrich.* de Poet. p. 25.

Quantus fuerit *Platoni Pindarus*, vel ex eo colligas, quòd alibi σοφώτατον vocet, alibi θεῖον; *Athenæus* etiam μεγαλοφωνότατον.

Horatius lib. 4. Od. 2. *Pindarum cygno* comparat, *volatu ſublimia petenti.*

Plinius lib. 2. cap. 12. Os *Pindari* ſublime prædicat.

Quod ad Editiones *Pindari* attinet inter celeberrimas meritò æſtimatur illa *Eraſmi Schmidii* eruditis commentariis illuſtrata.

HIPPOCRATES.

Claruit ante Chr. Anno CCCCL.

COUS decimus ſeptimus ab *Æſculapio*, floruit tempore *Artaxerxis* ſive *Darii Longimani*, an. Mund. 3490. æqualis *Democriti*, à quo multa didicit, quemque valdè eſt admiratus. *Alſted.*

Seneca Medicorum ſummum & ſcientiæ Medicinalis conditorem appellat.

Macrobius de eo ſplendidè judicat, quando ait: *Hippocrates tam fallere quàm falli neſcit.*

Galenus lib. 1. de uſu part. cap. 9. *Hippocratis* ſententias, ut *Dei* vocem, habendas pronuntiat.

Hic vir divinâ ſcientiâ dicebat coitum eſſe morbum comitialem leviorem.

Ejus

Ejus libri, tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur. Artem medicam in lucem revocavit, in quâ uſque adeo enituit, ut venientem ab *Illyriis* peſtilentiam prædixerit, ac diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſerit: cui ob meritum honores illos, quos *Herculi*, tota *Græcia* decrevit. *Carol. Stephan.*

Tanto vel diſcendi ſtudio, vel in ægros charitate flagrabat, ut eum non puduerit vel retrimenta guſtare, ut inde morbi naturam perſentiſceret. Unde *Scatophagus* per ridiculum vocatur *Ariſtophani. Balthaſſ. Bonifac.* Iudic. Hiſt. p. 592.

Verus medendi dictator habitus ſemper; hujus ſcripta tanquam oracula, & non humanæ linguæ verba, tota amplectitur antiquitas, tanquam ducem & auctorem omnium diſciplinarum. In hoc, verborum preſſa proprietas, ſententiarum conciſa ſubtilitas, ſermonis veneranda antiquitas, artificii commendabilis dignitas: in cujus ſcriptis nihil ſuperfluum, otioſum nihil, ſed argutâ brevitate rotunda omnia, & ſignificantia, ita ut ubertas & amplitudo rerum verborum numerum longè vincat. *Heurn.* diſſertat. de ſtudio Medicin.

Hunc tota poſteritas venerata eſt tanquam Medicorum Principem. *Voſſ.* de Philoſoph. p. 85.

Tres ſunt quos admirari unice ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, *Homerus*, *Hippocrates*, *Ariſtoteles*. Lipſ.

Hippocrates Cous Medicus inſignis, centum & quatuor annos vixit. Artemque ſuam tam longâ vitâ comprobavit, & honeſtavit: vir cum prudentiâ quadam doctus: in experientiâ, & obſervatione multus: non verba, aut methodos captans, ſed nervos tantùm ſcientiæ ſeparans & proponens. *Bac.* Hiſtor. vit. & mort.

Quanquam verò *Dorica Hippocrati* lingua foret nativa; *Ionicè* tamen ſcripſit, à *Democrito* perſuaſus; nempe quia hæc lingua ſuavior elegantiorque haberetur. *Ælian* lib. 4. Hiſt. cap. 20.

Non à vero abludit eorum opinio, qui *Hippocratem Aphoriſmos* non ſcripſiſſe, ſed ab alio ex variis *Hippocratis* operibus bono judicio exceptos arbitrantur. *Voſſ.* de Philoſ. pag. 84.

Præclarus ille vir eò pluris æſtimandus eſt quod doctrinam ſuam ſibi ſoli deberet, & quòd ab aliis nihil mutuatus ſit; alii verò omnes ab ipſo multa deſumſerint. *Galenus* enim putat Platonem ex *Hippocratis* operibus pleraque omnia quæ in illius Philoſophi Scriptis miramur hauſiſſe, & *Phyſicos Ariſtotelis* libros nihil ferè eſſe quàm ejuſdem Autoris Phyſiologiæ commentarios. *Erudit. Ephemerid. Gallic. die lun. 22. Febr. 1666.*

Artis *Medicæ* poſt *Deum* parens alter extitit *divinus Hippocrates*. Quamvis enim ante ejus tempora *Æſculapium Medicinæ* inventorem agnoſceret Antiquitas, artem tamen Medicam ſuis temporibus fermè ſepultam, aut ſaltem incultam, nullaque methodo diſpoſitam divinis planè ſcriptis tantopere exornavit, & amplificavit *Hippocrates*, ut ſub eo primùm nata *Medicina* videatur. *Zacut.* Luſitan. *Med.* in lib. *de Medic.*

Omnium quotquot ante ſe fuerunt Medicorum facilè Princeps Hippocrates.

Digitized by Google

Primus ille laceræ luxatæque membra artis, ſolidiſſimâ compage in unam elegantiſſimi corporis molem redegit, & mirabili artificio conſummatam poſteris reliquit. *Ioan. Weſterburg.* in Epiſt. ad *Ioan. Berverovic.*

Quemadmodum *Hippocratis* ſumma ſemper apud *Medicorum* filios fuit auctoritas: ita inter *Opera*, quæ poſteritati reliquit, *Aphoriſmi* maximè aurei ſanè illi, rotundi, & ab omnibus *Medicæ Artis* cultoribus memoriæ meritò imprimendi, ſolent commendari. *Acta Erudit.* Anno 1684. pag. 429.

In *divinis* ejus ſcriptis nullum eſt verbum, quod non ex penetralibus *naturæ* depromptum, & profundâ ſapientiâ imbutum eſſe videatur. Populares ſuos *Græcos* tanto eſt amore proſecutus, ut ad *Artaxerxem Perſarum* Regem, quamvis maximis donis ab *Hyſtanide Helleſpontiorum* Præfecto evocatus, proficiſci noluerit. *Gul. Revill.* in promptuar. Illuſtr. Vir.

Hippocratis libellos legere, ſi deſideras, vacet oportet à negotiis, ut liber animus ſentiat vim conciſi & abrupti ſermonis. *Theod. Ianſon.* Invent. nov. Antiq. p. 141.

Hippocratis opera omnia *Græcè & Latinè*, curâ operâque *Ioh. Antonidæ Vander Linden* edita ſunt in 8. 2. Vol. *Lugduni Batav.* 1665. quam editionem præ cæteris valdè laudant *Ephemer. Gallic.* die lun. 22. Febr. 1666.

EURIPIDES.

Floruit ante Chriſt. Anno ccccxlviii.

TRagicus. *A. Gellius* lib. 15. cap. 20. refert *Euripidem*, cùm in *Macedoniâ* apud *Archelaum* Regem eſſet, noctu à cœnâ redeuntem à canibus per æmulum immiſſis, dilaceratum eſſe. Crudelitas fati tanto ingenio non debita, inquit *Val. Maximus*, lib. 9. cap. 12. Æmulum illum *Promerum* dictum fuiſſe, *Suidas* obſervat Μισογύνης nuncupatus, vel quia caſtus, & *Veneris* expers, vel quia mulierum vitia deteſtatus in eas ſæpe invehitur. *Scripſit* Fabulas 75. ex quibus 5. tantùm victoriam reportarunt. Superſunt hodie 19. Mortuus eſt anno ætatis ſuæ 75.

Quanti verſus ejus fecerit *Cicero*, non obſcurè teſtatus eſt ſic ad *Tyronem* ſcribens lib. 16. Fam. Epiſt. *Euripidis, cui quantum tu credis, neſcio, ego certe ſingulos ejus verſus, ſingula teſtimonia puto.*

Euripidem Fabius Sophocli præferens, uter, inquit, in diſpari dicendi viâ ſit Poëta melior, inter plurimos quæritur: Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis qui ſe ad agendum comparant, utiliorem longè *Euripidem* fore. Namque is & in ſermone (quod ipſum reprehendunt, quibus gravitas, & cothurnus, & ſonus *Sophoclis* videtur eſſe ſublimior) magis accedit *Oratorio* generi: & ſententiis denſus, & in iis quæ à ſapientibus tradita ſunt, penè ipſis par, & in dicendo ac in reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti, comparandus. In affectibus verò cùm omnibus mirus, tum in iis qui miſeratione conſtant, facilè præcipuus. *Quintil.* lib. 10. cap. 1.

Sanè *Euripides* cum *Protaſi prologum* ferè miſcet eodem in multis filo: propter quod & à *Criticis* damnatus eſt. *Cæſ. Scaliger* de re Poetica p. 45.

Objecerunt

Digitized by

Objecerunt *Euripidi* quòd ſceleſtas atque impuras fœminas adduxerit in Scenam. Quid enim fœdius *Phædrâ* & *Iocaſtâ*, & *Canace* & *Paſiphae?* quarum turpitudine populus fieret deterior. Ille contrà, ab ſeſe non fictas: ſed quales quales fuerint, oſtendiſſe. Quin *Hiſtorias* ipſas quoque abolendas eſſe, ſi nequitiæ nullæ ſint audiendæ: quâ de causâ etiam Comœdiæ in pretio ſint, quarum cognitione damnentur vitia quæ in eis recitantur: præſertim cùm impurarum mulierum vitam mors infœlix ſit ſecuta. *Caſ. Scalig.* de re Poet. p. 368.

Euripides eloquentiæ & prudentiæ laude *Sophocli* palmam dubiam reddidit, ſi non planè eripuit. *Euripides* plus curæ & induſtriæ adhibuit in diſponendis verbis ſuis & ſententiis, quam *Sophocles*; non tamen ſatis appoſitè fabulam diſponere putat *Ariſtoteles*, cui alioquin Τραγικώτατος æſtimatur. *Sophoclis* dictio redolet magis hominem rebus intentum, quàm verbis; *Euripidis* Scholam plus ſapit, & verborum conquirit delicias. Itaque ſi magnitudinem & ſublimitatem *Tragœdiæ* inſpiciamus, vicerit *Sophocles*, ſi verborum nitorem, major erit *Euripides*. Id in *Euripide* caſtigant eruditi, quod *veriſimile Poeticum* tantoperè *Ariſtoteli* laudatum non ubique obſervet, ut cùm ſubinde *Principibus* alligat peram & mendicitatem, neque enim id contingere unquam res loquitur. Prudenter *Horatius* in arte Poëtic. *Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge. Borrich.* de poët. p. 30.

D. Faber ait Criticorum antiquorum acutiores cenſuiſſe *Euripidis* ſtylum ſatis preſſum non eſſe; *Tragœdias* ejus Dialogum & *Socratis* colloquia redolere, ejuſque fictiones ut plurimum parum regulares eſſe *Tan. Fab. vit Poet. Græcorum.*

Ieſ. Rapinus ait *Euripidis Tragœdias* plus habere actionis, plus moralitatis, & eventus mirabiliores quàm *Sophoclis* Tragœdiæ. Sed laudabiles ejuſmodi qualitates non obſtiterunt quin plures in hujus Poetæ Operibus non mediocres nævos detexerit. Aſſerit illum in Fabularum ſuarum ordinatione ſatis accuratum non eſſe; ejus Characteres variatos non eſſe; per eoſdem caſus in eaſdem ſententias eum redire; ſermones ejus ſatis ardentes & ſatis Patheticos non eſſe; quo fit ut minùs quàm par eſſet moveat; in ejus eventuum inopinatorum præparatione præcipitationem quandam obſervari; Dramaticorum denique nodorum ſolutiones rerum naturæ minimè congruas eſſe, quippe quæ totidem perpetuæ ſint machinæ, id eſt à *Diis* peragantur. Hæc tamen non obſtant quin *Rapinus* de eodem poſtea quemadmodum de *Æſchylo* & de *Sophocle* fateatur, eum in ſuis moliminibus ſublimem eſſe, in Fabulis judicio pollere, in elocutionibus patheticum eſſe: in trium illorum Poetarum operibus genium fœlicem, præclaras naturæ dotes & ſaniorem mentem paſſim elucere; & quamvis errores quoſdam commiſerint, eorum tamen Dramata omnia ut primigenia totidem Exemplaria proponi poſſe. Rapin. *reflex.* 21. & 22. *in Poeſ. par.* 2.

Cum aliquando fabulam recitaret *Euripides*, à populo rogatus ut ſententiam quandam mutaret, in ſcenam progreſſus dixit, ſe ut populum doceret, non ut ab eo diſceret, *Tragœdias* componere ſolere. *Alceſtidi* Poëtæ *Tragico* objicienti, quòd triduo tria tantum carmina compoſuiſſet, ſe verò centum

reſpondit. Sed hoc intereſt, tua triduo tantummodo, mea verò in omne tempus ſufficient.

Edidere hunc *Tragicum* plures, quos inter laude ſuâ non eſt defraudandus *Paulus Stephanus*.

SOPHOCLES.

Claruit ante Chriſt. Anno CCCCXLV.

POeta tragicus, patriâ Athenienſis, tantâ orationis ſuavitate, ut vulgò μέλιττα, hoc eſt, *Apis*, item *Siren Attica*, cognominaretur, æqualis *Euripidis* & *Periclis*, cujus etiam *collega* aliquando fuit in *Prætura*. Natus *Olympiade* 73. ante Socratem ann. 17. Primus 3. *Actoribus* uſus eſt, adjecto eo qui vocatur *Tritagoniſta*, hoc eſt, tertiarum & ultimarum partium *Hiſtrio*: Primus etiam *Choros* ex juvenibus 15. introduxit, cùm anteà 12. tantum introducerentur. Primus quoque tragicas contentiones & compoſitiones inſtituit. Scripſit etiam *Elegiam*, & *Pæanas* atque *Orationem proſam*, cùm de *Choro* adverſus *Theſpin* & *Cærilum* contenderet. Obiit autem 6. ann. poſt *Euripidis* mortem, cui ſtyli magnitudine præfertur, licet ejus ſententiis inferior. *Carol. Stephan.* in Diction. Hiſtor.

Tragœdiam ad perfectionem perduxit. Stylus ejus politicum ſapit, & fictiones admodum judicioſæ ſunt. *Hofman.*

Tragœdiæ princeps, cujus gravitas & Cothurnus, & ſonus cæteris multò ſublimior. *Quintil.*

Sophoclis tragœdiæ graves, acutæ, ſublimes; Divinum Poetam vocat *Cicero* lib. 2. de Divinatione. *Card. Ioan. Bona.*

Sophocles Athenienſis octogeſimum annum complevit: Poeta grandiloquus, totus in ſcribendo, & familiæ negligens. *Bac.* de vit. & mort.

Claruit ſtylo tragico *Sophocles*: Et quamvis Æſchylus fuerit primus qui magniloquentiam docuerit, ut teſtatur *Horatius* in Arte Poetica in proverbium tamen abiit *Sophocleus Cothurnus*, quòd *Sophocles* cæteros Tragicos dictionis gravitate longè ſuperaverit. *Laurent. Ramir.* not. in lib. 3. Martial. Epigr. 20.

Quanti *Sophoclem* æſtimarit *Virgilius* ſatis indicatur *Eclog.* 8. v. 10. *Sola Sophocleo tua carmina digna Cothurno.*

Ejus tanta fuit induſtria, ut cum ipsâ naturâ certaſſe videatur. Nam cum eſſet annorum fermè centum, *Oedipodem Tragœdiam* compoſuit. *Oliver.* in lib. 8. cap. 7. *Val. Maxim.*

Sophocles eſt autor admirabilis; primus Poeta *Græcus*, & ferè *Virgilium* ſuperat. *Philoctetes* quàm divina *Tragœdia*! Tam ſterile argumentum adeo benè amplificatur! & *Oedipus* Tyrannus quàm paucas habet perſonas, quam pulcherrimus! qui benè legerit, multùm profecit in *Græciſmo*, quàm multæ præclaræ *Sophoclis* tragœdiæ interierunt! *Scaligeran.* 2.

Unus ex filiis *Sophocle* jam grandævo, annos enim 85. attigiſſe dicitur, *Iudices* adiit, rogatum, ut Patri curatorem conſtituerent: Sed hoc partem *Oedipi*; quam

Digitized by Google

quam tum forte pangebat, coram *judicibus* recitante, cum ignominia remiſſus eſt. Exhibuit Fabulas 123. quanquam alii dicant multò plures. Victorias autem 23. reportavit, quarum poſtrema cùm præter ſpem illi contigiſſet, repentino gaudio dicitur expiraſſe, ut eſt Author. *Valer. Max.* lib. 9. *Lucianus* autem grano uvæ ſtrangulatum eum prodidit. *Hofman.*

Sophocles Tragicus, Olympiade 78. clarus, Socrate paulò ſenior, & ſuavitate dicendi, ſententiarum, ſchematumque frequentiâ, quin & dictionis perſpicuitate. *Æſchylo* ſuperior. In affectibus, ſecundùm Quintilianum, mirus, præcipuè in iis, qui miſeratione conſtant. *Borrich.* de Poet. p. 29. 30.

D. Faber ait *Sophoclis* ſtylum indolem omnino prodere & animum fortem bellici viri qualis ipſe fuit: ait ſtylum illum politiorum hominum uſui prorſus conformem eſſe, cùm *Euripides* è contra in Scholæ pulvere totus jaceat; illum *Æſchylo* longè accuratiorem in ſuis ſcriptis eſſe, quia poſterioris hujus *Fictiones* monſtroſæ, incredibileſque plerumque ſunt, *Sophocles* verò exquiſiti judicii regularitatem continuò ſervat. Putat nihilominus aliquid ejus Inventioni addi ejuſque cogitationes paulò latiùs enunciari poſſe. *Tan. Faber Epit. Poet. Gr.* p. 86. 87.

Sophoclis ſermones exactè nimis ordinati ſunt. Artem ſuam in quibuſdam ſuis Dramatibus ſatis non celat; nimis affectata ſublimitas obſcuritatem in eo quandoque parit: & elocutionis ejus nobilitas perſpicuitatis partem ei adimit. In Dramaticorum nodorum ſolutionibus non ſemper æquè felix eſt ac in *Oedipo. Rapin. Reflex. in Poet. part. 2. Refl.* 22.

De hujus (*Sophoclis*) furtis *Philoſtratum Alexandrinum* juſtum confeciſſe opus ſcripſit *Euſebius.*

Inter Editiones hujus Scriptoris commendatur illa, quam *Paulus Stephanus* cum *Scholiis Græcis*, & *Notis Io. Camerarii*, atque H. *Stephani*, publicavit.

HERODOTUS.

ANtiquiſſimus Græcorum Hiſtoricorum, qui hodiè extant. Floruit Olymp. 84. Patriâ *Halicarnaſſenſis* erat. *Thurius* tamen dictus eſt, quod ſocium ſe deducendæ in *Thurios* Coloniæ præbuiſſet. *Condidit* novem libros *Hiſtoriarum*, quibus *Muſarum* nomina impoſuit, etſi *Lucianus* affirmet, libros illos non ab ipſo Authore, ſed ab aliis hoc nomine inſignitos eſſe. *Tullius* l. 1. de legib. eum *Hiſtoriæ parentem* appellat. Inſigni injuriâ optimum Hiſtoricum afficiunt, quia *patrem fabularum* vocant. Quod ipſum convitium facundiſſimo Dialogo refutavit *Hen. Stephanus.* Nec fabula eſt, quod *Herodotus* ſcribit, formicas *Indicas* ovis magnitudinem æquare. Idem enim *Busbequius* teſtatur, ſeque inter Dona Regis *Perſarum* Imperatori *Turcico* deſtinata formicam *Indicam* animal ſævum & mordax vidiſſe affirmat. *Konig.* in Biblioth. Claruit ante Chriſt. Anno CCCCXL.

Sed utcunque de iſto eſt, ſatis liquet, non ita nuncupari eos libros ut menda-

cia

cia titulo ipſo excuſentur. Eſt hoc commentum eruditi *Hiſpani, Ludov. Vivis*, in quinto de *Tradend. Diſciplinis*: ſed tanto viro minimè dignum. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc.

Herodotus Græcus, ne quid omiſiſſe videretur, omnia ſine delectu congeſſit, quorum pleraque non ab antiquis ſcriptis, ſed à vulgi fabulis accepit. Qui, quanquam oratione concinnus ſit, atque elegans, eorum tamen qui ſanè & incorruptè judicant, avertit ab illa tam coacervatâ & refertâ narrationum multitudine, fidem. Et quanquam à quibuſdam, quod videtur affectaſſe, *Hiſtoriæ pater* dicatur, ab aliis tamen *Fabularum pater* meritò dictus eſt. *Parker.* in Præfat. ad Antiquitat. Britann.

Miror Hunc unum *Hiſtoriæ parentem* à *Cicerone* appellari, quem omnis *antiquitas* mendacii coarguit; nullum enim eſt *Mendacis Hiſtorici* majus argumentum, quàm ab omnibus ſcriptoribus apertè confutari: Neque tamen omninò rejiciendum puto. Eſt enim in eo, præter eloquentiam, & ſuavitatis *Ionicæ* lepores, plurima vetuſtatis imago: multa quoque in poſterioribus libris veriſſimè ab eo ſcripta memorantur. *Bodin.* in *Method.* Hiſt. pag. 55.

Magnus ſanè *Herodotus* ſcriptor, & ſine controverſiâ *Hiſtoriæ Pater*: ſed qui ad πολυμάθειαν & rerum antiquiſſimarum cognitionem plurimùm; ad eam verò, quam quærimus, prudentiam, non multùm ſit collaturus. *Caſaub.* in Epiſt. ad *Henr.* 4. præf. tert. Volum. *Polyb.* p. 52.

Hiſtoriam multi ſcripſere præclarè, ſed nemo dubitat duos longè cæteris præferendos, quorum diverſa virtus laudem penè eſt parem conſecuta. Denſus, & brevis, & ſemper inſtans ſibi *Thucydides*: dulcis, & candidus, & fuſus *Herodotus*: ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior; ille concionibus, hic ſermonibus; ille vi, hic voluptate. *Quintil.* lib. 10. cap. 1.

Oratorum verò numero hunc eximi, non ſinit *ſuadela*, illa, & venuſtas optimæ poeſi ſimilis: quam Orationi ejus ineſſe locuples teſtis eſt *Halicarnaſſeus*. Ac *Plutarchus* quoque, etſi opuſculo eo, quod de malignitate *Herodoti* inſcripſit, amore quodam Patriæ (ut magnis ingeniis uſu venire ſolet) longiùs abreptus, maligniorem ſe ipſe erga Herodotum præbeat: tamen agnoſcit in eo *dictionem* ſimplicem, & abſque labore, rebuſque facilè ſe applicantem. Ac libelli fine, ſic de eo judicat: *homo ſcribendi gnarus, oratio jucunda*, & *gratia* ei *ineſt*, & *vis*, & *narrationi ineſt elegantia*. *Voſſ.* de Rhetor. natur. pag. 67.

Tullius in *Oratore* ait *Herodotum* ſine ullis ſalebris, quaſi ſedatum amnem ferri, Fabius ſimiliter teſtatur, cùm in eo omnia leniter fluant, tum ipſam διάλεκτον habere eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur. Sanè *Ionicæ Dialecti* eſſe normam *Herodotum*, ut *Atticæ Thucydidem*, ſcribit *Dion. Halicarnaſſ.* eumque ſecutus *Photius*.

Licet quaſdam narrationes recitet *Herodotus* fabulis non abſimiles, totum tamen Hiſtoriæ corpus ſingulari fide, & diligenti veritatis ſtudio coagmentatum eſt. De aliis verò narrationibus plerunque præfatur ipſe, *ſe eas, non quod veras eſſe exiſtimet, ſed ut ab aliis acceperit, recitare*. *Whear* method. legend. Hiſtor.

Nobiliſſimo

Digitized by Google

Nobiliſſimo huic ſcriptori *Perſica* imprimis debemus. *Joan. Ger. Voſſ.* de Græc. Hiſt. p. 14.

Abſurdum eſt in *Perſicis & Babylonicis* uni credere Herodoto, ignaro linguæ *Perſica*, & nullis Orientis *gentium* inſtructo monumentis. *Iſaac. Voſſ.* de Sibyll.

Vixit *Herodotus* dulciſſima illa τῇ Ιάδος μέσα, annos 52. Vetuſtiſſimus eſt omnium ſolutæ orationis ſcriptorum, qui hodiè extant. Scrinium *Originum Græcarum* & *Barbararum*, Auctor à doctis nunquam deponendus, à ſemidoctis, & pædagogis, & ſimiolis nunquam tractandus. *Scal.* in animadv. in Euſ. Chron.

Debebit & nobis nonnihil *Herodotus*, mel illud *Muſarum nectarinum*, cujus quòd fabuloſitatis arguantur *Camœnæ*, optimam mihi olim cauſam dixiſſe videtur *Ioan. Iovianus Pontanus*; ſcilicet ſummum & antiquiſſimum *ſcriptorem* non ideò *opus* iſtud *gemmeum* promulgâſſe, quòd fidem omnium traditorum ſibi conſtare putaret, aut defendendam ſuſcipere vellet; ſed quòd in *Ionicæ Dialecti* Elegantiis regnum ſibi pararet. Eo enim nomine & fine inſcripſiſſe titulos *Muſarum* frontiſpiciis librorum, ut quaſi per ludum nova tradere, hiſtoriaſque jucundis fabulis condire cerneretur---- Quem *ſcriptorem* qui capere ſatagat, oportet ſit ſubactarum *Idiotiſmo Ionico aurium*. Ludit fabulando *Herodotus*; ludendo docent *Fabulæ*, ſapientiæ pulcherrimæ gemmæ, *Euſthat. Suvart.* Analect. lib. c. 114.

Herodotus in ſecundo ex hiſtoricâ *Hecat. Mileſii* narratione quamplurima verbis totidem exſcripſiſſe dicitur, pauca quædam leviter ementitus, cujuſmodi ſunt, quæ de *Phœnice* ave, deque *fluviatili equo* & *Crocodilorum* venatione commemorat. *Euſeb.* 10. De Præp. Evang. 3. fol. 466.

Suidas Harpocrationem Ælium quendam nobis memorat, qui deditâ operâ librum ſcripſit ad falſitatem *Herodoti* propalandam. Notum eſt quid libris ſuis dicat *Plutarchus* de *Herodoti* malignitate ſeu invidia, ſed occaſio non minùs patet, quòd videlicet *Herodotus Plutarchi* patriam parum ôfficioſè deſcripſiſſet. *Strabo* ſimiliter *Herodotum* nimiæ nugacitatis, arguere videtur, & quòd prodigioſas fabulas hiſtoriæ ſuæ immiſcuerit. Sed fateor, dum obſervo quibus de cauſis in *Herodotum* toties invehatur *Plutarchus*, me in hanc opinionem propendere, quòd plerorumque *Græcorum* Scriptorum in *Herodotum* acerbior irritatio inde orta ſit, quòd nimis multas fabellas ex Schola deſumptas narraverit, *Græciæque* infantiam nimis detexerit, quantumq; ex *Ægyptiacis* ſuperſtitionibus *Græci* mutuati ſint. Quamvis itaque *Herodotus* in iis quorum à *Græcis* inſimulatur non multùm ſit culpandus, qui tamen ipſi maximè favent ejus in quibuſdam manifeſtas hallucinationes, in aliis verò ignorantiam excuſare non poſſunt. *Ioſephus* arbitratur eum ab *Ægyptiis Sacerdotibus* deceptum fuiſſe in iis quæ rerum eorum ſtatum ſpectant, cujus rationes plurimas affert *Ioſephus Scaliger*: *Aut*, inquit, *illi qui hæc Herodoto innuebant eorundem ipſi erant ignari*; *aut ſolertes, quidem ſatis, quales fuerunt veri* Ægyptii, *ſed qui* Herodoto *ut peregrino & ſtropharum eorum inexperto illuſerunt*; *aut Interpretem ſuum non intellexit*; *aut ab*

prehendens eos, qui ſermonibus falſis, & Genealogiis vanis, atque interminatis futuri erant ut intenderent. At non ipſi tantùm *Chriſtianæ Eccleſiæ Patres*, verum etiam *alii* habuere ubi *Heſiodum* carperent. Extat etiam *Luciani Dialogus*, qui *Heſiodus* inſcribitur, in quo *Heſiodum* de ſe multa narrantem inducit; eumque ipſe, ut ſolet, irridet; extantque ideò *Epigrammata* in *Heſiodum* plura. Præterquam quòd notum *Proverbium* illud eſt de iis qui ſuperſeneſcunt, *Heſiodia Senecta*, de quo & *Pindari* diſtichon habetur. Ant. Poſſev. Biblioth. Select.

Editio *Heſiodea* laudatur *H. Stephani*, *Danielis* Heinſii, & G. Paſoris, cui Lexicon *Heſiodeum* adjunctum. Quas tamen omnes haud dubiè *Graviana* ſuperaverit.

HOMERUS.

Clar. ante Chriſt. Ann. DCCCCVII.

NON minus obſcura fuit *Homeri* ætas, quàm aut illius Patria aut Parentes; de quâ erat olim quæſtio & vetuſtiſſima & celeberrima, & adhuc ſub judice lis eſſet, ſi non auctoritate noſtri marmoris dijudicata fuiſſet. Floruit *Homerus* ſub *Diogneto* Athenarum Rege, Anno *Attico* 676. *Per. Iuliana* 3807. annis poſt *Trojæ* cladem 302. antequàm *Olympia* ab *Iphito* & *Lycurgo* inſtaurata ſunt, annis 25. antequàm *Corœbus* ſtadium vicerit, annis 131. De eâ igitur re non eſt ampliùs ambigendum. *Ioan. Marsham.* in Chronologia.

Apud *Græcos* nullum invenitur ſcriptum, de quo conſtet, quod ſit *Homeri* carminibus antiquius. *Ioſeph.* contra *Appion.* lib. 1.

Homerus quidem primus doctrinarum & Antiquitatis parens. *Plin.* lib. 25. c. 2. *Homerus* divinarum omnium inventionum fons & origo. *Macrob.* in ſomn. Scip. lib. 2. c. 10.

Clariſſimum deinde *Homeri* illuxit ingenium, ſine exemplo maximum: qui magnitudine operum, & fulgore carminum ſolus appellari *Poeta* meruit. In quo hoc maximum eſt, quòd neque ante illum, quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt. *Vell. Paterc.* l. 1. c. 5.

Ut *Aratus* ab *Iove* incipiendum putat, ita nos ritè cœpturi ab *Homero* videmur. Hic enim (quemadmodum ex Oceano dicit ipſe amnium vim fontiumque curſus initium capere) omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis ſublimitate, in parvis proprietate ſuperaverit. Idem lætus ac preſſus, jucundus & gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec poeticâ modò, ſed oratoriâ virtute eminentiſſimus. *Quintil.* l. 10. cap. 1.

Homerus ille noſter divinæ ſapientiæ quidam Oceanus. *Angel. Politian.* præfat. in Charmidem Platonis.

Homerum omnium ætatum ſapientes ſunt demirati. *Iſaac Caſaub.* in Epiſt. Qui *Homerum* contemnunt, vix illis optari quidquam pejus poteſt, quàm ut fatuitate ſuâ fruantur, *Idem* in Diſſertat. de *Homero*.

Nemo tam conſentienti judicio ſapientum omnis ævi laudatus eſt: & id ab

iis,

Digitized by Google

iis, qui ipſi laudatiſſimi. Abi igitur Imperititia aut Livor: tu carpere tu carpere non potes immortalem hanc cœleſtemque naturam, *Lipſ.* Animadverſ. in loc. prædict. *Vell. Patere.*

Plutarchus lib. 2. de *Homero*, omnium artium, *Phyſica*; *Medicina, Politica, Ethica, Eloquentia*; *rei militaris* ſemina *Homero* ineſſe affirmat.

Inter omnes præcipuè celebrata Ilias & Odyſſea, in quibus totius Philoſophiæ & artis Oratoriæ, necnon Poetices lumina conſpiciantur. *Lil. Gyrald.* de Poetis.

Ælianus ſcribit *Agathonem* pictorem quendam *Homerum* pinxiſſe vomentem, reliquos vero Poetas, ea quæ ipſe evomuiſſet, exhaurientes.

Idem Author memorat *Homerum* ab *Indis* in ipſorum linguam converſum eſſe. Ei etiam à quibuſdam templum extructum. *Ælian.* in var. Hiſtor.

In illo verò culpandus maximè *Homerus* eſt, [ut & *Heſiodus*, Ovidius, ac reliqua ferè omnis Poetarum Gentilium turba] quòd eò dementiæ ac impietatis proceſſerit, ut non tantùm augeret mirum in modum Deorum numerum, ſed & turpia quævis de Diis comminiſceretur, illiſque ſtupra, adulteria, inceſtus, contentiones, pugnas, cædes, homicidia, furta tribuerit, hoc eſt, tales *Deos Deaſque* fingeret, quales *cives* honeſta Reſpublica nequaquam ferret. *Ioan. Quenſt.*

Alexander Macedo, ille orbis Monarcha, tanti fecit *Homerum*, ut ejus *Iliada* Divinum Poema, & rei militaris viaticum vocaret; imò Scriniolo, ex *Darii* ſpoliis auro gemmiſque pretioſiſſimo, adſervaret, noctu cervicali unà cum pugione ſubjiceret, cum eo vigilaret, cum eo dormiret.

Baſilius Magnus univerſam *Homeri* poeſin laudem dixit eſſe virtutis.

Duo ſagaciores in *Homero* ſolent improbare, unum, quòd otioſis *Epithetis*, & aliquando ineptis, ſæpè etiam digreſſionibus, & colloquiis frigidis non abſtinuerit; alterum quòd impura quandoque & indigna tradiderit de *Diis*: primum excuſabit ipſa tum artis naſcentis infantia, aut certè adoleſcentia nondum confirmata; ſecundum etiam cordatioribus antiquorum *Ethnicorum* diſplicuit. Quippe *Hieronymus* Philoſophus apud *Diogenem Laertium* narrat, *Pythagoram* apud *Inferos* vidiſſe animam *Heſiodi* columnæ æreæ alligatam, ſtridentemque oppidò; illam verò *Homeri* ab arbore ſuſpenſam, diriſque circumdatam ſerpentibus, quòd tam fœda uterque de naturà divinâ prodidiſſet. *Borrich.* de Poetis p. g. 9.

Multa ex *Orpheo* deprompſit *Homerus*, *Clem. Alex.* lib. 6. Strom.

Homerus Iliadum librorum argumentum deſumpſit ex libris *Corinni* Poetæ *Epici*, qui primus *Iliadem* ſcripſit tempore *Belli Trojani*. Vide *Suid.* in voc. *Corin.*

Homerus omnem *Poeſim* ſuam ita ſententiis farſit, ut ſingula ejus *Apophthegmata* vicem *proverbiorum* in *civium* ore fungantur. *Macrob.* l. 5. Saturnal 116.

Editiones *Homeri* plurimæ ſunt, quas inter præſtantiores habentur *Romana*, *Stephaniana*, *Argentoratenſis*. Nec damnanda ultima *Screvelii*, quicquid etiam in eadem deſideret *Mericus Caſaubonus* peculiari ſcripto.

OCELLUS LUCANUS

Quando floruerit non liquet.

ANtiquus Philoſophus quo tempore floruerit, nondum conſtat inter eruditos. Libellum reliquit de *Univerſi* naturâ: quem Latinè tranſtulit *Ludovicus Nogarola*. Hunc vero emendatiſſimè edidit vir doctiſſimus *Thomas Gale Cantabr.* An. Dom. 1670. in opuſculis.

Ocellus Lucanus Pythagoræ ipſius auditor qui *Platoni* laudatur in Epiſtola ad *Archytam*, nominatur *Philoni Iudæo, & Luciano*: & liber hodiè ſanè doctus extat de *Univerſi* naturâ. *Iuſt. Lipſ.* manuduct. ad *Stoic Philoſ.* lib. 1. Diſſ. 6.

Cæterum ſunt qui tradunt opinionis hujus [de *Mundo non interituro*] non *Ariſtotelem* primum *auctorem*, ſed *Pythagoreos* quoſdam fuiſſe. At mihi *Ocelli* genere *Lucani* inſcriptum *de Univerſi naturâ* commentarium oblatum eſt, in quo quidem *mundum* eſſe *ingenitum*, & nunquam interiturum non ſolum protulit, verùm etiam exquiſitiſſimis rationibus comprobavit. *Phil. Iud.* in lib. *de mundo non interituro.*

Diogenes Laertius quandam *Archytæ Tarentini*, quæ eſt ad *Platonem*, Epiſtolam vitæ illius inſeruit, in quâ hunc *Philoſophum* non *Ocellum*, ſed *Ucellum* nuncupat, ac nonnullos ejuſdem recenſet libros.

Dubitant nonnulli de libelli ejus [*de Univerſi* naturâ] ingenuitate, non conſideratè ſatis, ut ego perſuaſus ſum. Nam & brevitas & gravitas illi ſeculo reſpondet, ut de rebus & ſermone nunc nihil dicam. *Caſp. Barth.* adverſar. lib. 42. cap. 1. pag. 1867.

Ocellus Lucanus Liber eſt admodum elegans. Scaligerana 2.

Plurima ex hoc libello *De Univerſi* naturâ ſumpſerunt *Ariſtoteles*, *Plato* atque *Philo Iudæus*. Vid. *Nogar.* annotat. in *Ocell.*

Ocellus in rebus naturæ explicandis *Attico* ſermone uſus eſt. *Nogar.*

Omnia ferè Argumenta quibus *Ocellus* & *Ariſtoteles Mundi* productionem oppugnant, hac ſuppoſitione nituntur; Quod neceſſe fuerit eum generari eo modo quo res in Mundo generari videmus. Quis autem ſanæ mentis hoc ita eſſe unquam aſſeruit? Verùm an ullo *Argumentorum* ſuorum evincunt impoſſibile eſſe ut *Deus*, cujus *infinita potentia* univerſum *Orbem* alio modo produxerit quàm cætera in eodem produci obſervamus? Affirmamus enim *infinitam* dari *æternamque Eſſentiam*, quæ *Mundi* fuerit Efficiens cauſa, quæq; vi ſua Omnipotente eum ex *nihilo* produxerit, eique *Exiſtentiam* continuet. *Stillingf. Origin. Sacr.* l. 3. cap. 2. Sect. 6. *Anglicè.*

THEOGNIS.

Claruit ante Chriſt. Anno DXXXVIII.

POeta Græcus Olymp. 50. natus *Megaris* non *Siciliæ*, ut *Plato* putavit, ſed *Atticæ*, ut ex ipſo *Theognide* non obſcurè colligit *Valerius Harpocration*. *Crœſi* temporibus fuit, ſed diu ſupervixit, nempè ad initium belli *Perſici*. *Hofman.*

Theognis Megarenſis Olympiade circiter ſeptuageſimâ *Gnomis* ſuis & *Elegiis* luculentam famam adeptus eſt, juventuti neceſſarius ſcriptor, & qui mores pravos

Digitized by Google

vos corrigat à crapulâ, à turpibus abſtrahat, ad honores rectâ via graſſandum moneat, & honeſtatis curam ubique inculcet. Hæc quidem de *Gnomologiis* ejus, nam *Parœneſes* ejuſdem ut flagitiis hinc inde reſperſas, monitore *Suidâ*, averſantur boni omnes, & feliciter tenebræ occulunt. Dictio ejus ſimplex, & nativa, ſatis tamen opportuna tum juventuti, tum rebus, quas docere inſtituit. Vid. *Borrich.* de Poet. pag. 20.

Plutarchus in libro de legendis Poetis judicat, *Empedoclem*, & *Parmenidem* in *Phyſicis*, *Nicandrum* in *Theriacis*, *Theognidem* in Sententiis moralibus, *carmen*, non *poema* condidiſſe; numeros autem pro vehiculo mutuatos eſſe à Poetâ, quo pedeſtris effugerent *ſtyli* humilitatem.

Si *Fabro* ſit adhibenda fides, *Theognis* inter præclariores Græciæ Poetas non cenſebatur. Nihil, inquit, pathetici nec ingenioſi continent ejus opera. Omnia in iis admodum ſimplicia & ornamentis vacua. Non tamen diffitetur *Ethicam* ejus cum utilitate legi poſſe, eumque Authorem in Græcia pueros memoriter addiſcere juſſos fuiſſe. *Epit. Vit. Poet Gr. p.* 42.

Ex Suidâ diſcimus, & alterum fuiſſe *Theognidem*, ſed *Tragicum*, qui ob frigida dramata *Nix* diceretur.

Theognis Doricâ uſus eſt *Dialecto.*

Theognis, *Gnomicus* princeps, moribus formandis unà cum *Phocylide* aptiſſimus, & vel *Iſocrate* judice, admodum neceſſarius. *Bonif.* Iudicr. Hiſt. lib. 15. cap. 8.

Theogniden Suidas ait in ejus *præceptis*, non utique purum eſſe. De inimicis vindictam ſumendam docet à Chriſtiana pietate remotus: Sed quid mirum cùm homo Ethnicus fuerit? Ex *Ethnicis* tamen nonnulli, ut *Socrates*, nihil tale conſuluiſſent, ne præcepiſſent quidem. *Claud. Verder.* cenſ. in Autores.

Inter editiones *Theognidis* laudatur H. & *Frederici Sylburgii.*

ÆSCHYLUS.

OLymp. 71. ann. 2. claruit, ut ait *Euſebius* in *Chronicis*: eo Anno ipſe in *Marathonia* pugnavit fortiter, ut eſt apud *Suidam*. Primus hic (inquit *Suidas*) reperit ut Tragici induerent perſonas terribiles & fæcibus inunctas, item ut *Cothurnis*, ſive grandioribus calceis uterentur. Cùm Tragœdias fecerit 90. vicit vicies octies, imò, ut alii aiunt, ſolùm decies ter. Ex ejus Tragœdiis ſolæ ſuperſunt ſeptem, nec eæ omnes integræ, *Prometheus vinctus*, *Septem Duces ad Thebas*, *Perſæ*, *Agamemnon*, *Choephori*, *Eumenides*, *Supplices*. Claruit ante Chriſt. Anno CCCCLXXXII.

Æſchylus ſublimis, gravis & grandiloquus uſque ad vitium: ſed rudis in pleriſque & incompoſitus. *Quintil.* lib. 10. Inſtitut. Orator. c. 1. laudantur tamen frequentes ejus *Metaphoræ*, laudatiores futuræ, ſi in iis perſiſteret, nec ante expectatum eaſdem abrumperet. *Epitheta* ejus, ut militaris animi, plerumque audaciora, conceptus immodici. *Borrich.* de Poet. pag. 29.

Is primùm in Scenam *Hiſtriones* adhibuit duos, *Ariſtotele* teſte; habitum convenientem Principibus induxit, Pulpita inſtravit, ex *Horatio*; cædes à

Scenâ

Scenâ removit, docente *Philoſtrato.* Cùm verſus ſuos componeret, πυρηδὸν ἔβλεπε, ſecundùm *Ariſtophanem*, ut nempè feritatem cogitationum ſuarum vultu quoque exprimeret. Quin repræſentatio fabularum ejus adeo ſubinde viſa eſt terribilis, ut memoret *Scholiaſtes* ejuſdem, cùm primum cederet in publico *Eumenidas*, puerorum multos à parentibus ad ſpectandum admiſſos præ horrore & metu ſubitò mortuos obriguiſſe; quin & gravidas nonnullas imagine feralium larvarum conſternatas periiſſe in *Theatro* præter expectationem.

Ieſ. Rapinus, ait *Æſchylum* nullo ferè *principio* fulcire mores & decorum quibus Actores ſuos ornat; *Fabulas* ejus nimis eſſe ſimplices; Harum *ordinationem* lugubrem eſſe; *chraſin* obſcuram & intricatam; *Agamemnoniſque Tragœdiam* inter alias vix intelligibilem eſſe: Eum verò, quia totum *Theatri* arcanum in grandiloquentia latere putabat, in vocibus omnem ſuam artem poſuiſſe, præclaris, ſententiis inſuper habitis. Sed addit Rapinus Poetam hunc felicis tamen eſſe ingenii ſanique judicii, Dramatum in eo deſignationes magnificum quid ſpirare, eum in elocutionibus patheticum eſſe; eum denique cum *Sophocle* & *Euripide Tragœdiarum* exemplar exhibere. *Rapin. Reflex.* 22. *in Poet. par.* 2.

Faber ſcribit Poetam hunc amplæ vaſtæque imaginationis fuiſſe, ſed inordinatæ ac furioſæ: Prodigiorum ferax erat, & veriſimile ut quid nimis vulgare faſtidiebat, *Epit. Vit. Poet. Gr. pag.* 54.

Hic Poeta intellectu difficillimus eſt. *Salmaſius* præclarus Criticus, quique difficultates apud intricatiſſimos autores occurrentes explanare delectabatur, earum ſe pertæſum profitebatur, quas apud *Æſchylum* reperiebat, & in quodam librorum ſuorum ait Poetam hunc *S. Scripturâ* obſcuriorem eſſe Quædam in hujus Poetæ Scriptis lectiſſima ſunt, & Veteribus *Tragicis* in Græcia famigeratiſſimis accenſeri meretur. Erudit. *Ephemerid. Gallic.* Mart. 1665.

Primus verò *Æſchylus* grandiloquentiam addidit *Tragœdiæ*; ac fecit, ut verè ambulet *Cothurnata.* Voſſ. lib. 2. Inſtitut. Poetic. cap. 14.

Tanti verò *Æſchylum Lycurgus* celeberrimus ille *Athenienſium Orator* feciſſe dicitur, ut *Statuam illi aheneam* poni curarit, & alteram *Sophocli*, amborumque *Tragœdias* publicè cuſtodiri mandarit: publicum quoque *ſcribam* conſtituit, qui eos *Hiſtrionibus* lectitaret. *Lilius Girald.*

Æſchylus Tragœdus ob quoddam Drama impietatis damnatus erat. Quumque *Athenienſes* jam parati eſſent eum lapidibus obruere, *Amynias* Junior frater, dejectâ veſte, cubitum oſtendit manu carentem. Fuerat autem *Amynias* unus ex iis qui fortiſſimè pugnarant in *Salamine* ubi manum amiſit, & primum ex omnibus *Athenienſibus* fortitudinis præmium conſequutus eſt. Ubi verò *Iudices* hominis animam & miſerationem intellexerunt, repetentes facinorum ejus memoriam, *Æſchylum* abſolverunt, *Ælian.* var. Hiſt. lib. 5. cap. 19.

Vino deditum fuiſſe inde colligas; quòd *Calliſthenes* apud *Lucianum* narret, *Æſchylum* in vino ſolitum ſcribere *Tragœdias*; unde ſenſus patet dicti illius; *Æſchylus cum ſcriberet, cùm invocaſſet magis Bacchum quàm Apollinem.*

Ætate

Ætate gravis cùm videret *Sophoclem* ut juniorem ſibi præferri, indignatus in *Siciliam* ad *Hieronem Syracuſanorum Regem* conceſſit, & tandem *Gelæ* obiit, aquilâ in calvam ejus teſtudinem ingentem demittente, de quo *Plutarch. Pauſan. Suid.*

Inter editiones laudatur illa, quæ è manu *Henrici Stephani* & *Adriani Turnebi* exiit. Primum verò obtinet locum illa *Thomæ Stanlei* eruditis commentariis illuſtrata. Hanc editionem *Stanleianam Ephemerides Gallicæ* hiſce verbis laudant. Omnes ejus editiones quas hactenus habueramus imperfectiſſimæ fuerunt. Hæc verò ſumma cura & diligentia procurata fuit, & digna eſt quæ in Bibliothecis reponatur, in iis enim reliquæ ornamento eſſe nequeunt. *Erudit. Ephemer. Gallic. Tom.* 1. *pag.* 115.

PINDARUS.

Poeta *Thebanus* circa 76. Olympiadem claruit. Puerum à parentibus expoſitum apes aluerunt, teſte Ælian. in var. Hiſt. l. 12. c. 45. Claruit ante Chr. Anno CCCCLXXVI.

De morte ejus tradit *Valerius* quod in gremio pueri adamati expirârit.

Scripſit lingua *Doricâ*, *Olympia*, *Pythia*, *Nemea* & *Iſthmia*, quæ etiam hodiè extant: plurima alia ſcripſit, quæ deperierunt.

Novem verò *Lyricorum* longè *Pindarus* princeps, ſpiritûs magnificentiâ, ſententiis, figuris, beatiſſimâ rerum verborumque copiâ, & velut quodam Eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. *Quintil.* lib. 10. c. 1.

Corinna eâdem quâ *Pindarus* tempeſtate floruit, quem etiam, ut fama eſt, in certamine quinquies vicit, quamobrem *Tanagræi* ejus imaginem in *gymnaſio* in loco illuſtri poſuerunt, ut ſcribit *Pauſanias*, caputque illi tæniâ revinctum victoriæ causâ. Quare autem *Pindarum* vicerit, duplicem idem autor cauſam affert, & quòd *Corinna Æolicâ* linguâ uſa eſſet, non autem *Doricâ*, quâ *Pindarus*: & quòd cum formoſa eſſet fœmina, facilè *Iudicum* animos in ſe convertit. *Lil. Gyrald.*

Pindaro illud peculiare eſt, animos hominum inopinatò, ſententiolâ aliquâ mirabili veluti virgulâ divinâ, percutere. *Bacon.* Augm. Scient. l. 8. c. 1.

Pindarus nimis opimâ, pinguique eſſe facundiâ exiſtimatus eſt. *Aul. Gell.* lib. 17. Noct. Attic. c. 10.

Pindarus eſt obſcurus imprimis auctor, & reconditorum vocabulorum uſurpator: quem tamen *Academicus Archeſilaus* idoneum imprimis dicebat *vocem implere*, & *verborum magnam præbere copiam.* Lud. Viv. de Tradend. Diſcip. p. 530.

Lacedæmonii in reliquam *Bœotiam* ſævientes *Thebis* in *Pindari* gratiam pepercerunt. Huic etiam tantum tribuit *Alexander M.* ut cùm *Thebas* everteret, ac in omnes ſine diſcrimine ſæviret, unius *Pindari* penatibus, familiæque parci juſſerit.

Pindarus Thebanus Octogeſimum annum complevit: Poeta ſublimis, cum

Digitized by Google

quadam novitate ingenii, & multus in cultu Deorum. *Bacon.* de vitâ & morte, ad artic. 5. 6. 7. 9. & 11.

Pindarus auctor ingenioſus, & eruditus ſic ſatis, vocatur à *Barthio* in *Adverſariis*. Nec judicium hoc ſummi viri diſplicet. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. pag. 819.

Fatendum eſt *Horatii* judicium de *Pindaro* Poematibus, *Dithyrambicum* ejus opus, quod cum aliis pluribus nobis periit, unicè ſpectare. *Erudit or. Iudicia Pariſ. 1686. per D. Baillet. Gallicè.*

Faber Salmurienſis ait figuras à *Pindaro* uſurpatas nobiles quidem & magnificas eſſe, ſed *Dithyrambicum* ſtylum quandoque ſapere, id eſt audaciam & temeritatem quandam iis minimè gratam cui caſtigatum loquendi genus aliis anteponunt. Addit eum cætera gravem eſſe, ſed paulò nimium iis quæ *Apophthegmatum* nomine veniunt delectari; extra ſuum argumentum ob digreſſionum ſuarum prolixitatem, longe nimis identidem evagari; poſtquam in nubes ſeſe ſummovit ſubitò iterum devolare cùm minimum expectatur; in alutatis aſtantibus iterum ingredi, id eſt eorum quæ prius dixit connexionem cum ſequentibus parum curare *Tan. Fab. Epit. de Vit. Poet. Gr. p. 65.*

Etſi nævis non careat *Pindarus*, aliquid tamen habet quo Lectorem magis capiat quàm *Horatius*, quodque Divinum quid magis ſpiret, juxta *D. Blondelli* ſententiam, Comparatione *Pindari* cum *Horatio*.

Dictio ejus ſublimis, gravis, ſententiis & verborum copiâ frequens, Digreſſionibus quandoque nimia, nonnunquam & ſine nexu abrupta, unde non rara obſcuritas. Figuræ ejus, ut magnificæ, ita aliquando *Dithyrambicæ*, & præcipites. Hæc audacia noſtris moribus inter vitia cenſetur: *Pindarico* ævo, & ſuccedentibus illi ſeculis haud dubiè inter virtutes numerata fuit, ita Antiqui Scriptores de laudibus ejus disertè perorant. *Borrich.* de Poet. p. 25.

Quantus fuerit *Platoni Pindarus*, vel ex eo colligas, quòd alibi σοφώτατον vocet, alibi θεῖον; *Athenæus* etiam μεγαλοφυέστατον.

Horatius lib. 4. Od. 2. *Pindarum cygno* comparat, *volatu ſublimia petenti.*

Plinius lib. 2. cap. 12. Os *Pindari* ſublime prædicat.

Quod ad Editiones *Pindari* attinet inter celeberrimas meritò æſtimatur illa *Eraſmi Schmidii* eruditis commentariis illuſtrata.

HIPPOCRATES.

Claruit ante Chr. Anno CCCCL.

COUS decimus ſeptimus ab *Æſculapio*, floruit tempore *Artaxerxis* ſive *Darii Longimani*, an. Mund. 3490. æqualis *Democriti*, à quo multa didicit, quemque valdè eſt admiratus. *Alſted.*

Seneca Medicorum ſummum & ſcientiæ Medicinalis conditorem appellat.

Macrobius de eo ſplendidè judicat, quando ait: *Hippocrates tam fallere quàm falli neſcit.*

Galenus lib. 1. de uſu part. cap. 9. *Hippocratis* ſententias, ut *Dei* vocem, habendas pronuntiat.

Hic vir divinâ ſcientiâ dicebat coitum eſſe morbum comitialem leviorem.

Ejus

Ejus libri, tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur. Artem medicam in lucem revocavit, in quâ uſque adeo enituit, ut venientem ab *Illyriis* peſtilentiam prædixerit, ac diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſerit: cui ob meritum honores illos, quos *Herculi*, tota *Græcia* decrevit. *Carol. Stephan.*

Tanto vel diſcendi ſtudio, vel in ægros charitate flagrabat, ut eum non puduerit vel retrimenta guſtare, ut inde morbi naturam perſentiſceret. Unde *Scatophagus* per ridiculum vocatur *Ariſtophani. Balthaſſ. Boniſac.* Iudic. Hiſt. p. 592.

Verus medendi dictator habitus ſemper; hujus ſcripta tanquam oracula, & non humanæ linguæ verba, tota amplectitur antiquitas, tanquam ducem & auctorem omnium diſciplinarum. In hoc, verborum preſſa proprietas, ſententiarum conciſa ſubtilitas, ſermonis veneranda antiquitas, artificii commendabilis dignitas: in cujus ſcriptis nihil ſuperfluum, otioſum nihil, ſed argutâ brevitate rotunda omnia, & ſignificantia, ita ut ubertas & amplitudo rerum verborum numerum longè vincat. *Heurn.* diſſertat. de ſtudio Medicin.

Hunc tota poſteritas venerata eſt tanquam Medicorum Principem. Voſſ. de Philoſoph. p. 85.

Tres ſunt quos admirari unice ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, *Homerus*, *Hippocrates*, *Ariſtoteles*. Lipſ.

Hippocrates Cous Medicus inſignis, centum & quatuor annos vixit. Artemque ſuam tam longâ vitâ comprobavit, & honeſtavit: vir cum prudentiâ quadam doctus: in experientiâ, & obſervatione multus: non verba, aut methodos captans, ſed nervos tantùm ſcientiæ ſeparans & proponens. *Bac.* Hiſtor. vit. & mort.

Quanquam verò *Dorica Hippocrati* lingua foret nativa; *Ionicè* tamen ſcripſit, à *Democrito* perſuaſus; nempe quia hæc lingua ſuavior elegantiorque haberetur. *Ælian* lib. 4. Hiſt. cap. 20.

Non à vero abludit eorum opinio, qui *Hippocratem Aphoriſmos* non ſcripſiſſe, ſed ab alio ex variis *Hippocratis* operibus bono judicio exceptos arbitrantur. *Voſſ.* de Philoſ. pag. 84.

Præclarus ille vir eò pluris æſtimandus eſt quod doctrinam ſuam ſibi ſoli deberet, & quòd ab aliis nihil mutuatus ſit; alii verò omnes ab ipſo multa deſumſerint. *Galenus* enim putat Platonem ex *Hippocratis* operibus pleraque omnia quæ in illius Philoſophi Scriptis miramur hauſiſſe, & *Phyſicos Ariſtotelis* libros nihil ferè eſſe quàm ejuſdem Autoris Phyſiologiæ commentarios. *Erudit. Ephemerid. Gallic. die lun. 22. Febr. 1666.*

Artis *Medicæ* poſt *Deum* parens alter extitit *divinus Hippocrates*. Quamvis enim ante ejus tempora *Æſculapium Medicinæ* inventorem agnoſceret Antiquitas, artem tamen Medicam ſuis temporibus fermè ſepultam, aut ſaltem incultam, nullaque methodo diſpoſitam divinis planè ſcriptis tantopere exornavit, & amplificavit *Hippocrates*, ut ſub eo primùm nata *Medicina* videatur. *Zacut.* Luſitan. *Med.* in lib. *de Medic.*

Omnium quotquot ante ſe fuerunt Medicorum facilè Princeps Hippocrates.

Digitized by Google

Primus ille laceræ luxatæque membra artis, ſolidiſſimâ compage in unam elegantiſſimi corporis molem redegit, & mirabili artificio conſummatam poſteris reliquit. *Ioan. Weſterburg.* in Epiſt. ad *Ioan. Berverovic.*

Quemadmodum *Hippocratis* ſumma ſemper apud *Medicorum* filios fuit auctoritas: ita inter *Opera*, quæ poſteritati reliquit, *Aphoriſmi* maximè aurei ſanè illi, rotundi, & ab omnibus *Medicæ Artis* cultoribus memoriæ meritò imprimendi, ſolent commendari. *Acta Erudit.* Anno 1684. pag. 429.

In *divinis* ejus ſcriptis nullum eſt verbum, quod non ex penetralibus *naturæ* depromptum, & profundâ ſapientiâ imbutum eſſe videatur. Populares ſuos *Græcos* tanto eſt amore proſecutus, ut ad *Artaxerxem Perſarum* Regem, quamvis maximis donis ab *Hyſtamde Helleſpontiorum* Præfecto evocatus, proficiſci noluerit. *Gul. Rovill.* in promptuar. Illuſtr. Vir.

Hippocratis libellos legere, ſi deſideras, vacet oportet à negotiis, ut liber animus ſentiat vim conciſi & abrupti ſermonis. *Theod. Ianſon.* Invent. nov. Antiq. p. 141.

Hippocratis opera omnia *Græcè & Latinè*, curâ operâque *Ioh. Antonidæ Vander Linden* edita ſunt in 8. 2. Vol. *Lugduni Batav.* 1665. quam editionem præ cæteris valdè laudant *Ephemer. Gallic.* die lun. 22. Febr. 1666.

EURIPIDES.

Floruit ante Chriſt. Anno CCCCXLVIII.

TRagicus. *A. Gellius* lib. 15. cap. 20. refert *Euripidem*, cùm in *Macedoniâ* apud *Archelaum* Regem eſſet, noctu à cœnâ redeuntem à canibus per æmulum immiſſis, dilaceratum eſſe. Crudelitas fati tanto ingenio non debita, inquit *Val. Maximus*, lib. 9. cap. 12. Æmulum illum *Promerum* dictum fuiſſe, *Suidas* obſervat Μισογύνης nuncupatus, vel quia caſtus, & *Veneris* expers, vel quia mulierum vitia deteſtatus in eas ſæpe invehitur. *Scripſit* Fabulas 75. ex quibus 5. tantùm victoriam reportarunt. Superſunt hodie 19. Mortuus eſt anno ætatis ſuæ 75.

Quanti verſus ejus fecerit *Cicero*, non obſcurè teſtatus eſt ſic ad *Tyronem* ſcribens lib. 16. Fam. Epiſt. *Euripides, cui quantum tu credis, neſcio, ego certe ſingulos ejus verſus, ſingula teſtimonia puto.*

Euripidem Fabius Sophocli præferens, uter, inquit, in diſpari dicendi viâ ſit Poëta melior, inter plurimos quæritur: Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis qui ſe ad agendum comparant, utiliorem longè *Euripidem* fore. Namque is & in ſermone (quod ipſum reprehendunt, quibus gravitas, & cothurnus, & ſonus *Sophoclis* videtur eſſe ſublimior) magis accedit *Oratorio* generi: & ſententiis denſus, & in iis quæ à ſapientibus tradita ſunt, penè ipſis par, & in dicendo ac in reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti, comparandus. In affectibus verò cùm omnibus mirus, tum in iis qui miſeratione conſtant, facilè præcipuus. *Quintil.* lib. 10. cap. 1.

Sanè *Euripides* cum *Protaſi prologum* ferè miſcet eodem in multis filo: propter quod & à *Criticis* damnatus eſt. *Cæſ. Scaliger* de re Poetica p. 45.

Objecerunt

Objecerunt *Euripidi* quòd ſcelestas atque impuras fœminas adduxerit in Scenam. Quid enim fœdius *Phædrâ* & *Iocaſtâ*, & *Canace*& *Paſiphae?* quarum turpitudine populus fieret deterior. Ille contrà, ab ſeſe non fictas: ſed quales quales fuerint, oſtendiſſe. Quin *Hiſtorias* ipſas quoque abolendas eſſe, ſi nequitiæ nullæ ſint audiendæ: quâ de causâ etiamComœdiæ in pretio ſint,quarum cognitione damnentur vitia quæ in eis recitantur: præſertim cùm impurarum mulierum vitam mors infœlix ſit ſecuta. *Caſ. Scalig.* de re Poet. p.368.

Euripides eloquentiæ & prudentiæ laude *Sophocli* palmam dubiam reddidit, ſi non planè eripuit. *Euripides* plus curæ & induſtriæ adhibuit in diſponendis verbis ſuis & ſententiis, quam *Sophocles*; non tamen ſatis appoſitè fabulam diſponere putat *Ariſtoteles*, cui alioquin Τραγικώτατος æſtimatur. *Sophoclis* dictio redolet magis hominem rebus intentum, quàm verbis; *Euripidis* Scholam plus ſapit, & verborum conquirit delicias. Itaque ſi magnitudinem & ſublimitatem *Tragœdiæ* inſpiciamus, vicerit *Sophocles*,ſi verborum nitorem, major erit *Euripides*. Id in *Euripide* caſtigant eruditi, quod *veriſimile Poeticum* tantoperè *Ariſtoteli* laudatum non ubique obſervet, ut cùm ſubinde *Principibus* alligat peram & mendicitatem,neque enim id contingere unquam res loquitur. Prudenter *Horatius* in arte Poëtic. *Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge. Borrich.* de poët. p. 30.

D. Faber ait Criticorum antiquorum acutiores cenſuiſſe *Euripidis* ſtylum ſatis preſſum non eſſe; *Tragœdias* ejus Dialogum & *Socratis* colloquia redolere, ejuſque fictiones ut plurimum parum regulares eſſe *Tan. Fab. vit Poet. Græcorum.*

Ioſ. Rapinus ait *Euripidis Tragœdias* plus habere actionis, plus moralitatis, & eventus mirabiliores quàm *Sophoclis* Tragœdiæ. Sed laudabiles ejuſmodi qualitates non obſtiterunt quin plures in hujusPoetæ Operibus non mediocres nævos detexerit. Aſſerit illum in Fabularum ſuarum ordinatione ſatis accuratum non eſſe; ejus Characteres variatos non eſſe; per eoſdem caſus in eaſdem ſententias eum redire; ſermones ejus ſatis ardentes & ſatis Patheticos non eſſe; quo fit ut minùs quàm par eſſet moveat; in ejus eventuum inopinatorum præparatione præcipitationem quandam obſervari; Dramaticorum denique nodorum ſolutiones rerum naturæ minimè congruas eſſe, quippe quæ totidem perpetuæ ſint machinæ, id eſt à *Diis* peragantur. Hæc tamen non obſtant quin *Rapinus* de eodem poſtea quemadmodum de *Æſchylo* & de *Sophocle* fateatur,eum in ſuis nominibus ſublimem eſſe,in Fabulis judicio pollere,in elocutionibus patheticum eſſe: in trium illorum Poetarum operibus genium fœlicem, præclaras naturæ dotes & ſaniorem mentem paſſim elucere; & quamvis errores quoſdam commiſerint, eorum tamen Dramata omnia ut primigenia totidem Exemplaria proponi poſſe. *Rapin. reflex.* 21. *&* 22. *in Poëſ. par.* 2.

Cum aliquando fabulam recitaret *Euripides*, à populo rogatus ut ſententiam quandam mutaret, in ſcenam progreſſus dixit, ſe ut populum doceret, non ut ab eo diſceret, *Tragœdias* componere ſolere. *Alceſtidi* Poëtæ *Tragico* objicienti, quòd triduo tria tantum carmina compoſuiſſet, ſe verò centum

reſpondit. Sed hoc intereſt, tua triduo tantummodo, mea verò in omne tempus ſufficient.

Edidere hunc *Tragicum* plures, quos inter laude ſuâ non eſt defraudandus *Paulus Stephanus*.

SOPHOCLES.

Claruit ante Chriſt. Anno CCCCXLV.

POeta tragicus, patriâ Athenienſis, tantâ orationis ſuavitate, ut vulgò μέλιττα, hoc eſt, *Apis*, item *Siren Attica*, cognominaretur, æqualis *Euripidis* & *Periclis*, cujus etiam *collega* aliquando fuit in *Prætura*. Natus *Olympiade* 73. ante Socratem ann. 17. Primus 3. *Actoribus* uſus eſt, adjecto eo qui vocatur *Tritagoniſta*, hoc eſt, tertiarum & ultimarum partium *Hiſtrio*. Primus etiam *Choros* ex juvenibus 15. introduxit, cùm anteà 12. tantum introducerentur. Primus quoque tragicas contentiones & compoſitiones inſtituit. Scripſit etiam *Elegiam*, & *Pæanas* atque *Orationem proſam*, cùm de *Choro* adverſus *Theſpin* & *Cærilum* contenderet. Obiit autem 6. ann. poſt *Euripidis* mortem, cui ſtyli magnitudine præfertur, licet ejus ſententiis inferior. *Carol. Stephan.* in Diction. Hiſtor.

Tragœdiam ad perfectionem perduxit. Stylus ejus politicum ſapit, & fictiones admodum judicioſæ ſunt. *Hofman.*

Tragœdiæ princeps, cujus gravitas & Cothurnus, & ſonus cæteris multò ſublimior. *Quintil.*

Sophoclis tragœdiæ graves, acutæ, ſublimes; Divinum Poetam vocat *Cicero* lib. 2. de Divinatione. *Card. Ioan. Bona.*

Sophocles Athenienſis octogeſimum annum complevit: Poeta grandiloquus, totus in ſcribendo, & familiæ negligens. *Bac.* de vit. & mort.

Claruit ſtylo tragico *Sophocles*: Et quamvis Æſchylus fuerit primus qui magniloquentiam docuerit, ut teſtatur *Horatius* in Arte Poetica in proverbium tamen abiit *Sophocleus Cothurnus*, quòd *Sophocles* cæteros Tragicos dictionis gravitate longè ſuperaverit. *Laurent. Ramir.* not. in lib. 3. Martial. Epigr. 20.

Quanti *Sophoclem* æſtimarit *Virgilius* ſatis indicatur *Eclog.* 8. v. 10. *Sola Sophocleo tua carmina digna Cothurno.*

Ejus tanta fuit induſtria, ut cum ipſâ naturâ certaſſe videatur. Nam cum eſſet annorum fermè centum, *Oedipodem Tragœdiam* compoſuit. *Oliver.* in lib. 8. cap. 7. *Val. Maxim.*

Sophocles eſt autor admirabilis; primus Poeta *Græcus*, & ferè *Virgilium* ſuperat. *Philoctetes* quàm divina *Tragœdia*! Tam ſterile argumentum adeo benè amplificatur! & *Oedipus* Tyrannus quàm paucas habet perſonas, quam pulcherrimus! qui benè legerit, multùm profecit in *Græciſmo*, quàm multæ præclaræ *Sophoclis* tragœdiæ interierunt! *Scaligeran.* 2.

Unus ex filiis *Sophocle* jam grandævo, annos enim 85. attigiſſe dicitur, *Iudices* adiit, rogatum, ut Patri curatorem conſtituerent: Sed hoc partem *Oedipi*; quam

quam tum forte pangebat, coram *judicibus* recitante, cum ignominia remiſſus eſt. Exhibuit Fabulas 123. quanquam alii dicant multò plures. Victorias autem 23. reportavit, quarum poſtrema cùm præter ſpem illi contigiſſet, repentino gaudio dicitur expiraſſe, ut eſt Author. *Valer. Max.* lib. 9. *Lucianus* autem grano uvæ ſtrangulatum eum prodidit. *Hofman.*

Sophocles Tragicus, Olympiade 78. clarus, Socrate paulò ſenior, & ſuavitate dicendi, ſententiarum, ſchematumque frequentiâ, quin & dictionis perſpicuitate. *Æſchylo* ſuperior. In affectibus, ſecundùm Quintilianum, mirus, præcipuè in iis, qui miſeratione conſtant. *Borrich.* de Poet. p. 29.30.

D. Faber ait *Sophoclis* ſtylum indolem omnino prodere & animum fortem bellici viri qualis ipſe fuit: ait ſtylum illum politiorum hominum uſui prorſus conformem eſſe, cùm *Euripides* è contra in Scholæ pulvere totus jaceat; illum *Æſchylo* longè accuratiorem in ſuis ſcriptis eſſe, quia poſterioris hujus *Fictiones* monſtroſæ, incredibileſque plerumque ſunt, *Sophocles* verò exquiſiti judicii regularitatem continuò ſervat. Putat nihilominus aliquid ejus Inventioni addi ejuſque cogitationes paulò latiùs enunciari poſſe. *Tan. Faber Epit. Poet. Gr.* p. 86.87.

Sophoclis ſermones exactè nimis ordinati ſunt. Artem ſuam in quibuſdam ſuis Dramatibus ſatis non celat; nimis affectata ſublimitas obſcuritatem in eo quandoque parit: & elocutionis ejus nobilitas perſpicuitatis partem ei adimit. In Dramaticorum nodorum ſolutionibus non ſemper æquè felix eſt ac in *Oedipo.* *Rapin. Reflex. in Poet. part. 2. Refl. 22.*

De hujus (*Sophoclis*) furtis *Philoſtratum Alexandrinum* juſtum confeciſſe opus ſcripſit *Euſebius.*

Inter Editiones hujus Scriptoris commendatur illa, quam *Paulus Stephanus* cum *Scholiis Græcis*, & *Notis Io. Camerarii*, atque H. *Stephani*, publicavit.

HERODOTUS.

ANtiquiſſimus Græcorum Hiſtoricorum, qui hodiè extant. Floruit Olymp. 84. Patriâ *Halicarnaſſenſis* erat. *Thurius* tamen dictus eſt, quod ſocium ſe deducendæ in *Thurios* Coloniæ præbuiſſet. *Condidit* novem libros *Hiſtoriarum*, quibus *Muſarum* nomina impoſuit, etſi *Lucianus* affirmet, libros illos non ab ipſo Authore, ſed ab aliis hoc nomine inſignitos eſſe. *Tullius* l. 1. de legib. eum *Hiſtoriæ parentem* appellat. Inſigni injuriâ optimum Hiſtoricum afficiunt, quia *patrem fabularum* vocant. Quod ipſum convitium facundiſſimo Dialogo refutavit *Hen. Stephanus.* Nec fabula eſt, quod *Herodotus* ſcribit, formicas *Indicas* ovis magnitudinem æquare. Idem enim *Busbequius* teſtatur, ſeque inter Dona Regis *Perſarum* Imperatori *Turcico* deſtinata formicam *Indicam* animal ſævum & mordax vidiſſe affirmat. *Konig.* in Biblioth. Claruit ante Chriſt. Anno CCCCXL.

Sed utcunque de iſto eſt, ſatis liquet, non ita nuncupari eos libros ut menda-

cia

Nobiliſſimo huic ſcriptori *Perſica* imprimis debemus. *Joan. Ger. Voſſ.* de Græc. Hiſt. p. 14.

Abſurdum eſt in *Perſicis & Babylonicis* uni credere Herodoto, ignaro linguæ *Perſicæ*, & nullis Orientis *gentium* inſtructo monumentis. *Iſaac. Voſſ.* de Sibyll.

Vixit *Herodotus* dulciſſima illa τ̃ Ιάδος μέσῃ, annos 52. Vetuſtiſſimus eſt omnium ſolutæ orationis ſcriptorum, qui hodiè extant. Scrinium *Originum Græcarum & Barbararum*, Auctor à doctis nunquam deponendus, à ſemidoctis, & pædagogis, &. ſimiolis nunquam tractandus. *Scal.* in animadv. in Euſ. Chron.

Debebit & nobis nonnihil *Herodotus*, mel illud *Muſarum nectarinum*; cujus quòd fabuloſitatis arguantur *Camœnæ*, optimam mihi olim cauſam dixiſſe videtur *Ioan. Iovianus Pontanus*; ſcilicet ſummum & antiquiſſimum *ſcriptorem* non ideò *opus* iſtud *gemmeum* promulgâſſe, quòd fidem omnium traditorum ſibi conſtare putaret, aut defendendam ſuſcipere vellet: ſed quòd in *Ionicæ Dialecti* Elegantiis regnum ſibi pararet. Eo enim nomine & fine inſcripſiſſe titulos *Muſarum* frontiſpiciis librorum, ut quaſi per ludum nova tradere, hiſtoriaſque jucundis fabulis condire cerneretur----Quem *ſcriptorem* qui capere ſatagat, oportet ſit ſubactarum *Idiotiſmo Ionico aurium*. Ludit fabulando *Herodotus*; ludendo docent *Fabulæ*, ſapientiæ pulcherrimæ gemmæ, *Euſthat. Suvart.* Analect. lib. c. 114.

Herodotus in ſecundo ex hiſtoricâ *Hecat. Mileſii* narratione quamplurima verbis totidem exſcripſiſſe dicitur, pauca quædam leviter ementitus, cujuſmodi ſunt, quæ de *Phœnice* ave, deque *fluviatili equo* & *Crocodilorum* venatione commemorat. *Euſeb.* 10. De Præp. Evang. 3. fol. 466.

Suidas Harpocrationem Ælium quendam nobis memorat, qui deditâ operâ librum ſcripſit ad falſitatem *Herodoti* propalandam. Notum eſt quid libris ſuis dicat *Plutarchus* de *Herodoti* malignitate ſeu invidia, ſed occaſio non minùs patet, quòd videlicet *Herodotus Plutarchi* patriam parum officiosè deſcripſiſſet. *Strabo* ſimiliter *Herodotum* nimiæ nugacitatis, arguere videtur, & quòd prodigioſas fabulas hiſtoriæ ſuæ immiſcuerit. Sed fateor, dum obſervo quibus de cauſis in *Herodotum* toties invehatur *Plutarchus*, me in hanc opinionem propendere, quòd plerorumque *Græcorum* Scriptorum in *Herodotum* acerbior irritatio inde orta ſit, quòd nimis multas fabellas ex Schola deſumptas narraverit, *Græciæque* infantiam nimis detexerit, quantumq; ex *Ægyptiacis* ſuperſtitionibus *Græci* mutuati ſint. Quamvis itaque *Herodotus* in iis quorum à *Græcis* inſimulatur non multùm ſit culpandus, qui tamen ipſi maximè favent ejus in quibuſdam manifeſtas hallucinationes, in aliis verò ignorantiam excuſare non poſſunt. *Ioſephus* arbitratur eum ab *Ægyptiis Sacerdotibus* deceptum fuiſſe in iis quæ rerum eorum ſtatum ſpectant, cujus rationes plurimas affert *Ioſephus Scaliger*: *Aut*, inquit, *illi qui hæc Herodoto innuebant eorundem ipſi erant ignari*; *aut ſolertes, quidem ſatis, quales fuerunt veri* Ægyptii, *ſed qui* Herodoto *ut peregrino & ſtropharum eorum inexperto illuſerunt*; *aut Interpretem ſuum non intellexit*; *aut ab*

 hoc

hoc deceptus fuit; aut denique Herodotus *uſque adeò* Græcorum *vitio laboravit*, *ut veram Hiſtoriam Fabulis quibuſdam proprio marte* confictis adulteraverit: Qua propter *Manethoni* potiùs quàm *Herodoto*, quoad *Ægyptiacam Hiſtoriam* adhæret, *Ioſephus*: Cùm tamen alibi (neſcio autem quomodo hac in parte ſibi conſtet) eum præclaro hoc *Elogio* dignetur, quòd ſit *Scrinium originum Græcarum* & *Barbararum*, auctor à Doctis nunquam deponendus.

Negari non poteſt quin multùm utiliſſimæ Hiſtoriæ ex ipſo hauriri liceat: Quis tamen ejus inſcitiam excuſare queat, qui nedum *Oceani* Continentem ambientis exiſtentiam negat, ſed & *Geographos* id aſſerentes damnat? *Stillingf. Orig. Sacr.l.*1.*c.*4.*Sect.*10. 11.

Herodoti variæ editiones quas excudebat & recognovit *Hen. Stephan.* 1566. 1592. & 1608. cum *Expurgationibus* permittuntur in *Indice* Madrit. Edit. Anno 1667.

Herodoti Hiſtoriam Gr. Lat. edidit. *Thom. Gale* Lond. Fol. 1679. Acceſſerunt huic editioni Stephani Apologia pro Herodoto, item Chronologia, Tabula Geograph. nec non variæ lectiones & notæ ex Mſſ. & Antiq. Script.

THUCYDIDES.

Claruit ante Chriſt. Anno CCCCXXIX

A*Thenienſis*, *Hiſtoricus*, tempore belli *Peloponneſiaci* floruit. Dictum Bellum *Thucydides* octo libris complexus eſt. Multum verò fidei, ſi quis alius, ſcriptor hic meretur. Nam & egregium veritatis in eo ſtudium elucet, & illa ſcripſit quibus interfuit. *Thucydides* in octavo libro plane tenui dictione utitur, cùm in prioribus longè magis aſſurgat. Ac proptereà aliqui putarunt eum à *filia Thucydidis* ſcriptum eſſe, vel à *Xenophonte*, aut *Theopompo*, vel alio. Quorum ſententiam in vitâ ejus rejicit *Marcellinus*: ac potiùs cenſet, fuiſse ſcriptum à *Thucydide* jam ægrotante. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Thucydides omnes dicendi artificio meâ ſententiâ facilè vicit, ut verborum propè numerum ſententiarum numero conſequatur: ita porro verbis aptus & preſsus, ut neſcias utrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur. *Cic.* lib. 2. de *Orat.*

Denſus, & brevis, & ſemper inſtans ſibi *Thucydides*: dulcis, & candidus, & fuſus *Herodotus*: ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior: ille concionibus, hic ſermonibus: ille vi, hic voluptate. *Quintil.* l.10.c.1.

In *Thucydide*, quem præ cæteris veracem exiſtimavit *antiquitas*, plurima ſunt valdè digna *Hiſtorico*; quippe cui etiam tria prudentiæ genera tributa ſunt: *Civilis*, *Bellica*, *Hiſtorica*.

Demoſthenes eum tanti fecit, & ex illo ſe tantum proficere putavit ut *ideò* illum deſcripſerit octies, quemadmodum tradidit *Lucianus*. *Cicero* tanquam prudentem rerum explicatorem commendat. *Poſſev.* Biblioth. Select. Tom. 2. l. 16. cap. 7.

Qui res nec multas nec magnas nimis ſcripſit, ſed palmam fortaſse præripuit omnibus, qui multas & magnas. Elocutione totâ gravis & brevis, denſus, ſenten-

ſententiis, ſanus judiciis: occultè ubique inſtruens, actiones vitamque dirigens, orationibus & excurſibus pene divinus. Quem quo ſæpius legas, plus auferas: & nunquam tamen dimittit te ſine Siti *Lipſ.* not.ad 1.l.Polit.

Magnus eſt vir & ſcriptor *Thucydides*; qui à gerendis rebus, ad eaſdem ſtylo proſequendas quum ſeſe contuliſſet; *Hiſtoria* ad uſum *Politicorum* ſcriptæ mortalium, credo; primus exemplum poſt-futuris mirandum potiùs quàm imitandum dedit. Sed vir maximus par ingenio argumentum non habuit. *Iſac Caſaub.* præf.ad Polyb.

Thucydides ſanè fidus omninò ſcriptor, & quem principem Senatus Hiſtorici, ſi mei arbitrii res foret, legere non dubitem. Si in ſcriptis ejus veritatem habitare dixero, ipſam non dubito quin ſuffragantem ſim habiturus. In exilium ejectus à *ſuis Athenienſibus* (quod maximis ferè quibuſque viris contigiſſe dolemus) ita tamen ſcripſit, ut ne exul quidem ullo malè erga *Athenienſes* adfecti animi indicio ſua ſcripta aſperſerit, imò adeò *veritatis* amans, ac moribus moderatus, ut ne Braſidæ quidem (qui calamitatis autor ipſi fuerat) uſquam in ſua Hiſtoriâ præ ira aut odio maledixerit. Et infeſtiſſimum ſibi *Periclem*, non ſolum à calumniis vindicavit, ſed prudentiæ aliarumque virtutum nomine ſincere commendavit. *Joan.Bernart.* de utilitat.legend.Hiſt.p.43.

Quod ad *Thucydidem* attinet, eum licet octies ſua manu deſcripſerit *Demoſthenes*: tamen gravis magis *Hiſtoricus* cenſeri debet, quam *orator* bonus. Eſt enim ſermo ejus durus, & *Hyperbatis* implicatus: unde *Crattipus* orationes illius moleſtas atque odioſas eſſe judicabat. Etiam *Cicero* ait, *nec ſe imitari eum poſſe, ſi velit, nec velle ſi poſſit. Voſſ.* de Rhetor.p.68.

Carolus V.Cæſar potentiſſimus ille *Heros* in caſtris *Thucydidem*, in *Gallicam* linguam à *Claudio Maſſilienſi* Epiſcopo converſum, ſemper ſecum habuit, & hunc autorem aſſiduè magna cum voluptate legit, eumque ſuis intimis *conſiliariis, Silvagio, Mercurino* & *Granvelo* commendavit, atque ex iis quærere ſolicitus fuit, quid legiſſent, & quæ ipſe obſervaſſet, cum illis contulit. *Camerar.* horis ſubciſiv.Centur.3.c.67.

Thucydides in ſuo ſcribendi genere accuratus eſt, fidelis in iis quæ dicit, ſincerus, & ad id quod ſua intererat minimè reſpiciens. In ejus ſtylo ſplendet magnificentia, nobilitas atque Majeſtas; auſterus ubique eſt, ſed auſteritate quæ nihil non magnificum ſpirat. Verum quidem eſt eum tractare argumentum in omnibus exilius & limitatius *Herodoti* argumento. Mero partium ſuarum affectu *Herodotum Tucydidi* anteponit *Dionyſius Halicarnaſſæus*, quia ſcilicet *Herodotus* ejus popularis erat: Sed quod ad me ſpectat, hunc Græcos omnes Hiſtoricos ſuperare cenſeo. *Rapin.Reflex.Gallic.in Hiſtor.Sect.*28.

Hiſtoriam Græcam *Thucydidis & Polybii*, Latinamque *Saluſtii*, & *Titii Livii* cæteris omnibus præferendam eſſe cenſeo, ſeu gravitatem in illis, ac majeſtatem operum ſpectes, ſeu puritatem ſtyli judiciique integritatem, ſeu denique omnes Hiſtoriæ recte conſcribendæ leges requiras. Quas ipſi adeo concinnè fœliciterque obſervarunt ut, ne tranſverſum quidem unguem ab illis unquam deflexiſſe, jure merito arbitrari poſſint. *Gr.Naud.* Bibliograph.Politic.

Digitized by Google

Hiſtoriarum libri 8. græcè cum verſione *Laur. Valla* emendata & ſcholiis græcis, apud *Hen. Stephanum*. 1588. in fol.

Hunc autorem in Anglicanum Sermonem accuratiſſimè tranſtulit *Thom. Hobbeſius.*

LYSIAS.

Clar. ante Chriſt. Ann. CCCCVI.

SYracuſanus genere, *Cephali* filius, unus è decem oratoribus natus *Athenis* quò pater ſe tranſtulerat. Puer *Thurion* coloniam migravit, rediit annos natus 47. interque principes oratores habitus. De quo *Cicero* in *Bruto*, *Tum fuit Lyſias* inquit, *ipſe quidem in cauſis forenſibus non verſatus, ſed egregiè ſubtilis ſcriptor, atque elegans, quem jam propè audeas Oratorem perfectum dicere* &c. Plurimæ ipſi *orationes* tribuuntur; *Apologia* item *Socratis*; *Præcepta dicendi*; & *Epiſtolæ*. Ferventibus *Olympicis Ludis*, Olymp. 98. orationem contra *Dionyſium Tyrannum*, toties *veteribus* laudatam, conſcripſit. Obiit Ann. ætat. 81. Olymp. 100. *Hofman.*

Plutarchus 425. ejus *orationes* olim numeratas fuiſſe tradit, quarum 230. genuinæ tantùm fuerint judicio *Dionyſii & Cæcilii*. Ex quibus non niſi triginta quatuor ſuperſunt.

Lyſias ſubtilis atque elegans, & quo nihil, ſi *oratori* ſatis ſit *docere*, quæras perfectius. Nihil enim eſt inane, nihil arceſſitum, puro tamen fonti, quàm magno flumini, propior. *Quintil.* Inſtitut. Orat. l. 10. c. 1.

Legi varias *Lyſiæ* orationes, quæ dicuntur eſſe numero trecentæ & viginti quinque, quarum legitimæ ſunt ducentæ & triginta tres. In quibus bis tantum ſolum dicendo victus dicitur, cùm tamen ſæpiùs cum Adverſariis contenderit. Eſt in orationibus ſuis breviſſimus, & ad perſuadendum perappoſitus, & ſi quis alius graviter dicendi peritus, tametſi non appareat. Etenim quanquam facilis videtur eſse, nihilominus tamen imitatu eſt difficilis. Magnam puritatem & perſpicuitatem in rebus & verbis etiam in principio orationis oſtendit, ut in narrando ſine ambagibus, & nihil externum aliunde adſciſcendo. Venuſtatem autem compoſitionis non quivis facilè animadvertit. Nam ſimpliciter & caſu ut res dat ſe dicere videtur, aſſurgit tamen ornatu in immenſum, eſtque oratio ejus & propter *ſchemata* digna admiratione, & propter *ſenſum* & verba, & concinnam horum compoſitionem, & inventionem, & ordinem *enthymematum*, & *Epicherematum*. *Phot. in Biblioth. Andr. Schot.* interpret.

Lyſias propriis & uſitatis verbis utebatur; eóque hoc aſſecutus eſt, ut cùm loqueretur more conſueto, novâ tamen uteretur dicendi formâ, primuſque induceret recentiorem *Atticiſmum*. Non verum eſſe cenſeo quod *Dionyſ. Halicarnaſſ.* ſcribere non dubitavit, *Lyſiam videri res facere inſignes, graves ac magnas*. Niſi id ad unam alteramque orationem reſtringas: uti illam contra *Mneſipolemum*, quam ſolito grandiorem fuiſſe Photius ait. Cæteras ſi ſpectes; ſubtilis potius orator eſt, quàm ſublimis. Teſtatur autem *Cicero* non fuiſſe verſatum in *cauſis forenſibus*: ſed aliis orationes ſcribere ſolere. Nempe quia ad minutarum

Digitized by Google

minutarum cauſarum genera ſe demitteret, neceſſario factus eſt jejunior, & tenuior. *Voſſ.* de natur. Rhet. p. 74. 75.

Inter plurimas verò *orationes*, etiam *Socrati* unam ſcripſit, cùm is in capitis judicium vocaretur. Sed ille eam quamvis elegantem, tamen ut parum virilem, velut *Sicyonios calceos* repudiavit: ut apud *Cicer.* lib. 1. de oratore.

Lyſiæ admirabile eſſe in *exordiis* artificium, eumque in tenui charactere excelluiſſe, ſcribit *Dionyſ. Halicarnaſſ.*.

Favorinus de *Lyſiâ* & *Platone* ſolitus eſt dicere, ſi ex *Platonis*, inquit, oratione verbum aliquod demas muteſve, atque id commodiſſimè facias, de elegantiâ tantùm detraxeris: ſi ex *Lyſia*, de ſententiâ. *A. Gell.* Noct. Attic. lib. 2. cap. 5.

Succinctus hic, ſubtilis, elegans, ſed tenuis, cui ſi quid demas, ſententia turbabitur. Audi *Ciceronem* in *oratore*: *Dicat igitur Atticè venuſtiſſimus ille ſcriptor, ac politiſſimus Lyſias. Quis enim id poſſit negare? dum intelligamus hoc eſſe Atticum in* Lyſia *non quod tenuis ſit atque inornatus, ſed quod nihil habeat inſolens atque ineptum. Iac. Oiſel.* comment. ad loc. prædict. *A. Gell.*

Elegans inprimis ſcriptor, atque *Attici* ſermonis tanquam norma quædam *Lyſias. Petr. Victorius* l. 8. var. lect. cap. 11.

Lyſiæ autem ipſius in primis acumen ingenii, inventioque laudata eſt, ac ſummis laudibus ab eruditis ſcriptoribus celebrata. *Idem* lib. 20. cap. 16.

Lyſiæ triginta quatuor orationes *Iodocus Vanderheidius* Latinè vertit, & notis Politicis illuſtravit Ann. 1615.

ARISTOPHANES.

POeta comicus, Philippi filius, ex Lindo Rhodi oppido ortus, inventor *tetrametri*, in carpendis hominum vitiis liberrimus. Cum Socrate inimicitias exercuit, quem in *Nubibus* ut juventutis corruptorem egregium acerrimè inſectatur. Per excellentiam *Comœdiæ* Poeta ab ipſo etiam *Perſarum* Rege cognominatus. In eo ſunt omnia linguæ *Atticæ* ornamenta, quem ſub pulvinari ſuo, cùm dormitum iret, ſervare ſolitum ferunt *B. Chryſoſtomum*. Comœdiæ, quæ magnâ libertate inſectata vitia eſt, princeps longè, ſicut *Menander* novæ, fuit: Ita tamen, ut illi adjungendi *Eupolis* & *Cratinus* ſint, huic verò *Philemon* ac *Diphilus* comites accenſendi. *Carol. Stephan.* in Diction. Hiſtor.

Claruit ante Chr. Anno CCCC.

Propter *Ariſtophanis* maledicentiam in Proceres, *Alcibiades* legem tulit, ne quis *comicus* nominatim aliquem in fabulâ reprehenderet. Ita factum, ut *Ariſtophanes* induceret medium comœdiæ genus inter veteris maledicentiam, & novæ delicias. Hoc homine nihil mihi, Ἀττικώτερον, vel πολιτικώτερον: nec facilè aliud æquè culparis, quàm quòd nec pepercerit *Socrati*, philoſophiæ parenti. *Voſſ.* de Poët. Græc. p. 34.

Niſi *Socratem* hic impudentiſſimè ſuis *Nebulis* proſcidiſſet, parentem ſcilicet morum & Philoſophiæ, mihi in primis fuerat colendus. *Lil. Gyrald.*

Sacræ hic olivæ ramo coronatus fuit, inſuper & *Athenienſium* eloquentiſſimus

Digitized by Google

mus habitus eſt, ingenioque maximè excellenti: in ſententiis creber, inventione variâ & jucundâ, arte ſummâ & præcipuâ, uſque adeò ut omnium judicio poſt ſe reliquos ejus generis Poetas longo quidem intervallo reliquerit. Sunt qui illum ſtylo *Euripidem* imitatum fuiſſe velint, ſed eò tenuior & exilior, quo ille Tragœdiam, hic Comœdiam ſcripſit. *Idem.*

Diminutivis vocabulis; teſte *Ariſtotele* in Rhetoricis, uſus eſt, atque id quidem cum mordacitate, plerunque & venuſtate, & præcipuè in *Babyloniis* fabulâ. Quales verò illius ſint ſales & argutiæ, nullibi melius eſt legere quàm in libello *Plutarchi*, qui inſcribitur *Epitome Comparationis Ariſtophanis* & *Menandri*, in quo de utriuſque differentiâ multa. *Idem ibid.*

Ex Poetis optimi, & quos operæ pretium ſit legere, *Attici* ſunt. *Euripides*, *Sophocles*, *Ariſtophanes*, & quod *Menandri* eſt reliquum. *Ariſtophanes* elegans, & feſtivus. *Lud. Viv.* De tradend. Diſcip. pag. 475. & 527.

Facetiſſimus quidem, ſed & obſcœniſſimus veteris comœdiæ ſcriptor. *Dilher.* in Diſputat. Academ.

Perpetuus *Euripidis* obtrectator, Comicus purè impurus. *Herald.* Animadver. in *Salmaſ.* obſervat. ad jus Attic. & Rom. lib. 6. cap. 10.

Alcæus & *Ariſtophanes* comicus vino madidi pangendis invigilabant Poematibus. *Rhodigin.* lib. 28. lect. Antiq. cap. 6.

Homo qui per ebrietatem multa conſcripſit. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* de Civ. Dei.

Ariſtophanes bonus auctor *Atticus* & primus legendus: nec ſe quiſquam jactet *Atticiſmum* intelligere, qui hunc ad unguem non teneat. Certè nullus eſt, qui melius apud Græcos loquatur ipſo *Ariſtophane*, ut nec apud *Latinos*, *Terentio. Scaligeranâ* 1ª pag. 23.

Ita me Dii ament ut ego me plurimum amo, ubi hæc Scaligerum dixiſſe video. Nam ego ipſe quidem huic Auctori intelligendo plus quindecim annos inſumpſi, neque me tamen operæ pœnitet. *Tan. Faber* in loc. prædict. *Scal.*

Singulare illi & plerumque dulce reprehendendi, jocandique genus, eloquentia *Attica*, quam nemo *Græcorum* ſuperavit, *Latinorum* nemo. Legendus tamen cum delectu *Ariſtophanes*, ut ex eo, apum more, trahantur mella non convitia, non obſcœna. *Olaus Borrich.* in diſſertat. de Poet. p. 35.

Rapini de *Ariſtophane* judicium eſt quod in Fabularum ſuarum ordinatione nullam adhibuerit curam; quod ejus Fictiones à vero ſimili procul nimis abſint; quòd ruſticè & apertè nimis homines ludificetur, quod ejus facetiæ helluonum mera imitatio plerumque eſſent; quòdque in quibuſdam ejus Dramatum quædam apponantur condimenta quæ ſeculi noſtri Palato parum ſaperent. *Rapin. Reflex. particularib. in Poeſ. par. 2. Refl. 26.*

Idiomate obſcuro, intricato, infimi trivialiſque ſtyli quandoque utitur; Inſulſus eſt in frequentibus ſuis ad voces alluſionibus, in ſuis verborum ſibi invicem oppoſitorum contradictionibus; in ſuis Tragici cum Comico, faceti cum ſerio, gravis cum familiari ſtylo permiſtionibus; ejuſque joci attentiùs conſi-

Digitized by Google

conſiderantibus parum genuini non rarò deprehenduntur. *Rapin. ibid.*

* *Æmilii Porti* in *Ariſtophanem* Epiſtolæ & notationes, *Aureliæ Allobrogum*, ſumptibus *Calderianæ Societatis* 1607. permittuntur cum expurgationibus. *Index Madritenſis* Ann. 1667.

Inter Editiones ejus commendatur illa, quam excudit *Lugd.Batav.Io. Maire*, cum emendationibus *Ioſephi Scaligeri*, & aliorum.

ISOCRATES.

A*Thenienſis* orator, natus *Archonte Nauſimacho*, quinquennio ante *Peloponneſiacum* bellum, minor Lyſiâ annis 22. obiit *Archonte Charonide*, paucis diebus poſt prælium ad *Charoneam*, A. M. 3514. Vixit annos nonaginta octo *Calviſ.* Quidam inediâ quatriduanâ extinctum aiunt, auditâ Athenienſium clade ad *Charoneam* acceptâ, cui ſupereſse noluit. Vitam ejus Plutarchus exaravit. Reliquit Orationes, quas uno volumine complexus eſt. *Hieron. Wolf.* Clâruit ante Chriſt. Anno CCCXCIV.

Iſocrates (cujus domus cunctæ Græciæ, quaſi ludus quidam, patuit atque officina dicendi) magnus *orator*, & perfectus Magiſter, quanquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo judicio, eſt poſtea conſecutus: & cùm cætera meliùs, quàm ſuperiores, tum primus intellexit, etiam inſolutâ oratione, dum verſum effugeres, modum tamen, & numerum quendam oportere ſervari. *Cic. de Bruto.*

Oratio verò *Iſocratis* comtula quidem eſt, ſed cum dignitate quadam: eſtque magis accommodata cœtui populari, quàm foro: ornatum verò habet cum vi quadam. Pompatica eſt, ſed cum efficacia atque utilitate, ad Forenſia autem certamina parum idonea. *Dionyſ. Halicarnaſſ.*

Iſocrates in diverſo genere dicendi nitidus, & comtus, & palæſtræ, quàm pugnæ, magis accommodatus: omnes dicendi veteres ſectatus eſt: nec immeritò: auditoriis enim ſe, non judiciis, compararat: in inventione facilis, honeſti ſtudioſus, in compoſitione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Sermo profectò elaboratus, & verborum diligentia, & ſplendor compoſitionis in eo apparent, viſque caſtigata in numeros, ex ſententiâ ſententiam æqualibus periodis terminando. *Philoſtr.* Quanti habitus fuerit *Iſocrates*, vel ex eo patet, quòd *orationem* unam viginti talentis vendidit. *Plin.* lib. 7. c. 30.

Iſocrates omnium Oratorum elaboratiſſimus. *Iul. Scal.* orat. 1. cont. *Eraſm.* Tardus erat accuratuſque in elaborandis ſcriptionibus uſque, adeò, ut tres ferè *Olympiadas* in unâ ſcribendâ Panegyricâ conſumpſerit. *Plutarch.* in vita ejus.

Iſocrates umbratilis orator, affectatis ſtructuræ numeris ac periodis orationis, perdidit illam nativæ dictionis gratiam. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. epiſt. 7. Imò & *Iſocrates* hac parte (viz. *elocutione*) erat nimis anxius. Itaque ut fucatam & calamiſtris inuſtam, meretrici ſimilem dicebat *Cæſar Scaliger*: qui *Platonicam* dictionem

dictionem matronæ gravi, ac decoræ: *Ariſtotelicam* virgini honeſtæ conferebat. *Voſſ.* de Philog. p. 47.

Quo ſimplicius ac purius cogitari nihil poteſt. *Lud. Viv.* de tradend. diſcipl. l. 3. Tam diligens eſt compoſitio *Iſocratis*, ut nonnunquam in verſum incidat. *Turneb.* not. in *Quintil.*

Quidam illum furti redarguunt, quod multa in oratione *Panegyricâ* ex *Epitaphiis*, ſermonibus *Archini*, *Thucydidis*, & *Lyſiæ* ſit mutuatus.

Hunc [*Iſocratem*] *Theon* ſophiſta, cùm eadem (quoad ſenſum) in ejus *Panegyrico* inveniri ait, quæ in *Epitaphio* atque *Olympico Lyſiæ*, tantum abeſt, ut vituperet, ut inter exempla potius eloquentiæ ſtudioſis imitanda poſuiſſe cenſendus ſit. Quamobrem deliberandum amplius, an ea, quæ ſive *Iſocrates* hic ab *Iſæo*, ſive *Iſæus* ab *Iſocrate* (res enim dubia) apud *Porphyrium* tranſtuliſſe narratur, furtis annumeranda veniant. *Thomaſius* de Plag. num. 476.

Iſocrates vir à ſummis viris propter & virtutis & patriæ amorem (qui ex omnibus ejus ſcriptis elucet) conſiliorumque gravitatem, & orationis ſplendorem & ſuavitatem, ſummè laudatus *Hieron. Wolph.* Præfat. ſecund. præfix. *Iſoc.* operibus.

Iſocratis editionem *Wolphianam* longo intervallo poſt ſe reliquit illa *Pauli Stephani* edita 1604.

XENOPHON.

Claruit ante Chriſt. Ann. CCCLXXXVII.

ATHenienſis, *Grylli filius*, tempore *Artaxerxis longimani Perſarum* regis claruit. *Laertius* ait, eum obiiſſe An. 2. Olympiadis 105. Erat *Philoſophus*, *Hiſtoricus*; & bonus *Strategus*. Sub *Cyro Artaxerxis* fratre imperium in decem hominum millia obtinuit. Ab *Athenienſibus* pulſus, ad *Lacedæmonios* ſe contulit, qui exuli agrum dedere & alia. *Scripſit* commentariolum de *Repub. Lacedam.* Κύρου ἀνάβασιν, Ἑλληνικά, Κύρου παιδείαν, &c. Ubi benè notandum, quòd *Cicero* monet, *Cyri Pædiam* non ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii ſcriptam eſſe. Errant itaque quotquot inde Hiſtoriæ veritatem petunt. Extat etiam *Xenophontis* nomine libellus de *Æquivocis*: verum ille ab *Ann. Viterbienſi* confictus eſt. Scriptor hic adeò eſt dulcis, ut *Gratiæ* ejus ſermonem finxiſſe videantur, quemadmodum *Fabius* l. 10. loquitur. *Cicero* in *oratore* ait, ſermonem ei eſſe melle dulciorem, *Muſaſque* ore ejus locutas videri. Et propter hanc ſuavitatem *Muſa Attica* & *Apis Attica* dictus eſt. *Konig.*

Quid ego commemorem *Xenophontis* jucunditatem illam inaffectatam, ſed quam nulla poſſit affectatio conſequi? ut ipſo finxiſſe ſermonem *Gratiæ* videantur. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Auctor ille (*Xenophon*) præ cæteris *decori* obſervantiſſimus, & quem non minus quam Platonem Cicero ſequitur. *Naud.* de ſtud. Militar. p. 188.

Xenophon purus in delectu verborum, & clarus, ac perſpicuus, & in compoſitione ſuavis, ac gratioſus ſuper *Herodotum*. In Hiſtoriâ tamen, ſplendor *Xenophonti*, ac majeſtas deeſt; &, ſi aliquando elocutionem conetur attollere, confeſtim

confeſtim langueſcit, & ſubſidit. *Dionyſ. Halicarnaſſ.*

Xenophontem prætereo? abſit. Sed laudatiſſimus ille *Cyrus* ejus non habet hic locum, quem magis ad exemplum vitæ, quàm ad fidem rerum ſcripſit. In reliquâ *Hiſtoria* (*Græcanicâ*, inquam, aut *Perſicâ*) ſanè ſuavis ille & fidus, certè circumſpectus ſcriptor: è quo tamen haurias magis *prudentiam* hanc *civilem*, quàm ut ultro eam propinet. Sententias quidem & dogmata rarò miſcet. Sed juvit nos hic egregiè viâ aliâ. Cùm *Thucydidem* adhuc latentem, & in ſuâ manu ut opprimeret, (ô candidam, & ab omni æmulatione vacuam mentem!) primus ipſe protulit & divulgavit. *Lipſ.* Not. ad 1. lib. Polit. cap. 9.

Luculentum *Xenophontis* elogium extat apud *Dion. Chryſoſtom.* in oratione de *Dicendi* exercitio, ubi mirè ad ejus lectionem adhortatur: atque inter alia ait, *vel ejus ſolius lectionem ſufficere poſſe homini politico.*

Sanè *Xenophon* non multum abſimilis eſt *Iulio Cæſari*; uterque enim purus eſt, & elegans ac cum lenitate quadam fluit: ſed hôc differunt, quòd *Cæſar* gravior, aliquantò, *Xenophon* ſuavior eſt. Illa *Xenophontis* laus eſt, quòd cùm *Thucydidem* poſſet ſupprimere, primus ejus monumenta in lucem protraxerit, quemadmodum teſtatur *Laertius*: quo vel ſolo nomine, quantum illi debeant omnes nemo non intelligit. De occultâ ſimultate, quæ inter nobiles illos *Socratis* Diſcipulos, *Platonem* & *Xenophontem* fuit, nota res ex *Athenæi* undecimo, *Laertio* in *Platonis* vitâ, & *Gellio* in decimo quarto. *Voſſius* De Hiſt. *Græc.*

Xenophon in Dictione ſua terſus eſt; in ſua Scriptione minime fucatus & jucundus; ingenium ejus eſt facile, copioſum, multarum rerum cognitione plenum; imaginatio ejus nitida, aptus ei dicendi modus: ſed nihil magnifici nec ſublimis habet; decorum in moribus non ſemper admodum ſervat ejus Hiſtoria; in qua ignaros & barbaros Philoſophorum inſtar loquentes introducit. *Cicero* refert *Scipionem* illum deponere non potuiſſe ſi ſemel ad illius lectionem animum appuliſſet. *Longinus* characterem ipſi tribuit, quo in rebus cogitandis felix eſt. Lectiſſimus denique *Hiſtoricus* eſt, & ejuſdem hiſtoriæ lectione *Scipio* & *Lucullus* tanti Duces facti ſunt. Rapin. Reflex. in Hiſt. Sect. 28.

Xenophon & *Polybius* in morum documenta frequenter nimis incumbunt; ſuiſque reflexionibus *Hiſtoriæ* filum ſæpiùs abrumpunt. *Idem ibid. Sect.* 5.

Ioannis Levenclavii in *Xenophontis* opera Græco-Latina annotationes, ſi expurgentur, permittuntur. Vid. *Indic. Madrit.* Edit. Ann. 1667.

Xenophontis Operum editio optima eſt *Pariſienſis*, in quâ *Græcis Latina* reſpondent, *Levenclavii* ex tralatione, Notis *Æmil. Porti* elucidata. fol. ann. 1615.

ISÆUS.

ASſyrius, *Rhetor*, *Lyſiæ* diſcipulus, *Demoſthenis* Præceptor, eodem tempore, quo *Iſocrates*, floruit. Adoleſcentiam variis corporis voluptatibus tradidit; deinde vir factus, frugaliſſimus omnium fuit. Ex 64. *orationibus*, quas ſcripſit, Decem hodiè extant. *Iſæi* vitam deſcripſit *Plutarchus*. Ejus orationes Claruit ante Chriſt. Ann. CCCLXXX.

 edidit

Digitized by Google

edidit *Alphonſus miniatus* cum orationibus *Antiphontis* & *Andocidis.*

Legimus varias orationes *Iſæi*: quarum numerus, ut ſemel dicam, ſexaginta quatuor: quarum germanæ ſolùm quinquaginta. *Lyſiam* autem potiſſimùm imitatus, cujus & diſcipulus fuit. Imitatum verò illum fuiſse arguit nominum concinnitas, & rerum gravitas. Sic enim *orationes illius Lyſiam*, imitantur, ut niſi quis diligenter attendat, utriuſque ſtyli differentiam vix dignoſcat, *Schemata* ſi excipias. Etenim primus *Iſæus Schemata* adhibuit, & animum ad *civilem artem* convertit, quod maximè *Demoſthenes*, illius Diſcipulus, imitatus eſt, *Phot.* in Biblioth. *Andr. Schott.* interpret.

Primus, *Plutarcho* auctore, *Schematis* uti cœpit *Iſæus*, is à quo vim ſuam tanquàm à fonte hauſit *Demoſthenes*, quemque in δεινότητι tam feliciter ſecutus eſt, ut eum devoràſse dictus eſt: quemadmodum locuples teſtis eſt *Dionyſ. Halicarnaſſ.* Equidem mihi perſuadere non poſsum, tam bardum fuiſse magnum virum, ut ignoret, ante Iſæum vulgò quoque in uſu fuiſſe *Schemata*; verum id voluit, primum creditum *Iſæum* animadvertiſse in vulgari ſermone certas loquendi formas, quas *Schemata* appellamus; eaſque illum frequentaſse, quibus locis dicendi imperiti ſimplici oratione uti ſolent. *Voſſ.* l. 5. Inſtitut. orator. pagin. 263.

Tribuit *Iſæo Dionyſius Halicarnaſſ.* Dictionem puram putam, accuratam, propriam, evidentem, ac conciſam.

Eloquentiam ejus innuit *Iuvenalis Satyr.* 3. Verſ. 74.

Ingenium velox, audacia perdita, Sermo
Promptus, & Iſæo *torrentior* ———

Iſæus Rhetor, quæ de *Quæſtionibus* in oratione de *Cylonis* Hæreditate diſputat, eadem apud *Iſocratem* in *Trapezitica* reperiri docemur à *Porphyrio*: imò *Demoſthenem* etiam in eâ quam adverſus *Onetorem, Unde 6.* habuit eâdem propè ſententiâ diſserere. Ubi illud annotare viſum, quandoquidem *Iſæum* conſtat, eodem tempore quo *Socratem Scholas* habuiſse *Rhetoricas*, dubitari poſse, in utrum iſta conveniat, modò ipſa per ſe juſta eſt accuſatio? Nam de *Demoſthene*, qui Diſcipulus & *Iſæi* fuit, & Iſocratis eſse potuit, ambigendi ratio ceſsat. *Thomas* de *Plag.* Sect. 473.

Demoſthenes præceptore *dicendi* uſus eſt *Iſæo* quamquam *Iſocrate* tùm docente, ſive quòd propter orbitatem mercedem huic (decem enim à ſingulis diſcipulis exigebat minas) perſolvere non poſset, ſive quòd illius orationem ut vehementem, callidamque usûs cauſa præferret. *Plutarch.* in *Demoſth.*

PLATO.

Claruit ante Chriſt. Anno CCCLXVI.

PHiloſophus inſignis, *Sectæ Academicæ* princeps, *Ariſtonis* & *Parectoniæ* filius, ex humerorum latitudine ſic dictus, cùm antea ex avi nomine *Ariſtocles* vocaretur. Hic adhuc adoleſcens palæſtrâ ſe exercuit; picturæ operam dedit, Tragediaſque

Tragœdiaſque & *Poemata* quædam ſcripſit. Poſt hæc ad *Socratem* ſe contulit. ub quo brevi tantùm in *Philoſophia* profecit, ut non immeritò *Divinus Plato*,& *Philoſophorum Homerus* fuerit appellatus. Anno ætat. 81. placidiſſimo deceſſit obitu,die natali, Olymp.108.ante C.N.347.vel 348.*Hofman.*

Plato ille ſublimis apex *Philoſophorum* & columen. *Arnob.* lib. 1. *Plato* ille *Divinus*, multa de *Deo* digna, nec communia ſentiens multitudini. *Arnob.* lib.2.

Plato inter omnes *Philoſophos* religioſiſſimus, & maximè ſobrius. *Calvin.*inſtit.lib.1.c.5.Sect.11.*Philoſophorum Deus* à plurimis vocatur. *Plato.*

Philoſophorum, ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiæ *M. Tullius* confitetur, quis dubitat *Platonem* eſſe præcipuum, ſive acumine diſſerendi, ſive eloquendi facultate divinâ quadam & *Homerica*? multum enim ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem *Græci* vocant, ſurgit: ut mihi non hominis ingenio,ſed quodam *Delphico* videatur oraculo inſtinctus.*Quintil.*l.10.c.1.

Ariſtoteles longè omnibus, *Platonem* ſemper excipio, præſtans ingenio & diligentia. *Cic.*lib.1.*Tuſc.* Quæſt.

Quis uberior in dicendo Platone? *Iovem* ſiquidem aiunt *Philoſophi*, ſi *græcè* loquatur, ſic loqui. *Idem* in *Brut.*

Platonicam & ſublimitatem & latitudinem laudat *Plinius* l.1.Epiſt.10.

Eſt profectò *Plato* non minor eloquentiæ, quàm *Philoſophiæ* laude.Quin jure majori etiam ejus eloquentiam admiramur. Nam de *Philoſophia* ejus non immeritò dicere *poſſis*, quod de *Ægyptiis pharmacis* ſcribit *Homerus*: πολλὰ μὲν, &c. *Multa quidem ſalubria mixta, multa item noxia. Voſſ.* de Rhetor. pag.76.

Dictio *Platonis* minus eſt idonea ad *Philoſophandum*: peccat enim eo (ignoſcant mihi nonnulli φιλοπλάτωνες) quòd multum gaudet *metaphoris*, iiſque non verecundis, ſed audacibus & planè *Poeticis*, atque φορτικαῖς. Utcunque igitur ejus dictionem extollant, qui *Iovem* dicunt ſi Cœlo deſcenderet, *Platonis* Sermone uſurum; *Philoſophiæ* magis convenit dictio propria, aut tralationes receptæ & uſitatæ.*Voſſ.*de Philoſoph.Sect.

Plato ſapientiæ antiſtes.*Plin.*lib.7.cap.30.*Plato Homerus Philoſophorum*, *Plutarch.*de *Homer.*

Ob id *Plato* maximè laudandus, quod proximè ad Chriſtianam pietatem acceſſit.*Beſſar.*in calumniat.*Plat.*l.2.cap.4.

Plato Chriſtianus, ſi pauca detrahas,vel mutes. *Marſil. Ficin.* in vit. *Plat.* Cavendum tamen admonet *Picus* iis qui ſe dedunt *Platoni*, ne ſuperſtitioſi fiant; at qui *Ariſtoteli*, ne impietatem hauriant. *Ioan.Franc.Picus* de rer.prænot. lib. 7. cap.4.

Credidit *Plato* unum *Deum*, cui tamen *Dæmones* & *Heroas* aſſociat: & dolet *Tertullianus* in tractatu de *Animâ*,omnes *Hæreticos* à Dialogis ejus de *Republicâ* & *Ideis* ſubſidia errorum mutuatos eſſe, *Hæretica Idearum Sacramenta* illas propterea vocans;additq;in *Ideis Platonicis Gnoſticorum* hæretica ſemina relucere. Fatendum tamen, primos *Eccleſiæ Patres* ferè omnes *Platonicos* fuiſſe,

hujuſque Philoſophiam reliquis omnibus anteruliſſe. Scribit quoque *Auguſtinus* l.7.*confeſſion.* libris ejus utiliter ſe ad intelligentiam variarum virtutum *Orthodoxarum* uſum fuiſſe, ibique fermè totum *Evangelii Ioannis* initium ſe repeririſſe. Imò *Iuſtin. Martyr*, *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius*, alii, ipſum de *Trinitate* aliquam quoque notitiam habuiſſe crediderunt, & *Moſes Atticus* à *Numenio Pythagorico*, dictus eſt. *Hofman.*

In *Platone* multum eſt eruditionis, ſed reconditæ, ut cùm ars occultatur in opere, eoque diſcentibus non ſatis congruens: doctis verò melior, etſi in natura arbitranda non eſt cum *Ariſtotele* comparandus, ut in præceptis morum excellat. *Lud. Viv.* de tradend. Diſcip. p. 598.

De *Republicâ* ſcripſit olim *Plato* primus: ſecundum cujus inſtitutionem tum demum vivent homines, quum aliqua exiſtet *civitas* ſolis ſapientibus habitata. Idem *Vtopia* continget *Thom. Mori.* Legenda tamen eſt *Platonis Reſpub.* & ejuſdem leges, atque hæc ipſa *Vtopia*, ex quibus non pauca annotabuntur *regimini civitatum* perquam utilia. *Idem* ibid. 648.

Plato Philoſophus *furti* ex eo inſimulatur, quia ex libro ſive *Timæi Locrenſis* de *mundi anima*: ſive alio quopiam *Philolai Pytagorici*, *Timeum* ſuum concinnaverit, quia multa ſubduxerit ex *Protagora* libro de *Ente*, ex Ariſtippi item, *Anthiſtenis* & *Bryſonis Heracleota* diſſertationibus; quia *immortalitatem animæ traxerit à Pythagora*; quia *Numenius* eum *Moſen Atticiſſantem* appellaverit. De *Timeo* facile patiar haberi excuſatum, cùm non modò *Dialogo* ſuo nomen ab eo indat, ſed & colloquentem introducat. Quod idem de *Protagora* dicerem quoque, ſi oſtendi poſſet, quæ illi Philoſopho *Plato* debet, ejuſdem Dialogo nominis inſeruiſſe. De *Philolao*, *Ariſtippo*, *Anthiſtene*, *Bryſone* deliberandum amplius. Pythagoræ verò *plagiarium* ideò facere *Platonem*, quia de *Immortalitate animæ* idem, quod ante ipſum *Pythagoras* docuerit, ſanè quàm jejunum eſt. Cum *Moſe* denique minimè tanta illi ſimilitudo intercedit, quæ *furti* ſuſpectum eum faciat; neque veriſimile eſt, *Numenium*, qui *Pythagoricus* juxta & *Platonicus* fuit, *Platonem* illo elogio ſuo deformare voluiſſe. *Thomas* de Pelag. num. 522. 523.

Nihil unquam inveni apud *Platonem*, quod deprehendere potuerim ex una Moſis Hiſtoria fuiſſe expreſſum: in multa verò incidi, ob quæ exiſtimem, eam legiſſe nunquam. *Paul. Beni.* l. 10. in Tim. Platon. p. 679.

Nullos habemus *Platone* & *Ariſtotele* vetuſtiores, excepto legiſlatore ſanctiſſimo, *Moſe*, aut qui copioſius & majori arte ac doctrina gubernandæ adminiſtrandæque Reip. formam nobis reliquerit librorum monumentis conſignatam. Quare ab uno *Platone* ſtatim incipiendum eſt, qui *Dialogis ſuis de Legibus* & *de Republica*, præclarè omninò regnum, & Remp. inſtituit, adeoque moribus & inſtitutis *Chriſtianæ* fidei convenienter, ut Divus *Thomas* in opuſculo de *Regimine Principum*, *Platoniſmum* in Republicâ deſideret. Ab illo verò licet omnia fermè mutuatus fuerit *Ariſtoteles*; neſcio tamen quomodo, ſic iſta ſibi propria fecit, Magiſtri ſui rationes præcipuas aut clariùs ac faciliùs proponendo, aut ſubtiliter & acutè refellendo: ut non minus in iſtis, quam in cæteris operibus ſuis

Digitized by Google

ſuis manifeſtum feciſſe cenſeatur, quantus ipſe Philoſophus fuerit, quàm elegans ſcriptor, quàm acutus, quàm aptus ad docendum, quàm copioſus, quàm rerum omnium cognitione refertus. Et verò licet communi graviſſimorum virorum ſententiâ, multa ſcripſiſſe dicatur, partim difficilia atque obſcurà, partim etiam à noſtris temporibus & moribus aliena; nulla tamen mihi videtur eſſe in eo difficultas, aut obſcuritas, quæ non improbo labore,& acri ſtudio, ac crebrâ lectione pervincatur. *Gabr. Naud.* Geog.Politic.

Platonis operum editio optima eſt *Lugdunenſis* Ann. 1590. in Fol. cum Interpretatione *Latinâ* & Comment. *Marcellis Ficini,* & emend. *Caſauboni.*

DEMOSTHENES.

Civis *Athenienſis*, *Græcorum* omnium *Orator* longè eloquentiſſimus,natus eſt triennio poſt *Ariſtotelem*, ante *Chriſt.* nat. 379. Claruit ante Chriſt. Anno CCCLVI.

Inclareſcere cœpit decimo ſeptimo ætatis.Obiit veneno ſibi dato ante *Chriſt.* natum 320. *Calviſius.*

Hic cùm ab ætatis initio eſſet balbus, neque literam R pronuntiare poſſet, quibuſdam calculis in os conjectis propè maris litus declamans, naturæ vitium emendavit,ut poſteà eloquentiſſimus evaſerit. Præterea ad ingens ſpeculum perorare ſolitus eſt, ut eò accuratiùs geſtum decorum tenere diſceret.

Sequitur *Oratorum* ingens manus, cum decem ſimul *Athenis* ætas una tulerit: quorum longè princeps *Demoſthenes*, ac penè lex *orandi*.Fuit tanta vis in eo, tam denſa omnia ita quibuſdam nervis intenta ſunt,tam nihil otioſum, is dicendi modus,ut nec quod deſit in eo nec quod redundet invenies. *Quintil.*

Leoſthenem, proditum memoriæ eſt, cùm magnitudinem, vim atque ſplendorem *Demoſthenis* in dicendo ſatis mirari non poſſet, ſolum ex oratoribus dixiſſe *animatas* planè, non malleo cuſas, orationes exhibuiſſe: quanquam non me fallit, *M. Tullium* quodam loco ita ſibi ſcribere permiſiſſe, *uſque eo*,inquit, *difficiles ac moroſi ſumus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes: qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aures meas*: ita *ſunt avidæ*, & *capaces*, & *ſemper aliquid immenſum*, *aliquid infinitum deſiderant*. Sed alibi tamen ſuo teſtimonio ampliſſimè *Demoſthenem* ſublevat *Cicero* idem, ubi ait; *Nemo eſt orator, qui Demoſthenis ſimilem ſe eſſe nolit. Quin propter hunc unum Athenas item magis Atticas putat, Rhodig.* in l. 5.lect.ant.q. c. 13.

Orationem *Demoſthenis*, non ob delectum verborum, ſed ob orationis μουσικὴν, ſive ἁρμονίαν, *Sirenibus* eſſe ab *Æſchine* comparatam ſcribit diſertim *Dionyſ. Halicarnaſſ.*---Certè & in ipſo *Platone* reprehendit *Dionyſ. Halicarnaſſ.* quòd utatur duris *Metaphoris*, non habitâ ratione ἀναλογίας. Interim tamen *Platoni* ignoſcendum putamus, ob difficultatem grandiloqui *characteris*, eamdemque etiam ob cauſam ignoſcendum *Demoſthenei*, quòd duriores interdum adhibeat tranſlationes;unde inimicus ejus Æſchines dicebat,eum dicere ὀ ῥήματα, ἀλλὰ θαύματα, non verba ſed portenta. *Voſſ.* l. 4. Inſtit. *Orat.*

Digitized by Google

Demoſthenes quaſi populi *robur* appellatus eam habuiſſe vim dicendi proditur, ut quicquid vellet id populo perſuaderet : d ſſuaderetque quicquid nollet. Nomine cujus commemorato (ut ait *Valerius*) eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur. *Franc. Silv.* in not. in 14. Epit. *Polit.* l. 3.

Demoſthenem autem inter *Græcos Rhetores* ſic eſſe primum, ut vix invenias quem cum illo poſſis conferre, magnus eruditorum omnium conſenſus eſt, patiar ut puer quidem deguſtet *Demoſthenem*, ſed ad eum ſeriò redeat, jam factus oculatior, quo perſpiciat illam verè *Atticam* Venerem, illud excuſſum judicium, illa ſummo artificio contorta *Enthymemata*, poſtremò vim illam omnibus admirabilem, vix ulli imitabilem. *Eraſm.* Epiſt. lib. 28. Ep. 26.

Non ſatis reprehendi poteſt inſignis illorum error, qui pueris adoleſcentulis orationes tanti Viri legendas proponunt, cùm tamen propter argumenti difficultatem à pauciſſimis viris eruditis intelligi queant; pleraque enim earum forenſes ſunt, ubi præter ipſam, ut dictum, materiæ difficultatem, multa ex *veteri Iure Attico* occurrunt, & ſæpè orationis ſeries interpellatur aliis verbis, quæ fortè protulit, ubi Teſtes interpellavere, Adverſarius reſpondit, aut tumultus aliquis cœpit oriri, aut etiam judex iratum ſe oſtendit. Ne dicam de infinitis rebus aliis, quæ virorum eruditiſſimorum conjecturis ſuppleri vix poſſunt. Faciliores ſunt orationes *Philippicæ*, quæ ſuaſoriæ & argumenti Politici ſunt, cum exordiis & Epiſtolis. Harum lectio facilius in *Gymnaſiis* tolerari poteſt. *Konig.* in Biblioth.

Pytheas dicere ſolebat, *Demoſthenis* lucubrationes nimio plus lucernam olere; idemque cenſebat *Plutarchus*, viz. quòd *Demoſthenis* oratio videbatur immodicè elaborata. Hinc igitur jactatum eſt illud dictum, *Plus olei quàm vini Demoſthenem* conſumpſiſſe.

Demoſthenes octies, imò decies (ut ait *Turneb.* lib. Adverſar. 28. c. 22.) deſcripſit *Thucydidem*, ut illum in orationibus ſuis meliùs imitaretur.

Legi omnes penè Orationes *Demoſthenis*. Dicuntur illius germanæ ſexaginta quinque; quarum elegantiores quæ ad *Populum*, quàm quæ ad *Senatum* habitæ, à pluribus judicantur. Phot. in cod. 265.

Dicere poſſumus nullum unquam *Oratorem* iras ſuas, odia, indignationes, omnes animi ſui motus & affectus tantâ vehementiâ concitaſſe ac *Demoſthenem*. Et hac de cauſa dubio procul ait *Demetrius Phalereus* eum tanquam *Divino numine afflatum* concionari ſolitum eſſe; *Eratoſthenes* verò apud *Plutarchum* aſſerit eum *inſtar energumeni loquutum eſſe*; Inflammabatur enim loquendo tum ſuæ actionis æſtu, tum ferventiſſima & ardentiſſima, ſi quis unquam, imaginatione. Mira pariter facultate pollebat res accuratè cum omnibus circumſtantiis exponendi; quod magni ponderis eſt apud populum, ut quis fidem ejus ſibi demereatur, quippe cui res eò veriſimilior cenſetur, quò plura ejus adjuncta recenſentur. Facultate quoque pollebat ad vivum quicquid liberet ita depingendi, ut minimæ quas narrabat Fabulæ multò magis quàm aliorum rationes perſuaderent, ſimplici minimeque fucato modo quodam quem in iis eloquendis adhibebat. Ejuſmodi autem picturæ vivis rerum coloribus expreſſæ

mirum

Digitized by Google

mirum in modum ipſi ſuccedebant. *Rapin. Comparat. Præclaror. Vir. Antiquit. Tom.1.c.14.*

* Hieron. Wolphii in *Demoſth.* & *Æſchin.* opera Græc. Lat. verſio & annotationes, cum expurgationibus permittuntur. *Index Madrit.* Edit. Ann. 1667.

Ejus opera Græc. & Lat. cum Comment. Græcis *Ulpiani* Rhetoris in orationes quaſdam, & *Hieronymi Wolphii* annotat. *Genevæ*, prodierunt an. 1604. Fol. additæ ſunt *Æſchinis* Declamationes.

ÆSCHINES.

Claruit ante Chriſt. Anno CCCLIII.

A*Thenienſis* orator, *Demoſthenis* adverſarius. Hic à *Demoſthene* victus in illo de *coronâ* certamine, *Rhodum* diſceſſit, ibique docuit. *Suidas* auctor eſt ipſum, cùm in quadam causâ, *Judices* corrupiſſet, in carcerem conjectum, hauſtâ cicutâ obiiſſe. *Scripſit orationes* tres, & *Epiſtolas* novem. *Orationes* ejus nonnulli *Gratias*, cùm ob Sermonis ſuavitatem, tum à numero *Charitum*; Epiſtolas verò *Muſas* nominârunt. *Konig.*

Demoſthene plenior *Æſchines*, & magis fuſus, & grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus eſt: carnis tamen plus habet lacertorum minus. *Quintil.* l.10.c.1. Inſt. Orat.

Æſchines Athenienſis, Atrometi filius, in adoleſcentia *Tragœdias* actitavit. Atque idem poſteà *concionibus* & *orationibus* tantum ſibi nomen comparavit, ut *oratorum* à *Demoſthene* proximus haberetur. *Voſſ.* inſtitut. Poët. l.2.p.42.

Eſt ejus Oratio tanquam ſponte nata, & extemporanea; non tantam artis, quantam ingenii ipſius admirationem concitans. Etenim cùm grandia omnia in ejus *orationibus* invenias, tum quæ maximè naturæ præſtantiam oſtendant. In vocibus enim ſimplex & candidus, clarus tamen, & in orationum compoſitione, neque valdè languidus, ut *Iſocrates*, neque contractus & aſtrictus, ut *Lyſias*: ipſo inſuper ſpiritu ac contentione nihil *Demoſthene* inferior. Schematibus præterea cùm ſententiarum, tum verborum ita uſus eſt, non tam ut ex arte, quàm pro ſubjectæ rei ac negotii neceſſitate, dicere videatur. Quamobrem & ſimplex atque inelaborata ejus apparet dictio, ac veluti populari orationi & privato Sermoni maximè conveniens. Non enim vel in ratiocinationibus, vel in enthymematis multus, nimiumque coactus. *Phot.* in Biblioth. Cod. 61.

Circumfertur & ejus alia oratio, *Deliaca Lex* inſcripta; quam tamen *Cecilius* non recipit; ſed ad alterum *Æſchinem Athenienſem* ejus æqualem, hanc orationem, ut partum, refert. *Phot.* ibid.

Fuiſſe omninò *Æſchines* dicitur omnium horarum: Vir namque præter ejus verſatile ingenium, admodum etiam comis fuit, & ad voluptates propenſior, vinique appetentior, &, ut Græcè dicitur, φιλοπότης: cùm contrà *Demoſthenes* ſeverus eſſet, & gravioris ſupercilii vir, ac abſtemius: quæ morum diverſitas inter eos inimicitiarum cauſa fuiſſe exiſtimatur à *Philoſtrato*: cùm tamen plerique eos tamdiù inter ſe amicos fuiſſe prodiderint, donec ambo legati ab *Athenienſium* Republica de pace miſſi ſunt ad *Philippum* Regem: tum enim primùm

Digitized by Google

primùm parva re diſſentire cœperunt, cùm Regi imperandi normam uterque præſcribere vellet. *Lil. Greg. Gyrald.* de Poet.

Sunt qui ſcribant, ab aliquo nunquam magiſtro *Æſchinem* didiciſſe, ſed cùm in *judiciis* fortè *ſcribæ* officio fungeretur, nullo docente in tantam eloquentiæ æſtimationem evaſiſſe. *Gyrald.* ibid.

Hieron. Wolphius Æſchinis opera in Latinum Sermonem vertit, atque annotationibus illuſtravit, *Baſileæ*, An. 1572. Folio.

ARISTOTELES.

Claruit ante Chriſt. Anno CCCXLIII.

STagirita, *Philoſophus*, *Peripateticorum* princeps, natus eſt *Olymp.* 99. A.M. 3670. U.C. 370. Ante Chriſt. Nat. 384. Vixit annos 63. De mortis genere incertæ circumferuntur quorundam narrationes. *Hofman.* Diſcipulus fuit *Platonis*, & præceptor *Alexandri.*

Magnus & admirabilis vir, quique ingenio diligentiaque vinceret plurimos, nemini eſſet ſecundus; variarum rerum cognitione *Platone* magiſtro ſuperior, artificio verò omnes, qui ex omni memoria humanas tractaverunt artes, longo intervallo poſt ſe reliquit. Fuiſſe avidiorem gloriæ, avidiorem carpendi alios, adde etiam non omninò pecuniæ contemptorem, fatendum eſt. At dexteritatem in tradendis artibus nondum eſt aliquis ab ævo condito aſſecutus. Utinam in refutandis alienis opinionibus induxiſſet in animum paulò candidius agere. *Ariſtoteles* ſemper amavit brevitatem rerum, & ſententiarum, ne ſi extenderet *ſingula*, fuſèque perſequeretur & copiosè, res in infinitum traherentur, & artis præcepta teneri difficile poſſent. Itaque illud imprimis laboravit, ne ſibi dictum ullum, ac ne verbum quidem eſſet ſupervacaneum; quod dum conſectatur, aſſecutus eſt, ut nullus verbis, figuriſque Græci Sermonis aptiùs magiſque propriè ſit uſus. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* l. 8. cap. 12.

Ariſtotelis ea laus eſt, quod non *Philoſophiâ* uſus *Mythicâ*, ut Poetæ veteres; non *Symbolicâ*, ut *Pythagoras*, & ſæpe etiam *Plato*; ſed apertâ, ut quæ proprietate gaudeat verborum.

Altera *Ariſtotelis* laus eſt, quòd cæteris μεθοδικώτερος ut qui accuratiùs definiat, ac dividat, meliorique omnia ordine pertractet. Tertia ejus laus eſt, quòd magis *Platone* excoluit ſcientiam naturalem; in quâ quantum præſtiterit, monumenta ejus docent. Præſertim quæ de *animalibus* perſcripſit. *Voſſ.* de Philoſoph. Sect. c. 17.

Quid multis? ſi non partem aliquam virtutum, ſed totum Philoſophorum conſideremus, unus ille ingenii acie, ac varietate doctrinæ, eorum, qui præceſſerant, lumina tantum præſtrinxerit, quantum Sol Lunæ, & Siderum minorum. *Idem* ibid. In quem penè videtur eſſe collatum quicquid eſt capax humanum genus. *Rhodig.* l. 23. cap. 22. Lect. Antiq.

Quid *Ariſtotelem*? quem dubito ſcientiâ rerum an ſcriptorum copiâ, an eloquendi

Digitized by Google

eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem. *Quintil.* lib.10.cap.1.

Ariſtoteles vir ingenio præpotens, atque doctrinâ præcipuus. *Arnob.* l.3. adverſ.gent. *Macrobius* quoque non veritus dicere nihil tantum virum ignorare potuiſſe. Eundem quoque *finem* humani intellectus appellat *B. Hieronym.* primo adverſ. *Iovinian.*

Ariſtoteles Philoſophorum, ne *Platone* quidem juxta *M.Tullium*, excepto, citra controverſiam omnium doctiſſimus -- unus hic *Philoſophiam*, à diverſis per fragmenta ſparſim mutilatimque traditam, in ordinem redegit, ac velut in corpus compegit, ut qui à Poetis ac Rhetoribus orſus, ad Logicen deducit. Aiunt illum ſcripſiſſe libros plures trecentis. *Diogenes* ſummam æſtimat verſibus ſupra quinquies mille, trecentis & triginta. Nam priſci ſolent verſuum numero ſignare voluminum magnitudinem, veluti notâ certiori, quod libri frequenter ſint inæquales pro materiæ copia. *Eraſm.*Epiſt.l.28.Epiſt.13.

Inter Philoſophos meritò principem obtinet locum *Ariſtoteles*, ſive tractandi ordinem, ſive diſtinguendi acumen, ſive rationum pondera conſideres. Utinam tantum principatus ille ab aliquot hinc ſeculis non in tyrannidem abiiſſet, ità ut *veritas* cui *Ariſtoteles* fidelem navavit operam, nulla jam re magis opprimatur quàm *Ariſtotelis* nomine. *Hug.Grot.* in præfat.ad lib.de Jur.Bell.& Pac.

Ariſtotelis Naturæ ille Germanus Alumnus. *Lipſ.* l. 2. Elect. c. 2. Tres ſunt quos admirari unicè ſoleo; & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur. *Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles, idem* in centur. 2. miſcel. Epiſt.44.

Tertullianus Minutiloquium ejus taxat: *Ireneus*, Minutiloquium & ſubtilitates circa quæſtiones: *Hieronymus*, verſutias ejus: Ideo *Sidonius*; *Explicat ut Plato, implicat ut Ariſtoteles.* At *Gregorius Nazianz.* (orat.1. de Theol.) & hoc & graviora objicit Βαλί μει, &c. *Abjice mihi*, inquit, *Ariſtotelis minutiloquam ſagacitatem & artificium, abjice mortuales illos ſuper Animâ Sermones, & univerſè humana illa dogmata.*

Ariſtoteles de *Deo* ipſe ſecum diſſidet, & repugnantia dicit & ſentit. *Lactan.* l.1.c.5. *Ariſtoteles Deum* nec coluit nec curavit. *Idem* de Irâ *Dei* cap.19. *Ariſtoteles* nunquam piè aut ſanctè doctus. *Phil.* Jud. de mund. incor.

Ariſtotelis confidentiam proinde ſubit mirari, qui impetu quodam percitus contradictionis, & bellum univerſæ *Antiquitati* indicens, non ſolùm nova artium vocabula pro lubitu cudendi licentiam uſurpavit; ſed etiam priſcam omnem ſapientiam extinguere & delere anniſus eſt. Adeo ut neque nominet uſpiam Authores antiquos, neque dogmatum eorum mentionem ullam faciat, niſi quo aut homines perſtringeret, aut placita redargueret. Sanè ſi famam nomini ſuo, ac ſequacium turbam affectaverit, hoc rationibus ſuis imprimis accommodatum. Cæterùm de viro tàm eximio certè, & ob acumen ingenii mirabili, *Ariſtotele*, crediderim facile, hanc ambitionem eum à *Diſcipulo* ſuo accepiſſe, quem fortaſſe æmulatus eſt; ut ſi ille omnes nationes, hic omnes opiniones ſubigeret, & *Monarchiam* quandam in contemplationibus ſibi conderet. *Bacon.* de Aug. ſcient. l.3.c.4.

Digitized by Google

Ariſtoteles, more *Ottomanorum*, regnare ſe haud tutò poſse putabat, niſi fratres ſuos omnes contrucidâſset. *Ibid.*

Baleus cent. 14. p. 220. in Appendice ad *Ion. Majorem* tradit, *Colonienſes* Theologos annumerâſſe *Divis Ariſtotelem*, & librum etiam typis evulgaſſe cui titulum fecerint, *De ſalute Ariſtotelis*. Alium etiam librum eoſdem conſcripſiſſe *De vitâ & morte Ariſtotelis*, in cujus calce concludunt, *Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, quemadmodum fuit Ioan. Baptiſta in Gratuitis.*

Ut *Plato* numeris ſuis obſcuravit ſuam Philoſophiam: ſic *Ariſtoteles* multa Mathematicis collationibus reddidit obſcuriora. Vid. *Eraſm.* Adag. *Rudius*, ac *Planius*.

Stagiritæ mortuo altare cum monumento extruxerunt, locumque Ἀριστοτέλειον vocarunt, diemque feſtum ejus memoriæ ſtatuerunt, idque ſuo adhuc tempore duraviſſe, teſtatur *Ioan. Mandevill.* in *Itiner.* c. 2. qui circa an. *Chriſt.* 1322. illas regiones viſitavit. *Konigius.*

Compoſuit *Ariſtoteles* plura quàm cæteri, ſed & plura compilavit. In quo improbitatem ejus licet cognoſcas, quòd, quæ compilat, non illis refert accepta, à quibus ſumpſit, ſed ſibi vendicat; & eoſdem ubicunque peccâſſe opinatur, citiùs ardentem flammam ore continere poſſet, quàm non nominare. *Laur. Vall.* in Præfat. in dialect.

Hic eſt ille *Ariſtoteles*, qui de *animâ* malè ſentiens, locum gaudii poſt mortem negavit, qui veterum dicta compilatus, malignéque interpretatus ingenii laudem furto ac calumniâ quæſivit. *Hen. Corn. Agripp.* c. 54. de vanitat. Scient.

* *Theodori Zvvingeri* Scholia in *Ariſtotelis Ethica*. *Iſaac. Caſauboni* verſiones *Ariſtotelis* operum in Lat. ſermonem: & *Daniel. Heinſii* Paraphraſis in ejuſdem libros Politicorum permittuntur, ſi adhibeantur notæ Auctorum damnatorum & operum permiſſorum. *Index Madrit.* Edit. An. 1667.

Alexander Magnus quamdiu incorrupta & integra ejus mens ab adulatoribus & crapulâ manſit, munificus erga *Doctos*, & amator eorum fuit. Imprimis hoc oſtendit in *Ariſtotele* ſuo *præceptore*, quem, quoad animum utilibus præceptis informandum, parenti ſuo *Philippo* Regi, præferre non erubuit, donatis illi ob Hiſtoriam *Animalium* talentis 800. qui faciunt *coronatorum aureorum* millia quadringenta octoginta. *Alexandro* enim inflammato cupidine. *Animalium* naturas noſcendi, delegataque commentatione *Ariſtoteli*, ſummo in omni ſcientia viro, aliquot millia hominum in totius *Aſiæ*, *Græciaque* tractu parere juſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatuſque alebant, quibuſque vivaria, armenta, alvearia in curâ erant, ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo: quos percunctando quinquaginta fermè volumina illa præclara de *Animalibus* condidit. *Phil. Camerar.* Oper. ſubciſ. Pag. 237. Centur. 2.

Ferunt Ariſtotelem moribundum dixiſſe, *Fœdè hunc mundum intravi: anxius vixi: perturbatus egredior, cauſa cauſarum miſerere mei.* Ibid. Centur. 1.

Ariſtotelis opera omnia *Græcè* & *Latinè* in 4. Tomos digeſta *Gulielmus* du

Digitized by Google

Vallius Regis Chriſtianiſſimi Medicus & Conſiliarius recognovit, diſquiſitionibus & notis illuſtravit. *Pariſ.* apud *Ioan. Billain, Simeonem Piget*, & *Fredericum Leonard.* 1654. fol.

EUCLIDES.

GEometra inſignis floruit tempore primi *Ptolomæi.* Multa ſcripſit quæ ad *Geometriam* & *Muſicam* pertinent. Inter opera verò ejus facilè palmam obtinent libri tredecim *Elementorum*, magno Reipublicæ literariæ bono ad noſtra uſque tempora conſervati. *Hen. Savil.* lect. 1. in *Euclid.* Claruit ante Chriſt. Anno CCCXXXII.

Utcunque enim multi ante eum *Geometræ* fuerint, non in *Ægypto* ſolùm, ſed etiam *Græciâ*; aliqui etiam quædam literis conſignarint, hic tamen primus omnium *Græcorum* omnia collegit, collecta digeſſit, quæque negligentiùs probarentur, accuratiùs demonſtravit. Opus ſuum *Euclides Elementa* inſcribit. Conſtant hæc elementa libris 15. Niſi quod de duobus poſtremis res non ſit ita aperta. Plerique eos non Euclidis putant; ſed commentarios *Hypſiclis Alexandrini.* Alii & ipſos libros *Hypſicli* tribuunt. Sanè in *Græcâ* editione decimus quartus præfationem habet propriam: quam nec primus habet *Euclidis*: non vano argumento, libros duos ultimos alterius eſſe, quàm *Euclidis.Voſſ.* de Mathemat. Cap. 15.

Duo ferè annorum millia exiſtimatur toto terrarum orbe ab omni reprehenſione liber & Sacroſanctus fuiſſe, & ſi quid poſt homines natos ſolidæ ſcientiæ comprehenſum & animadverſum eſt, id Euclidi uni acceptum refertur. *Rami.* Schol.Math.l.4.

Euclides laboribus, in Geometricis, nihil additum eſt à ſequentibus, quod intervallo tot ſæculorum dignum ſit. *Bac.* de Augment.Scient.l.3.

Euclides, Mathematicorum Pater, quo magiſtro non licet majorem eſſe diſcipulum. *Poſſevin.* Biblioth.Select.l.15.c.1.

Euclides artis elementa continuo ordine & magnâ ſolertiâ ita tradidit, ut à quovis mediocris ingenii acumine prædito non difficulter percipi poſſent.*Tych. Bra.* orat. de diſcipl. Mathem.

Inter Mathematica monumenta primum eſt *Euclidis* opus *Elementorum*, non tantum antiquitate, & dignitate, verùm etiam doctrinæ ordine; eſt enim totius Matheſeos baſis & fundamentum *Ioſeph. Blancan.* Sphær.Mund. p. 207.

De *Euclide*, & ejus *Geometricis* hiſce verbis judicat *Cardanus*: *Inconcuſſa dogmatum firmitas, perfectioque adeo abſoluta, ut nullum opus jure huic aliud comparare audeas. Quibus ſit, ut adeo veritatis lux in eo refulgeat; ut ſoli hi in arduis quæſtionibus videantur poſſe à vero falſum diſcernere, qui Euclidem habent familiarem. Cardan.* de ſubtilitat l. 16.

Valdè autem illud commendat *Scholam* ab *Euclide* erectam *Alexandriæ*,quòd non ſolùm multos reliquerit Diſcipulos; de quo auctor *Pappus* in ſeptimo *Collect.Mathematicarum*; ſed ab ejus tempore, uſque ad tempora *Sarracenica*, vix ullum invenire ſit nobilem *Mathematicum*; quin vel patria fuerit *Alexandrinus*;

 vel

vel ſaltem *Alexandriæ* dederit operam *Matheſi. Voſſ.* de *Mathem.* p.53.

Euclides indigeſtus eſt & incompoſitus , cùm enim ab *univerſalioribus* proceſſus fieri debeat, ne vitioſa fiat repetitio , peſſimè à *Geometriâ* auſpicatus eſt initium , quam poſt *Arithmeticam* tractare oportuit. *Oedipodem* eſſe neceſſe eſt, qui hunc velit intelligere:proponit enim ſua *problemata*,nec manum ad circinum admovet : proponit quoque *Theoremata,* nec ullum demonſtrat. *Claud. Verder.* in auct. cenſione.

Euclides verò *Geometra* (qui à civitate *Tyro* ortum duxit) *Geometriæ* peritiâ excelluit. Liber ejus qui vocatur στοιχεῖα i.e. *Elementa,* liber eſt celebris,admodum utilis, non eſt *Græcis* hoc in genere liber alius generalis, neque ſecutus eſt cum aliquis qui non veſtigia ejus ſectatus ſit,idemque quod ille dixerit;nec inter homines , qui præſtantiam ipſius non confeſſus ſit , vel multiplici ejus doctrinæ teſtimonium perhibuerit: *Gregor. Abul. Phar.* in Hiſt. Compend. Dynaſt. *Arab.* Edit. Interpret. *Edvv. Pocock.*

Plato conſultus de conſtituendâ in Arce Palladis arâ, quis modus , quæve illi forma melior eſſe poſſet,quamvis *Geometri* peritiſſimus eſſet, tamen ne alterius profeſſionem ſibi uſurpare velle videretur , ad *Euclidem , Geometram* ſuo tempore clarum , conſultores rejecit. *Oliver.* not. in *Val. Max.* l.8.c.12.

Hunc Autorem notis eruditiſſimis illuſtravit *Iſaacus Barrovius.*

THEOPHRASTUS.

Clar. ante Chriſt. Ann. CCCIII.

E*Reſius*, *Ariſtotelis* diſcipulus , tempore *Alexandri Magni* claruit. Priùs *Tyrtamus* dictus erat, ſed *Ariſtoteles* ob divinam eloquentiam eum Θεόφραστον appellavit. *Heſychius* Illuſtr. circiter 2000. diſcipulos ludum ejus frequentaſſe aſſerit. S. *Hieronymus* in Epiſt. ad *Nepotianum* 107. annos vixiſſe tradit. Scripſit varia , quorum catalogum *Ioh. Meurſius* A. 1640. collegit.

De *Theophraſti* ſtylo ſatius eſt tacere, quàm pauca dicere. Nam & elegantia ejus ſatis ex tam multis perſpicitur , quæ ad nos pervenerunt : & nemo adeò inſanit, ut non magnificè de eo ſentiat , quem ſummus ſapiendi, & dicendi magiſter , *Ariſtoteles* , ob divinam φράσιν vocavit Θεόφραστον, cùm prius *Tyrtamus* diceretur. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. l.1.c.9.

Theophraſtus , ita aut diffuſus eſt, aut plenus , ut non modò mentis,quod eſt omnibus commune , ſed orationis quoque ſuæ eſſe interpres videatur. Verborum autem ità exquiſitâ elegantiâ , ut cùm aliquid induſtriæ & ſtudii in illis & in ipsâ compoſitione agnoſcas, pleraque eſſe tamen à naturâ libentiſſimè credas. Jam ſi argumentum videas (quanquam quid non perſecutus olim fuit ?) alia ſunt popularia , quæ plurimùm oblectant; ut cùm *Stirpium* naturam legimus, ingenium & mores : quam *Hiſtoriam* dixere. Alia quæ poſitum in arce veri animum , cognitione *cauſæ* ſatiant atque explent:nec cujuſquam tamen intellectum admodum excedunt. Quod ab eo in poſterioribus ſex libris (*De cauſis Plantarum*) copioſè factum eſt & luculenter—Quod ſi quis vulgaria hæc,& infra cogitationes ſuas poſita exiſtimet , neque *Horti* curam aut *Plantarum* , ſed quid

civitatem

civitatem deceat ac *ſtatum*, munus ſuum eſſe arbitretur, is non aliunde quàm è *Theophraſto*, certius hoc & uberius hauriret, niſi hanc fœlicitatem nobis *Fata* invidiſſent. Quis enim de *Republicâ* prudentius, quis melius, quis plura ſcripſit? Nunc *reliquiæ characterum* extant, quæ ad hanc Philoſophiæ partem ſpectant aliquatenus: quibus nihil elegantius, prudentius, ingenioſius, ab ullo hactenus mortali *Famæ* & *Poſteritati* nuncupatum legimus. *Dan. Heinſ.* in Dedic. Ordin. *Holland.* præfix. *Theoph.* Oper.

In *Theophraſti* libros ſex (de *Cauſis Plantarum*) cùm *Theodorus Gaza* laboraſſet, ſubſecutus eſt *Iul. Cæſ. Scaliger*, qui *Theophraſtum* cum aptiore genere *interpretandi*, Methodum ſimul meliorem, quàm *Theophraſtus* fecerat, ſe oſtendiſſe profeſſus eſt. Id quod initio ſcribit, antequam primi libri primum caput exponendum aggrediatur.

Univerſus hic *Theophraſti* labor (de *Cauſis Plantarum*) maximè conducit ad Philoſophiæ cognitionem, tum etiam ad uſum *agrorum* magnoperè confert, & certè ad tot rerum, & ſcientiarum notitiam, ut omnibus libris, *Græcaque* & *Latinæ* linguæ, ac Medicinæ futurus ſit utiliſſimus. *Ant. Poſſev.* Biblioth. Select.

Neget ſanè *Timæus* vir magnus *Zaleucum* ullum fuiſſe; & *Theophraſtus* tamen omnium ſententiâ auctor haud inferior, ut ego autem judico, etiam ſuperior, ſæpè & in multis locis hujus *Zaleuci* commeminit. *Iuſt. Lipſ.* Var. Lect. l. 2. c. 11.

Theophraſtus moriens accuſaſſe *naturam* dicitur, quod *cervis* & *cornicibus* vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; *Hominibus*, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.

Theophraſtus, vitiorum pictor ſimul ac cenſor egregius; *Senecâ* in omnibus libris commotior. *Gabr. Naub.* Bibliograph. Politic.

Vir digniſſimus qui eo ſeculo viveret, quod tulit *Socratem*, vidit *Platonem*, *Ariſtotelem* generi humano dedit, *Triumviros* conſtituendæ *Philoſophiæ* diviniùs ſine dubio excitatos. *Iſaac. Caſaub.*

Theophraſtus eruditus homo, graviſque Philoſophus. Petr. Victor. lib. 11. Var. lect. cap. 10.

Divinâ vir eloquentiâ *Theophraſtus*. *Cæſ. Scal.* de re Poet. pag. 53.

Theophraſtus ſuavitate homo inſigni linguæ pariter atque vitæ. *Aul. Gell. Noct. Att.* l. 13. c. 5.

Arte, an ſorte datum Theophraſti *ſit tibi nomen;*
Neſcio: divino nomen ab eloquio.

Steph. Paſchaſ. *Icon.*

Hiſtoriæ plantarum Libri 10. *Græcè* & *Latinè*, cum Iconibus plantarum,

 prodierunt

prodierunt *Amſtelod.* 1644. fol. cum animadverſ. *Ioſ. Scalig. Theophraſti* characteres extant cum notis in opuſculis variis à *Thomâ Gale* editis.

THEOCRITUS.

Claruit ante Chriſt. Anno CCLXXII.

SYracuſanus, Olymp. 123. ſub *Ptolemao Lagide* & *Ptolemao Philadelpho* claruit. Poeta fuit ſuaviſſimus: juſſu *Hieronis* Tyranni, ob maledicentiam, occiſus. Scripſit Linguâ *Doricâ*, quæ extant, *Idyllia* 36. Quod ſcripti genus in *Bucolicis Virgilius* imitatus eſt. Unde Eclog. 6.

Prima Syracuſio dignata eſt ludere verſu.
Noſtra, nec erubuit ſylvas habitare Thalia. Hoſman.

Admirabilis in ſuo genere *Theocritus*, ſed *Muſa* illa ruſtica, & paſtoralis non forum modò, verùm ipſam etiam urbem, formidat. *Quintil.* l. 10. c. 1. Inſtitut. Oratoriar.

Theocritus Syracuſanus, ſuaviſſimæ facilitatis Poëta, *Ptolemao Philadelpho* clarus atque familiaris, ut cujus laudes cultiſſimo etiam Poemate, quod adhuc ſupereſt, expreſſerit. Dictio ejus intelligentibus facilis, ſuavis, & in ſuo genere admirabilis; quam imitandam ſibi hinc inde in *Bucolicis* propoſuit *Maro*, ſed ſummam ejus dulcedinem non potuit ubique exprimere. *Borrich.* de Poet. p. 12.

Jam lis eſt inter *Criticos* uter utri præferendus ſit *Virgilione Gracus*, an *Theocrito Latinus* vates? Plurima ſunt *Theocriti* inacceſſa *Maroni*, plurima meliora *Virgilio Theocriticis.* Tamen *Gracus* ſcriptor immani intervallo *Latinum* relinquere videtur. Illud quoque monendum videri mihi longè pauciora ſcripſiſſe *Theocritum*, & quæ ſub ejus nomine circumferuntur acervum eſſe congeſtorum ex plurimis *Bucolicorum* ſcriptorum carminibus. *Caſp. Barth.* Adverſ. l. 41. c. 26. p. 1861.

Dom. *Faber Salmurienſis* ſcribit *Doricam* illam dialectam qua uſus eſt *Theocritus* multò ſuaviorem eſſe veterum *Dorum* idiomate. Dicit, quando quis Poetæ hujus Characterem examinare vult, magnam in eo facilitatem obſervari; eumque Authorem quoad *Ruſticum* & *Bucolicum* tantùm *Virgilio* ſuperiorem eſſe quantùm *Lingua Graca Latinam* ſuperat. Tan. Fab. *Epit. Gallic. vit. Poet. Græc.* p. 134.

Ioſ. Rapin. teſtatur *Theocritum Virgilio*, propter linguæ Græcæ genium, ſuaviorem, elimatiorem & magis genuinum eſſe; In eo lepores illos omnes qui uſitatam *Poeſeos* venuſtatem conſtituunt frequentiores eſſe; Eum denique Exemplar imitandum eſſe, *Virgilium* vero Imitatorem tantùm. Ren. Rapin. *Reflex. particularib. in Poeſ. Reflex.* 27.

Theocritus Bucolicorum princeps, cujus gratias & veneres nemo ſatis capit. *Dan. Heinſ.*

Inter Editiones *Theocriti* præſtantiores *Heinſiana* eſt, & *H. Stephani.*

ARATUS.

Digitized by Google

ARATUS.

Poeta *Solenſis*, tempore *Ptolemæi Philadelphi*, in aulâ *Antigoni Gonatæ*, fil. *Demetrii Poliorcetæ* plerumque verſatus. Scripſit, quæ extant Φαινόμενα καὶ Διοσημεῖα, in quibus ſitum, motum, ortum, occaſum & numerum explicat *ſtellarum* apparentium. Quo libro adeò delectati fuere *Claudius* & *Germanicus Cæſar*, ut *Latinum* fecerit uterque. Vertit eum Latinè, & *Cicero* adhuc adoleſcens. Taceo *Rufum Feſtum Avienum*, qui eundem *Latinis* verſibus eleganter expreſſit. *Ovid.* Claruit ante Chriſt. Anno CCLXXI.

Cum Sole & Lunâ ſemper Aratus erit. Hofman.

Conſtat inter doctos hominem *Aſtrologiæ* ignarum ornatiſſimis atque optimis verſibus *Aratum* de *Cœlo* & *Stellis* ſcripſiſſe. *Cic.*l.3.de *Orator.*

Arati materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla perſona cui uſquam ſit oratio: ſufficit tamen operi, cui ſe parem credidit. *Quintil.*l.10.c.1. Inſtit. Oratoriar.

Aratus Solenſis Cilix, Olym.127. clarus, ſi *Euſebium* & *Suidam* audimus, non modo *Phænomena* illa *Aſtronomica*, quæ in luce publica verſantur, perſcripſit, ſed & *Hymnos*; *ludicra*, *compoſitionem pharmacorum* ad *Theriacam*, *ortum hominis*, *Epigrammata*: ſolis autem *Phænomenis* pepercerunt ævi dentes, quibus *latino* verſu reddendis & *Tullius* adoleſcentiam ſuam addixit, *Cæſarque Germanicus*, & maturam ætatem *Feſtus Avienus*. Sunt qui *Tullium* hìc parum boni, parum fœlicis Poetæ functum officio arbitrantur, verùm excuſat *Arpinatem* prima tum juventutis fax, à qua plenam operam expectare nimium eſt. Neque defuiſſe *Tullio* calorem Poeticum, ſi huc animum duntaxat vertiſſet, vel ex hoc ſcripto liquidum fuerit, ut rigidiores agnoſcamus fuiſſe. *Martialem*, *H. Stephanum*, *Thomam Broune*, cùm *Ciceronem* ab aquâ & igni *Poetico* prorſus excludunt. *Borrich.* de Poet.p 14.

Aratus cultiſſimis verſibus cœleſtia complectitur, & ſtellas. *Rhodigin.* lect. Antiq. l.7. cap.1.

In ipſis *Georgicis* tempeſtatis ſerenitatiſque ſigna de *Arati Phænomenis* traxit *Virgilius*. *Macrob.* Saturnal.l.5.c.11.

Arati autoritate S. *Paulus*, Act.17.verſ.28.uſus eſt.

Mirum quàm multos fuerit nactus *Interpretes*: ex deperditis ſunt *Ariſtarchus Samius*, *Aryſtilli* duo *Geometræ*, *Crates*, Euæneti duo, *Crates*, *Noumenius Grammaticus*, *Pyrrhus Magneſius*, *Thales* quiſpiam, & *Zeno*. *Voſſ.* de *Poet. Græc.*

Arati verò *Sepulcrum* celebrat *Pomponius Mela*: *Juxta Solos*, inquit, *in parvo tumulo Arati poetæ monumentum, ideo referendum, quia ignotum, quam ob cauſam jacta in id Saxa diſſiliunt.* *Pompon.Mel.* de ſit.Orb.l.1.c.13.

Ego verò ejus gratiâ vel maximè laudabile hoc Poema exiſtimo & omnibus

Digitized by Google

ſæculis commendatiſſimum fuiſſe, quod minimum ampulletur, & *Græca* varitate fabulas inculcet, aut paratragœdietur, *Barth.* adverſar.l.1. Cap.15.

Edidit hunc Auctorem *H.Stephanus*, ſed præ cæteris nitidè, adjuncto etiam commentario, *Hugo Grotius*.

BEROSUS.

Claruit ante Christ. Anno CCLVII.

DE ætate *Beroſi* non convenit inter omnes. *Moſi* æqualem ſtatui à nonnullis, ait *Caſp. Barthius* Adverſar. lib. 51. cap. 7. Quam ſententiam jure ut ineptiſſimam damnat. *Claud.Verderius* ſuâ in *Annian. Beroſum* cenſura, vixiſſe inquit paulò ante principatum *Alexandri M. Conrad. Geſnerus* ipſâ *Alexandri* M. ætate; adverſus utrumque *Gerard.Ioan.Voſſius* de Hiſtoricis Græc. l.1. cap.13. oſtendit floruiſſe *Beroſum* ſub *Ptolemæo Philadelpho*, *Ægyptiorum* Rege, dicaſſeque ſua ſeu *Antiocho Soteri*, *Syriæ* Regi, ſeu filio ejus *Antiocho* Θεῷ.

Genere *Chaldæus* ac patriâ *Babylonius* fuit *Beroſus*, *Beli* in *Babylone* ſacerdos; Aſtrologus celeberrimus, & Chaldæorum ſcriptor antiquiſſimus. Eum ſequitur *Philo* in *Aſſyriacis*; item *Ægyptii*, *Perſæ*, *Medi*, *Chaldæi*, ſuſpexerunt, ſupraque hominem admirati & venerati ſunt. *Ioan.Andr.Quenſt.*

Scripſit *Babylonica*, ſive *Chaldaica* tribus libris; promiſcuè enim his nominibus utuntur veteres. Ex eo opere præclara quædam fragmenta conſervavit nobis *Flav. Joſephus* lib. primo contra *Apionem*. Quorum aliqua luculentis notis illuſtravit *Scaliger* in Appendice operis de *emendatione Temporum*. Habes & aliud fragmentum apud eundem *Joſephum* lib.1. *Antiquitat. Iudaic.* cap.5. *Sed Annii Beroſus* ejuſdem eſt farinæ, ac ſunt ejus *Megaſthenes*, & *Archilochus*; ut inſanum ſit, velle ex quiſquiliis iſtis, ac nugis mendacibus, metiri magnum illum *Beroſum*, cui ob divinas prædictiones *Athenienſes* publicè in gymnaſio ſtatuam inaurata linguâ poſuere, ut auctor eſt *Plinius*. *Annianus* ille *Beroſus* multos comminiſcitur reges, qui nuſquam extant: quod satis docti viri oſtenderunt. Ac vix quicquam eorum invenias apud hunc; quæ ex vero *Beroſo* citat *Ioſephus*. Imò interdum pugnantia habet, ut cum ait, *Babylonem* à *Semiramide* conditam eſſe: cum Joſephus dicat, à *Beroſo* ſcriptum fuiſſe, non eſſe eam à *Semiramide* ædificatam. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc. l.1.c.13.

Libellus circumfertur, cui titulus *Beroſi Babylonii Antiquitates*; ſed commentum eſt, quod indoctis & otioſis hominibus mirè allubeſcit, cujuſmodi ſunt *Xenophontis* æquivoca, tum *Archilochi*, *Catonis*, *Sempronii*, & *Fabii* Pictoris fragmenta, quæ eodem ſunt libro ab *Annio Viterbienſi* conferruminata commentiſque reddita magis ridicula: non quin inſint quædam in illis vera, nam alioqui frontem non haberet narratio; ſed ipſum hiſtoriæ corpus commentitium eſt, nec illius, cujus titulum mentitur. *Lud.Viv.* lib.5. de tradend. Diſcipl.

Sub ejus nomine circumfertur vulgò libellus, in quo autem vana ſunt pleraque omnia & putida & in ipſo Commentatore mendaciorum plauſtra metæque *Viterbienſium* nugæ. *Rupert.* in obſervat. ad Beſold. cap.2.

Plurimi

Digitized by Google

Plurimi veterum *Beroſi* meminere, viz. *Vitruvius* l.9.c.9. *Tertullianus* in *Apologetico*, c.19. ſcriptor *Chronici Alexandrini*, p.48. *Plin*.l.7.c.37. *Clemens Alexan.* l.1.ſtrom.

Scaliger in *Euſebium*, pag.248. in ejus nomen inquirit, & *Beroſum* quaſi filium *Oſeæ* dici exiſtimat.

Juſtinus Martyr affirmat *Beroſum* fuiſſe Patrem *Sibyllæ Cumeæ*.

Si omnia *Beroſi* Opera extarent; quàm pulchra pro Sacris *Bibliis* horumque antiquitate apud ipſum reperiremus! Eorum aliquid in lucem protuli, tanta tamen eſt hominum malignitas, ut id agnoſcere recuſent. *Scaligerana poſter. Gallic.*

Aliqui extant libri ſub *Beroſi Chaldæi*, *Manethonis Ægyptii*, & *Metaſthenis* nomine; ſed tantis illis *Viris* quorum nomine condecorantur indigni ſunt; eorumque ſuppoſitio eſt manifeſta. Omnes veri *Beroſi* quos citat *Joſephus* contra *Appionem* loci, in illo Scripto quod ipſi tribuitur, non reperiuntur, imò res eis adverſantes continet. In illo urbs Lugdunum memoratur, quæ poſt Cæſarem demum nomen hoc ſortita eſt. Denique Hiſtoria *Beroſi* ad ætatem *Nabuchodonoſoris* & *Nabopalaſſaris* tantum extendebatur, hæc verò infra illam deſcendit. *Ell. du Pin. Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſtic. Tom.*1. Gall.

Hic *Beroſus* fuit, ut aſſerunt *Joſephus* & *Tatianus*, *Beli* Sacerdos & Babylone natus, ſed qui poſtea floruit in Inſula Coo, primuſque Aſtrologiæ *Chaldaicæ* apud *Græcos* exiſtimationem conciliavit; cujus nomini & memoriæ Athenienſes, qui nunquam ſegnes erant in applaudendo iis qui magnum quid novi afferrent, ſi præſertim cum eorum ſuperſtitionibus affinitatem haberet, ſtatuam linguâ deaurata, erexerunt. Quod quidem emblema genuinum ejus hiſtoriæ fuit, quæ ſpecioſam modò pompam oculis oſtentabat, ſed talis intus non erat qualis prima intuitu videbatur: Iis præſertim locis ubi vetuſtiſſimorum temporum computum nobis dare præ ſe fert, duaſque ſuas *Dynaſtias* ante *Beli* tempora recenſet. Negari tamen non poteſt quin fragmenta quædam Hiſtoriæ ipſius, quæ *Joſephi*, *Tatiani*, *Euſebii* & aliorum curâ & induſtriâ ab interitu præſervata ſunt, utiliſſima fuerint, non modò ad probandum *Ethnicis*, Hiſtoriæ Scripturarum Sacrarum veritatem, ſed etiam ad quorundam de Imperio *Babylonico* teſtimoniorum illuſtrationem, quippe quæ *Nabopalaſſarem* fuiſſe Nabucodonoſoris Patrem evincant; De quo *Scaliger* abunde notis ſuis in ejus fragmenta loquutus eſt. *Stillingſl. Orig. Sacr. l.*1.*c.*3.*Sect.*4.

APOLLONIUS PERGÆUS.

Claruit ſub *Ptolemæo Evergetâ*. A ſuæ ætatis hominibus magnus *Geometra* dictus eſt. *Euclydis* diſcipulos, quod & ipſam ætatem indicat, *Alexandriæ* audivit. A quibus cùm multa accepiſſet; non difficile adeo fuit quatuor *Conicorum Euclidis* libros commentario illuſtrare, ac totidem alios adjungere; ut in univerſum *Conicorum* eſſent libri 8. ſicut auctor eſt *Pappus Alexandrinus* libro 7. *Mathematicæ* collectionis. Atque eodem libro alia quoque ejuſdem *Apollonii* memorat. Claruit ante Chriſt. Ann. CCXL.

E   Quatuor

Digitized by Google

Quatuor primos *Conicorum* libros tranſtulit *Ioan. Baptiſta Memmius*; ſed infeliciter, eò quòd argumentum operis non intelligeret: unde non vidit ſat manifeſtas *Græci* codicis mendas, ac ſæpe pueriliter hallucinatur; ſicut monitum à *Franciſco Maurolyco* præfatione in *Coſmographiam* ſuam. Opere igitur pretium fecit *Fridericus Commandinus*, qui denuò *latinè* vertit, *Bononiæque* edidit An. 1566. Tres verò alios *Conicorum* libros (quos ex oriente nactus eſt clariſſimus *Iacobus Golius*) ex *Arabico* in *Latinum* ſermonem tranſtulit idem *Golius*. Quærat aliquis quid factum ſit de libro octavo? Cognoſcimus de hoc ex codice *Goliano*: ubi ad calcem erat adſcriptum, eò non fuiſſe *Arabicè* translatum; quia etiam liber ille deſideraretur in codicibus *Græcis*, unde *Arabes* cætera tranſtuliſſent. Sed doctiſſimus *Merſennius* præfatione in *Apollonii* Conica; quæ ſunt in ejus *συνόψει Mathematicâ*; *Arabice* & illum extare ait: imò omnes *Apollonii* libros eâ linguâ legi; ſanè plures etiam, quam enumerârit *Pappus*. Atque horum teſtem citat *Aben Nedin*, qui librum contexuit de *Philoſophis Arabicis*, omniumque eorum ſcripta memoravit, qui fuere à quadringenteſimo poſt *Muhammedem* anno. Interim (ut idem *Merſennius* addit) *Claudii Mydorgii*, Patricii *Pariſini*, ea eſt ſuſpicio, tres illos *Conicorum* libros, qui ab *Arabibus Apollonii* creduntur, non eſſe *genuinos*, verùm ab aliquo *ſuppoſitos*, qui ſub *Apollonii* nomine facere voluerit fucum. Atque hoc inde colligit, quòd libro quinto prima propoſitione in 6. *Apollonii* non tantummodò in *Cono* recto, ſed in *Scaleno* etiam quolibet, & portionibus quibuſvis, demonſtret poſſibilia quæque. *Voſſ.* de Scient. *Mathem.*

Meminit hujus Auctoris *Vitruvius* l.1.c.1.

Cardanus in 16. de *ſubtilitate* ei ſeptimum inter ſubtilia orbis ingenia tribuit locum.

Fuere olim, qui *Conica* non eſſe *Apollonii Pergæi*, ſed Archimedis putarent. Exiſtimavit hoc *Heraclius* ille, qui *Archimedis* vitam retulit. Ejus verba inde adducit *Eutocius*, quibus ait, *Archimedem primum omnium conſignaſſe elementa Conica*: *Apollonium autem cùm ea ſciret, nec dum edita eſſe ab Auctore, involaſſe in illa, proque ſuis edidiſſe.* Fortaſſe rudiores *Archimedis* Chartas nactus fuit *Apollonius*, atque eas perfecit. Utcunque eſt, ante hæc de *Conicis* edita ab *Apollonio* imperfecta erat eorum notitia: ut tradit *Eutocius Aſcalonita* initio commentarii ſui in *Conica Apollonii*. Atque *Ariſtæi* judicio *Pappi* eadem mens fuit. *Voſſ.* de Scient. Mathem.

Profeſſionem & diſciplinam hanc ad ſupremum perfectionis perduxit gradum, *Conicorum* componendo librum, qui *Conicarum* ſectionum complectitur proprietates quæ ſublimiorem, eminentioremque Diſciplinæ hujus ſibi vendicant locum. Et ſane tot propoſitionibus, totque figuris illum ditavit, ut admirabiles illæ nuncupari meruerint, eò quod contineant lineas curvas, ſeu medias inter rectas, ac circulares ſeſe invicem ſecantes; adeoque miros quidem fundunt ſenſus, & proprietates. *Abalphat.* Procem. ad *Apollon. Perg.* Conic. l.5.6.7.

Apollonius Pergæus, vir ſanè in *Mathematicis* excellens. *Petr. Ram.* Schol. Mathemat.

Magnus

Magnus *Geometra*, nulla ratione *Archimede* inferior, quàm mira, quàm abſtruſa in ſuis *Conicis* in lucem profert! *Blancan.* Diſſertat. de natur. Math.

Conicorum libri 8. prodierunt cum Notis *Claudii Richardi*, *Mathematum* Profeſſoris *Regii* in Academiâ *Mantuanâ Carpetanorum Antuverpiæ* apud *Hieron. Verduſſen.* fol. 1653. Libri 3. deſiderati hactenùs ex *Arabico Latinè* redditi ab *Abrahamo Echillenſi*, cum Paraphraſi *Abalphati Aſphahanenſis*, & notis *Alphonſi Borelli*, *Florentiæ* fol. 1661. Typis Joſeph. *Cochini.* Additus eſt *Archimedis* liber *Aſſumptorum* è codice Mſ. Sereniſſimi Ducis *Hetruriæ.*

APOLLONIUS RHODIUS.

Tempore *Ptolemæi Evergetis* floruit *Apollonius Rhodius*, cujus quatuor habemus *Argonauticon* libros. *Sillei*, vel, ut alii vocant, *Illei* filius fuit *Callimachi* diſcipulus. Quanquam verò patriâ eſſet *Alexandrinus*, tamen dictus fuit *Rhodius*, poſtquam *Alexandriâ Rhodum* conceſſit, atque ibi magno diù in honore vixit. Scio virum eruditum pro diverſis habere, *Rhodium* hunc, & illum, quem *Suidas* vocat *Alexandrinum*, & *Eratoſtheni* in *Alexandrina Bibliotheca* curationem ſucceſſiſſe dicit. Sed cùm idem *Suidas* fateatur *Alexandrinum* illum diu *Rhodi* eſſe commoratum, vel inde eundem eſſe cognoſcimus. Tempora ſanè conveniunt. Et apertè id, quod dixi, docet nos *Anonymus*, qui vitam *Apollonii* ſcripſit. *Voſſ.* De Hiſt. Græc. l. 1. c. 16. Clar. ante Chriſt. Ann. CCXXXV.

Uno verò nomine Hiſtoricus iſte & *Poeta* audit peſſimè. Siquidem ut *Suidas* teſtatur, ingratus fuit erga præceptorem ſuum *Callimachum* Grammaticum: qui cùm hoc concoquere non poſſet, in diſcipulum ſcripſit carmen maledicum, quod ab *Ave Ægyptiâ*, roſtro ventrem purgante, *Ibin* vocavit. *Voſſ.* ibid.

Hic cùm videret juvenilia ſua carmina, ut nondum ſatis elimata, publicis ſannis excipi, explodique ea ſeceſſu literato ita expolivit, ut omnium poſteà mererentur applauſum. Extat adhuc opus ejus Ἀργοναυτικῶν, in quo dictio obſervatur caſta, æqualis, ſuavis, membra probè diſtributa, monita politica prudenter hinc inde adſperſa. *Borrich.* de Poët. p. 15.

At verò eorum, quæ permulta ſcripſit *Apollonius*, tantùm, quod ſciam, extant *Argonautica*, opus quidem varium & multis vigiliis elucubratum, durum tamen, & alicubi ingratum, niſi quâ parte *Medeæ* amores deſcribit, ubi & *Pub. Virgilii* judicio ita excellere videtur, ut *Virgilius* ipſe non aliunde plura in ſuos *Didonis* amores tranſtuliſſe facilè videatur, quod nihilominus & Grammatici obſervant. *Gyrald.* de Poet.

Apollonius Argonautica edidit, non contemnendum opus æquali quadam mediocritate. *Quintil.* l. 10. c. 1. Inſtit. Orator.

Apollonius Rhodius, Poëta mirè diſertus, reconditæ doctrinæ, argumentique adeò jucundi, ut cum *Homericâ* varietate ſit conferendus. *Hartung.* Interpr. *Apollon.*

Apollonii Rhodii Poema, de *Argonautarum* expeditione, ſimplicioris eſt cothurni, qui cum nobili *Homerica* dicendi modo nullam affinitatem habet:

Digitized by Google

Fabula ejus ineptè conſcripta eſt, & *Argonautarum* recenſio in primo ſtatim libro langueſcit: Nihil enim habet varietatis illius quæ ejuſmodi argumento uſque adeo congrua fuiſſet. *Rapin. Reſl. in Poeſ. part. 2. Reſl.15.*

Quam præclarus ſit Poëta, (*Apollonius*) duo potiſſimùm argumenta oſtendunt: primùm, quòd ſæpiùs *Virgilio*, ſummo Poëtæ, ad imitationem placuit; deinde quòd imitator ejus *Valerius Flaccus*, in eadem πραγματείᾳ infra exempli, quod ſibi propoſuit, modulum valdè relinquitur. Politicus de cætero poëta, quales *Epicos* omnes eſſe decet. *Tobias Magirus in Eponymol. Crit.*

Vix aliunde eſt quod ex *Aſclepiade* Myrleano citat *Scholiaſtes Apollonii* ad lib. 1. ἀρχόν. quòd ſcilicet *Apollonius* Grammaticus omnia ſua ex *Cleone* tranſtulerit *Ionſ.* de ſcript. Hiſt. Philoſ. l.2.c.17.

Præter *Philologicum* ſtudium coluit *Apollonius* & *Poeticum*, cujus hanc prædulcem poſteritati frugem (*De Argonauticis*) admiſit, nec tamen *Ariſtarchus* eum & *Ariſtophanes*, *Critici* nobiliores, in ordinem poetarum venire permiſerunt: quòd neminem ſui temporis, ut ait *Fabius*, in numerum redigerent. Vel hinc ſcires poſthumam eſſe *Gloriæ* poſſeſſionem nec comitari viros, ſed ſequi. At ne mortuus quidem multitudini magis placuit *Apollonius*, quàm ſua quidem, honeſtiſſima tamen culpa jacuit. Nempè ſcripſit eruditè; at ferè abſtemium eſt purioris nectaris *vulgus*, ac ſcriptionis ſubventaneæ magis fæce vappaque capitur. Quare & hæc *Argonautica* Poëſis mentium duntaxat altiorum regale fuit peculium: cætera hominum ſecta hîc quoque ſuum retinet ingenium. *Jerem. Hoeltzlin.* Proleg. in *Apollon. Rhod.* Argonaut.

Argonauticôn libri 4. cum vetuſtis *Scholiis Græcis* impreſſi ſunt *Florentiæ*, fol. 1496. Quæ editio ſi credendum ſit *Boeclero* in ſuo libello de ſcriptoribus edito, inter ornamenta Bibliothecarum cuſtoditur meritò. Iidem verò *Gr.* & *Lat.* cum antiquis Scholiis & obſervationibus *Ieremiæ Hoeltzlini* prodierunt in 8°. *Leydæ* 1641. apud *Elzevirium*.

ARCHIMEDES.

Claruit ante Chriſt. Ann. CCXXI.

SYracuſanus Mathematicus celeberrimus, ſub *Ptolemæo Euergetâ* floruit. Captis verò à *M. Marcello Syracuſis*, Olympiadis 142. anno primo, à Milite fuit interemtus; ſed contrà quàm interdixerat *Imperator*. Ejus ſcripta pluſcula hodie ſuperſunt, ut περὶ κωνοειδέων, ϗ σφαιροειδέων, nec non περὶ ἑλίκων, deque arenæ numero, qui liber ψαμμίτης inſcribitur; præterea Quadraturæ parabolæ. Tum item tria hæc, in quæ etiam *Eutocii Aſcalonitæ* habemus commentarios; de *Spherâ* & *Cylindro*, *Circuli dimenſis*, & *iſorrhopica*. Cuncta hæc *Archimedis* & *Eutocii* captâ *Conſtantinopoli*, perlata ſunt in *Italiam*; inde à ſummo *Mathematico*, *Joanne Regiomontano*, vecta ſunt in *Germaniam*; ubi primò cura *Thomæ Venatorii* ab *Hervagio* fuere excuſa An. 1544.

Cardano l.16. de ſubtilit. dicitur, Mathematices non tàm primus auctor, quàm inimitabilis. Hoc multis videtur oſtendiſſe. Patriæ enim muros diu adverſus *Romanos* machinis bellicis tutatus fuit, claſſemque hoſtilem exuſſit, pice navium concipiente ignem è calore radiorum Solarium reflexo per *ſpecula*: ut tradunt *Liv. Valer. Plutarch.* atque *Galenus*.

Id

Digitized by Google

Id dexteritati ingenii illius alii attribuunt: alii ad laborem referendum putant potius indefatigatum, quo quidvis eum efficere veriſimile ſit facilè & citra ſudorem potuiſſe. Nam ſi quæras, per te non invenias demonſtrationem illius Quæſtionum: ubi didiceris, potuiſſe putes te eam vel tuâ ſponte invenire, adeò ſtrata eſt via atque expedita, quæ ad id, quod intendit *Demonſtrare*, perducit. *Plutarch.* in vit. *Marcell.*

Archimedes diligentiſſimè *cœlum* rimatus eſt, quâ ratione eum vocat *unicum cœli ſyderumque ſpectatorem Livius*, & ſupremi corporis partes exactiſſimè metitus, *Spheram* miro artificio compoſuit. *David.* Rivalt. à *Flurent.* in vit. *Archimed.*

Exiſtimabat *Ioſeph. Scaliger.* in *Cyclometricis*, peccare in eo *Archimedem*, quòd ſua oſtendat οὐκ ἐπιστημονικῶς, ἀλλὰ παραλογικῶς: ut qui in *Geometricis* utatur numeris. Sed pro *Archimede* luculentam *Apologeticam* ſcripſit *Adrianus Romanus*: eâ oſtendit, rectè ad Demonſtrationes *Geometricas* numeros aſſumi; propterea quòd ſic non ex unâ ſcientiâ particulari tranſcendatur in alteram; ſed adſumantur argumenta ex ſcientiâ univerſali, ſive *Arithmetica*, & *Geometriæ*, communi: quod rectè fieri, abunde ſuperiùs oſtendimus: cùm *Matheſin* divideremus in *univerſalem*, ſive *primam*; & *particularem*, ſive *ſecundam*: quarum prior tradit numero, & magnitudini communia: poſterior autem vel numeri, vel magnitudinis, propria. *Voſſ.* de Scient. Mathem.

Archimedes cùm Lunæ, Solis, quinque errantium motus, in ſphæram illigavit, effecit idem, quod ille, qui in *Timæo* mundum ædificavit *Platonis* Deus, ut tarditate, & celeritate, diſſimillimos motus una regeret converſio. Quod ſi in hoc mundo fieri ſine *Deo* non poteſt: ne in *Spherâ* quidem eoſdem motus *Archimedes* ſine divino ingenio potuiſſet imitari. *Cic.* l. 1. *Tuſc.* Quæſt.

Quantopere placuerint libri *Archimedis* de *Spherâ* & *Cylindro*, documento illud erit, quòd ſepulchro ejus ambo fuerint inciſi. Quo indicio *Marc. Cicero* ſepulchrum deprehendit, quod ipſi ignorabant *Syracuſani*: ut ipſe de ſe gloriatur *Tullius*.

E claris etiam *Mathematicis* fuit *Archimedes*, qui *Græcus* fuit, at ſcientiam ab Ægyptiis hauſit, dicitur eum, qui aggeribus cinxerit terras plerarumque *Ægypti* villarum, & fundamenta poſuerit *pontium*, quibus à pago in pagum tranſitur, cùm excreverit *Nilus*, *Archimedem* fuiſſe. Sunt & illi ſcripta multa; veluti liber de *Sphæra* & *Cylindro*, & de *ſeptangulo* in *circulo. Fertur Romanos* è libris ejus quindecim geſtamina combuſſiſſe. *Gregor. Abul-Pharaj.* in Hiſt. Compend. Dynaſtiar. *Arab.* Edit. Interpret. *Edvard. Pocockio.*

Archimedem cùm nomino, apicem quendam humanæ ſubtilitatis, totiuſque *Mathematicæ* Diſciplinæ abſolutionem animo concipio. Ejus *inventa* admiranda prodidere. *Polyb. Plutarch. Tzetz.* aliique. *Andr. Tacquet.* Hiſtor. Narrat. de ort. & progreſſ. *Math.*

Abſit, ut diviniſſimum *Archimedem* alicujus parologiſmi arguamus, quem neque unquam decepiſſe, neque unquam deceptum eſſe ſcimus. *Bern. Varen.* lib. 1. Geograph. general. cap. 3.

Digitized by Google

Extant ejus opera *Mechanica*: circuli dimenſio; de lineis ſpiralibus: de Quadraturâ paraboles: de Conoeidibus & *Sphæroidibus*: de numero arenæ, *Græc.*& *Lat.* cùm comment. *Dav. Rivaltii* à *Flurantiâ*, fol. *Pariſiis* an. 1646.

POLYBIUS.

Claruit ante Chriſt. Anno CCXX.

E *Megalopoli* civitate *Arcadia*, præceptor *Scipionis Africani*; ſcripſit *Romanam* Hiſtoriam libris quadraginta; ex quibus quinque primi ad nos ſalvi atque incolumes pervenerunt: ex cæteris ſolùm excerpta habemus.

Polybii in *Philoſophiâ* doctrinam, in Moribus probitatem, in Hiſtoriâ prudentiam *Cicero*, *Strabo*, *Ioſephus*, *Plutarchus*, (*Deus* bone, qui quantique viri!) & optimus quiſque veterum, dilaudant. Cujus fidem *T. Livius*, ille *Romana* longè princeps Hiſtoriæ, tantoperè probavit, ut penè ad verbum libros illius integros verteret, atque iis pro ſuis uteretur. Quem *M. Brutus* ſeverus ille morum ſcriptorumque cenſor, cui ne ipſe quidem *M. Tullius* ſatisfacit, adeò eſt admiratus, ut ejus lectioni propemodum immoreretur. Ultimis certè ſuis temporibus, iiſque adflictiſſimis, ad ſolatium doloris pariter & magiſterium vitæ Hiſtoriam illius excerperet, atque in compendium redigeret. Quem denique *Conſtantinus* Imperator, *Corporis Hiſtorici* auctor, *Senatoribus*, *Ducibus*, & *Principibus* tam utilem judicavit, ut qui è *Diodoro Siculo*, *Dionyſio Halicarnaſſ. Ioſepho*, *Dione Cocceio*, & aliis primæ notæ Hiſtoricis, pauca admodum ſeligeret, quæ in ſuum *Pandecten* transferret; *Polybium* propè totum deſcriberet, atque operi illi ſuo insereret. *Caſaub.* in Dedicat. Henr. 4. Franc. & Navarr. Reg. præfix. tert. volum. Polyb. p. 24.

Eſt utique proprium hoc eximio huic auctori, quòd duo ſimul pari ferè curâ agit, ut narret ac moneat. Benè ac perſpicuè *narrandi* laus, cum cæteris præſtantibus *Hiſtoricis* illi communis; fideliter monendi cum paucis: aut, ut verius dicam, cum nemine. Nego enim ex univerſo numero *Græcorum* aut *Romanorum* generis hujus *Scriptorum*, vel unicum poſſe reperiri, qui pari fide ac curâ duo hæc conjunxerit. Quid miramur? perſonam *Hiſtorici* cum aſſumpſit *Polybius*, non in totum exuit *Philoſophi*. Philoſophus enim erat; ſed vitâ, non linguâ: operibus, non ſermonibus: rebus ipſis, non profeſſione, & inani ſpecie. *Idem* ibid. p. 27.

Polybius non modò æqualis ubique ac ſui ſimilis; ſed etiam intelligens, gravis, in laudibus parcus, in reprehenſionibus acerbus, ac velut prudens legiſlator & bonus Imperator, multa de *militari urbanâque diſciplinâ*, multa de *Hiſtorici* officio diſputat. *Bodin.* in Method. Hiſtor. p. 58.

Polybius judicio & prudentia *Thucydidi* haud diſpar cura & ſtylo ſolutior; qui excedit, abrumpit, diffundit, & ſæpè non tàm narrat, quàm ex profeſſo docet. Sed recta & ſalutaria ubique ejus monita: & quem ego, hoc magis *Principibus* commendatum velim, quòd anxiâ in eum inquiſitione non opus; ſed ſuos ſenſus aperit & revelat ipſe. *Iuſt. Lipſ.* in not. ad l. 1. Polit. c. 9.

Sanè jam olim in *Polybio Dionyſius Halicarnaſſ.* reprehendit *dictionis* incuriam &

Digitized by Google

& quòd utatur comprehenſione verborum minus accuratâ. *Polybio* interim ignoſci debet, quia fieri vix poteſt, ut qui tantopere, ac ab eo factum, de rebus ſollicitus ſit, is de verbis adeò laboret, quam fortaſſe rerum dignitas merebatur. Imò ea eſt humani animi imbecillitas, ut ingentem illam verborum curam rerum incuria plurimùm conſequatur. Ita obſervatum eſt à viris doctis, *Dionem* multùm rhetoricari in præliorum deſcriptione: ſed eorum, quæ ad rem militarem requiruntur, exiguam oſtendere peritiam, prope dixerim nullam. *Polybium* contra pigmenta illa *oratoria* aſpernari; ſed tantam in eo *militaris diſciplinæ* ſcientiam elucere, ut *Tacticos* ipſos poſſit provocare. *Voſſ.* de Art. Hiſtor. c. 29.

Polybius, nec amore cujuſquam præterit, quod culpandum: nec odio omittit, quod laudandum. *Idem* ibid. c. 10. p. 57.

Qualis quantuſque vir fuerit *Polybius*, ex eo promptum eſt conjicere, quòd tot *ſtatuas* ei erexerint *Græci*, ad *Palantium*, *Mantinæam*; *Tegeam*, *Megalopolim* & alias *Arcadiæ* urbes. Pauſan. l. 8. *Arcad.* teſtatur, tantum eum fuiſſe *politicum*, ut quæcunque monitu ejus geſſerit *Romanus Imperator*, omnia benè ei eveniſſent; in quibus verò minus ſe ejus viri dicto audientem præbuit, in iis offendiſſet.

Xenophon & *Polybius* in moralitatis documenta nimis frequenter excurrunt, ſuiſque reflexionibus Hiſtoriæ filum abrumpunt. *Rapin. Reflex. in Hiſt. Sect.* 5.

Profectò quicquid dicant qui *Polybii* partes uſquequaque tuentur, quod fecit *Caſaubonus*; cum adeò diſerta ſint ejus verba, nunquam efficient ut ætatis ſuæ Religioni valde addictus cenſeatur. Meoque judicio meliùs cum ipſo agerent, ſi de eo ut de ingenio *Cœlitus* illuminato intra *Ethniciſmi* tenebras, loquerentur, quique Unicum *Principium* ſeu Unicum *Deum* admittens, eos omnes ridebat, quos *Idololatria* illius ævi adorationis objecta conſtituebat; æquè ac *Campos* illos *Elyſios*, *Cerberos*, & *Rhadamantos* illos, quos *Sectatoribus* ſuis ob oculos ponebat. Fr. *Mothæus* le Vayer. Tom. 1. pag. 311. Gall.

Polybius equo delapſus, cùm ex ſuo prædio *Megalopolim* rediret, moritur an. ætat. 82. annis ante *Ciceronem* natum 17. ante Chr. nat. 121.

* Iſaaci Caſauboni Commentarius in Polybium, cum expurgatione permittitur. vid. *Indic. Madrit.* 1667.

Extant libri, *Hiſtor.* 5. *Græcè* cum verſione *Latinâ* & ex recenſione *Iſaac. Caſauboni*, *Hanoviæ* Typis *Wechelianis* an. 1609. fol. Prodierunt Iidem ex recenſione *Iacobi Gronovii* & cum *Caſauboni* & *Palmerii* notis: addita ſunt excerpta de legationibus & *virtutibus* ac *vitiis* per *Conſtantinum Porphyr. Græc.* & Lat. omnia. Amſtelodami An. 1670. in 8°.

M. PORCIUS CATO CENSORIUS.

PAtriâ *Tuſculanus*, civitate *Romanus*, Tribunus Militum in Sicilia & *Conſul Romanus*, natus eſt An. U. C. 519. Mundi 3716. ante *Chr.* nat. 232. Claruit ante Chriſt. Anno CXC.

In omnibus rebus ſingulari fuit prudentiâ & induſtriâ. Nam & agricola ſolers, & Reipublicæ peritus, & juriſconſultus, & magnus imperator, & probabilis

probabilis orator, & cupidiſſimus literarum fuit. Quarum ſtudium etſi ſenior arripuerat, tamen tantum progreſſum fecit, ut non facile reperire poſſis neque de *Græcis*, neque de *Italicis* rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adoleſcentia confecit *orationes*: ſenex *Hiſtorias* ſcribere inſtituit, quarum ſunt libri ſeptem; In quibus multa induſtria & diligentia comparet, multa doctrina. *Cornel. Nepos.*

Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in Sententiis argutior? in docendo ediſſerendoque ſubtilior? Refertæ ſunt *orationes* amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim, & legerim, & verbis & rebus illuſtribus. Jam verò *Origenes* ejus quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? amatores huic deſunt, ſicuti multis jam ante ſæculis, & *Philiſtio Siracuſio*, & ipſi *Thucydidi*. Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. Sapienter id quidem; atque utinam imitarentur, nec oſſa ſolùm, ſed etiam ſanguinem. Gratum eſt tamen quod volunt. *Cicer.* in Brut.

M. Cenſorius Cato, idem *Orator*, idem *Hiſtoriæ* conditor, idem *Iuris*, idem rerum ruſticarum peritiſſimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi ſæculo literas *Græcas* ætate jam declinata didicit, ut eſſet hominibus documento, ea quoque percipi poſſe, quæ ſenes concupiſcent. *Quintil.* l. 12. c. 11.

M. Cenſorius Cato Hiſtoricus eximius, & aliis quoque nominibus laudatiſſimus. Siquidem, ut *Plinius* ſcribit l. 7. c. 27. *Tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt, Optimus Orator, Optimus Imperator, Optimus Senator.*

Iſtis *Originibus*, quas pro *Catonianis* obtrudere nobis voluit *Annius Viterbienſis*, nihil profectò inficetius, *Catoneque* indignius, eam impoſturam, non multò poſtquam in lucem prodierant, *Sabellicus* vidit *Enneadis* 10. lib. 2. item *Faber Stapulenſis, Vives, B. Rhenanus*, atque alii, *Voſſ.* de Hiſtor. Latin.

Illud de *M. Catone* adde, opus id, quod ejus nomine inſcriptum circumfertur, ipſius *Catonis* genuinum non eſſe, quod his maximè argumentis demonſtrari poteſt. Multorum enim auctoritate conſtat, *Marcum* illum *Catonem* plura, quàm nunc habeantur, Originum volumina conſcripſiſſe. Item non pauca earum *Originum* verba & à *Terentio Varrone* in libris de re *ruſtica*, & à *Cicerone* in oratione pro *Cn. Plancio*, & in quarto *Tuſculanarum Quæſtionum* volumine, aliiſque pluribus in locis citari ſolent, quæ nihilominus in provulgato iſto *Catone* nuſquam reperiri poſſunt. Quibus rationibus illud ſatis intelligitur eos omnes aut falſos, aut commentitios, aut certè vanos eſſe libellos, illos imperfectos, atque omnibus modis obtruncatos, minimeque cum cæteris conſtantes. *Onufr. Panvin.* l. 1. Antiquit. *Veronenſ.* c. 9.

M. Catonem Cenſorium moribus & doctrina præſtantem virum *orationes* multas ſcriptas reliquiſſe *Cicero* & *Grammatici* veteres teſtantur: in quibus quanquam inſignem illum Orationis nitorem deſideres, tamen hominem intelligentem & amantem antiquitatis, ſermonis elegantia, ſententiarum acumen, & ornatus quidem negligens mirificè delectet. *Lipſ.* l. 1. variar. Lect. c. 13.

Ea in *Catone* reperias quæ nuſquam alibi. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcip. lib. 3.

Cato

Cato optimus Auctor cum *Varrone*. Præſtaret nos amiſiſſe totum *Jus Civile*, ut hodiè habetur, ſine integris Auctoribus, quàm *Catonem & Varronem Scaligerana* I. p. 42.

Ejus operum Fragmenta ab *Auſonio Popma Friſio* collecta, & notis illuſtrata ſunt. Acceſſere *Joan.* Meurſii obſervationes in Fragmenta de *Re Ruſticâ*. Franekeræ in 8. Anno 1620.

Q. ENNIUS.

ITalus, *Poeta* antiquiſſimus, *Rudiis Calabriæ* oppido natus, *Olympiadis* 135. an. ſecundo; *Urbis* 514. *Mundi* 3711. ante Chriſt. nat. 237. Septuagenario major periit morbo articulari, quem immodico vini uſu contraxerat. Sepultus traditur unà in monumento *Cn. Scipionis* viâ *Appiâ*. *Scripſit* annalium libros, Satyras, Comœdias ac Tragœdias, ex quibus ad nos nihil pervenit, exceptis aliquot verſibus à ſcriptoribus veteribus paſſim citatis. Claruit ante Chr. Anno CLXXXIV.

Ennius, primus magni nominis *Heroicorum*, antiquitatis ſtudioſus, interdum generoſus. *Thom. Dempſter*.

Pater cultioris & elegantioris apud *Latinos Muſæ Q. Ennius*. *Paul. Merul.* init. comment. ad Annal. *Ennian.* Fragment.

Ingenio acri fuit, atque ad ſcribendum promptiſſimo, vehemens in ſententiis, in verbis rudis, ut qui non diſcederet à communi more verborum. *Lil. Gyrald.*

Ennius animam *Homeri* in ſe immigraſſe dicebat; unde *Latinorum Homerus* ſemper habitus fuit. *Levin. Torrent.* not. in *Horat.* l. 2. Epiſt. 1. p. 727.

Ennius primum inter *Latinos Poetas Epicos* locum obtinet; quem & *Virgilius* ſibi imitandum propoſuit, & *M. Varro* diſcipulum *Muſarum*, quemadmodum *M. Tull. Cicero* ſummum *Epicorum* Poetam vocat. *Poſſevin.* in Biblioth.

Ennii perſtudioſus fuit *Virgilius*; nam plura ex eo ſumpſit, & in carmina ſua tranſtulit; quorum partem notavit *Macrob.* l. 6. Saturn. c. 1. Quum *Virgilius* aliquando deprehenderetur *Ennii* Poeſin legere, interrogatus quid ageret, reſpondit; *Aurum ſe ex Ennii ſtercore colligere*.

De *Ennio* ita ſcripſit *Ovid.* de Triſtib.

Ennius *ingenio maximus, arte rudis.*

Sicut & rudem *Ennii Muſam* dixit *Statius* lib. 1. *Sylv.* Ad nomen patriæ *Rudiæ* nimirum alludens uterque. *Car. Stephan.*

Qui literarum jucunditatibus inſtructas habent mentes, non poſſunt non in ſuis pectoribus dedicatum habere, ſicuti *Deorum*, ſic & *Ennii* Poetæ ſimulacrum. *Vitruv.* l. 9. de Architect. c. 3. Habent *Enniani* verſus aliquid, quod prodeſſe & delectare poſſit, & orationem etiam, quod minimè quis exiſtimaret, excolere. *Turneb.* in Adverſar.

Ennii verſus immortalitate omnium temporum digniſſimi extant apud *A.*

G *Gell.*

Gell. l. 12. de Amici veri officio: qui & à verbis ejuſmodi ſunt, ut in iis vernaculus ille, & ſine fuco ac cincinnis nativus color, hominem eruditum mirificè delectet, & à rebus ita ſalubres, ut adoleſcentium aures circumſonare ejuſmodi vocibus multò potius ſit, quàm ſexcentûm Philoſophorum præceptis. *Juſt. Lipſ.* l. 2. Antiq. lect. c. 22.

Quemadmodum ea eſt laus *Navii* quòd primus carmine ſignârit bellum *Romanum*; & luculentè quidem, ut ait *M. Tullius*: ita *Ennio* debemus, quòd non paulò id politiùs fecerit, & perfectiùs, idque verſibus Heroicis, ob quorum majeſtatem ita eum celebrat. *Lucret.* in prim.

Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Ennius Poeta antiquus, magnifico ingenio: utinam hunc haberemus integrum, & amiſiſſemus *Lucanum Statium*, *Silium Italicum*, omneſque pueriles ejuſmodi Poetas, Scaligerana 1. p. 78.

Fragmenta *Ennii* præter alios, commentariis adjectis, edidit *Hieron. Columna.* & magis luculentè *Paulus Merula*, Lugduni Bat. An. 1595. in 4°.

Hoc *Q. Ennii* Poetæ Epitaphium: ut videre eſt apud *Philipp. Labbe* in Theſauro *Epitaph.*

Aſpicite, ô Cives ſenis Ennii *imaginis formam:*
Hic veſtrûm panxit maxima facta Patrum.
Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit: cur? volito vivus per ora virûm.

Prior *Africanus Q. Ennii*, ſtatuam ſepulchro ſuo imponi juſſit: clarumque illud nomen, imò verò ſpolium ex tertiâ Orbis parte raptum in cinere ſupremo cum Poetæ titulo legi. *Plin.* lib. 7. cap. 30. *Cic.* pro *Arch.* cap. 10.

MARCUS ACCIUS PLAUTUS.

Claruit ante Chr. Anno CLXXXXII.

POeta Comicus, Natione *Italus*, patriâ *Sarſinas*, *Plotus* ab initio, teſte *Feſto*, appellatus à pedum planitie, quos *Plotos Umbri* vocant. Vixit *Pacuvii Attiique* ætate, nempe extremis aliquot annis belli *Punici* ſecundi, ſive *Annibalici*, ac proximis 17. *Voſſ.* de Poet. Lat.

Urbano, ingenioſo & faceto genere jocandi refertum eum ſcripſit *Cicer.* l. 1. de Offic.

Ælius Stolo dixiſſe fertur, *Muſas Plautino* Sermone locuturas fuiſſe, ſi *Latinè* loqui vellent.

Plautus homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps. *A Gell.* l. 7. cap. 17. *Noct. Attic.*

Quid

Digitized by Google

Quid hoc authore terſius? quid venuſtius? verbo, quid Latinius? Adeò, ut ſi vel *Muſæ* ipſæ loqui latinè vellent, nullo alio quàm *Plautino* ſermone loquerentur, ita omnem in ſe comprehendit latinitatis florem, ac elegantiam. *Plauti* elegantias nemo capit, niſi emunctioris ſit naris. *Plautum* latiniſſimum ſcriptorem, nemo carpit, niſi plumbeis ſit præcordiis. Unum tamen hîc te moneo. Cave ita hos ſcriptores (*Plautum* & *Terentium*) legas, ut omnia tibi imitanda proponas, in quæ incideris. Habent enim illi & obſoleta, quæ in uſu ſuo, in deſuetudinem & oblivionem venêre. Quæ ſi vel pedem unum extra Theatrum feras, ſtatim puteſcent. *Jacob. Cruc.* lib. 3. Epiſt. *Fran. Leeuvv.*

Plautus linguæ *Latinæ* decus. *Aul. Gell.* l. 19. c. 8. Fons ille genuinæ puræque latinitatis, *Plautus Tanaq. Fab.* l. 2. Epiſt. 32.

Quo poetâ (*Plauto*) nemo magis & ſuæ proximæ ætatis hominibus placuit. *Lud. Viv.* in Auguſtin. de Civ. Dei, l. 2. c. 9.

Et jam primùm animadverto duos, quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, *Comicum Plautum* & *Oratorem Tullium*, eos ambos etiam ad jocorum venuſtatem cæteris præſtitiſſe. *Macrob.* l. 2. Saturnal. c. 1. *Plautus* decima *Muſa, Romanæ* linguæ lex, omnium lepôrum *pater Joan. Bon.* Cardin.

Plautum tanti omnis ætas fecit, ut loquendi normam eum præfigeret velut. *Barth.* l. 9. c. 2. Adverſar.

Optimum omnium Latinorum nominum eſt *Plautus*. Scriptor, non, quod illi argutantur, qui omnem ſapientiam ſuo naſo ſuam debent, vulgo factus; ſed qui flos mereatur etiam *interioris doctrinæ* dici. *Idem* l. 16. cap. 32. ibid.

Inter Comicos quis melior *Plauto?* Ille enim ſcriptor eſt qui puritatem, qui proprietatem ſermonis ſuppeditet: ille qui urbanitatem, jocos, ſales, & tam *Atticorum* Venerem ſufficiat, quam fruſtra in reliquo *Latio* quæras *Lipſ.* l. 5. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 26.

Obſcœni in *Plauto* joci, mores molles & laſcivi, *Maſſiliâ* digni vel *Tarento*: *Terentius* totus pudicus, caſtus, verecundus & quem à ſacris ſuis *Veſta* non arceat. *Lipſ.* l. 2. Epiſt. 18.

Plauti quoque licentia tibi notanda eſt. Neque enim ille quicquam veritus eſt, modò auditorem excitaret vel riſu, vel novitate, tùm rerum tùm verborum. *Jul. Scalig.* de re poetic. p. 437. *African.* alteram *Plautum* appellat *Rhodigin.* ſæpiſſimè enim aliquid *novi* affert, & maximè abundat rebus monſtroſis. *Rhodigin.* p. 694.

Plauti ætate ne *Oratorum* quidem dedecebant *Archaiſmi* & voces illæ antiquæ, quas apud *Comicum* hunc legimus. Sic enim tum loquebantur *Ciceronis* verò ætate ea locum ampliùs in *Oratore* non habebant. *Voſſ.* Inſtitut. Orat. l. 4. p. 29.

Audiant autem illud hodiè ſuperſtitioſi quidam *Plauti* miratores, non ſemper, non ubique inculcandos eſſe ejus *Archaiſmos*, neque *jocos* ejuſdem in rebus ſeriis frequentandos; immò ne verba quidem illa, quæ animi gratiâ, ut riſum captaret, procudit quandoque ipſe, ſine grano ſalis admittenda eſſe. *Borrich.* de Poët. pag. 43.

Plùs eſt exacti judicii in unâ Comœdia *Terentianâ*, (abſit *Nemeſis* dicto) quàm in *Plautinis* omnibus. *Eraſm.* l. 28. Epiſt. 20.

Plautus quibuſdam *Comœdiarum* inſcriptionibus minùs ſatisfecit nobis. Nam neque *Rudens* explet indicationem argumenti ejus *Fabulæ*, cui id nomen fecit: neque in totâ *Trinummo*, verbum hoc eſt niſi ſemel: & *Truculentus* ſonum potius dat, atque expectationem ſuſtinet, quàm rem præſtet. Longè commodiùs feciſſet, ſi pro *Rudente*, *Tempeſtatem*; pro *Truculento*, *Ruſticum*; pro *Trinummo*, *Theſaurum*, inſcripſiſſet. *Jul. Scalig.* de re Poet. l. 6. pag. 766.

Plautus in Dramatum ſuorum deſignationibus ingenioſus eſt, in ſuis imaginationibus feliciter audax, in inventione fertilis, Inſulſis tamen facetiis non caret, quæ ſaltem *Horatii* palato non ſapiunt, ejuſque locos, qui plebi riſum movebant, quandoque miſerabantur emunctioris naris homines: Verum quidem eſt illorum quoſdam feſtiviſſimos eſſe, ſed quoſdam ſæpiùs admodum inficetos: Id autem uſu venire ſolet quando quis in jocis nimiùm frequens eſt; is ſcilicet audacioribus enunciationibus & *Hyperbolis* riſum movere conatur, quando id rebus ipſis præſtare non valet. *Plautus Terentio* non eſt omninò æquiparandus in Dramatum ſuorum eleganti ordinatione, eque in *Actuum* ſuorum diſtributione; ſed viciſſim in argumentis ſuis ſimplicior eſt. Nodorum Dramaticorum ſolutiones apud *Terentium* naturæ magis conformes ſunt quàm apud *lautum* ſicut hac in parte *Ariſtophanem* vincit *Plautus. Rapin.* Reflex. particul. in Poeſ. par. 2. Reſſ. 26.

Hâc ſanè parte videtur ſuperior Plautus; nti & varietate tum argumentorum, tum dictionis. Nam Plautus ſemper ſtudet eſſe novus, ſuique diſſimilis, ſeu rem ſpectes, ſeu verba. In *Terentio* verò magnoperè conveniunt *argumenta* fabularum: & quando de eadem re, aut ſimili, eſt ſermo, plurimùm nec abſimilis eſt dictio. *Voſſ.* inſt. Poet. l. 11. p. 128.

Ex editionibus, *Plautinis Douzica* & *Gruteriana* laudantur. Sed præferenda his *Pareana* cum Indice ampliſſimo; item *Taubmanniana* & *Gronoviana*.

PUBLIUS TERENTIUS.

Claruit antè Chriſt. Ann. CLIV.

POeta Comicus *Cartagine* natus, *Terentii Lucani* libertus, qui cùm eſſet egregiâ indole, à patrono eruditus, & libertate donatus, *Comœdiæ* egregiam rationem excogitavit, in *Dramatibus* ſuis inimitabilis: Regula puritatis & elegantiarum *Latini* ſermonis à *Tullio* habitus. Sic venit in amicitiam nobilium, maximè *Lælii* & *Scipionis*; quorum operâ adjutus in ſcribendo fertur ob elegantiam ſermonis; teſte *Cicerone*, cui adſtipulatur etiam *Varro*. Quid quòd eandem ipſe famam augere videtur, non enim niſi leviter ſe tutari conatur *Prologo Adelphorum*. Sex ejus *Comœdias* habemus. Obiit in *Græciam* profectus, An. 595. U.C. 3. Olymp. 155. *Hofman.*

In *Comœdia* maximè claudicamus; licet *Varro* dicat, Muſas *Ælii Stolonis Plautino* ſermone locuturas fuiſſe, ſi *Latinè* loqui vellent: licet *Cæcilium* laudibus ferant; licet *Terentii* ſcripta ad *Scipionem Africanum* referantur: quæ tamen ſunt

Digitized by Google

ſunt in hoc genere elegantiſſima, & plus adhuc habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Terentii mira eſt, ac propè ineffabilis amœnitas, elegantia, judicium, ac venuſtas. Cujus incredibiles lepôres, ut *Joſeph. Scaliger* dicebat olim, vix centeſimus eruditorum quiſque videt. *Dan. Heinſ.* Diſſert. præfix. *Terent.*

Scriptor ut ad nomen ipſum alludamus, *terendus* adoleſcentiæ noctu diuque, *Voſſ.* de Philol c. 7. Sect. 2.

Illud inter *Terentianas* virtutes mirabile, quòd ejus *Fabulæ* eo ſunt Temperamento, ut neque extumeſcant ad Tragicam celſitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde quòd nihil abſtruſum ab eo ponitur, aut quod ab *Hiſtoricis* requirendum ſit; quod ſæpius *Plautus* facit, & eo eſt obſcurior in plurimis locis. Adde quòd argumenti ac ſtyli ità attentè memor eſt, ut nuſquam non caverit, aut curaverit ea, quæ obeſſe potuerunt: tum quòd media primis atque poſtremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, ſed aptum ex ſe totum, & uno corpore videatur eſſe compoſitum. *Evanth.* de *Tragœd.* & *Comœd.*

Non ex alio ſcriptore melius diſcitur *Romani Sermonis* puritas, nec eſt alius lectu jucundior, aut puerorum ingeniis accommodatior. Plus eſt exacti judicii in unâ Comœdiâ *Terentiana* (abſit *Nemeſis* dicto) quam in *Plautinis* omnibus. *Eraſm.* l. 28. Epiſt. 20.

Cæſari atque *Terentio* ob proprietatem ac nativam *Romani Sermonis* elegantiam, proximum poſt *Tullium* damus locum. *Voſſ.* l. 4. Inſtit. Orat. p. 25. Obſcœni in *Plauto* joci; mores molles & laſcivi, *Maſſiliâ* digni vel *Tarento*: *Terentius* totus pudicus, caſtus, verecundus, & quem à *Sacris* ſuis Veſta non arceat. *Lipſ.* l. 2. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 18.

Scaliger ſenex, poſtquam omnium diſciplinarum, ac ſcientiarum penè perluſtraſſet adyta, ſemper in manibus geſtavit hunc *Comicum*, neque illius lectione divinum illud pectus explere potuit. *Jac. Cruc.* in Epiſt. p. 246.

Sciendum eſt, *Terentium*, propter ſolam proprietatem, omnibus *Comicis* eſſe præpoſitum; quibus eſt, quantum ad cætera ſpectat, inferior. *Serv.* in illud lib. 1. *Æneid. Talibus incuſat.*

Plautus & *Terentius* optimi auctores linguæ latinæ, quorum Phraſi loquendum. *Scaligerana* I.

Utinam argumento meliori induſtriam ſuam commodâſſet, ita penè omnia ejus compta ſunt, propria; pura; nil audax in tranſlationibus, nil futile aut ſcurrile in jocis, nil dubium in compoſitione. *Borrich.* de Poet. pagin. 44.

Terentius verò ne abſcederet ab illâ, quam affectavit, puritate, diſceſſit ab ea, quam præſtare oportuit, comitate. Ut rebus verba *Plautus*, hic res verbis accomodâſſe videatur. *Jul. Cæſ. Scal.* de re poetic. lib. 6. cap. 2. Summâ ille arte omnia, accurataque imprimis niteſcit oratione. *Idem* ibidem. lib. 6. c. 3.

Terentius Comœdiarum Prologos, *Hieronymi* verba ſunt, in defenſionem ſui ſcenis dabat. Urgebat enim eum *Luſcius Lavinius*, & quaſi publici ærarii

Digitized by Google

furem Poetam criminabatur. Quemadmodum verò ſe defendat, apud ipſum vide. *Thomas* de Plag. num. 554.

Hunc auctorem recenſuit, adjectis Commentariis, *Ælius Donatus*; addidere *Lindenbrogius*, *Bondius*, *Farnabius*, *Daniel Heinſius*, alii Symbolam. Eſt & ſua laus *Terentio* variorum. Sed inter omnes præſtantior habetur editio *Franciſci Guieti*, & *Boecleri*.

Hoc P. Terentii *Epitaphium*:

Natus in excelſis tectis Carthaginis *altæ*,
Romanis *Ducibus bellica præda fui.*
Deſcripſi mores hominum, Juvenumque, ſenumque,
Qualiter & ſervi decipiant Dominos.
Quid Meretrix, quid Leno dolis, quid fingat avarus.
Hæc quicunque legit, ſic, puto, cautus erit.

Philipp. Labbe in Theſaur. *Epitaph.*

C. LUCILIUS.

Claruit ante Chriſt. Anno CXXIX.

VEtus & venuſtus Poeta, natione *Italus*, patriâ *Auruncanus*, natus eſt Olymp. 153. Obiit Neapoli Olymp. 169. ac publico funere elatus. Magnus fuit Magni *Pompeii* avunculus. Bello *Numantino* ſub *Scipione Africano* militavit. Primus *Satyram* induxit. In quâ eſt magnâ uſus libertate, ſi non nimiâ. *Voſſ.* de Poet. Lat.

Satyra quidem tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt *Lucilius*, qui quoſdam ita deditos ſibi adhuc habet amatores, ut eum non ejuſdem modò operis auctoribus, ſed omnibus Poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab *Horatio* diſſentio, qui *Lucilium* fluere lutulentum, & eſſe aliquid quod tollere poſſis, putat. Nam & eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas, & abundè Salis. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Lucilius, quia *Satyram* ſcribere primus *Latinorum* aggreſſus eſt, primus condidiſſe *ſtyli naſum* dicitur *Plinio* in Præfat. Natural. Hiſtor. Vir ingenio acerrimo & in ſcribendis verſibus feſtivo & urbano, optimis moribus, & alienæ iniquitatis acerrimus accuſator. *Petr. Crinit.*

Lucilius homo doctus & perurbanus. *Cic.* l. 2. De Orator. Vir apprimè linguæ *latinæ* ſciens. *Aul. Gell.* in noct. Attic. l. 18. cap. 5.

Acerrimi Poeta ingenii, miræque eruditionis atque urbanitatis *Lucilius*. *Politian.* Prælect. in *Poëſ.*

Lucilius acer & violentus Poeta. *Macrob.* l. 2. Saturnal. c. 12.

Verſus *Lucilii* ipsâ raritate & paucitate ſuavitatem conſequuntur; etſi enim verſibus aliorum Poetarum comparandi non ſunt: tamen quadam illecebrâ, & invitatione nos capiunt atque deliniunt. *Turneb.* in Adverſar. p. 992.

Lucilius

Digitized by Google

Lucilius in *Satyris* interdum ſe ad humilitatem *Jamborum* demittebat; *Turneb.* in Adverſar. p. 586.

Horatius Flaccus lutulentum vocat Lucilium, & in ſcribendis carminibus incompoſitum. *Scaliger* illum ne fluere quidem ratus. VI. *Poët.* cap. 7.

Sunt qui in *Lucilio* id quoque vitio vertant, quòd *Græca Latinis* miſcuerit, ut ſuis in Epigrammatis *Pytholeon Rhodius*, qui propterea ab *Horatio* irridetur. Idem tamen fecit, ſed parciſſimè *Catullus*, ut alios omittam. *Lil. Gyrald.*

E *Latinis* imprimis *Tmeſi* gaudebat *Lucilius*: unde de eo *Auſonius*: Lib. 5.

Reſciſſo diſces componere nomine verſum:
Lucilii vatis ſic imitator eris. *Voſſ.* Inſtitut. Orat.

Suavis quondam & facetus Poeta habitus fuit *Lucilius*, & imprimis doctus. Hujus urbanitate delectatus, quanquam ejus ſcriptorum pauca tantùm quædam fragmenta reſtant, ſoleo tamen ea nonnunquam relegere, ubi otium eſt, aut animus ſeverioribus ſtudiis fatigatus, amœnitate hac poeticâ refici poſtulat atque inſtaurari. *Jacob. Toll.* Fortuit. p. 64.

Reliquias hujus Poetæ collegit *Franciſcus Douza*, & notas attexuit, *Lugduni Bat.* apud *Franciſc. Rapheleng.* 1597. in 4°.

TITUS LUCRETIUS CARUS.

Poeta Synchronus *Tullii* & *Terentii Varronis*, etſi paulo antiquior. De eo ita *Hieronymus*: Olymp. 171. Ann. 2. naſcitur *Titus Lucretius*. Poeta: qui poſteà amatorio poculo in furorem verſus, cùm aliquot libros per intervalla inſaniæ ſcripſiſſet, quos poſteà *Cicero* emendavit, propriâ ſe manu interfecit, anno ætatis quadrageſimo quarto. Claruit ante Chriſt. Ann. C V.

Scripſit libros 6. De rerum naturâ, in quibus *Epicurum* & *Empedoclem* ſequitur. Id opus plerique à *M. Cicerone* emendatum volunt, quum auctor id ipſum imperfectum reliquiſſet: & quanquàm *Cicero* fratris ſententiam confirmans, non multa habere ingenii lumina fatetur, multæ tamen artis eſſe dicit. *Quintilianus* etiam in ſuâ naturâ elegantem, ſed difficilem eſſe teſtatur.

Itane difficilis *Lucretius*, qui ſimul & elegans? Itane ſcriptor puriſſimus, qui ſi quicquam peccavit, hoc ſolum peccavit, quòd nimis populariter ſcribit, difficilis? Et is difficilis Romanæ Eloquentiæ cenſori, qui etiam vulgo capiatur, qui adeo omnem obſcuritatem fugiat & effugiat, ut etiam *Muſæo Lepôre* contingens omnia blanditiarum quarundam meræ latinitatis & ſuavitatum quidam ſit artifex? Quòd ſi ad examen hujus ſententiæ venire velimus, nihil incongruum magis dici potuiſſe declarari poſſit, cùm rebus ipſis nonnunquam fraus fiat, ut perſpicuitas ſermonis ſervetur. Nullæ enim hic tranſlationes, non ſententiæ contortæ, non tranſmarina Phraſis, non rerum nubibus involuta eloquentia. Itaque quid difficultatis, aut quos nodos hìc reperit *Fabius* ego fateor me perſpicere minimè poſſe. *Caſp. Barth.* Adverſar. l. 43. c. 2.

Lucretius

Lucretius magnus & *Phyſicus* & *Poeta*, in explicandis rebus difficillimis mirus; terſus quoque & elegans, ubi paulùm à *Philoſophiâ* divertens, ſe Poetam profert. *Balthaſſ. Bonifac.*

Lucretius optimus *latinitatis* auctor. *Voſſ.* de Art. Grammat. *Lucretius* Poeta ingenio & facundiâ præcellens. *Aul. Gell.* Noct. Attic. l. 1. c. 21.

Neque mirari oportet ſi *Lucretius* verſus duriores interdum videntur, & quaſi orationi ſolutæ ſimiles. Fuit hoc proprium illis temporibus, ut optimè teſtatur apud *Macrobium Fur. Albinus*, cujus verba hæc ſunt: *Nemo debet antiquiores Poetas eâ ratione viliores putare, quòd eorum verſus nobis ſcabri videntur. Ille enim ſtylus maximè tum placebat: dinque laboravit ætas ſecuta, ut magis huic molliori ſtylo acquieſceret. Itaque minimè defuerunt, Imperantibus etiam Veſpaſianis, qui Lucretium pro Virgilio, & Lucilium pro Horatio legerint. Petr. Crinit.* De Poet. Latin.

Nemini dubium eſſe poteſt, *Lucretium* inter eos qui carmine de rebus *Naturalibus* ſcripſere, ſubtilem, argutum, enucleatum, limatum, elegantiſſimum eſſe; licet antiquum obtineat in verbis, quibus magnâ ex parte exoletis, alia deinceps mitiora ſucceſſerunt. *Poſſevin.* in Biblioth. Select.

Quanti *Ovidius Lucretium* æſtimârit, his verſibus oſtendi poteſt:

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cùm dabit una dies.

Et verò ſemel (ut cum Lambino dicam) ſciat Lector, neminem in totâ linguâ latinâ *Lucretio* latinè meliùs eſſe locutum: non *M. Tullii*, non C. *Cæſaris*, orationem eſſe puriorem. *Gaſp. Scopp.* de Arte Critic. p. 93.

Publius Virgilius non modò verba aliquot accepit ex poematis Lucretii, ſed locos penè integros ab eo tranſtulit: quod & *Grammatici* veteres accuratè notarunt. *Crinit.*

Lucretius bonus liber eſt: nec melior alius auctor linguæ *Latinæ.Virgilius* ab eo multa deſumpſit. Scaligerana 1. p. 104.

In *Lucretii* verſificatione tot ad *eloquentiam* diſpoſitiones elucent, ut ſi *Auguſti* tempore vixiſſet cum *Virgilio* de Palma certare potuiſſet. —— Sunt tamen *Critici* quidam qui *Lucretium* ſupra omnes Latinos Autores extulerunt. Nimium hoc eſt, ſufficit illum inter bonos collocare. *Novell.* Gall. de Literar. Republ. Jul. 1685. pag. 812.

Dom. de *Marolles* ait *Lucretii* Poema quoſdam admiratos eſſe, quoſdam verò idem culpaſſe, ſed ferè univerſim in exiſtimatione fuiſſe apud omnes qui ipſum intelligunt. *Mich. Maroll.* init. Obſervat. in ſuam Lucretii Verſ. Gallicam.

Lucretium virum *Divinum* atque incomparabilem appellat *Jul. Cæſ. Scal.* Comment. in *Ariſtot.* Hiſtor. *Animal.*

Nos certè dignum cenſemus *Lucretium* meliori fortunâ, quàm præcipiti ex amore inſaniâ, & qui conſecutus eſt, interitu, cùm non modò plurimum contulerit

tulerit & lucis & roboris *Poeſi Latina*, ſed vel maximè *Latinæ Linguæ*. Non diſſimulandum quidem, *Verſus* ejus ſubinde duriuſculos eſſe, ſed temporum ille genius erat, certè puriſſimæ latinitatis eſſe omnia, in confeſſo eſt. *Borrich.* de Poet. pag. 45.

Apparebat tamen doctiores paulò aliter ſentire, atque affirmare id *proprium eſſe Lucretio*, ut ſemper aliquid agit & doceat: ac propterea docenti orationem illam aptiſſimam eſſe; eorumque palato, *Qui Romane* ſapiunt, ſuaviſſimam videri. Quod ſi aut materiæ difficultas, aut ſtudium antiquitatis hominem non fefelliſſent, *Lucretiano* carmine nihil ſane futurum fuiſſet perfectius. *Fam. Strad.* Prolus Academic.

Ex editionibus *Lucretianis* illa laudatur, quæ *Parai* eſt cum adjuncto indice, item *Oberti Giphanii*: præſtantior autem *Tanaquilli Fabri* cum conjecturis & commentationibus; peſſima, licet ſatis recens, *Ioannis Nardi*, *Florentini*.

M. TULLIUS CICERO.

NAſcitur 3. nonas Januarii, A. Mund. 3843. Ante *Chr.* natum 105. Interfecit *Ciceronem* (An. Mundi 3907. ante C. N. 41.) *Popilius Centurio*, quem in cauſâ capitis olim *Cicero* defenderat, & conſervaverat. *Calviſ.* Claruit ante Chriſt. Ann. LXXVIII.

Videtur mihi *M. Tullius* cum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe vim *Demoſthenis*, copiam *Platonis*, Jucunditatem *Iſocratis*. Nec verò quod in unoquoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantum; ſed plurimas vel potius omnes ex ſeipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſima ubertate. Non enim pluvias (ut ait *Pindar.*) aquas colligit, ſed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia expireretur. Nam quis docere diligentiùs, movere vehementiùs poteſt? cui tanta unquam jucunditas affuit? ut ipſa illa quæ extorquet, impetrare eum credas, & cùm tranſverſum vi ſua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Jam in omnibus quæ dicit, tanta auctoritas ineſt, ut diſſentire pudeat: nec advocati ſtudium, ſed teſtis aut judicis afferat fidem. Cùm interim hæc omnia, quæ vix ſingula quiſquam intentiſſimâ curâ conſequi poſſet, fluunt illaborata: & illa qua nihil pulchrius auditu eſt, oratio præ ſe fert tamen facilitatem. Quare non immeritò ab hominibus ſuæ ætatis *regnare in judiciis* dictus eſt: apud poſteros verò id conſecutus, ut *Cicero* jam non hominis, ſed *eloquentiæ* nomen habeatur. Hunc igitur ſpectemus: hoc propoſitum nobis ſit exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui *Cicero* valde placebit. *Quintil.* l. 10. Inſtitut. Orator c. 1.

Quoties inter legendum expuebam in ſtolidos iſtos, qui in *Cicerone* nihil præclarum eſſe dictitant præter verborum phaleras; Quàm, illic eſt varia lectio voluminum, quæ doctiſſimi *Græci* de rectè beatéque vivendo reliquerunt? quanta vis? quanta copia ſalubrium ac ſanctiſſimorum præceptorum? quanta cognitio, quantaque memoria priſcarum ſimul & recentium Hiſtoriarum? Tum autem quàm altæ cogitationes de vera hominis fœlicitate, quæ planè declarant

H illum

illum hoc egiſſe, quod docebat----Quid accidat, neſcio; me legentem ſic afficere ſolet *M. Tullius*, præſertim ubi de benè vivendo diſſerit, ut dubitare non poſſim, quin illud pectus, unde iſta prodierunt, aliqua divinitas occuparit. Atque hoc meum judicium mihi magis blanditur, quoties animo reputo, quàm immenſa ſit, quamque in æſtimabilis æterni numinis benignitas, quam quidem ex ingenio, opinor, ſuo nimis in anguſtum contrahere conantur. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. Epiſt. 1.

Ciceronem ſemper mihi fuiſſe in deliciis ingenuè profiteor. Itaque ſubiit ſæpe mirari ſtultitiam noſtrorum hominum qui unicum germanæ latinitatis auctorem ſcholis prope jam expulerunt. Quin eo inſaniæ multos veniſſe videmus, ut ille cenſeatur, diſertiſſimus, qui ab illo dicendi magiſtro abſolutiſſimo abierit quàm longiſſimè. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. 589.

Ex omnibus *Ciceronis* operibus *Orationes*, libri de *Officiis*, & *Tuſculanarum Quæſtionum* diligentiſſimam ac ſæpiùs iteratam lectionem merentur; *Epiſtolæ* verò omnes, quis eas familiariſsima ſibi reddiderit, hoc præſtant, ut ne ſi velit, quidem poſsit non eleganter ſcribere. *Gaſp. Sciopp.* conſult. p. 38. 1. Vol.

Si quos Antiquorum libros ex iis, qui vel omninò amiſsi ſunt vel certè non extant; vellem extare, ſunt iſti ſex *Ciceronis* de *Republicâ*; neque enim dubito quin opus fuerit admirabile. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* de *Civ. Dei* lib. 2. cap. 9.

Ciceronis ſcriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamque multis partibus mancam & mutilam. Inter amiſſos libros refero libros de *Repub.* quos viri eruditi magnopere deſiderant. *M. Anton. Muret.* l. 15. Var. lect. c. 1.

Liber de *conſolatione* falsò (ita ſentio & ſenſi) *Ciceroni* inſcribitur. Quid in illo libello re aut dictione dignum *Tullio?* vulgare aut frigidum totum negotium nec excuſet vir doctus, quòd in dolore. Ille verò faces etiam admovet, & facit omnia magis excitata. *Lipſ.* in Centur. Epiſt. ad *Ital.* & *Hiſpan.* Epiſt. 14.

Nihil eruditius, utinam nec à mendis eſſet obſcurius, eſt, Epiſtolis ad *Atticum M. Tullii.* Quibus legendis neminem quemquam cordatum fatigari poſſe arbitror. Adeò nova ſemper inſurgunt. *Gaſp. Barth.* l. 39. Adverſar. c. 4. *Ciceronis* ad *Atticum* Epiſtolæ maximè me capiunt, cùm ob prudentiam politicam, quæ in illis ubique ſpirat, tùm quòd ſtatum Reip. qualis tum erat, deſcribunt, ita ut, quemadmodum ait *Corn. Nepos*, *qui eas legat, non multum eorum temporum hiſtoriam deſideret. Roland. Mareſ.* l. 2. Epiſt. 1.

Liber ejus de *Officiis* omnium primus typis excuſus fuit: de quo rectè *Mag. Grotius* Epiſt. ad *Gallos*, *Liber non ſuo pretio habitus, ideò quod omnium manibus teritur.* Liber de *Oratore* plane dignus quem tyrunculi habeant, ut Magni *Homeri* libros *Alexander* ille Magnus. *Joan. Bernart.* de utilit. legend. Hiſtor. p. 124.

Cicero infeliciter *Muſas* poeticas eſt aggreſſus: ut videre eſt apud *Martial.* qui *Gaurum* commune hoc ait habere cum *Cicerone.*

Carmina quod ſcribat Muſis & Apolline nullo. Mart. Epigram. 89. L.

Imò ridet etiam *Iuvenalis* illum *Ciceronis* verſum.

O fortunatam natam me Conſule Romam.

in

in quo verſu, quia *natam natam* ineptè iteratum videbatur, *Cicero* irriſus eſt. *Turnebus* verò cenſet non eſſe cauſam cur vel à *Quintil.* l. 9. c. 4. vel à *Iuvenal.* Sat. 10. hic verſus irrideatur ob iterationem earundem Syllabarum: hoc enim veteres in deliciis habebant. Hanc figuram poſteritas faſtidiit, & ex ſuo faſtidio ea quæ de induſtriâ, ut venuſta, affectaverant antiqui, aſpernata eſt: quæ tamen multis in rebus ineptius multò & putidius laſciviit & luſit, ut meritò in quibus ſe circumſpicit, interdum à ſeriis & intelligentibus irrideri queat *Adrian. Turneb.* l. 7. dverſar. c. 19.

Nonnulli etiam ſeculi iſtius, quod *Ciceronis* tempora excepit, ſummum oratorem deridere auſi ſunt, quòd, ut aiunt, *tertio* quoque *ſenſu*, velut ſententiæ loco poneret illud ſuum, *eſſe videatur*. Voſſ. lib. 4. Inſtitut. Orator. pag. 78.

Auguſtinus Tullium Philoſophaſtrum vocat. Sed ni fallor hic aliquanto plus legerat in *Græcâ* Philoſophiâ, quàm ille in libris ſacris *Eraſm.* Epiſt. lib. 2. Epiſt. 26.

Libros omnes *Philoſophicos Ciceronis* nihili facio; nihil enim in iis eſt quod demonſtret & doceat ac cogat, nihil *Ariſtotelicum*; ut nec apud *Plutarchum*, qui *aulicis* tantum ſcripſit non *doctis*. *Scaligerana* prima. p. 49.

Cicero in *Epiſtolis* ad *Atticum* ſententias interruptas habet, eò quòd arcana ſcribat; Authores omnes Latinos, qui extant elegantia ſuperat: quam præclara in illis occurrunt! *Scaligerana* Poſterior.

Ejus *Metaphoræ* nec magno nitore ſplendent, nec admodum audaces ſunt: facilem & genuinum orationi ſuæ modum adhibet; Connexiones ejus nunquam coactæ nec affectatæ ſunt; Omnes tropi cæteraque ornamenta debitum locum in illa occupant: Ejus cogitata ibi ſunt magnifica & non facilè quis dixerit utrùm in iis ſeligendis, an verò exprimendis felicior fuerit; nihil denique in cogitationum ejus enunciatione quod ad delectandum aut movendum ſit neceſſarium deſideratur. *Rapin.* Comparat. Præclar. Viror. Antiquit. Tom. 1. c. 16. Gall.

Quod ad *Ciceronem* attinet, judicium ſequor quod de illo fert Sapientum vulgus, nimirum quod præter ſcientiam animus ejus aliis dotibus non multum excelluerit: Probus erat civis, mitiſque ingenii, ut ferè ſunt obeſi & dicaces homines qualis ipſe erat; Verùm mollitie ambitioſaque arrogantia multùm ſane laborabat. Nec quomodo ipſum excuſare valeam invenio, quòd Poeſin ſuam dignam eſſe quæ publica luce frueretur exiſtimaverit. Non eſt magnus defectus verſus malè componere, ſed defectus in eo fuit quòd non animadverterit quàm nominis ſui gloria indigni fuerint. Quod ad ejus eloquentiam attinet prorſus incomparabilis eſt non credo alium unquam Oratorem ipſi æqualem futurum.—— Quod ad opera Ciceronis ſpectat, tædioſa mihi videtur ejus ſcribendi ratio: Ejus enim Præfationes, definitiones, Partitiones, Etymologiæ operis ejus majorem partem abſumunt Quidquid vividi & medulloſi continet prolixo ejuſmodi apparatu ſuffocatur. *Mich. de Montagne*, Experim. ſuis lib. 2. cap. 10. Gall.

Henricus Stephanus carpſit *Ciceronem* quòd *Convivii* genuinam ſignificationem ignoraverit, credideritque hac voce hominum ſimul viventium ſodalitatem denotari, cùm potius ſignificetur hominum lauto epulo ſe invicem excipientium gaudiumq; ſimul agitantium. *Biblioth. Univerſ. &c. Hiſtor.* Tom. 5. p. 13. Gall.

Opera *Ciceronis* omnia ex edit. *Iani Gulielmi* & *Iani Gruteri*, Tomis duobus. Hamburgi, in majori folio, An. 1618. quæ optima Editio.

Hoc ejus *Epitaphium*, Auctore Euphorbo Scholaſtico:

Hic jacet Arpinas *manibus tumulatus amicis.*
Qui fuit orator ſummus & eximius,
Quem nec crudeli mactavit civis, & hoſtis.
Nil agis, Antoni, *ſcripta diſerta manent.*
Vulnere nempe uno Ciceronem *conficis: at Te*
Tullius æternis vulneribus lacerat.

Philip. Labb. in Theſaur. Epitaph.

MARCUS TERENTIUS VARRO.

Claruit ante Christum Ann. LXVIII.

Philoſophus & Poëta. Naſcitur An. 1. Olymp. 166. ante C. N. 114. Obiit An. 1. Olymp 188. ante C. N. 26. *Euſeb.* in Chronic. *Compoſuit* 24. libros de linguâ Latinâ, quos *Ciceroni* dedicaverat: *Satyras Menippeas*: Antiquitates rerum humanarum divinarumque: libros de vita *Populi Romani*: Opus Hebdomadum, quod continebat imagines & elogia doctorum virorum: librum de Poëtis & Scenicis originibus: &c.

Varro Philoſophus *Romanorum* plurimæ fuit in hiſtoriâ lectionis *Plutar.* in *Romul. Herman. Cruſer.* interpret.

Varro doctiſſimis *Romanorum. Senec.* de conſol. ad Helv. c. 8. Vir accuratiſſimè doctus atque eruditus. *Apul.* in Apolog.

Varro ille *Romanus* multiformibus eminens diſciplinis, & in *vetuſtatis* indagatione rimator, *Arnob.* adverſ. *Gent.* l. 5.

M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud *Græcos* quidem, nedum apud *Latinos* vixit. *Lactant.* l. 1. divin. Inſtitut. c. 6.

Vir doctiſſimus apud eos (*Ethnicos*) *Varro*, & graviſſimæ autoritatis. *Auguſt.* l. 4. de *Civit. Dei.* c. 1.

Quis *M. Varrone* curioſius iſta (de *Diis Gentium*) quæſivit? Quis invenit doctius? Quis conſideravit attentius? Quis diſtinxit acutius? Quis diligentius pleniuſque conſcripſit? Qui tametſi minus eſt ſuavis eloquio, doctrinâ tamen atque ſententiis ita refertus eſt, ut in omni eruditione, quam nos *ſæcularem*, illi autem *liberalem* vocant, ſtudioſum rerum tantum is te doceat, quantum ſtudioſum *verborum Cicero* delectat. *Idem* Ibid. l. 6. c. 2.

Terentius Varro, vir *Romanorum* eruditiſſimus. Plurimos hic libros & doctiſſimos

ctiſſimos compoſuit, peritiſſimus linguæ *Latinæ*, & omnis *Antiquitatis*, & rerum *Græcarum*, noſtrarumque; plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ. *Quintil.* l. 10. Inſtitut. c. 1.

M. Terentius Varro, ſcriptor inter togatos ſine controverſiâ longè doctiſſimus. *Iſaac. Caſaub.* De Satyr. *Græc.* Poët. & Rom. Sat. l. 2. c. 1.

Terentius quidem *Varro*, vir cùm *Græcis* literis perfectus & *Latinis*, tùm *Antiquitatis* cumprimis imitator diligens. *Lipſ.* l. 3. Var. lect. c. 19

Unicum *Varronem* inter latinos habemus libris tribus *de Re Ruſticâ*, qui verè ac μεθοδικῶς Philoſophatus ſit, imò nullus eſt *Græcorum*, qui tam benè, inter eos ſaltem qui ad nos pervenerunt. O excellens opus ex quo, qualia ejus reliqua erant opera, conjectare quivis poteſt! Sed quod mirum, non minus in *Poeſi* valuiſſe, fragmenta *Poematum* indicant. *Scaligerana* prima, pagin. 146. 147.

Varro octogeſimum agens annum, ſcripſit libros de *Re Ruſticâ* & ita ſcripſit, ut ex his videatur adhuc alacri animo fuiſſe, & ſenſiſſe ſtudiorum dulcedinem. *Eraſm.* l. 23. Epiſt. 5. Rerum antiquarum *Varrone* doctiorem neminem fuiſſe conſtat. *Baron.* Vol. 1. *Annal.* p. 35.

Pleni *Varronis* (doctiſſimi alioquin viri) libri ineptiſſimarum *Etymologiarum*: quem eo nomine meritò *Quintilianus* etiam reprehendit. Nihil enim plerumque inſulſius. *Mer. Caſaub.* De quat. linguis p. 152. Vel *Varro* ipſe quàm interdum in *Vocabulorum Veriloquiis* abſurdus eſt? *Turneb.* Adverſar. l. 3. c. 7.

Varro more ſuo anxiè *Etymologias* comminiſcitur. *Ioſ. Scal.* conject. in *Varron.* de ling. Lat. p. 90.

Varro in Etymologiis *Varro* non videtur: itaque à *Quintiliano* ridetur meritò. *Manut.* l. 3. Epiſt. 23.

Docti haud ignorant, quid de *Platonis Cratylo* ſit ſtatuendum; quemadmodum & de *Varronis Originibus*, qui ſæpè in ſuis de *lingua Latina* libris prudens ſciens fallit, fallīturque. *Gerard. Ioan. Voſſ.* de *Arte Hiſtor.* p. 2.

Varronis de linguâ Latinâ libri tres, intricati, ex illo dicendi more ipſi peculiari. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. p. 525.

Vitruvius orationem peregrinitate & plebitate, id eſt, verbis loquendique generibus infimæ plebi familiaribus, aut ad transmarini *Græcanici* ſermonis conſuetudinem ineptiuſculè conformatis paſſim infuſcat. Quæ vitia unà cum *Archaiſmis* & *novitatibus* etiam apud *Varronem* inveniuntur, cui propterea elegantiam defuiſſe notavit *Petrus Lavinius*, in lib. *De verbis Sordidis*. *Gaſp. Sciopp. conſultat.* p. 41.

Magnam in *Varrone* Antiquitatis doctrinam, magnam *Veteris* ritus, *Sacrorum* & *Ceremoniarum* cognitionem; eumque in *Ennii* lectione aſſiduum fuiſſe obſervo. *Andr. Schot.* l. 2. c. 24. obſerv. Human.

In *Plauto* & *Lucretio* plura, in *Varrone* & *Terentio* nonnulla occurrunt *Obſoleta*, quæ hodiè verius pro *metallo adoranda rubiginis*, ut Juvenal loqui amat, quàm puro putoque *Obryzo* habenda, utcunque fuerint id temporis ſatis elegantia, ſatis aurea. *Olaus Borrich.* in cogitat. de *Variis Latin. Ling. ætat* p. 4.

Ejus opera ſive potiùs operum fragmenta , collectore *Auſonio Popmâ* Notis illuſtrata ſunt , *Lugdun. Batav.* in officinâ *Chriſtoph. Plantini* per *Chriſtoph. Raphelengium* 1601. in 8.

DIODORUS SICULUS.

Claruit ante Chriſt. Ann. LX.

HIſtoricus, tempore *Iulii Cæſaris* & *Auguſti Octaviani* vixit. Natale ei ſolum *Agyrium Siciliæ.*

Scripſit , Βιβλιοθήκην Ἱστορικὴν in quâ agit de rebus *Ægyptiis* , *aſſyriis*, *Medicis* , *Perſicis*, *Græcis* , *Romanis* , *Punicis*, atque aliis. Conſtabat verò opus hoc libris quadraginta , quorum argumentum ipſe in præfatione recenſet. Sanè multa adeò ſunt σφάλματα *Diodori* in *Olympiadum* annis , & *Romanis Magiſtratibus* , ut planè veriſimile ſit corruptis ac mutilis faſtis uſum eſſe. Sanè hoc nomine non à *Bodino* modò vapulat ; ſed ab ipſo etiam *Sigonio* , *Stephano*, item *Pighio*, & aliis *Chronographis* ſæpius reprehenditur. Cætera ſi ſpectes , magna ejus induſtria fuit ; ut qui triginta annorum operam in hanc ce hiſtoriam impendiſſe ſcribat in præfatione ſua. Ubi & , quanto veritatis ſtudio laborârit , oſtendit peregrinatione ſuâ in *Aſiâ* atque *Europâ*. Nempe periculis vel ærumnis nullis territus fuit , quò minùs , loca ipſa luſtraret , de quibus ſcripturus eſſet. Modò utinam nobile adeò opus integrum ad nos perveniſſet. Nunc ex 40. libris ſolum 15. extant , atque item pauca ex *Photio* , & aliis excerpta. Æquiori animo jacturam tantam ferremus, ſi ſupereſſent *Beroſus* , *Theopompus* , *Ephorus*, *Philiſtus* , *Calliſthenes* , *Timæus* , atque alii , ex quibus ſua aſſiduo labore congeſſerat *Diodorus*. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc.

Sunt , qui *Diodorum* ſuperioribus (*Dioni Caſſio*, *Ammiano* , *Plutarcho* , &c.) conferendum , plerique anteferendum , putant : non video tamen , quid in eo tantoperè admirentur , ſive dicendi genus quo nihil magis vulgare dici poteſt ; ſive rationem Hiſtoriarum ſpectent. Rectè quidem & ordine proponi ea , quæ initio cujuſque libri dicturus eſt , ſeque ipſum breviter colligit ; illuſtrium quoque Philoſophorum , Hiſtoricorum , ac Poëtarum ætates ſolus è veteribus ad Hiſtoriam adjunxit. Cum verò Univerſitatis Hiſtoria ſcribere propoſuiſſet , totus eſt tamen in Hiſtoria Græcorum. Quinetiam prolixior eſt in unius *Gilippi Lacedæmonii* conciones (Laconicæ brevitatis & ſuæ in *Thucydidem* reprehenſionis oblitus) quàm in Hiſtoria Bellorum , quæ per Italiam geſta ſunt annis ferè trecentis.; cùm tamen longâ digreſſione de peſte Athenienſium & ejus Cauſſis diſputet. Omitto , quàm abſurda ſit ejus Interpretatio de Anno Lunari, cùm homines annos mille ducentos aliquando vixiſſe crederentur, quaſi non his quoque temporibus hanc ætatem multi ſuperarent. Sed cum annos 30. in Hiſtoriâ ſcribendâ & regionibus obeundis ſe conſumpſiſſe fateatur, miror , quòd *Italiæ* finitiſſimæ Hiſtorias adeò negligenter tractarit , præſertim cùm florente Romanorum Imperio , id eſt , Cæſare Dictatore , claruerit. Nam ſi quis Livium & Dionyſium cum *Diodoro* comparet , ubique ferè in Romanorum Antiquitate diſcrepantes judicabit , maximè in ratione Faſtorum &

Digitized by Google

Olympiadum, in quibus ſæpiſſimè labitur. Idque fortaſſis imperitiâ linguæ latinæ contigiſſe puto. Quòd minùs Scripta Romanorum diligentiùs inquireret argumento eſt, quòd ubique *Φύριον* pro *Furio* ſcribit, quaſi Græca vox eſſet, &c. quod ut librariorum vitio tribuatur; ſic enim opinor, non tamen poteſt in Conſulibus, Decemviris, ac Tribunis Militum Conſulari poteſtate eadem excuſatio locum habere, in quibus enumerandis modò tres, modò quatuor omittit, totamque *Faſtorum Conſularium* rationem confundit. *Bodin.* Meth. Hiſt. cap. 4.

Quantum ſolis lumen inter ſtellas, tantum inter omnes, quotquot ad noſtra tempora pervenerunt, Hiſtoricos (ſi utilitatis potiùs, quàm voluptatis aurium habenda ſit ratio) noſter hic *Diodorus* eminere dici poteſt. Ac quantò Univerſus Orbis civitate ac gente unâ eſt capacior & amplior, tantò major eſt Scriptorum *Diodori* (ſi eorum argumentum ſpectemus) quàm ullius eorum, qui extant, Hiſtoricorum amplitudo. *Henr. Stephanus* in Tractatu de *Diodoro*, ubi & *Ludovici* cavillis reſpondet.

Neſcio cur *Plinius* dicat *Diodorum Siculum* deſiiſſe primum apud *Græcos* nugari, quum nihil ſit eò nugacius. An defendit eum titulus quòd libros ſuos non illecebroſâ aliquâ nuncupatione invidioſos fecerit, ſed *Bibliotheca* Hiſtoriam inſcripſerit. *Lud. Viv.* de cauſ. corrupt. Art. l. 2. p. 155.

Sed videamus (inquit Voſſius) quid moverit eruditum illum *cenſorem*, ut iniquum adeò judicium ferret. Nempe unum hoc eum impulit, quòd primis libris tradat μυθικὴν ἱςορίαν, *Hiſtoriam fabularem.* Atqui ipſa hac appellatione ſatis ſe purgat *Diodorus.* Adde quod iſtæ heroicorum temporum narrationes pro meris fabulis haberi minimè debent. Nam verum iis argumentum ſubeſt, ſed fabuloſè quædam admiſcentur.

Id ſanè ſcriptori huic proprium eſt, ut ſapienter pleraque interſerat, quibus *Providentiam Dei*, *Iuſtitiamque* demonſtret, dum à cogitatione *Fortunæ* homines avocat: ſuumque eſſe dicit inſtitutum, fortis alicujus viri morte narratâ laudes ejus attexere. Modum interim tam in laudationibus quàm in vituperationibus tenet: ac non pauca intermiſcet *Divinæ Hiſtoriæ* noſtræ veſtigia; quam ſi noviſſet, clariora potuiſſet exprimere, *Poſſevin.* Biblioth. Select.

Iuſtinus Martyr Diodorum celeberrimum *Græcorum* Hiſtoricorum; *Euſebius Pamphilus* illuſtrem virum appellarunt.

Diodorus vir antiquæ eruditionis, in quo nihil culpes præter *Epigraphen*, & corrupta *Romanorum* nomina. *Dempſter.*

Laudatiſſimus cum primis Author *Diodorus Siculus*; qui ſumma fide, labore immenſo, curâ & ſolertiâ ſingulari, Hiſtoricas conſtruxit. *Bibliothecas. Montacut.* in Præfat. ad Apparat. Sect. 4.

Legimus *Diodori Siculi* Hiſtoriarum libros quadraginta; qui univerſam quandam mundi continent *Hiſtoriam.* Eſt *Cephalione* longè uberior, ſaltem cum eadem refert, ut & *Heſychio* illuſtri. Stylo utitur perſpicuo, nec affectato, ſed qui hiſtoriam maximè deceat. Neque etiam, ut ſic dixerim, nimium *Atticiſſat*, aut *Antiquarius* eſt ſupra modum; neque contrà, ad humile dicendi ge-

nus

nus ſe demittit, ſed mediocri forma ſermonis delectatur, figuratam orationem, aliaque vitans; niſi quod de *Gentium Diis*, & *Heroibus*, poetarum more fabulatur. Phot. in cod. 70.

Stylus *Diodori* non adeò fluens, aut placidus atque *Herodoti*. Sed viciſſim neque *Herodotus*, nec *Thucydides*, neque *Xenophon* univerſalem Hiſtoriam ſcripſerunt. Fieri enim vix poſſit, ut ii, qui tantam moliuntur molem, cum in varios auctores incidunt, è quibus colligunt permulta, ne variationem aliquam concipiant; certe dum intexendis rebus incumbunt, non adeo tantam verborum curam habere poſſunt *Poſſev.* Biblioth.

Diodorus Siculus in *Hieroglyphicis* indagandis non incurioſus fuit, tametſi nonnunquam ſententiam ex vulgo mutuatur. *Ioan. Pier. Valerian.* l. 32. *Hieroglych. c.* 11.

* *Henrici Stephani* Annotationes, cum Præfationibus, in *Diodorum Siculum*, permittuntur, ſi adhibeatur nota Auctoris damnati, & operis permiſſi. *Index Madrit.* edit. An. 1667.

Extant libri 15. ex 40. reliqui, *Græcè*, cum Interpretatione *Laurentii Rhodomanni*: addita ſunt Fragmenta eorum, qui non extant. *Hanoviæ.* Fol. 1604. Typis Wechelianis, apud Aubrios.

C. SALLUSTIUS CHRISPUS.

Claruit ante Chr. Anno XLIX.

NAtus erat *Amiterni Sabinorum* urbe Olympiadis 183. Anno 3. qui eſt Urbis 667. Mundi 3864. ante *Chriſt.* nat. 84. Ad plures abiit quarto ante *Actiacum* bellum Anno, qui eſt Urbis 719 Mundi 3916. ante *Chriſt.* nat. 32. *M. Antonio* & *L. Scribonio* Conſulibus *Euſeb.*

Salluſtius, nobilitate veritatis *Hiſtoricus Auguſtin.* l. 1. de *Civ. Dei*, c. 5. Electiſſimus verborum penſator. *Idem.* l. de vit. Beat.

Salluſtius novator verborum *Aul. Gell.* l. 1. c. 15. Noct. *Attic.* *Salluſtius* vel ſubtiliſſimus brevitatis artifex. *Idem.* l. III. c. 1.

Salluſtius proprietatum in verbis retinentiſſimus conſuetudini conceſſit. *Idem* l. 10. c. 20.

Quod ad dictionem *Salluſtii* attinet, omnes antiqui judicant brevem ac nervoſam eſſe, & *Thucidydea* æmulam. Sanè ſcriptor eſt planè *Atticus*, qua laude *Demoſtheni* propior eſt, quàm *Cicero* ipſe, ut benè cenſet *Turnebus* in *Adverſariis* ſuis. Sed ut *Thucydidem* non omnes probarunt, ita nec *Salluſtii* dictio omnibus probatur. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Salluſtius, rerum *Romanarum* florentiſſimus auctor, ut inquit *Tacitus*, frequens eſt in manibus *puerorum*, ſed mihi aptior videtur *provectioribus*. Inimitabilis eſt in illius ſcriptius gratia: quæ quotieſcunque repetita, nunquam tædium ſui, aut ſatietatem lectori afferant. *Lud. Viv.*

Vix tandem habitura eſt quidquam egregium *Latina Lingua* quod non *Salluſtianum* ſit. *Stephan.* de *Lipſ.* latinitat. Palæſt. prim.

Si pauca excipias verba, quæ partim notavit ipſe, partim ex alieno ſeculo, ac

ac potiſſimùm ex *Catonis Originibus*, invidioſè decerpſit, genere dicendi breviſſimo aptiſſimoque dominari omnium teſtificatione temporum dictus eſt. *Strad*. Prolus l. 2. 3. Hiſt. part. ſecundâ.

Fuere quidam Barbari recentiores ſupercilio non ferendo, judicio verò corruptiſſimo, qui *Salluſtii* dictionem idcircò brevem cenſuere, quia rem perſonamque narret, *Conſilia* atque *deliberationes* omittat: factum ipſum nudum illico ponat. Quaſi verò Commentarium ſcripſerit ille, non Hiſtoriam pleniorem, qui ſit *Hiſtoriæ Pater* appellatus. Ego verò contra hoſce *Circulatores* longè aliter ſentio. Non ſolum quod negant, facere; verùm etiam apparatum addere ſpem, metum, modum, eventum atque alia pleraque ejuſmodi adjungere etiam excurrere interdum. *Iul. Caſ. Scalig*. l. 4. Poëtic. c. 24.

Brevitas *Salluſtiana* propterea vulgò jactata videtur mihi, quia tribus vocibus integras explet ſententias: non circumducit, non interponit: *aſyndetis* utitur, omittit verba, quemadmodum à viris doctis obſervatum eſt. *Idem* ibid.

Brevis eſt, ſed nihil non eâ brevitate comprehendit. Sententiis gaudet, & antiquis verbis, acumine non inepto. *Car. Sigon*. de Hiſt. Roman.

Criſpus Salluſtius ob elegantiam inimitabilemque in ſcribendo brevitatem aſſecutus eſt primas inter *Hiſtoricos* partes. Ita creber rerum frequentiâ eſt, ut verborum propè numerum, ſententiarum numero ſequatur; ita verbis, quorum *novator* dictus eſt, concinnus, ita elegans, ita preſſus, ut neſcias utrum res verbis, an verba rebus illuſtrentur. *Philip. Beroald*. in oratione quam *Salluſt*. explicat. habuit.

Non mihi *Salluſtius* videtur vitiis caruiſſe, & gratiæ & ſimultatis. Certè cum de *Cicerone* ſcribit, multa ſilentio præterit, quæ libentiſſimè in aliorum gratiam retuliſſet. *Melch. Can*. l. 11. libr. Theologic. c. 6.

Objectant aliqui, quòd pravo *loliginis* ſucco, pleraque ad *Ciceronis* laudem pertinentia, quæ apud alios legere ſit, præterierit. Verùm ea potius neglexiſſe ego arbitror, vel ut falſa, vel ut incerta planè, vel ut exigua & minuta. *Voſſ*. de Hiſt. L.

Salluſtius homo nequam, ſed graviſſimus alienæ luxuriæ objurgator. *Lactant*. l. 2. de Falsâ Rel.

Fuit verò *Criſpus* ut etiam *Seneca*, exhortator ad virtutes, vitiorumque accuſator acerrimus, vitioſiſſimus tamen ipſe; eoque nomine ab *Appiano*, ac *Dione* ſugillatus, quòd aliter fecerit, aliter ſcripſerit, homo, ut cum *Macedone* loquar, & *Pacuvio Galliano*, ignava opera, *Philoſophâ* ſententiâ. *Bonifac*. l. 15. c. 7. Iudic. Hiſtor.

Græci ejus Hiſtoriam tanti fecere, ut eam Græcè tranſtulerit *Zenobias* Sophiſta, teſte *Suidâ*.

Alter eſto *C. Salluſtius*, omnino primus, ſi libros modò ejus haberemus. Sed Hiſtoriarum corpus illud totum periit: & ex his pauculis, admirari eum magis libet quàm anxiè judicare. Illud video *Thucydidi* ſimillimum eſſe: & ideò quæ de illo dixi, dixiſſe hic me puta. *Lipſ*. not. in libr. 1. *Politic*.

Sanè *Græcam* Hiſtoriam *Thucydidis* & Polybii, *Latinamque Salluſtii* & *Titi*

Livii cæteris omnibus præferendam eſſe cenſeo; ſeu gravitatem in illis, ac majeſtatem operum ſpectes, ſeu puritatem ſtyli judiciique integritatem, ſeu denique omnes *Hiſtoriæ* rectè conſcribendæ leges requiras. Quas ipſi adeo concinnè fœliciterque obſervarunt, ut, ne tranſverſum quidem unguem ab illis unquam deflexiſſe, jure merito arbitrari poſſint. *Gabr. Naud.* Bibliograph. Politic.

Extant Salluſtii opera cum notis variorum ex recenſione *Ioan. Frederici Gronovii*, *Lugduni Batav.* in Officin. *Hackiana*. An. 1665. in 8.

C. JULIUS CÆSAR.

Clar. ante Chriſt. Ann. XLVI.

ANte *Chriſtum* Annos 98. natus eſt. Varia admodùm *ſcripſit*, ex quibus ſola ſuperſunt, quæ in re Hiſtoricâ reliquit: nempè ſeptem libri de *Bello Gallico*; quos *Græcè* tranſtulit ſive *Planudes* ſive alius. Ad hæc tres de *Bello Civili*.

Scriptor eſt purus & elegans, inque verborum ſtructurâ accuratus, atque omninò placidi inſtar fluminis procurrens: intereà πολιτικὸς ac gravis in ſententiis, quo *Xenophontem* exſuperat: cæteroquin ei non diſſimilis multùm --Hæc eò dico, ne *Carionis*, aut *Floridi*, aut alterius cujuſquam judicium ab lectione *Commentariorum Cæſaris* abſterreat juventutem. Quæ proh pudor! Satis infrequens eſt in nobiliſſimo atque adeo divino hoc ſcriptore. Aut ſi quibus in manibus ſit, haud alio legunt fine, quàm ob eximiam Romanæ linguæ puritatem, verborumque proprietatem ſummam; ſuper quo ante nos non ſemel ſummi viri ſunt conqueſti. Sanè ex eo haurire eſt maximarum & utiliſſimarum rerum copiam: quam qui verborum elegantiâ contenti negligunt, minus etiam pueris ſapiunt, qui nunquam ita ſe arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

C. Cæſar laudatur in primis. Si ut diſertus narrator, libens aſſentio. Eſt enim ejus viri pura oratio ſine fuco ac calamiſtris ornata, vel *Romanis* vel *Atticis* Muſis digniſſima. Sin ut perfectus Hiſtoricus; dubitare me dicam, cùm & nonnulli fidem ejus in Hiſtoriâ civili requirant, & tertium illud ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν totum ei deſit. Itaque ipſe *Cæſar*, cæteroqui minimè ſui contemptor, *Commentarios* inſcripſit non *Hiſtorias*: & hoc ipſo laudem veram meruit, quòd falſam affectare contempſit. *Lipſ.* in Epiſt. ad *Maximil.* II. Imperat. quam ſuo in *Tacit.* Comment. præmiſit.

C. Cæſar res ſuas ipſe digeſſit: compoſitè ſanè, ac pari modeſtiâ ac libertate. In *ſtylo* ſunt, quæ culpem, ſine ejus tamen culpâ. Nam malam aliquam & alienam manum acceſſiſſe ſatis mihi liquet. Prudentiam non è verbis ejus hauries, ſed è factis & maximè militarem. *Commentarii* enim ſunt, & nihil pollicentur præter nudam, ſimplicemque narrationem. *Lipſ.* in Not. ad Politic. Libr. 1. c. 9.

C. Cæſar. ſi foro tantum vacâſſet, non alius ex noſtris contra *Ciceronem* nominaretur. Tanta in eo vis eſt id acumen, ea contentio, ut illam eodem animo dixiſſe, quo bellavit appareat. Exornat tamen hæc omnia mira ſermonis, cujus propriè

propriè ſtudioſus fuit, elegantia. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Inter cætera divini ingenii monumenta reliquit *Commentarios* rerum ſuarum valdè probandos, qui adeò munditer, purè, eleganter conſcripti ſunt, ut mundius, elegantius, terſius nihil quicquam reperiri poſſit. In quibus ſumma illa Oratoris virtus, quam *perſpicuitatem* vocant, magno cum nitore conſpicitur. Sunt enim, quod nemo non videt, lucidiſſimi planiſſimique, in quibus omnia fluunt elaborata, ac fœliciſſimam facilitatem præ ſe ferentia, nec ullis reconditorum verborum, exoletarumque vocum fœtoribus deformata. *Philip. Beroald.* in lit. ad *Erneſt. Schleinic* quas *Cæſari* præmiſit.

Illud inſuper addiderim, bonam partem eorum, quæ his *Commentariis* ſcripta ſunt, haberi etiam in Epiſtolis *M. Tullii* ad *Atticum*, in quibus, cùm quid novi geſtum erat à *Cæſare*, ſtatim *Atticum*, *Quintumve Ciceronem* fratrem aut *M. Brutum* certiorem faciebat. Id quod maximo teſtimonio eſt, veriſſima eſſe, quæcunque his Commentariis ſcripta habentur. *Ald. Manut.* in lit. ad *lect.* quas *Cæſari* præmiſit An. 1513.

Scripſit Cæſar hos Commentarios in Caſtris, & ſucciſivis quidem horis, quibus herclè vel ob hoc major fides debetur, quod rebus geſtis, ipſe qui ſcripſit, interfuit. Quàm verò reliquos autores in locis perſcribendis diligentia ac cura vicerit, facilè videre poterit, quicunque vel apud *Geographos* aliquid laboris inſumpſerit, vel qui *Galliam* ipſam viderit. *Henr. Glarean.* in Annotat. ad *Cæſ.* de *Bello Gall.* l. 1. c. 1.

Pollio Aſinius parum diligenter, parumque integrâ veritate, compoſitos (à *Cæſare* rerum ſuarum Commentarios) putat: cùm pleraque, & quæ per alios erant geſta, temerè crediderit: & quæ per ſe, vel conſultò, vel etiam memoriâ lapſus, perperam ediderit: exiſtimatque reſcripturum, & correcturum fuiſſe. Et profectò (inquit *Voſſius*) qui cum *Cæſaris* Commentariis contulerit ea, quæ ab aliis, cùm *Latinis* tum *Græcis*, de rebus *Cæſaris* ſcripta fuere, negare non poterit, eum, ſi quid imprudentiùs, vel quomodocunque aliter feciſſet, quàm oporteret, hoc ferè vel planè præterire, vel ita referre, ut in alios potius conjiciat culpam. *Voſſ.* de Arte Hiſtor. cap. 12.

Multi verò de Autore horum Commentariorum dubitarunt, & *Iulio Celſo*, neſcio cui, temerè inſcripſerunt. Certum quidem eſt in quibuſdam antiquis libris in fine Commentariorum legitur *Iulius Celſus. Conſtantinus legi Commentarios Cæſaris.* Ex hoc & aliis argumentis fatetur *Lipſius Iulium* aliquem *Celſum* manus attuliſſe *Cæſari*, quædam recidiſſe, addidiſſe, interpolaſſe, ſed non immutaſſe *Cæſarem*, ut *Iuſtinus Trogum*. *Arnold. Montan.* in Not. ad *Cæſar.* l. 1. c. 1.

Præclariſſima, ſi quis unquam, cogitata enunciandi facultate polluit *Cæſar*. Eruditi quibus ſapit palatum eum non ſine cauſa mirantur ob inimitabilem ſtyli puritatem: ſed illum magis adhuc miror ego ob exquiſitum ejus judicium; nemo enim ſapientiùs unquam ſcripſit. Solus ferè inter autores nullas ineptias dicit. De ſe non loquitur niſi ut de homine indifferenti, & quam ſemel induit ſapientis perſonam egregiè ſemper ſuſtinet. Verum eſt eum non eſſe prorſus *Hiſtoricum*, ſed verum quoque eſt eum exemplar Hiſtoriæ ſcribendæ perfectum fore,

ſi ſtylo minùs contracto ſcripſiſſet. Valde glorioſum eſt Authori huic incomparabili quòd *Henricus* IV. & *Ludovicus* XIV. *Hiſtoriæ* illius de bello *Gallico* vertendæ operam navaverint. *Rapin.* Reflex. in Hiſt. Sect. 28.

Cæſar peculiariter dignus mihi videtur cujus ſtudio quis vacet, non ſolùm propter Hiſtoriæ notitiam, ſed propter eum ipſum: uſque adeo cæteros omnes perfectione ac excellentia ſuperat, ne Saluſtio quidem excepto. Profectò Authorem paulò majori reverentia & veneratione lego quam humana Scripta legi ſolent: modò ipſummet ſuſpiciens ob ejus geſta & magnitudinis ejus miraculum; modò ob ſermonis puritatem & elegantiam inimitabilem, qua non ſolum omnibus Hiſtoricis palmam præripit, ut ait Cicero, ſed fortaſſis ipſimet etiam Ciceroni. Tanta in judiciis ſuis ſinceritate loquitur de hoſtibus ſuis, ut, exceptis coloribus falſis quibus iniquam ſuam cauſam, & ambitionis ſuæ peſtilentis ſordes incruſtare conatur, hoc unicum in eo reprehendi poſſe putem, quòd parcè nimis de ſe ipſo locutus ſit; tot enim præclara facinora feciſſe non potuit, quin de ſuo ad ea multò plus contulerit quàm ſcribit. *Mich. de Mont.* Experim. l. 2. c. 10. Gall.

Cæſar in cujus ſtylo tot ſunt blanditiæ, tantaque nativa facilitas, quandoque tam obſcurus eſt, ut ſi quid ſibi velit intelligatur, id minùs à verborum vi procedat quàm à rei de qua agit conſideratione. *Novell. de Rep. Litt.* Sept. 1686. Gall.

* Annotationes *Ioan. Rhellicani*, *Ioan. Glandorpii*, Joach. Camerarii, & Franc. Hottomanni in *C. Julii Cæſaris* Commentarios, permittuntur, ſi expurgentur. *Index Madrit.* edit. An. 1667.

Julii Cæſaris ſuſpectam veritatem reddere conatus eſt *Aſinius Pollio*, auctore *Suetonio*. Ego vero neſcio an cum ratione; ſed, ut dicam quod cenſeo, fieri vix potuiſſe videtur, ut bello tantiſque occupationibus detentus [nihil otii ſupereſt iis, quibus cum *Gallis* dimicandum eſt] religionem, ritus, ceremonias, & mores hominum tam diligenter perquiſierit: verùm ab aliis accepta referre eum facilè crediderim; habet enim abſurda nonnulla, quale illud: *Gallis morem fuiſſe*, ait, *ut male habentes, immolaturos ſeſe Diis immortalibus, recuperatâ quamprimum proſperâ valetudine, voverent.* Probabile certè eſt eos ægrotare maluiſſe, quam ſanos factos in *Victimam* enecari. *Claud. Verder.* Cenſion. in Auctores.

Extant *C. Julii Cæſaris* Commentarii cum Notis *Variorum*, editore *Arnoldo Montano. Amſtelodami* ex officinâ *Elzevirianâ* An. 1670. in 8.

AULUS HIRTIUS.

Claruit ante Chriſt. Anno XLV.

GLandorpius *Aulum* hunc *Hirtium* amicum & familiarem *Cæſaris* fuiſſe ait; & Diſcipulum *Ciceronis*, Conſulemque à Cæſare deſignatum, proximo poſt cædem ejus Anno. In quo honore contra *Antonium* pro libertate pugnans interiit.

Commentarii ab *Hirtio* additi vel *Oppio*, planè ſunt alii quàm *Cæſaris*; minus & puritatis & majeſtatis habent: ut *Cæſarianos* à Principe ſcriptos appareat,

Digitized by Google

alteros à privato. *Ludovic. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 4.

Inter Libellos, qui adjuncti commentariis *Iulianis*, unus eſt de *Bello Africo*: qui, *me judice*, non inter illos tantùm eminet, ſed inter pleraque Romana ſcripta. Ita terſa in eo & ad comicum morem pura dictio; ſimplex, cohærens, & candida narratio; nihil quæſiti coloris aut fuci: omnia denique illo ipſo *Cæſare* digniora [non tenebo veram vocem] quàm Commentarii illi, qui feruntur. At neglectus tamen jacuit, imò vix lectus is libellus [adeò hic quoque præjudicia valent, & traditæ à magiſtellis opiniones] quem ſi ſeriò inſpicis fatebere, non alium magis eſſe ad genium priſci ævi. Pueris inter primos Autores formandæ linguæ, ſi quis proponat, nihil erret. Sanè hic unus Commentarius inter omnes, neſcio quo fato, purus, nec interpolatus manſit, & in ſuo vultu. Excipio, quòd in partibus quædam labeculæ: è quibus paucas hic eluam levi manu. *Iuſt. Lipſ.* l. 2. Elect. c. 22.

Hirtius terſiſſimo *Belli Africi* Commentariolo. *Idem* ad *Tacit.* l. 2. Annal. num. 121.

Hirtii dictionem meritò commendat *Iuſt. Lipſius. Voſſ.* de Hiſtor. Latin.

Hirtius eloquens Hiſtoricus. *Dempſter* in Elench. ſcript.

Quis eſt tam ingenio tardus, qui verbis *Hirtii*, optimi *Linguæ Latinæ* auctoris, *Horatium* non intelligat? *Franc. Luiſin.* l. 3. *Parerg.* c. 32.

Omittam, inchoata quædam & rudia occurrere in hoc Auctore optimo [*Julio Cæſare*] ſeu partim mendoſa, & obſcura, partim ab *Hirtio*, hoc eſt, non à ſcientiſſimo *Hiſtorico* abſoluta. *Paul. Ben.* de Hiſtor l. 11.

Hunc auctorem edidit *Arnoldus Montanus* cum Notis *Variorum*, illum Cæſaris Commentariis adjungens in 8. 1670.

C. VALERIUS CATULLUS.

Veronenſis trigeſimo ætatis Anno *Romæ* moritur, Olymp. 180. An. 4. nempe *Lentulo* & *Metello* Coſſ. quibus *Cicero* ab exilio revocatus. *Hieron.* Eruditorum conſenſu *Docti* cognomen accepit: ita enim peculiari *Epitheto Catullus* cenſetur. Atque hunc quidem *Ovidius Virgilianæ* majeſtati opponit. Tantum nominis apud eruditos, ac laudis eſt conſecutus. Sed & verſus ipſius, quanquam, ut duriuſculi notantur [quod uterque *Plinius* aſſerit] tamen perelegantes habiti ſunt, ac ſectatores complures in his invenit. *Petr. Crinit.* de Poet. Latin. Claruit ante Chriſt. Anno XLIV.

Catullo Docti nomen quare ſit ab antiquis tributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi. Nihil enim non vulgare iſt in ejus libris. Ejus autem Syllabæ cùm duræ ſunt, tùm ipſe non raró durus: aliquando verò adeo mollis, ut fluat, neque conſiſtat. Multa impudica, quorum pudet: Multa languida, quorum miſeret: multa coacta, quorum piget, nam invitum tractum eſſe, & multùm & ſæpè conſtat, à ſuis verſibus. *Iul. Cæſ. Scal.* in Hyperc.

Catullus hunc *Docti* titulum ab coævis ſuis non aliâ de causâ retulit, quàm quòd *Græcorum* quæ inimitabilia putabantur, *Latinis* literis eruditè expreſſerit.

Neque enim puto meliorem *Græcarum Venerum* Interpretem ante *Catullum* fuiſſe, quàm illum ipſum, qui metrorum genera, quæ illis ſolis data videbantur, incomparabili ſucceſſu primus Latinis tranſcripſerit. Quod non ignoravit *Martialis* cùm ſcripſit: *Verona docti Syllabas amat Vatis* Barth. l. 38. c. 7. *Adverſar.*

Latinæ puritatis cuſtos fuit religioſiſſimus, unde & *Docti* cognomen meruit. Alioqui laſcivus, & ſupra modum mordax, utpote qui ne Cæſari quidem, jam rerum potito, pepercerit. *Car. Stephan.*

Unus omnium & ſuavis maximè & Latinus Poeta *Catullus* eſt. *Barth.* l. 8. c. 22. *Adverſar.*

Poeta urbanus vocatur *Iuvenali* Satyr. 13. Poetarum elegantiſſimus, *Gell.* l. 7. Noct. Attic. c. 20.

Doctus, facundus, argutus, laſcivus. *Ovid.* A *Martiale Catullus* confertur *Maroni*, eo diſticho:

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio. *Mart.* l. 14. Ep. 195.

Dulciſſimus omnium Poetarum & politiſſimus *Catullus*. *Turneb.* l. 12. Adverſar. c. 1.

Tibullus & *Propertius* locum *Catullo* proximum in elegantiâ verborum, atque in ſententiarum concinnitate obtinent. *Manut.* Epiſt. l. 3. Epiſt. 14. *Muret.*

Multa alia præter Epigrammata compoſuit *Catullus*, quæ vitio longæ vetuſtatis deſiderantur.

Quo Poetâ nihil ingenioſius, nihil eruditius, nihil jucundius excogitari poteſt *Petr. Victor.* l. 22. var. lect. cap. 15.

Catullus obſervantiſſimus vel moroſiſſimus obſervator puritatis *Latinæ Linguæ*. *Scaligerana* 1. p. 47.

C. Valerius Catullus Veronenſis, Tullio carus, ſuaviſſimus Poeta qui ſi abundè duriuſculus appareat, præſertim in *Epicis*, mirifica ingenii amœnitate horrorem illum abſterſit, & caſtiſſimâ *Lingua Romana* venuſtate redemit; dignus qui in argumento caſtiori occuparetur. *Borrich.* de *Poet.* p. 49.

Habent *Latini* hujus generis auctorum nobiliſſimum par, *Catullum* & *Martialem*, de quibus non ambigi placet, uter utri, & quàm longè anteponendus ſit: tantumne *Catullus* à *Martiale*, quantum ingenuus aliquis & honeſtus *civis* ab illiberali & importuno *Scurrâ* de *trivio* diſcrepet, ut *Antonio Mureto* viſum eſt; an Epigrammatum virtutibus ſuperet *Martialis Catullum*, id quod *Iuſtus Lipſius* cum *Iulio Scaligero* ſenſit. Multò etiam moror minus ſuperbum & inſolens *Andreæ Naugerii* faſtidium, qui ut eſt relictum à *Paulo Iovio* in elogiis doctorum virorum, certo quotannis die conſecrato *Muſis*, magnum numerum *Martialis* librorum, quos coacervaſſet ad eam rem, devoveret *Vulcano*, peſſimum, ut videbatur, *Poetam* præclarè execratus. Meum judicium ſemper fuit, ita *Catullum* cum *Martiale* comparari poſſe, uterque ut vincat & vincatur: *Illum* quidem puro ac ſimplici candore, & nativâ quâdam minimeque adſcitâ excellere venuſtate

nuſtate *forma*, quæ accedat quam proximè ad *Græcos*; *Hunc* acumine, quod proprium *Latinorum* & peculiare tunc fieri cœpit, valeret: adeoque *Catullum* toto corpore Epigrammatis eſſe conſpicuum; *Martialem* clauſulâ præcipuè atque ultimo fine, in quo relinquat cum delectatione aculeum, ſpectari. Quod ſi verſum & numeros attendimus, Martialis *hendecaſyllabos*, *Scazontas*, *Iambos*, præ *Catullanis* agreſtes & invenuſtos; *Elegiacos Catulli* duriuſculos, & ſcabros, & parum, ut ita loquar, enodes: Si expendimus *elocutionem*, tantum videri alterum alteri ſcriptorem præſtare, quanto ex duobus, quibus *Latina* lingua maximè floruit, temporibus, præſtantior *Iulii Cæſaris* ætas, quam *Veſpaſianorum*, & *Nervæ Trajanique* fuit. Optandum ſanè ut, quàm benè uterque, tàm non obſcœnè ſcripſiſſet: neve putaſſet alter *Verſiculos* tunc denique habere ſalem & leporem, ſi ſunt molliuſculi & parum pudici: alter laſcivam verborum licentiam linguam eſſe *Epigrammatum* interpretatur. *Vavaſſor.* de ludicrâ dict. pag. 231. 232.

Jeſ. *Rapinus* ait *Catullum*, quia *Romanorum* primus linguam elegantiæ Veneribus exornare cœpit, nondum calluiſſe magnum præceptum Horatii, qui ſermonem conciſum & breviloquentiam præſcribit. *Rapin.* Comparat. *Hom.* & *Virgil.* cap. 10.

Author collectionis *Epigrammatum*, quam in aliis tam acriter perſtrinxit Jeſuita *Vavaſſor*, non ſine cauſa dixit *Martialem* & *Catullum* impolita & ruſtica ingenia fuiſſe, & Stationariorum militum quam pudicarum Matronarum collocutionibus congruentiora. Dom. *Bayle* Novell. de Rep. litt. Junii 1684. pag. 364. Gall.

Editus ſæpè *Catullus* eſt, ſollicitè ab *Gebharto* & *Mureto*; quibus adjiciendæ *Ioſ. Scaligeri* notæ. Præſtitit & operam ſingularem in *Trajectenſi* Editione *Simon Abbes Gabbema*. Certè verò præferenda eſt illa *Iſaaci Voſſii* Londini 1684. in 4.

CORNELIUS NEPOS.

Hiſtoricus, *Veronenſis* tempore *Iulii Cæſaris* claruit. *Hieronymus* in *Chronico Euſeb.* refert illum ad annum Auguſti quartum. Claruit anno Chriſt. Ann. XL.

Scripſit libros illuſtrium virorum, ex quibus habemus 22. exterarum Gentium Imperatores. Scripſit etiam de ſcriptoribus claris, *Catone*, *Terentio*, *Cicerone*, *Attico*, aliiſque. Scripſit *Chronicon* rerum *Romanarum*.

Externi Imperatores quos habemus, *Æmilii* eſſe *Probi*, à multis creduntur. Qui error inde provenit, quòd *Librario* id fuerit nomen, qui *vitas* eas partim ſuâ, partim Patris & Matris manu ſcriptas *Theodoſio* obtulit. Hoc ita eſſe, oſtendunt verſiculi, qui *vitis* iſtis præmitti in MSS. ſolent. Ac nec *Æmilium*, nec *Theodoſiani* ævi quenquam, eorum eſſe librorum auctorem, abundè arguit pura & *Romana* dictio. Opinetur aliquis ut Trogus ab *Iuſtino*, ita ab *Æmilio*, qui ſub *Theodoſio* vixit, in compendium eſſe redactum *Nepotem*. Sed aliud ſuadet operis *concinnitas*, & illa præfandi ratio, quæ eſt in *Epaminondæ* vitâ ac in *Pelopidâ* imprimis, ubi brevitatem juſtam pollicetur. Attamen ſententia hæc, licet erronea, minus periculi habeat, dummodò extra controverſiam maneat, *Æmilium* omnia de putiſſimis

mis *Nepotis* fontibus hauſiſſe. *Ger. Ioan. Voſſ.* de Hiſt. Lat. l. 1. c. 14.

Conſtantiſſimo civitatis noſtræ teſtimonio C. *Cornelium Nepotem*, virum doctiſſimum, & *Antiquitatum* omnium peritiſſimum, *Veronenſem* fuiſſe traditur. Cui in ſummâ Curiâ cum reliquis *Veronenſibus* illuſtribus etiam *Statua* poſita eſt ex publicâ auctoritate. Hic in *Urbe*, *Ciceronis* & *Cæſaris* tempore, vixit, pervenitque uſque ad *Auguſti* Principatum. Scripſit diſertiſſimè *Illuſtrium virorum vitas*, Quarum tantùm *Pomponii Attici* extat; quæ cæterarum facilè *Specimen* indicare poteſt. Scripſit accuratiſſimè rerum *Romanarum Chronicon*, vel de *Temporibus* librum, in quo brevi explicatione omnis ævi memorias complexus eſt. *Onuphr. Panvin.* Catal. illuſtr Scriptor. *Veronenſ.*

Cornelius Nepos quàm elegans ſit ſcriptor ex vitâ *Pomponii Attici* cognoſcere licet. Dictio certe venuſtiſſima & ſimpliciſſima; in diſponendo nihil illo accuratius, in fide nihil ſanctius. *Petr. Nann.* de clar. *Cornel.*

Limatiſſimus ſcriptor, cujus judicium *Cicero* revereri ſolet. *Sciopp.* de ſtylo pag. 153.

Cupio puriſſimum illum Scriptorem aliquando caſtigatiorem edere, quem tum docebimus eſſe *Cornelium Nepotem*, non verò *Æmilium Probum*, ut vulgò putant. *Ober. Giſan.* Conject. in *Lucret.*

In *Nepotis* vitas dubium non eſt nonnulla poſterioribus ſæculis irrepſiſſe ab ævi *Auguſti* auro remotiora, *Æmilii* credo *Probi* operâ cujus nomen multis ſæculis libellus *Nepotis* præſcriptum habuit. *Gaſp. Sciopp.* conſult. p. 41.

Nepos, caſtigatiſſimæ moderationis auctor, cùm abſtinere illâ orationum ſplendidiore curâ, deſcriptionumque productiore ambitu conſtituiſſet; quæcunque ad ingenium, diſciplinam, privatam conſuetudinem pertinent, breviter ac veluti unâ congeſtione, abſolvit: Cætera actionibus publicis earumque rationibus informandis bonâ fide attemperat. *Ioan. Henr. Boecler.* in comment. ad *Berneg.*

Neuter horum (de *Cæſare* & *Nepote* agit) ſatis nunquam laudari poteſt, præſertim ob ſeculi noſtri conſuetudinem, quo pleriſque alia omnia faciliùs placent, quàm id, quod in *Cæſare* & *Nepote* præcipuum judicant eruditi. Sed *Nepotis* quidem magis expolita dulcedo & gratia eſt: omnis enim ejus ſcriptio in moribus explicandis, quæ laudi aut vitio dari merentur enarrandis, ſententiarum civilitate & ſimilitudine, exemplorum quoque jucundâ varietate & celebritate lectorem allicit; ipſaque dictio, quamvis ſimplicitati ſtudere videatur, delectu verborum, compoſitione, ſenſu ſtatim aliquid ſuæ ſuavitatis, etiam non æſtimantibus aut intelligentibus, inſinuat. Dabimus hunc auctorem locorum communium, ad quos reſpiciat Civilis eloquentiæ ſtudioſus; quotiens mores Hominum publicaque & privata conſuetudo vitæ quadam ſubtili elegantiâ, non citra gravitatem & auctoritatem utentis, notari deſiderant. *Boecler.* de eloquent. Polit. n. 43.

Habemus etiam egregiam de vitis excellentium *Imperatorum* libellum, quæ ut aliùs eſſe credam, quàm *Cornelii Nepotis*, animum inducere non poſſum: quippè cætera congruunt, ſed præcipuè *Inſcriptio* ad *Atticum*, & terſum valdè, & elegans ſcribendi genus, quod non alii ſæculo convenit, quàm, ut ita dicam,

Digitized by Google

cam, puro puto latino, quale fuit *Nepotis*. *Roland. Mareſius*, Epiſt. lib. 2. Epiſt. 5.

Extant *Corn. Nepotis vitæ* excellentium Imperatorum cum Notis *Variorum*, *Lugduni Batav.* Ex officina *Hackianâ* An. 1675. in 8. Acceſſerunt huic editioni præcipuorum *Græciæ* Imperatorum *Icones* ære inciſæ, ut & Index Rerum & verborum præcedenti multo auctior & emendatior.

PUB. VIRGILIUS MARO.

IN Pago qui *Andes* dicitur, haud procul à Mantuâ naſcitur, Cn. *Pompeio Magno*, & M. *Licinio Craſſo* Coſſ. Olymp. 177. An. III. *Hieronym.* in *Chron.* Exaravit *Georgica*, *Eclogas*, *Æneidem*, *Epigrammata*, *Virgilius Brunduſii* moritur Olym. 190. An. 2. *Voſſ.* de Poet. Latin. Claruit ante Chr. Anno XXXIX.

Homericæ perfectionis per omnia imitator *Maro*: nullius diſciplinæ expers, & quem nullius diſciplinæ error involvit *Macrob.* in ſomn. *Scip. l.* 1. c. 7. l. 2. c. 8.

Hæc eſt *Maronis* Gloria, ut nullius laudibus creſcat, nullius vituperatione minuatur. *Idem* in Saturnal. l. 1. c. 24.

Fuit *Virgilius* ut ſcrupulosè & anxiè, ita diſſimulanter & quaſi clanculò doctus: ut multa tranſtulerit, quæ unde tranſlata ſint, difficile ſit cognitu. *Idem* ibid. l. 5. c. 18.

Virgilius latinæ linguæ columen vocatur à *Servio*: & *Cicero*, cùm jam ſenex in hujus Adoleſcentis opuſculum incidiſſet, de illo ſic fertur auguraſſe: *Magnæ ſpes altera Romæ*. *Edm. Campian.* de Imitat. Rhetor. cap. 3. Plures hodie reperies qui *Ciceronis* gloriam, quàm *Virgilii* detrectent. *Tacit.* in dial. de Orat.

Virgilius, Vates ſuaviſſimus, Nitidiſſimus, Pulcherrimus, Splendidiſſimus, Dulciſſimus, Politiſſimus---- Apollo ipſius cùm paſtor eſſet, jucundioribus aut teretioribus non cecinit numeris.----Ineſt in eo Phraſis Regia, & ipſius Apollinis ore digna-----Sic puto loqui Deorum proceres in Conciliis Cœleſtibus----Non ſi ipſe Jupiter Poeta fiat, meliùs loquatur. *Jul. Scaliger* in Critico & paſſim.

Homerici verſus in terrâ, *Virgiliani* inter Muſas à Phœbo facti videntur: ille *Græculus Circulator*, is Regiæ Orationis Auctor. *Virgilius* Magiſter eſt *Homerus* Diſcipulus. Hic Verus Poeta, ille Foraneus Narrator. *Homerus* moles quidem eſt, ſed rudis & indigeſta. *Virgilius* Matrona honeſta. *Idem*.

Virgilius ampliſſimum ubique ſui præconium facit, modò ſano judicio & non corrupto legatur. Ubique enim ille ſibi conſtat, idem *Virgilius*, hoc eſt, ut planius uno verbo dicam, *Poetarum Deus*. Sanè verò animo & ore verecundus adeò, ut ex moribus vulgò *Parthenias* cognomen invenerit, tanto etiam in honore habitus à *Senatu Populoque Romano*, ut auditis ejus verſibus in *Theatro*, univerſus populus illi aſſurrexerit, ipſumque, ut ſcribit *Cornelius Tacitus*, fortè præſentem ſpectantemque veneratus eſt ſic, quaſi *Auguſtum Cæſarem*. *Ale-*

xander Imperator & *Cæſar* eum *Poetarum Platonem*, ut ſcribit *Lampridius*, appellare ſolitus fuit, tametſi præpoſteri in hoc judicii *Arrianus*: *Ennium Virgilio*, hoc eſt, ſtercus auro præponeret,& fatui judicii *Caligula*, qui eum & damnaret & inceſſeret. *Lil. Gyraldus.*

Virgilii verſus verè aureos jure appellare poſſis, quòd ab *Octavio* pro viginti verſiculis quinque *aureorum* millia receperit. *Budæus* de *Aſſ.* l. 3.

Auctor eſt *Donatus*, *Virgilio* hunc morem fuiſſe, ut horis matutinis plurimos ſcriberet verſus: horis verò pomeridianis, ubi calor ille deferbuiſſet,eoſdem incudi redderet, ac limaret: ac ſæpè ex centenis vix quaternos, aut ſenos reliquiſſe non aliquâ ex parte immutatos: ac propterea dicere ſolere ſe, *Urſæ in modum, fœtus edere informes, quos denique lambendo informaret. Donat.* in vit. *Virgil.*

Virgilius ſolus *Poeta* nomine dignus eſt. *Jul. Scal.* l. 3. *Poetic.* c. 2.

De *Virgilio* nunquam loquendum, nam omnes omnium laudes ſuperat. *Scaligerana* 1. p. 148.

Virgilii Georgica ſunt admirabilia; habet ex *Ariſtotele*. *Æneis Virgilii* non eſt correcta ut *Georgica*, & erat compoſiturus 24. libros ut *Homerus*. Omnes *veteres* hoc dicunt, propterea juſſit comburi illos libros. *Ergo ibit in ignes*, carmen illud quod poſt *Virgilium* additur, non eſt antiquum. *Scaligerana* 2.

Duo illi omnes doctrinæ apices *Homerus* & *Virgilius*. *Caſaub.* præf. in *Perſ.*

Naturalis Philoſophiæ non fuit *Virgilius* omninò imperitus, *Franc. Bacon.* in Hiſtor. Vent. ad Artic. 27.

Inſtar omnium ſit *Virgilius*, qui *Topographiam* Infernam accuratiſſimè depinxit. *Inferorum* regionem in ſeptem *Manſiones* dividit. 1. *Infantum*. 2. *Falsò damnatorum*. 3. *Eorum qui ſibi manus intulerunt*. 4. *Amantium* 5. *Bellatorum*. 6. *Tartari*. 7. *Elyſii*. Hæc ſi cum ſuperioribus comparentur nihil ferè à *Virgilio*, quod non prius ab *Homero* aut *Platone* dictum reperies. *Ioan. Marosh.* in can. Chron.

Virgilius inter *Latinos* Princeps *Poëtarum*; *Bucolica* ſua annis ſeptem, ſuam *Æneida* annis undecim elaboravit: & primus ipſe ſui rigidiſſimus cenſor ac judex divinam ſcriptionem ad rogum damnavit. *Drexel.* par. prim. *Aurifod.* cap. 7.

Æneis virgilii grande opus, & plenum gravitatis, ac rerum bonarum & quod *Iliadi* non concedat. *Lud. Viv.* de tradend. Diſcip. l. 3.

In *Bucolicis Theocritum* Poetam eſt imitatus, in *Georgicis Heſiodum*, quem ſine ullâ quidem controverſiâ longè ſuperavit In ipsâ *Æneide* ſequutus eſt ex Autoribus *Parthenium*, Piſandrum, *Apollonium Rhodium*;& in primis *Homerum*: ex *Latinis Q. Ennium*, *Livium Andronicum*, *Nævium*, *Titum Lucretium*, & alios complures. *Petr. Crenit.* de Poet. Lat.

Apud eminentiſſimum Poetarum noſtrorum *Virgilium* nihil ferè paulò ingenioſius, & eruditius dictum reperitur, quod non ad *Homeri* imitationem ſit conſcriptum, atque adeò plenè ex *Homero* deſcriptum. Quâ de re cùm ab æmulis aliquando *Virgilius* carperetur, dixiſſe fertur: *Non minus eſſe difficile*

carmen

Digitized by Google

carmen ab Homero commodè ſumere, quàm Herculi clavam de manibus eripere. M. Ant. Majorag. præfat. *Homer. Iliad.*

Publius Virgilius non modò verba aliquot accepit ex Poematis *Lucretii*, ſed locos penè integros ab eo tranſtulit: quod & veteres *Grammatici* accuratè notârunt. *Petr. Crinit.* de Poet. Lat.

Virgilius ex *Xenophontis* libro *Oeconomico* multa tranſtulit in *Georgica*, ut de *Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis* quoque libro tertio *Oeconomicorum*, qui *Agriculturam* continet. *Serv.* de *Virg. Georg.* l. 1. v. 43.

Inter editiones eminet *Taubmanniana* cum notis *Servii*, & commentariis de la *Cerda*. Nec illaudata Petri *Danielis, Dan. Heinſii*, & *Thomæ Farnabii*; quibus adjungenda illa *Cornelii Schrevelii* cum notis *Variorum*, *Lugdun. Batav.* ex Officinâ *Hackianâ* An. 1666. in 8.

QUINT. HORATIUS.

FLaccus, Lyricorum & Satyrarum ſcriptor, tempore *Octaviani Auguſti* floruit. S. *Hieronymus* in *Chronico* An. 3. Olymp. 192. quinquageſimo ætatis Anno *Romæ* mortuum eſſe memorat. Quidam ſectâ *Epicureum* fuiſſe contendunt: Alii *Academicum* factum exiſtimant. Claruit ante Chriſt. Anno XXXVI.

Horatius ad notandos Hominum mores præcipuus, purus imprimis & terſus---At *Lyricorum* idem *Horatius* ferè ſolus legi dignus; nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis feliciſſimè audax. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Quin hoc proprium & peculiare fuit *Horatio*, ut ridenti ſimiles; & quaſi diſſimulans, improbitatem ac vitia Hominum accuſaret; quòd ea magis urgeant, atque afficiant, quæ ſenſim irrepunt, quàm quæ apertâ fronte invadunt. Quod ipſum & Poeta *Perſius* demonſtrat.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admiſſus circum præcordia ludit.
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Petr. Crinit.

Horatius eſt omnium Latinorum Græcorumque Poetarum elaboratiſſimus. *Scalig.* Hypercrit. p. 867.

Quis enim, qui de Poëtis modò judicare aliquid poſſit, uni inter latinos omnes *Horatio* vel acumine ingenii, vel ſententiarum gravitate, palmam non tribuit? *Manut.* Epiſt. l. 6. Epiſt. 7. *Horatius* emendatiſſimus auctor, ut dicebat *Auguſtus*. *Scaligerana* prim. p. 91.

Horatium in latinis ſapientiorum Poetarum principem jure laudemus: in quo penè tot vivendi documenta, quot verſus; tot ſententias, quot verborum ſenſus, admiremur. Studioſè itaque & ſedulò ſingula *Horatii* Poemata lege & perpende:

pende: invenies non diſputationes quidem ſubtiles,aut ratiocinationum acumina: ſed pleraque omnia quæ ad rectè, ſanctè, tranquillè, beateque vivendum à prophano homine proficiſci poſſunt argutè ac graviter præcepta, exempliſque Poetarum Hiſtoriarumque & vitæ communis de copiâ depromptis explicata, confirmata, ac quaſi condita. Hic enim mos, hæc ratio philoſophandi unicè *Horatio* placuit: quo ſenſu etiam in aureâ illâ ad *Loilium* Epiſtolâ, *Homericam* philoſophiam *Cryſippeæ* & *Crantoreæ* præfert. Mira eſt & in Odis & carminis & argumentorum varietas, ſumma copia & ſuavitas: ſententiæ graves, argutæ & artificioſiſſimæ: Digreſſiones oppidò venuſtæ. *Corn. Schrevel.* Epiſt. ad lector. præfix. Edit. *Horat.*

Unus & unicus *Horatius* in *Odis* componendis regnat, & omnes infinito intervallo poſt ſe reliquit. *Baud.* Epiſt. cent. 2 Epiſt. 28.

Venerum ille parens *Horatius* ei pro ſuâ elegantiâ & ingenii urbanitate haud dubiè placet. *Tanaquil. Fabr.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 57.

Iuvenalem Poetam à *Scaligero* Patre, in Satyrâ præpoſitum *Horatio*, vidi qui indignarentur. At ille, me judice, inter multa certi & elegantis judicii, nihil verius protulit. *Lipſ.* Epiſtolic. Quæſt. l. 2 Epiſt. 9.

Horatium poetam alioqui nobiliſſimum, libidine adeò præfervidâ fuiſſe ferunt ut cubiculo etiamnum uteretur ſpeculato, quo ſe coeuntem intueretur *Cæl. Rhodigin.* Antiq. lect. l. 14. c. 4.

Qu. *Horatius Flaccus Venuſii* in *Apuliâ* natus, juvenis in bello meruit, tandemque *Tribunus Militum* conſtitutus, re non ſatis fœliciter geſtâ, ad amœnum illum *litterarum* portum ſeſe recepit, & primùm quidem elegantia carminum *Mecænati* conciliatus, hinc per eum *Oct. Auguſto*, ætatis reliquum ſuaviter contrivit. *Dictio* ejus caſtè *latina*, ipſe minimè caſtus. In *Lyrico* à nemine *Latinorum* vincitur. *Heroica Flacci*, ut ſapientiæ monitis abundant, ita numeris & rotunditate amabili plerumque deſtituuntur. *Borrich.* de Poet. p. 49 50.

Carminum igitur libri vel jucundâ inventione, vel puritate ſermonis, vel figurarum tum novitate tum varietate, majores ſunt omni non ſolùm vituperatione, ſedetiam laude: neque ſolùm dicendi genere humili, quemadmodum ſcripſit *Quintilianus*, contenti, verum etiam ſublimi maximè commendandi. *Iul. Scalig.* de re poetic. p. 879.

Horatius artem invenit combinandi omnes nervos omnemque ſublimitatem *Pindari*, cum tota ſuavitate & elegantia *Anacreontis*, ut novum prorſus characterem ſibi efformaret duorum aliorum perfectiones coadunando. Nam præterquamquòd ingenium naturâ jucundum habebat idem etiam vaſtum, ſolidum & elatum erat, imaginationibus ejus nobilitas ineſt, in cogitatis & ſententiis ſuis argutus eſt: periti Artificis acumen ſemper produnt illæ Odæ quas abſolvere voluit; ſed perſpicacitate non mediocri opus eſt ad totum ejus ingenium penetrandum; nam arcanæ quædam Veneres, & elegantiæ quædam reconditæ pauciſſimis obviæ verſibus ejus continentur. *Latinorum* etiam ſolus eſt inter *Veteres* qui in hoc ſcribendi genere excelluerit, *Rapin.* Reflex. particul. in Poeſ. Reflex. 30.

Cùm

Digitized by Google

Cùm inter *Satyricos* priſci ævi poetas tres potiſſimùm ſint commendabiles, *Iuvenalis*, *Perſius* atque *Horatius*; *Horatius* inter oratoriam *Iuvenalis* dicacitatem, & inter *Perſii* obſcuram nimis adſtrictamque brevitatem medius incedit, atque adeò inter *Satyricos* non minus, quàm inter *Lyricos Latinos*, primum meretur locum. *Acta Erudit.* Menſ. Jun. An. 1684. p. 262.

**Dionyſii Lambini* in *Horatium* Commentarii, *Lutetiæ* 1587. & *Pariſ.* 1605. cum *Expurgatione* permittuntur. *Index Madrit.* 1667.

Prodierunt opera *Q. Horatii Flacci* cum obſervationibus *Petri Gualteri Chabotii* à *Ioan. Iacobo Graſſero* editis: *Coloniæ Munatianæ* An. 1615. in fol. apud *Ludovicum Regem*. Extant cum Notis *Variorum*, & integris notis *Ioannis Bond*. accurante *Corn. Schrevelio*, in 8. *Lugd. Batav.* ex officinâ *Hackianâ* 1670.

M. MANILIUS.

Cujus *Aſtronomicon* habemus extrema *Auguſti* ætate vixiſſe creditur: legenti enim *Manilium* iterum iterumque omnia *Auguſti* temporibus videntur convenire, *Ger. Ioan. Voſſ.* de Poet. Lat. Claruit ante Chr. Anno XXXII.

Fabius Quintilianus nullam mentionem de hoc Poetâ fecit: quocirca mirantur quidam, cur illum prætermiſerit, præcipuè cùm de *T. Lucretio*, & *Æmilio Macro* judicium fecerit. Studium ſuum atque induſtriam collocavit in *Mathematicis* artibus, tantumque in his profecit, ut maximas ingenii ſui laudes tulerit. *Scripſit* libros quinque de *Aſtronomicis*, carmine *Hexametro*: in quibus magna ex parte *Hipparchum*, *Eudoxum*, atque *Aratum* ſequutus traditur. De obitu ejus nihil à nobis compertum eſt, *Petr. Crinit.* de Poët. Lat.

De *Manilio* nondum ſtatui, magis optandumne fuerit, illum publicè in *Scholis* legi, an dolendum, quod hactenus neglectus jacuerit, poeta ingenioſiſſimus, nitidiſſimus ſcriptor, qui obſcuras res tam luculento ſermone, materiam moroſiſſimam tam jucundo charactere exornare potuerit, *Ovidio* ſuavitate par, majeſtate ſuperior; uno vincitur, quòd non poteſt manum tollere *de tabulà*, & [quod tam falsò quàm immeritò *Ovidio* objectum olim] nunquam ſcit deſinere: in quo peccat non judicio, ſed fertilitate, indulgentiâ *Styli*: quâ in re non judicium ſed animum *Ovidio* quoque defuiſſe, *Quintilianus* animadvertit. Eſt & aliud non leve vitium in noſtro, quòd nimius in verborum iteratione, quum poſſet aut parciùs eadem, aut alia pro illis uſurpare. Itaque *criticas* aures offendunt, illa toties totieſque inculcata, *Sidera*, *Cælum*, *Mundus*, per templa, per ſidera: & alia non pauca, quæ ter quater trinis quaternis continuis verſibus infulcit. Hoc ut non mediocre vitium eſt in nitido ſcriptore, ita puri ſunt ab hac labe Principes Poetæ *Virgilius* & *Ovidius*. Hoc uno excepto, nihil ad perfectionem abſoluti Operis in hoc auctore requiras. Imprimis omnia ejus procemia & παρεκβάσεις extra omnem aleam poſita ſunt. Nihil illis divinius, nihil copioſius, gravius, & jucundius dici poteſt. *Ioſ. Scalig.* Prolegom. in *Manil. Aſtronom.* p. 20. 21.

Manilii Aſtronomicon multa habet de *Chaldaicâ* ſuperſtitione ac vanitate inſperſa: adeundum tamen non ſine judicio & duce qui, quæ devitanda ſint, admoneat. *Joan. Lud Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 4. p. 553.

Imperfectum opus ſuum reliquiſſe *Manilium*, ſunt qui putent, cum de ſeptem *Planetis* nonnihil meminerit, & de his mox planè non eſt executus. Latuit verò hoc ipſum *Manilii* opus per multa ſecula; primus enim *Poggius* cum aliis libris in Italiam attulit, *Martini* 5. *Pontificis Maximi* tempore. *Gyrald.* de Poëtis.

Quantus Poeta quamque eloquens ſcriptor fuerit, quantique ingenii *Manilius*, licet vel ex ſolâ deſcriptione *Andromedæ* perſpicere. *Caſp. Barth.* Adverſar. l. 8. c. 8.

Opus *Manilii Aſtronomicon* eſt, & *Genethliacon*. l. 5. verſu *Epico* expreſſum, & ab *Ægyptiorum* diſciplinis magnam partem decerptum. Dictio terſa, genus dicendi mediocre, judicium exquiſitum, promptum & facile eloquium, in argumento latinis verſibus anteà intentato. Quin & Philoſophatur identidem non ſiniſtrè. *Borrich.* de poet. Lat p. 54. 55.

Manilium nullus fuit qui poſſet intelligere ſicut ego; non enim deſcribit *Aſtronomiam* hodiernam, ſed veterem. Oportet benè legiſſe authores ut intelligatur. *Junius* quàm deliravit, qui voluit illum corrigere! *Scaligerana* 2.

Præclarè de hoc auctore meruit inſigni editione & commentario *Joſ. Scaliger*, nec malè *Franciſcus Iunius Biturix*.

M. VITRUVIUS POLLIO.

Claruit ante Chriſt. Anno XXXI.

TEmpore *Auguſti Octaviani* Imp. floruit. Extant ejus libri decem de *Architecturâ* cum notis *Ioan.* de *Laet*, *Amſtelodami* Fol. 1649.

Qui de *Architecturâ*, nobiliſſimâ ſanè, & in vitâ humanâ maximè neceſſariâ diſciplinâ, inter *Antiquos* è profeſſo ſcripſerit, habemus neminem præter *Vitruvium*: qui methodo quadam peculiari & commodâ præcepta illius decem libris eſt complexus: quæ, ut apparet, maximam partem hauſerat ex aliorum ſcriptorum monumentis, maximè *Græcorum*, [quare & Phraſis illius multis locis Græcizat] partim ex propriâ obſervatione & Praxi. Licet autem credendum ſit hanc diſciplinam eâ ætate, quâ ſcripſit, excultiſſimam fuiſſe, quod & reliquiæ *templorum, ædificiorum, Pontium, Arcuum, Sepulchrorumque* teſtantur, à quibus exemplaribus hodiè præcepta deducuntur; tamen ut in aliis *Artibus* atque *Scientiis*, multa ſuperioribus ſeculis & noſtro quoque judicium & induſtria peritiſſimorum *Architectorum* adjecit, qui tamen hunc *Vitruvium* lubentiſſimè *Magiſtrum* ſuum agnoſcunt. *Ioan. de Laet*, in Epiſt. ad lect. præfix. *Vitruv.* de *Architect.* An. 1649. Fol.

In *Baſilicâ*, quam *Daniel Barbarus* poſuit, deſiderant *Architecti* eximii multa; quæ abſolutiora fuiſſent, niſi, mordicus *Vitruvio* adhæſiſſet, quem ſimul fuiſſe minus in *inveniendo* perſpicacem *Chriſtiani* plerique omnes recentiores Archi-

gitized by Google

Architecti agnoſcunt *Anton. Poſſev.* Biblioth. Select. l. 15. c. 17.

Architecti qui veram *Architecturam* callent, non omninò è *Vitruvio*, ſed ex ratione, ex attentâ obſervatione, optimoque *veterum* modo pendent. Nam etſi *Vitruvius Architecturam* in unum corpus redegit, atque hujus leges, ac præcepta egregiè tradidit, quæ quidem omnia fatetur ab *antiquis* ſe accepiſſe, multa tamen putavit ſe docuiſſe, quæ cùm ad *rem* venitur, & *uſum*, nequaquam ſuccedunt, ne quid dicam de incommodis, & futilibus menſuris *Capituli Corinthii*, & *baſium* omniu[m], atque *coronarum* quas ille attulit. *Ioſeph. Valerian.* vid. *Anton. Poſſev.* ibid.

Leo Baptiſta de *Albertis*, qui de *Architecturâ* ſcripſit, pluribus locis *Vitruvium* reprehendit.

Vitruvius orationem peregrinitate & plebitate, id eſt, verbis loquendique generibus infimæ plebi familiaribus, aut ad tranſmarini ſeu *Græcanici* ſermonis conſuetudinem ineptiuſculè conformatis paſſim infuſcat. *Gaſp. Sciop.* conſultat. pag. 41.

Scioppius in *Vitruvio* optimi ſeculi autore, aliquam *plebitatem* ac *peregrinitatem* agnovit; multa enim in illo ſunt ſingularia, non tantùm quod ad *Voces ſingulas* ſpectat, tam illas, quarum in *Arte Architectonicâ* uſus eſt, quàm alias, ſed & *Phraſes*: forte quod familiarius ei loquendum fuit, ut populus, quæ ſcriberet ſatis intelligeret. Id ipſe agnoſcit cap. 1. lib. 1. *Peto,* inquit, *Cæſar & à te, & ab iis qui mea volumina ſint lecturi, ut ſi quid parum ad artis Grammaticæ regulam fuerit explicatum, ignoſcatis. Namque non uti ſummus Philoſophus, nec Rhetor diſertus, nec Grammaticus ſummus, ſed ut Architectus his literis imbutus, hæc viſus ſum ſcribere.*

In illo hoc notavit *Barthius* lib. 24. Adverſ. cap. 12. quòd *plurali* delectetur, cum numero unitatis poſſit eſſe contentus, quod & fortè *Romanum* videri poſſit, cum *Idem* lib. 40. Adv. cap. 12. à *Romanorum* conſuetudine provenire autumet, quòd *plurium* numero *unum* alloquamur. *Romanus* certè *Sermo numeroſam* & plenam dictionem requirit. *Dan. Georg. Morhof. De Patavin. Liv.* pag. 85. 86.

Is ſcriptor [*Vitruvius*] ſuæ licet artis, *Architecturæ* videlicet, intelligentiſſimus, multa è *vulgo* haurit, quæ elegantiores omnes refugerunt, inquit *Ger. Ioan. Voſſius*. In eandem penè ſententiam *Scioppius*: *Vitruvius,* inquit *orationem peregrinitate & plebitate infuſcat.* At peregrinitatem excuſat, immò imperat argumenti novitas, quòd ex *Græcis* pene omnia *fontibus* haurienda: *Plebita.* [ut cum *Catone* loquar] ipſi neceſſaria, & ſine vitio, quòd *Plebeiorum* manibus & linguâ uti cogatur *Architectus*. Quid quòd *Plebs* ſæpe de rebus quotidiano opere ſibi cognitis magis propriè pureque [præſertim optimo illo ſeculo] loquatur, quam in Scholâ *Philologus*.---Exiſtimandum eſt eum ſic ſcripſiſſe, non tam quod in *Latinis* vocibus ſibi quicquam temerè excidiſſe arbitraretur, quàm quia cum fluxu, & compoſitione *Græcorum* vocabulorum penè infinitorum luctandum ſibi providebat, ut artem à *Græcis* hauſtam commode explicaret; in eâ tranſlatione ne irritaret *Grammaticorum* Obelos, metuebat. Nam ne ἄμουσοι

putemus

putemus *Vitruvium*, ipſe l. 6. diſertè tradit, imbutum ſe à parentibus encyclio doctrinatum, omnium diſciplinâ, & *Philologis* atque *Philotechnis* rebus delectatum. *Ol. Borrich.* cogitat. de var. Lat. Ling. ætat. p. 5.

Magna *Vitruvii* authoritas non modò Antiquitatis veneratione nititur, nec rationibus cæteris quibus ad rerum exiſtimationem ex anticipata opinione movemur. Is quidem quo inſigniebatur titulus, *Architecti* nimirum *Julii Cæſaris* & *Auguſti*, & celebritas ſæculi quo vixit, ubi ad ſummum perfectionis culmen omnia perveniſſe putantur, magnam de operis ejus merito opinionem animis ingenerare debent: Sed fatendum eſt magnam peritiam qua præclarus ille vir de innumeris diverſis rebus agit, curaque quam cum judicio in earundem collectione adhibuit,& in earundem collectione è magno numero *Autorum* quorum ſcripta perierunt, meritò efficiunt ut librum hunc conſiderent Eruditi tanquam opus ſingulare & theſaurum inæſtimabilem. Dom. *Perrault*. Præf. in decem lib. Vitruv. Fol. *Pariſ.* 1684. Gall.

Vitruvii liber de *Hexagonis*, *Heptagonis*, & id genus, An. Dom. 1494. inventus in Cœnobio quodam ad *Bobium* oppidum. *Geſner*. Biblioth.

DIONYSIUS HALICARNASSÆUS.

Claruit ante Chriſt. Anno XXVI.

Hiſtoricus, tempore *Auguſti* floruit. Omnium confeſſione, ſcriptor graviſſimus, & in Romanis *Antiquitatibus* perveſtigandis, deſcribendiſque accuratiſſimus perhibetur. Eum igitur agmen ducere volo, quippe ut liquidò liqueret unde genus ſuum hauſerint *Romani* ea primùm, quæ de *Ab originum* populo, & priſcis *Italiæ* gentibus, non ex fabulis tantum & vulgi rumoribus inaudiverat, ſed ex libris etiam *Portii Catonis*, *Fabii Maximi*, *Valerii Antiatis*, aliorumque plurium didicerat, refert, mox pertexit Hiſtoriam viginti libris, uſque ad primum bellum *Punicum*, quod cœpit Anno tertio vel quarto Olymp. 128. An. U. C. 488. Verum ex iſtis viginti libris, quos teſte *Photio*, reliquit, undecim tantùm ad nos pervenerunt; in quibus annorum tercentum & duodecim Hiſtoriam, multâ fide & curâ deſcriptam, habemus. *Whear* in Method. leg. Hiſt. Sect. 16.

Dionyſio huic laudem eam tribuit *Scaliger* in Animadverſionibus *Euſebianis*, quòd curatiùs eo tempora nemo obſervarit. Hac quoque parte *Livio* præfertur, quòd & plura & accuratiùs multa tradat, quæ ad *Romanas Antiquitates* pertinent. Nec bonus tantum Hiſtoricus fuit, ſed etiam *Rhetor*, ac *Criticus* nobilis: quod oſtendunt *Rhetorica* & *Critica* ejus opuſcula, quæ ſuperſunt: præter quæ alia ejus generis ſcripſiſſe, cognoſcimus inde; quod in iſtis multa è ſuis hujus argumenti citet, quæ hodiè non habemus. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc.

Dionyſius Halicarnaſſæus, homo *Græcus*, de *Romanis* multa veriùs & meliùs ſcripſit, quàm *Fabius*, *Salluſtius* aut *Cato*, qui in ſuâ Republicâ opibus & honoribus floruerunt. Ejus major fides eſt in Hiſtoriâ, quàm *Livii*, *Tranquilli*, *Taciti*, *Arriani*; quòd de alienâ, non de ſuâ Rep. ſcripſit, & omnium commentarios ac civitatis *arcana* ex *actis* publicis collegit, præter moderatum dicendi genus.

Digitized by Google

genus, & *Atticam* puritatem, Antiquitates *Romanorum*, ab ipſius origine urbis tantâ diligentiâ conſcripſit, ut *Græcos* omnes ac *Latinos* ſuperaſſe videatur. *Poſſev.* Biblioth. l. 16. c. 6.

Si quis veterem *Imperii* originem apud *Dionyſium* legat, ac cum *Livianâ* brevitate comparaverit, videbit opinor, nos haud immeritò prætuliſſe *Dionyſii* curam ac diligentiam *Livii* feſtinationi: adeò circumſpectè omnia *Dionyſius*; adeò negligenter *Livius* ea tractaſſe videtur. *Henr. Glarean.* ad *Carol.* 5. Imperator. Epiſt. quam in *Liv.* annotat. ſuis præmiſit.

Dionyſius Alexandri filius *Halicarnaſſenſis*, *Rhetor* in omni literarum genere præclarè verſatus. *Suid.*

Morum Romanorum diligentiſſimus Obſervator. *Grot.* lib. 3. de J. B. & P.

Gaudeamus (*Dionyſii* aliorumque fragmenta reperta,) de *Dionyſio* & *Polybio* imprimis; quibus nil poteſt in hiſtoria verius, prudentius. *Lipſ.* Epiſtolic. Quæſt. l. 4. Epiſt. 3.

Dionyſius Halicarnaſſæus gravis imprimis, certiſſimuſque *Hiſtoriæ Romanæ* ſcriptor. *Onuph. Panvin.* l. 3. comment. de *Rep. Roman.*

Vir imprimis gravis, & nemini in vetuſtatis *Romanorum* notitiâ ſecundus. *Gorop. Becan. l. 4. Origin. Antverp.*

Dionyſius ejus (*Herodoti*) popularis, ſummus dicendi magiſter, & ſuaviſſimus ſcriptor. *Ioſ. Scalig.* in Animadv. *Euſeb.*

Dionyſius Halicarnaſſæus diligens Antiquitatum inveſtigator. Rem Romanam dilucidè ante oculos ponit; quibus initiis, quo ordine, quibus actionibus, quo conſilio, quo eventu, ſingula geſſerit, egregiè ratiocinando, recenſet. *Car. Sigon.* de Hiſtor. Roman.

Stylus ejus atque Dictio, quæ novatorem deceat; & verò per inſuetam vulgo viam orationem impellit. At rerum ſingularum minuta explicatio & ſenſus illi quandam ſimplicitatem adfert, & ne ad ingratum ſermonem atque aſperum abripiatur, vetat. Digreſſionibus utitur non rarò: quare Hiſtoriæ faſtidium levat, reficitque lectorem interdum ac retinet. Ut autem verbo expediam orationis elegantiâ, rerum particularium narratione & digreſſione temperatâ, dictionem in aſperitatem abituram lenit. *Phot.* in Biblioth. Cod. 83.

Dionyſius Halicarnaſſæus; vir ille quidem doctiſſimus & *Rethor Criticus* excellentiſſimus, ſed profectò politicus interdum parum bonus, & cenſor alienorum ſcriptorum alicubi moroſus, ne dicam putidus. *Iſaac. Caſaub.* Comment. in Polyb. Vol. 3. p. 94.

Dionyſius Halicarnaſſæus in ſuo de *Antiquitatibus Romanis* libro ſenſûs, ſcientiæ & ratiocinationis profunditatem non vulgarem patefacit; Accuratione, diligentia, judicio, veracitate *Tito Livio* præpollet; magniq; ponderis eſt: Sed hæc omnia non impediunt quin admodum tædioſus *Concionator* ſit. *Rapin.* Refl. in Hiſt. Sect. 28.

* *Æmilii Porti in Dionyſium Halicarnaſſæum* notæ, cum quibus circumferuntur etiam *Henr. Stephani* & *Iſaac. Caſauboni* Notæ, cum *Expurgationibus* permittuntur. Index Madrit. Edit. An. 1667.

Extant ejus libri undecim *Hiſtoria Romana Græcè* cum verſione *Æmilii Portii*: addita eſt *Glareani* Chronologia, *Lugduni* apud *Franciſcum Fabrum* 1592. Fol.

SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS.

Claruit ante Chriſt. Ann. XIX.

ITalus, ex *Mevaniâ* oppido *Vmbriæ* oriundus. Celebritatem nominis *Romæ* adeptus eſt, cùm ſummâ ingenii comitate, tum elegantiâ carminum *Mecænati* & *Corn. Gallo* maximè acceptus fuit. *Ovidium* quoque *Tibullum*, & *Baſſum* inter principes amicos coluit, ad quos de ſuis caloribus & puellæ ingenio ſæpius ſcripſit. In puellam *Hoſtiam* miro quidem affectu exarſit; quam, mutato nomine [ut eſt autor *L. Apuleius*] *Cynthiam* appellare maluit. *Callimachum* præcipuè, *Cyreneum*, *Mimnermum* & *Philetam* Græcos Poetas in carmine ſecutus eſt, quorum manibus comitem ſe profitetur. Nam ut illi apud *Græcos* in *Elegiâ* longè præſtiterunt; itâ *Propertius* apud *Latinos* eorum imitatione primas videtur quorundam judicio conſecutus Libros quatuor *Elegiarum* compoſuit. *Petr. Crinit.* de Poet. Lat.

Ovidius certè cùm ſæpè de ipſo *Propertio* agat, *blandum*, *tenerum*. ac *dulcem* appellat multumque illius *Carmini* ſemper conceſſit.

Fabius Quintilianus cùm *Tibullum* maximè commendaverit, non deeſſe tamen, inquit qui *Propertium* malint.

Propertius, *facilis*, candidus, verè elegiacus: terſior tamen quàm exiſtimatus eſt à *criticis*: nam & amat quædam quæ minimè ſunt vulgaria. *Iul. Scal.* de re Poetic. pag. 814.

Lepidiſſimus & nitidiſſimus *poeta Propertius. Turneb.* Adv. l. 8. c. 2. Tanta verſuum *Propertii* jucunditas & amœnitas eſt, ut eos *dictantibus Gratiis* à poetâ exceptos cenſeas. Tantùm optarem ad aliam potiùs, quàm *amatoriam* materiam beatam illam & candidam ingenii *venam* contuliſſet: ut *juventuti* tutiùs legi poſſet. *Idem* ibid. l. 11. c. 15.

Dulciori eruditione, & eruditiore dulcedine nemo *Scriptor* eſt tota *Antiquitate* ante *Propertium*, quem Scriptorem quo magis rimaberis, eò magis amabis: quæ enim primo intuitu obſcuriora videbuntur, ea ſi penetraveris, omnium videbuntur naturali quadam *Venere* gratioſiſſima. *Caſp. Barth.* Adv. l. 9. cap. x.

Ingenioſiſſimus & limatiſſimus, etiam eruditiſſimus *ſcriptor* eſt *Propertius Græcarum* elegantiarum ſine pari gnarus & amator. Idem ibidem. lib. 32. cap. 9.

Varia eſt in *Propertio* & recondita eruditio, & præter ſententiarum elegantiam & acumen, multa in *verbis* quoque ipſis, quæ notatione & laude dignentur. Illud quidem in eo valde novum, & haud ſcio an facilè apud alium *Scriptorem* inventum, ut *verbis ſimplicibus*, utamur enim *Grammaticorum* vocibus, ut res poſſit intelligi, propriâ quadam & ſingulari ratione utatur pro *compoſitis*, eamque ſignificationem, quam *verba juncta* habere debebant, neſcio quâ opinione,

eleganti a:

Digitized by Google

elegantiæ: *verbis ſimplicibus* non raro tribuat. Exemplis fiet res manifeſtior. *Sectari* pro *inſectari*, *Teſtari* pro *deteſtari*, præter cæterorum *ſcriptorum* morem, apud hunc Poetam invenies, aliaque quæ ipſe afferre poſſum *Lipſ.* Var. lect. l. 3. cap. 7.

Propertius Elegiacorum Poetarum omnium facilè princeps. *Hofman.*

Propertius quatuor *Elegiarum* libros cultos & eruditos reliquit. *Lil. Gyrald.*

Propertium qui non amat, eum profectò *Muſæ* non amant. Tanta ejus verſuum ſuavitas eſt, ut quemadmodum *Comicus* ille ait, *Nil niſi mulſa loqui* videantur: tanta eruditio, ut non niſi *Phœbo* dictante credamus exceptos. *Lipſ.* lib. 2. Antiq. lect. c. 10.

Durum mihi quidem eſt ab acris judicii *Critico* [*Quintiliano*] diſcedere, qui *Tibullum* videtur præferre. Sed tamen in iis me eſſe fateor, qui *Propertium* malint. Quamvis enim *Tibullus* mire ſit jucundus, & elegans, *Latinæ* etiam *proprietatis* amantior, quam alter, qui ſæpè *Græciſſat* & in carmine exactior & rotundior: tamen *Propertius* illum eruditione, & ingenii ſuavitate videtur ſuperare, blandus omninò, & lenis in affectibus, in quibus etiam exprimendis nonnunquam, tanquam calidus amator, & amore deperditus, vehementior fuit *Roland. Mareſ.* l. 2. Epiſt. 6.

Tibullum, ita ut erat, accepimus, excultum atque expolitum. Eſt *Propertius* in manibus, & oris blandi Poeta, & altioris ſpiritûs, & fabulis creber, & imitatione *Græcorum* doctior. *Vavaſſ.* de ludic. dict. p. 187.

Propertius caſtigatiſſimus Auctor, & facundiſſimus. *Scaligerana* 1. p. 47.

Qui omnium optimè inter *Latinos* Stylo *Elegiaco* ſcripſerunt, ſunt *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*, *Tibullus*, elegans & politus eſt; *Propertius* nobilis & ſublimis, ſed utrique anteponendus eſt *Ovidius*, quia ſtylus ejus magis eſt nativus, magis movet & affectus ardentiores prodit, *Rapin.* Reflex. particular. 2. part Refl. 29.

Impar autem *Tibullo* haberi poteſt *Propertius*, licet Elegias aliquot pulcherrimas nobiliſſimo ſtylo elaboraverit: cùm in multis varius, & inconſtans, languidior aliquando, ac humilis, aliquando inflatior, & duriuſculus ampullas, & ſeſquipedalia verba projiciat frequentiùs, quàm in *Elegiis* tolerari debeat. *Iac. Gaddius* in *Elog. omnig.* p. 149.

Imitatus eſt *Propertius* ſcriptores *Græcos Philetam*, *Mimnermum*, *Callimachum*, [ut fatetur ipſe] quos *Latiali* carmine non infeliciter expreſſit: uno parum numeroſus, quòd *polyſyllabo* frequentiſſimè claudat *Pentametrum*. Quoties hic ſcriptor ex *Amoribus* ſuis evigilat, non ſtultè ſapit. *Borrich.* de Poet. p. 52.

Propertium edidere, & illuſtravere, qui *Catullum* & *Tibullum*; in quibus regnat editio *Scaligerana*, & recentior illa *Simonis Abbes Gabema*. Laudatur & Index *Tuſcanellæ* & *Paſſeratii*.

ALBIUS TIBULLUS.

ALbius Tibullus, *Romanus* Eques, natus eodem anno quo *Ovidius*, & *Meſſala Corvino*. *Horatioque* familiaris, à foro abſtinuit, atque juventutem fingendis

Claruit ante Chriſt. Anno XI II.

uti *recentiores* aliquot verboſi longitudine puerili, ac pené intolerandâ. Dictionem ſerpere humi, ac jacere non patitur, velut *Ovidius* aliquando, qui nonnulla excerpſit è *Tibullo*, hunc tamen longè ſuperavit ingenii tum acumine, cùm amplitudine, ac divite venâ, quam *torrentis* inſtar exundantem ſi cohibuiſſet judicio imperfecta excolente, majorem gloriam promeritus *Tibullo* præferendus eſſet. Par vero judicetur, vel major ob tot *poematia* elegiacis numeris concinnata, in quibus pulchri, bonique plus eſt *diffuſum* quàm in opere univerſo *Tibulli* collectum. *Iacob. Gadd.* in Elog. omnig. p. 148. 149.

Tibullus cætera tam accuratus, tam elegans & tam limatus in *Elegiis* ſuis, non tamen admodum talem in ſuo *Meſſalæ Panegyrico* ſe præbet: uſque adeò arduum eſt debitè laudare. *Rapin.* Refl. in Poeſ. par 2. Refl. 14.

Scitus & elegans, tum in verbis, tum in numeris *Tibullus*: ſed qui è Græcis pleraque fontibus expreſſerit. *Andr. Schot.* l. 2. c. 13. Obſerv. Human.

Commendatur editio *Paſſeratii*, nec minor laus Commentariis *Mureti*, & ſcholiis *Ioſ. Scaligeri*, Janique Douzæ

PUB. OVIDIUS NASO.

Natione *Italus*, patria *Sulmonenſis*, naſcitur die ſecundo quinquatruum, die 20. Martii, diebus 262. ante Mortem *Ciceronis* A. M. 3907. Ante *Chriſt.* 41. Obiit circa A. M. 3966. poſt *Chriſt.* 17. *Seth. Calviſ. Scripſit* quamplurima vulgò nota, ex quibus dolendum eſt, interiiſſe *Halieutica, Medeam*, & ſex libros *Faſtorum* poſteriores. Clar. ante Chriſt. Ann. VII.

In eo *opere*, cui titulum fecit *Metamorphoſeon*, ſecutus eſt *Parthenium Chium* Poetam, qui Græcè ſcripſit præclarum Poema pari argumento & materia ſimili Id.

Ovidii Opus in tanto pretio habitum eſt *Græcorum* ingeniis, ut illud converterint in ſuum ſermonem: eſt enim refertum varia atque multiplici eruditione: quanquam ipſe autor inemendatum atque imperfectum reliquit, ut ipſe teſtatur verſiculis additis. Nam abſente illo atque etiam neſciente, editum eſt in vulgus ab amicis *Faſtorum* libros ſex compoſuit, eoſque ad *Germanicum Druſi* filium miſit: reliquos per importunum obitum, & adverſam *exilii* fortunam [ut plerique putant] non potuit perficere; ipſe tamen alicubi aſſerit duodecim à ſe compoſitos; *opus* quidem eruditum, & plenum magnâ & copioſâ rerum ſcientiâ. *De Amoribus* tres libros ſcripſit, in quibus ſub ficto nomine *Corinnæ* maximè probavit ingenium ſuum. Complures etiam *Epiſtolas*, in quibus eſt uſus mirâ elegantiâ, & artificio ſingulari, ut *Critici* aſſerunt.

In *Elegia* habitus eſt paulò laſcivior, ut qui nimium quandoque indulſerit ingenio ſuo *Petr. Crinit.* de Poet. Lat.

Tantæ ſemper omnibus admirationi *Ovidius* fuit, ut non ingenioſus, ſed ingenium ipſum: non latinus, ſed ipſa latinitas: non Muſarum ſacerdos, ſed

 ipſum

Digitized by Google

ipſum Muſarum numen ſit habitus. Quod ad linguam latinam attinet, eruditi omnes uno ore confitentur,ſi funditùs illa eſſet amiſſa,unius autem *Ovidii* ſcripta exſtarent, ex illis commodiſſimè poſſe reſtitui. *Giſan.* Apolog. pro Poët. lat. pagin. 484.

Opus ejus univerſum, ingenium potiùs refert, quàm curam. *C. Barth.* Adverſar. lib. 58. 9.

Laſcivus quidem in *Heroicis* quoque *Ovidius*, & nimium amator ingenii ſui: laudandus tamen in partibus. Quintil. l. 10. c. 1. Inſtit.Orator.

In *carminibus* non ignoravit vitia ſua, ſed amavit. *M. Ann.Senec.*l. 2. declam. declamat. 1. *Idem* quinto libro *Controverſiarum* Battologiam *Ovidio* objicit. *Ovidius* magnâ in verbis novandis licentiâ utitur, ac neque humilia & à plebe petita faſtidit; eaque re non nemini viſus eſt *Argenteæ* potiùs *ætati* accenſendus. *Gaſp. Sciopp.* in libro cui tit. conſultat. p. 41.

Ovidius Poetarum ingenioſiſſimus egregiè illud pro magnitudine rei dixit: *Omnia Pontus erant: deerant quoque littora Ponto*; niſi tantum impetum ingenii & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet. *Nat.lupus inter oves, fulvos vehit unda leones*; non eſt res ſatis ſobria laſcivire, devorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantæ confuſionis imaginem cepit, cùm dixit; *Expatiata ruunt per apertos flumina campos---- Preſſæque labant ſub gurgite turres.* Magnificè hoc, ſi non curavit, quid *Oves* & *Lupi* faciant. *L. Ann. Senec.* lib. 3. cap. 27. Natural. Quæſt.

Jam verò ad eum pervenimus locum, in quo & ingenii magnitudo, & acumen judicii exercenda ſunt. Quis enim de *Ovidio* ſatis dignè dicere poſſit, nedum ut eum audeat reprehendere: *Faſtorum* ſtylus facilis, candidus: eruditio priſca & multa: ac tametſi materia non ſemper admittat cultum, ingenium autem viri non ſæpè; multis tamen in locis ſeipſo limatior atque terſior eſt. Minus laborati *libri Triſtes, De Triſtibus* malè inſcribuntur: quemadmodum & *de Ponto*, nihilo majore cura commendandi. *Epiſtolæ* omnium illius librorum politiſſimæ. Nam & ſententiæ ſunt illuſtres, & facilitas compoſita, & numeri poetici. *Iul. Cæſ. Scalig.* in Hypercrit. p. 854. 855.

Uno vincitur [*Manilius*] quòd non poteſt *manum tollere de Tabulâ*, & [quod tam falsò quàm immeritò, *Ovidio* olim] nunquam ſcit deſinere.--Hoc ut non mediocre vitium eſt in nitido *ſcriptore*, ita puri ſunt ab hac labe [*nimia earundem vocum iteratione*] principes Poetæ, *Virgilius* & *Ovidius*. *Ioſ. Scalig.* Proleg. *Manil.*

Omnes *Ovidius* tranſcendit. Sive falſa probabiliter, ſive obſcura perſpicuè, ſive utraque ornatè, ſive omnia ſimpliciter ſint exponenda. Falſa, ut in *Metamorphoſi*. Obſcura, ut Mathematica, & antiquitatis arcana in *Faſtis*.

Quæ ad *Mores* pertinent, ubique. Etiam cùm ludit aut laſcivit. Idque verbis & oratione vulgari. Ut & dicat quæ velit, & doceat quæ quiſque intelligat, tam admirabili felicitate, ut cum quivis idem poſſe videatur, nemo poſſit. Nemo, niſi magni animi & excitati tentare idem auſit: Sapientes etiam deſperent. Ubique *ſententiæ*, ubique *loci communes*. de ignavia de diſciplinis brevitate

brevitate formæ, opum contemptu. *Dan. Heinſ.* libr. de conſtitut. *Tragæd.* ſecundum *Ariſtot.*

Ovidii facilitas eſt inimitabilis. *Scaligerana* 2. *Poetarum Ciceronem* vocat *Eraſmus* in *Ciceroniano* p. 147.

Cum adeò facilis ejus dictio videatur, ſubinde tamen occurrit, ubi ob trajectionem verborum duriuſculus videatur. *Voſſ.* de Poet. Lat. p. 30.

Ubique ingenioſus eſt *Ovidius*, quod nemo unquam, niſi qui ipſe ingenioſus non eſſet, negavit; Ubique doctus eſt *Ovidius*, de quo non minus apud omnes conſtat: ſed haud equidem ſcio an alibi doctior ſit & ingenioſior, quàm in ſecundo *Triſtium*. Neque adeo mirum eſt: cauſam apud *Auguſtum* agebat, Principem doctum, Principem Poetam. *Tanaquil. Fabr.* lib. Epiſt. 1. Epiſt. 37.

Haud equidem ſcio, ſitne aliquid in toto *Latio*, quod elegantius & ingenioſius ſcriptum ab ullo Poëtâ fuerit, quàm *Elegia* octava libri 2. *Ponticorum*; ita ſunt ibi omnia terſa, ita omnia varia, & πολυμαθῆ, καὶ πάσας ἰδέας καὶ εἰ γλαφυρὸν ποίημα. *Idem.* ibid. Epiſt. 71.

Jeſ. *Rapinus Ovidii Faſtis* hanc gloriam tribuit, quòd ſit *Opus* omnium quæ edidit placidiſſimum, quodque ſolidum judicium maximè prodit. Dicit inſuper Poetam hunc tum demum cum ſeneſceret Faſtoſque componeret attingere potuiſſe Prudentiæ ac Moderationis perfectionem quæ in hoc poſita eſt ut quis ea tantùm dicat quæ neceſſaria & convenientia ſunt; Eum hoc tantùm loco moderatum & circumſpectum eſſe; Eumque alibi ſemper juvenilem animum exhibere. *Rapin.* Comparat. Hom. & Virgil. cap. 11.

Rapinus aſſerit *Ovidium Propertio* atque *Tibullo* in Elegiis anteponendum eſſe, quia magis nativus eſt ſtylus ejus, magis movet, & ardentiores affectus prodit; & quia hoc pacto meliùs quàm cæteri *Elegiæ* Characterem expreſſit. *Rapin.* Reflex. in Poet. Refl. 29.

Optandum erat, ut extaret *Ovidii Medea*. Nam cum ingenium ejus viri tale ſit, ut penè modum humanæ conditionis excedat; ſi quo peccat, eo peccat, quòd, magnorum fluminum inſtar, interdum redundet. Quod ſi in eo vitium eſt, tot ſuis virtutibus ſatis illud compenſat. *Voſſ.* Inſtitut. Poetic. l. 11. p. 73.

Ex omni choro *Authorum*, quem unà legeremus ſegregavi *Ovidium*. Torvum enim illud & moroſum *Virgilianæ* Majeſtatis reveriti; incertum & intricatum *Papiniani* tumoris abominati ſumus. Et *Horatium* ſæpè ſuaviter nequam; dictiſque elegantibus & præceptis non raró laſciviæ ac intemperantiæ virus admiſcentem reſpuimus. Quin & ipſum præterire auſi ſumus *Ciceronem*, ſubinde dum largo flumine *verborum* exundat, *rebus* & *ſenſibus* parcum. Quidni igitur *Ovidium* in manus ſumerem? *Ovidium* dixi, imò potius *Genium* quendam ingenii ac eloquentiæ in *Humanâ ſpecie* ludentem. Cujus *verſiculos* nec mortalis aliqua cura finxiſſe; nec ſtudium expreſſiſſe; neque *ars* concinnaſſe; ſed vel *natura* ipſa ſponte effudiſſe, aut *divinior* quædam *Muſa* dictâſſe videatur. *Ovidium*, lacteâ ubertate eloquii, facili proprietate verborum, ſincerâ puritate ſermonis, ſententiarum appoſito lepore, utilique acumine; æquali calore, & continuo *ſtyli* ſpiritu cuivis conferendum; cæterùm inexhauſtâ inventionis

copiâ,

copiâ, candidâ ſenſuum perſpicuitate, lautâ ſupellectile *Hiſtoriarum*: varietate ac divitiis omnigenæ doctrinæ; & mirificè ſuavi, facili, lævi, ac rotunda compoſitione *carminum* cuivis longè præferendum *veterum Poetarum*. Cui nihil unquam aliud vitio datum eſt, quàm quod intemperantis ingenii fuerit, quòdque vir amoribus alioqui nimium deditus, ſui quoque ingenii nimius amator extiterit. *Iſaac Barrovv.* Opuſc. p. 120.

De *Ælio Vero* Imperatore tradunt *Hiſtoriæ Auguſtæ* ſcriptores, eum uſque adeò deamâſſe librum *Ovidii de Arte Amandi*, ut illum ſæpiùs in lecto decubiturus legerit, & dormiturus pulvinari impoſuerit.

Operum *Ovidii* emendatiſſima eſt editio, quam *Nic. Heinſius* ad *MSS.* codices plures emaculavit & in 3. Tomos diviſam, notiſque *Criticis* illuſtratam *Amſtelodami* ex officina *Elzeviriana* Ann. 1661. edidit: quam ſecuta illa *Burchardi Chippingii* itidem Tomis 3. *Lugd. Batav.* ex *Officinâ Hackina* An. 1670.8. divulgata.

* In *Ovid. Metamorph.* libros commentaria, ſive Enarrationes Allegoricæ, vel *Tropologicæ*, omnino prohibentur in *Indice Tridentino*; vid. *Appendicem certor. Auctorum.*

Hoc *Ovidii* Epitaphium:

Hic ſitus eſt Vates, quem Divini Cæſaris *ira*
Auguſti *patriâ cedere juſſit humo.*
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris:
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

GRATIUS FALISCUS.

Clar. Paulò ante Chr.

Cynegeticorum ſcriptor *Ovidii* tempore vixit. Hunc auctorem primus *Actius Sannazarius* è *Galliis* ſecum attulit, & typis mandavit. Notis doctiſſimis eum illuſtravit *Ianus Ulitius* An. 1645.

Ecce antiquum Poetam Latinum *Virgilio* & *Ovidio* Coævuum qui celeberrimus fuit puro illo Seculo quo ampliſſima Ingenia floruerunt, & Poeſis ſeveriſſimorum Iudicum cenſuræ obnoxia fuit, qui mediocribus eſſe Poetis non conceſſere. Stylus ejus ubique conciſus, caſtus & floridus eſt. Ejus comparationem melius inſtituere non poſſum, quam ſi *Virgilii Georgicis* æquiparari poſſe dixero. Idem fere Argumentum tractat, & quantitate ipſum ferè adæquat quoad Carminum numerum. In hujuſmodi comparatione nollem videri Virgilium deprimere, cui meritam exiſtimationem nequaquam denego: Sed mens mihi tantùm eſt *Gratium* ad debitum celebritatis gradum evehere apud eos quibus nondum innotuit quem Characterem tribuere debeant huic Poetæ, qui hactenus parum tritus fuit apud nos: Noſtrum hoc judicium, ni fallor, ab iis probabitur, ſi opus ipſum perlegere non graventur, cujus ea eſt brevitas, ut diuturnum otium ad ejus lectionem non requiratur. Ipſe *Ovidius* nobis hac in parte ſuffragaretur.

Poſtrema

Digitized by Google

Poſtrema quarti ejus libri *de Ponto* Elegia præclarum eſt Opus in quo ſingula ſæculi ſui ſolertia ingenia recenſet: Quorum nomen perennibus carminis ejus Monumentis durabilius evaſit quàm ſi Annalibus in Capitolio aſſervandis inſertum fuiſſet. In hac Elegia Poetam hunc eodem ordine cum *Virgilio* collocat.

Tityrus, antiquas & erat qui paſceret herbas;
Aptaque venanti Gratius arma daret.

Et reverà ætate ſuppar videtur illi fuiſſe, ut & argumento & ſtylo ei parum diſſimilem ſe præbet. Et auſim aſſerere neminem qui acri & ſtudioſo ingenio præditus ſit, ejus Melodia ſeu arte non delectatum iri. Et perfecti illi homines qui quodam quaſi connubio binas hujuſmodi dotes, tam rarò in eodem pectore ſociabiles conjunxerunt dictionum ejus Harmonia intime afficientur. *Chriſt. Vaſe* Præf. ante *Gratium* de *Venatione*.

Duo elegantes Poetæ *venationis* præcepta poemate tractarunt, *Gratius* & *Nemeſianus*. *Nemeſiani* ſtylus candidus: nec vulgare ſonans: *Gratius* verò caſtigatior. *Jul Caſ. Scal. l. 6.* Poetic. p. 850. 851.

Idem tractat argumentum *Gratius*, & *Nemeſianus* apud nos: *Græcis Oppianus*: Magnus hic Poeta, ſicuti ſæpè à nobis dictum eſt; quicum *Græcorum* neminem auſim comparare. Quamobrem noſtros quoque duos hoſce ab illo puto longè ſuperatos: quippe cujus unius ſpiritu *Virgilianam* divinitatem repræſentatam ſemper judicavi: tantum abeſt ut cum hujus numeris illorum verſus conferri poſſe rear. Atque eos quidem ambos cum plebeios judicem, *Gratii* puritatem atque rotunditatem, denique inventionem & ordinem antepono. Id quod ſigillatim perpendenti omnia, ſatis patebit. *Idem* ibid. l. 5. p. 578.

Feliciſſimum Latinorum ſeculorum facilè in *Gratii* poemate agnoſcas; nil enim vulgare aut ineptum ineſt; omnia eodem filo gravitatem & elegantiam ſervant *Caſp. Bart.* Adverſar. l. 1. c. 16. p. 37.

Si à *Marone* receſſeris, quem *Gratio* noſtro præferre poſſis Poetam toto *Latio* ne unquam quidem habebis. Idem ibid. l. 6. c. 5. p. 265.

Notamus in hoc ſcriptore eruditionem non pœnitendam, judicium acre, lectam dictionem, ſed humiliorem ſubinde charactere *Epico*, neque id injuriâ, cùm argumentum operis id depoſcat. *Borrich.* de Poet. p. 54.

Gratius aurei & latiniſſimi ſeculi Poeta. *Joan. Nieſſ.* l. de ort. & occaſ. ling. lat.

Gratium noſtrum neque florentibus *Romani* adhuc *Imperii* rebus magnopere cognitum fuiſſe, teſtari nobis abundè cum damno noſtro poteſt *Nemeſianus*; qui aliquot poſt ſæculis de *venatione* librum ſcripturus, jactat primum ſe *Romanorum* illud iter ingredi; non facturus ſi floruiſſet nominis Poetici *gloriâ* tum *Gratius*, *Caſp. Barth.* Adverſar. l. 57. c. 17.

Gratius, luculentus Poëta, & in quo meritò ſeculi felicitatem agnoſcit Incomparabilis Cenſor *Scaliger*. Eruditiſſimum illius Poëmation, quod *Cynegeticon* inſcribit, primus ex carcere ſqualoris & ſitûs vindicavit *C. Barthius*; cui

paſſim Poëta nullo poſt *Maronem* inferior, egregius & ſummo proximus Vates, audit: in quo caſtigata & erudita Phraſis preſſaque & ſemper ſibi æqualis. *Tobias Magirus* in Eponymolog. Critic.

Gratius Poëta cultus ac terſus. *Dempſter.*

De hoc Poëtâ optimè meruit *Chriſtophorus Waſe*, qui verſibus Anglicanis elegantiſſimè expreſſit, atque commentario illuſtravit.

C. JULIUS HYGINUS.

Claruit Ann. Dom. IV.

TEmpore *Octaviani Auguſti*, cujus erat libertus floruit. *Scripſit* librum de vitâ rebuſque virorum illuſtrium: De familiis Trojanis: De ſitu Urbium *Italicarum*: commentarios in *Virgilium*: librum de Agriculturâ: librum de *Penatibus*. Hodiè verò nihil *Hygini* habemus præter *Poeticon Aſtronomicon* ad *M. Fabium* & *Mythologiam*. *Thomas Munckerus* hæc edidit, commentariiſque illuſtravit, Anno 1681. *Amſtelodami*, in 8.

Eſt hic auctor ut quidem non ita purus atque elegans, adeo ut in quibuſdam parum etiam *Latinus* videri queat, ita vetus tamen, & à reliquis *Hygini* ſcriptis, quæ quidem ad nos pervenere; non omninò abſimilis aut abhorrens, præcipuè autem utilis iis, qui in *humanioribus* hiſce ſtudiis multum ac diligenter verſantur. Ex hoc enim non pauca, quæ tum apud *Ovidium*, tum apud alios pleroſque Poëtas minimè hactenus, aut certè perperam intellecta ſunt, intelligi & explicari tandem poſſe videntur, multaque hic plana jam atque expedita reperias, quæ dudum magnos atque eruditos quoque viros variè ac miſerè torſerunt. *Jac. Mycill.* in Epiſt. nuncupatoriâ.

Et *Auguſtales* liberti, *Phædrus* & *Hyginus*, etſi in hunc poſteriorem, quemadmodum & in *Aſconium Pedianum*, poſterioribus ſeculis nonnulla minus *Latina* irrepſiſſe palam eſt. *Sciopp.* de Styl. Hiſtoric. Apud *Hyginum* offerri non pauca parum *Latina* & fæces ſequioris ævi redolentia ſatis eſt manifeſtum: tum frequenter illum in narratione *fabularum* diſſentire à ſemetipſo, ac variare. Unde convinci poſſit interpolatus non ab una manu, *Scholiaſtas* Poetarum ac *Mythologos* præſertim *Græcos* compilante. *Nic. Heinſius.*

Eſt ſimilis ſibi hic ſcriptor, licet minimè unius auctoris liber ſit, ſed *Epitoma* ex *Hygino* & aliis contracta. *Barth.* l. 5. adverſar. c. 2.

Hygini nomine præſtantem librum ego *Rhapſodiam* ex omnibus hinc inde Mythologorum libris concinnatam eſſe arbitror. Nam apud *Fulgentium* integræ periodi ſunt, quæ hic extant; niſi tamen arrogans ille & invenuſtus, addo etiam ſemibarbarus & ſeſquiſolœcus ſcriptor *Hyginum* potius exſcripſit. Barth. Adv. l. 10. c. 12.

Quæ phraſis ſtylique facies in *Hygini* fabulis & multa in eo notanda ſunt ab uſu *Latinitatis* hodiernæ remota, quæ tamen *Barbaria* damnare non poſſis, multa ob elegantiam commendanda. *Barth.* l. 8. Adverſar. c. 6. (Sunt in iſto faſciculo *Hygini*) nonnulla, quæ vix infimâ *Latinitate* ſubſiſtant. *Reineſ.* l. III. variar. lect. p. 372.

Judicium

Digitized by Google

Judicium in *Grammatico*, qui *fabularum* librum capitum ducentorum ſeptuaginta ſeptem conſtipavit, & præfixo *Hygini* nomine ætatem mentitus eſt, & anctoritatem, meritò requiramus multis de cauſis. *Idem* ibid. c. 8.

Julius Hyginus ſcripſit ad *M. Fabium Quintilianum*, cui familiariſſimus fuit, *De Mundi* & ſphæræ *ratione* utile ſanè *Aſtronomicum*. Prætereà de *ſignis cœleſtibus* opus, in quatuor libros diſtinctum. *Anton. Riccobon.* in fragm. Hiſt.

Nota magis nulli domus eſt ſua, quàm *Hygino* Cœlum. *Franc. Mod.* Epiſt. 9. *Novantiq. lect.*

Hic *fabularum* liber ad omnium poetarum lectionem mirè neceſſarius. *Geſner.* in Biblioth.

Hyginus plebeius bonæ ætatis ſcriptor. *Sciopp.* in Infam. *Famian.* p. 49.

T. LIVIUS.

Patavinus, quarto obiit *Tiberii* Anno, ætatis ſuæ 76. quo & *Ovidius* deceſſit *Tomis*: Ut de utroque *Euſebius* in *Chronicis* teſtatur. *Scripſit* Hiſtoriarum libros 140. Iis complectebatur *Res Romanas* ab U. C. uſque ad bellum in *Germaniâ* geſtum à *Druſo*, ejuſque mortem. Ex illis ſoli ſuperſunt 35. Nam ſecunda periit *Decas*, & quicquid ſequebatur librum 45. cæterorum nihil habemus præter argumenta, quæ Epitome *Liviana* (ſi argumentum libri 136. & 137. exceperis) continentur, ſive ejus *Florus*, ſive alius eſt auctor. Claruit Ann. Dom. XII.

Eximius ſcriptor *Livius Patavinus*, Romanæ pater Hiſtoriæ *Blond. Flavius*, *Ital.* illuſt. principio.

Diligentiſſimus ſcriptor, ab bene tum loquendum, tum ſentiendum in negotiis cum primis utilis. *Lud. Viv.* de tradend. Diſcipl. l. 5.

In *Livio* libertas maxima, prudentia non parva, dicendi copia major, quàm diligentia: ideoque à Principe *Caio*, tanquam verboſum & negligentem notatum fuiſſe crediderim. *Car. Sigon.*

T. Livius Hiſtoricorum princeps fuit. Scripſit Hiſtoriæ Romanæ 140. libros arte ac elegantiâ tantâ, prorſus ut nec ætas ſuperior, neque tota poſteritas, non modò potiorem, ſed ne parem quidem ullum habuerit ſcriptorem. *Leand. Albert.* in *Ital.* deſcript.

Non eſt Antiquarius *Livius*, fateor: ſed nec omnia in eo protrita, & à fæce vulgi. Vetuſtæ dictionis plura haud dubiè extarent veſtigia, abſque *correctorum* audaciâ ſi fuiſſet. *Lipſ.* Epiſt, Quæſt. l. 4. Epiſt. 10.

Eſt *Livius* magnitudine quidem & majeſtate operis ante omnes. Diffuſus ille & placidus, in concionibus maximè diſertus; & talis omninò, qualem *Fabius* deſcripſit. *Patavinitas* ei objecta ab *Aſinio*, id eſt, niſi fallor, ſermonis quædam peregrinitas, nec tam in verbis quam in ſtylo toto. Nos quoque ſupinum eum alibi, aut frigidum, imò & ταυτολόγον agnoſcimus: derivaturi libenter tamen in exſcriptores hanc culpam. Judiciis ſententiiſque bonus eſt, etſi non frequens: quid refert? pro ipſo loquitur doctèque copia tot eventuum & exemplorum. *Lipſ.* not. ad Poetic. l. 1. c. 9.

Nihil hoc ſcriptore eſt grandius atque uberius. De ſtylo litem intentabat olim *Aſinius Pollio*. *Patavinitatem* in eo animadvertere ſe ajebat, ut *Fabius* teſtatur l. 8. c. 1. Nimirum delicatum hominis palatum videbatur ſibi aliquid ſentire, quod non uſquequaque ſaperet genium *Romani* ſermonis. At non audiendus eſt *Keckermannus*, quando hinc colligit, reprehenſum ab *Aſinio* eſſe ſublimem *Livii* ſtylum. Uti &, cùm à *Senecâ* culpari putat l. 1. de *Irâ*. c. ultimo; & de Tranquillitate c. 9. Nam longè aliud & *Fabium* & *Senecam* velle, nemo diffitebitur, qui verba eorum attendat. *Voſſ.* de Hiſt. *Lat.*

Livii Patavinitatem, quam guſtabat *Pollio Aſinius*, nos non guſtamus; ſcilicet non habemus jam palatum uſque adeò eruditum, aut certè moroſum. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl.

Livius ſermone illo, quem *Pollio Patavinitatem* dixit ſapere, eloquentior fuit multis *Romæ* natis, & fortaſſis illo ipſo *Pollione*. *Idem*. l. 2. De cauſ. Corrupt. Art.

Quod ſi Pollio ſibi ſolus *Romanè* vel loqui, vel ſcribere viſus eſt, cui *Livius* olet *Patavinitatem*, *Virgilius Mantuanitatem*, *Ciceronis* dictio parum ſapit, ſanè ſi iis quæ illius extant, non dixit meliora: malim profectò cum hiſce minus *Romanè* loqui, quàm cum illo eum ad modum, quem legimus ex fragmentis. *I. C. Scaliger*. l. 4. c. 17. Poëtic.

Philippus Cominæus Livium vocabat *Latinorum Polybium*, omnibuſque ſenatoribus & rerum publicarum gubernatoribus perlegendum dicebat.

Magnatibus viris nulla eſt lectio magis accommoda quàm *Hiſtoricorum*, inter quos facilè primas tenet T. *Livius*, de *Latinis* loquor. *Eraſm.* l. 28. Epiſt. 15.

T. Livius non rarò ſecum ipſe diſſidet in rerum geſtarum narratione, tantum abeſt, ut nuſquam aberret à vero. *Idem* in *Ciceroniano* p. 109.

Livio non alius jucundior, etſi ad primum guſtum ſubauſterus ſit. *Idem* l. 28. Epiſt. 8.

Non movere debet *Henricus Glareanus*, vir variæ eruditionis, cùm (præfatione Annotationibus in *Livium* præmiſſâ) *Livium* bellicoſæ Gallorum gentis res geſtas odioſè tractare, virtuteſque eorum malignè elevare conqueritur. Quod etiam *Barthius* facit Adverſariorum l. 60. in *Auguſt.* De *Civitate Dei*. l. 1. c. 6. Quàm enim *Livius* veritati ſtuduerit, vel ex eo conjecturam capere poſſumus, quòd in deſcriptione Belli civilis, ne Auguſto quidem in tantum voluerit gratificari, ut aliter res narraret, quàm factum ſciret. *Voſſ.* de Hiſtor. Lat.

Multi *Livium* improbant, quod ſuperſtitioſè referat prodigia tam multa: ut boves locutos, infantes ſemeſtres Triumphum clamaſſe. Quæ ſanè in Gentili laudem magis merentur, cùm qualemcunque numinis cultum ἀθεότητι oporteat præferre. *Idem* ibid.

Ne indignetur ſibi *Herodotus* æquari *T. Livium*, cùm in narrando miræ jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus, ſupra quam enarrari poteſt, eloquentem: ita dicuntur omnia cùm rebus, tùm perſonis accommodata.

Sed

Digitized by Google

Sed affectus quidem, præcipuè eos, qui ſunt dulciores, ut parciſſimè dicam, nemo Hiſtoricorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam *Saluſtii* velocitatem diverſis virtutibus conſecutus eſt. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Magnus, *Deus* bone, autor *T. Livius*; lacteâ quadam ubertate dictionis divinitùs facundus; amans virtutum, oſor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum ſagi, etſi non ex uſu, neque experientiâ, egregiè tamen peritus: denique, ſi quid judico, hoc ſolum ingenium (de *Hiſtoricis* loquor) populus *Romanus* par imperio ſuo habuit. *Caſaub.* præfat. Polyb. præmiſsâ, p. 54.

Cæterùm tantus & tàm admirabilis ſcriptor, ut eloquentiâ *Polybium* facilè vincit, quod ingenue fateor: ita aliis dotibus à *Polybio* non obſcurè vincitur. Nam, ut de libro ſexto nihil dicam, & id genus aliis *Polybii* digreſſionibus; & *Tacticæ* imperitiam, eſt, ubi deprehendas, quod noſtri commentarii *Polybiani* docent: & in cauſis rerum aſſignandis, à ſincero noſtri judicio, præ nimiâ ſuperſtitione non rarò deflectens, aniles ineptias ſolidis rationibus, & certis illius demonſtrationibus anteponit. Illa quoque tam frequens & tam accurata portentorum enumeratio, annon eundem hunc animi illius morbum palam facit? Ut non abhorreat à veri fide, quod memoriæ proditum eſt à nonnullis, *Gregorium Magnum Pontificem* Religionis Chriſtianæ propagandæ ſtudioſiſſimum, hac tanti ſcriptoris ridiculâ ſuperſtitione offenſum, ex omnibus Bibliothecis ejus Hiſtorias curaſſe tollendas. *Idem* ibid.

Polybii veſtigiis (ut accuratè oſtendit *Fulvius Urſinus*) paſſim inſiſtit *Livius*, uſque adeò ut ſæpè etiam verbum penè verbo interpretetur. *Voſſ.* Inſtitut. Orator. l. 1. p. 39.

Omninò aſſentire malo *Petrarchæ, Crinito, Politiano, Sigonio*, atque aliis, qui diviſionem eam Decadum, non à ſcriptore, ſed librariis eſſe, putant. Movet verò me illud, quod etiam iſtos movit: nempe quòd *Cenſorinus*, *Diomedes*, ac veterum alii, nunquam *Decadum*, ſed ſemper librorum meminere. *Voſſ.* de arte Hiſt. c. 25.

Neque partitiones *Decadum* ab ipſo *Livio* ſunt, quod Profeſſorem *Humanitatis* ignorare non decebat; antiqui enim *Grammatici* non *Decades*, ſed *Libros* agnoſcunt. *Laurent. Pignor.* in Sym. Epiſtol. Epiſt. 44.

In *Decades* faſtidioſam legentium ignaviam Livii centum & quadraginta libros diſpeſcuiſſe veroſimile eſt. *Act. Erudit.* Cal. Mart. An. 1683.

Rufus Avienus, *Servio* teſte, *Livium* carmine expreſſit. *Iambico.*

Elegans eſt editio illa quæ cum perpetuis *Ioan. Fried. Gronovii* & *Variorum* notis in 3. Tomos diviſa, *Amſtelodami* apud *Ludovicum* & *Danielem Elzevirios* in 8°. Annis 1664. & 65. excuſa fuit. Præferenda verò eſt illa editio, quæ cum notis *Ioan. Doujatii* prodiit, juſſu *Chriſtianiſſimi Regis*, in uſum *Delphini*. Tomis quinque, Pariſ. 1679, 1680, & 1681. in 4°.

Hoc *T. Livii* Hiſtorici Epitaphium in *Palatio Patavino* ſub veteri Statuâ.

Oſſa tuamque caput cives tibi, maxime Livi,

Prompto animo hîc omnes compoſuere tui.
Tu famam æternam Romæ, *patriæque dediſti.*
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hac; & ſi majora liceret,
Hoc totus ſtares Aureus ipſe loco.

Anno ſeculi hujus decimo quinto *Bambergæ*, *Hectore Cotzavio*, *Imperialis Eccleſiæ Decano*, *Bibliothecam* Publicam recognoſcente ac transferente, inventa eſt à *Iohanne Horrione Societatis Ieſu* Theologo prior pars libri 33. *Tits Livii*, anteà deſiderata. Prætereà membranam palmulæ, quâ pila luditur, à ſphæriſterii Magiſtro injunctam, deperditorum quippiam *Livii* continentem, ſe vidiſſe *Doujatio* narravit *Iohannes Capellanus*, vir celeberrimus. In Regis etiam *Hiſpaniarum Scorialenſi* Bibliothecâ nondum in vulgus editos quoſdam *Livii* libros haberi vulgò fertur. *Conſtantinopoli* verò in *Turcarum* Imperatoris Regiâ integrum *Livium* extare, ex Imperatorum *Græcorum* Bibliothecis, quas inſtructiſſimas fuiſſe nemo ignorat, ſuperſtitem, jam olim *Petrus Vallius* (*Pietro* della *Vall*) Epiſtolarum exoticarum partis primæ ſeptimâ narravit: adjiciens, eum *Codicem* quinque millibus *Ducatonis* Magnum *Hetruriæ Ducem* aliquando redimere voluiſſe; *Gallicarum* etiam Regis Legatum *Sanſium*, è gente *Harlaâ*, decem millibus eundem animoſe licitum eſſe, ac citra dubium grandi hac æris ſummâ iſtum obtinuiſſe à Bibliothecæ in Palatio *Imperatoris Turcici*, cuſtode, ſi is invenire *codicem* iſtum potuiſſet, quem disjectum ferebat, cùm exhibere ſibi eundem *Legatus* cuperet. Quo ipſo tamen vanitas narrationis hujus manifeſta & fides ſubleſta redditur. Ut adeo quæ nuper modo percrebuit fama de *Livio* integro, à *Baſſa* quodam Regi *Galliæ* pro immenſâ vi auri quàm poſtulaverat oblato, eodem loco habenda ſit. *Act. Erudit.* An. 1683. Calend. Mart.

STRABO.

Claruit Anno Dom. XV.

NAtus *Amaſæ* civitate *Ponti*, *Philoſophus* fuit *Stoicus*, quanquam & Philoſophiam *Peripateticam* attigit. *Geographus* præſtantiſſimus fuit, cujus 17. *Geographiæ* libri quos *Tiberio Cæſare* rerum potiente conſcripſit, etiamnum hodie extant. *Scripſit* & alios, ac inter eos, commentarios hiſtoricos utiles ad moralem ac civilem Philoſophiam, ſed ad nos non pervenerunt. Obiit circa annum 12. Imperii *Tiberii*, extremæ ſenectutis. *Hofman.*

Strabo vir profecto maximus. Extant ejus 17. *Geographiæ* libri; quos non unâ de causâ maximi facere oportet. Fuit enim egregius Philoſophus. Alterum etiam eſt, quod labores *Strabonis* maximopere nobis commendat: ſiquidem priorum *Geographorum* nemo plus terrarum luſtravit. *Geographiam* ſuam ſcribebat An. U. C. 771. quarto anno Imperii *Tiberii Cæſaris.* Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 1. c. 6.

Ex his apparet, quanto judicio uſus ſit *Strabo* in Hiſtoricis iſtis: longè aliter ac *Plinius*; qui multa ex *Megaſthene*, & ſimilibus, ſuis infarſit libris, de rei veritate

ſecurus,

Digitized by Google

ſecutus, dum bonâ referat fide, quæ apud *veteres* legiſſet. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. c.12.l.1.

Unus extitit *Strabo Philoſophus* αἱρέσει quidem *Stoicus*, cæterùm doctus, *Deus bone*, & laborioſus, prorſuſque ad unguem factus homo: qui omni doctrinâ eruditus; iiſque omnibus præſidiis abundè inſtructus, quæ ad rem Geographicam deſiderari poſſunt, rem & magno animo ſuſcepit, & tantâ felicitate confecit, ut perſuaſum habeam, ſi quis diligenter hujus ſcripta verſare voluerit, eum antiquiorum *Geographorum* jacturam patienter ferre opus; namque relictum nobis eſt à ſummo ſcriptore, quod præter accuratiſſimam totius orbis tunc cogniti deſcriptionem, tantâ doctrinâ, tamque varia omnium rerum ſcientiâ refertum eſt, eâ denique arte contextum, ut ſi unius aut alterius è *Veteribus* ſcripta excipias, nihil planè in omni *vetuſtate* reperiam cum hoc opere comparandum. *Iſacc. Caſanb.* in Epiſt. ad *Tac. Lect. Strab.* l.17. rer. Geographic. præfixâ.

Strabo Geographorum princeps, *Idem* ad *Baron.* Ann.31. num.69.

Strabo ſcriptor apprimè ſerius. *Idem* ibid. Ann.34. num.116.

Nemo certè *Straboni* huic noſtro eſt comparandus: tantâ curâ, tantâ animi perſpicuitate illi univerſa quæ in hoc habitabili orbe contingunt, ſub oculos ponit: tanto inde judicio ſingulis ſua affert ornamenta locis, ut unus ille verè totius orbis pictor *Apelles* videri queat. Magnam terræ habitabilis partem ipſe peragravit ac vidit, eo quidem tempore, cùm tranquillitatem *Orbi* feciſſet *Auguſtus*, & utcumque adhuc retineret *Tiberius*. Porrò quæ non vidit, quantâ diligentiâ inquiſivit ab iis qui verè noverant? *Marc. Hopper.* Præfat. in *Strabon. Amſtelod.* 1652.

Strabo pleraque refert occultâ fide: egregius mehercules, & non ad vulgi guſtum ſcriptor. *Lipſ.* comment. in l.2. Annal. *Tacit.* figur.177.

Strabo Geographus, inſignis judicii & prudentiæ vir. *Idem* Manuduct. ad *Stoic.* Philoſoph. l.1. diſſertat.17.

Strabo non *Hiſtoricus* modò inſignis, ſed *Philoſophus* quoque & *Mathematicus*, adeò celebris & pervulgati nominis, ut eum *Theſſalonicenſis Euſtathius* per quandam exochen *Geographi* nomine perſæpè ſignificet. *Rhodigin.* l. 21. lect. Antiq. c.25. Cura ei non πόλεων tantùm, ſed etiam τῶν τ' ἐθνῶν fuit. *Coler.* Epiſt. de ſtud. Politic. p.212.

Ipſum virum peritiſſimum, genere *Cappadocem*, eruditione *Græcum*, judicio *priſcum*, incolatu *Romanum*, terrarum multarum peragratorem vocat *Petr. Bert.* deſcript. *Gall.* p.203.

Satis prædicari nequit doctrina & induſtria *Strabonis Amaſeni*, ſcriptoris graviſſimi; quem *Stratonem* vocari debere, perperam in *Peripateticis* ſuis *Diſcuſſionibus* contendit *Franciſcus Patricius*. *Voſſ.* de Philologiâ, p.56.

Strabo Geographiæ ſuæ adjunxit *Diſſertationes* Hiſtoricas & Politicas, de ſingulis ſui temporis Rebuſpublicis. Hujus judicio nihil eſt limatius in *Politicis*, quamvis multi eum tanquam nudum *Geographum* rejiciant in ſumma; eſt *Geographus Hiſtorico-Politicus*. Differt à *Ptolomæo*, qui mathematicè non verò Hiſtoricè *Geographiam* tradidit. Hiſtoria autem propriè non pertinet ad *Geographiam*, ad quam ea propriè

Digitized by Google

propriè ſpectant, quæ ad *Regionis* ſitum, longitudinem & latitudinem pertinent: peccat ergò *Strabo* in hoc caſu. In deſcriptione *Germaniæ* multos errores commiſit. *Herman.Conring.* in *Theſaur.* Rerump.Vol.1.p.27.

Strabo Amaſenus Princeps *Geographorum*, quem fruſtra conatur de ſui *operis* poſſeſſione dejicere *Franc.Patricius* l. in 3. *Peripatetic.Diſcuſſion.* ut cuidam *Stratoni* tribuat. Caſtigandus autem videtur *Strabo*, quòd *Hiſtorias*, & *Philoſophicas*, Diſputationes *Geographiæ* miſcuerit. Cardinal. *Ioan.Bona.*

* *Iſaaci Caſauboni* in *Strabonem* Commentarii, permittuntur cum expurgationibus. Vid.Indic.Madrit.edit.Ann.1667.

Extant Geographiæ libri 17. Græcè cum verſione Guil. Xylandri & obſervationibus *Iſaac.Caſauboni* & Friderici Morelli. Lutetiæ Pariſiorum An.1620.Typis Regiis in fol.

PHÆDRUS.

Clar. Anno Dom. XX.

THrax *Augusti* libertus, tempore *Tiberii* claruit. Reliquit 5. libros *Fabularum Æſopicarum* verſibus Jambicis conſcriptos

De hoc libello idem ego tecum & cum politiſſimo viro *Jacobo Bongarſio* ſentio, elegantem eſſe cumprimis, & florente etiam ac purâ linguâ *Latinâ* ſcriptum: (quæ paulò pòſt multum à nativa illa ſimplicitate ſua degeneraverit) ac ſupparem eſſe judico hunc *Phædrum Laberio*, ac *Publio Syro Mimographis*: abundare quoque optimis & ad vitam utiliſſimis ſententiis. Tantum vellem in numeris ac legibus carminis Jambici paulò accuratior fuiſſet, in quibus palam eſt, eum ſatis negligentem eſſe, ne dicam diſſolutum. Sed *Comicorum* ille fortaſſe hac in re licentiam imitari voluit, nihilque circa numeros penſi habuit, dum purè atque emendatè loqueretur: in quo ſtudio nemini facile cedit. Hoc quoque non ſine judicio feciſſe exiſtimandus eſt; quòd ad *Fabularum* deſcriptionem *Iambo* potiſſimum adhibere voluit. Hoc enim metri genus quàm minime à quotidiano & naturali ſermone recedit: adeoque ipſa *Natura* (ſi *Ariſtoteli* credimus) id invenit, ceu maximè accommodatum & proprium τῇ λέξει. *Conrad. Ritterſtius* in Epiſt. præliminari ad *Ioachim. Camerar.* præfix. *Phæd.* Fab.1667.

De dicendi genere ſi roges, quid ſentiam, dicam equidem, & quaſi me *Cenſor* rogaret, ex animi ſententia; Neminem arbitror à felici illa *Terentii* ſimplicitate propiùs abeſſe—Nemo è veteribus ingenio fuiſſe videtur ad illam *Terentii* ſemper lenitatem magis facto, quàm *Phædrus*; quod & neceſſe fuerat, ea enim eſt Apologorum, atque adeò *Fabellarum* omnium natura, ut ſermone non debeant, niſi facili placidoque tractari. *Tanaquill. Fab.* in Not. ad *Phædr.*

Phædrus ſuaviſſimus ille Fabulator, & urbaniorum hominum delicium. *Tan. Fab.* l.1.Epiſt.49.

Phædrus Scriptor meo judicio politiſſimus. *Caſaub.* in Epiſt. 99. ad *Petr. Pithœum.*

De

Digitized by Google

De *Phædri* Fabulis ita judicant doctorum plerique, eſſe ingenuæ *Latinitatis*, neque mentiri ævum *Tiberii*. In quorum ego prorsùs opinione ſum, licèt unam & alteram ſubdititiam & inſititiam eſſe jam olim notarim. *Gaſp. Barth.* Adverſar. l.36.c.21.

Ingenuas *Phædri* fabulas à primâ pueritiâ in deliciis habui, & immortali amore prudentiam in tam ſuavibus verbis & fabulis abditam, dignam eſſe quis neget? *Idem* ibid.l.30.c.22.

Phædrum & *Hyginum* velut elegantiæ minùs ſtudioſos *plebeja* pluſculum uſurpaſſe apparet. *Gaſp. Sciopp.* Conſultat. p. 42.

Scripſit has *fabellas* ſtylo longè optimo ac latiniſſimo,ut plerique docti tradiderunt. Nam quòd *Schoppius* in eo neſcio quid *Barbari* ac *Thracici* ſubodoratur, id planè eſt ejuſmodi, quale ejus, qui in *Tito Livio* deprehendit *Patavinitatem.* Itaque hucuſque nemini ex doctioribus ſuam approbare potuit ſententiam, nec credo unquam approbabit. *Ioan. Scheffer.*in Vit.*Phædri.*

Antiquitas nihil Fabulis ipſis elegantius habet. Eruditor. Diar. Gallic. 2. Febr. 1665.

Dictio ejus pura eſt,& emendata, nec indigna quam imitentur linguæ *Latinæ* candidati. *Borrich.*de Poet.p.56.

At verò *Phædrus* noſter illis (*Plauto* & *Terentio*) caſtigatior eſt, & adſtrictior, ſed ita tamen, ut honeſtâ quadam interdum libertate utatur. Quod à nobis eâ gratiâ dicitur, ne quis omnia ejus Carmina ad moleſtam illius purioris *Iambici* diligentiam poſtulet revocari. Nam quod ſuſpicatur *Schoppius* ignoràſſe *Phædrum* leges *metricas*, cui, quæſo, perſuaſerit? Eadem operâ P. Syrum, eadem operâ *Plautum*, *Terentium*, vetereſque alios accuſet, & *Virgilium* ipſum, ſi *Diis* placet. O pudor, πῶ σὺ εἶναι Φῶ; ſed ſolens ſuo more facit *Schoppius*,qui *Scaligeros* auſus eſt, & *Caſaubonos* inſectari, κολοιὸς πρὸς αἰετὸν. *Tanaquil.Faber.* Not. in Prolog. *Phæd.l.* 1. Fabul.

Phædrus Auguſti vel *Tiberii* libertus gente *Thrax*, *Æſopi* fabulas *Latinis* Verſiculis deſcripſit adeò nitidis & limatis, ut nil *Romanius* dici ſcribique poſſit. *Dan.Georg.Morhof.* de *Patavin.Livian.* p.158.

Vavaſſor de *Ludicrâ Dictione* p. 206. *Phædri* dictionem ab omni peregrinitate & inſolentiâ remotam judicat, narratque accepiſſe ſe à *Iacobo Sirmundo*, cùm *Petrus Pithæus* primùm miſiſſet *Romam* hos libros *Lutetiæ* editos, *Romanos* ut emunctæ naris homines novitate voluminis percuſſos non dubitaſſe, quin ætatem redoleret *Auguſti*, ac ſummam illam facilitatem ſtyli & Scripturæ repræſentaret. Id autem miratur *Vavaſſor*, quî factum; quòd *Seneca* *Æſopios* logos intentatum *Romanis* ingeniis opus dixerit, cùm *Phædrum* hunc haberet, quem opponere poſſit toti *Græciæ*.

Editiones multæ circumferuntur; laudatior *Rigaltii*, *Pithæi*, *Schefferi*, *Tanaquilli Fabri*, *Holſtii* cum notis *Freinshemii*; laudatiſſima verò ac emendatiſſima eſt editio *Marquardi Gudii*.

Digitized by Google

M. ANNÆUS SENECA.

Clar. Anno Dom. XX.

RHetor & Declamator, *Auguſti* & *Tiberii* ætate floruit. Idem tres filios egregios reliquit, *Lucium Annæum Senecam Philoſophum, M. Annæum Novatum*, aliàs *Junium Gallionem* dictum, & *M. Annæum Melam*, *Lucani* poetæ patrem. Nobis ex ſui ævi *Declamatoribus* excerpta dedit, idque ſtylo puro & eleganti, nec minori acumine judicii, quo egregiè uſus eſt in ingeniis, dictiſque eorum, cenſendis; ex quibus laudabilia iſta, ſedulæ inſtar apis, delibavit *Voſſ.* de Rhetor. natur. p. 106. 107.

Inter *Declamatores M. Seneca* Rhetor inſignis familiam ducit, ſive *Suaſorias* ab optimis dicendi magiſtris tractatas, ſive *controverſias* memoriâ reconditas, depromat. De cujus ſcriptoris ſtylo ita judicare non dubitem, nihil eſſe in *Linguâ Latinâ*, cùm à *Cicerone Fabioque* diſceſſeris, ſcriptum purius aut elegantius. Judicium verò, quod ſemper fuit, eritque perpaucorum hominum, & acumen in aliorum ingeniis dictiſque cenſendis, ſummum ac proprium illius. Diſſentio igitur à viro docto, qui memoriâ noſtra *Senecam* hunc *Rhetorem* leviter doctum, ac quaſi proletarium appellat. *Andr. Schott.* de *M. Senec.* & *Declamand.* rat. præfix. oper. *M. Ann. Senec.*

Ex decem *controverſiarum* libris, quos vulgârat *Ann. Seneca*, quinque vix ſuperſunt: iique adeo mutili & corrupti, ut fragmentorum potius congeriei, quàm alicujus integri corporis ſpeciem referant. *Græca* enim omnia quæ notabilem operis partem efficiebant, penitus interciderunt. *Latina* verò manca, confuſa, perturbata, & ubique tàm malè habita ſunt, ut ſi ipſe auctor rediret, ſua eſſe ejuraret. *Nic. Fab.* præfat. ad *M. Ann. Senec.* libr.

Senecam Rhetorem licebit volvere, à quo multum adjuvabitur verborum, & propriorum & translatorum vi, tum copiâ & veritate: ut rem eandem crebrò & ſine faſtidio poſſint exponere: multumque alere poteſt *facundiam Latinam*, *Metaphoris* potiſſimum, præ cæteris *Scriptoribus*, dextrè accommodatis. *Lud. Viv.* l. 3. de Tradend. Diſcipl.

Lucius Ann. Seneca Philoſophus patrem habuit nomine & cognomine eodem. Is domo *Corduba* fuit, profeſſione *Rhetor*. Natus ante bellum civile *Cæſarianum*, ſupervixit ad Claudii circiter principatum: ſine honoribus, & non aliud quam *Provincialis Eques*. Is jam ſenex non dubiè filiis ſuis ſcripſit, aut dictavit potius, illos, qui ſuperſunt, *controverſiarum* & *ſuaſoriarum* libros. Sed ut in *Plauti* fabula, inter duos *Menæchmos*, ſic inter duos *Senecas* confuſione nominum ortus error. Tributa illi quæ hujus erant: & claritate nimiâ *Filii* obſcurus *pater* hodiè, imò ignotus. Memoriam boni *ſenis* fugitivam (impunè hoc dixerim) primus retraham ego: Ejus, inquam, *Senecæ* hi Libri. Doceo ex ætate, quæ *patri* convenit, diſconvenit *proli*. Doceo ex *inſcriptione* quæ in omnibus libris etiam ſcriptis, concipitur: *L. Ann. Seneca ad Senecam Novatum, & Melam filios*. vid. *Juſt. Lipſ.* l. 1. c. 1. Elect.

M. Annæus Seneca Rhetor ſeu Declamator, Pater Philoſophi; extant non ipſius

Digitized by Google

ipſius, ſed alienæ ab eo digeſtæ Declamationes: quas præloquiis aut interloquiis diſtinxit: & vel ſic come atque amœnum ingenium ſuum ſatis oſtendit. *Lipſius* in vitâ *Senecæ*.

Utile illud ad eloquentiam ſcriptum eſt, & quod in uno velut corpore præfert, tot membra veterum oratorum. *Idem* Epiſt.4.Cent.4.Miſcel.

Unicè me in *Filio* Sapientia delectat: in *Patre* comitas, lepos & facundia quædam ſimplex. *Idem* Epiſt.45. Cent.1.Miſcel.

Opera *M. Annai Senecæ Rhetoris* prodierunt cum integris *Nicolai Fabri, Andr. Schotti, Joh. Fred.Gronovii,* & ſelectis *Variorum* Commentariis illuſtrata, & prætereà Indice accuratiſſimo aucta. Accedunt *Iohannis Schultingii* in eundem notæ & emendationes, hactenus ineditæ. *Amſtelodami,* apud *Dan.Elſevirium,* An.1672. in 8º.

M. Annai Senecæ Epitaphium:

Cura, labor, meritum, ſumpti pro munere honores,
Ite, alias poſt hac ſollicitate animas.
Me procul à vobis Deus *evocat. Ilicet actis*
Rebus terrenis hoſpita terra vale.
Corpus avara tamen ſollennibus accipe Saxis,
Namque animam cœlo reddimus, oſſa tibi.

Phil. Labb. Theſaur. Epitaph.

VALERIUS MAXIMUS.

TEmpore *Tiberii* Imperatoris claruit. *Dictorum Factorumque Memorabilium* libros novem reliquit. Quidam ei libellum de *Prænominibus* quoque tribuunt: à quibus tamen *G.I.Voſſius* diſſentit. *Idem Voſſius* nos non ipſum *Valerium*, ſed *Epitomen* ejus quam *Iulius Paris* concinnaverat, habere exiſtimat. Clar. Anno Dom.XXVII.

Stylus vix ſapit tam bonum ævum: ſententias quoque nimium affectat. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Tam ſimilis eſt *Ciceroni*, quàm mulus homini, adeo ut vix credas vel *Italum* fuiſſe, qui ſcripſit, vel hoc ætatis, quod præ ſe fert, vixiſſe: tam diverſum eſt totum dictionis genus: Afrum quempiam eſſe dicas, nec ullum *carmen* elaboratius. *Eraſm.*in *Ciceronian.*p.144.

Valerius Maximus, rerum varietate, eloquentiæ ſpiritu, ac nervis incomparabilis, ſolâ adulationis fœditate viluſcens. *Bonifac.*l.15.Iudic.Hiſt.c.8.

Valerius Maximus rerum varietate conſpicuus, in pleriſque acutus, & ſubtilis, in pleriſque durus, & abjectus, labe quoque adulationis vileſcens. *Ioan.* Cardin.*Bon.*

M. Valerius Maximus novem libros reliquit *exemplorum*, quæ ex pleriſque *Hiſtoriis* contulit in proprios locos. Sed & ex omnibus elicit, qui ſæpe inter ſeſe

varii ſunt, ſæpè item haud ſibi conſtat. *Tiberii Cæſaris* tempore ſcripſit. Mira in eo adulandi ratio, ait *Sigonius*; *Sed qui* (inquit) *melius feciſſet, ſi nomina Hiſtoricorum unde illa decerpſit, addidiſſet. Poſſevin.* Apparat. Sac.

In pretio habentur *Valerii Maximi* libri novem *Dictorum Factorumque Memorabilium*, quæ ex præſtantiſſimis utriuſque linguæ *Auctoribus* admirandâ induſtriâ collegit, & ſingula ad certa capita virtutum & vitiorum revocavit, graviſſimiſque *ſententiis* illuſtravit. *Conrad. Rittersh.* Epiſt. ad cent. 3. Meditat. Hiſt. *Camerar.*

Sententias habet initio & fine cujuſque *capitis*, fortaſſis concinniores quàm interdum deceret gravitatem *exemplorum. Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl.

Valerius Maximus author propriè non eſt *Operis* illius quod ſub ejus nomine jampridem circumfertur. Certum eſt jam *Tiberii* temporibus illuſtrem hunc *Romanum*, æquè inſignem *Patricia* ſtirpe, eruditione ac militaribus geſtis quibus clarebat, in plures libros congeſſiſſe magnum numerum Exemplorum ſeu memorabilium Geſtorum cùm *Græcorum* tum *Romanorum* virorum: Verùm quia id cum magna prolixitate fecerat, *Opus* illud quamvis alioqui cum tota ſæculi illius elegantia & concinnitate conſcriptum, primo intuitu neglectum fuit penituſque interiiſſet non minus quam Hiſtoriæ *Trogi* pluresque *Titi Livii Decades*, niſi *Africanus* quidam *Nepotianus*, non verò quidam *Julius Paris* quod leviori fundamento nixus putavit *Voſſius* illius Epitomen ſub primi ejus Authoris nomine nobis ſuperſtitem, confeciſſet. Quandoquidem hic Scriptor cùm *Valerii Maximi* nec conditione nec dotibus gauderet & veroſimillimè trecentis aut circiter annis poſt ipſum vixerit, rebus neque magnificentiæ neque elegantiæ Characterem quo ſcriptæ fuerant, conſervare neſcivit, multò minùs de iiſdem loqui ſtylo illo elimato ſæculi *Tiberii*, quod ab illo Auguſti non ſatis diſtabat ut ab eodem valde differret. Erudit. Diar. Gallic. die Lun. 29. Jan. 1680.

Valerius Max. ut *Ægyptus Homerica*, bonis & malis mixtus eſt: in pleriſque enim eſt acutus & ſubtilis, quod maximè vult videri; in pleriſque durus, ſubobſcurus & ad plebeium ſermonem abjectus, à puritate & candore latini ſermonis longiùs diſcedit. Eſt tamen in eo jucunda tot Hiſtoriarum quaſi Florum congeſta varietas, & brevitas narrationum, acuminibus ſententiarum, non rarò tam aptè aſperſa, ut nihil videatur amœnius. *Cauſſin.* lib. III. de eloq. cap. 14.

Valerius Max. Hiſtoricus, ineptus affectator ſententiarum, quanquam non inutilis propter exempla. *Ioſeph. Scalig.* comment. in Catalecta, p. 248.

Quovis Adamante durior, quovis in orationis ſtructurâ ſaxeto aſperior. *Fr. Floridus.*

Valerius Maximus invocat, ut Poetæ ſolent, quod ab Hiſtoriâ alienum. *Claud. Verder.* in Autor. Cenſ.

Valerii Maximi Exemplorum Memorabilium libros novem, Interpretatione & Notis illuſtravit *Petrus Joſephus* Cantel è Societ. *Jeſu*, juſſu Chriſtianiſſimi *Regis* in uſum *Delphini* in 4°. Pariſiis apud Viduam Thibouſt. & *Petrum* Eſclaſſan. 1679.

C. VELLEIUS

Digitized by Google

C. VELLEIUS PATERCULUS.

Hiſtoricus Romanus, imperante *Tiberio* floruit, Gente *Neapolitanus*. *Exaravit* duos *Hiſtoriæ* libros ad *M. Vinicium* conſulem. Librorum *Velleii* bona pars de periit. Clar. A. D. XXVII.

Meo ſanè judicio, nulli ſecundus eſt *Vellejus* inter *Latinos*: tam eſt caſtus ac nitidus in dicendo, mirâ ſtyli jucunditate ac clariſſimo candore præditus. *Beat. Rhenan.* in prolegom. ad *Vellei.*

Velleii, Elegantiſſimi ſcriptoris, pauca admodum ſuperſunt: atque eorum honorem fœdâ adulatione in ſui ævi rebus non leviter obfuſcavit. *Voſſ.* de Art. Hiſtoric. c.31. Librorum *Velleii* bona pars deperiit. *Dictio* ejus planè *Romana* atque elegans. Quædam etiam habet, quæ haud alibi invenias. Sed in ſui ævi rebus nimis domui *Auguſtæ* & *Sejano* adulatur. *Idem* de Hiſtor. Lat.

Ut dicendi genus, quo nihil purius ac ſuavius fluere poteſt, omittam; *Antiquitates Romanorum* ab ultimo principio tantâ brevitate ac perſpicuitate (ſiquidem integer extaret) comprehendit, ut nemini ſecundus eſſe videatur. Laudes etiam illuſtrium virorum egregiâ quadam oratione, & magno viro dignâ commendare ſolet, ut videre eſt in laudibus *Pompeii, Cæſaris*, *Ciceronis*. *Ioan. Bodin.* Method. Hiſt. c. 4.

Extant libelli hi duo, nec toti, probi & fidi, donec ad *Cæſarum* res venias, ubi haud uſquequaque veri. Per adulationem enim multa celat, aut velat: imò & palam aliter narrat. Diſerti tamen ubique & eloquentia quadam facili ac profluente. *Iuſt. Lipſ.* in proleg. ad *Vell.*

Riſi nuper *Rhenanum*: qui cùm *Velleium Paterculum* (ſive, ut aliis placet, *Vellium*) laudandum ſuſcepiſſet; aut parem eum *Cæſari*, aut certè proximo loco ponendum affirmat. Non pareo vero huic deſignatori. Et næ ille Vellejus in Hiſtoricorum ordine tantum abeſt à *Secundo*, quantum *Cæſar* à *primo*. Melius *Quintilianus*, qui in hiſtoriæ *Romanæ* Catalogo hunc ne nominat quidem. *Lipſ.* l. 3. Epiſtolic. Quæſt. Ep. 8.

Eſt & *Vellejus Paterculus*, qui ſub *Tiberio* floruit, inſignis & eloquens, cujus libellus & *Epiphonemata* habet præclara & ingenioſè prolata. Sed & hic *Conſules* non ſemper enumerat, nec *annos* diſtinguit: certus igitur *Dux* hic nobis eſſe non poteſt *Hiſtoriam* diſcendi. *Franc. Robortell.* in liter. ad *Joan. Bapt. Campeg.* Tom. II de pop. *Roman.* vit. & vict. præmiſſis.

Pleraque imò omnia placent, quod res ipſæ dignæ ſint, neque à melioribus conſcribantur. Tenuis alioqui verbis, neque ſatis accuratus. Adulationis, ſupra quam credi poteſt, vitio laboravit; præſertim cùm *Auguſti* & *Tiberii Cæſaris* geſta narravit. *Car. Sigon.* de Hiſt. Roman.

Vellejus Paterculus tantum Præconem *Romani nominis* agit, ut eo ſolo fine ſcripſiſſe videri poſſit. *Caſp. Barth.* in Adverſar. p. 2878.

Unum adhuc notatu digniſſimum in ejus ſtylo reperio. Quòd ſcilicet in omnibus quibus utitur Orationis figuris, *Epiphomena* cum tanta venuſtate adhibeat, ut ipſi nemo fortaſſis hac in parte fuerit unquam æqualis---Miſſo *Criticorum*

Digitized by Google

ancipiti judicio, conſtanter tenendum eſt, circa genuinum Authoris hujus textum, quòd exceptis erroribus iis qui potius à *Scribis* quàm ab ipſo, & ab *Apographis* quàm ab *Autographo* fluxerunt, nihil in tota *Latinitate* purius nobis ſuppetat, nec dignius *Auguſti Tiberiique* temporibus. *Mothaus* le *Vayer*. Gall.

C. Vell. Paterculus, explicator veteris Hiſtoriæ luculentus & preſſus & efficax. *Ald. Manut. in Scholiis Grut. edit. adjectis.*

Compendium *Vellejanum* laudabile fuit, ſed potior pars periit; judicio & ordine tamen ſcriptum: & quod exemplar pleniori Chronologiæ ſit ad imitandum. *Lipſius* Cent. III. Miſcell. Epiſt. 61.

C. Velleius Paterculus, vir nobilis, quique ſicuti & ejus Frater, primo anno Imperii *Tiberii* fuit deſtinatus *Prætor*, cùm & alia munera in *Republicâ* obierit, jacebat fermè ſepultus uſque ad *Patrum* noſtrorum memoriam, cùm ex *Murbacenſi* Bibliothecâ eſt in lucem editus: quem denique *Juſtus Lipſius* animadverſionibus illuſtravit. Mutilus autem eſt libellus hic, ſed in quo diſtincta *antiquæ latinitatis* lumina cernuntur, ac ſtylus preſſus, fluens, idemque dilucidus: quamvis non deſit cui videatur eſſe tenuis alioqui verbis, & ordine non ſatis accuratus, vitio certè adulationis laborans dum *Auguſti* & *Tiberii Cæſaris* geſta commemorat. *Ant. Poſſevin.* Biblioth. Select.

Extant *C. Velleii Paterculi* libri Hiſtoriarum Romanarum duo cum *variorum* notis ex recenſione *Antonii Thyſii* J. C. Lugd. Bat. ex officinâ *Hackianâ* in 8. 1668.

PHILO.

Clar. Anno Dom. XL.

ORtu *Judæus*, Gente *Alexandrinus*, Familiâ *Sacerdos*, Scholâ *Platonicus*, Anno *Chr.* 40. Princeps legationis *Judaicæ Romam* ad *Caligulam* miſſus eſt, cùm ſecunda vice veniſſet ad *Claudium*, cum *Petro Apoſtolo* ſermonem habuit, ejuſque coluit amicitiam, teſte tum *Hieronymo*, tum *Photio*. Subdit *Photius*, quâ auctoritate ductus non liquet, *Philonem Chriſtianis* etiam ſacris initiatum, ab iis tandem deſciviſſe. *Guil. Cave* in Chartoph. Eccleſiaſt.

Philo vir à plurimis non modò noſtrorum, verùm etiam *Gentilium* in pretio habitus. In divinis verò & patriis diſciplinis quantopere elaboravit, res ipſa declarat. Adhæc in Philoſophiâ & humanioribus literis quantus fuerit, nihil attinet dicere: quippe cùm in *Platonicâ* & *Pythagoricâ* Philoſophia, quam præcipuè ſectatus eſt, omnis ſui temporis ſuperaſſe memoretur. *Euſeb.* l. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 4. interpret. *Henr. Valeſ.*

Philo verbis copioſus, ſententiis locuples, & in divinis Scripturis explicandis altus inque ſublime ſe tollens. *Euſeb.* II. Hiſt. Eccleſ. c. 17.

Acutiſſimus ſimul ac diſertiſſimus Scriptor. *Lambec.* I. prodrom. Hiſt. lib. 6.

Scripſit de *Vita Moſis*, vir ſecretioris Philoſophiæ peritiſſimus, ex genere Sacerdotum Judaicorum & Alexandri Alabarchæ frater, inter primores Alexandrinos meritò numerandus: plurimum curæ & laboris poſuit in divinis & patriis Inſtitutis percipiendis, itemque in Philoſophicis & externæ literaturæ diſciplinis,

Digitized by Google

diſciplinis, ſecutus doctrinam præcipuè *Pythagoræ* & *Platonis*, ita ut inter cunctos ſuæ ætatis viros doctos præemineret.

Vide *Keckermann.* in Auctuar. ad Comm. de nat. & propriet. Hiſtor. cap. 3. pag. 166.

Quid loquar de *Philone*, quem vel alterum, vel *ſecundum Platonem Critici* pronunciant? *Hieronymus* Epiſt. 84. ad magn. Orator. Roman.

Philo diſertiſſimus *Judæorum. Idem* de ſcript. Eccleſ. De hoc vulgò apud *Græcos* dicitur, aut *Plato Philonem* ſequitur, aut *Platonem* Philo: tanta eſt ſimilitudo ſenſuum & eloquii. *Idem* ibid. c. 11.

Philo vir liberaliter eruditus, unus eorum, cujus eloquium *Græci Platoni* æquare non dubitant. *Auguſtin.* l. 12. contra *Fauſt. Manichæum.* c. 39. Tantam ſibi apud *Græcos* artis dicendi peritiâ celebritatem peperit, ut vulgo etiam ſermone illud uſurparetur, aut *Plato Philonizat*, aut *Philo Platonizat. Phot.* in Biblioth. cod. 105.

Hic ſanè vir fuit *Pythagoricæ, Platonicæ,* & *Ariſtotelicæ Philoſophiæ* peritia omnibus ſuæ memoriæ hominibus longè ſuperior: ſed & *Græcæ* facundiæ inter omnes tàm Chriſtianos, quàm *Iudæos* & *Ethnicos* ætatis ſuæ facilè principem locum obtinuit. Non defuere tamen, qui ei propriæ, hoc eſt, *Hebraicæ* linguæ imperitiam adſcripſerint. Hujus opera in tantum admirati ſunt *Romani*, ut digna exiſtimarent, quæ in ipſorum publica Bibliotheca, tanquam monumenta quædam, reponerentur. Fuit præterea, ultra quam dici queat, admirabilis in divinis Scripturis exponendis. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Biblioth.

Philo Hebræus vir omnium conſenſu doctiſſimus. Hic ponitur à *S. Hieronymo* inter *Scriptores Eccleſiaſticos*, quia ſcripſit in laudem *Chriſtianorum*, qui ſub *S. Marco Evangeliſta* in *Ægypto* religioſiſſimè vivebant. Et præterea jure numeratur inter *Scriptores Eccleſiaſticos Teſtamenti Veteris*, quoniam Scripturas divinas *Teſtamenti Veteris*, primus expoſuit. Circumfertur nomine Philonis *Breviarium Temporum*, ſed ab omnibus rejicitur, ut etiam alii *Hiſtorici*, qui cum eo *Breviario* ſimul editi ſunt. *Bellarmin.* de *Scriptor. Eccleſiaſt.*

Philo natione & ſapientiâ *Iudæus*, *Græcanica* verò *facundia* leniter fluens amnis, aut in alveo *Scripturarum* potius dulcè canens *Cygnus*. *Guid. Fabric.* in N. T. Syr. lat. Interpret. Præfat. *Philo Iudæus* vir diſertiſſimus, qui res *Iudaicas* præ cæteris calluit. *Baron.* prim. volum.

Legitur *Philonis* liber, cui titulus *Cajus reprehenſus*, aliuſque *Flaccus reprehenſus*. Quibus in libris magis, quàm in aliis dicendi vis ejus ac venuſtas apparet. Peccat tamen non rarò *ideis tranſmutandis*, cæteriſque à *Iudaicâ* ſecta alienis deſcribendis. *Phot.* in Biblioth. cod. 105.

Quod *Philonem* (*Nicolaus Serarius*) tantoperè laudet, idem mecum facit, ſiquidem cum exceptione. *Scripta* enim ejus pigmentis *Platonicis* condita, & multis luminibus *Helleniſmi* lita eſſe nemo negaverit. *Ioſ. Scalig.* in *Elench.* Trihæreſ. c. 25.

Homo *Græcè* tantum loquens, *Hebraiſmi* autem adeò imperitus, ut dubitem an etiam legere ſciret. *Hebraicè. Scalig. Elench.* Trihæreſ. Serar. c. 18.

De *Philone* tibi poſſum narrare, quod mirari fortaſſe poſſis. Fuit ille *Hebraiſmi* imperitiſſimus,

Digitized by Google

imperitiſſimus. Atque adeò, ut *tirunculi Chriſtianorum*, nedum *Judæorum*, poſſint eum in partes vocare. Tu miraberis, ego non miror. Ejuſmodi enim erant *Alexandrini Iudæi* & reliqui Ἑλληνισταὶ: quo nomine diſtinguebantur à *Judæis Hebraiſtis*, qui Biblia in *Synagogis Hebraicè* & *Chaldaicè* legebant. Iſti verò *Alexandrini*, *Græca* tantum legebant ea, quæ hodiè extant, & quæ ipſe *Philo* & reliqui *Iudæi* fabulantur à 70. *Judæis Hieroſolymitanis* juſſu *Ptolomæi* verſa. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 13. *Gilb. Seguino.*

Plerique veterum cenſuerunt, librum illum, qui in *Bibliis Salomoni* inſcribitur *Liber Sapientiæ*, ſcriptum eſſe à *Philone*; aſcribi autem *Salomoni*, ut libro conciliaretur autoritas. Sed de hac re ſic cenſet *Voſſius*: *Qui cultus* (de veneratione animarum) *unde originem traxerit, oſtendit liber ſapientiæ, Salomoni à multis etiam veterum attributus, cùm ſine dubio alterius ſit, & ut credibile, Philonis, non illius, qui Claudii vixit ætate, & Moſes Atticiſſans dictus fuit, ſed longè vetuſtioris, qui ſub Oniâ ſacerdote, annis ante Chriſtum 160. tot pulchras ſententias vel ſcripſerit, vel congeſſerit. Voſſ.* l. 1. *Idololat.* c. 11.

Ioſephus & *Philo* poſt *ſacras literas* de *Judaicis* rebus optimè ſcripſerunt. *Martin. Ruar.* 1. Cent. Epiſt. p. 98.

Philo Platoni quam maximè par & aliquando prior. *C. Barthius* lib. 11. cap. 21. Adverſar.

Platonis æmulus, magnus imprimis vir. *Ioſ. Scalig.* in conjectan. ad *Verr.* p. 72.

Philo eloquentiâ Platonis æmulus, Philoſophus Practicus exquiſitæ doctrinæ, recti judicii, quotiens Allegoriis non immergitur; eâ enim Philoſophiâ intemperantiùs & audaciùs utitur. Inter editiones præſtat Pariſienſis Græco-Latina 1640. Fol. *Boecler.* de Scriptor. pag. 52. ſeq.

POMPONIUS MELA.

Clar. Anno Dom. XLV. GEographus, cujus extat liber *De ſitu Orbis*, Natione *Hiſpanus* fuit, *Claudiique* Imperatoris temporibus floruit.

Inclaruit *Mela* libris 3. de *Chorographiâ*; ut eſt in pleriſque libris: ſive potius, ut in aliis vocantur, *De ſitu Orbis*. In iis, & perſpicua eſt brevitas, & mira elegantia. Imò ut *Strabo* ab eruditione, à diligentiâ *Plinius*, ita ab arte commendatur *Mela*: quod judicium eſt *Alphonſi Garſiæ Motamori* in commentario de doctis *Hiſpaniæ* viris. Valdè autem ridiculus eſt *Claudius Verderius*, cùm dictionem *Melæ* elegantiſſimi ſanè ſcriptoris, culpare non veretur. *Ioan. Gerard. Voſſ.* de Hiſtor. Lat.

Pomponius Mela antiquus & elegans *Geographus*, inſigni opere *De ſitu Orbis*, toti orbi notus. *Quenſtedt.*

Cujus libellum de *ſitu orbis*, ſtyli elegantia, & brevitas toti orbi commendant. Cardinal. *Bona.* in Notit. Auct.

Pomponius Mela, probatiſſimus *Geographus* & diligens, ſed nimis conciſus. *Balthaſſ. Bonifac.* Iudicr. Hiſt. p. 601.

E *Latinis Geographis* præſtantiſſimi ſunt *Pomponius Mela*, & *Plinius Secundus*. *Voſſ.* de Philolog. p. 57.

Reliquit

Digitized by Google

Reliquit verò *Mela* libros tres *De ſitu Orbis* perelegantes, quibus nihil in eo genere præclarius; à quo *Plinius*, *Solinus*, cæterique ſunt mutuati. *Hiſpaniæ* Bibliothec.

Hiſpani qui noſtro ævo tantopere in *Pomponio Mela* populari ſuo laudando ſategerunt, non abs judicio feciſſe putandi ſunt: eſt enim omnino *ſcriptor* verè Principibus *Latinorum* accenſendus; in admirabili brevitate nihil minus quàm obſcurus, quam ego ſummam, ſed non ſolam ipſius laudem cenſeo. *Barth.* l. 15. c. 6. Adverſar. Licet denſus & conciſus *Pomponii Stylus*, minimè tamen obſcurus eſt. *Idem.* l. 14. c. 17.

Pomponius Mela diligentiſſimus auctor, quò nemo *Latinorum* accuratius de *Geographiâ* ſcripſit *Iſaac. Voſſ.* ad *Mel.* p. 69.

Pomponius Mela Patavium, Bononiam, Mutinamque procul à mari ſepoſuit. Cùm autem *Bononia*, *Mutinaque* à mari longè non abſint, tum *Patavium* mari conſtat eſſe proximum. *Claud. Verd.* in Aut. Cenſion.

* *Joachimi Vadiani* in *Pomponium Melam* Commentarii ſi expurgentur, permittuntur in *Indic. Madrit.* Edit. An. 1667.

Pomponii Melæ liber *De ſitu Orbis* prodiit cum *Iſaaci Voſſii* Obſervationibus. *Hagæ Comitis* 1658. in 4°.

AULUS PERSIUS FLACCUS.

Claruit Anno Dom. L V I.

NAtus eſt *Volaterris* in *Hetruriâ* Ann. *Chr.* 34. obiit An. 62. Compoſuit *Satyras* numero ſex, præfatus in his multum ſe laboris atque diligentiæ poſuiſſe, neque ſe repentè *poetam* prodiiſſe. Non deſunt, qui ſcribant imperfectum fuiſſe hoc *Opus* à *Perſio relictum*: quod mihi veriſimile videtur propter immaturum illius obitum. Cùm publicarentur *Perſii Satyræ*, mirum eſt quam fuerint judicio eruditorum approbatæ. Secutus eſt in ſcribendis *Satyris* Poëtam *Lucilium*, qui acerrimus fuit in notandis, atque inſectandis *Romanorum* vitiis. *Petr. Crinit.* De Poët. Lat.

Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, *Perſius* meruit. Quintil. lib. 10. cap. 1.

Quanti *Perſium* æſtimarit *Martialis*, oſtenditur his verſibus:

Sæpius in libro memoratur Perſius *uno,*
Quàm levis in totâ Marſus Amazonide.

Martial. Epigr. l. 4. Epigr. 28.

Perſii ſtylus moroſus: & ille ineptus: qui cum legi vellet quæ ſcripſiſſet; intelligi noluit quæ legerentur. *Iul. Cæſ. Scalig.* in Hypercrit. p. 838.

Qui liber etſi obſcuritate & reconditis ſenſibus eſt plerunque refertus, nihilominus bonis eſt annumerandus Authoribus. *Lil. Gyrald.*

Ignoſcendum *Perſio Satiryco*, quòd & crebris & audacioribus utatur tranſlationibus.

Digitized by Google

ſtationibus. Nam, ut animus, ita dictio nobiliſſimi juvenis, grandia tantùm ſpirabat. *Ger. Ioan. Voſſ.* l. 6. Inſtit. Orat. p. 454.

Perſius fruſtra intricatus. *Dempſter. Perſius*, miſerrimus Autor, obſcuritati ſtudet; non pulchra habet, ſed in eum pulcherrima poſſumus ſcribere. *Scaligerana* 2.

Magna vis eſt abſtruſarum rerum etiam poſt *Commentationes* tot doctiſſimorum hominum apud *Perſium*, ita ille farciendis multis in pauca inſanivit. *Caſp. Barth.* l. 11. Adverſar, c. 27.

Longè *ſalibus* ab *Horatio* ſuperatur, & à *Iuvenale Perſius*: quorum uterque fœliciter eſt aſſecutus quod voluit noſter, nec potuit. *Iſaac. Caſaub.* proleg. in *Perſ.*

Perſium digniſſimum legi *antiquitas* cenſuit, ut *Quintilianus*, *Martialis* & D. *Hieronymus* teſtantur.

Perſius omnia quæ de moribus diſſerit, ex *Platone* excerpſit, *Lud. Viv.* in D. *Auguſtin.* de civ. *Dei* l. 2. c. 6.

Perſius acutus *Satyricus*, ſed obſcurus. Stylum enim magnificum affectans, crebriſque & audacibus tranſlationibus utens, in obſcuritatem frequenter labitur. Naſcitur etiam obſcuritas ex ignorantiâ. Scribit ille quæ ſuo tempore *ſervis* & *tabernariis* notiſſima erant, quæ quia nobis ignota nunc ſunt, plena myſteriorum arbitramur. *Joan. Bona.* Card.

Cum Poëta noſter ſeſe Lectoribus intelligibilem præbere in animo non habuerit, *Caſaubonus* aliique qui ipſum commentari voluerunt, contra mentem ejus iviſſe videntur, eoque culpandi quòd illum explicare tentarint; quandoquidem juxta D. *Godeau* indignus erat labore quo in hanc rem Eruditi illi ſeſe fatigarunt. Dici tamen poteſt operam illorum non omninò inutilem fuiſſe, cùm ad hoc ſaltem uſui fuerit, ut Authoris exiguum meritum propalaretur. Jeſ. *Vavaſſor* monet nos, Jeſuitam *Petavium* illum dimidio minoris facere quàm feciſſet ſi abſque interpretationibus, gloſſematis, & commentariis relictus eſſet; quia ejus obſcuritas in hac ſaltem opinione nos tenuiſſet, quòd myſteria quædam in ipſo laterent. *Erudit. Iudic.* de Poëtis. Pariſ. 1686. Gall.

Aulus Perſius Flaccus Volaterranus, eques, oppidò juvenis ſcribendæ *Satyræ* ſeſe impendit, *Nerone* Principe, neque id infeliciter, feliciùs ſi inſtitutum, quod magno animo aggreditur, mordaci ſale perfricans ævi ſui vitia, paulò clariori dictione fuiſſet proſecutus. Nunc apud eos, qui minutiis *Grammaticorum* & *Antiquitatis* innutriti non ſunt, obſcuritate nimiâ acumen ſæpè perdit. Quid quod in tumorem nonnunquam attollatur, *Satyræ* utique non convenientem: Obſcuritatem fortaſſis excuſaverint tempora, quæ attingi *ulcera* ſua non patiebantur, niſi tectius. *Olaus Borrich.* in Diſſert. de Poët. pagina 59. 60.

Miror equidem, quid iſti (*Quintilianus & Martialis*) tale ac tantum ſe in ſatyris deprehenderint, quod nos tam longo intervallo ne ſuſpicione quidem aſſecuti ſimus. Atqui majora nobis omnia in illo videri debent, quàm videri potuerint *Antiquis*: propterea quòd ii plurima ſui temporis nota habebant

ideoque

Digitized by Google

ideoque vulgaria exiſtimabant meritò, quæ tanto poſt cùm acceperimus, cumque annis obſcura ſint, plena *Miſteriorum* arbitramur: ut apud nos doctrinæ interioris & reconditæ nomen & inſtar obtineant quæ *ſervis* quondam eſſent, & *Opificibus*, & *Tabernariis* notiſſima. Nec tamen occurrit quidquam *Perſianum*, quod laudem à nobis præcipuam, nedum admirationem magnoperè efflagitet. Nam mihi quidem, ut verum dicam, nihil ſe offert inſignius ipſâ obſcuritate ſcriptoris, ex qua fortaſſe nata eſt opinio eruditionis & doctrinæ. Ac ſæpè *Carmina*, ut *oracula* vates, videtur fundere, quæ opem conjectoris requirant: Sic ut hæreamus, ubi nos vetus *Interpres* brevitate ſuâ deſtituit. In quam obſcuritatem ſi *auctor* incidat imprudens: magnum vitium. Si de induſtriâ quæſivit: non apparet cur plerique ſcripta mirarentur, quæ non intelligant; aut cur ſcriptorem laudent, qui intelligi noluit. -----Defero *Perſio*, quantum deferri poteſt: do ei *jocos, cavillos, ſalem, fel, acetum:* non adimo *Latinitatem*, diverſam jam illam quidem ab optimâ, ſed tamen nondum corruptam: *Franc. Vavaſſ.* de Ludicr. dict. p. 239. &c.

* *Iſaaci Caſauboni* Commentarius in *Aulum Perſium*, *Pariſiis* 1605. permittitur cum expurgationibus. *Index Madrit.* Edit. An. 1667.

Edidit *Perſium Eilhardus Lubinus*, item *Bernhardus, Autumnus*, & *Claverius*; laudatiſſimè *Iſaacus Caſaubonus*, qui & commentaria ſubjunxit, & diſſertationem de ſatyris *Perſii*; probanda etiam induſtria *Thomæ Farnabii*, qui brevibus, ſed elegantibus ſcholiis tenebras ejuſdem abſterſit.

LUCIUS JUNIUS MODERATUS COLUMELLA

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Gaditanus*, tempore *Claudii* Imperatoris floruit. Reliquit 12. libros *De Re Ruſtica*. Librum decimum, qui eſt de cultu Hortorum, verſibus elaboravit. Claruit Anno Dom. LVIII.

Hiſpanus, literarum peritiſſimus ac diſertus. *Gaditanus* & ipſe, ut ſæpius excellenti De *Agriculturâ* opera teſtatum reliquit: quo à ſe in *Re Ruſticâ* potiſſimùm obſervata quæ à *L. Voluſio* accepiſſet, retulit. *Claudii* Principis temporibus floruit. *Biblioth. Hiſpan.*

Principibus *Latinæ* linguæ ſcriptoribus meritò accenſetur *Columella*: ſermonis ſuavitate, politiâ, & vi quoque, & eruditione. Ejus *Hortulus*, purum & verè *Latinum* carmen eſt, non tumidum, inflatum, abſonum. Sed naturali venuſtate elegans, nec adfectans declamatorios flores, perpetuæ orationis dedecus & corruptionem. *Barth.* Adverſ. l. 37. c. 7.

Veris deſcriptio ſimilem ſibi habet placidiſſimis & amœniſſimis verſibus apud *Columellam*, unum ex optimis Poëtis, libro illo aureolo *De cultu Hortorum*. *Idem* ibid. l. 20. c. 19.

Scripſit *Columella De Re Ruſticâ* minimè ruſticè. Inter omnes enim qui extant *Rei Ruſticæ* ſcriptores, *Solis* inſtar eminet ac elucet; libris duodecim univerſam *Ruris* diſciplinam ac *Agriculturam* tradidit, temporibus *Claudii* Imperatoris. *Quenſtedt.*

Digitized by Google

In Agris excolendis, in Apibus, in Columbis, nec non Piſcibus alendis inter cæteros *Columella* & *Æmilianus* autores probabiles extiterunt. Sed *Columella.* ſedecim libris per diverſas *Agriculturæ* ſpecies eloquens ac facundus illabitur, disertis potius, quàm imperitis ac commodus, ut operis ejus ſtudioſi non ſolùm communi fructu, ſed etiam gratiſſimis epulis expleantur. *Caſſiod.* de Div. Lect. cap. 28.

Cùm alios libros de *culturâ, Agrorum* tùm præcipuè *Catonis*, *Varronis*, *Columellæ*, *Palladii*, ſic ſemper ſtudioſè legi, ut ſatiari delectatione non poſſem. Videbar enim illis legendis ruri eſſe, villas habitare, *M. Curii L. Quintii Cincinnati* felicem illam vitam degere; quorum alter, cùm de *Samnitibus* ac *Sabinis* triumphaſſet, & de *Pyrrho*, in agris conſumpſit extremum tempus ætatis: Ubi ad focum ſedenti magnum auri pondus *Samnites* cùm attuliſſent, ſpreto auro, magnificam illam vocem edidit. *Non aurum habere præclarum ſibi videri; ſed eis, qui haberent aurum imperare.* Alter *Dictator*, factus, à *villa* in *Senatum* accerſitus eſt. *Joan. Iucund. Veronen.* præfat. in libr. *De Re Ruſtic.* ad *Leon.* 10. Pont. Max.

Magnus, utilis, eruditus, eloquens auctor. *Dempſter.* Placidiſſimi & amœniſſimi verſus apud *Columellam,* unum ex optimis Poëtis. Idem *Dempſter.* l. 20. cap. 19.

Columella elegantior & terſior eſt *Varrone. Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. lib. 3.

Columella utilis, eloquens & politus auctor; qui de *Re Ruſticâ* minimè ruſticè ſcripſit tempore *Claudii* Imperatoris. *Ioan.* Card. *Bona.*

Claudii principatu inclaruit *L. Iun. Moderatus Columella,* cujus non tantùm cæteri Agriculturæ libri proſâ oratione ſcripti laudem merentur, ſed & liber 10. qui verſâ *Hortum* auctor ipſe appellat. Dictio ejus ſatis munda & fluida, ſed humilior, ut res tenues èo convenientiùs exprimat. Is de *Malis Perſicis*, quæ in *Perſide* venenata ſunt, ſed translatione in *Europam* venenum omne exuunt, ita:

——Poma quæ Barbara Perſis
Miſerat————patriis armata venenis:
At nunc depoſiti parvo diſcrimine lethi,
Ambroſios præbens ſuccos oblita nocendi.

Borrich. de Poet. p. 56.

Libri ejus de *Re Ruſtica* impreſſi ſunt *Lugduni* apud *Gryphium.* Anno 1535. cum *Catonis*, *Varronis*, & *Palladii* libris ejuſdem Argumenti in 8. item *Baſileæ* apud *Hervagium.*

LUCIUS

Digitized by Google

LUCIUS ANNÆUS SENECA.

Cordubenſis Philoſophus, Præceptor *Neronis*, jubente *Nerone*, periit venis inciſis * veneno hauſto, Anno Dom. 68. *Scripſit* plurima vulgò nota. Clar. Anno Dom. LX.

Sanctus *Hieronymus* in catalogo *Eccleſiaſticorum Scriptorum* eum inter *Sanctos* referre non dubitat.

Henric. Bullingereus in cap. 1. ad *Romanos*, ſcribere anſus eſt unum *Senecam* plus ſincerioris *Theologiæ* poſteritati reliquiſſe, quàm omnes ferè omnium *Scholaſticorum* libros.

De *Seneca* Eraſmus acutiſſimè ſcripſit: ſi *Chriſtianus*, *ſcripſit Paganicè*; *ſi Paganus*, *Chriſtianè*.

Annæus Seneca frequenter mihi in manibus eſt: ut ego ſentio, non ſine fructu. Sive enim doctrinam quæro, multa invenio in ritibus priſcis recondita: ſive ſapientiam, *Deus* bone, quid ad mores & ad vitam, ſcriptum unquam præclarius? Qualis ille, & quàm *Romanus*, ubique animus? quæ tela adverſum *caſus* adminiſtrat, & ipſam mortem? Quomodo vitia eripit, inſerit virtutes? Fatendum eſt. In cacumine *Olympi* Montis conſtitutus videor cùm illum lego: ſupra ventos & procellas, ſupra omnes res humanas. *Lipſ.* lib. 1. *Elect.* cap. 26.

Quanquam *Oratio* compoſita à *Senecâ* multum cultûs præferet, ut fuit illo viro ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum. *Tacit.* l. 13. *Annal.*

Et cum *Tullio Senecam* pono, de quo *Plutarchus* magnus vir & *Græcus* ultrò fatetur; *Nullum in Græciâ fuiſſe, qui ſibi in Moralibus poſſit comparari. Franc. Petrarch.* in Epiſt. contra *Gall.*

Senecæ & multæ & magnæ virtutes fuerunt; ingenium facile & copioſum; plurimum ſtudii, multarum rerum cognitio: in quâ tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus eſt. Tractavit etiam omnem ferè ſtudiorum materiam. Nam & *Orationes*, & *Poemata*, & *Epiſtolæ*, & *Dialogi* feruntur. In *Philoſophiâ* parùm diligens; egregius tamen vitiorum inſectator fuit. Multæ in eo claræque ſententiæ, multa etiam *morum* gratiâ legenda: ſed in eloquendo corrupta pleraque; atque eò pernicioſiſſima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno judicio. Nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet: conſenſu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Fuit *Seneca* vir excitati & audacis ingenii, morum, vitiorumque publicorum & deſcriptor veriſſimus & accuſator acerrimus. *Hornius* lib. 4. Hiſtor. Philoſ. cap. 6.

Foret optandum, pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri. *Quintilian.*

Vir excellentis ingenii atque doctrinæ. *Columel.* lib. 3. de Re Ruſticâ cap. 3.

Omnes ſui ævi Romanos, multos verò & alios, ſapientiâ anteivit. *Dio* lib. 54.

Seneca tantus utique, quem *Fronto*, ſecundum quoſdam, *nepos Plutarchi* aſſerit, ſic univerſos exterminare errores, ut *aurea* videatur *Secula* reformare, & Deos ab humano genere exſulantes, ejus operâ revocatos, hominibus contracta Societate miſceri. *Iohann. Satisber.* Policrat. lib. 8. cap. 13.

Seneca Princeps eruditionis ac potentiæ, quæ poſtremò nimia ruit ſuper ipſum. *Plin.* lib. 14. cap. 4.

Parem ingenio non habuit, & admirandus potiùs videtur, quàm laudandus. *Cauſſin.* III. Eloq. cap. 14.

Quin ubique videtur plurimus jocorum affectator, etiam in rebus maximè ſeriis, in quibus optârim illum aliquantò longius abeſſe ab ineptiâ, obſcœnitate, vitioque ſcurrilitatis ac petulantiæ. Eſt omninò liberale quoddam *jocandi* genus, eſt & perpetua quædam *Orationis* jucunditas, quæ virum bonum non dedeceat, ſi in loco adhibeatur: at in *Senecâ* ſæpè *cachinnos* ſentias potius quàm riſum. *Eraſm.* l. 28. Epiſt. 12.

Ego Senecam univerſè, admiratione magis quàm laude proſequendum arbitror: in partibus aliquid eſſe quod cenſeas, aut cui ſuccenſeas, non nego. Sanè decidit interdum, aut à ſe mutat. Ut in *jocis* aut *dictis*, quàm ineptus alibi, ſive affectatus eſt? in *laudibus* aut *vituperiis* ſine modo? *exordi*, aut *tranſitus*, longinqua, aut comica? *Incuria* etiam in *Hiſtoriis*? Inquiſitiones aut diſſertationes in *Philoſophiâ*, ſed & *Philologia* tenues? Sunt enim iſta, ſed pauca: & meliorum ſtatim interventu ita penſantur, ut momentum ad deprimendum non habeant in hâc *judicii* lance. *Lipſ.* Judicium ſuper *Senec*. ejuſque *ſcript*. præfix. 1. Volum. *Senec.* Not. *Varior.*

Semper ille mihi magnus vir apparuit: ſed ut ſolent verè magna, magis magiſque inſpectus & tractatus ſe approbat, & credo poſt *Sacras Literas* nihil in ullo orbe, in ullâ linguâ, ſcriptum utilius meliuſque. *Idem* Cent. 1. ad *Belgas*. Epiſt. 42. *Seneca Moralis Philoſophiæ* primas tenet. Digniſſimus qui ſemel atque iterum legatur, & fideli memoriæ commendetur. *Scaligerana*. 1.

Habet ille ſeverâ multa eximia, utilia, fortia, ſublimia, & arguta, ſubtiliaque complura; eſtque dignus admodum qui non ab *Humanioris Literaturæ* tantùm, ſed & *Theologiæ* etiam ſtudioſis ſedulò quidem, ſed judicio atque examine juſto adhibito, legatur. Verùm non eſt unius ejuſdemque ubique coloris, neç per omnia conſtat ſibi. *Gataker. Praloq. Anton. Pium.*

In Poetis *Senecæ* locum dedimus, non quaſi omnium eum *Tragœdiarum* parentem putemus, quas tribui vulgò videmus: ſed quia non dubium, quin in illis quædam ſint genuini ejus fœtus. Quàm ſpiſſus verò eorum error, qui propter *ſuppoſititias* illas *Senecæ* & *Pauli Apoſtoli Epiſtolas* judicarunt, fuiſſe hominem *Chriſtianum Voſſ.* de Poët. Lat.

Sed heus, *Epiſtolas* ad *Divum Paulum* non memoramus! quæ nunc ſunt, non ſunt tanti: imò certum eſt ejuſdem *Auctoris*, & *Pauli* & *Senecæ*, illas eſſe, & compoſitas à ſemidocto in ludibrium noſtrum. Tentat latinè loqui, quiſquis auctor

auctor fuit. Ergo inter ſe non ſcripſerunt? Hieronymus, (de *Sriptor. Eccleſ.*) *Auguſtinus*, (Epiſt. 53. ad *Maced.* & 6. d. civ. *Dei* c. 10.) atque etiam antiquior utroque *Linus Pontifex*, (de paſſione *D. Pauli*) aſſerunt & paſſiva opinio olim fuit. Atque adeo *Ioan. Sariſberienſis* fortiter: (l. 8. Policrat. c. 13.) *Deſipere videntur, qui non venerantur eum, quem Apoſtolicam familiaritatem meruiſſe conſtat.* Itaque rejicere hoc totum & calcare non auſim: fuerint aliquæ, ſed aliæ: ſi iſtæ, requiro judicium optimorum *Patrum. Lipſ.* in vit. *L. Ann. Senec.*

Salmeron commentar. in *Philipp. c.* 4. & *Binius* Tom. 7. Bibl. P P. fidem harum *literarum* (viz. *Pauli* ad *Senecam*, & *Seneca* ad Paulum) tuentur. Sed *Eraſmus* ſcholiis in *Hieronym. De Eccleſ. ſcriptor.* ait *Nihil in illis eſſe neque Paulo dignum, neque Seneca.*

Epiſtolæ quæ circumferuntur *Pauli* ad *Senecam*, & hujus viciſſim ad illum, non credo ab illis eſſe ſcriptas. *Lud. Viv.* comment. in lib. 6. *Auguſtin.* de C. D. cap. 10.

Suſpectæ nobis redduntur, quamvis ſciamus eas non recèns eſſe excogitatas, ſed antiquitus ſcriptas & à *S. Hieronymo* cognitas atque probatas. *Baron.* Vol. 1. *Annal.*

Seneca mores nequaquam intelligit; Eſt eleganter loquax, qui venuſtos ſermones proferre indeſinenter tentat: nativus non eſt ſtylus ejus; & illi quos loquentes introducit Actores comicos ſemper referunt. *Rapin.* Reflex. in Poeſin. 1. par. Refl. 25.

Extant ejus opera cum *Lipſii Gronovii* & aliorum notis. Accedunt *Liberti. Fromendi* in *Queſtionum Naturalium* libros Notæ ac emendationes Tomis. III. *Amſtelodami* apud *Dan. Elzevirium*, 8. 1673.

MARCUS ANNÆUS LUCANUS.

POeta Cordubenſis, natus eſt tertio Nonas Novembris Anno *Chr.* 39. *Chr.* Ann° Dom. L X.
In *Piſonianâ* conjuratione deprehenſus, à *Nerone* juſſus mori, venis inciſis pridiè Kal. Majas anno ætatis 26. *Neronis* 12. *Chr.* 65. expiravit.

Lucanus ardens & concitatus, & ſententiis clariſſimus, &, ut dicam quod ſentio, magis *Oratoribus* quàm *Poëtis* annumerandus. *Quintil.* l. 10. c. 1.

Lucanus ideò eſſe non meruit in numero Poëtarum, quia videtur compoſuiſſe *Hiſtoriam* non *Poema*. *Serv.* ad *Virgil.* lib. 1. *Æneid.* v. 281. Innuit etiam Poëta doctiſſimus, ſi tamen Poëta dicendus eſt, qui verâ narratione rerum ad *Hiſtoricos* magis accedit. *Ioan. Sariſberienſ.* l. 2. *Policrat.* c. 19.

Altera (quæſtio): An *Lucanus* ſit Poëta? Sanè eſt. Nugantur etiam more ſuo *Grammatico* cùm objiciunt illum *Hiſtoriam* compoſuiſſe. Principio, fac hiſtoriam meram: oportet eum à *Livio* differre: differt autem verſu: hoc verò Poetæ eſt. Deinde quis neſcit omnibus *Epicis Poëtis* Hiſtoriam eſſe pro argumento, quam illi aut adumbratam, aut illuſtratam, certè aliâ facie quum oſtendunt, ex hiſtoriâ conficiunt Poëma. Nam quid aliud *Homerus*? Quid *Tragicis* ipſis faciemus? Sic multa *Lucano* ficta: patriæ imago, quæ ſeſe offerat *Cæſari*: excita-

ab

ab inferis anima; atque alia talia. *Caeſ. Scalig.* l. 2. Poetic. cap. 2.

Lucanus Poeta magni ingenii, neque vulgaris doctrinæ, ſpiritus verò prorſus heroici, jam inde ex eo tempore, quô floruit, maximâ ſemper fuit autoritate, præcipuè apud *Philoſophos*, propter grave, nervoſum & acutum, vibranſque & penetrabile ſententiarum pondus, quibus univerſa ejus oratio mirificè floruit, adeo; ut in eo genere parem nunquam illum habuerit. *Barth.* l. 53. Adverſar. cap. 6.

At cur non potius mirari ſubeat altam illius indolem, libertatis uſque acerrimam propugnatricem, liquidum eloquii flumen, materiam haud ſequacem puro carmine ducentis, quò voluit; adeò ut non ruere immenſo fragore (quod de *Nilo Plinius*) ſed fluere videatur---- Quid ego dicam acumen nobile & divinum ſpiritum ardentem & concitatum, Muſam maſculam, ac planè militarem, omnia denique in illo alta, clara, caſta? *Thom. Farnab.* in lit. ad Lect. *Lucan.* præmiſſis.

M. Annæus Lucanus Neroni principi æmulus ingenii gloriæ, nec multum *Vrgilio* inferior. *Demſt.* in Elench. Script.

A *Statio*, & *Martiale*, non ſolùm collatus *Maroni*, verùm etiam prælatus.

Quidam *Lucanum* etiam *Maroni* parem facere auſi ſunt: qui non tam illius magnitudinem, quàm ſuam inſolentiam iis ineptiis prodidere. Fatemur in illo ingenium magnum, equidem etiam pluſquam poeticum condonabo. Effrænis mens, ſui inops, ſerva impetûs, atque idcirco immodica, raptaque calore ſimul, & calorem ipſum rapiens, hoſtem maximum ejus temperamenti, quod in uno omninò *Marone*, & admirabile eſt & divinum. Proinde, ut, nimis fortaſſè liberè dicam, interdum mihi latrare, non canere videtur. *Caeſar. Scalig* Poetic. p. 844.

Lucani carmen plurimum habet virium, ut etiam bellicis ſint prope pares, nec prælia videatur canere, ſed committere, & intonare *claſſicum*, eodemque ardore arma ſcribere quo *Cæſar* tractavit: ita ut aliorum quorundam aures, tanquam ſonum vaſtum, ac immodicum, non ferant. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Lilius Gyraldus idem de *Lucano* affirmat, quod *M. Tullius* de *Cordubenſibus* ſuorum temporum Poetis, qui eos, neſcio quid pingue & peregrinum ſonare putabat. Quare *Lucanum* quidam, ſanè ingenioſus, indomito ſimilem equo eſſe dicebat, qui in medio prato, aut campi ſpatio curſitet, & acriter quidem & animosè ſaliat, ſed inconcinnè & incompoſitè. Alii illum expedito quidem militi ſimilem dicunt, qui amentatas quaſdam velitum haſtas jaciat, potenti ac valido interdum brachio, ſed parum plerumque conſideratè ac prudenter. *Lil. Gyrald.*

Lucanus Poeta eſt, ſi modò eſt, in quo quamvis quædam reprehendantur, longè tamen plura laudanda ſunt: tumidum, & affectatum ſcribendi genus, declamatoria rerum etiam minimarum ad oſtentationem amplificatio, & frequentes à propoſito excurſiones, ut omniſcius eſſe videatur, fortaſſe in illo culpentur: at de rebus acres & ſanas habet opiniones, de virtute verò, non ferè aliter ac

Digitized by Google

Zeno loquitur, graveſque de eâ ſententias ubique inculcat, quæ eo altius hominum mentibus inſident, quod non ſine aliquo acumine infiguntur. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 8.

Si propius totum *Opus Lucani* putare volueris, non ſolùm nullam *Aſtronomiæ* peritiam in eo homine reperies, ſed & importunè ſemper interjectam rerum *Cœleſtium* mentionem, & levem, vanum, & oſtentatorem illum juvenem fuiſſe deprehendes. *Joſ. Scalig.* l. 1. Epiſt. Epiſt. 3.

Lucanus longus eſt & *tadu* pater. *Caſ. Scalig.* l. 3. Poetic. p. 288. *Lucani oratio* ſuperba, & minax, auditorem invitum, atque alibi animo hærentem ubi vult tenere, aut trahere, abigit: *Tyranno* haud abſimilis, qui mavult metui, quam amari. *Idem* p. 294.

Uxor *Lucani Pollâ Argentaria* poſt exceſſum mariti *Pharſaliam* ejus emendavit: imò & viventem in carm ine dicitur adjuraſſe. *Voſſ.* de Poet. Lat.

Pharſalia Lucani (hoc eſt opus de bello civili, quod *Julium Caſarem* inter & *Pompeium* in campis potiſſimùm *Pharſaliis* detonuit,) maſculæ dictionis eſt, ſententiis monitiſque politicis, ad ſatiem diſtincta, durior tamen ſubinde, & horridula. Neque forſan à tumore ſemper abeſt. Severior in eum *Scaliger*, qui latrare *Lucanum* quandoque potius quàm canere ſcribit. Limaſſet haud dubiè muſteum opus, ſi fata præcipitia otium indulſiſſent. *Borrich.* de Poet. p. 58.

Lucanus ampli & ſublimis ingenii eſt; ſed judicii non admodum ſubacti: Argutias ſuas oſtentare tantùm conatur. Et reverà nullum in ſermonibus ſuis modum ſervat, in quibus Philoſophum magis quàm Poetam ſe præbere affectat. *Rapin.* Refl. in Poet. 2. par. Refl. 15.

De *Lucano* universè ſtatuebant, ingenium ei eſſe oppidò magnum, ſed contumacius, quam ut regi poſſet; dictionem ingenio parem, animoſam, peracutam, eruditam: at inamœnam, tragiceque feralem, & quæ neſcio quas turbas amet, famæque magnæ malit eſſe quàm bonæ. Uno verbo, *Lucanum* eſſe, qui primus inclinaſſe ſtylum auſus ſit. *Fam. Strad.* Proluſ. Acad.

Lucanus multum debet vulgatoribus ſuis, *G. Verſellano*, *Philippo Beroaldo*, *Jodoco Badio*, *Ant. Sabellico*, plus etiam *Thomæ Farnabio*, *H. Grotio*, *Corn. Schrevelio*, ex quibus hic *Variorum* obſervationes addidit, ille Notas & emendationes, iſte neceſſariam Tyronibus interpretationem. Quin *Theod. Pulmannus* indicem locupletem adjecit.

TITUS PETRONIUS ARBITER.

POeta, tempore *Neronis* claruit; qui principis ſui vitam ſub *exoletorum* nominibus deſcripſit. *Elegantiæ Arbiter Tacito* dicitur 16. Annal. ac narrat ut ſeerudito luxu perdiderit. Non minus *nequitiæ Arbitrium* appellaris: *Scriptorem*, ut jam alii dixere, *puriſſimæ impuritatis*. *Voſſ.* de Poet. Lat. p. 41. Clar. Ann. Dom. LXIV.

T. Petronius Arbiter Eques Romanus: inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt, elegantiæ Arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentiâ putat, niſi quod ei *Petronius* approbaviſſet. *Tacit.* 16. Annal. cap. 18.

P Scriptor

Digitized by Google

ab inferis anima; atque alia talia. *Ceſ. Scalig.* l. 2. Poetic. cap. 2.

Lucanus Poeta magni ingenii, neque vulgaris doctrinæ, ſpiritus verò prorſus heroici, jam inde ex eo tempore, quô floruit, maximâ ſemper fuit autoritate, præcipuè apud *Philoſophos*, propter grave, nervoſum & acutum, vibranſque & penetrabile ſententiarum pondus, quibus univerſa ejus oratio mirificè floruit, adeo, ut in eo genere parem nunquam illum habuerit. *Barth.* l. 53. Adverſar. cap. 6.

At cur non potius mirari ſubeat altam illius indolem, libertatis uſque acertimam propugnatricem, liquidum eloquii flumen, materiam haud ſequacem puro carmine ducentis, quò voluit; adeò ut non ruere immenſo fragore (quod de *Nilo Plinius*) ſed fluere videatur--- Quid ego dicam acumen nobile & divinum ſpiritum ardentem & concitatum, Muſam maſculam, ac planè militarem, omnia denique in illo alta, clara, caſta? *Thom. Farnab.* in lit. ad Lect. *Lucan.* præmiſſis.

M. Annaus Lucanus Neroni principi æmulus ingenii gloriæ, nec multum *Virgilio* inferior. *Dempſt.* in Elench. Script.

A *Statio*, & *Martiale*, non ſolùm collatus *Maroni*, verùm etiam prælatus.

Quidam *Lucanum* etiam *Maroni* parem facere auſi ſunt: qui non tam illius magnitudinem, quàm ſuam inſolentiam iis ineptiis prodidere. Fatemur in illo ingenium magnum, equidem etiam pluſquam poeticum condonabo. Effrænis mens, ſui inops, ſerva impetûs, atque idcirco immodica, raptaque calore ſimul, & calorem ipſum rapiens, hoſtem maximum ejus temperamenti, quod in uno omninò *Marone*, & admirabile eſt & divinum. Proinde, ut, nimis fortaſſè liberè dicam, interdum mihi latrare, non canere videtur. *Ceſar. Scalig* Poetic. p. 844.

Lucani carmen plurimum habet virium, ut etiam bellicis ſint prope pares, nec prælia videatur canere, ſed committere, & intonare *claſſicum*, eodemque ardore arma ſcribere quo *Cæſar* tractavit: ita ut ullium quorundam aures, tanquam ſonum vaſtum, ac immodicum, non ferant. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Lilius Gyraldus idem de *Lucano* affirmat, quod *M. Tullius* de *Cordubenſibus* ſuorum temporum Poetis, qui eos, neſcio quid pingue & peregrinum ſonare putabat. Quare *Lucanum* quidam, ſanè ingenioſus, indomito ſimilem equo eſſe dicebat, qui in medio prato, aut campi ſpatio curſitet, & acriter quidem & animosè ſaliat, ſed inconcinnè & incompoſitè. Alii illum expedito quidem militi ſimilem dicunt, qui amentatas quaſdam velitum haſtas jaciat, potenti ac valido interdum brachio, ſed parum plerumque conſideratè ac prudenter. *Lil. Gyrald.*

Lucanus Poeta eſt, ſi modò eſt, in quo quamvis quædam reprehendantur; longè tamen plura laudanda ſunt: tumidum, & affectatum ſcribendi genus, declamatoria rerum etiam minimarum ad oſtentationem amplificatio, & frequentes à propoſito excurſiones, ut omniſcius eſſe videatur, fortaſſe in illo culpentur: at de rebus acres & ſanas habet opiniones, de virtute verò, non ferè aliter ac

Zeno

Zeno loquitur, graveſque de eâ ſententias ubique inculcat, quæ eo altius hominum mentibus inſident, quod non ſine aliquo acumine inſiguntur. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 8.

Si propius totum *Opus Lucani* putare volueris, non ſolùm nullam *Aſtronomiæ* peritiam in eo homine reperies, ſed & importunè ſemper interjectam rerum *Cœleſtium* mentionem, & levem, vanum, & oſtentatorem illum juvenem fuiſſe deprehendes. *Joſ. Scalig.* l. 1. Epiſt. Epiſt. 3.

Lucanus longus eſt & *tadiꝰ* pater. *Caſ. Scalig.* l. 3. Poetic. p. 288. *Lucani oratio* ſuperba, & minax, auditorem invitum, atque alibi animo hærentem ubi vult tenere, aut trahere, abigit: *Tyranno* haud abſimilis, qui mavult metui, quam amari. *Idem* p. 294.

Uxor *Lucani Pollâ Argentaria* poſt exceſſum mariti *Pharſaliam* ejus emendavit: imò & viventem in carmine dicitur adjuraſſe. *Voſſ.* de Poet. Lat.

Pharſalia Lucani (hoc eſt opus de bello civili, quod *Julium Cæſarem* inter & *Pompeium* in campis potiſſimùm *Pharſalitis* detonuit,) maſculæ dictionis eſt, ſententiis monitiſque politicis, ad ſatiem diſtincta, durior tamen ſubinde, & horridula. Neque forſan à tumore ſemper abeſt. Severior in eum *Scaliger*, qui latrare *Lucanum* quandoque potius quàm canere ſcribit. Limaſſet haud dubiè muſteum opus, ſi fata præcipitia otium indulſiſſent. *Borrich.* de Poet. p. 58.

Lucanus ampli & ſublimis ingenii eſt; ſed judicii non admodum ſubacti: Argutias ſuas oſtentare tantùm conatur. Et reverà nullum in ſermonibus ſuis modum ſervat, in quibus Philoſophum magis quàm Poetam ſe præbere affectat. *Rapin.* Reffl. in Poet. 2. par. Refl. 15.

De *Lucano* univerſè ſtatuebant, ingenium ei eſſe oppidò magnum, ſed contumacius, quam ut regi poſſet; dictionem ingenio parem, animoſam, peracutam, eruditam: at inamœnam, tragiceque feralem, & quæ neſcio quas turbas amet, famæque magnæ malit eſſe quàm bonæ. Uno verbo, *Lucanum* eſſe, qui primus inclinaſſe ſtylum auſus ſit. *Fam. Strad.* Proluſ. Acad.

Lucanus multum debet vulgatoribus ſuis, *G. Verſellano*, *Philippo Beroaldo*, *Jodoco Badio*, *Ant. Sabellico*, plus etiam *Thomæ Farnabio*, *H. Grotio*, *Corn. Schrevelio*, ex quibus hic *Variorum* obſervationes addidit, ille Notas & emendationes, iſte neceſſariam Tyronibus interpretationem. Quin *Theod. Pulmannus* indicem locupletem adjecit.

TITUS PETRONIUS ARBITER.

Poeta, tempore *Neronis* claruit; qui principis ſui vitam ſub *exoletorum* nominibus deſcripſit. *Elegantia Arbiter Tacito* dicitur 16. Annal. ac narrat ut ſe erudito luxu perdiderit. Non minus *nequitia Arbitrium* appellaris: *Scriptorem*, ut jam alii dixere, *puriſſimæ impuritatis*. *Voſſ.* de Poet. Lat. p. 41. Clar. Anno Dom. LXIV.

T. Petronius Arbiter Eques Romanus: inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt, elegantiæ Arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentiâ putat, niſi quod ei *Petronius* approbaviſſet. *Tacit.* 16. Annal. cap. 18.

Digitized by Google

Scriptor lepidiſſimus: immortalis Charitum pullus. *C. Barthius* in *Racemat.*

Spurcus & Obſcœnus, ſed ad pios etiam caſtoſque illuſtrandos utilis Auctor. *C. Barth.* lib. 11. Adverſar. cap. 20.

Scriptor terſus & venuſtus, & niſi quòd in re illâ Voluptatum, nimis latinè interdum loquatur, cætera laudatus. *Lipſius* lib. 1. Antiq. Lect. cap. 8.

Neronis & aliorum procerum flagitia horrenda, non minore flagitio publicavit. *Iſaac. Caſaub.* lib. 11. de Satyrâ, cap. 2.

Hic *Satyricum* opus varium, &, ut ſic dicam, miſcellum, compoſuit. Cujus licet *fragmenta* ad nos tantùm pervenerint, eademque parum caſtigata, multæ tamen eruditionis hominem fuiſſe facilè cognoſcimus, nam in taxandis *moribus* cùm acrem, tum feſtivum maximè, & jocis ſeria miſcentem videmus. *Lil. Gyrald.*

Conſervatus eſt *elegantiorum nequitiarum* curioſis *Petronius Arbiter*. Quod enim ex ejus *Satyrico* habemus, mera excerpta ſunt alicujus ſtudioſi, qui quæ ad guſtum ſuum in illo auctore invenerat, eodem quo opus legebat ordine, adverſariis ſuis commendavit. Qui putant à *monachis* ſic eviratum eſſe, vehementer errant. Qualis hæc caſtratio foret, quæ reſectis à reliquo corpore membris, vel potius ipſo corpore abjecto, ſolas pudendas partes reliquiſſe videatur? Certè deſiderantur, vix videri poſſunt ſalaciora ac nequiora fuiſſe his, quæ relicta ſunt. Imò iſta nullam procacitatis & protervitatis ὑπερβολὴν vel ipſis lenonibus uſurpandam reliquam faciunt. *Claud. Salmaſ.* in Præfat. ad *Ampel.*

Petronius candidus, terſus, ſuavis, in omnibus mirandus modo abſit obſcœnitas. *Thom. Dempſt.*

Verſus ſanè quam amœni & elegantes extant *Petronii Arbitri* de *Ciconiâ*. *Adrian. Turneb.* l. 8. Adverſar. c. 18.

Elegans profectò & luculentus eſt *Scriptor Petronius*, quemque non abs re tantoperè amant viri docti. *Gaſp. Sciopp.* l. *Veriſimil.* c. 16. *Phædrum* & *Hyginum* velut *elegantiæ* minùs ſtudioſos *plebeia* pluſculum uſurpaſſe apparet: quo ſermonis vitio neque *Petronius* abſtinere ſe potuit, qui paſſim etiam habet *ſingularia* præter omnium *veterum* & æqualium conſuetudinem: quæ tamen vitia aliis vitiis, ſed dulcibus nec paucis acutè, ſalsè & eleganter dictis redimit. *Idem conſultat.* p. 42.

Ut in vitâ ſic in ſtudiis juvat ſeveritati aſperſa comitas. Eâ causâ frequenter ſoleo à gravioribus libris, animum quaſi in ludum mittere ad ſcriptores amœniores. Quo in numero *Petronium* repono: quidquid dicant iſti *frontis ſeveræ* Et tuâ fide, *Pythæe:* vidiſt in quidquam venuſtius, argutius, poſt natas *Muſas?* Non ego: abeſſet tantùm nuda illa nequitia quâ tamen nihil offendor. *Joci* me delectant, *urbanitas* capit: cætera nec in moribus meis magis labem relinquunt. quàm olim in flumine veſtigium Cymba. *Lipſ.* lib. 3. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 2. *Petr. Pythæo.*

Petronius in brevi Poemate ſuo de *Romana Corruptione* in omnia quæ ab ipſo damnantur vitia labitur: Nemo unquam ſanioris judicii præcepta circa *Poeſin* tradidit, nec eadem ullus unquàm illo minùs obſervavit. *Rapin.* Refl. in Poeſ. Sect. 15.

Plus.

Digitized by Google

Plus quàm octo voces apud Petronium leguntur, quarum ignoratur prorſus ſignificatio, ut *Odopeta* & aliæ. *Scaligerana* 2.

Petronius Arbiter venuſtatem orationis ſuæ inquinavit ſpurciſſimis Amoribus. *Adrian. Turneb.* Adverſar. l. 19. c. 6.

Utinam vel ſolo hoc *ſcriptore* abeſſet obſcœnitas, nemo eo unquam venuſtior manum ad ſcribendum applicaſſet. *Barthius* l. 50. Adverſar. c. 9.

Petronius carmen reliquit ſani coloris, & judicium de carmine ad *Stagiritæ* mentem accommodatum. *Borrich.* de Poet. p. 58.

Petronium edidere varii, additis etiam obſervationibus & commentariis, quos inter *Petrus Lotichius* hodieque eminere videtur, & *Joſ. Ant. Gonzales* de *Salas*, cujus index *Petronianus* laudatur. Nec in gloria hîc Joh. Alex. Braſſicani opera. Textum etiam ſic ſatis curioſè evulgavit *Joan. Bourdelotius*, notiſque *criticis* effecit, ut intelligenter lectitetur. De fragmento *Petronii Traguriano* hîc nihil, de quo hodieque *Hadr. Valeſius*, *Chr. Vagenſeilius*, *Schefferus*, *Reineſius*, *Statilius* inter ſeſe digladiantur.

CAJUS SILIUS ITALICUS.

TEmpore *Neronis* & *Domitiani* claruit. Vitam inediâ abrupit Anno ætatis 75. Clar. Anno Dom. LXXII.

Poema elaboravit *De Bello Punico ſecundo* libris 17. quod cum blattis tineiſque uſque ad tempora *Concilii Baſileenſis* conflictatum eſt. Tunc ſiquidem è latebris in lucem prodire cœpit *Konig.*

Silium Italicum lego, cujus ego lectione tum propter *Antiquorum Poetarum* imitationem, tum Hiſtoricarum rerum *Pœnicarum* narrationem, quam ad *Livii* & *Polybii* exemplar conformavit, mediocriter me capi fateor. *Ludov. Carr.* l. 2. emendat. c. 11.

Etſi autem ad *Maronis* ſe exemplum componeret; nihil tamen ille ad *divini Vatis* Majeſtatem: imò *carminum* gloriâ etiam vincitur, non à *Lucano* modò, ſed etiam *Papinio*, *Valerio Flacco*, & juniorum aliis. Et tamen laudabilis induſtriæ ſic quoque ſucceſſus non infelix fuit. Nec enim planè ei adulatur *Martialis*, cum *os* ei tribuit *magnum facundumque*. Quòd ſi de puritate etiam Sermoniſque *Romani* caſtimoniâ certare lubeat; nulli illorum cedat, quos ea, vel proxima vidit ætas. Imò potius eos exſuperet univerſos. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Silius Italicus ſcribebat *carmina* majori curâ quàm ingenio. *Plin.* l. 3. Epiſt. 7.

Silius Italicus conſul. *Orator* verius, quàm *Poëta*, nimius interdumque ridiculus *Virgilii* imitator. *Dempſter.* in Elench. *Script.*

Ad magnum nomen ingenii pervenerunt, *Silius Italicus*, qui à natali ſolo & patriâ germanâ nomen accepit, & *Valerius Martialis Bilbilitanus*; quos in divinis Poetis habitos ſcio: nam & plurimum eos naturâ valuiſſe, & mentis ſolitos excitari, viribus & quaſi divino quodam afflari ſpiritu, dum *bella Punica* alter ad *Virgilii* imitationem, cujus quotannis illuſtres manes colebat, compoſitus perſonaret: alter neque ſermone inculto, neque aridâ venâ, ſalibus & jocis

Digitized by Google

undique diffluerer. *Alphon. Garſ.* Metamor. in libr. de *Academ.* Doctiſque viris *Hiſpan.*

Silium equidem poſtremum bonorum Poetarum exiſtimo: quin ne poetam quidem. Non nervos, non numeros, non ſpiritum habet. Adeò verò ab omni venere alienus eſt, ut nullus invenuſtior ſit. Totus hæret, trepidat, vacillat ubi audet, cadit *Jul. Cæſ. Scalig.* in Hypercrit. p. 841.

Licet omnium verè *Latinorum* Poetarum ingenio & acumine ſit poſtremus, præter dictionis tamen puritatem non pauca etiam habet, non infeliciter, & eruditiſſimè dicta. *Barth.* l. 10. c. 24. Adverſar.

Silius Italicus non bonus *Auctor*, legendus tamen ut vetus *Scaligerana* 1.

Extat *Epicum* illius carmen de *Bello Punico* ſecundo, 17. libris expreſſum, quod jam ſenior compoſuit, evulgatum demùm principatu Domitiani. In quo ſcripto ita verſatus eſt, ut parcè fingeret, veritati ſemper propior, non neglectis tamen coloribus, digreſſionibus, ſimilitudinibus, & cæteris *Poetarum* floſculis. Ingenioſiſſimum non fuiſſe apparet, ſed ſi quid ingenio defuit, illud ſollicitudine, & advocato undique nitore rependit. Delituiſſe autem in tenebris per multa ſecula hunc *ſcriptorem* argumento fuerit irritus *Franciſci Petrarchæ* conatus, qui ignorato *Silio*, idem bellum carmine aggreſſus eſt, ſub titulo *Africani*. Vide *Borrich.* c. de Poet. p. 60. 61.

Meo quidem judicio, ejus idcirco carmina talia ſunt, ut ſint cognoſcenda quidem, ſed non ad imitationem, ea licet perpetuò victura *Martialis* vaticinetur, quem in *Silii* laudes omninò procliviorem fuiſſe videmus. Ut verò non ſine infamiæ notâ fuit, quòd ſponte quoſdam ſub *Nerone* accuſaſſe creditur, ita commendatione dignus, quod *Virgilium* ante omnes coluiſſe dicitur, cujus etiam natalem religioſiùs quàm ſuum celebrabat, & *Neapoli* maximè, ubi monumentum ejus adire, ut templum ſolebat. Coluit & *Ciceronem*, ipſiuſque *Ciceronis* manes. *Lil. Gyrald.* de Poet.

Jeſ. *Rapinus* eum quoad Poeſin uſque adeo contemnendum non cenſuit ac *Critici* cæteri. Dicit eum in Opere ſuo legum artis *Statio*, fuiſſe obſervantiorem, judicium & prudentiam in ejuſdem operis deſignatione deprehendi: eum, ſi nativis dotibus parum inſtructus erat, magna ſaltem animi attentione laboraſſe, ejus verò elocutionem ſublimitate ac nobilitate parum commendabilem eſſe. *Rapin.* Reflex. in Poet. 2. part. Refl. 13.

C. VALERIUS FLACCUS.

Clar. Anno Dom. LXXIII.

E*Setiâ* fuit, *Campaniæ* urbe: ſed in *Venetâ* regione ſedem habuit: unde ſpem *Antenorei Laris* vocat *Martialis* l. 1. Epigramm. 79. Reliquit octo *Argonauticorum* libros, ſed imperfectos: unde *Quintilianus* conqueritur in ejus obitum multum fuiſſe amiſſum. Quàm *Martiali* fuerit carus, liquet ex eo, quod ibidem vocet *curarum pretium non vile ſuarum.* Pauperem fuiſſe, ex eodem Epigrammate cognoſcitur. Vid. *Voſſ.* de Poet. Lat. 46.

Hic

Digitized by Google

Hic eſt *Valerius Flaccus*, cujus *Argonauticon* opus extat, *Veſpaſiano* patri inſcriptum, ut facilè ex ejus carminis principio colligitur. Opus, inquam, quantum per juvenem præſtari potuit, cultum, eruditum, & varium ſed in quo plus eſt virium, quàm virtutis, ut in eo animos, & audaciam quandam juvenilem facilè offendatis. *Gyrald.* de Poet. Dialog. 4. p. 181.

Eſt igitur *Valerius Flaccus* excuſatione dignus. Cujus cùm eſſet ingenium felix, judicium magnum, diligentia non vulgaris, immaturâ morte præventus, acerbum item poema ſuum nobis reliquit. Eſt autem omninò duriuſculus: penitus verò titulus gratiarum comitate. *Jul. Caſ. Scalig.* lib. 6. Poetic. pag. 839.

Valerium Flaccum majoris pretii Poetam, quàm quis præteriens cenſeat eſſe, vel ignoratio ejus apud *vulgum* nobis perſuadeat. Eſt enim omnium veterum minimè tritus manibus hominum ſcholaſticorum aut litterionum, quod genus ab eo velut abhorret qui duriuſculus cenſeatur, & minus gratiarum amans. Sed nos generoſum vatem, & quidvis potius quàm abſurdum cenſemus. *Gaſp. Barth.* Adverſar. l. 1. c. 17. p. 38.

Pluris omninò faciendum ego reor in numero Latinorum Poetarum *Valerium Flaccum*, quàm vulgò faciunt, imò non vulgò etiam eruditi. Sonus, ſpiritus, eruditio, gravitas, in eo ſunt inſignes, nec deeſt judicio; illud obſervavimus, quoties per ſe aliquid canit, longè faciliorem eſſe, quàm cum *Apollonium* pede preſſo imitatur. Neſcio quomodo enim generoſus ille animus flacceſcit, cum ſeipſum ad ſecutileijas leges alienarum inventionum componit & cogit, *Barth.* ibid. l. 26. c. 3. p. 1259.

Valerius Flaccus, ſcriptor unicè mihi carus ob inaffectatam, genuinam, *Romanam* dictionis majeſtatem. Sane ego eum auctorem, *Argonautica* ſcribentem, legere malo, quàm vel *Ovidium*, vel *Papinium*; quorum ille tenuem materiam laſcivia utique violaſſet aut depudicaſſet: hic magniloquentia contriviſſet. Quorum cùm neutrum *Valerio* objectari poſſit, non video, quid in compoſitione ſermonis deſiderent. Nam de *Gratiis*, quod ait *Scaliger*, nequaquam illi ſuæ deeſſe poſſunt, qui alienas non affectavit, neque ſprevit *Romanas*, neque transmarinas non expreſſit. Vid. *Pompon. Sabin. Virgil.* interpret. quem citat *Konig.* in Biblioth.

Jeſ. *Rapinus* ſcribit priore parte Reflexionum ſuarum, in languidum & frigidum ſtylum eum incidiſſe, quòd grandiloquentiam ingenio ad hanc nato deſtitutus affectaverit: & parte poſteriori ait Fabulam, ordinationem, executionem ac reliquum Poematis ejus admodum exiguo charactere ornata eſſe.

Valerium Flaccum, ut *Apollonium Rhodium*, non video quid attineat legi, quaſi nihil ſit, in quod tempus conſumatur potius: non tam illorum vel carmen vel dictionem improbo, quàm *argumenti* levitatem. *Joan. Lud. Viv.* De Tradend. Diſcipl. III. p. 541.

C. *Valerius Flaccus Campanus*, imperante *Domitiano* clarus *Argonautica* libris 8. perſecutus eſt, *Orpheos* & *Apollonii* exemplo. Dolet *Fabio*, quòd immaturâ morte interceptus nequierit affectum opus deducere ad uſq; umbilicos. Agnoſ-

cimus ſanè felicem in illo, licet nondum exaſciat o, calorem, impetus *Poeticos* hinc inde generoſos, judicium plerumque ſubactum, dictionem ſic ſatis floridam, ſed aliquando inæqualem & duriuſculam, quam emolliiſſet dubio procul, ſi productius ei contigiſſet ævum *Borrich.* De Poet. p. 61.

Publicavere hunc *C. Val. Flaccum* diverſi, *Bapt.* Pius, *Andreas Schottus*, *Lud.* Carion, alii, ſed palmam cæteris præripiunt *Lampert. Alardus*, & *Joannes Weitzius*.

CAJUS PLINIUS & SECUNDUS.

Clar. Anno Dom. LXXV

VEronenſis, dictus *Senior*, temporibus *Veſpaſiani* & *Titi* vixit, quorum negotia adminiſtrabat: noctibus verò & ſucceſſivis (ut ipſe inquit) temporibus opus *Hiſtoriæ Naturalis* compoſuit. *Neronis* quoque hiſtoriam, vitam *Pomponii Secundi*, de Bellis *Germanorum*, aliaque ſcripſit. Periit in horrendo, montis *Veſuvii* incendio, An. *Chr.* 79. dum ejus cauſam indagare vellet. *Hofman.*

Plinii Naturalis Hiſtoria, opus diffuſum, eruditum, & tam varium quàm ipſa *natura*. *Plin.* Min. l. 3. Epiſt. 5.

Plinius omnium rerum memorabilium collector, judex ingeniorum ſummus, æſtimator acutus, admirator diſertus. *Angel. Politian.* in Epiſt. ad *Leoni*.

Plinius veritatis Antiſtes, cenſorque liberrimus. *Budæus*, de *Aſſ.* l. 1. Perſpicaciſſimus *Naturæ* Myſtes, *Plinius*. *Drexell.* in Aurifodin. p. 6.

Plinius ille doctiſſimus, de quo perſuaſiſſimum eſt, indoctos eſſe, quibus ille non ſapit. *Rhodigin.* l. 12. c. 3. lect. Antiquar.

C. Plinius Secundus Naturæ Panegyriſtes nobiliſſimus ad prodigioſam prorſus eruditionem pervenit hoc uno tramite *excerptorum*. *Drexel.* in Aurifod. p. 11. Naturæ Bibliothecarius audit apud Lanſium orat. pro *Italiâ*.

Plinii libros qui *Pandectas* appellaverit, me judice, haud erraverit. Omnia ille vir legit, vidit, ſcivit: & in unum volumen *Græciam* & *Latium* concluſit, paulò meherclè feliciùs, quàm *Thrax* ille Imperator veteres leges. *Lipſ.* l. 2. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 13.

Plinius ille diligens totius *Antiquitatis* perveſtigator: qui nullam *Bibliothecam* prætermiſiſſe videtur, quam non excuſſerit, & perluſtrarit. *Edv. Leigh.* de viris illuſtr.

Plinii Hiſtoriam Naturalem opus eximium ac nunquam ſatis laudatum vocat *Ger. Joan. Voſſ.* in l. de Hiſtor. Lat.

Cardanus ſolùm habebat pro *Grammatico*. Quo non tàm *Pliniano* detraxit nomini, quàm ſuo. *Idem* de Philoſoph. c. 12. Sect. 11.

Jam de *Cajo Plinio* quid dicam? Qui naturam Univerſam & utrumque mundum planè inuſitatâ antè cæteris audaciâ, paucis voluminibus incluſit? Qui Imperio Romano, cui Univerſus terræ Orbis conceſſiſſet cœlum quoque adjecit: Quod non armis aut vel bellicâ; non ariete aut baliſtâ, ſed ſublimi animo, & invictâ induſtriâ expugnandum fuit. *Heinſius* in Orat. pro Biblioth. mun. III. pag. 32.

Plinius

Digitized by Google

Plinius claſſis Rom. Præfectus, naturalium rerum Scriptor diligentiſſimus, eloquentiſſimus, veraciſſimus, incomparabilis, unus omnium inſtar. *Dempſter.*

Plinius non ubique ſui ſimilis: pleraque enim acutè ſcripſit, &c. nonnulla neglecta & inculta. *Plinium* deſiderare videntur in *Plinio Cauſſin.* lib. III. de Eloq. cap. 14.

Plinium meritò nihil moramur, neque verbis ejus niſi ubi meliora nobis deficiunt, utendum putamus. *Sciopp.* de Styl. Hiſtor. pag. 100.

Plinius faſcicularium facit, cuncta olfaciens, nihil deguſtans, omnia glutiens, nihil decoquens, lerna mendaciorum, errorum *Oceanus*, in quem ingenti edito volumine invectus eſt *Leonicenus Verder.* in cenſur. Autor.

Scripta *Plinii*, *Cardani*, *Alberti*, & plurimorum ex *Arabibus*, commentitiis & fabuloſis *narrationibus* paſſim ſcatent, iiſque non ſolum incertis, & neutiquam probatis, ſed perſpicuè falſis, & manifeſtò convictis. *Fr. Bacon* de Augm. Sient. lib. I.

Plinius Hiſtoriam Naturalem ſolus pro dignitate complexus eſt, ſed complexam, minimè, ut decuit, imò potius indignis modis tractavit. *Idem* ibid. l. 2. cap. 2.

Plinius tantus vir, ut non mirum ſit, ſi vulgus illum improbet, cùm minimè auctor vulgaris ſit *Joſ. Scalig.* inter opuſc.

Hoc tene, *Plinium* eruditiſſimum ſuæ ætatis hominem, Latinæ elegantiæ obſervantiſſimum, non mirum aliquando in vertendis *Græcis* hallucinari. Hoc non ſolum illi, ſed & *Ennio Attio, Ciceroni* accidit. At quibus viris? qui ſunt columina priſcæ *Latinitatis Joſ. Scalig.* ibid.

Genus ſcribendi, quod *Plinius* ſecutus eſt, mihi prorſus incomparabile videtur, medium inter *proſam* & *carmen*, quod de *Platonis* ſermone dixit *Ariſtoteles*: breve, & conciſum floridum & figuratum, ita ut ſæpè res viles & humiles quales pleræque res naturales videntur, verbis grandioribus per tranſlationem exornet & extollat. Miror tamen tam maturum, & gravem *Scriptorem* à quibuſdam tanquam exigui judicii hominem ſigillari, ut qui multa ipſis incredibilia, ſibi non ſatis comperta fide aliorum referat: cùm eum mentis, & judicii acumine multum excelluiſſe, ex omnibus locis in quibus ſententiam ſuam de quacunq;re interponere voluit, manifeſtiſſimè conſtet quod paſſim, ſed maximè in præfationibus librorum quam breviter, tam acriter facit. *Roland. Mareſ.* l. II. Epiſt. 40.

Maxima *priſcorum* negligentia. Dum *rerum naturas* profitentur, elenchis nominum tantùm coacervatis, nobis plus inquirendum, quàm ſi nihil prodidiſſent, reliquerunt. Inter quos princeps *Plinius*, dum ſtudet nihil intactum relinquere, importunâ feſtinatione præceps, pro epulis exponit titulos convivis, *Jul. Scalig.* de ſubtilit. adverſ. *Cardan.* exercit. 207.

Plinium paucæ lectionis virum appellavit *Cæſ. Scalig.* adverſus *Cardanum*, exercit. 218. Sect. I. Ubi (inquit *Voſſius*) nihil opus erat obtrectari *Plinio*; quando is nihil minus fuit, quàm vir *paucæ lectionis*. *Voſſ.* de *Idololatr.* l. 4. c. 28.

Hiſtoria

Hiſtoria Plinii inter pulcherrimos libros cenſenda eſt. Hinc etiam pauperum Bibliotheca vocatur. Si ei addatur Ariſtoteles, numeris omnibus abſoluta erit illa *Bibliotheca*. Si ad illos accedant *Plutarchus* & *Seneca*, tota familia librorum bonorum aderit, pater, mater, primogenitus, natu minor. *Guido Patin* Epiſt. 6. Gall.

Poſteritas Plinio multum debet, quod laboribus ſuis conſervaverit quicquid in *Hiſtoriam* ſuam *Naturalem* congeſſit. Stylus ejus gravitate & elegantia multa commendabilis eſt. In Moralibus præſertim excellit, tam ritè ſelecta ſunt ejus exempla, ejuſque benè vivendi Præcepta animos adeo movent, ut cor ſuum ad propriarum lectionum normam direxiſſe cenſeri poſſit. Difficile eſt vitium acrius reprehendere & majoribus laudibus virtutem extollere. Sed artium ac Scientiarum de quibus locutus eſt tam parum gnarus erat ut ſingulis paſſibus cæſpitaverit, & tam graviter identidem lapſus ſit, ut Dom. *Salmaſius* aliis Veteribus illum accenſeat, qui ſecurè ſe invicem tranſcribentes, libros ſæpiſſimè de rebus ſibi minime notis componebant. Teſtis eſt *Aratus* qui Aſtrologiæ prorſus ignarus, librum tamen de Cœlorum motibus & Aſtrorum curſu edidit. *Plinius* Operis ſui propriè loquendo merus *Architectus* fuit; Ejus autem culpa eſt quòd ex inepta materia illud conſtruxerit, quam abſque ſufficienti peritia & ſagacitate corraſerat. Vaſtum itaque ædificium excitavit, ſed parum ſolidum, quodque opificem valde inexpertum fuiſſe plus ſatis comprobat. In eo Symmetria parum obſervatur, ejuſque partes innumeræ ornatu debito deſtituuntur. Omnes ejuſmodi defectus tribuendi ſunt præproperæ illius feſtinationi continuiſque avocamentis quibus illum implicabant functiones munerum, & favor quibus ab Imperatoribus *Tito* & *Veſpaſiano* cohoneſtatus fuit. *Plinius junior* ejus Nepos refert illum inter cœnandum excerpta ſua facere ſolitum eſſe. Vid. D. *Beauval.* Hiſt. Operum Eruditorum Febr. 1689. Gall.

Plinius quum multorum *Autorum* nomina recenſeat, ex quibus libros ſuos confecit, nullibi tamen *Dioſcoridis*, cujus omnia ferè ſcripta ſuis intermiſcuit, mentionem facit. *Bilibald. Pirckheim.* in reſponſ. ad *Oecolampad.* de ver. Chriſt. carne A. 4.

Ad *Latinos* tranſeo inter quos *Cornelius Celſus Hippocratem* ferè tranſtulit, *Plinius* autem *Dioſcoridem*, tametſi ipſe diſſimulaverit, & *Collenutius* fortiter neget. *Georgius Agricol.* in Dial. de re Mallicâ, c. 19.

Plinium Medicis accenſemus, quandoquidem naturalis ejus *hiſtoria* magnam partem ex *Medicorum* libris compilata: ejuſdemque argumenti eſt; Hunc multa ſine judicio collegiſſe oppidò patet, præſertim ex *re Herbaria*, cujus utique fuit imperitus, unde etiam ſæpe eandem *Herbam* diverſâ ejus appellatione deceptus viribus diverſam facit. vid. *Sebaſt. Scheffer.* introduct. in Art. Med. p. 56.

Opera *C. Plinii Secundi* edidit *Joan. Frid. Gronovius* cum notis *Variorum* 3. Vol. *Leidæ* in 8. 1669. apud *Hackkios*.

QUINTUS

Digitized by Google

QUINTUS CURTIUS RUFUS.

Vnde oriundus fuerit, non conſtat. *Italum* tamen fuiſſe, ſatis certum eſt, id enim *ſtyli* ipſius terſiſſima puritas ad *Romanum* filum ad amuſſim formata oſtendit. *Quinſtedt.* Quando vixerit variant eruditi. Quidam ſub *Auguſto* vixiſſe exiſtimant, ut *P. Pythæus* & *Bongarſius*; *Lipſius* eum *Claudio* coævum judicat. *Rutgerſius*, ac etiam *Ger. Joan. Voſſius*, tempore *Veſpaſiani* vixiſſe, aſſerunt. Alii ad tempora *Trajani* eum referunt. *Scripſit* decem libros de rebus *Alexandri Magni*, quorum duo priores periêre. Claruit circa Ann. Dom. LXXX.

Matthæus Raderus in proluſionibus ad Hiſtoriam *Curtii* c. 1. non dubitat, illum ſummis rerum *Romanarum* ſcriptoribus, *Salluſtio*, *Livio*, *Cæſari*, *Ciceroni* admovere; *Tacito* verò, *Suetonio* & *Floro* præponere.

Rhetore ſanè illuſtri, vel Rhetoris filio digniſſima hæc hiſtoria eſt. Uſque adeò auctor is verborum eſt eligens; nec perſpicuè minùs quàm tersè ſcribit; acutus etiam eſt in ſententiis, inque orationibus mirè diſertus. Imò vel *Auguſtæo* ævo digna eſt *dictio*; vel proximè abit. Ut hinc quoque argumentum capere poſſimus, non vixiſſe tempore *Trajani*; quod, pluſculâ affectatione acuminis, & anxiâ brevitatis curâ, ab nativâ illâ aurei ævi ſimplicitate magis receſſit: ut ex *Plinio* juniore, *Floro*, & aliis non obſcurè videmus. *Voſſ.* de Hiſtor. Lat.

Arrianus & *Quintus Curtius*, floridus uterque ſed nitidior *Curtius*, & quovis melle dulcior: lectorem citiùs defatigatum quàm ſatiatum dimittat: ſententiæ paſſim directæ & obliquæ, quibus mire illuſtretur vita humana. *Color.* in Epiſt. de ſtudio Politic. p. 193.

Quintus Curtius, me judice, probus eſt legitimuſque hiſtoricus, ſi quiſquam fuit. Mira in ſermone ejus facilitas, in narrationibus lepos: aſtrictus idem, & profluens; ſubtilis, & clarus; ſine curâ ullâ accuratus. Verus in judiciis, argutus in ſententiis, in orationibus ſupra quam dixerim facundus. Quod ſi varium magis argumentum habuiſſet; fallor, aut variæ prudentiæ eximium magis ſpecimen præbuiſſet. Sed *Alexander* quid niſi bella? *Lipſ.* notis ad 1. *Libr.* Politic.

Inter Hiſtoricos ſanè à nemine ſibi plus adjumenti poteſt admittere eloquentia Politica, quàm *Livio* & *Curtio*. Sicut enim poſterior *Livio Curtius* Veſpaſiani demùm temporibus, ut videtur, vixit, ita optimi ævi Scriptoribus æquari, & fortaſſe omnibus Hiſtoricis quodammodo anteferri poteſt. Magnificentior *Livii Saluſtii* gravior, *Taciti* profundior oratio. *Curtii* his omnibus ſuavior, terſior, accuratior eſt. Quod in moribus *Livio* tribuit Fabius, multò magis *Curtio* convenit; electiſſima ejus verba, civiles & aptæ ſententiæ, expoſitio mirifica, conciones expeditâ facundiâ inſtructæ: materiem ſuam non magis promptè implet oratio, ubi opus eſt, quàm è pleno, prout decet, diſpenſat. *Livius* eloquentiam ſuam prolixiùs & liberaliùs vel amare, vel imitari volentibus offert. *Curtius* haud paulò accuratior æquabile politiſſimi ſtyli temperamentum non ſimul & ſemel, ſed poſt iteratam ſæpiùs attentis demum intentiſque

commendat. *Livius*, magnanimo quodam plenus candore, exporrecta ſuavitate invitat ſimul & admittit lectorem: *Curtius* per quædam admiſſionis myſteria & gradûs in familiaritatem adhibet erudita & decora ingenia, obviâ tamen ſic quoque & expoſitâ humanitate ſtatim idoneus amari, non enim abſtrudit gratiarum ſuarum irritamenta, ſed diſponit &, cum primo aſpectu placeat, hoc pretio vult placere, ut æſtimetur. Seorſum laudari meretur (*Curtius*) quòd non minùs utilem, quàm ſubtilem obſervationem habet: rerum aulicarum elegantiam, ipſius Aulæ genium, figuras, vultum nemo vel appoſitè magis, vel magis ex decoro expreſſit. *Boecler* de Eloquentiâ Politici.

Non alia, quàm bellica, narrat; Politico tamen homini ipsômet Cæſare tantò commodior, quantò diffuſior eſt, docens non vincere duntaxat, ſed victa etiam retinere. *Herman. Conring.* de Civ. prudent. cap. 14. pag. 330.

Cæſari comitem do *Q. Curtium*, quem adeo inter ſelectos recenſere non dubito, ut inter optimos locum illi libenter tribuam. *Joan. Bernart.* de utilitat. legend. Hiſt. p. 50.

Q. Curtius rerum *Alexandri* M. Latinus ſuper omnes *Græcos* diligens, verus, candidus & prorſus integerrimus ſcriptor, ſi integrum haberemus. *Val. Atidal.* in Præfat. ad libr. quart.

Curtius eſt argutus, elegans & nervoſus ſcriptor. *Dav. Chytr.* in Chronol. *Herodot.* & *Thucyd.*

Hiſtoricus cæteris candidior eſt; ſed Nihil, aiunt, ad *Parmenonis ſuem*. Habet multas ſermonis formulas à *Ciceronianis* diverſas *Eraſm.* in *Ciceronian.*

Judicare mihi licet, quia totos 25. annos in omnibus probatis Authoribus *Latinis*, *Græcis* & *Italis* evolvendis inſumſi; Totos quindecim annos in perula *Ciceronis Oratorem* geſtavi. Omnium abjectiſſimus, eſt *Taciti* ſtylus omniumque Hiſtoriographorum minimus eſt. In quatuor aut quinque rebus verſatur totus ſtylus ejus, in *Antitheſibus*, in *Apoſiopeſibus*. Unica *Quinti Curtii* pagina triginta *Tullii* paginis præſtat--- *Quintus Curtius* in *Latinitate* coryphæus eſt, adeo limatus, adeo terſus, adeoque mirabilis ut etiam in argutiis ſuis, planus, perſpicuus & intelligibilis ſit. *Florum* in ſupremo poſt ipſum ordine ſtatuo, totus floridus eſt, quàm elegans eſt! Dom. *Tyronius* vir præclarus ad ſtylos dijudicandos *Quinto* Curtio primas dabat. *Perroniana* pag. 306. Gall.

Mirari ſubit quòd primi ordinis *Scriptor* qualis fuit *Q. Curtius* Antiquitati tam parum notus fuerit, ut nemo reperiatur qui ante medium ſeculi XVI. *Hiſtoricis* illum annumeraverit. Ephemerid. Eruditor. die lun. 18. April. 1678. Gall.

Quintus Curtius eſt bonus Author. Jampridem interiit *Q. Curtius*, quicquid illius nobis ſupereſt ex unico Exemplari exſcriptum fuit, omniaque MSS. nova ſunt.

In Bibliotheca Sancti Victoris primus liber *Q. Curtii* erat, ſed deprehendi, eſſe compoſitum à Petrarcha. *Scaligerana.*

Voluptatis illius, quam ex Hiſtoricis capere eſt, illuſtre exemplum habemus in ſapientiſſimo *Arragoniæ* Rege *Alphonſo*. Qui cùm graviſſimo morbo laboraret,

ret, multaque incaſſum *Medici* remedia adhiberent, *Curtii* de *Alexandro* hiſtoriam legere cœpit, eâque tantopere delectatus fuit, ut valetudini reſtitutus dixiſſe dicatur. *Valeant Avicenna, Hippocrates, Medici cæteri: vivat Curtius ſoſpitator meus. Voſſ.* de art. Hiſtor. p. 30.

Quintus Curtius ob ſinceritatem laude dignus eſt. De *Alexandro* bona & mala refert, Herois ſui merito haudquaquam offuſcatus. Si quid in ejus Hiſtoria reprehendendum occurrat, nimia erit elegantia; Sed hoc non obſtitit quin in moribus jucundè ac genuinè depingendis excelluerit. *Rapin.* Reflex. in Hiſt. Sect. 18.

Unus *Latinorum* eſt *Q. Curtius*, cujus ſententiæ nec nimis diffunduntur, aut diffluunt, nec nimis in arctum compactæ, aut conſtrictæ negotium lectoribus faceſſunt. *Gaſp. Sciopp.* de Hiſtorici offic.

Sunt qui *Quintum Curtium authorem* ſatis *neotericum* cenſent putantque eum ad majorem authoritatem ſibi conciliandam *Antiqua Roma Cæſaribus* coævum ſe dixiſſe. Hæc erat cujuſdam ex Dom. *Patini Gymnaſtis* opinio. *Q. Curtii* nomen ſuppoſititium eſſe arbitrabatur, & *Hiſtoriam* quæ ſub hoc nomine circumfertur, *fictam Narrationem* eſſe, quam *Italus* quidam ante trecentos demum annos fabricatos fuerit. Hanc opinionem his, inter alias, rationibus tuebatur, 1. quia *Authorem* hunc *veteres* nunquam citant. 2. quia de Gange & Indiâ, & quibuſdam aliis regionibus loquitur, quæ ignorabantur antequam à *Geographo Ptolemeo* memorarentur. Sed fruſtra ſunt hæc omnia. Quamvis validum & mirum quid ſit Argumentum deſumptum ex eo quòd à *Veteribus* nunquam citetur, nemini qui acri judicio polleat Opus hoc adeo recens eſſe perſuadere quis poterit. Jam ſupra mille quingentos annos nemo ampliùs *Latinè* ſcribit, ut *Hiſtoricus* ille, quiſquis tandem is ſit: Quamvis in *Geographicis* aliquando hallucinatus ſit, inde non ſequitur eum eſſe neotericum; Hoc enim fundamento *Titus Livius, Herodotus* omneſque Veteres Hiſtorici muſtei cenſerentur. Novell. de Rep. Literaria, Tom. 3. p. 252. 253.

Q. Curtii Rufi Hiſtoria *Alexandri* M. prodiit cum notis *Variorum*, Raderi, *Freinshemii, Loccenii*, Blanchardi, &c. *Amſtelodami*, ex officinâ *Elzevirianâ* 1673. in 8.

EPICTETUS.

PHiloſophus *Stoicus*, ex *Hierapoli Phrygiæ* urbe, *Romæ Epaphrodito* cuidam *Neronis* familiari ſervivit, atque ad *Marci* uſque *Antonini* tempora pervenit: Domitiano autem imperante ejus dominatu offenſus *Româ Hierapolin* migravit, ratus verum eſſe quod eſt Tragicum, Patriam eſſe cujuſque, ubi quis rectè ageret. Tanta verò apud omnes homines ejus vitæ admiratio extitit, ut *Lucianus Syrus* lucernam ejus fictilem tribus drachmarum millibus, ob ejus authoritatem, væniſſe tradat. *Hofman.* Clar. An. D. LXXXII.

De *Senecâ* habes: clarum aliud ſidus ſe oſtendit, *Epictetus*; ævo, non merito, poſterior: & ſcriptorum pondere, ſi non numero, comparandus, vitâ præpo-

nendus. Ille vir totus à ſe & à Deo, nihil à fortuna fuit. Origine vilis, & inter ſervos; corpore claudus ac debilis; mente nobiliſſimus, & inter omnis ævi lumina refulſit. Vita emendatiſſima fuit, & planè adſcitum, quod in ore habebat, Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου. *Contine, & abſtine.* Item hoſtis fucorum, qui *Philoſophos* habitu & verbis præferrent, vitâ degenerarent: quos ille appellare ſolitus *Philoſophos*, ſine factis, dictorum tenus. *Lipſ.* in Manuduct. ad Stoic. Philoſoph. l. 1. Diſſertat. 19.

Scripta ejus pauca extant: *Enchiridion* ſanè egregium, & *Stoicæ* moralis Philoſophiæ velut anima: item *Diſſertationes*, quas obiter in viâ, domo, Scholâ habuit, ab *Arriano* collectæ & digeſtæ. Neque omnes etiam extant: in *Agellio* & *Stobæo* reperies, quæ hîc requiras. Sed, *Deus* bone, acrem & altum in iis ſpiritum: accenſum animum, & *honeſti* amore ardentem! Nihil in *Græcis*, aut fallor, tale extat: à duabus illis notis dico, *Acrimonia & ardore.* Tironem aliquem & rudem veræ Philoſophiæ vix afficiat aut tangat: proficientem aut provectum incredibile eſt quàm excitet, & cùm pungat ubique, tamen etiam delectet. Genus ſtyli conciſum, fractum eſt, & quod indolem ſubitarii ſermonis habet: Sed docta interveniunt ſæpe, ſemper ſalutaria, & non eſt qui bonam Mentem magis aut trahat aut formet. Ego *Senecionem* illum nunquam lego, niſi cum interno animi motu: & quod *Homero* proprium, pluris facio cum relego, ſemper ut novum, & cùm repetivi repetendum. *Lipſ.* ibid.

Sermo in eo omnino efficax eſt, atque energiæ plenus, & in quo mira ſit ad promovendum vis. Stylus autem, qualem res poſtularet, conciſus eſt, dilucidus, quique omnem reſpuat ornatum. *Politian.* in Epict. enchir.

Epicteti ſingulæ voces *Proclo*, *Simplitio Luciano* ipſi oraculorum inſtar ſunt, *Morneus* de veritat. Rel. *Chriſtian.* c. 3.

Epictetum magni æſtimabat *D. Auguſtinus.*

Epictetus Philoſophi famam minus aucupatur, Philoſophatur meliùs. *Morn.* de veritat. Rel. *Chriſt.* c. 20.

Epicteti ſcripta, dùm legimus in diverſos imò contrarios affectus rapimur, etiam nonnunquam inviti. Nunc enim gaudemus, ſummâque perfundimur voluptate: dum infinitam *Dei* bonitatem miramur, quâ etiam *Gentilibus* ea de *moribus* nota eſſe voluit, quæ ſummam cum noſtrâ doctrinâ convenientiam habere videntur; nunc rurſus contriſtamur maximoque afficimur dolore: quando cernimus, quantò turpius in medio *Chriſtianiſmo* vivatur, quàm olim eſt factum ab *Epicteto*, eique ſimilibus aliis, qui gratiâ tamen ſpeciali *Divini Spiritus* (quæ, niſi nolentibus, nobis non deeſt) imbuti non fuere. *Henr. Jul. Scheurls* Bibliogr. Moral. Impreſſ. *Helmſtad.* in 8. 1686.

Unum hoc *Enchiridium* plus moribus hominum formandis valet, quàm univerſa *Ariſtotelis Ethica*, imò & omnium poſt illum Philoſophorum, qui *Moralem Philoſophiam* magnâ verborum pompâ ſcriptis mandarunt. *Abraham Berkel.* in Epiſt. Dedic. quæ *Epictet. Enchir.* præmittitur.

Exiguum quidem eſt volumen (Enchiridion) verùm non ex mole, ſed pro rerum, quæ in eo tractantur, dignitate atque excellentiâ æſtimandum. Neque hoc

hoc latuit *Antoninum* Illuſtriſſimum, & optimum *Romanorum* Imperatorem, qui in divino prorſus *De ſeipſo ad ſeipſum* tractatu, Diis immortalibus gratias agit, magnique beneficii loco reputavit Epicteti ὑπομνήματα accepiſſe, atque ex tali ſcriptorum genere ad beatam in tanto imperio vitam multum fructûs & utilitatis percepiſſe. *Idem* ibid.

Enchiridion illius ſanè egregium & *Stoicæ* Moralis Philoſophiæ velut Anima. *Lipſius*. Gravis herclè rerum magis pondere, quàm mole magnus liber & exoſculandus, nocturnâ diurnâque manu verſandus. *Remus* ad Themiſt.

Epictetici Enchiridion moribus utile, diſſertationes graves, prudentiæ plenæ. *Dempſter*.

Extat *Epicteti Enchiridion*, unà cum *Cebetis Thebani Tabulâ Græcè & Latinè*, ex recenſione *Abrahami Berkelii*, cum ejuſdem animadverſionibus & notis; quibus accedunt notæ *Wolphii, Caſauboni, Caſelii* & aliorum, cum *Græcâ Paraphraſi. Lugd. Batav.* Ann. 1670. in 8.

M. VALERIUS MARTIALIS.

Hiſpanus, *Bilbili* in *Celtiberia* natus tempore *Claudii* Imperatoris: ſub *Nerone* annos natus 20. *Romam* venit; atque annos iſtic egit 35. Tito, ac imprimis *Domitiano* carus fuit, à quibus & donatus jure trium liberorum. Etiam *Tribunus* & *Equeſtris* dignitatis fuit. At non item in honore fuit mortuo *Domitiano*. Itaque ſub *Trajano* in patriam rediit: atque ibi conſcripto libro *Epigrammatum* duodecimo, partim tædio patriæ, quia non in honore eſſet, quanto fuerat *Romæ*, partim etiam à civibus ſuis ſugillaretur, tædio vitæ, ut veriſimile eſt, deceſſit. *Voſſ.* de Poet. Lat. Clar. An. D. LXXXII.

Libros 12. *Epigrammatôn* compoſuit miro ingenio, & ſingulari urbanitate, quibus adjecit *Xenia*, & *Apophoreta* libellis duobus abſoluta. In his ſecutus eſt *Marſum* Poetam, *Pedonem*, atque *Getulicum*, quorum exemplo ſeipſum tuetur, ac laſcivam verborum licentiam excuſat. *Petr. Crinit.*

Erat homo ingenioſus, acutus, acer, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet & fellis, nec candoris minus. Plin. Epiſt. l. 3. Epiſt. 21.

Ælius Verus Imperator ſolitus eſt ſingulari affectu proſequi Lepôres atque jocos poëtæ *Martialis*; ſuumque *Virgilium* vocare.

Valerius Martialis artificioſiſſimus *Epigrammatum* ſcriptor, ita in iis quidem jocatus eſt, ut frequentiùs carpat, quàm delectet: tametſi è demorſione ipsâ delectatio quoque paritur. Adhæc Dictis ejus partim oculatiſſima quædam inſunt ſpicula; partim verba quæ non ſolum à faceto ſint aliena, verùm aut obſcœnâ ipſa admodum ſcurriliaque, aut maximè ampulloſa, & acida. Quod quidem *Hiſpanicum* eſt. Sunt tamen dicta ejus in univerſum arguta, ſubtiliterque conquiſita; abſtruſæ ſententiæ, eædemque raræ, ſalſæ, aculeatæ: inventiones verò maximè acutæ: verba præcipuè accommodata, quæque non primâ tantum facie, atque in ipſo explicatu, lectorem alliciant, atque auditorem: verùm quæ in ejus animo relinquant tacitam quandam quaſi ſubtitillationem. Nihilo tamen

Digitized by Google

minus iis, non pauca quidem animadvertas, quæ digna prorſus ſunt facetis ac temperatis ingeniis: retineantque decorum illud, quod virtutis hujus, de quâ præcipimus, maximè eſt proprium. *Joan. Pontan.* l. 3. de *Sermone*, cap. 18.

Martialis unus *Epigrammatis* Genium videtur poſſediſſe. *Dempſt.*

Martialis ad *Naſonis* facilitatem plurimùm accedit, & aliquid *Ciceronianæ* laudis illi poterat tribui, in libros aliquot Epiſtolis præfatus eſſet, *Deum* immortalem, quàm non *Ciceronianis*! *Eraſm.* in *Ciceronian.* p. 147.

Martialis lepidiſſimus Poeta: nec enim illis aſſentior, qui *ſcurram* ineptum eum appellant, neque ſatis elegante *Muſâ* libros *Epigrammatum* ſcripſiſſe autumant. *Adrian. Turneb.* Adverſar. l. 13. c. 19.

Epigrammatis virtutes peculiares, *brevitas* & *argutia*, hanc *Catullus* non ſemper eſt aſſecutus; *Martialis* poeta argutiſſimus nuſquam omiſit. *Jul. Cæſ. Scalig.* Poetic. l.3.c.126. Multa ſunt ejus Epigrammata divina, in quibus & ſermonis caſtitas, & argumenti ſpecies luculenta eſt. Verſus verò candidi, numeroſi, pleni, denique optimi. Alia fœda ne legerim quidem, tantum abeſt ut ad cenſuram vocem. *Idem* ibid. l. 6. p. 838.

Quid cenſes tu? non melius de *Martiale Scaliger* judicavit, qui verſus ejus candidos, numeroſos, plenos, *Epigrammata* multa divina dicit: quàm ille, qui *Scurram* de trivio appellat? Nollem excidiſſe viro magno hoc judicium judicii diſſimile. Nihil ad *Catullum Martialis*, Scio: ſed & hoc ſcio, *Epigrammata* illa nec in *trivio* nata, nec omnia in *triclinio*. Multa fœda, obſcœna in *Martiale*: & mehercule in uno *Catulli* libello non pudiciora, ſed pauciora. Ignorat ſeculum illud, qui hoc accuſat. *I. Lipſ.* l. 1. Epiſt. Quæſt. Epiſt. 5.

Reliquit *Epigrammatum* librum omninò rejiciendum, quippe qui neque elegantiæ latinæ neque moribus proſit. *Raph. Volaterran.* Comment. Urban. lib. 17.

Faceret è re literariâ, ſi quis more veterum *Criticorum*, delectum *Epigrammatum* ejus haberet, & bonis affigeret laudis notam, aliis culpæ. Potuiſſet hoc *Douza* noſter, qui Poetam iſtum non ſolùm feliciter expreſſit, ſed etiam correxit, *Juſt. Lipſ.* ut ſupra.

Martialis iis, qui *Epigrammata* volunt ſcribere, & legendus & imitandus eſt: nihil enim in illo genere reperiri poteſt terſius argutiuſque. Et multa ſunt ejus non ſpurca, quale illud de *Santra*. vid. Vol. 4. *Grot.* oper. p. 740.

Epigrammata ejus arguta pleraque ſunt, & acuta, ſed & ſæpè præ obſcœnitate putida, indigna quæ oculis caſtis obſerventur: unde *Ingolſtadienſis* editio à *Jeſuitis* procurata obſcœna illa meritò amputavit. Duo priores libri qui *ſpectaculorum* nomine circumferuntur, alterius ſcriptoris habentur fœtus, verùm *Xenia* & *Apophoreta* communi conſenſu ejus ſunt *Borrich.* de Poet. p. 63. 64.

Martialem Bilbilitanum quàm iniquè tractarunt nonnulli! Hunc vilem è *trivio Scurram* præ *Catullo* vocat *Muretus*. Ejus *Epigrammata* Aſinis placere, aiebat *Lil. Gyraldus*. Forum exempla, quot nanciſci poterat, quotannis cum execratione *Vulcano* dicabat *Andreas Naugerius*.

Martialis Bilbilitanus, etſi ob peregrinitatem *Hiſpanicam* nonnullis, ſed maledicis

Digitized by Google

maledicis *cenſoribus*, vapulat: Laude tamen *Elegantiarum Latinarum* minimè privandus eſt Dan. Georg. Morhof. D. Patav. Livian. p. 160.

Latinum *Epigramma*, depravato judicio, quod graſſari cœpit cùm pura *Latinitas* jam labaſceret, animos argutia aliqua, quæ *acuminis* nomen ſortita eſt, titillare tentavit. *Martialis* acuminum in vocibus author quodammodo fuit, terminando nimirum vulgarem ſententiam aliqua voce inaudito modo uſurpata. *Rapin.* Reflex. particul. in Poeſ. Refl. 3. par. 2.

M. Val. Martialis Epigrammata prodierunt cum notis *Variarum*, accurante *Gorn. Schrevelio*, *Lugd. Batav.* ex officinâ *Hackianâ* 1670. in 8.

MARCUS FABIUS QUINTILIANUS.

RHetor, *Hiſpanus* ex civitate *Calaguritanâ*: *Romam à Galbâ* adoleſcens admodum perductus eſt. Primus *Romæ publicam Scholam* aperuit, & *Salarium* è fiſco tulit, eoque dives evaſit. Incidit illius ætas in ea tempora, quibus inclinatio quædam *Sermonis Romani* ad *barbariem* fieri cœperat *Carol. Stephan.* Clar. A. D. LXXXIII.

Ciceronis & *Quintiliani* politiſſima ſunt *ſcripta*, quæ nihil ſupervacui, nihil impediti, nihil non ad *Artem Rhetoricam* pertinentis complectuntur. Sanè pervulgata quædam *Rhetorum* præcepta negligens prætermiſit, aut breviter perſtrinxit *Cicero*, viri *conſularis*, & in eloquentiâ eminentiſſimi, ſervatâ dignitate: quid verò in *Quintiliano*, vivo quodam præceptionum omnis generis exundante *gurgite*, quod vel ad *mores*, vel ad docentis dicentiſque *utilitatem* pertineat, deſiderare poſſis? Quo magis *Ciceronis* quibuſdam ſimilis, nihil *ejus* præter umbram & larvam habentibus, infenſus ſum, qui *Quintilianum* prolixum, & nullo certo docentem ordine clamitantes, de manibus *ſtudioſorum* excutere meditantur. Cujus mentem, & ſuſceptam à principio ad finem inſtituendi rationem, ſi intentis oculis acrius intueantur, facilè obſtinatum in pravâ ſententiâ animum mutaverint. Tantâ enim facundiâ, diligentiâ, dexteritate, induſtriâ ab imis fundamentis ad ſumma faſtigia partibus omnibus expreſſam hanc Eloquentiæ Architecturam comperient, ut pravis affectibus depoſitis, facilè confeſſuri ſint, nihil in eo genere ne mente quidem & cogitatione perfectius concipi poſſe. *Petr. Galand.* in Epiſt. *Petr. Caſtellan. Fab.* inſtitut. præfix.

Nemo poteſt *Quintilianum* intelligere, niſi *Ciceronem* optimè teneat; neque *Ciceronem* probè ſequi, niſi *Quintiliano* pareat; nec unquam fuit quiſpiam eloquens poſt *Quintilianum*, nec eſſe poteſt, niſi qui ſe totum *arti ejus* formandum, imitationique tradiderit. *Laurent. Vall.* l. 1. Antidot. in *Pogg.*

Nos quidem *Quintilianum* magnæ eruditionis, & elegantis judicii fuiſſe, agnoſcimus; ac de quo ſerio illud dici poſſit, amaſſe eum bonam mentem; verùm enim verò dolendum planè, quòd vir maximus toties re leviculâ deceptus recedat ab *Ariſtotele Rhetore* longè ſe perſpicaciore, qui ſolus, non ſolùm *de arte*, ſed etiam *ex arte*, atque adeò artificioſiſſimè ſcripſit, ac cui, ut omnium optimo, optimè optimam operam dari putamus. *Voſſ.* de *Rhetor.* c. 6.

Magnus ille Magiſter *Eloquentiæ Fabius*. *Iſaac. Caſaub.* Comment. ad *Perſ.* Satyr. 1.

Emunctiſſimæ

Digitized by Google

Ipſa ſtrategemata quibus Imperatores & milites in bello, vel in ipſo prælio uti conſuevere, & ad ſui tutelam, & ad hoſtium perniciem, parum in operibus ſuis (*ii, qui de re Militari ſcripſerunt*) attigiſſe videntur, præter unum *Frontinum*, virum conſularem, qui ſatis commodè, ſatiſque abundè ipſe deſcripſit Strategemata. *Jacob. comes Purliliar.* in proœm. libror. de *Re Militar.*

Julius Frontinus ſtrategemata, per *Romanorum* hiſtoriam diffuſa, dictione facili, atque ordinatiſſimâ temporum ſerie digeſſit --- videtur aliquando *Frontinus* non ſatis elegans, & nonnunquam parum latinus fuiſſe, ſi delicatiorum quorundam aures conſulamus. Diſcrepat etiam interdum ab aliis ſcriptoribus in rerum geſtarum narratione, dubium, errore, an conſilio ex quibus (*Frontini Strategematis*) ſanè plurimùm frugis percipere poſſunt exercituum ductores, quos ille acuit, cùm ad inſidias parandas, tum ad eas evitandas. Huic etiam auctori debemus nonnullorum Militarium vocabulorum explicationes, quas abſque illo eramus ignoraturi. *Balthaſſ. Bonifac.* in excerpt. Rom. Hiſtor. Script.

Sextus Julius Frontinus ſtrategematum libros conſcripſit in quibus ex omnibus Hiſtoricis exempla, in certos libros diſtincta, enumerat copioſè, & magnâ cum utilitate; licet pleraque, librariorum errore, ineptè ſint repetita. *Carol. Sigon.* de Hiſt. Roman.

Julius Frontinus de *Aquaductibus*, & ad locorum urbis notitiam valet, & ad notationem Faſtorum. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 5.

Elogium urbis *Romæ* quod in libro de *Aquaductibus* legimus; (*Regina & Domina orbis, quæ Terrarum Dea Gentiumque conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum*) non *Frontini* eſſe ſentit *Lipſius* Vereor (inquit) ut allitum adſcriptumve alienâ manu ſit; & gravis atque eruditus reliquus *Frontini* ſtylus non probat aut amat laſciviam poetarum *Lipſ.* De Magnitud. Roman. l. 1. c. 2.

Extant *Sexti Julii Frontini* opera, cum notis & emendationibus *Roberti Keuchenii. Amſtelodami* 1661. in 8°.

Vetuit ſibi exſtrui monumentum his verbis: Impenſa Monumenti ſupervacanea eſt: Memoria noſtri durabit, ſi vitam meruimus. *Eraſm.* lib. Apoph.

PUBLIUS PAPINIUS STATIUS.

NEapolitanus, ſub *Domitiano* vixit: ſed perperàm confunditur cum *Statio* Poetâ, cognomine *Surculo*, qui claruit ſub *Nerone*, ac *Toloſenſis*, in *Galliis* fuit. *Reliquit* quinque *Sylvarum* libros, 12. *Thebaidos*, 5. *Achilleidos.* Mirum verò *Martialem*, cùm adeò celebrat *Stellam Poetam*, non meminiſſe *Statii*, tanti amici *Stellæ*, ut ei miſerit primum *Sylvarum*. Nempe ab invidiâ id profectum videtur. Non ferebat *Martialis Papinium* tantoperè in gratiâ eſſe apud *Domitianum*, idque ob extemporalem in carmine felicitatem, quâ *Martialis* longè vincebatur. Parum amicum fuiſſe *Papinio Martialem* ex eo colligitur, quòd nunquam æqualis ſui meminerit: tum aliis quæ legas apud *Gevartium* ad 1. *Sylvarum. Voſſ.* de Poet. Lat. Clar. A. D. LXXXV.

R Velles

Velles *Papinium Statium* tam dextro ingenio *Thebas* fortiſſimumque *Achillem*, quàm *Sylvas* decantaſſe. Si non majus nomen, majorem certè gratiam inde haud dubiè reportaſſet. nulli unquam Poetarum, quod ſciam, magis proprium fuit, ſubito œſtro incaleſcere, atque ubi incaluiſſet, fortiùs feliciúſque debacchari, ut quantumcunque *Phœbum* hauſerit: ac neſcio an etiam majorem, eodem calore confeſtim reddat. Cuperes, dixi, omnem ejus operam in *Sylvis* locatam, nihil eſt illis amabilius floridius, magiſque *poeticum. M. Anton. Sabellic.*

Statius cultiſſimus atque ingenioſiſſimus *Poeta*. Neque ullus *veterum* aut *recentiorum* propiùs ad *Virgilianam* Majeſtatem accedere valuit. Etiam propinquior futurus, ſi tàm propè eſſe noluiſſet. Siquidem naturâ ſuâ elatus, ſicubi excellere conatus eſt, excrevit in tumorem. At profectò *Heroicorum Poetarum* (ſi *Phœnicem* illum noſtrum eximas) tum *Latinorum*, tum etiam *Græcorum* facilè princeps. Nam & meliores verſus facit quàm *Homerus Jul. Cæſ. Scalig.* de re Poetic. l. 6. p. 841. 843.

Virgilianæ Æneidos felix imitator *Statius Henr. Glarean.* not. in *Terent.* fine *Eunuch.*

Optimus Poeta *Papinius. Adr. Turneb.* Adv. l. 26. c. 23.

Statius, eximius Poeta. *Iſaac. Caſaub.* ad *Sueton. Domitian. Statius* generoſus, & ſubito calore admirabilis. *Steph. Claver.* ad *Claudian.*

Juvenalis multis in locis aſper eſt & durus; materiæ ſuæ conveniens, mollis & ſuavis *Statius. Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Papinius ſublimis, & celſus Poeta, non herclè tumidus *Lipſ.* Centur. 1. Epiſt. 13.

In *Statio* luxuria ingenii non indecora. *Idem* ad Annal. *Tacit.* 3.

Statius eruditus in *Sylvis*, ſublimis in *Thebaide*, blandus in *Achilleide*. *Thom. Dempſt.*

Papinius in libris *Thebaidos* id bellum belliſſimè deſcripſit. Andr. *Tiraquell.* de Jure primogenit. c. 17. Sect. 5.

Papinii Statii Sylvas, quò ſæpiùs legas, eò magis magiſque & admireris & ames. Admireris ſpiritum Poeticum; ames judicium & floriditatem *characteris*, duo ut ſumma, ita rariſſima *vatum* argumenta feliciorum. *Barthius* Adv. l. 12. c. 4.

Sublimis & celſus, magnus & ſummus Poëta. *Lipſ.* Cent. 1. Epiſt 13.

P. Papinius Surculus Statius, *Neapolitanus*, *Domitiano* gratus, plurima quidem ſcripſit, & eruditè, atque ſublimi charactere omnia, ſed quorum non pauca interciderunt, etiam illuſtris illa *Agave*, *Tragœdia*, quam egeſtate cogente *Paridi* vendidit, ut pro ſuâ publicaret. Hodie *V. Sylvarum* ejus libros. 12. *Thebaidos*, & *Achilleidos* duos numeramus, in quibus dictio ubique ferè florida, electa, magnifica, in *Sylvis* tamen purior, & magis nativa, in *Thebaide* calamiſtrata magis, in *Achileide* inæqualior. Quæ cauſa eſt, cur inter Poetas *Statium* id eſſe pronuncient nonnulli *Criticorum*, quod *Alexander* Magnus inter *Heroes*, hoc eſt, virtutes magnas magnis vitiis miſcuiſſe, & modò *Cothurnis* aptiſſimè incedere, modò tumore flatulento ultra nubes evehi, rurſus è medio ſubinde cœlo

Icario

Digitized by Google

Icario lapſu decidere. Certe *Famianus Strada* non ineptè fingit *Statium* in ſummo cacumine eminentioris *Parnaſſi* collis conſidere, ſed ità periculosè, ut ſemper videatur lapſuro ſimilis. *Borrich.* de Poet. p. 62.

Papinium, vir doctiſſime, magni feci ſemper, ut qui *Virgilio* omnigenâ eruditione haud multum cedat, ſpiritu autem Poetico certe quibuſdam in partibus, ſi per *Criticos* dicere liceat, dubiam ei faciat palmam. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Gronov.* Lutet. 10. Decembr. 1637.

Jeſ. *Rapinus* eum perſtringit quòd Poeſeos eſſentiam in verborum pompa & magnificentia potiùs quàm in rebus poſuerit; aſſerit ejus carmina aurem quidem implere, cor verò minimè penetrare; eum æquè inſolentem ſeu abſurdum eſſe in ſuis ideis ac in earum enunciatione; Duobus ejus Poematis nihil regulare ineſſe, ſed omnia nimis vaſta, debitæque proportionis expertia. Denique *Statium* præ *Virgilio* merum eſſe furioſum aſſeverat. Hæc variis locis apud Rapinum legi poſſunt.

Statium publico donavere plurimi; ſollicitè *Jo. Bernartius* cum ſcholiis in Thebaida, & Achilleida, notiſque in Sylvas; in quas extant quoque Commentaria *F. Morelli* & *Frid. Tiliobroga*, atque lectiones *Papiniana Caſp. Gevartii.* Notas adjecit *Emmericus Cruceus*, & diatribas *Gronovius*, quibus Antidiatribas *Cruceus* oppoſuit. Ex curioſiſſimis hodie editionibus illa habetur, quæ è Bibliothecâ *Pithæi* exiit, item *Chri. Daunii* ſcholiis variis illuſtrata, curâ G. Barthii, & denique ultima, quam *I. Veenhuyſen* cum notis variorum divulgavit. Lugd. Batav. ex officinâ *Hackianâ* An. 1671. 8°.

FLAVIUS JOSEPHUS.

EX Regio & ſacerdotali ſanguine editus, *Matathia* ſacerdotis filius, (quem *Hieronymus* Græcum *Livium* appellat, recentiores verò *Judæi Joſephum Bengorion* vocant) natione *Hebræus*, patriâ *Hieroſolymitanus*, genere ſacerdos, in excidio *Hieroſolymæ* captus, *Romam* à *Tito* Imperatore ductus eſt; ibique propter ingenii excellentiam à Senatu & populo *Romano* promeruit, ut eo vivente libri ejus publicæ Bibliothecæ traderentur, ipſi verò poſt mortem *aneâ ſtatua* poneretur. Amicus *Chriſtianorum*, quanquam *Judæus* eſſet; & Dominum Noſtrum *Jeſum Chriſtum* in decimo octavo Antiquitatum libro inſigni elogio celebravit: quâ de cauſâ *D. Hieronymus* eum in catalogo Eccleſiaſticorum dignâ cum laude recenſet. *Sext. Senenſ.* Clar. A. D. XCIV.

Scripſit Judaicarum Antiquitatum libros 20.— De Bello Judaico libros 7.— Contra Appionem libros 2 ------De Maccabæis----Vitam ſuam.

Multa quoque alia adfert, quibus fidem hiſtoriæ ſuæ concilier: imprimis, quòd prope omnia oculis ſuis viderit: cætera ab iis acceperit, qui ipſi rebus præfuerunt-------Quantum autem fidei mereatur, minimè nunc convenit inter eruditos. Sunt quibus uſque adeò fides ejus ſuſpecta ſit, ut planè ſuſque deque habeant, quid *Joſephus* dicat, dummodò vel alterius qualicunque autoritate, vel minutâ ratiunculâ, defendere contrarium ſibi poſſe videantur. Contrà magnus

Scaliger Prolegomenis ardui operis de *Emendatione Temporum* cenſet, ubique elucere *Joſephi* & eruditionem, & fidem, in tantum, ut non ſolum in rebus *Judaicis*, ſed etiam externis, tutiùs ei credatur, quàm omnibus *Græcis* ac *Latinis*. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc.

Flavius Joſephus, autor omni laude dignus, & cui poſt *Sacrorum Voluminum* ſcriptores prima eſſe debet fides, -- etſi gravitate ſupra cunctos *Judæos* eminet, tamen haud ubique à deliramentis abhorret populariuin ſuorum. *Petr. Cunæus* de Rep. *Hebræor.* l. 3. c. 1.

Cujus amor veri notiſſimus, fides conſtantiſſima; niſi quid illi fortaſſe humanitùs errare contingat, quæ exceptio locum hîc non habet: cui ad penitus cognoſcenda illa de quibus ſcribebat, omnia præſidia abundè ſuppetebant. Nam aut ex *actis publicis* illa deſcripſit, aut ex oculatâ fide. *Caſaub.* ad *Baron. Apparat. Annal.*

Nullam occaſionem prætermittit *Baronius*, ſive juſtam, ſive injuſtam, detrahendi *Joſepho*, hiſtorico nobiliſſimo, quicquid ingrati *Joſephomaſtiges* muginentur.------Si omnes *Joſephi* errores, hallucinationes, aut ablepſiæ (de iis non loquor, in quibus diſcedit *Joſephus* à Bibliis: in quo excuſari non poteſt in unam ſummam contrahantur, vix centeſima pars ea fuerit culparum ab uno *Euſebio* admiſſarum, ſive in *Chronico*, ſive in aliis ſcriptis. Cur igitur tanta cura & tanta cũ iniquitate *Joſepho* inſultabimus? cujus libros niſi providentia *Dei* ſingularis ad noſtra ſervaſſet tempora, in quantis rerum *Judaicarum* tenebris hodie verſaremur? quot fabulas, quot mendacia jubar Hiſtoriæ *Joſephi* diſcutit? At errat *Joſephus* interdum manifeſtò. Sanè: homo enim erat. *Idem* ibid. Exercit. 12. Ann. 28. Num. 2.

Is in omni Latinorum & *Græcorum* Scriptorum genere verſatus, omnem *Gentilium* hiſtoriam & chronologiam excuſſit & perdidicit: ideoque ab iſtorum *Hebræorum* ineptiis remotiſſimus fuit. *Poſſevin.* Biblioth. Select. l. 2. c. 25.

Miratur *D. Hieronymus* in homine *Judæo* tantum *Græcæ Antiquitatis* fuiſſe.

Si quid mei judicii eſt, *Joſephum* habeo prudentem probumque Scriptorem. *Lipſ.* Poliocretic. l. 5. Dialogis 2.

Inter omnes verò, qui *Hiſtoriam Herodianam* attigerunt, palma debetur citra controverſiam *Flavio Joſepho*, homini quidem *Judæo*, Hiſtorico tamen eximio, & raræ tum diligentiæ, tum fidei, & cui major adhuc æſtimatio deberetur, ſiquidem temporum & librariorum injuriis minus obnoxius fuiſſet, & purus ac integer ad manus noſtras perveniſſet. *Frideric. Spanhem.* par. 2. *Dubior. Evangelic.* Dubio 2.

Utinam diligentior fuiſſet *Joſephus* & religioſior in Sacrâ Hiſtoria ſcribenda! *Georg. Horn.* not. in libr. 2. *Sulpit. Sever.* c. 8.

Joſephus multa, invidiæ declinandæ ergo, ut gratiora eſſent auribus *Veſpaſiani* & *Romanorum*, prætexit. Cætera ad pompam detorquet. Unde plurima habet quæ diſcrepant à Scripturâ, & ei contraria ſunt. *Cornel. A Lapide* not. in libr. 1. *Sulpit. Sever.* c. 42.

De ſtylo ejus ita cenſet *Photius*, eſſe eum candidum, purum, elegantem, ac jucundum; in concionibus etiam diſertum.

Flavii

Digitized by Google

Flavii Joſephi Apologia, quæ extat adverſus *Apionem*, uſque ad miraculum eſt erudita. *Cunaii* de *Rep. Hebr.* p. 2.

Quod *Hebræi* dicunt, teſtimonium illud de *Chriſto* in ſuis libris non haberi, & ideo videri ſuperadditum à *Chriſtianis*; facilè refelli poteſt. Nam *Hebræi* non habent *Joſephum* filium *Matathiæ*, qui *Græcè* ſcripſit libros *Antiquitatum*, de quo nos loquimur, ſed *Joſephum* filium *Gorionis*, qui aliquid ſimile ſcripſit *Hebraicè*: proinde non eſt mirum, ſi *Judæi* in ſuo *Joſepho* hoc teſtimonium non habeant, cùm in noſtro habeatur, & non ſit ſuperadditum; ſed verum & germanum *Joſephi* teſtimonium. Certè ſanctus *Hieronymus* & *Euſebius* viri doctiſſimi fuerunt, & omnes penè libros veterum ſcriptorum legerunt, & nunquam hoc Teſtimonium de *Chriſto Joſepho* tribuiſſent, niſi ſciviſſent verè ab illo auctore ita ſcriptum fuiſſe. *Bellarmin.* de Scriptor. Eccleſiaſtic.

De hoc *Joſephi* loco, genuinuſne ſit, an inſititius, gravis nuper exorta eſt controverſia. Hoc teſtimonium enervare nititur vir doctiſſimus *Tanaquillus Faber* in epiſtola critica p. 126. Confirmat autem *Iſaacus Voſſius*, quem vide.

Joſephus in Hiſtoria *Judaica* ſupprimit miracula vera, ut Ethnicorum, qui illa non crediediſſent, animis ſeſe attemperaret, & eventus minùs veros ſupponit, quia hos illorum guſtui & ingenio convenientiores arbitrabatur. *Rapin.* Reflexion. Hiſt. Sect. 27.

Mirabiles deſcriptiones *Hiſtoriam* ejus ornant, eloquentiſſimæ Orationes, & præclariſſimæ ſententiæ: Narratio ejus perſpicua eſt atque fidelis; Non modo lectores ſuos delectat, ſed etiam trahit in optatam partem: Cupitos affectus in eis concitat aut ſedat: Denique *Hiſtorici* abſoluti numeros omnes continere dici poteſt, meritoque *Græcorum Titus Livius* nuncupari. Tractatus de *Maccabæis* ingenii ejus præclaras dotes & ejus eloquentiæ magnitudinem prodit: Ejuſque libri adverſus *Appionem* quam acris judicii, profundæque eruditionis fuerit manifeſtat. *Ell. du Pin.* in Nova Bibliot. Author. Eccleſiaſt. Tom. 1.

Joſephi teſtimonium de *Jeſu Chriſto* refertur ab *Euſebio*, à Divo *Hieronymo* & ab aliis pluribus poſt illos tanquam monumentum quod Religioni *Jeſu Chriſti* non mediocriter favet: Sed ætate noſtra res exactiùs ponderatæ fuerunt, plurimi jam fuerunt & adhuc ſunt eruditi viri qui hunc locum verè *Joſephi* non eſſe aſſeverant: Et fatendum eſt horum conjecturas non eſſe prorſus contemnendas. *Idem* ibid. p. 67.

Laudatur inter varias *Joſephi* Editiones illa *Genevenſis Græcè* & *Latinè* in Fol. Ann. 1611. & deinde Ann. 1634. vulgata emendata olim à *Segiſm. Gelenio*.

S. POLYCARPUS.

Smirnæ à S. *Joanne Apoſtolo* & *Evangeliſtâ* Anno *Chriſti* (ut creditur) 82. *Epiſcopus* ordinatus, Apoſtolicus & Propheticus Doctor, totius *Aſiæ* Princeps, nonnullos *Apoſtolorum*, & eorum, qui viderant *Dominum*, magiſtros habuit, *Romam* veniens ſub *Imp. Antonino Pio*, *Eccleſiam* regente *Aniceto*, multos, Clar. A. D. XCIV.

ab *Heretico* errore correxit: ac tandem centenario major *Smyrnæ* igni traditus eſt, ſedente *Proconſule* & univerſo populo adverſus eum in *Amphitheatro* perſonante, die 26. *Januarii* ex *Martyrologio Romano* A. C. 167. *Labb.* Deſcriptor. Eccleſiaſt.

Polycarpus Smyrnenſis, circa extrema *Neronis* natus nonnullis eſſe videtur. *Vir* (inquit *Irenaus* l. 3. c. 3.) *qui non ſolùm ab Apoſtolis eruditus, & cum multis qui Dominum viderant, familiariter verſatus, verùm etiam in Aſiâ Smyrnenſis Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus. Johannem* Apoſtolum præcipuè intelligit, cujus Diſcipulus *Polycarpus* fuit, atque ab eo Epiſcopus conſtitutus, idque factum eſſe circa An. 94. vel 95. neceſſe eſt; ſi modò vera eſſet doctiſſimi *Oſſerii* conjectura, eum eſſe *Smyrnenſis Eccleſiæ* Angelum illum, cui Epiſtolam ſcripſit *D. Johannes* Apocal. II. Ortâ gravi de *Die Paſchatis* controverſiâ, *Romam* ſe contulit, ibique cum *Aniceto* Epiſcopo (qui juxta *Pearſoni* & *Dodvveli* calculum, ex *Eutychio* hauſtum, pontificatum iniit An. 143.) familiariter verſatus eſt, plurimóſque *Marcionis* & *Valentini* errore deceptos ad *fidem* reduxit. Demum ſub *M. Antonio*, vel ut alii, *Antonino Pio*, incaleſcente Perſecutione, *Polycarpus Smyrnæ* ad rogum damnatus, igni traditur: ad flamma inſtar veli Navalis ventorum flatu ſinuati corpus *Martyris* circumvolitante, neque illud tangere auſâ, tandem gladio confoſſus eſt. Mortui corpus in cineres redegerunt *Ethnici*, ne abreptas ejus reliquias divino honore *Chriſtiani* proſequerentur, veriti *Gul. Cave*. Hiſt. Literar.

Scripſit ad *Philippenſes* valde utilem *Epiſtolam*, quæ uſque hodiè in *Aſiæ* conventu legitur. *Hieronym.* in catalog.

Hanc *Epiſtolam* multùm laudant *Auguſtinus*, *Tertullianus*, *Ireneus*, *Bellarminus* atque *Baronius*.

Hic docuit ſemper quæ ab *Apoſtolis* didicerat; & *Eccleſiæ*, tradidit quæ ſola ſunt vera. *Ireneus.*

Quo viro, poſt *Apoſtolos*, quorum familiaris fuit, vix ullus apud *Chriſtianos* unquam fuit Sanctior ac Divinior. *Dall.* de Pſeudepig. Apoſt. l. 2.

Polycarpus diſcipulus *Johannis Evangeliſtæ*, & eruditionis & ſanctitatis nomine percelebris, floruit circa 140. annum *Domini*, aut paulò poſt. *Illiric.* catal. Teſt. Verit. l. 2.

Irenæus dicit, *Epiſtolam Polycarpi* ad *Philippenſes* perfectiſſimè eſſe ſcriptam: ex quâ & characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent ſuæ ſalutis, poſſint diſcere.

Polycarpi Epiſtola ad *Philippenſes* multis referta eſt admonitionibus, cum perſpicuitate, ac ſimplicitate, *Eccleſiaſtici* more *Interpretis*. *Phot.* cod. 126.

Hieronymus Polycarpi Epiſtolam valdè utilem dicit, & *Euſebius* inſtructiſſimam, ut ex eâ fidei characterem ac veritatis doctrinam cognoſcere queant ii, qui ſalutis ſuæ rationem habent. Magnam autem iſtam utilitatem, in eâ quam nunc habemus Epiſtolâ non video *Chriſtoph. Sand.* de ſcriptor. Eccleſiaſt. Impreſſ. *Coſmopoli* 1669.

Polycarpi

Digitized by Google

Polycarpo venerationi ſingulari erat memoria *S. Johannis* ; Delectabatur referre colloquia quæ cum ipſo habuerat , & cum aliis qui *Jeſum Chriſtum* viderant : Narrabat quæ ſibi de ejus doctrina & miraculis dixerant : Si verò quempiam audiviſſet , qui doctrinam *Apoſtolicæ* fidei contrariam attuliſſet , exclamaſſet, O *Deus*, ad quænam tempora me reſervaſti! El. du Pin. Biblioth. Nova Authorum Eccleſiaſtic.

Hæc *Polycarpi* ad *Philippenſes* Epiſtola , magnam tum *ſtylo* , tum rebus ipſis cum Epiſtola *Clementis* ad *Corinthios* affinitatem habere videtur ; cùm & identidem eaſdem regulas ſuggerat , iiſdemque vocibus & phraſibus utatur : adeo ut nullum ſit dubium quin ob oculos præſtantiſſimam hanc. Epiſtolam ſpecialiter habuerit , dum illam exararet. Et reverà pia & verè Chriſtiana eſt Epiſtola illa, brevibus & utilibus Vitæ Præceptis Reguliſque referta , eaque modeſtia & ſimplicitate quæ temporibus *Apoſtolicis* conveniebat ſcripta , proximè poſt *Sacri Canonis* libros *Veteribus* in pretio habita. *Cave* in *Polycarpi* Vita.

Extat *Polycarpi* Epiſtola ad *Philippenſes Græcè & Latinè* ex editione *Petri Halloix Duacis* Ann. 1633. cum verſione *Jacobi Uſſerii* , *Oxon.* Ann. 1644. in 4°.

DECIUS JUNIUS JUVENALIS.

POeta Satyricus , ex *Aquino* oriundus ; Is ferè ad mediam ætatem declamavit , poſtea vitiis offenſus, *Satyras* ſcripſit, ſed cùm ſchemate notaſſet *Paridem Pantomimum* , jam octogenarius, ſpecie honoris , præfectus eſt cohortis in extimâ *Ægypto* , inde *Irati Hiſtrionis exul* vocatur à *Sidonio Apollinari.* Creditur vixiſſe uſque ad annum 12. *Adriani. Hofman.* Clar. A. D. XCV.

Juvenalis autem candidus , ac *Satyrorum* facilè princeps. Nam ejus verſus longè meliores quàm *Horatiani* : Sententiæ acriores : Phraſis apertior : *Jul. Cæſ. Scalig.* Poetic. 6. c. 6.

Horatius eſt irriſor , & ob id *Sermonum* titulo contentus fuit , qui modo ſententiæ lacertos expreſſos oſtendat Sermone vulgato , ſed lecto tamen ; parum curat numeros ; & denique , modò purè diceret , nihil penſi habuit. In *Juvenale* omnia contra. Ille ardet , inſtat, apertè jugulat. Stylus valdè arridet, in quo cum Romanâ puritate juncturas molles feliciſſimè conſecutus eſt. Urbana & ſalſa multò plura *Juvenali* attribuas , quàm excipias ab *Horatio.* Quibus ſanè locis neque temerè , neque fruſtrà contendemus *Juvenalem* longè accuratioris *Satyræ* auctorem eſſe : & eum tantò anteponere decet Horatio, quantò melior *Horatius Lucilio* judicatur. Cùm neque argumentorum varietate par ſit illi *Horatius* , neque dexteritate tractandi, neque ubertate inventionis, neque crebritate ſententiarum, neque acrimoniâ reprehenſionis , neque facetiis & urbanitate. Idem alio loco.

Juvenalem Poetam à *Scaligero* Patre, in *Satyrâ* præpoſitum *Horatio*, vidi qui indignarentur. At ille, me judice, inter multa certi & elegantis judicii , nihil

verius

verius protulit ------De *Juvenali* verò judicat. Ardore, altitudine, libertate, id eſt, ſuo quodam genere ſupra *Horatium* eſt; quod ipſum maximè *Satyræ* proprium videtur. Tangit vitia, objurgat, inclamat: rarò jocos, ſæpiùs acerbos ſales miſcet. Quæ omnia in *Horatio* contra; qui placidus, lenis, quietus, monet ſæpiùs quàm caſtigat. Sed ita præclarè tamen hoc ipſum, ut in eâ parte & arte nihil poſſit ſupra eum. *Lipſ.* l. 2. Epiſt. Quæſt. Epiſt. 9. *Palmanno.*

Longè ſalibus ab *Horatio* ſuperatur; & à *Juvenale Perſius*: quorum uterque feliciter eſt aſſecutus, quod voluit noſter, nec potuit. Excellunt igitur in eo *Horatius* & *Juvenalis*, etſi ratione diverſâ: nam illius ſales plebeium aliquid ferè ſapiunt: hujus omnes joci quibus abundat, ſic ſunt urbani & ſalſi, ut acumen ſæpè atque eruditionem præ ſe ferant, & ingenium longo declamandi uſu probè ſubactum. *Caſaub.* Prolegom. in *Perſ.*

In taxandis moribus, noſtrorum Patrum memoriâ, primum locum habere putabatur adeò, ut is tunc doctior exiſtimaretur, qui plures ejus verſus memoriter recitaret *Lil. Gyrald.* de Poet.

Non ſine causâ tanti ſemper ab omnibus habitus fuit. Nemo vitia ſeculi ſui altiùs penetravit, nemo graviùs, & cum majore indignatione perſtrinxit. Quod nullus diffiteri poteſt, qui diligenter & cum judicio legit. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Epiſt. *Vincent. Fabric.* p. 35.

Juvenalis *excellens*, & apud quem egregia quædam occurrunt. *Satyra* tragicæ. Miror autem cur ſe dicat ſcripſiſſe ſtylo *Lucilii*, nam nihil eſt diſſimilius, & Phraſi *Horatianæ Scaligerana* prima.

Juvenalis argutus ubique & inventione & diſpoſitione, & nexu dicteriorum, ſed dum ad omnia cenſenda ſtylum porrigit, ſæpè turpis, obſcœnuſque, ut proindè quædam *Satyræ* ejus rectiùs exularent. Nonnunquam etiam philoſophandi ſtudio ultra *Satyræ* inſtitutum exit, quo nomine memorabilis eſt *Satyra* 10. *Borrich.* p. 64.

Sed ne fiat longius non neceſſario, ſic diſtinguemus: *Horatium*, placide & leniter influentem in animos, ſuadere ridendo: ſubſannantem *Perſium* philoſophari velle: *Juvenalem*, quaſi crudum & nauſeantem, indignari omnia. Ut hic abundè faciat dicto ſuo fidem & quem initio protulit verſum, totis Satyris comprobet: *Si natura negat, facit indignatio verſum. Vavaſſ.* de Ludicr. Dict. p. 242. 243.

Horatius optimè noverat ingenii feſtivitatem validiſſimis rationibus & ſententioſo quovis ſermone ad vitium deriſioni exponendum, efficaciorem eſſe. Qua in re Juvenalis quantumvis ſerius tam ægrè optatum exitum aſſequitur. Et ſanè violenti quibus ubique utitur *Declamationis* modi ſæpè minimum efficaces ſunt. Nuſquam ferè perſuadet, quia ſemper ita commotus, nunquam animo tranquillo loquitur. Verum eſt quòd *Moralis Philoſophiæ* locis communibus quibuſdam utatur qui vulgaria ingenia perſtringere poſſunt. Sed quantalibet vi polleat ejus dictio, licet energicas voces uſurpet, ac eloquentiæ pompa in ipſo fulgeat, parum tamen affectus movet: nihil in ipſo argutum, nihil nativum occurrit

Digitized by Google

occurrit. Vero Zelo in ſæculi ſui depravationem non invehitur, ſed ambitionis & oſtentationis ingenio; temperamento potiùs quàm ratione, ut *Criticum* ſe gerit. *Rapinus* Reflex. particular. in Poeſ. par. 2. Refl. 28.

Profectò ſermo *Juvenalis* longè omnium eſt *Latiniſſimus*, & purior quàm *Horatii*; numeri etiam rotundi, concinni, & *Horatianis* multò exactiores; ſententiæ denique creberrimæ, & ad ſtuporem uſque ingenioſæ, ut nihil dicamus de Argumentorum nobilitate ac varietate, quæ tantâ ingenii judiciique dexteritate tractavit, ut affirmare nihil vereatur *Lubinus*, qui *Satyras Juvenalis* omnes proſariâ ecphraſi reddidit, in unâ *Juvenalis Satyrâ* plus doctrinæ & ſapientiæ ad *vitam moreſque* regendos contineri, quàm in 10. *Ariſtotelis* ad filium libris. *Acta erudit.* An. 1686. p. 407.

* *Eilhardi Lubini* commentaria in *Juvenalem* & *Perſium*, Hanoviæ, 1603. cum *expurgationibus* permittuntur in *Indice Madrit.* Edit. An. 1667.

Edendo & illuſtrando *Juvenali* manus admovit *Eil. Lubinus, Fed. Ceratus*, Scholiaſtes vetus, *Grangæus, Autumnus, Calderinus*, ſed diligentius in hac palæſtrâ verſatus eſt *Puteaus* & *Thomas Farnabius.* Nec ſua induſtria *Schrevelio*, qui notas Variorum addidit, *Leidæ* 1665. in 8.

IGNATIUS.

DE *Ignatii* Patriâ & Parentibus ſilent *Veteres*; eundem eſſe cum puerulo illo, quem manibus ſuis ſublatum *Chriſtus* Diſcipulis exhibuit indeque nomen θεοφόρυ reportaſſe volunt S. *Metaphraſtes, Nicephorus*, aliique, incertâ prorſus traditione. Teſtis nobis eſt *Chryſoſtomus* illum cum *Apoſtolis* familiariter vixiſſe, ab iiſque fluenta ſpiritualia hauſiſſe, καὶ ῥητῶν καὶ ἀποῤῥήτων αὐτοῖς κοινωνῆσαι, & *ſedis Antiochenæ* principatu dignum ab iis eſſe judicatum. Certè mortuo *Evodio*, ad Eccleſiæ iſtius præſulatum evectus eſt: hancque gratiam ſuſcepit διὰ τῆς τοῦ μεγάλυ Πέτρυ δεξιᾶς, ut loquitur *Theodoritus* Dialog. 1. pag. 33. *ipſo Petro manus ei imponente.* Rexerat hanc *Eccleſiam* annos pluſquam 40. cùm *Trajanus* circa An. 107. *Parthis* bellum illaturus, *Antiochiam* venit, à quo S. *Ignatius* ad beſtias damnatur, & *Romam* ad *Martyrium* ſubeundum vinctus mittitur: ubi in *Amphitheatrum* productus 13. cal. Jan. Ann. 107. corpore leonum dentibus mox comminuto, beatam animam *Deo* reddidit. *Scripſit Epiſtolas* quaſdam *Gul. Cave.* Hiſt. Literar. Clar. Anno Dom. C.

Epiſtolæ *Genuinæ* ſunt: Ad *Epheſios*: Ad *Magneſianos*: Ad *Trallianos*: Ad *Romanos*: Ad *Philadelphenos*: Ad *Smyrnæos*: Dubium verò eſt (inquit. *Gul. Cave*) num auctor ſit Epiſtolæ ad *Polycarpum.* Epiſtolæ *ſuppoſititiæ* ſunt: Ad *Mariam Caſſobolitam*---Ad *Tarſenſes*: Ad *Antiochenos*: Ad *Heronem*: Ad *Philippenſes*: Ad *B. Virginem Mariam*: Ad *Joannem Apoſtolum.*

Ignatii Epiſtolæ ſunt ſanè primævæ pietatis, doctrinæ *Eccleſiaſticæ*, & regiminis *Epiſcopalis* in ipſa *Apoſtolicâ* Eccleſia vigentis teſtes luculentiſſimi. Hanc ob cauſam acriter in eos inſurgunt *Novatores*, totiſque viribus oppugnarunt

Digitized by Google

Blondellus, Salmaſius, Dallæus; doctiſſima *Novaturientium* capita. Ne quid jam dicam de minorum gentium ſcriptoribus, *Ovveno, Voetio*, &c. Sed inanes horum impetus fortiter debellavit ὁ πάνυ *Hammondus* noſtras, diſſertationibus quatuor adverſus *Blondellum*, alioſque Ann. 1651. editis: cui ſuccenturiatus doctiſſimus, & nunquam ſine honoris Præfatione nominandus, *Ioh. Pearſonus*, poſteà Epiſcopus *Ceſtrienſis*, *Vindicias Ignatianas* An. 1672. in lucem emiſit; quibus objectiones omnes funditus adeò difflavit, & cauſam *Ignatianam* tot validis, invictiſque argumentis munivit, ut mirum planè videri debeat, ſi Adverſarii copias ſuas toties devictas in aciem iterum proferre audeant. *Gul. Cave* in loco prædicto.

Ignatius, Patriarcha Antiochenus, vir, quod in *Orientis* partibus perrarum eſt, ſingulari eruditione. *Scalig.* Canon. Iſag. l. 3.

Ignatii Epiſtolæ meritò dicuntur copioſa *Apoſtolicarum* traditionum apotheca, fortiſque adverſus hæreticos armatura. *Phil. Labbe.*

Magnâ quidem in primis *Dei* providentia factum eſt, ut numeratæ omnes *Epiſtolæ* ab *Ignatio* ſcriberentur: ſed & admirando planè divino conſilio procuratum, ut inter tot tantaque naufragia ſcripturarum, eædem ad noſtram ætatem incorruptæ atque integræ ſervarentur. In illis quippe ejus temporis *Orientalis Eccleſiæ* facies propemodum viva redditur: atque adeò, ut non tantum res tunc geſtæ, ſed & Eccleſiaſtica diſciplina, & mores, & Apoſtolicæ ipſæ traditiones Apoſtolicarum Eccleſiarum, velut in tabula quadam eruditæ manus penicillo habeantur expreſſæ. *Baron.* Tom. 2. ad Ann. Chriſt. 109.

Ignatii Epiſtolas ſemper Antiquitas eſt venerata. *Idem* Tom. 1. Qualis enim quantuſve fuerit in Eccleſia *S. Ignatius*, qui non uni *Eccleſiæ Antiochenæ*, vel uni Provinciæ *Syriæ* præfectus Epiſcopus videretur, ſed toti penitus *Orienti*; *Epiſtolæ* illæ, quas, cùm *Romam* vinctus à militibus duceretur, obiter in tranſitu ad diverſas Eccleſias ſcripſit, manifeſtè declarant. Ipſæ enim, velut excellens quædam pictura, vivam ipſius imaginem repræſentant. *Idem* Tom. 2. ad Ann. *Chr.* 109.

Salmaſius in Apparatu de Primatu, pag. 56. Epiſtolas *Ignatii* paſſim interpolatas eſſe conqueritur. In Bibliothecâ Florentinâ vetuſtiſſimum exemplar extare dicitur, longè diverſum ab omnibus quæ hactenus vulgata ſunt. *Konig.* in Biblioth. ſuâ.

Ignatius Antiochenus Epiſcopus inſtituit primus, ut per *Antiphonarum* reciprocationem Pſalmi canerentur. *Calviſ.* in Chronolog.

Omnes ejus Epiſtolæ perquam ſalutaribus præceptis & adhortaminibus utiliſſimis abundant. Viro *Chriſtiano Epiſcopo* & *Martyre* digniſſimæ ſunt, Unctionis & pietatis pleniſſimæ. Nemo illas legat qui ubique non animadvertat *Sanctum* illum zelo prorſus divino pro *Animarum Salute*, pro *legis Ieſu Chriſti* obſervatione ejuſque *Doctrinæ* conſervatione, incenſum fuiſſe. In omnibus quæ dicit, amore in *Ieſum Chriſtum*, affectu erga fratres ſuos, ſtudio in *Eccleſiæ* diſciplinam & ardore in bonum *pacis* plenum ſeſe oſtendit. Quidquid denique dicant *Critici* diverſum ſentientes, auſim aſſerere *Epiſtolas* illas exiſtimationem & admi-

Digitized by Google

& admirationem eorum omnium mereri, qui venerationem & reverentiam erga Pietatis libros profitentur. Ell. *du Pin.* Nova Bibl. Authorum Eccleſiaſt. Tom. 1. p. 133.

Ignatii Epiſtolas publici juris fecit *Iacobus Uſſerius Oxonii* in 4°. annis 1642. & 1644. demum *Londini* 1647. Felix hoc quidem incœptum, quo *Uſſerius* ſenex, cùm ingenii, judicii & doctrinæ ſingulare ſpecimen exhibuit, tùm Eccleſiæ utiliſſimam & hiſce temporibus maxime ſalutarem operam præſtitit. Denique *Iſaacus Voſſius*, aliquantò poſt *Uſſerium*, edidit *Græcè & Latinè* ſeptem puriſſimas eaſdem *S. Ignatii Antiocheni* Epiſcopi Epiſtolas, ex fide manuſcripti codicis optimæ notæ in Bibliothecâ *Medicâ Florentinâ* reperti. Editum opus Ann. 1646. & 1648. *Amſtelodami* in 4°. & poſtea recuſum Londini in 4°. Ann. 1680. quorum diligentiæ vix quicquam addi poteſt, iis quæ ſpectant ad *Ignatium*, ejuſque Epiſtolas *Caſim. Oudin.* in ſupplement. De Scriptor. Eccleſiaſt.

C. CORNELIUS TACITUS.

TEmpore *Trajani* Imp. floruit. Struxit *Hiſtorias* & *Annales*. *Annalibus* extremum *Neronis* biennium deeſt: at ex *Hiſtoriarum* libris pars longè maxima periit. Prætereà reliquit librum de ſitu, moribus ac Populis *Germaniæ*: item de vitâ *Iul. Agricolæ*, ſoceri ſui. Clar. Ann. Dom. C.

Dictio *Taciti* floridior uberiorque in hiſtoriarum eſt libris, preſſior ſicciorque in *Annalibus*. Nimirum in *Hiſtoriâ* rem perſequitur ordine, nec eam intercidit rebus aliis. In *Annalibus* ſtylum accommodat annis ac Coſſ. eaque cauſa eſt, cur in Hiſtoriâ cauſas accuratius tractet: in *Annalibus* eas brevius proponat: cur item in *Hiſtoriâ* uberior ſit dictio, conciſior in *Annalibus*. Interim gravis utrobique & diſerta. *Voſſ.* de Hiſtor. Lat.

Latini Hiſtorici ſequuntur, quorum agmen *Cornelius Tacitus* mihi ducat, Ante Livium? inquies. Non eloquentia, aut aliis virtutibus: ſed iis, quas nunc conſideramus, prudentiæ & *judicii* notis. Quis illo verius narrat, aut brevius? Quis narrando magis docet? In moribus quid eſt, quod non tangat? in affectibus, quod non revelet? Mirabilis omnino ſcriptor, & qui ſerio hoc ipſum agit, quod non agit. Nec enim hiſtoria ſolùm eſt; ſed velut *Hortus & Seminarium* præceptorum. Ut ii, qui veſtes acu pingunt, ingenioſè gemmas inſerunt, ſine confuſione aut noxâ formarum: Sic iſte paſſim ſententias ſerie narrationis nihil omiſſâ aut læſâ. Scaber tamen quibuſdam & obſcurus videtur: ſuone vitio, an ipſorum? Nam acutè arguteque ſcripſiſſe fateor: & tales eſſe debere qui eum legent. Ideo *conſiliarsis* magis *Principum*, quàm ipſis commendo: qui habeant hunc *Sapientiæ* ſimul & *Prudentiæ* verum ducem. *Lipſ.* in Not. ad Politic. L. 1. c. 9.

Eſt oratio *Taciti* mirum in modum arguta & prudentiæ plena. Quid multa? nullus profecto *Hiſtoricus* magiſtratui ac Judici utilior videtur. *Budæus* acerbè *Tacitum Scriptorem* omnium ſceleratiſſimum appellavit: quòd nonnihil adverſus *Chriſtianos* ſcripſit. Quæ ratio fecit, opinor, ut eum *Tertullianus* mendaciſ-

S 2 ſimum,

ſimum, *Oroſius* adulatorem appellaret. Sed quemadmodum *Marcellus I.C.* meretricem turpiter facere reſpondit, quòd ſit meretrix, non tamen turpiter accipere, cùm ſit meretrix; ita quoque impiè fecit *Tacitus*, quòd non ſuerit *Chriſtianus*: Sed non impiè adverſus nos ſcripſit, cùm gentili ſuperſtitione obligaretur. Ego verò impium judicarem, niſi quamcunque religionem veram judicaret, non eam quoque tueri, & contrarias evertere conaretur. *Bodin.* Method. Hiſtor. cap. 4.

Hic magni & acerrimi vir ingenii, novæ cuiuſdam, gravis, conciſæ, & ſententioſæ eloquentiæ genere eximiè præditus; ſi à fortunâ non eſſet deſtitutus, quæ dignam ei tantâ facultate materiam negavit; quemvis è principibus, ſive *Romanorum*, ſive etiam *Græcorum Hiſtoricorum* videtur potuiſſe provocare. *Caſaub.* præfat. ad *Polyb.*

Summum ego autorem, & ſummè utilem *Corn. Tacitum* ſemper judicavi, cùm privatis hominibus & optimatibus, tùm verò etiam principibus ipſis atque Imperatoribus. Etenim cùm ex reliquis *Hiſtoricis* alii res tantum domi foriſque in repub. geſtas præſcribant, ut *Salluſtius*, *Livius*: alii Principum vitas oſtendiſſe contenti ſint, ut *Suetonius*, ut *Plutarchus*: hic unus utrumque munus ſummo ordine, diligenti curâ, magno judicio, multa concinnitate complexus eſt. *Phil. Beroald.* in liter. ad *Leon.* 10. *Pontif. Max. Tacit.* præmiſſis.

Tacitus nunquam ſine laude loquendus. *Sidon.* Carm. 11. verſ. 192.

Non optimus ille quidem Latinitatis auctor, ſed Hiſtoriæ Scriptor prudens, verus atque acutus. *Lambin.* in *Horat.* lib. III. carm. od. 27.

Luculentus Hiſtoricus ac vitæ perneceſſarius. *Dempſter.*

Cauſſinus in pleriſque adipalem eloquentiæ ſuccum deſiderat.

Cornelii Taciti Annales & Hiſtorias quis non æſtimat? Eum omnes habent pro Doctore Principum, pro Aulicorum Pædagogo, Hiſtoricorum Anteſignano, Prudentiæ Patre, Oraculo Civilis Diſciplinæ, Coryphæo Politicorum, &c. *Forſtner.* ad 3. Annal. p. 260.

Ad Majeſtatem ac ſeveritatem *Taciti* nonniſi animæ illuſtres ac eximiæ aſſurgant. *Heinſ.* Orat. in Obitum Phil. Cluver.

Owenus in Libro 20. hoc Epigramma ſcripſit de *Tacito*:

Veracem fecit probitas, natura Sagacem,
Obſcurum brevitas te, gravitaſque Brevem.

Plinius eloquentiſſimum fuiſſe ait, & hoc eximium habuiſſe *Tacitum* quòd σεμνῶς diceret. *Plin.* l. 2. Epiſt. 1. & 11.

Acumen contractæ dictionis, & ſubiti quidem ictus ſententiarum, in quibus plus intelligendum plerunque quàm legendum ſit. *Strad.* proluſ. lib. 2. Hiſt. part. 2.

Stylus magis gravis, quàm elegans, aſper enim parumque duriuſculus eſt, atque à *Latinæ Linguæ* candore diſcedens. *Carol. Sigon.*

Scio

Scio *Chriſtianos* eum alibi perſtringere, & deliria varia deliraſſe, cùm de *Judæis*,eorumve ritibus ac ceremoniis ſcribit,quo reſpectu eum *Tertullianus* mendaciſſimum vocitat: verùm ut vinum vinum non eſſe deſinit, ſi guttulæ in eo aquæ, ſic nec *Taciti* hiſtoria proba, ſi in ea hæ maculæ ex ethnicorum maculis expreſſæ. Errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis. Quas ſi tollas, prudens ille certè, cæterùm & ſuavis omninò ſcriptor. *Ioan. Bernart.* de utilitat. legend. Hiſtor.

M. Claudius Tacitus Imp. tanti eum fecit, ut imaginem illius in omnibus collocaret *Bibliothecis*; libros verò ejus decies quotannis deſcribi, inque *Archivis* publicis collocari juberet, ne perirent.

Atque hoc eſt, quod *Tacito* dandum vitio videtur: quòd aliqua narrationibus crebrò inſerat, non tam ad *Hiſtoriæ* curſum, quàm ad *Hiſtorici* acumen cognoſcendum. *Fam. Strad.* Proluſ. Acad.

Magnis mentibus maximè convenit hic autor, & præcipuè iis, qui ad *Reip.* clavum ſedent: ſingulis ſiquidem penè lineis monitum aliquod Politicum continetur, quod eruere non cujuſvis eſt: & quod de *Thucydide* dixit *Cicero*, ei omninò convenit, ita crebrum eſſe rerum frequentiâ, ut verborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur. In judicando verò de iis rebus quas narrat, adeò ſagax eſt, ut ad prudentiam comparandam unus omnium inſtar auctorum eſſe poſſit; quique non obiter ſit legendus, ſed penè ad verbum addiſcendus. *Roland. Mareſ.* in Epiſt. pag. 23.

Extant C. *Corn. Taciti* Opera cum Notis *Variorum*, accurante *Iohn. Fred. Gronovio* 2. Vol. in 8°. *Amſtelodami* apud *Dan. Elzivir.* Ann. 1673.

CAJUS PLINIUS CÆCILIUS SECUNDUS.

NOvocomenſis, ex prioris ſorore natus, & ab *avunculo* in nomen & cætera jura adoptatus; diſcipulus *Quintiliani*, eloquentiâ, virtute, & ſanctitate vitæ ac morum, aut maximus ipſe, aut inter maximos ſui ſeculi viros fuit. Floruit ſub *Trajano*, cujus & *Panegyricum* opus inſigne ſcripſit. Habemus ejus *Epiſtolarum* libros, veriſſimum *Atticæ* eloquentiæ exemplum; ex quibus vita ejus & mores diſci poſſunt. Ampliſſimis muneribus defunctus, Præfecturam quoque *Bithyniæ* geſſit, in quâ *Chriſtianorum* moribus exploratis, non pepercit illis ſolùm, ſed & eos per *Epiſtolam Trajano* commendavit. *Hofman.* Clar. Anno Dom. C.

Plinii Secundi Epiſtolas quò ſæpiùs lego, eò magis illas à pleriſque tam rarò legi miror: multo etiam magis, à nonnullis ne legi quidem omnino---Illæ non ſolum aliquid habent propter quod legi mereantur, ſed habent omnia, quæ nos ad *Epiſtolarum* aut *Græcarum* aut *Latinarum* lectionem invitare & poſſint & debeant. Nam ſive utilitatem, ſive delectationem, ſive etiam utrumque in iſtarum lectione ſibi quis proponat, eum, quod abundè ſuo deſiderio ſatisfaciat, inventurum eſſe dico. *Henr. Stephan.* præfat. in *Plin.* Epiſt.

Multæ in *Plinii* Epiſtolis latent obſervationes eruditæ *antiquitatis*, multæ

præceptiones *Politicæ*, iis ſanè, qui in *Republicâ* verſantur, non modò utiles, ſed ſummè neceſſariæ. Sed de earum pretio ſupervacuum eſt dicere, quum neminem vel mediocriter doctum non earum elegantia devinciat. *Ioann. Veenhus* in Dedicat. ad *Plin.* Epiſt. cum Notis.

Eſſe enim *Epiſtolicus Stylus* ſimplex debet ac velut negligentiuſculus. Nam eſt etiam quædam negligentia diligens; exemplo ſunt *Plinii Cæcilii* Epiſtolæ acutæ, eleganter expreſſæ, in quibus nihil niſi domeſticum, quotidianum, ſed omnia tantùm latina, caſta, ornataque leguntur. Cumque ſit ſtylus ille multâ arte, atque ingenio, cultuque ſubactus & elaboratus tamen penè ſubitus atque extemporaneus videtur. *Eraſm.* in breviſſimâ Epiſtol. conficiend. formâ.

Accommodatior (*Seneca*) ad uſum *Plinius Cæcilius*, eorum præſertim, qui de negotiis privatis aut *Republicâ* non ſcribunt. Nam hujuſmodi melior eſt *Cicero*: *Plinius* verò ſuccinctus, & feſtivus, & facetus, & acutus, & frequens concinnis ſententiis, doctis atque acutis ingeniis mirificè eſt aptus, qui *Scholaſticas* inter ſe mittunt Epiſtolas, & *umbraticas*, ut idem ipſe ait, quibus oportet plus ornatûs & condimenti adjungi, quando rebus non perinde nituntur. *Lud. Viv.* de conſcribend. Epiſtol.

Macrobius l. 5. *Saturn.* c. 1. pingue & floridum ei dicendi genus tribuit.

Plinius terſus, candidus, in *Epiſtolis* alter *Cicero*, in *Panegyrico* gravis, ornatus, diſertus. *Bonifac.* in Iudicr. Hiſt. p. 600.

Cujus *Panegyricus* & *Epiſtolæ* omnibus numeris abſolutæ ſunt, miſcentes *utile dulci*. Sed in *Panegyrico* nimiâ quandoque prolixitate aggravat animum legentis. *Ioan. Bona.* Cardinal.

Quin ipſum *Plinium*, in ſecundâ hac claſſe jure colloco, terſum, acutum, nitidum: ſed non ſine deliciis molliculum interdum, & parùm virum. *Lipſ.* Inſtitut. Epiſtolic.

Panegyricus, quem *Plinius Trajano* dixit, divinus planè liber eſt, & novo *Principi*, *Dii* Boni! quàm aptus. *Lipſ.* Centur. 2. ad *Belg.* Epiſt. 31.

Plinii Epiſtolas quò magis legas, eò plus diligas. Sunt enim ſuaviſſimæ, & genium inuſitatæ alacritatis habent; ſingulis periodis amabili quodam acumine excitantis, *Barth.* l. 29. c. 15. Adverſar.

Quo [*Panegyrico*] eo in genere Romana facundia nihil habet elegantius. *Voſſ.* de Rhetoric. p. 108.

Pliniani Panegyrici incomparabilis facundia aliquid ſuæ virtutis gratiarumque in omnium quidem animos immittere, paucorum tamen calamo attingi poteſt. *Boecler.* de Eloquentiâ Politici th. 76.

Malè hunc & alterum *Plinium* confundit *Hieronymus* in *Chronico Euſebiano*, Num. 2125. & ex duobus *Pliniis* unum nobis, quantum in ſe fuit, concinnavit. Id quod dignum animadverſione ſuâ exiſtimavit *Scaliger*, quem ibi, ſi lubet, vide.

* *Conradi Rittershuſii* commentarius in Epiſtolas *Plinii* & *Trajani*, cum expurgationibus permittitur. *Index Madrit.* 1667.

Extant *Caii Plinii Cæcilii ſecundi* Epiſtolarum libri 10. cum Variorum Notis

ex

ex recenſione *Johan. Veenhuyſen Bremenſis.* Lugd. *Batav.* ex officina *Hackianâ,* 1669. in 8.

Plinius Junior Anno Chriſti 100. ſcripſit librum de *Viris Illuſtribus*: dubitatur tamen, an iſtæ vitæ ſint *Caii Plinii Cæcilii* 2. *junioris*, qui floruit ſub Trajano, Taciti Hiſtorici amiciſſimus. Quiſquis tandem ſit Auctor, ſanè propter argumenti magnitudinem utilis eſt, etiamſi nec accuratus in elegantiâ Romana, & talis, qui non ſemel erret & pleraque dicendo omittat. *Keckerman.* de nat. & propriet. Hiſtor. in auctar. cap. 3.

PLUTARCHUS.

Sub *Domitiano* & *Nervâ* vixit, ſed imprimis floruit ſub *Trajano*. Fuit natione *Bœotus*, patriâ *Charonenſis*, ſacerdos *Pythii Apollinis*: à *Trajano Conſulari* dignitate ornatus eſt. Scripſit varia, *Ethica, Hiſtorica, Politica*, quæ duobus Tomis incluſa ſunt. Clar. Anno Dom. CIV.

Quis poſt *Plutarchum* extitit, qui veræ ac ſolidæ eruditionis copiâ & varietate ita cum eo comparari queat, ut non longiſſimo intervallo abfuturus ab eo ſit, quemcumque illi proximum eſſe volueris? Quem ille Poetam veterem, quem Oratorem, quem *Hiſtoriæ Scriptorem* non ita triverat, ut edidiciſſe videretur? Quam Philoſophiæ partem non ita tractaverat, ut nemo poſtea tantum in unâ eminuerit, quantum ille in omnibus? *Marc. Ant. Muret.* Vol. 2. orat. 15.

Inter Græcos medios *Plutarchus* eſt: qui non *Hiſtoriam* propriè, ſed *particulas* Hiſtoriæ ſcripſit, & ablegit *illuſtrium* virorum vitas. Sed dignus tamen, ſi quis alius, *Principe* ſcriptor. Qui judicium mirificè format, & diffusâ ac planâ quadam ſcribendi viâ ad virtutem ubique & prudentiam ducit, ſed ad illam magis: &, ni fallor, melior omnino, quàm acutior doctor. *Lipſ.* in Not. ad libr. 1. Politic. c. 9.

Quid Plutarcho excogitari poteſt eruditius? quid fuit unquam poſt homines natos ſapientius? *Jacob. Pontan.* annotat. ad Vol. 2. Progym. 44.

Plutarchus Charonenſis, *Trajani* Principis educator, Philoſophus Hiſtoricus, Politicus, Antiquarius ſummi limatiſſimique judicii. *Dempſter.* in Elench. Scriptor.

Plenus eſt autor ille rerum, plenus monitorum ad virtutem. *Lud. Viv.* de tradend. diſcipl. l. 5.

Sanè fuit *Plutarchus* vir undecunque doctiſſimus idem *Philologus, Philoſophus* & *Hiſtoricus* ſummus. Magnam enim horum trium ſcientiam undique ejus ſcripta ſpirant. Quin habitus etiam fuit *orator* bonus. Tamen diſſimulare non poſſum; *dictionem* ejus gravem quidem eſſe, ſed duriuſculam videri. Verùm leviculum hunc defectum multijugâ adeo ſcientia abunde ſummus vir compenſat. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc.

Cum *Plutarchi* oratio aſpera moroſaque ſit, præcipuè in his libris, quos de *vitâ* & *moribus* ſcripſit, durior adhuc illa obſcuriorque fit, quia multæ *vete-*

rum

rum ſententiæ inſertæ in eam confuſæque ſunt. *Petrus Victor.* l.23.variar.lect.c.21.

Populorum verò maximè illuſtrium Hiſtoriam complectitur : tametſi non perpetuam, ſed abruptam, & ad Principum ſimilitudines accommodatam. Eſt autem quod in eo miremur liberum de re quaque judicium, ut non tam Hiſtoricus, quàm *Principum cenſor* eſſe videatur : Sic tamen exiſtimo, ſi quis idoneus eſt earum rerum *Arbiter*, aut Plutarchum eſſe aut neminem; quid enim tantam ſapientiam latere potuit? *Bodin.* in Method. Hiſtor. cap. 4. pagin.62.

Illud tamen animadverſione dignum eſt, quòd *Græcos* Principes cum *Græcis*, & *Romanos* inter ſe bona fide comparavit: *Græcos* verò cum *Romanis* non item. Idque facile intelligi poteſt in comparatione *Demoſthenis* ac *Ciceronis*: *Catonis* & *Ariſtidis*: *Syllæ* & *Lyſandri*: *Marcelli* ac *Pelopidæ*: Quid denique aliud eſt *Ageſilaum Pompeio*, quàm *muſcam elephanto* conferre? Interdum etiam in *Romanorum Antiquitate* labitur: quod in homine *Græco*, qui ſe linguam *Latinam* non ſatis intellexiſſe in vitâ *Demoſthenis* confitetur, mirum videri non debet. *Idem* ibid.

Plutarchus, ſcriptor alioqui verax, in rebus *Græcorum* illuſtrandis, & cæcutire, & fingere interdum etiam videtur. *Melch.Can.*l.11.loc.Theolog.c.6.

Plutarchus rerum *Romanarum* notitiâ ſæpe labitur. *Paul. Manut.* comment.in *Ciceron.*ad *Q.Fratr.*l.2.Epiſt.5.

Φιλοβοιωταῖος fuit *Plutarchus*, & patriæ ſuæ gloriæ ſemper velificatur. *Iacob. Palmer.* in exercitat. ad *Plutarch.Lyſandr.*

Ego quidem cum *Theodoro Gazâ* ſentio, qui interrogatus, ſi omnes libri perdendi eſſent, & ipſi optio daretur, quem ſervatum vellet, *Plutarchum* dixit. Eſt enim verè *Theſaurus* eorum, quæ præſtantiſſima in omnibus aliis ſcriptoribus ſparſim inveniuntur, ſive *Philoſophiam*, & alias diſciplinas, ſive Hiſtoriam *Græcam* & *Romanam* ſpectes. Tanto verò judicio pollet, quod ubique, ſed maximè in comparandis inter ſe *Græcis*, & *Latinis Imperatoribus*, & eorum *cenſendis actis* liquidò apparet, ut hominem minime *Bœotum* in craſſo jurares aere natum. De *moribus* verò ea paſſim inculcat, quæ ignaviſſimos quoſque ad virtutem amplectendam poſſint impellere. Denique omnia ejus *opera* qui ſeriò evolverit, næ is ſe pro doctiſſimo venditare jure merito poteſt. *Roland.Mareſ.*l.1.Epiſt.24.

Plutarchus totius ſapientiæ ocellus. *Scaligerana* prima. p.124. Aulicis tantùm ſcripſit, non doctis. *Scaligerana* prima, pag.49.

Lycurgi vitam ex Antiquis Auctoribus *Plutarchum* compilaſſe ſcribit *Jacobus Palmerius* in exercitat.in optimos Auctor.*Græc.*p.9.

Tantus eſt amor *patriæ*, ut nec antiquiſſimis quibuſque, multiſque ante ſeculis vitâ functis parcat. *Græcis* nimium favet *Plutarchus*, à reliquis ferè diſſidens, ut maximè ex *Coriolano* videre eſt, ſi cum *Livio*, aliiſque conferatur : in *Philoſophicis* multorum opiniones adfert, nihil propemodum ſolvens. *Claud. Verder.* cens.in Autores.

Minus certè habet ipſe *Plutarchus*, quod de temporis edacitate conqueratur: cùm

cum ejus *præcepta Politica* ex illo tam inſigni bonorum auctorum naufragio enatarint, valdè quidem illa ſedatæ ac compoſitæ doctrinæ, ut genium auctoris graviſſimo judicio, ac moderatione temperatum, præ ſe ferant. *Gabr. Naud.* Bibliograph.Politic.

Extant opera *Plutarchi* omnia *Græcè* & *Latinè* ex Interp. Herm.Cruſerii & *Guil.Xylandri*, Francofurti in fol.1620.

D I O.

P*Ruſæenſis*, cui facundia *Chryſoſtomi* nomen peperit, tempore *Nervæ* & *Trajani* claruit. Condidit *orationes*, quæ extant: item octo libros de *Alexandri* virtutibus: ut & librum; An *Mundus* ſit corruptioni obnoxius. Apud Trajanum plerumque vixit, cujus familiaris fuit, eodemque curru dignatus eſt. Claruit Ann. Dom.CXI.

Suidas tradit, eum magnificentiam adeò affectaſſe, ut *Leoninam* pellem ferens in publicum prodierit.

Syneſius in *Dione*, eum *Aquilam* ſimul ac Cygnum, id eſt, *Philoſophum* & oratorem, vocat.

Dio Pruſæus ob auream facundiam dictus *Chryſoſtomus*, orator clariſſimus, vehementiâ, ubertate, & varietate præſtans. Vid. *Joann.* Card. *Bonam* in Notit. *Auctorum.*

Dion Pruſæus, propter aureum eloquentiæ flumen cognomento *Chryſoſtomus*, ſummus & *Philoſophus* & *Orator*, cui ego quem præferam nondum inveni. Non ſpinoſa docet, aut injucunda, neque abruptis ſententiolis rem obſcurat, ut *Ariſtoteles*; neque abſurda atque communi ſenſu abhorrentia tradit, ut *Plato* neque, ut idem, longis perplexiſque ſuſpendit lectorem ambagibus, & diſputatiunculis, ſed plana & aperta, veréque politica profert in medium. Docet facilè, afficit mirabiliter, jucundiſſimè exponit; mira enim quædam illi ineſt ſuavitas. *Atticâ* uſus eſt *Dialecto* feliciſſimè, niſi quòd longis interdum periodis moleſtus eſt & obſcurior. At id *Græcis* eâ tempeſtate familiare erat, ut ait *Plinius*, extento ſpiritu prolixiſque periodis immenſam verborum ſylvam effundere. Patriæ cultor & amator, virtutis & veritatis aſſertor, concordiæ, paciſque ſtudioſus, nobiliſſimas *Græciæ* civitates pervagatus, magnam ubique eruditionis, facundiæ, prudentiæ, probitatis laudem adeptus eſt. *Thom. Naogeorg.* in Præfat. in *Dion.*

Dion in dicendi arte acutus ac ſolers eſt habitus. *Orationes* conſcripſiſſe plurimas referunt, quarum octoginta in meas inciderunt manus: quæ quidem *orationes Chryſoſtomi* [hoc eſt, *aurei oris*] cognomentum illi apud ejus ætatis homines pepererunt. Cæterùm pleræque *Orationum* ejus ſunt *ſuaſoriæ*. Sed quando æquum eſt *deliberativo generi* quiddam etiam judiciale permiſceri parem ipſe virtutem in hoc quoque Orationis genere oſtendit: & inter omnes quidem maximè *Rhodiaca*. Nam & acrius *enthymematis* inſtar, & brevem atque contortam orationem (quod ſaltem ad *characterem*) adhibet, & vehementia cum ubertate abundat. *Exemplis* inſuper maximè præſtat; quæ ubique multa è variis

Digitized by Google

petita rebus, aptiſſimè ad propoſitum argumentum accommodat. Libentiſſimè quoque *fabuloſas narrationes* aliquas monitionibus intexit, ut eam etiam ob rem ſimplex *dicendi* genus conſectatus videri poſſit. Rarius enim *Platonis* exemplo ejuſmodi eum *fabulas* adferentem videas, quæ [ut in *Boryſthenica*] elationem aliquam granditatemque orationi addant. Simplici igitur *Ideâ* plurimùm eſt uſus in *ſenſibus*, vocabulis item *familiaribus*,& paſſim obviis, nihilque compoſitio habet aut ſublimitatis oſtentandæ, aut captandæ jucunditatis gratia innovatum. *Phot.* in Biblioth.

Inter omnes ejus *Orationes* copioſiſſima eſt *Oratio* de *Ilio* à *Græcis* non capto.

Optima verò ac laudatiſſima eſt in Dionis orationibus affectuum temperatio; quoties enim imponentes, ac inſolentes *Reſpublicas* increpat, neque contumelioſus, neque importunus videtur, ſed perinde earum, ac equorum ferociam fræno potius, quàm flagello compeſcere. Sin ab optimis legibus inſtitutas *civitates* laudandas ſe conferat, non tam erigere, aut ad ſuperbiam excitare, quàm continere videtur, quaſi citius interituras, ſi alium in ſtatum degeneraverint. Sed & reliquo quoque *Philoſophandi* inſtituto fuit in omnibus expoſito aut ſimulatorio, ſed ejuſmodi ut gravitate quadam inſtaret, non ſecus ac condimento inſita ſibi humanitate temperata. Quam porrò *Hiſtoriæ* ſcribendæ aptus fuerit, argumento ſunt ab eo ſcripta *Getica*.*Philoſtrat.*de vit.Sophiſtar.

Extant *Dionis Chryſoſtomi* orationes 80. cum Interpretatione *Thomæ Naugeorgi*, ex recenſione *F.Morelli*, & Notis *Iſaaci Caſauboni*. Lutetiæ apud *Claudium Morellum* in Fol. Anno 1604.

AULUS GELLIUS.

Clar. Anno Dom. CXII.

QUem nonnulli *Agellium* vocant, Grammaticus, *Noctium Atticarum* ſcriptor, *Antonini Pii* temporibus vixit. Plerique hodie eruditi *Agellium* vocant, quamvis *Salmaſius*, *Voſſius*, alii promiſcuè *Agellium* & *Gellium* indigitent. Quòd ſi ex *Gelliâ* gente ſit oriundus, mirum eſt, cùm aliquoties *Gellios* nominet, ſe non meminiſſe ex eadem familia prognatum. *Annotat.* in Præfat. *Aul.Gell.*

Ob titulum libri multi ſuccenſent Auctori, quoniam potius tempus quando ſcripſit quàm argumentum libri indicat. Hic verò titulus multum placet *Hadriano Iunio*: *Aulus*, inquit *Gellius ſcripta ſua Noctes Atticas vocavit: glorioſo nocturnæ lucubrationis argumento. Geſner.*in Biblioth.

Virum elegantiſſimi eloquii, & multæ ac facundæ ſcientiæ appellavit D.*Auguſtinus*, l.9.c.4.de Civ.*Dei.*

Huic judicio *Auguſtini*, maxima, ſeu omnis potius *Grammaticorum* manus ſuffragatur.*Lud.Viv.* in locum prædict.

Is maximi judicii vir. *Giſan.* in Apolog. pro Poët. Latin. pag. 470.

Criticorum Madulſa vocatur à *Pareo* in *Plaut.*

Aulus Gellius, cujus nomen *Critici* luxantes *Agellium* vocant, Grammaticorum utiliſſimus, ſubtiliſſimus, accuratiſſimus.*Bonifac.*Ludicr. Hiſt.

Agellium

Digitized by Google

Agellium Scriptorem ego habeo puriſſimæ latinitatis,& planè ad Comœdiam antiquam *Lipſ.* cent.4.Miſcell. Epiſt.57.

Aulus Gellius publicus penè literarum cenſor, ſolertiſſimus verborum inveſtigator atque cenſor. *Valla* præfat.l.2.& l.6.c.23.

Vetus illa puraque Latini Sermonis amabilitas mirum dictu eſt quàm paucos habeat noſtro ævo amatores aut capaces ſuarum deliciarum. Habuit & olim vix plures pauciſſimis. Poſt primorum tempora vel ſolus eſt ſcriptor *Gellius*, qui eam dilexerit penitiùs, & ſecutus ſit promptius. *Barth.* adverſ. lib.32. cap.10.

Ejus *Noctes* maximè candidæ. *Politian.* Miſcel. cap. 13.

Agellius, Tertullianus, Arnobius, Minutius, & *Apulejus* propter eruditionis varietatem omnino legendi ſunt,ſed imitatio eorum ſtoliditatis opinionem conficit. *Gaſpar.Sciopp.*conſultat. p.43.

Novator non magni precii. *Sciopp.* de ſtylo,pag.208.

Aulus Gellius, homo rhapſodus planè, congeſtor potiùs, quàm digeſtor, & oſtentator quam peritus: loquaculus ſine eruditione: in verbis ac ſententiis putidulus---Quæ de ſignificatu vocum diſſerit, ſunt frivola & plerunque imperita, ac talia. Legendus eſt quidem, ſed ita, ut te rem levem ſcias inſpicere.*Lud. Viv.*l.3.de Trad.Diſcipl. *Gellius* duriſſimarum elegantiarum affectator. *Lud. Viv.* ibid.

De *Ciceronianis* cùm dico, *Agellium* non excludo,cùm nemo feliciùs expreſſerit Comicorum phraſin: ut de eo audiri non debeant doctiſſimi Hiſpani duo, *Ludovic. Vives*, & *Anton. Auguſtinus.* Nempè concoquere non poterant, quòd vituperâſſet, vel ſaltem malignıùs laudaſſet *L.Senecam* itidem hominem *Hiſpanum.Voſſ.*l.4.Inſtit.Orat.p.26.

Agellius, ſcriptor purus caſtuſque, quamvis vir clariſſimus. Ant. *Auguſtinus* l.2.Emend.c.2.eum appellat non bonum latinitatis auctorem.*Idem* ibid. l.4.p.219.

Auctor eſt doctiſſimus, & excultiſſimæ eloquentiæ. *Rhodigin.* l. 8. lect. Antiq.c. 13.

A. Gellii candidiſſimam phraſim mirantur eruditi: ſed nec argumentum convenit, nec phraſis, primùm affectata,& verborum copiâ penè ſuperfluens,rerum ſupellectile frugalis. *Eraſm.* in *Ciceronian.*

Scaliger ſtylum ejus Antiquum cenſet; cætera verò præſtantiſſimum Authorem eſſe, eum innumera fragmenta continere; ejuſque bonitatem ac precium in hoc præſertim conſiſtere; præclarum eſſe inter alia caput illud quo de *Duodecim Tabulis* agitur: dolendum eſſe quòd ejus liber tot barbaris vocibus ſcateat, quodque præterea integer non extet; totus enim intercidit octavus ejus liber. Scaligerana 2.

Nefas eſt præterire hoc loco *Aulum Gellium*, qui ſexcenta Grammaticorum, Poetarum, Rhetorum, Philoſophorum, Medicorum, Juriſconſultorum dicta, facta, inſtituta uſque eo non præteriit, ut unus *ſcriptor* inſtar plurium haberi poſſit---De ſe *Gellius* dicit ipſe cùm multa paſſim,tum vigeſimo libro extremo, nequaquam ſe in ſcribendo & commentando ſecutum copiam, ſed habuiſſe

T 2 delectum,

delectum, eaque ſola mandaſſe literis, quæ aut hominum ſtudia commoverent ad diſcendum, adjuvarentque non ſine delectatione & animorum lætitiâ, aut eos, aliis jam vitæ negotiis occupatos, à turpi certè, aggreſtique rerum & verborum imperitiâ vindicarent. Quod equidem verum puto, neque audiendum ullo modo *Gaſparem Scioppium*, præſidentem *Grammaticum*, qui ex quatuor *Latini Sermonis* quaſi ætatibus, quas arbitratu ſuo diſtinguit *aurea, argentea, anea, ferrea*: *Gellium* in viliſſimâ, maximeque ignobili reponat ætate, & ultimis ſcriptoribus annumeret. Judicium quantum exiſtimare poſſum, omnis judicii & prudentiæ expers. Ut enim eſſe fatear hunc *Scriptorem* in frequentandis & continuandis verbis ac locutionibus *Comicorum* nimium, atque agere delicias iſto in genere putidiuſculas, neque ulli temerè *Scriptori* imitandas: nunquam tamen dubitaverim, quin multò ad ſummos, quàm ad infimos *Scriptores*, propiùs accedat. Ita diligens, & accuratus, & elegans, & varius, & amœnus ubique, & curioſus mihi quidem videtur. *Franc. Vavaſſ.* de ludicr. dict. pagin. 268. 269. 270.

Prodierunt *Auli Gellii Noctes Atticæ* cum ſelectis Commentariis *Ant. Thyſii* & *Iacobi Oiſelii. Lugd. Batav.* ex officinâ *Petri Leſſen.* 8o. 1666.

Prodierunt itidem *Auli Gellii Noctes Atticæ*, quas notis & emendationibus illuſtravit *Iac. Prouſt.* ſoc. Jeſu, juſſu Chriſt. Regis in uſum Delphini, in 4o. à *Pariſ.* apud *Simon. Benard.* An. 1681.

CAJUS SUETONIUS TRANQUILLUS.

Claruit Ann. Dom. CXII.

TEmpore *Trajani* & *Hadriani* floruit. Sub *Hadriano* Epiſtolarum magiſter fuit. Texuit duodecim *Cæſarum* vitas. Extat præterea ejus fragmentum de *Grammaticis* & *Rhetoribus*. Eidem nonnulli vitas *Terentii, Horatii, Perſii, Lucani* tribuunt.

Atque hæc ſingula ita *Suetonius* hic noſter perſecutus in ſuâ hiſtoriâ eſt, ut præter explicandi ſcientiam, quâ mirificè eſt uſus, etiam diligentiam nobis fidemque & libertatem ſuam planè probaverit. Nulla in his libris ſuſpicio eſt gratiæ, nulla ſimultatis; nihil ſtudio dictum, nihil ſuppreſſum metu, rebus ipſis data omnia, veritati inprimis ſervitum eſt. *Angel. Politian.* in præfat. in *Sueton.*

Suetonius Tranquillus emendatiſſimus & candidiſſimus *ſcriptor*; cui familiare fuit amare brevitatem. *Flav. Vopiſc.* in *Firm.* c. 1.

Illud opinor apud eruditos omnes in confeſſo eſſe, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi *Suetonio*: qui, ut quidam non infeſtiviter dixit, *prorſus eâ libertate ſcripſit Cæſarum vitas, qua vixerint ipſi. Eraſm.* l. 28. Epiſt. 16.

Sceleratus quoque *Tranquillus*, ubi agit de *Chriſtianis*: cujus tamen hiſtoria tantopere laudatur, ut, qui æqui rerum æſtimatores, nihil unquam accuratius ab ullo *Hiſtorico* ſcriptum fateantur. Non placet quibuſdam quòd leviſſima quæque perſequitur: ſed in *Principum* dictis & factis, nihil leve, nihil parvum videri debet; propterea quòd in vulgus manant, & *Principis* exemplo *mores Populi*

Populi ſemper reguntur. Hoc fortaſſis improbari poteſt, quòd fœdiſſimas quaſque *Principum* libidines nimis ſtudiosè conſectatur, quas *Cornelius Tacitus* omiſit. *Bodin*. c. 4. Method. Hiſtoriar.

Suetonium Tranquillum non injuriâ commendo ſæpe *Juventuti*. Verba vides? pura, terſa, propria. Filum totum orationis? breve, nervoſum. Rem ipſam? utilis pariter & jucunda Hiſtoria eſt: &, quod mihi caput, plena *moris & doctrinæ antiquæ*. Quis obſecro, ritus publicus olim privatuſque fuit, quem velut de induſtriâ non tangat? Quod munus, quis magiſtratus, quem non libet? Tangat, & libet, dico. Non enim explicet: quod inſtitutum ejus vetuit, & ratio ſcribendi. At viam tamen latam ſternit ad indagandum: & aures atque animum imbuit auditione aliquâ, imò cognitione. *Lipſ.* l. 2. *Elector*. c. 17.

C. Suetonius Tranquillus Hiſtoricus prudens ac verax: antiquitatis autem *Romanorum* & *Græcorum* peritus admodum. *Poſſevin*. l. 16. *Biblioth*. Select. c. 7.

Suetonius Tranquillus, ſcriptor (*Deus* bone) doctus & accuratus. *Iſaac Caſaub*. in lit. *Thuan*. dat. *Genev*. 13. Kal. Decemb. 1594.

Suetonius vitas aliquot deſcripſit *Auguſtorum*. Fidem ſi ſpectes, nihil certius. Acumen ſcribentis ſi conſideres, & prudentiam, nihil acutius, nihil prudentius. Verborum, quantum ſatis eſt, adhibet, copiam autem rejicit. Formulas *Fori* & *Curiæ* omnes ſervat in loquendo. Mirificus plane vir, & dignus qui ab omnibus ametur & legatur. *Franc. Robertell*. in lit. ad *Ioan. Baptiſt. Campeg*. Tom. 1. de Pop. *Roman*. vitâ & victu præmiſſ.

In *Suetonio* mirabilis dicendi proprietas, aſtricta illa, & quæ plus habet nervorum, quàm corporis. *Lud. Viv*. de rat. ſtud. pueril. Epiſt. 2.

Stylus ejus tenuis, & qui *Grammaticum* magis, quàm *Hiſtoricum* ſonat. *Carolus Sigon*. de Hiſtor. Roman. c. 14.

Adeò tranquillè & æqualiter fluit, rebuſque unicè addictus, orationis ornamenta non negligens ſed ſecurus præterit, & tamen hunc ipſum ornatum velut umbram (non id agens) trahit. *Famian. Strad*. proluſ. lib. 2. 3. Hiſtor. part. 2.

Sed in *Suetonio*, quem hic ſequitur *Hieronymus*, non pauca ejuſmodi *παροράματα* deprehendimus, eximio alioqui & utiliſſimo ſcriptore, cujus omnes libros extare pluris intereſſet *Reip. Literariæ*, quàm multos quibus æquo animo careremus, ſi illis potiremur. *Ioſ. Scalig*. Animadv. in *Hieronym. Euſebian*. Chronic. ad Ann. Abr. 1960.

Ludovico Vivi l. 5. de tradend. Diſcipl. dicitur eſſe *Græcorum* & *Latinorum Scriptorum* diligentiſſimus atque incorruptiſſimus. Verè quidem, ſi de vitarum ſcriptoribus loquamur. Nam qui iccirco eum *Livio*, *Salluſtio*, *Tacito* præponere velit: inſignitâ, meo judicio, injuriâ adficiat tantos *Scriptores*. *Voſſ*. de Hiſtor. Lat.

Suetonius ſic ſcripſit vitas *Romanorum Imperatorum*, ut nullum ſibi præſcripſerit ſervandi *temporis* ordinem. *Baron*. vol. 1. *Annal*.

* *Iſaaci Caſauboni* animadverſiones in *Suetonium*, permittuntur cum expurgationibus. Vide *Indic*. Madrit. 1667.

Prodierunt *C. Suetonii Tranquilli* vitæ 12. primorum Imperatorum *Romanorum*, cum Notis *Variorum*, accurante *Joanne Schildio. Lugd. Batav.* ex officina Hackina. 8°. 1667.

Prodierunt itidem cum paraphraſi Sabellici, ac Commentariis & notis *Beroaldi*, *Glareani*, *Egnatii*, *Pulmanni*, *Torrentii*, *Caſauboni*, *Urſini*, *Marcilii*, ac *Lipſii*. Pariſiis ſumptibus *Hadriani Beys* An. 1610. in Folio.

APPIANUS.

Clar. An. D. CXXIII.

PAtria fuit *Alexandrinus*, *Romæ* cauſarum Patronus. Floruit *Trajani* & *Adriani* temporibus. Hiſtoriam *Romanam* complexus eſt libris 24. Orſus ab *Æneâ*, & *Ilio* capto, percurrit illa tempora uſque ad *Romulum*. Inde accuratiùs perſequitur omnia uſque ad *Auguſtum*: quædam etiam carptim atque obiter uſque ad *Trajanum*. Ex vaſto opere ſuperſunt hodie *Punica*, *Syriaca*, *Parthica*, *Mithridatica*, *Iberica*, *Annibalica*, *Illyrica*, de *bellis civilibus* libri quinque, & *Celticorum* fragmentum, vel compendium.

Stylus illi tenuis ac minime redundans; ſed Hiſtoriam, quoad ejus fieri poteſt, veram texit, & militaris diſciplinæ, ſi quis alius, enarrator eſt. Oratione dejectos militum animos erigere, & ardentiores mitigare affectuſque exprimere, ac ſi quid aliud imitari dicendo licet, optimè novit. *Phot.* in Biblioth.

Scaligeri in Animadverſionibus *Euſebianis* judicium eſt, *Appianum* vel admodum in *Hiſtoriâ* eſſe infantem, vel multa ejus *Syriacis* eſſe adſuta. Atque idem alibi eodem in opere vocat *alienorum laborum fucum*. Sanè multum *Polybio* debere, ac *Plutarchum* ad verbum exſcribere ſolitum, viri docti jamdiu obſervarunt. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc. l. 2 c. 13.

Baldvinus aliquot *Plutarchi* in *Craſſo* paginas de *Bello Parthico*, in libris quoque *Appiani* repetitas legi fatetur. Verùm id eſſe factum ſuſpicatur, non ab ipſo *Appiano*, qui *Plutarcho* fuit æqualis: ſed à librariis, ut ſupplerent aliquam in *Appiani* commentariis lacunam. *Lib.* 1. *De inſtitut. Hiſtor.* p. 87.

Nec prætereundus nobis *Appianus Alexandrinus*, alienorum quidem ille laborum fucus, ut meritò à magno viro appellatur: ſed ſcriptor utilis tamen, præſertim poſt deperditos non paucos eorum, quos exſcribere ſolet. *Voſſ.* de Art. Hiſtor. c. 20.

Hiſtoricus eximius vocatur. *Dempſtero*.

Prudens ſanè Scriptor. *Conring.* de Civ. prud. cap. 7.

Quæ *Appianus* (de *Pythagorâ ejuſque Diſcipulis, aut de Septem Græciæ Sapientibus*) refert, putidæ ſunt calumniæ in viros optimos à Cauſidico contra fidem veterum omnium monumentorum, exemplo in Hiſtoriarum Scriptore ſanè non ferendo, jactæ. *Corring.* ibid.

Hiſtoria ejus utilior eſt viro Militari, quàm Civili.

Appianus Alexandrinus Græcus licèt Autor, ſed quoniam externa & civilia *Romana* bella memoriæ mandavit, in alienis rebus mendax non fuit, futurus in ſuis, ſi *Græcorum* morem & ingenium ſequeretur. *Melch. Can.* l. 11. Loc. Th. c. 6.

Multis

Digitized by Google

Multis in rebus levis, multa etiam omittit: ſed diligenter legendus, quod pleraque ex Hiſtoriis his acceperit, quæ perierunt. *Sigon.* de Hiſt. Roman. cap.15.

Non *Appiano* de *Romanis* ſcribenti ubique aſſentior, cùm in eorum antiquitate ſæpiſſimè offendat. *Joan. Bodin.* Meth.Hiſt.c.4.p.63.

Etſi in Romanorum Antiquitate ſæpe lapſus eſſe deprehendatur, unus ex omnibus Hiſtoricis eſt, qui Romanorum provincias, opes, exercitus, totiuſque Imperii deſcriptionem proponit. *Ant.Poſſevin.* Biblioth.Select.

Et ſubit mirari, clam *Appiano* bellum *Rhaticum* fuiſſe, cujus tot ante illum ſcriptores meminerint. *Livius* copiosè deſcripſit, ex Epitome enim cognoſcimus huic uni librum 136. prope ſolidum impenſum. *Marc. Velſer.* V. C.l.2. Rer. *Auguſtanar.*

Appianus vir *Ægyptius* Helleniſmi ſinceri non optimus *Auctor*------Peſſimus *Geographus* in rebus *Hiſpaniæ Appianus*, qui *Saguntum* inter *Pyreneos* & *Iberum* fluvium locat, quæ omnium Geographorum conſenſu fuit inter *Iberum* & *Sucronem*, non longè à loco, ubi nunc *Ualentia. Iac. Pamel.* Exercit.ad *Appian.*

* *Henrici Stephani* in *Appianum Alexandrinum* Annotationes permittuntur, adhibitâ notâ Auctoris damnati, & Operis permiſſi. *Index Madrit.* Edit. Anno 1667.

Quæ *Appiani* ſuperſunt *Hiſtorica* ex emendatione *Henrici Stephani* & *Alexandri Tollii*, prodierunt in 8. 2. Vol.*Amſtelod.* Anno 1670.

AQUILA.

CLaruit ſub *Adriano Auguſto*, Anno Dom.128. *Rabbi Akiba*, diſcipulus, ſecundus divinorum voluminum *Græcus* Interpres, curioſus & diligens, Natione *Ponticus*, patriâ *Synopæus*, vir utriuſque matheſeos peritiſſimus, & ob id *Hadriano Auguſto* charus: à quo etiam conſtitutus eſt præfectus operum ad extruendam urbem *Hieroſolymam* à *Tito* dirutam; Hic, inquam, cum urbe inſtaurata, diſcipuli Apoſtolorum in ea Evangelium prædicarent, in *Chriſtum* credidit, & baptizatus eſt. Sed cùm nimium *Genethliacis* intentus, quotidie geniturarum poſitiones, inſpecto naſcentium horoſcopo, deſignaret, atque ob id à Patribus increpatus non deſiſteret, ſed potius ſeſe illis contumelioſè opponeret, ab ipſis de Eccleſia pulſus eſt. Quam ille ignominiam ultrà quàm dici poteſt, graviter moleſteque ferens, abnegato *Chriſtianiſmo*, Proſelytus efficitur, & apud *Iudæos* circumciditur, brevique edoctus *Hebræorum* linguam, interpretatus eſt Græcè divinas Scripturas de verbo ad verbum, irruens in 72. interpretum tranſlationem, ut nonnulla teſtimonia de *Chriſto* in Scripturis prolata, & ab eis tranſlata aliter ederet, ſicque acceptam confuſionem ulciſceretur. *Sixt. Senen.* in Biblioth.lib.4 Clar. An. D. CXXVIII.

Ea quæ de *Chriſto* in ſcripturis prædicta fuerant, ut à *Iudæis* gratiam iniret *Aquila*, aliter, quàm ſeptuaginta vertendo, ſubdola obſcuritate involvit. *Poſſev.* l.2. Biblioth. Select.p.173.

Aquila

Digitized by Google

Aquila Proſelytus, & contentioſus interpres, qui non ſolùm verba,ſed etymologias quoque verborum transferre conatus eſt, jure projicitur à nobis. D. *Hieronym.* in Epiſt. ad *Pammach.* de opt.gen.interpr.

Valdè accuratus interpres vocatur *Bocharto* in Geographiâ Sacra. *Aquila* literis *Hebraicis* ſummè eruditus ad interpretandum acceſſit. Vid. *Epiphan.* l. de Menſur. & Ponderibus. Miratur proinde *Nic. Fullerus* (Miſcellan. Theolog. l. 4. c.18.) *Ioannis Curterii* maledicendi pariter atque mentiendi libidinem, qui eò inſolentiæ proceſſerit, ut palam affirmare non erubuerit (præfat. in *Procopii* comment. in *Iſaiam*) *Aquilam Sinopitam*, quum ipſa vix Hebræorum elementa didiciſſet. Interpretationem novam ſacrorum Bibliorum *Adriano* imperante molitum.

Altera *verſio Græca* cujus fragmenta tantùm nobis ſuperſunt, eſt illa *Aquilæ*, qui *Adriano* imperante vixit. *Interpretes*, ille *Chriſtianam* Religionem deſeruit, ut Judaiſmum amplecteretur: Cumque *Hebraicæ* Linguæ ſtudio ſeſe addixiſſet, novam totius *Scripturæ translationem* molitus eſt, quam opponeret *Verſioni* LXX. *Interpretum*, qua fructuoſiſſime adverſus *Judæos* tunc utebantur Chriſtiani. Sed cùm ſibi in hac Verſione non omninò ſatisfeciſſet, ad incudem hanc poſteà revocavit, alteramque priori magis ad *literam* adornavit. Hinc fit, ut *Aquilæ Verſio*, in eundem locum diverſimodè citata quandoque occurrat. Fragmenta nobis reſidua manifeſtè arguunt Interpretis hujus præcipuum ſtudium fuiſſe, ut *Hebraicum Bibliorum contextum* verbotim redderet, & Vocum *Hebraicarum Lexicon* potius quam *verſionem* pangeret. Quapropter etiam adeo barbara eſt *Verſio* illa, ut pluribus locis ferè intelligi non poſſit: & hac de cauſa *Divus Epiphanius* eam contempſit, & opus admodum inutile cenſuit *S. Hieronymus Aquilam* tamen in quibuſdam laudat, ut accuratum & fidelem interpretem, ſed in aliis eum reſpuit ridiculumque ac abſurdum appellat, quia voces interpretari non contentus harum etiam etymologiam & proprietatem notaverat. Cauſa verò cur tam diverſa locutus ſit. *D. Hieronymus* de *Aquilæ Interpretatione* hæc fuit, quod ſcilicet cùm ſe urgeri videret exprobratione quòd ſatis accuratè *Scripturam Sacram* non tranſtuliſſet, in ſui *Apologia* reſpondit hanc adeò literalem & ex Grammaticali rigore vertendi rationem rejiciendam eſſe, & in ejuſmodi *Verſionum* exemplum *Aquilæ Verſionem* adduxit, cujus nimiam ſcrupuloſitatem damnat. E contra verò idem *Hieronymus* dum agitur de propria & genuina vocum *Hebraicarum* ſignificatione exprimenda, hanc ut omnium præſtantiſſimam commendat, Authoremque ut accuratum & fidum *Interpretem* laudat. Origines de *Aquilæ Verſione* loquens Judæos hanc cæteris omnibus antepoſuiſſe teſtatur, eandemque hac de cauſa uſurpare ſolitos eſſe in omnibus ſuis adverſus *Chriſtianos* diſputationibus. *Chriſtiani* vice verſa illam ob eaſdem rationes, infamarunt, adeo ut quadantenus tenerentur illam ut falſam & ab Eccleſiæ Chriſtianæ infenſiſſimo adverſario concinnatam conſiderare. Interea *Patres* ſanum de illa judicium ferre non poterant; quia cum plerique *Hebraicæ Linguæ* omnino eſſent ignari, cum *Hebræo Autographo* illam conferre nequibant. Jure tamen merito huic *Interpretationi* diffidebant, & credebant

Aquilam

Digitized by Google

Aquilam, qui tantum adverſus Eccleſiam odium manifeſtaverat, *Judæorum* opinionibus favere, præſertim ubi voces *Hebraicæ* varium ſenſum admittere poterant. Hæc tamen ipſi laus jure debetur quod *Hebraicum Textum*, de quo etiam nulla erat controverſia, illibatum ſervaverit. Quum verò *Patres* criminantur *Judæos* qui *Aquilæ Verſionem* uſurpabant, quod Scripturam corruperint, id non de ipſo *Contextu*, quem integrum reliquit, ſed de falſis *Contextûs* interpretationibus ſolummodo intelligi debet. Cæterùm *Patres* quibus hæc Verſio damnata fuit, ad eam tamen quandoque confugerunt. *Ricard. Simon.* Hiſt. Crit. *V. Teſtam.* lib. 2. cap. 9. Gall.

Quo nemo unquam majori caſtitate Ebraicam veritatem retulit, nemo fidem ſuam tam luculenter, verbis etiam ipſis annumerandis præſtitit. *Petr. Dan. Huet.* de claris Interpret.

Aquilam verò agnoſcimus exactiſſimum *Interpretem*, & in *vocabulorum* propriis ac reconditis *ſignificationibus*, & cernendis oculatiſſimum, & conſectandis ſtudioſiſſimum. *Nic. Fuller.* l. 2. c. 11. *Miſcell. Sacr.* Atque illud ipſum mirificè confirmatur interpretamento quodam *Aquilæ* viri exquiſitâ peritiâ & ſingulari induſtriâ. *Idem* l. 3. c. 12.

Aquila proprietatis *Hebraicarum* vocum callentiſſimus. Sed ſuperſtitioſus uſque ad ineptias, in *Etymologiis* earum exprimendis. *Arnold. Boot.* in *Animadverſ. Sacr.* ad Text. *Hebraic.* V. T.

Extant Verſionis *Aquilæ* Fragmenta *Græca*, quæ *Flaminius Nobilius* & *Druſius* collegerunt.

CLAUDIUS ÆLIANUS.

ITalus, ſub *Hadriano Cæſare* magni nominis fuit. Præneſte natus eſt, ſed *Romæ* vixit, civiſque *Romanus* fuit; unde & ſe in *variis* ſæpius *Romanum* appellat. *Scripſit de Animalibus*, de *Variâ Hiſtoriâ*, de *Re militari* quæ omnia ad nos pervenere. Cætera ejus opera deperdita ſunt. Clar. A. D. CXXIX.

Ælianus licet genere *Romanus* eſſet, non minus ſcitè tamen *Atticè*, quàm vel Mediterranei *Athenienſes*, locutus eſt. Et ſanè laude dignus vir ille mihi videtur: primùm, quod cum habitaret in urbe, quæ ſermone prorſus diverſo utebatur, *Græcanicæ* linguæ puritatem ſit conſecutus: deinde quod oblato ſibi (ab iis qui hujuſmodi titulos conferre ſolent) *Sophiſtæ* nomine, nullam de ſe fiduciam aut adulationem ſui, aut ſuperbiam ex tanti nominis honore conceperit: quin potius cùm ſuas ipſe vires expendiſſet, eaſque *Declamatoriæ Paleſtræ* impares judicaſſet, adſcribendum animum appulit, & admirationem inde conſecutus eſt. *Dictio* ejus eſt omnino pura, ſimplex & inaffectata eſt, ut *Nicoſtrati* elegantiæ lepôrem quendam adhibeat. Eſt quando *Dionem*, ejuſque *dicendi* genus & tonum imitatur. *Philoſtrat.* de vit. *Sophiſt.*

Cùm verò tanta ineſſet ſermoni & ſcriptis ſuavitas Μελίγλωττος vel Μελίφθογγος cognominatus fuit, quemadmodum apud *Suidam* legere eſt. Facundum eum appellat *Martial.* l. 12. Epigr. 24.

In libris de *Animalibus* præ ſcriptoribus aliis laudem eo meretur, quòd ex mutis animantibus vitæ exemplum capere homines docet.------Liber de *Hiſtoriâ variâ* minùs elegans eſt, quàm libri de *Animalibus*. Sed planè mihi perſuadeo, non eſſe extremam operi manum additam ab Auctore, eò quòd fato præveniretur. Namque abſque dubio aliter concinnaturus erat iſta capita, quæ ab ὅν orditur. Siquidem ſic ſolent ſcribere, qui alieni operis excerpta ſolùm nobis dant: ut oſtendunt *Strabonis* Epitome, *Photii* Bibliotheca, & alia hujus monetæ. *Voſſ.* de *Hiſt.* Græc.

Ælianus, elegantiſſimus ille ſcriptor, quique veteres *Graciæ* heroas tam ſtudiosè legerat. *Tan. Faber.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 8.

Ælianus, venuſtus ille & amabilis ſcriptor. *Idem* l. 1. Epiſt. 75.

In quo nihil non terſum, elegans, politum plane ut *Romanus Græcâ* eloquentiâ multos *Athenienſes* videatur excellere. *Balth. Bonifac.* l. 15. Iudic. Hiſt. c. 3.

In dicendo *apheliam* maximè affectavit, quam nos ſimplicitatem dicimus, quæque [uti prodit *Fabius*] ſimplex & inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in fœminis amatur, ornatum. *Cal. Rhodigin.* l. 21. c. 32. Lect. Antiq.

Porro illud de *Æliano* velut ſuperpondium addamus, quod in eo viro non parum admirationis habet. Quippe prædicare ſolitum ferunt, nunquam ſe extra *Italiam* pervagatum, navem nunquam inſcendiſſe, mare nec noviſſe quidem, quo nomine in magna erat auctoritate, veluti patrii moris ſtudioſus in primis. *Idem* ibid.

Ælianus de *Hiſtoriâ naturali*, dum alius ab *Ariſtotele* videri vult, à rei veritate recedit. *Claud. Verder.* cenſion. in Auctor.

Utinam ſcripta *Æliani* omnia ad nos illibata & integra perveniſſent! certè quicquid ſtylus ſophiſticus habet verbis nitidum, ſententiis acutum, figuris jucundum, tranſlationibus floridum, inventione præclarum, compoſitione elaboratum, id omne noſter [*Ælianus*] velut quidam *Eloquentiæ Inſtitor* nobis intuendum & penè contrectandum daret. Sed hîc *Æliani* opera vi temporum & concurſu calamitatum partim labefactata & convulſa, partim planè deleta extinctaque meritò dolemus. *Joachim. Kunius* Præfat. ad *Ælian.* Var. Hiſt.

In ejus narrationibus quid non egregium, non præſtans, non idoneum vel ad cognoſcendum, vel ad imitandum fugiendumve? quid non in eo terſum, elegans, politum & Atticum? *Juſtus Vultejus* in Præfat. Hiſt. multifariæ.

In *Æliani* de *Animalibus* libris temperamentum quoddam & Harmonia utriuſque Philoſophiæ, Moralis, inquam, & Naturalis. *Geſner.* de *Ælian.* Hiſt. Animal.

Extant *Claudii Æliani* variæ Hiſtoriæ libri 14. *Græcè* & *Latinè* ex emendatione *Tanaquillii Fabri Salmurii* 8. 1668.

Tactica *Græcè* & *Latinè* cum Notis *Sixti Arcerii* & Tabulis æri inciſis *Lugd. Bat.* 4°. apud *Ludovicum Elzevirium* Anno 1613.

PAUSANIAS

PAUSANIAS.

TEmpore *Antonini Philoſophi* Imp. vixit, Diſcipulus fuit *Herodis Attici*; qui ſub *Hadriano* & *Antonino Pio*, magnum adeò nomen habuit inter *Sophiſtas*. Patria ei fuit *Cæſarea Cappadociæ*. Inde erat, quòd in Declamando, *Cappadocum* more, corripiendas *Syllabas* produceret, producendas corriperet: ac proptereà *Coquo* comparabatur, cibos bonos malè condienti. Sed & *Stylus* per ſe languidior erat. Declamavit non ſolum *Athenis*, ſed etiam *Romæ*; ubi ſenex deceſſit. Extat hujus Scriptoris minùs quidem facundum, ſed eruditum *opus* de *Græciâ*, libris decem conſtans: iis & ſitum urbium ac locorum, & Antiquitates *Græcanicas*, & quicquid penè memorabile *Græcia* habuit, magno Philologiæ & Hiſtoriæ ſtudioſorum bono complexus fuit. Quod olim dicebat *Domitius Piſo*, *theſauros ſcribi debere*, *non libros*, id à *Pauſaniâ* verè factum dixeris. Quare non ſatis concoquere poſſum, quod excidit *Cæſari Scaligero* commentario in priorem librorum *De Plantis*, *Ariſtoteli* falsò inſcriptorum; ubi dicitur, *Græculorum omnium mendaciſſimus*. Non ſum ignarus, quàm multa narret fabuloſa. Sed hoc *Grammaticum* decebat. Nec ſine fabularum iſtiuſmodi notitiâ ſatis intelliguntur *veteres Scriptores*. Utinam tantùm extarent ejus *Aſiatica*, ſæpiùs memorata *Stephano* in *Ethnicis*. *Voſſ.* de *Hiſt.* Græc. l. 2. c. 14. Clar. A. D. CXXXIX.

Autor ob variarum rerum copiam, & Hiſtoriarum jucundam diverſitatem utiliſſimus, cùm exquiſitam totius *Græciæ* deſcriptionem inſtituiſſet, non ſolùm locorum ſitus, & intervalla diligenter exploravit, & accuratè annotavit, verùm etiam præcipua *Regionum* ornamenta ſtudioſè eſt complexus: Rerump. ſtatus, Imperiorum ſucceſſus, *Regum* familias, & res præclare geſtas, ſplendida *Civitatum* & ſumptuoſa ædificia; Bellorum dehinc cauſas & ambiguos exitus, Ducum Conſilia, Militum fortitudinem. *Pacis* item artes & alia complura, quæ ad inſtituendas & conſervandas *Reſp.* multum habent adjumenti. Poſt hæc exhilarandi lectoris, aut ornandi operis causâ addit earum rerum deſcriptionem quæ multis de cauſis aut voluptati omnibus ſint, aut admirationi. *Abraham Loeſcher.* præf. in *Pauſ.*

Habuit ſanè nihil olim *Græcia*, quod ſpectaretur dignum, vel ex *ære*, *auro*, *argento*, vel ex *ebore*, *ligno*, *marmore* factum & elaboratum, quod hic noſter (*Pauſanias*) non eleganter atque intelligenter explicaverit----In pervolutandis certè *Pauſaniæ* libris, è *Græci* hominis facundiâ & eruditione, non mediocrem tum fructum, tum voluptatem capies. *Romul. Amaſæus* in Epiſt. ad *Alex. Farneſ. Cardinal. Pauſan.* Deſcript. *Græc.* præfix.

Opus (*De Græciâ*) antiquæ raræque eruditionis theſauros continens. Multa hîc invenies, *Lector* candidiſſime, recondita; multa ſcitu pulchra; nonnulla, quæ alicubi nondum legiſti. Admiraberis *Autoris* accuratam & exquiſitam diligentiam, ſive narrationem rerum præclarè geſtarum in fronte voluminum collocet; ſive *Genealogias* perſequatur; vel ab *ovo* (ut dicitur) ordiens, vel ad caput uſque generis ſeriem pertexens: ſive *Statuarum* tum Artifices commemoret;

tum eos concelebret, quorum in honorem erectæ ſunt. *Ald. Manut.* præfat. in *Pauſan.*

Pauſanias minùs quidem facundus ſcriptor, ſed ob rerum copiam, & Hiſtoriarum varietatem utiliſſimus. *Ioan. Cardin. Bona.*

Auctor auro omni Antiquitatis Græcæ cupidis pretioſior. *Barth.* ad *Nemeſiani Cyneget.* pag. 234.

Vniverſæ Græciæ provincias Rerumque publicarum ſtatus & converſiones, populos, urbes, caſtra, fluvios, montes, vertices, fontes, fana, ſtatuas, tam curioſè deſcribit, ut in eo genere omnium ſuperârit Opinionem. *Bodin.* cap. 4. Method. *Hiſtor.*

Pauſanias Græcus Author bonus eſt. *Scaligerana* poſterior.

Extant *Pauſaniæ* Antiquitatum *Græcarum* libri 10. *Græcè* cum verſione *Romuli Amaſæi*, & ex recenſione *Frid. Sylburgii. Francofurti*, Anno 1583. apud hæredes *Wechels* in Fol.

CLAUDIUS PTOLOMÆUS.

Clar. Anno Dom. CXL.

Natione fuit *Ægyptius*, patriâ *Peluſienſis*, floruit ſub *Marco Antonino* Imperatore *Romano*, clariſſimus *artium liberalium*, & *Græcarum* literarum ſtudiis *Alexandriæ.* Primus omnium apud *Græcos cœli* rationem accuratiùs diligentiúſque explicuit. Inſtrumenta quæ ab *Hipparcho* inventa erant, demonſtravit clariùs. Princeps itaque doctrinæ *Mathematicæ* jure fuit habitus, in *Aſtrologiæ* enim ſcientiâ nulli ſecundus erat. Is monumentis ingenii & doctrinæ relictis penè divinis, mortuus etiamnum inter mortales vivit, æternâ gloriæ laude victurus perpetuò. *Boiſſard.* in Icon.

Variis monumentis immortale ſibi nominis decus peperit *Claudius Ptolomeus.* De ætate teſtis *Suidas.* At nimium quantum errant, qui *Ptolomæum* hunc arbitrantur fuiſſe unum ex *Regibus Ægyptiis.* Vt, qui edidit eum, *Simon Grynæus*, & ante hunc alii, *Albumazarem* in eo ſecuti. Hic *Ptolomæus* in doctrinâ *Siderum* primas tenet. Vnde Θαυμάσιος ſive admirandus, dici à *Græcis* ſolet: nempe ut *Plato* à *Sectatoribus* vocatus θεῖος, ſive divinus; *Ariſtoteles* δαιμόνιος, ſive *Dæmonum* ſimilis; qui quaſi dii *minorum gentium* ſortem excedere humanam, diiſque *majorum gentium* vicini exiſtimabantur. *Voſſ.* de ſcient. Mathemat. pag. 162.

Ptolomæus Aſtrologorum princeps, & in *Mathematicis* vir ingenii eminentiſſimi. *Rhodigin.* l. 1. lect. Antiq. c. 16.

Ptolomeus in *Arabicis* vir ſane fide dignus: quippe qui ſedulò hoc egerit, ut accuratè *Arabica* traderet. *Henr. Stephan.* in *Periplo.*

Ptolomæum in *geographicis diviniſſimum*, ac *ſapientiſſimum* virum appellat *Heracleota* init. *Peripl.*

Ptolomæus, vir ingenio, induſtriâ, eruditione, admirandus, qui *Hipparchum* ubique ferè κατὰ πόδας inſequitur. *Steph. Ward.* præfat. ad *Aſtronom. Geometric.*

Ptolomæus omnium primus hanc (*Geographicam*) diſciplinam ad certiorem

rationem

rationem redegit, commentus dimenſionem *Latitudinis* univerſi *Orbis* à *polo* ad *polum*; *Longitudinis* ab *exortu* ad *occaſum*, adhibitâ collatione *terræ* habitabilis ad *cœlum*, ut jam non facilè quis, toto (quemadmodum aiunt) cœlo poſſit aberrare. *Eraſm.* l.28.Epiſt.19.

Licèt *Hipparchus* primus omnium ex collatione ſuarum, & *Timocharis* obſervationum deprehenderit *Stellas fixas* locum mutare, & εἰς τὰ προηγούμενα progredi; hoc tamen vix receptum ſerò tandem *Ptolemeus* in uſum revocavit, & ſolidis rationibus illuſtravit *Ioſ. Scalig.* l. 1. Epiſt. 3. *Mamerto Patiſſoni.*

Ptolomeo proximæ poſt *Archimedem* debentur ingenii laudes; quia tam claras *ſiderum* rationes ut in æternum ſufficerent, excogitavit; ſoluſque divini opificii modum, & ſubtilitatem exprimere auſus eſt; ut inveniſſe non dicam. *Cardan.* l. 16. de *ſubtilit.*

Sed utcunque nihil, vel tantummodo minutum quid, deſideres in iis quæ propria ſunt *Mathematici*: in illis tamen, quæ *Hiſtoria* ſuppeditat *Geographo*, ſæpè aberrat *Ptolomeus*, culpâ non ſuâ, ſed eorum, unde Hiſtoriam accepiſſet. *Voſſ.* de ſcient. Mathem. p. 247.

Ptolomeum frequenter adibam; ſed faſtidium movebant non pauca. Animadvertebam plurima magno *auctori* ſcripta eſſe ab auditu, & ex aliorum (qui ſæpè fallunt, quorumque, cùm, quæ viſa narrant, verba nonnunquam non benè capiuntur) fide: eamque ob cauſam ipſius *Geographica*, ex alieno concinnata relatu, maleque & inemendatè ſcripta, innumeris deformata eſſe erroribus; multa item, quæ aliis nominatiſſima, negligenter in iis eſſe omiſſa; multa ſequiorem nacta eſſe ſtationem, & extra verum locata ſitum; multa dubiam adepta nomenclaturam; infinita non ſuis tributa populis, vel regionibus, plurima denique cùm ab aliis, tum ab ſeipſo, & alibi dictis diſſentientia. *Paul. Merul.* ſuâ in *Geograph.* præfat.

Ptolomæi errores circa Stellarum motum, ipſarumque & Solis declinationem taceo: taceo quòd Solem tardiorem quàm ſit effecerit. Sed abſque ratione profectò ait Quadripartit. 1. *Planetas* humidiores, ſicciores ſque eſſe, prout amplius minuſve ab aſcendentibus è terrâ vaporibus humiditate afficiuntur: & *Lunam* proptereà humidiorem eſſe quòd propior terræ ſit: *Saturnum* contra ſicciorem quòd à terrâ ſit remotior. *Claud. Verder.* in Autor. cenſione.

Quin igitur quod res eſt, *Ptolomæi* peccatum agnoſcimus liberè. Volens lubens fateor nihil à quoquam de *Ptolomæo* tam magnificè & ſplendidè dictum, quin ejus excellens ingenium, & ſolers induſtria omnia exuperet: perſpectum tamen habeo, multa hoc tantum ingenium latuiſſe, multa induſtriam ſubterfugiſſe. Neque mirabitur, qui conditionem rerum quas explicandas ſumpſit, *Univerſi Orbis*, tum univerſam, tum privatas deſcriptiones, poſuerit ob oculos. Si ipſe redivivus detur, cenſuram ultro agniturum, atque inconſideratam eorum levitatem, ſi qui ſunt, qui aliter fieri potuiſſe perſuaſum habent, riſurum exiſtimo. Quod liceat illius errores manifeſtos colligere, ab iis qui *Germanica*, *Gallica*, *Hiſpanica*, *Britannica*, ſcripſere obſervatos? Quoties hominem *Alexandrinum* in *Italica* deſcriptione, quâ unâ propter *Imperii* ſedem nihil illuſtrius,

 ſugillant?

ſugillant? *Marc. Velſer*. l. 1. *Rerum Auguſtanar.*

Extant *Claudii Ptolomæi* Geographiæ libri 8. cum Tabulis Geographicis reſtitutis per *Gerardum Mercatorem* recogniti & caſtigati à *Petro Montano, Amſtelodami* ſumptibus *Cornelii Nicolai* & *Iodoci Hondii*, 1605. Fol.

Iidem *Græcè* & *Latinè* curâ *Petri Bertii* Tomo Primo Theatri Geographici veteris *Amſtelodami*, Anno 1618. in Fol. editi.

DIOGENES LAERTIUS ſive DIOGENIANUS.

Clar. Anno Dom. CXL.

Cilix fuit, & à *Laerte Ciliciæ* oppido *Laertius* ſive *Laertienſis*, appellatus, tempore *Antonini Pii* claruit. Habemus ejus decem libros de *Vitis Philoſophorum*---Librum *Epigrammatum* omni Metrorum genere ſcripſit, quem idcirco παμμετρον vocavit---*Timonis* quoque *Sillos* commentario illuſtravit.

Parum idoneè de hoc Autore judicat vir cæteroquin eruditus, ſed novellorum ſcriptorum, quàm Antiquitatis ſtudioſior, *Bartholomæus Keckermannus*. Ait ille libro ſuo de Hiſtoriâ, ſcripſiſſe *Laertium languide & frigide, ſæpè tamen non inutiliter*. Quæ profectò frigida laus eſt operis utiliſſimi, & auro contrà non cari. Quippè ex quo diſcere ſit, cùm alia tam multa ad hiſtoriam temporum pertinentia: tùm præclara tot veterum *Apophthegmata*, quorum *Keckermannus*, malo ſanè exemplo, *Eraſmum* laudare mavult autorem, quàm *Plutarchum*, *Laertium*, & ſimiles. Quin, quod caput eſt, diſcrepantes ex eodem *Laertio Sectarum* ſententias diſcimus. *Voſſ.* de Hiſtor. Græc.

Extat magno commodo omnium literarum *Diogenes Laertius*: cujus Rhapſodiæ, licet diligentiſſimæ exactiſſimæque non ſint, ſummâ tamen utilitate & voluptate leguntur, ut multis vegrandibus carere pro iſto velle ſapientia ſit. *Barth.* ad *Claudian.* pag. 102.

Caſaubonus in vitâ *Diogenis* eum Antiquitatis indagatorem ſedulum vocat, ſed cui aut memoria firma, aut otium, judiciumve in digerendo defuerit. *Diogenes Laertius* unicum ferè Philoſophicæ Hiſtoriæ columen eſt: abſque eo eſſet, rudera ſupereſſent, atque cæmenta difficulter in pleriſque conjungenda. *Ioan. Ionſ.* de ſcriptor. Hiſtor. Philoſophic. p. 271.

Diogenes Laertius Philoſophorum vitas ad fœminam quandam compoſuit. Magna eſt in eo opere rerum cognitio, multoque eſt legi digniſſimum.---Magnâ fide ac diligentiâ Philoſophorum vitas compoſuit. *Lud. Viv.* De tradend. Diſcipl. l. 5.

Omnes illas Epiſtolas, quæ illis Philoſophis (*Democrito*, *Soloni*, *Thaleti*, *Pittaco*, *Mitylenæo*) à *Laertio* attribuuntur, multis argumentis confictas à *Græcis*, quibus nunquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare poſſum. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 306.

Ille mihi multis nominibus cariſſimus auctor. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. 18. ad *Iac. Bongarſ.*

Ipſe non indignus eſt, ut inter Poetas connumeretur eos qui *Epigrammatis* luſerunt. *Lil. Gyrald.*

Diogenes

Digitized by Google

Diogenes Laertius ſedulus indagator *antiquitatis*: ex cujus libro de *Vitis Philoſophorum* multum proficere poſſunt ſtudioſi. Sunt qui dicant eum plus ſtudii in legendo, quàm diligentiæ in ſcribendo adhibuiſſe. *Ioan.*Card.*Bona.*

Nullum ad nos librum Veteres tranſmiſerunt qui uberiorem nobis doctrinam ſubminiſtrarit quam *Vita Philoſophorum* à Diogene Laertio; ſi modò ſcribendi peritiam Argumenti quod ſibi propoſuerat ex æquo reſpondentem habuiſſet: Si enim de ipſis tam eruditè Orbi literato ſcripſiſſet ac *Gaſſendus* de *Peireſko*, quantis ſcientiæ divitiis frueremur, quarum jacturam ob ejus imperitiam magna ex parte paſſi ſumus! Cùm ab illo uno pendere cogamur, quia nullus alius aut ſaltem nullius melior Author nobis ſupereſt qui de illo Argumento ſcripſerit. *Doctoris Burnet.* Præfat. in Vit. Dom. *Matt. Hale.* Angl.

In ejus Scriptis nuſquam *Sectæ* cujuſvis rigidus Affectator, neque Fautor deprehenditur. Si tamen de illa ex conjectura nobis opinari liceat, non abſque ratione putamus illum fuiſſe ſectatorem *Potamonis Alexandrini*, authoris Sectæ illorum quibus *Eclecticorum* nomen inditum eſt, & *Veritatis Amantium* titulo præterea inſigniti fuerunt; quia optionem faciebant è quacumque *Secta* eorum quibus ſibi potiſſimum adhærendum eſſe arbitrabantur. Ejus doctrina ex ejus Scriptis patet; Si enim ejus *Stylum* obſervemus, conciſum & efficaciæ plenum ipſum deprehendemus, voces ejus ſelectas, ſermonem ejus facundum. Nec tamen omni culpâ vacat, quod ad diſpoſitionem, ſuperfluitatem aut defectum materiæ ſpectat; quod quidam id memoriæ ejus labilitati imputantes excuſant; alii multiplicibus ejus occupationibus id tribuunt, quibus ab eorum quæ ſcripſerat recognitione inhibebatur. Illis tamen accenſetur qui in omni doctrinæ genere præſtantiſſimi fuerunt exiſtimati; Ita ut ſi quod ſentio dicere auſim, nec *Platonis* vita, nec *Zenonis Dogmatum* Epitome, nec tres *Epicuri* Epiſtolæ, ejus textura videantur. *Diogenis Laertii* vita, *Verſioni* Anglicæ præmiſſa in 8. Excuſa *Londini* An. 1688.

Multa ex hoc *Laertii* opere (de *vitis Philoſophorum*) ſuis doctrinæ variæ eclogis inſeruerat *Sopater*: teſte *Photio* Cod. 161.

Diogenis Laertii libri 10. de vitis Philoſophorum prodierunt *Græcè* cum interp. *Aldobrandini*, cujus item notæ ad vitam *Leucippi* uſque, nec non utriuſque *Caſauboni Iſaaci* & *Merici*, denique ampliſſimi commentarii *Ægidii Menagii* accedunt, curâ *Joann. Pearſonii. Londini* apud *Octavianum Pulleyn.* Typis Thomæ Ratcliffe *in Fol. Anno* 1664.

JUSTINUS MARTYR.

NAtus eſt *Neapoli Paleſtinæ*, patre *Priſco Bacchio*: educatus eſt in ſtudiis Philoſophiæ *Platonicæ*: ad Chriſtum converſus eſt, cùm fidelium in perferendis Martyriis conſtantiam vidiſſet: prædicavit *Chriſtum* habitu Philoſophico, (teſte *Euſebio*) pro cujus etiam gloriâ mortem, quam ſibi ipſe Apologiâ ad *Antoninum* prædixit, glorioſiſſimam perpeſſus eſt, Martyrii coronâ redimitus Ann. *Dom.* 164. Circa an. *Dom.* 140. pro *Chriſtianis Apologiam* obtulit.

Clar. Anno Dom. CXL.

Opera

Opera genuina ſunt: Parænеſis ad Græcos-----Elenchus, ſeu Oratio ad Græcos----Apologia pro *Chriſtianis* prima-----Apologia pro *Chriſtianis*, ſecunda—Liber de Monarchia *Dei*, *forſan* in fine mutilus.------Dialogus cum *Tryphone Judæo*-----Epiſtola ad *Diognetum*.

Opera non *extantia*: liber de animâ------liber Pſaltes dictus------contra omnes Hæreſes-----Contra *Marcionem*-----Commentarius in Hexameron---De Reſurrectione carnis, teſte *Damaſceno*.

Opera dubia: *Ariſtotelicorum* quorundam dogmatum everſio------Epiſtola ad *Zenam* & *Serenum*.

Opera ſuppoſititia ſunt: Quæſtiones & Reſponſiones ad Græcos------Quæſtiones Græcanicæ, de *incorporeo* &c. & ad eaſdem Chriſtianæ reſponſiones---Quæſtionum 146. Reſponſio ad Orthodoxos-----Dubitationum adverſus Religionem ſummariæ ſolutiones-----Expoſitio fidei de S. *Trinitate*. *Gul. Cave*.

Scripta *Juſtini* magnum in Eccleſiâ nomen conſecuta ſunt. *Abraham. Scultet.* in Medull. Patrum, p. 1.

Reliquit nobis *Juſtinus* plurima eruditi animi monumenta, ac omnis generis utilitatis plena. *Euſeb.*

Juſtinus Martyr vicinus *Apoſtolorum* temporibus fuit: quem tanquam *Apoſtolicum* virum citant *Euſebius*, *Baſilius*, *Epiphanius*, & alii Patres. *Poſſevin.* Biblioth. *Juſtino* benè perſpecta erat *Apoſtolica* doctrina & conſuetudo. *Zanch.* 7. Volum.

Eſt vir ille ad Philoſophiæ, tum noſtræ, tum potiſſimùm profanæ ſummum evectus faſtigium, multipliciſque eruditionis, & hiſtoriarum copiâ circumfluens. Sed Rhetorico artificio, nativam Philoſophiæ ſuæ pulchritudinem colorare haud ſtudio habuit. Quamobrem etiam oratio ejus, pollens alioquin ac valida, ſcientificumque ſervans ſtylum, Rhetoricæ illa condimenta non ſpirat, nec illecebris & blandimentis vulgus auditorum attrahit. *Phot.* in Biblioth.

Libros eruditiſſimos *Juſtinus* ſcripſit adverſus *Valentinianos* & *Marcionem*, prætereà de *Hæreſibus* & *Hæreticorum* præſcriptis; quos ſi quis legere non gravabitur rectiùs intelliget *Irenæi* libros. *Eraſm.* Epiſt. 28. Epiſt. 5.

In rebus Hiſtoricis graviter interdum hallucinatus eſt *Juſtinus*: Ut cùm in *Apologiâ* ſecundâ regnaſſe ait *Herodem* in *Judeâ*, quando *Ptolomæus Philadelphus* libros legis vertendos curavit: qui tantus eſt ſive prochroniſmus ſive metachroniſmus, ut oculis meis cùm illa lego vix credam. *Caſaub.* exercitat. 1. ad Apparat. *Annal. Baron.* num. 69.

Omnium patrum antiquiſſimus eſt *Iuſtinus*, magni apud veterum Hiſtorias nominis, non ſolum propter inſignem rerum divinarum & Philoſophiæ cognitionem, ſed etiam propter zelum illum quem luculentiſſimè & magna cum laude exercuit, cùm mortem pro *Chriſto* fortiter oppetiit. In hujus tamen viri operibus, quàm multa occurrunt vel levia vanaque, vel etiam periculoſa! Manifeſtè apparet ipſum cum *Chiliaſtis* ſentire, antequàm Reſurrectio penitùs perficiatur, *Hieroſolymis* fideles annos mille regnaturos. Alibi videtur ſenſiſſe eſſentiam *Dei* eſſe finitam; probat enim adverſus *Iudæum*, de *Patre* non fuiſſe dictum,

dictum, *Dominus pluit ſuper Sodomam ignem & ſulphur*, aliàs (inquit) in cœlis non fuerit. Quæ habet de *Angelis*, tametſi iſtis leviora ſunt, tamen & ipſa quoque abſurdiſſima; Deus (inquit) hominum ipſorum, atque eorum, quæ ſub cœlo ſunt, providentiam *Angelis* ad hæc diſpoſitis attribuit: Angeli autem ordinationem ſive diſpoſitionem eam transgreſſi, cùm mulierum concubitus cauſa, amoribus ſunt victi, tum filios procrearunt, eos qui Dæmones ſunt dicti. *Dalleus* de uſu Patr. p. 255.

Juſtinus *Martyr ſimplex eſt, juvat tamen quid dicat inſpicere.* Scaligerana poſterior.

Perfectæ *Philoſophia Ethnica* cognitioni miram *Scriptura Prophetiarumque* intelligentiam ſociaverat, atque *Religionis* noſtræ notitiam exquiſitam; adeo ut *Veterum* ferè nemo de omnibus *Myſteriis* noſtris accuratius diſſeruerit. Verum quidem eſt eum circa *Trinitatem* à nobis diſſentire videri, quod Platonicorum Principiis inſiſtat: Sed qui ejus ac *Veterum* Doctrinam ad amuſſim examinaverint: eos nobiſcum in rebus conſentaneos, & in ſuos ſenſus enunciandi modis à nobis tantùm diſcrepantes animadvertent. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. *Authorum Eccleſiaſtic.* Tom. 1. p. 160. 161. Gall.

Tatianus Juſtinum maxima appellat dignum admiratione.

Epiphanius Sanctum, & Dei amicum vocat.

Philoſophum Divinum *Juſtinum* vocat *Anaſtatius*, Bibliothec. in Hiſt. Eccleſiaſticâ.

Vir maximâ dignus admiratione. *Henr. Ernſt.* de verâ Philoſ. n. 47.

Vir veræ Philoſophiæ ſtudio & martyrio claro notatus Ibid. n. 54.

Gravis & pius Scriptor, quantavis auctoritate venerandus. *Boecler.* de Scriptor. pag. 64.

Dionyſ. Petavius Juſtinum refert inter eos, qui idem quod *Arius* ante tradiderunt, ideoque rejicit *Expoſitionem Fidei*, quæ ſub nomine *Juſtini* circumfertur.

Literarum *Hebraicarum* rudem penitus & imperitum fuiſſe, *Juſtino* vitio verti non debet, 1o. quia quamvis patriâ fuerit *Samaritanus*, *Græcis* tamen parentibus natus ſit; deinde quòd magnam vitæ partem in religione *Gentilium* traduxerit; deindè quòd *Philoſophiæ* Græciſque diſciplinis ſe totum dederit, quæ à literarum *Hebraicarum* ſtudio immane quantum abhorrent. Hinc factum eſt, ut in *Hebraicis* adeo pueriliter lapſus ſit. *Gul. Cave.* Hiſt. Literar.

Opera *Iuſtini* omnia prodierunt *Græcè* & *Latinè* cum notis *Sylburgii*, *Perionii*, *Billii*, & *Petri Lanſſelii*. Fol. *Pariſiis* An. 1636.

JUSTINUS.

Hiſtoricus tempore *Antonini Pii* Imperatoris claruit. Sunt qui poſt Imperium *Conſtantinopolin* translatum, eum vixiſſe exiſtiment: quos *Ger. Joan. Voſſius* redarguit. *Pompeii Trogi* Hiſtoriam in compendium redegit. Clar. An. Di CXLII.

Studioſam verò juventutem, quæ cognoſcendæ hiſtoriæ cupida eſt, hortor

etiam, atque etiam, ut auctorem hunc, qui multis nominibus cognitu jucundiſſimus pariter eſt ac utiliſſimus, ne poſtremo loco ducant, ſed aſſiduè diligenterque evolvant ad exemplum *Auguſtini*, *Oroſii*, *Iſidori*, aliorumque magni nominis virorum, qui frequenti eum lectione familiarem ſibi reddiderunt adeò ut multa ex illo, præſertim *Oroſius*, ad verbum tranſcribere, ſuiſque ipſorum ſcriptis inſerere non dubitarint. *Theoph. Cangiſer.* Præfat. præfix. *Iuſtin.*

Eſt *Iuſtinus* ſcriptor terſus & elegans: ut de eo ſcribit *Raimundus Lullus* l.7. de orat. cap.4. Quàm turpiter autem in rebus *Iudaicis* aberrârit, oſtendit *Benedictus Pererius* in *Daniel.* c.40. *Voſſ.* de Hiſtor. Lat.

Iuſtinus Trogi Pompeii, Præceptoris ſui abbreviator, quantum ſtyli genus patitur, diſertus. *Dempſter.*

Voco ego eum delicias Hiſtoricas, omniumque quotquot *Epitomas* conſcripſerunt longè principem facio. *Bonifac.* Iudic. Hiſt. cap.5.

Trogi certè Hiſtoriam *Iuſtinus* non ſolùm admutilavit, ſed non uno etiam loco verbis ferreâ demum ætate uſurpari cœptis inquinavit. *Gaſp. Sciopp.* conſultat. p.41.

Trogi Pompeii compendium fecit *Iuſtinus* quidam. Res ea, ut fieri amat, diſpendio fuit *Trogo*. Nam ipſe quidem præ illo breviario ſeponi ac negligi cœpit atque interire tandem. *Quenſtedt.*

Iuſtinus Hiſtoricus *Trogi Pompeii* breviator ſtylo nitidiſſimus, cujus *Epitome* ipſi *Trogo* exitio fuit. *Joan. Card. Bon.*

Iuſtinus qui *Compilator* evadit dum Hiſtorici titulum affectat, levia tantum excerpta *Materiarum* tradit. Multa novit; res prudenter dicit; non pauca geſta corraſit quorum notitia aliàs intercidiſſet. *Rapin.* Refl. in Hiſt. Sect.28.

Nullum ex vetuſtis *Scriptoribus*, qui ex fœdâ barbariei tempeſtate, triſtique *rei literariæ* naufragio quaſi eluctati ad nos pervenerunt, tyrociniis ſtudii Hiſtoriarum eo (*Iuſtino*) accommodatiorem eſſe, viri doctiſſimi cenſent. Tam terſè ſanè, tam emendatè ſcripſit, ut ſæculi ſui captum ſuperare, nec ſolarum rerum, ſed & verborum floſculos ex *Trogo*, optimi ævi *Scriptore*, delibaſſe videatur. Nec præter eum quiſquam amplius extat eorum, qui ſecundum ſeriem temporum res plerarumque Gentium digeſſerunt, in iiſque ordine pertexendis elaborarunt: omnibus, ſive totis ſive maximam partem abſorptis, & longâ ſuperioris memoriæ nocte, optimarumque Artium fatali ſilentio deletis. *Acta erudit.* Calend. Maii, Anno 1683. p.179.

Non perinde nitidus eſt *Iuſtinus*, ac *Q. Curtius. Lud. Vives* Lib. 3. de Tradend. Diſcipl.

Quid de *Iuſtino* dicemus qui *Trogi* Epitomen fecit? qui eloquentiam penitiùs ſcrutantur, haurire poſſunt inde aliquid è melioris ſeculi literatura. Fortaſſe enim in plurimis non minus *Trogum* exſcribit, quàm Xiphilinus Dionem. Si candidè & citra moroſam cenſuram agendum eſt, non video, quid repudiare in eo poſſit noſtri ſæculi Politicus, vel in verbis, vel in ſententiis, quatenus expoſitioni rerum ſerviendum eſt. Nam elegantiam contexendæ orationis aut ornandi Argumenti aliunde rectiùs petiveris. *Boecler.* de eloquent. Polit. n.65.

Auguſtinus

Digitized by Google

Auguſtinus Juſtinum tanti fecit, ut ex eo non pauca in libros *De Civitate Dei* ad verbum tranſtulerit. *Konig.*

Sunt qui hiſtoriam *Trogi* vidiſſe ſe in *Italiâ* affirment: per quietem puto. *Lud. Viv.* in l.4. *Auguſtin. De C.D.c.6.*

Quamvis *Juſtinus* ſcribendi genere adeo præclarus ſit, ut *Auguſti* potiùs quàm *Antoninorum* ſæculo dignus habitus fuerit, in aliis tamen ſtylo ejus multò gravioribus cenſuram vitare non poteſt. Errorum plurimorum in rebus *Judæos* ſpectantibus eum convicit *Pererius*, *Commentariis* ſuis in *Danielem* cap. 4°. *Vopiſcus* eum *Hiſtoricis* illis annumerat qui mendacium vitare non potuerunt; ſed leviſſima inde fit accuſatio illa, quòd illum *Tito Livio*, *Salluſtio* & *Tacito* conſociaverit. Id in quo excuſari nequit *Chronologiam* ſpectat, in qua tam craſsè hallucinatus eſt, ut quiſque ſedulò cavere debeat, ne illum ſemper ſequatur. Eò autem graviores cenſentur illius lapſus, quòd *Trogi Pompeii* fama, ejuſque apud *Veteres* omnes exiſtimatio, hanc opinionem inducant quòd hujuſmodi errores circa temporum ſeriem *Apographo* non autem *Autographo*, ſeu *Epitomatori* potiùs quam Authori primitivo ſint aſcribendi. *Franc. Mothæus* le *Vayer*. Gall.

Extat *Juſtini* Epitome Hiſtorica ex *Trogi Pompeii* libris, cum obſervationibus *Matthiæ Berneggeri*, ſæpiùs Typis excuſa, noviſſime Anno 1666. in 8°. *Argentorati* impreſſa.

Prodiit itidem cum Notis variorum accurante *Schrevelio* in 8°. *Amſtelod.* 1669.

CLAUDIUS GALENUS.

Medicus Excellentiſſimus, ex *Pergamo Aſiæ* urbe; Floruit *Trajani* ævo, uſque ad *Antoninum Pium*, *Athenis* & *Romæ*. Claruit A.D. CXLIII.

Hic cunctis Philoſophis & Philologis utilis, loquitur ubique puro, eleganti, ſimplici, & nunquam affectato ſermone, non ſine magnâ vocum & ſententiarum ſupellectile: adeo ut nullâ ſatietate lectorem offendat: ſed ubique progrediendi cupidum, rhetorico artificio demulceat; homo ad eloquentiam factus. In hoc præcepta quædam Philoſophica rara & eximia, magiſque illuſtria quàm apud ullum alium ſcriptorem invenias. Nihil obtrudit lectori quod non firmis rationibus demonſtret, ac ejus contrarium refutet; qui moralia habet perpulchra affectibus moderandis. Ambitionem & avaritiam præcipuè inſectatur, & de qualibet re doctè atque eleganter diſſerit. Nullis non ad ingenii cultum ejus lectio utilis. *Heurn.* in Diſſertat. de ſtud. Medic.

Claudius Galenus, alterum ab ipſo *Hippocrate* Medicorum decus, & quaſi lumen aliquod Artis Medicæ, qui univerſam Medicinam veterem *Hippocraticâ* brevitate obſcuram & Demonſtrationum firmamentis orbam, mirâ ingenii ſolertiâ, arduâ ſcribendi libertate, ingenuo ac venuſto in capita certa ordine diſpoſuit atque digeſſit, & adeò purè, eleganter, copiosè & doctè omnia propoſuit, rationibus ſtabilivit, eadem expolivit, locupletavit, atque perfecit, ut eum artem hanc primò inſtituiſſe ac genuiſſe ſit dicendum. *Ioan. Andr. Quenſt.* de viris Doctrinâ Illuſtr.

Digitized by Google

Alexand. Trallianus Galenum non niſi cum *Epitheto* & cognomine *Diviniſſimum* vocat, teſte *Zacuto Luſitano*.

Franciſc. Valeriola l. 1. Loc. Comm. c. 1. ipſum *Heroa* potius ac *Dæmonem*, quàm *Hominem* appellandum cenſet.

Hoc nemo plura, ac majori undique doctrinâ ſcripſit: ut de eo ſatius ſit tacere, quàm plura addere. *Voſſ.* de Philoſoph. c.12. Sect.19.

Galenus Criticorum non minùs, quàm Medicorum princeps. *Caſaub.* in *Athenæum* ad Lectorem.

Medicorum ex primo primus. *Dempſter.*

Pontifex Maximus Medicorum. *Scalig.* ex. 61.

Mare eruditionis, Oceanus diſciplinarum, omnium ingenuarum Artium promus condus, & quaſi Bibliotheca quædam eſt *Galenus*, è quo Medici cùm omnia hauſerunt, nihilo tamen minus Criticorum induſtriæ relinquunt. *Heinſ.* Orat.III. pro Biblioth. mun. grat. act. pag.31.

Philoſophus & Medicus ſingularis, cujus ſcientiſſima & plurima extant ingenii Monumenta, quæ genuinam ſapiunt eruditionem: memoriæ proditur à nonnullis, cibi & potûs abſtinentiâ centum & quadraginta annos vitam protelâſſe, & odorificum ſemper anhelitum ſpirâſſe. Unde adagium, ut *Galeni* valetudinem dicamus pro eâ, quæ ultra humanum captum nimis ſit proſpera, nimiſque inoffenſa. *Cæl. Rhodigin.* lib.10. cap.12.

Ejus libros de *Uſu Partium* auro inſcribendos ait Cornel. Martini in Compend. Theol. pag. 224.

Galenus inter duodecim ſubtiliſſima orbis ingenia meruit locum, teſtante *Hieronymo Cardano*, qui de eo judicat hiſce verbis: Undecimus ſubtilitate, *ſed* clariſſimus arte *Galenus*, Methodis, pulſibus, atque diſſectionibus: ſed adeo verboſus, & ſtudio contradicendi tædulus, ut alterum vix ferre queas; in reliquo gravis jactura Artium poſita eſt, quam noſtræ ætatis viri reſtituere conati ſunt. *Cardan.* de ſubtilitat. l. 16.

Qui *Hippocrati Galenum* parem eſſe putant, neutrum eorum ſe intelligere eâ confeſſione fatentur. Multo enim plus *Hippocrates* à *Galeno* diſtat, quàm *Galenus* à puerulo quovis. *Idem* ibid.

Fuſus eſt *Galenus*, & plenus verborum, nempe *Aſianus*, ſed bonorum atque elegantium. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl.

Galeni liber de ſectis *Medicorum* aliis omnibus ejus libris anteponendus, teſtante *Photio*: Illud clarum, inquit, opus hoc inter cætera artis Medicæ ſcripta omnibus præferri oportere. Siquidem diſcere convenit, quæ ſecta inter omnes optima ſit, ut eam deinde ſecteris. Videtur autem non propriè Medicus habendus liber hic, ſed proœmii vicem præbere, atque ad Philoſophiam potiùs pertinere. Certum item illud ad dictionem quod attinet, atque compoſitionem, purum eum eſſe ac venuſtum. Harum enim ubique formarum ſtudioſus imprimis *Galenus* extitit, tametſi in pleriſque ſcriptis intempeſtivis ſuis ſermonibus ac digreſſionibus, prælongiſque periodis non ſine moleſtiâ libros commiſceat, dictorum ſenſum obſcuret, & orationis ſeriem quodammodo abrumpat,

lectorem

Digitized by Google

lectorem etiam ipſum longioribus hiſce deliramentis in negligentiam abducens: quibus ſaltem vitiis vacat hoc de *Sectis Opus. Phot.* in Biblioth.

Malè quidam cum *Chriſto* coævum faciunt, & cum *Magdalenâ* collocutum eſſe tradunt, quos rectè *Glycas* l.3.*Annal.*p.323. & *Ioh. Tzetzes* in *Chiliad.* p. 223. redarguunt. Vixiſſe à quibuſdam ſcribitur annos centum & quadraginta; *Hofmannus* verò refert obiiſſe Anno Dom. 140. ætat. 70. *Judæorum* & *Chriſtianorum* hoſtem profeſſum vocat idem *Hofman.* in *Lexico.*

Galenum vocari ἄθεον miror, virum tam aſſiduum in *Dei* ſapientiâ prædicandâ. Ego illum eo maximè nomine dignum laude & æternâ prædicatione ſemper judicavi. *Caſaub.* Epiſt. *Dan. Tileno.*

Galenus inter Medicos eloquentiſſimus, inter eloquentes Medicus acutiſſimus, inter utroſque diligentiſſimus, inter omnes denique maximus. *Geſner.* præfat. ad *Galeni* Op.

Illud verò ambobus (*Hippocrati* & *Galeno*) æternam laudem conciliat, quòd unâ alterâque *Sæculorum* decade inferiores, illos præ cæteris, ubi non rectè valemus, conſultores auxiliatoreſque non illubenter admittimus---*Galenum* verò peritiâ vix quiſquam ſuperavit. Denique ſemper ſummo ſtudio in curando ſimul & præſagiendo ſeſe exercuit, tantumque profecit, ut aliqui eum *Vatem* eſſe dicerent, tanquam *divinatrice* arte, non *Medicina* ſcientiâ futura prædiceret. *Ioan. Weſterburg.* in literis *Ioan. Beverovic.*

Averroes in *Sectionibus Collectaneorum*, *Galenum* omnibus Medicis anteferre non dubitavit.

Hic eſt ille *Claudius Galenus Pergamo* ex *Aſiâ* oriundus, maximus vir medendique artis quaſi quoddam *Numen.* Quanquam enim ſolus ille, non omnia perfecerit, neque etiam unus ſit imitandus; ita tamen cæteros præceſſit, ut nullus ſit hactenus inventus, qui tanto ſtudio & induſtriâ *Dogmaticam* hanc *Artem* excoluerit. Ipſe quidem nulli uni Dogmaticæ ſectæ fuit addictus, nihilominus tamen maximè *Hippocratem* ſectari videri voluit, cujus etiam ſummum egit enarratorem. Licet verò ita talis haberi voluerit, fatendum tamen in pluribus eum non videri *Hippocraticum*, utpote qui interdum plurimùm à Dogmatibus *Hippocratis* abeat, nunc apertè, nunc clanculum. Nec enim quæ ille *Hippocrati* tribuit, genuina ſemper ſunt *Hippocratis* placita, ſed ſæpè ipſiuſmet *Galeni Hippocratico* nomine tantùm, majoris auctoritatis captandæ cauſa, fucata. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in Artem Med. p. 36.37.

* Caſparis *Hofmani* Commentarii in *Galeni* librum 17. *De uſu partium Corporis Humani*, prohibentur in Decreto 4. Febr. 1627. *Index Romæ* Impreſſus An. 1664. juſſu *Alexandri* 7. Pont. Max.

Opera *Galeni* omnia *Græcè* extant *Baſileæ* Tom. 5. An. 1538. apud *Andr. Cratandrum* in Fol. Eadem *Latinè* in 7. Tom. diſtincta *Venetiis* 1625. in Fol. Haſce editiones veluti præſtantiores commendat *Boeclerus* commentatione poſthumâ de ſcriptor. Græcis ac Latinis p. 58.

Digitized by Google

ARRIANUS.

Clar. Ann. D. CXLVII.

NIcomedienſis, *Epicteti* diſcipulus, *Hadriani* & *Antonini Pii* ac *Marci Antonini* Imperatorum temporibus vivens, ad *Conſularem* tandem dignitatem, poſtquam alios in Republicâ magiſtratus geſſiſſet, evectus, excellentiſſimi Philoſophi, inſignis Hiſtorici, præſtantiſſimi (ut quidam arbitrantur) Jureconſulti, & fortiſſimi Ducis Militaris laudem ſuſtinuit. Quam non immeritò ipſi fuiſſe tributam, operum ejus oſtendunt fragmenta, elegantiâ non magis rerum quàm dulcedine ſermonis (ob quam alter & novus fuit dictus *Xenophon*, memorante *Photio*) quæ ſe commendant. Major autem longè ipſum manebat gloria, ſi ad nos perveniſſent à *Photio* indicati *Parthicorum* libri ſeptendecim, in quibus bella à *Parthis* & *Romanis* ductu & auſpiciis *Trajani* Imp. geſta deſcripſit: *Bithynicorum* item, in quibus patriæ ſuæ hiſtoriam pertexit;& *Alanicorum* commentarii, quos citat *Photius*: tum vita *Tilliborí* Latronis, à *Luciano* in Pſeudom. ſeu *Alexandro* p. 474. indicata; nec non de rebus *Dionyſii* Syracuſarum Tyranni; & alius de *Timoleontis Corinthii* in *Siciliâ* geſtis, liber *Photio* citatus; & decem de rebus poſt *Alexandrum* geſtis libri. *Acta Erudit.* Anno 1684. p. 122.

Arriani nihil hodie habemus præter libros quatuor de *Diſſertationibus Epicteti*. Item *Periplum*, ſive luſtrationem tum Ponti *Euxini*, tum Ponti *Erythræi*: quod *Hadriano Cæſari* dicavit. Adhæc ſeptem libros De *expeditione Alexandri*: eos ſcripſit exemplo *Xenophontis*, cujus totidem habemus libros de expeditione *Cyri*. In his maximè ſecutum ſe ait *Ptolomæum Lagi*, & *Ariſtobulum Ariſtobuli* filium, quorum uterque ſub *Alexandro* militârat. Superſunt quoque *Indica Arriani*. At planè ratio fugit doctiſſimum *Guil. Stuckium*, cùm opus hoc ait temporum injuriis intercidiſſe. Nam *Indica* nihil aliud ſunt, quàm qui vulgo creditur liber Octavus de expeditione *Alexandri*. Quem ſeorſim à prioribus ſeptem ſcriptum eſſe, cùm ex *Photio* conſtat, tum ex fine ſeptimi de *Alexandro*, ac vel maximè ex *Indicorum*, ſive ut vulgò vocant, libri octavi fine. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Huic auctori adſunt divina ſermonis lumina, puritas, perſpicuitas, & cum ornatu decorum; omnia feliciter, ac velut ſine curâ & arte, licet plurimum artis emineat, repræſentata. Nam & proprietatis *Græcæ* linguæ retinens eſt, & in brevitate apertus nuſquam ordo vocum perturbatus, aut inviſa alieni copia. Jam affectuum morumque imitatio, & illud in apparatu admirandum; quin elegantia, narratio nec extans nec hians; figuræ non affectatæ, non moleſtæ; ſermo cujuſque fortunæ, ætati, aut ingenio mirè conveniens enitet undique. Adeò, ut cùm virtutes omnes *Xenophontis*, quem dulcedine orationis, & quadam vitæ ſimilitudine expreſſit, lectori ſuo præſtet; pures hunc unum à naturâ factum, & velut fato deſtinatum, qui *Græcè* nobis *Alexandrum* exhiberet. *Nic. Blancard.* in Dedicat. præfixâ *Arriano*.

Eſt ſanè ſcriptor hic nemini eorum, qui hiſtoriam optime contexuerunt, poſtponendus: Nam & narrationum brevitate præſtat, & importunis digreſſionibus,

aut

Digitized by Google

aut crebrâ Parentheſi, continentem hiſtoriæ tenorem minimè lædit. Decori inſuper obſervans, novâ orationis compoſitione magis quàm vocabulis uſque eo eſt, planè ut alio nullo modo neque clarior, neque dilucidior fieri narratio poſſit. *Phot.* de libr. decem Arrian. de rebus poſt *Alexand.* geſtis.

Arrianus in Græcos Hiſtoricos tantæ eſt in ſcribendo integritatis, ut φιλαληθὴς, id eſt, veritatis conſectator, ſtudioſuſque ſit vulgò cognominatus, atque ita etiamnum honeſtetur in Libris. *Cal. Rhodigin.* l. 1. Lection, Antiq. c. 22.

Arrianus tanto ſe reliquis Hiſtoricis, qui vitam *Alexandri Magni* ſcripſerant, ſuperiorem putat, quanto reliquis Imperatoribus *Alexander* fuit. Certè *Arrianus* ſummo vir ingenio ſummaque doctrinâ præditus, ut planum ſit ex ejus Commentariis in *Epictetum*: prætereà uſum cum eruditione conjunxit: ac propter ſummam prudentiam ab *Adriano Auguſto* per omnes honorum gradus ad conſulatum florente Republica provectus eſt. Omitto flores *Attici* ſermonis, & eloquentiam, quæ in eo tanta fuit, ut alter *Xenophon* appellaretur. *Bodin.* in Method. Hiſtor. c. 4. pag. 60.

Eſt in manibus etiam *Arriani Epictetus*, liber, ut noſti, verè aureolus, quem Jacobus *Schegkius*, magni apud ſuos nominis homo, ſic *Latinum* fecit, quaſi juraſſet omnia non vertere, ſed pervertere. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. 9. *Thuano.*

Scio non alios è priſcis magis conſentire cum *Chriſtiana* pietate quàm eos qui è *Stoicâ* domo. In quo numero etiam *Arrianus* eſt, qui digeſſit *Græcè* Diſſertationes *Epicteti*, mihi valdè probatas. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 1. Miſcel. Epiſt. 33.

Arrianus unum è pulcherrimis operibus *Antiquitatis* nobis reliquit. *Franc. Mothæus* le *Vayer*. Gall.

* *Ioannis Gulielmi Stuckii* Scholia in *Arriani Periplum Ponti Euxini*, & maris *Erythrei* permittuntur, ſi expurgentur. *Index Madrit.*

Extant *Arriani* libri 4. ſuper diſſertationes *Epicteti græcè* cum interpretatione *Latinâ Hieronymi Wolphii* & annotationibus. *Cantabr.* 8. Ann. 1655.

Libri 8. de expeditionibus & rebus geſtis *Alexandri M.* extant *Græcè* cum verſione *Latinâ Bonaventuræ Vulcanii*: editore *Nicolao Blancardo*, qui recenſuit & libros 8. Animadverſionum adjecit. *Amſtelodami* 8. 1668. *apud Waesbergium.*

ATHENÆUS.

Nαucratita, ætate *Pertinacis* atque *Severi* Impp. vixit. Præter 15. libros Δειπνοσοφιςῶν, etiam librum de Regibus *Syriæ* compoſuit, ceu ipſe liber 5. teſtatur. Ab hoc diverſus eſt *Athenæus*, cujus liber περὶ μηχανημάτων, id eſt, de *Machinis Bellicis* hodieque ſupereſt *Voſſius* libro de *Scient. Mathem.* p. 290. eum *Archimedi Syracuſano* æqualem ſtatuit. Clar. An. D. CLV.

Ex omnibus illis quorum ad nos *Scripta* pervenerunt, nullus eſt, quantum equidem memoriâ repeto, qui à vetuſtate pejus aut crudelius fuerit acceptus, quàm *Naucratita Athenæus*; ſcriptor vere πολυμαθέςατος, vere undecunque doctiſſimus: & ut paucis multa complectamur, *Græcorum Varro*, aut *Plinius*. Hujus igitur tam eruditi Auctoris luculentiſſima *Scripta*, priorum ſeculorum barbaries ita vexavit, ut nondum ſtatuerim magis gaudendumne *Studioſis* fuerit

non

Digitized by Google

non penitùs illa intercidiſſe, an dolendum, quod ſic affecta ad nos ſint tranſmiſſa *Iſaac. Caſaub.* Proleg. in *Athen.*

Quî factum ſit neſcio, quod factum tamen ſcio, ut locis prope infinitis verba *Ariſtotelis* & *Theophraſti* deſcribens *Athenæus* erraverit. Equidem verum cenſeo, hominem eruditiſſimum non ex ipſis Auctoribus, ſed ex ſuis *Adverſariis* & *Eclogis* pleroſque *auctorum* quos laudat locos deſcripſiſſe. *Idem* Animad. in *Athen.* l. 2. c. 20.

Sæpè ſcriptorem hunc peccare graviter, dum ſuorum excerptorum fidem ſequitur, neque ad fontes ipſos abit, multis locis probatum nobis ſatis ſuperque. *Idem* ibid. *l.* 5. c. 15.

Maximos ingenii doctrinæque ſuæ fructus percipit à poſteritate quindecim libris Δειπνοσοφιστῶν: quorum & excerpta ſuperſunt, ſive, ut mutilator ipſe appellavit, παρεκβολαί. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. l. 2.

Quindecim *Athenæi Deipnoſophiſtarum* libri innumeris indagationibus curioſis & jucundis referti ſunt, ſi licentiores illæ 13. libri excipiantur. *Erudit. Ephemerid.* Gall. 20. Maii 1680.

Apud Athenæum intereſſe licet præclaro cuidam non multorum dierum, ſed multorum librorum convivio, in quo *Philoſophi* convivantur, vel potius philoſophantur *convivæ*: Quos quidem convivas ſive hoſpites, multi joci, multæque curioſitatis, non multi cibi reperias, omnia jucundè, plurima abſconditè diſſerentes Acutæ interrogationes, feſtiva reſponſa, diſputationes eruditæ. Fercula ipſa materiam præbent Colloquiis mutuis. Utrumque ſcriptoris narratio complectitur: adeoque res prope tota geritur Sermone. Qui ſermo non bellaria, ut fieri ſolet, aut condimentum ſolummodo videri debet, ſed caput omnino, aut fundus & fundamentum Cœnæ. Verùm quid facias? deeſt huic *convivio* extructiſque menſis, lepidorum noſtratium pulpamentum, *Ludicra* dictio. *Franc. Vavaſſ.* de *Ludicr. dict.* p. 267. 268.

Athenæus, Naucratica Grammaticus, tempore *M. Aurelii*, librum *Deipnoſophiſtarum* compoſuit, varium opus, & eruditum, ut *Plinius* alter *Græcus* ferè dici poſſit: quod ad nos ſanè haud integrum pervenit, ejus Epitome ab *Hermolao Byzantino* tantùm relicta. *Hofmann.*

Athenæi Deipnoſophiſticων ſive Sermonum Convivalium Libri 15. prodierunt *Græcè* & *Latinè* ex recenſione & emendatione *Iſaaci Caſauboni*: verſio eſt *Iacobi Dalechampii*, cujus quoque notæ accedunt, apud *Commelinum* 1611. Fol. Commentarius verò ejuſdem *Caſauboni* in *Athenæum* prodiit *Lugduni* apud Viduam *Antonii* de *Harſy* & *Petrum Ravaud*. Fol. An. 1621.

HERMOGENES.

Glar. A. D. CLVI.

T*Arenſis*, ſophiſta, ſub *Antonino Pio* Imp. inclareſcere cœpit Eum 16. annos natum *Marcus* Imperator docentem audivit. *Ætate* provectior artis ſuæ oblitus eſt: unde *Antiochus* ſophiſta dicebat: *Hermogenes inter pueros ſenex, inter ſenes verò puer*. Reliquit libros 2. de Ideis, doctos & tanto *Rhetore* dignos. *Konig.* Biblioth.

Nunc

Digitized by Google

Nunc videamus, quid ſuper *characterum* numero, & illis, quæ conſiderari in iis debent, ſenſerit ſcripſeritque is, qui ſi *nomen* ſpectes, patrem merito vocet ipſum *eloquentiæ* præſidem *Mercurium*. *Hermogenes*, dico, qui *Idearum* doctrinam duobus complexus eſt libris, doctis profectò, & tanto *Rhetore* dignis, utut eos videatur exiguo temporis ſpatio conſcripſiſſe. *Voſſ.* Inſtitut. Orator. lib. 6. pagin. 487.

Ingeniorum illud præcox genus non temere unquam pervenire ad frugem, dictum eſt à graviſſimis auctoribus. Id ſi aliàs unquam, in *Hermogene* deprehenſum maximè eſt. Cui vix dum pubeſcenti vim ingenii miram & doctrinam minus pervulgatam neque ex *trivio* (quod aiunt) *naturæ indagini* adnexa curioſiori ingeſſit, adeo ut natus annos duodevigenti *artem* concinnarit *Rhetoricam*, quæ non citra admirationem omnium atteritur manibus. Nec indignum putarit Philoſophus *Muſonius* Declamantem præſentiâ honeſtare. Immò verò nec *Marcus* Imperator, ad quem extant verba illa; ſicuti auctor Philoſtratus eſt: *Venio, inquit, ad Te, Imperator pædagogo indigens Rhetor, quem etiamnum ætas moratur.* Quo nomine à *Marco* munificè dimiſſus eſt. Cæterùm ipſe hic ingenioſus adeo, & ultra ætatem Diſciplinis imbutus expolituſque agens quartum & viceſimum annum mente lapſus eſt, nullâ evidenti causâ. *Rhodigin.* lect. Antiq. l. 21. c. 6.

Hermogeni in *Rhetorum* claſſe poſt *Ariſtotelem* princeps locus jure merito debetur, quippe qui ipſi *Ariſtoteli* palmam facere videtur dubiam. *Quenſtdt.* de Vir. Doctrina illuſtr.

Hermogenes Rhetor egregius dicitur *Lilio Gyraldo*.

Hermogenis ars oratoria prodiit *Græcè* cum Verſione & Commentariis *Gaſp. Laurentii Genevæ* 8. Anno 1614.

M. AURELIUS ANTONINUS.

EO pervenit eruditionis, conſtantiſſimus Philoſophiæ cultor, ut ſuo merito à Poſteritate dictus fuerit cognomine *Philoſophus*. Deceſſit. An. Chr. 180. anno ætatis 59. imperii 19. Librum de vitâ ſuâ ſcripſit. *Hank.* Clar. Anno D. CLXI.

Imperator optimus, atque idem Philoſophus tantus, ut hoc meruerit proprium cognomen. Duodecim conſcripſit de officio ſuo libros, maximæ pietatis, humanitatis, temperantiæ, eruditionis, aliarum rerum præclararum teſtes pleniſſimos: & cum quibus multorum operoſa præcepta collata, meritò ſordere poſſint *Gul. Canter.* l. 7. Novar. Lect. c. 1.

Omnium ſapientiſſimus atque doctiſſimus *M. Antoninus*, quem propter aſſiduam operam ſtudiis navatam, vulgò Hiſtorici *Philoſophum* cognominant, in libris aureis de vitâ ſuâ. *Iſaac Caſaub.* ad *Henr.* 4. *Franc.* Reg. Epiſt. quam *Polyb.* præmiſit.

Videtur autem ſummus omnis memoriæ Imperator omnia Hominis, Principis, & Philoſophi ſua officia Monita, rationes, his libris complexus; nec magnopere tamen ordini etiam ſtuduiſſe, aut eloquentiæ. *Gaſp. Barth.* Adverſar.

 l. 51.

Digitized by Google

l. 51. p. 2412. Pulcherrimè *Marcus Antoninus* Imp. l. 12. de vitâ ſuâ; qui libelli reverâ omnis humanæ ſapientiæ ſunt apex & ſumma. *Idem* ibid. l. 60. cap. 8. pag. 2899.

Quem facilius eſt tacitè admirari, quàm laudare, quòd oratio nulla hujus viri virtutibus exæquari poſſit. Cùm enim à primâ ætate conſtantem, & quietam vitam ſibi ſequendam propoſuiſſet, neque propter metum, neque propter voluptatem aut lætitiam, vultu mutato unquam eſt conſpectus: Philoſophos autem Stoicos laudat. Fuit autem illorum imitator, non ſolùm vitæ inſtituto, ſed etiam diſciplinarum ſtudio. *Suid.*

Ejus certè librum *Græcè* ſcriptum legi, cujus titulus, Μάρκου Ἀντωνίνου τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν, ex quo variam & multiplicem illius ſapientiam facilè colligere poſſumus. Fuit hic unus inter *Cæſares* omnes æquiſſimus ac optimus. *Lil. Gyrald.* De Poët. dial. 5. p. 203.

Antoninus tantum enituit in *Philoſophia*, ut iturus ad bellum *Marcomanicum*, timentibus cunctis ne quid fatale proveniret, rogatus ſit, non adulatione ſed ſeriò, ut præcepta *Philoſophiæ* ederet. *Vulcat. Gallican.* in *Avidio Caſſio.*

Opus hoc erutum è Palatinâ Bibliothecâ primus in lucem emiſit *Conradus Geſnerus*: Latinè vertit *Gul. Xylander*: ejus poſtea tranſlationem ad incudem vocavit vir clariſſimus *Mericus Caſaubonus*, *Iſaaci* filius, eruditas prætereà notas, & emendationes addidit. Poſteà verò recenſuit, ac perpetuo commentario illuſtravit *Thomas Gatakerus*, vir κελτικώτατος *Cantabrig.* Anno *Dom.* 1652.

Vita illa *M. Aurelii Antonini*, quæ ab *Antonino Guevarâ*, *Mendonensi* Epiſcopo, & *Cæſari Carolo* 5. à conſiliis, *Hiſpanice* edita eſt, eâque è lingua in alias permultas tranſlata fuit, nihil *Antonini* habet; ſed tota eſt ſuppoſititia, at genuinus *Guevar* ipſius fœtus; qui turpiter os oblevit lectori, planè contra officium hominis candidi, maximè Epiſcopi. Habet interim plurima lectu nec injucunda: imprimis viro Principi: unde & *Horologium Principum* inſcribitur. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

LUCIUS APULEIUS.

Clar. Anno D. CLXII.

M*Adaurenſis* Platonicus Philoſophus, ſub *Antoninis* Impp. *Marco* & *Philoſopho* floruit. *Scripſit* 11. libros *Mileſiarum*, ſive de Aſino Aureo: quod opus ex *Luciano* expreſſit----Quæſtiones convivales-----librum de Proverbiis-----Epitomen Hiſtoriarum----Libros Ludicrorum: aliaque quæ partim à *Servio*, *Nonio*, ac *Fulgentio* commemorantur.

Barthius in Notis majoribus ad *Claudianum* p. 1259. *Apuleium* vocat ſcriptorem unum omnium maximè proprietatis amantem, & veteris Latinitatis, ſuprà quàm vulgò credatur, conſervatorem.

In utraque linguâ, Græcâ ſcilicet & Latinâ, nobilis extat *Apuleius* Afer, vir Magnus imprimis, & qui venuſtate morum & dicendi copiâ *Socraticum* fontem & torren-

Digitized by Google

& torrentem *Platonicum* facile redoleat vel tenuiter ſapienti. ***Ioann. Sariſberien.*** lib. 7. cap. 6.

Sacerdotem arcanæ ſapientiæ *Auſoniâ* nutritum *Sirene* prædicat Epigramma Græc. 59. l. 5. *Anthol.*

Proprietatis latinæ Scriptor optimus. *Barth.* lib. 55. Adverſ. cap. 2.

Mirifico acumine diſertiſſimus Auctor. *Idem* lib. 44. cap. 25.

Auctor cautæ lectionis & periculoſæ imitationis. *Cauſſin.*

Ineptâ dictione, rebus eruditus. *Dempſter.* in *Roſino.*

Vir in omni parte Philoſophiæ verſatiſſimus. *Schoöck.* in fab. Hæmel. pagina 27.

Omnigenæ vir Eloquentiæ. *Volateran.* lib. 13.

In verbis novus, in ſententiis creber, in inventione acutus, in tranſlationibus audax, in elocutione varius. *Idem ibid.*

Stylum ejus ineptum eſſe volunt: fatebor in parte (nec enim aſperitatem illam & horrorem quæſitæ dictionis uſquequaque excuſo) ſed tamen doctè ineptum, & è quo multa bona ſelectaque hauriat bonæ ſelectæque mentis lector. *Lipſ.* lib. 11. Elect. cap. 2.

Cujus Phraſis doctè inepta eſt----- *Apuleium* ſane ſcriptorem doctiſſimum, nimio *Epithetorum* uſu peccare, non vulgus modò, ad cujus palatum is nihil ſapit, ſed eruditi quoque confitentur----- Neque ſolùm voces è tribus aut pluribus compoſitas vitabit orator; ſed nec eas, quæ grandioris ſunt ſoni, cum laude uſurpabit, niſi veniam petat pudentem. Delinquunt hac in parte vegrandis & affectatæ eloquentiæ ſcriptores, quos inter ducit familiam *Apuleius. Voſſ.* part. 2. Orator. Inſtitut. p. 13. 246. 450.

Apuleius non omnino malus auctor, & antiquarum vocum uſurpator. *Turneb.* Adverſar. l. 18. c. 14.

Apuleius interdum non malus Auctor, præſertim cum laſciviæ ingenii non indulget, neque ludum ſibi permittit. *Idem* l. 29. c. 13.

Apuleius in *Aſino* planè rudit. In aliis ſonat hominem, niſi quòd Florida ſint ridicula, ſed excuſat ea Inſcriptio. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 3.

Librum ejus de *aureo Aſino* ex *Græco Aſino Luciani* deſcripſit, orationis genere tali, ut rudere veriùs quàm loqui, ibi *Apuleius* viris eruditis videatur. *Neand. Geograph.* part. 3.

Ego verò *Apuleii* lectionem abhorrendam non cenſeo, quidquid iſti de *Arpinati* Scholâ inveſtes pueri dicant: tumidus fortaſſe, vegrandis, & affectatæ elegantiæ ſcriptor eſt: at certè doctus literas & mores veteres, & in ſermone ipſo *Plauti* inprimis imitator. Itaque ille neſcio quis Rhetoriſta, qui *rudere* illum dixit, non loqui: probet prius de *Plauto*, & credam de *Apuleio Lipſ.* l. 2. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 22.

Et quis non rideat, immò ringatur veriùs, ſuper ſtolidiſſimo illo vulgi de *Apuleio* judicio? Aiunt eum *rudere*, quàm *loqui*, maluiſſe. Dii Deæque, & quò non evadet denique projectiſſima illa hominum audacia! Tot jam & ſæpè unicis doctiſſimorum virorum, adde, ſi ita vis, *Ciceronianorum*, elogiis conde-

Digitized by Google

coratum facetum illum *Mileſiarum* ſcriptorem etiamnum rudere? Sed quoniam nequicquam inveteratum, & jam olim radices agentem errorem hunc ex animis vulgi expectoratum imus, feramus ſanè, quæ mutare nefas: illud interim profeſſi, malle nos illum *rudentem* ſæpe, quàm hos *loquentes* ſive *latrantes* audire. *Gaſp. Sciopp.* l. 1. ſuſpect. Lection. Epiſt. 4.

Id opus de *Aureo Aſino* ſic latinum fecit *Apuleius*, ut ad verbum expreſſerit plurima, additis pleriſque quo jucundior eſſet Lectio iis, qui *Mileſiis* fabulis delectantur, & condivit ſuâ illâ partim antiquariâ, partim nimis audaciter novatâ dictione rem alioqui futuram ſubinſulſam, atque ſubfatuam. At nunc juvat legere, quia Phraſi illâ complura dixit, quæ nec appoſitiùs dici nec majore cum gratiâ poterant: quem nonnulli quum imitari conentur, in ridiculas ineptias incidunt. Puto enim gratiam illam eſſe propè inimitabilem. *Lud. Viv. in Auguſtin.* de *Civit. Dei*, l. 18. c. 18.

Apuleius de Magicis artibus accuſatus eſt apud *Claudium Maximum*, *Africæ* Præfectum, non *chriſtianum.* Extant *Apologiæ* duæ *Apuleii* de Magiâ, in quibus exuit nimiam illam ſermonis laſciviam, & antiquaria & audaciter innovata verba: accommodavitque ſe forenſi dicendi generi, ſed ita tamen, ut, neſcio quo pacto, *Apuleium* internoſcas temporariâ perſonâ contectum. *Lud. Viv.* ibid. l. 8. c. 19.

Caſſiodorus autor eſt, eum primùm *Arithmeticam* Latinis literis illuſtraſſe. Profeſſus eſt *Carthagine*, ubi publicè ei ſtatua poſita.

* Caſtigationes *Iſaaci Caſauboni* in *Apuleii Apologiam*, inter libros expurgandos locum habent; in Indice Madrit. Edit. An. 1667.

Apuleius librum ſuum de *Salutaribus Remediis* ex *Plinio* totum compilavit. *Ioan. Budeus* à Stap. in libr. 1. c. 9. *Theophraſt.* de *Plant.*

Quem locum [in libro *De Mundo* ab *Apuleio* verſo, qui *Ariſtoteli* falsò tribuitur] valdè indiligenter atque imperitè vertit *Apuleius*, æque ac totum librum; cui ſe, fœdo ac miſerabili plagio, non *Interpretem*, ſed *Autorem* inſcripſit, atque multis etiam doctiſſimis viris, quanquam in re manifeſtiſſimâ, impoſuit. *Arnold. Boot.* in l. 2. c. 5. Animadverſ. ſacrar. ad Text. Hebraic. vet. Teſtam.

Apuleii Apologia prodiit ſeorſim cum obſerv. *Ioann. Meurſii*, *Lugduni Bat.* 1607. Eadem cum Notis *Joan. Pricæi* Pariſiis 4°. Anno 1635. Eadem cum Notis *Iſaaci Caſauboni* 4. 1594.

Prodierunt de *Aureo Aſino* libri cum animadverſ. *Ioann. Pricæi* 8°. 1650. *Goudæ*

LUCIANUS.

Clar. An. D. CLXX.

SAmoſatenſis, genere humili. Cùm ad artificium quoddam mechanicum adhibendus; nil proficeret, ſtudia amplexus eſt ſomnio monitus: & quidem forenſes rixas ſibi ingratas deprehendens, ad Philoſophiam ſe applicuit, *Declamator*

mator inſignis. Sub *Marco Aurelio* magni nominis, & *Ægyptiis* reditibus præpoſitus. Scriptor præſtantiſſimus & facetiſſimus, primùm *Chriſtianus*, deinum fidei deſertor, ſed tandem ſuæ improbitatis luit pœnas graviſſimas, nam à canibus devoratus miſerè interiit. *Hieronym.* in catalog. & *Hofmann.* in Lexic.

Scripſit Dialogos ---- vitam Demonactis ---- librum de Longævis, &c. *Billius* eidem Epiſtolas, quæ *Phalaridis* nomine circumferuntur, adſcribit.

Fuit huic *Lucianus Samoſatenus homo Atheus*, quippè qui promiſcuè riſit omnem religionem; Gentilium *Deos* magnâ libertate exſibilavit & laceravit, ipſique *Chriſto* mundi ſervatori maledixit, & conviciatus eſt, nominans eum *Sophiſtam* de palo ſuſpenſum (ſit venia blaſphemiam repetenti!) unde & *Blaſphemi* ſive *Dyſphemi*, id eſt, maledici & inauſpicati, vel potius impii cognomen ſibi diabolicis ſuis calumniis acquiſivit. Simplicitatem doctrinæ cœleſtis riſit hac voce, quam ſæpè contra pios uſurpavit, *omnis doctrina, omnis ſapientia veſtra eſt, Crede. Ioan. Andr. Quenſtedt.*

Lucianus hominum & Deorum ſubſannator ---- Peſſimè *Lucianus Samoſatenus* ſophiſta, qui adimens hominibus veterem ac receptam religionem, non ſaltem reponebat novam aliquam. Quòd irrideret antiquas dementias ac inſanias, rectè id quidem: ſed alia debebat ſubſtituere potiora. Sublatis enim prorſus religionibus, quid aliud quàm hominem ſine humanitate relinqueba t *Lud. Viv.* de veritat. Fid. *Chriſtian.* l. 2. p. 126.

Deorum Hominumque Irriſor. *Barth. in Rutil.* pag. 117.

Lucianus nec *diis* nec hominibus pepercit. *Lactant.* de falsâ Relig. cap. 9.

Lucianus, ingenioſus & dicacitati adeò devotus ſcriptor, ut contra omnium *Deorum hominumque* fidem ſuis ſtrophis ſe ſtare poſſe exiſtimet. *Barth.* Adv. l. 2. cap. 8.

Lucianus Samoſatenſis metuo ne haud ſatis juſtâ de causâ ἄθεος apud *Chriſtianos* audiat. Scio *Suidam* tradere eum ita appellatum, quòd in *Chriſtum* debacchetur; verùm nuſquam in eum maledicus invenitur, præterquam in Perſonâ *Peregrini*, ubi *Chriſtum* appellat *Sophiſtam*, quæ vox non ſolùm *Impoſtorem* ſignificat, ſed etiam in bonam partem ſumitur. *Chriſtiani* verò vocem illam æſtimarunt, quaſi ex *Luciani*, non ex *Philoſophi* in quo τὸ πρέπον ſervandum erat, perſonâ dictum fuerit. Non tamen rectè ſcenæ ſervitur, cum de *Deo* agitur; eôque culpâ *Lucianus* haud planè vacat. *Gerard. Voſſ.* de Philoſoph. Sect. p. 57.

Omne tulit punctum (ut ſcripſit *Flaccus*) *qui miſcuit utile dulci.* Quod quidem aut nemo, meâ ſententiâ, aut noſter *Lucianus* eſt aſſecutus; qui priſcæ comœdiæ dicacitatem, ſed citra petulantiam referens, *Deum* immortalem, quâ vafricie, quo lepôre perſtringit omnia, quo naſo cuncta ſuſpendit, quàm omnia miro ſale perfricat, nihil vel obiter attingens, quod non aliquo feriat ſcommate, præcipuè *Philoſophis* infeſtus, atque inter hos *Pythagoricis* potiſſimùm, ac *Platonicis* ob præſtigias! *Stoicis* item propter intolerandum ſupercilium, hos punctim, ac cæſim, hos omni telorum genere petit; idque jure optimo: Quid enim odioſius, quid minus ferendum, quàm improbitas virtutis profeſſione

 perſonata?

perſonata? Hinc illi *Blaſphemi*; hoc eſt, maledici vocabulum addidere; ſed hi nimirum, quorum ulcera tetigerat *Eraſm.* Epiſt. lib. 29. Epiſt 5. In *Luciani* Somn.

Tantum obtinet in dicendo gratiæ, tantum in inveniendo felicitatis, tantum in jocando lepôris, in mordendo aceti, ſic titillat alluſionibus, ſic ſeria nugis, nugas ſeriis miſcet: ſic ridens vera dicit, vera dicendo ridet; ſic hominum mores, affectus, ſtudia; quaſi penicillo depingit: neque legenda, ſed plane ſpectanda oculis exponit, ut nulla comœdia, nulla ſatyra cum hujus *Dialogis* conferri debeat ſeu voluptatem ſpectes, ſeu ſpectes utilitatem. *Idem* ibid.

Multa eloquentia & varia eruditio ei ineſt. *Boecler.* de ſcriptor. p.62.

Lucianus feſtiviſſimus & politiſſimus ſcriptor. *Turneb.* Adverſ. p. 542.

Luciani verba ſunt terſa, & *phraſis* dilucida. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcip.

Ad ſtylum quod attinet, longè optimus: dictione uſus ſignificante ac propriâ, quæ efficax dicendi genus decet. Diſtinctionis adhæc, atque puritatis, æquè ut perſpicuitatis, & aptæ magnitudinis, ſiquis alius perſtudioſus eſt. Compoſitionem quoque adeò commodè concinnat, ut lector credat, non ſe orationem legere, ſed jucundum aliquod carmen, ſine manifeſto cantu, audientium auribus inſtillari. *Phot.* cod.128.

Lucianus homo fœdiſſimus, loquentiæ multæ, at ſapientiæ minimæ, *Cel. Rhodig.* l. 9. lec. Antiq. c. 19.

Quid venuſtius dici, aut fingi poteſt? ſed ſolens more ſuo facit *Lucianus.* Neque enim temerè quenquam reperias terſiorem elegantioremque. *Tanaquil. Fab.* in Not. in l. 4. *Phedri*, Fab. 7.

Lucianum à *Menippo* non pauca eſſe mutuatum, & in multis æmulatum *fuiſſe*, non dubito: ſed facies orationis tota diverſa. Quin ipſe gloriatur novum ſcribendi genus ſe inveniſſe: ac ſub comicâ jocoſitate gravitatem Philoſophicam occuluiſſe. *Iſaac. Caſaub.* de Rom. Satyr. l. 2. p. 268.

* *Luciani Samoſatenſis* Dialogi, viz. mors *Pellegrini*, & *Philopatris*, prohibentur in *Indice Romæ* impreſſo Anno 1664. juſſu *Alexand.* 7. Pont. Max.

Opera *Luciani* omnia prodierunt cum Notis *Theod. Marcilii*, *Gilb. Cognati*, & *Ioan. Bourdelotii*, Pariſ. apud *Ludovic. Græc. Lat.* 1615. in Fol.

IRENÆUS.

Claruit A. D. CLXXIX.

L*ugdunenſis* Epiſcopus, *S. Polycarpi* diſcipulus, Anno *Chriſt.* 202. martyrio coronatus eſt. *Scripſit* multa; ſed ad nos non pervenerunt, niſi quinque libri adverſus *Valentinum*, qui pleni ſunt doctrinâ & pietate. Ambigunt nonnulli *Græcène* an *Latinè* ſcripſerit, quoniam non inveniuntur ejus libri, niſi *Latinè* conſcripti, & tamen ipſe natione *Græcus* erat, & Phraſis ejus *Græciſmum* redolet. *S. Hieronymus* eum inter *Græcos ſcriptores* numerat. *Bellarmin.* de Script. Eccleſiaſtic.

Eraſmus verò *Irenæum* Latinè ſcripſiſſe putat, quo nomine vapulat à *Beato Rhenano*, *Ioſepho Scaligero*, aliiſque.

Opera

Opera Irenæi quæ non extant:

Libellus de ſcientia adverſus Gentes---- Demonſtratio Apoſtolicæ Prædicationis, ad *Marcianum* Fratrem----- Liber de Ogdoade-----Epiſtola ad *Blaſtum* de ſchiſmate-----Ad Florinum de Monarchiâ, ſeu, Quòd *Deus* non ſit conditor mali, Epiſtola----Ad *Victorem* Epiſcopum *Romanum* de *Paſchate*, Epiſtola--- Ad varios Epiſcopos de eadem Re----Variorum Tractatuum liber. *Gul. Cave.*

Apoſtolicorum temporum vir. *Hieronym.*

Doctrinarum omnium accuratiſſimus explorator. *Tertullian.* adverſus *Valentin.* c. 5.

Irenæus in modici temporis ſpatio prædicatione ſuâ maximè, in integrum Civitatem reddidit *Chriſtianam*, inconcuſſumque annis circiter triginta Eccleſiaſtici regiminis clavum tenuit. *Blondel.* Apolog. de *Epiſcop.* & *Presbyt.*

Ephiphanius eum Apoſtolorum ſucceſſorem, priſcumque Theologum nominat.

Magnus ille *Eccleſiæ* propugnator, ac pro ſui nominis augurio *Pacis Eccleſiaſticæ Vindex Irenæus.* Nam Εἰρήνη *Græcis pacem* ſonat. Spirant illius *Scripta.* priſcum illum *Evangelii* vigorem, ac Phraſis arguit pectus *Martyrio* paratum. Habent enim *Martyres* ſuam quandam dictionem ſeriam, fortem, ac maſculam. Eloquentiæ nec ſtudioſum nec peritum ſeſe fatetur ipſe præfans in primum librum. Ejus ſermo fuit dilucidus, digeſtus, ac ſibi cohærens. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. Epiſt. 5.

Irenæi varia ſcripta, & Epiſtolæ circumferuntur, etſi in aliquibus Eccleſiaſticorum dogmatum certa veritas ſpuriis rationibus fucari videtur, quæ obſervaſſe convenit. *Phot.* in Bibliothec.

Eruditiſſimum opus ſcripſit *Irenæus* in quinque libros digeſtum, contra *Valentinum*, in quibus mire retegit & confutat veterum *Hæreſeon* impias ac portentoſas opiniones, *Geſner.* in Bibliothec.

Quæ apud *Epiphanium* extant, Fragmenta, rerum prætereà ipſius *Irenæi* geſtarum apud *Euſebium* Hiſtoria, ſatis convincunt, & hominem *Græcum* fuiſſe, & Græcè ſcripſiſſe. Neque dubitandum. *Ioſeph. Scalig.* in Epiſt. 239.

In ea ſententia videtur fuiſſe *Irenæus* æquè ac *Iuſtinus* quòd animæ ex *Gratiâ* immortales demum ſint, & quòd illæ impiorum exiſtere ſint ceſſaturæ poſtquam diu cruciatæ fuerint. Aliam adhuc ſibi propriam opinionem habet, quod animæ Corporum ſuorum figuram accipiant; ſed *figura* Vox de qualitate quadam peculiari animæ intelligi poteſt. Circa animarum à corpore ſeparatarum ſtatum, ſenſit illas in viſibili quodam loco ſtatui ubi corporum reſurrectionem præſtolabantur; *Iuſtos* autem poſtquam mille annos cum *Ieſu Chriſto* in terris regnaverint ſenſuumque Voluptatibus indulſerint, Cœlum ingreſſuros ad æternam fœlicitatem poſſidendam. Credidit etiam *Ieſum Chriſtum* ad *Inferos* deſcendiſſe, ut ibi *Fidem Patriarchis* & veteribus *Iuſtis* cùm *Iudæis* tum *Gentilibus prædicaret*, eoſque qui ejus prædicationi crediderant de *Sanctorum* numero futuros eſſe. Quaſdam præterea ſingulares alias opiniones fovet.

Opinatur

Opinatur verbi gratia quòd *Ieſus Chriſtus* ultra annos quinquaginta in terris vixerit, cenſet illum quà homo eſt judicii ultimi diem ignoraſſe, &c. *S. Juſtini* ſententiam approbat, quòd *Diabolus* ante adventum *Ieſu Chriſti* condemnationis ſuæ neſcius fuerit; Aſſerit Sanctos ſenſim in altera vita notitiam adepturos rerum quarum ignari ſunt dum incipiunt Beatitudine potiri: *Deum* ad *Angelos Enochum* delegaſſe ſibi perſuadet. Ejuſmodi *opiniones* omnibus *Chriſtianiſmi* Veteribus ſunt condonandæ, cum eorum nemo harum ſimilibus non fuerit inquinatus. *Ell.* du *Pin*, Nova Bibl. *Authorum* Eccleſ. Tom. 1. p. 197. 198.

Stylus *S. Irenæi* quantum ex reſiduis ejus fragmentis judicare poſſumus, preſſus eſt, terſus, nervoſus, ſed parum ſublimis, Lectorem erudire magis quàm delectare ſatagit; magis attendit ad illum perſuadendum eis quæ dicit quam modo eadem dicendi. Dubitari non poteſt quin tum in ſacris tum in profanis conſummatæ fuerit eruditionis. In *Poetis* & *Philoſophis* perfecte verſatus erat: *Nullius Hæretici* doctrinam & argumenta ignorabat: *Scripturæ Sacræ* callentiſſimus erat: Innumerorum quæ *Apoſtolorum* diſcipuli viva voce docuerant memoriam habebat; in *Hiſtoria Diſciplinaque Eccleſiaſtica* exercitatiſſimus erat. Idem ibid. p. 199.

Fatendum ſanè eſt, etiam in iis Operibus quæ ſuperſunt, nævos quoſdam ineſſe; qui ſi defendi non poſſunt, merentur excuſari: ex his maximè notari meretur, qui l. 2. adv. Hæreſ. c. 39. 40. reperitur: *Chriſtum* ſcil. non niſi anno ætatis quinquageſimo munus Propheticum aggreſſum eſſe: quique partim ex nimio diſputandi fervore adverſus *Gnoſticos*, qui *Chriſtum* expleto anno ætatis ſuæ triceſimo primo, terris exceſſiſſe voluerunt, oriri potuit; partim ex malè intellecto *S. Ioan.* 8. 57. loco; præſertim accedente traditione quadam falſi, quam à *Papia* magiſtro, aut quovis alio eum accepiſſe non malè forſan credi poſſet. *Phraſes* quæ apud ipſum ſæpius occurrunt, duriuſculæ, & dictiones incommodiores, quæ forſan Interpreti ſatis barbaro ut plurimùm aſcribi debent, notare non eſt opus; ipſe prudens lector facilè animadvertet. *Stylo* uſus eſt admodum ſimplici & inelaborato; nec enim, quod de ſe fatetur Præfat. ad lib. 1. verborum artificium, neque ſermonis vim, nec dictionis ornamentum; nec perſuadendi facultatem oſtendit: utpote quæ nec didicit, nec affectavit. Adde, quod nativam dicendi ſimplicitatem, *Barbarorum*, inter quos degebat, linguam addiſcendo, plurimùm corrupit. *Gul. Cave.* Hiſt. Literar.

Extant *Irenæi* opera adverſus *Gnoſticos*, & alia quædam, *Græc. Lat.* unà cum fragmentis *Græcis*, ex editione *Franc. Fevardentii. Pariſ.* Fol. 1639.

JULIUS POLLUX.

Chr. An. D. CLXXXV. NAucratita, vixit temporibus *Commodi* Imperatoris, cui & *Epithalamium* fecit. Extat ejus *Onomaſticum* ad eundem *Commodum*. Ei quoque alia quædam attribuuntur, & inter alia, fuiſſe librum *De Arcadiâ*, in *Geſneri* Bibliotheca legimus.

Pollucem

Digitized by Google

Pollucem Naucratitem an doctum, an indoctum appellare oporteat, nondum ſatis compertum habeo: ſive quod ineptum fatuumque eſſe videretur, eruditum ſimul & ignarum. At enim vocabula ejus benè dignoſcenti, conſtat ipſum admodum *Attica* Linguâ fuiſſe exercitatum: ei autem qui *Declamandorum* illius genus perſpexerit, nihil melius aliis *Attico* ſermone ſcripſiſſe viſus fuerit. Hæc porrò ſcire de ipſo opus eſt *Pollux* in *Judiciali* genere ſatis exercitatus fuit: quòd cum Patre converſatus eſſet, qui controverſias *forenſes* percalluit. *Sophiſticas* orationes magis audacter quàm artificiosè compoſuit, ſuo fretus ingenio: ſed enim optimâ præditus erat indole. *Philoſtrat.* de Vit. Sophiſt.

Julius Pollux, mille autorum diligentiſſimus, eruditiſſimus, incomparabilis excerptor. *Dempſter.*

Contra de eo pronuntiavit *Athenodorus*, *Julium Pollucem* eſſe veluti *Tantali* hortos, rem videlicet leviculam, & momenti non magni, quæque eſſe aliquid videatur, cùm ſit nihil ferè.

Julius Pollux varietatem & copiam verborum ſuggeret: lectore tamen indiget doctiſſimo: nam innuit magis peritis, quàm docet imperitos. *Lud. Viv.* De Tradend. Diſcipl. l. 3.

Gaudeo ſusceptam à Te *Pollucis* editionem, vir doctiſſime. Neque enim dubito fore utilem *Reipublicæ Litterariæ*, quam in eo poſuiſti, operam. Eſt ſanè *Pollux*, ſi quid judicio, ſcriptor optimus, eruditiſſimus, utiliſſimus: & eo ſeculo, quod tot claros in literis viros tulit, digniſſimus. *Iſaac. Caſaub.* in Epiſt. ad *Wolfgang. Seberum.*

Optandum eſſet ut aliquis eruditus novam *Pollucis* Editionem nobis procuraret: Quamvis enim illa *Seberi* prioribus longè anteponenda ſit, pluribus tamen locis deficiens eſt; Præterquam quòd *Gualteri* Verſio huic addita magni pretii non eſt, ut ipſe in quadam ad *Vulcanium* Epiſtola fatetur. Plura *Pollucis* Manuſcripta in Bibliothecis habemus iis emendatiora & integriora quibus uſus eſt *Seberus Pantinus* in *Apoſtolii Adagia* p. 370. Editionis *Heinſianæ* memorat *Pollucis Manuſcriptum* quod ad *Demetrium Chalcondylam* ſocerum docti *Jani Parrhaſii* pertinuerat. *Caſaubonus* Tractatu ſuo de *Satyric. Græcorum Poeſi* p. 190. loquitur de *Pollucis* quodam *Manuſcripto* quod in Regia Bibliotheca erat. Jeſuita Henſchenius aliud in *Antuerpiana* ſodalium ſui Ordinis Bibliotheca mihi oſtendit. *Voſſius* inter Manuſcripta ſua *Pollucis* optima quoque fragmenta habet. *Vulcanius* qui præclarus vir fuit, Præfatione quadam in *Iſidori Hiſpalenſis Etymologias Pollucis* editionem pollicebatur. *Paulus Colomiez* Biblioth. Select. pag. 105. 106. Gall.

Sub *Commodo* floruit *Julius Pollux Naucratites*; cujus etſi Orationes perierint, eruditiſſimum tamen *Onomaſticum* remanſit. *Voſſ.* de Rhetor. Nat. p. 87.

Extat *Onomaſticum Græcè* cum Interpretatione *Latinâ Rodolphi Gualtheri*, & Annotationibus *Wolfgangi Seberi*, *Francofurti* in 4°. Anno 1608. apud *Ambroſ.*

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Clar. A. D. CXCII.

ALexandrini cognomen ei datum eſt, quòd *Alexandriæ* diutiſſimè docuerit, & uſque ad finem vitæ commoratus ſit; cùm verò patriâ *Athenienſis* eſſet, hinc nonnunquam etiam *Athenienſis* dictus eſt, ut ſcribit *Epiphanius* Hæreſ. 32.

Alexandrinæ Eccleſiæ fuit Presbyter, *Panteni* diſcipulus, & *Origenis* Præceptor, claruit ſub *Severo*, Anno Dom. 204. *Bellarmin.* De ſcriptor. Eccleſiaſt.

Opera genuina & extantia ſunt: Protrepticon ad Gentes — Pædagogi, libri III. — Stromateωn, libri 8. ------ Oratio quiſnam dives ille ſit, qui ſalvetur — Epitome doctrinæ orientalis Theodoti, &c.

Opera non *extantia*: Hypotypoſeωn, ſeu Inſtitutionum, libri 8. — Canon Eccleſiaſticus — Adverſus Judaizantes — De Paſchate — De obtrectatione ------ Diſputationes de Jejunio ------ Exhortatio ad Patientiam, ad Neophytos. *Suppoſititia* ſunt commentariola in Prim. Canonicam S. *Petri*, in Epiſtolam Judæ, & tres Epiſtolas *S. Johannis* Apoſtoli. *Gul. Cave.*

Feruntur ejus inſignia volumina, plenaque eruditionis & eloquentiæ, tam de ſcripturis divinis, quàm de ſæcularis literaturæ inſtrumento. *Hieronym.* de ſcript. Eccleſiaſt.

Hæc autem mirabilis ille *Clemens* in *exhortario* ad *Gentes* apertè revelat, vir omnium rerum experientiâ ſcientiâque præditus & uſu plurimorum negotiorum prudentiſſimus, qui patrias nugas, à ſalutari & Evangelicâ Doctrinâ monitus, citò contempſit. *Euſeb.* ad Præpar. Evangel. l. 2.

Clemens vir diſertus, & plurimarum rerum cognitione præditus -- — -- Hujus hiſtoriæ ſeparatim meminit *Clemens* in *Stromatibus*, vir & in primis ſtudioſus, & qui eorum quæ apud *Græcos* leguntur altitudinem curâ ac ſtudio perſcrutatus eſt, quò pauci utique ex iis, qui eum præceſsêre. *Cyril.* Alexandr. l. 10. in *Julianum*.

Cujus tot unam doctrinam *Eccleſia* etiam nunc admiratur & fruitur, in libris qui extant. Qui ipſe quàm ſæpè *Stoicus* eſt, & dogmata eorum ſacris noſtris aptat? *Lipſ.* l. 1. Manuduct. ad Stoic. Philoſ. Diſſert. 17.

Inexhauſtæ doctrinæ virum vocat *Caſaubonius* exercit. 1. ad Baron. Appar. p. 2.

Clemens Alexandrinus, eruditione multiplici etiam ad miraculum, inſtruebatur. *Montacut.* Apparat. 1. Sect. 61.

Clementis Alexandrini & ſumma & conſummata fuit eruditio. Erat acer, vehemenſque & ſenſu ſententiiſque pollens. *Idem* Antidiatrib.

Is cùm omni ſacrâ & exoticâ eruditione ad miraculum abundaret, præclara illa ingenii ſui monumenta, quæ ſanè reliquit non pauca, ſolet multis divinorum Chriſtianorum, philoſophorum, etiam hæreticorum ſcriptorum literis, ac teſtimoniis variegare. *Dallæus* de Pſeudepigraph. l. 2. c. 5.

Clemens Alexandrinus vir ſanctitate & omnimodâ eruditione præſtans. *Blondell.* in Apolog. pro ſententiâ *Hieronym.* De Epiſcop. & Presbyt. p. 36.

Clemens

Digitized by Google

Clemens Alexandrinus ſcriptor in primitivâ olim Eccleſiâ admodum celebris, tum pietatis tum eruditionis nomine. *Illyric.* in catalog. Teſt. Veritatis. *Clemens* ſanè doctus & accuratus—*Clemens* ille, quem ſæpe advoco, velut pararium & conciliatorem utriuſque (Divinæ & Humanæ) Philoſophiæ. *Lipſ.* de Stoic. Philoſoph.

Quid *Stromatibus* (hæc eſt enim inſcriptio) & aliis *Clementis* Presbyteri *Alexandrini* operibus variegatum & ornatum magis ? Textus eſt enim totus ille *Scriptor* alluſionibus ad Hiſtorias, ſententias, Apophthegmata & adagia literarũ, tum ſacrarum, tum prophanarum. Hîc vividis earum coloribus illuſtratus aſſurgit, alibi umbris obſcuratus quodammodo deliteſcit. Itaque non eſt quod ſperent qui literarum humaniorum carent cultu, ſe cum fructu & intelligentiâ in ejus ſcriptis verſari poſſe. *Dallaus* de vero uſu *Patr.* c. 5. p. 139.

Neque verò *Clementis Alexandrini* quæ ſumma fuit eruditio obſtitit quo minus in varios errores incideret. Docet is variis in locis *Gentiles* ante *Chriſtum* natum juſtificatos fuiſſe per Philoſophiam. Cenſet alioqui *Deum* injuſtum & perſonarum acceptorem futurum, ſi damnaſſet eos qui ante *Chriſti* adventum vixerunt. *Clemens* in eâ quoque ſententiâ fuit, quam ipſius diſcipulus *Origenes* ſequitur paſſim, docens inferorum pœnas omnes, eſſe purgatorias, non adeò æternas, ſed aliquando deſituras, poſtquam ſcilicet, qui damnati ſunt, eo igne ſatis excocti & purgati fuerint. Sed & cum *Juſtino* quidem docet *Clemens Angelos* amore mulierum correptos, iis arcana multa, quæ tegenda fuerant, revelaſſe. Ab *Irenæi* verò ſententiâ *Dominum* uſque ad quadraginta annos vitam in terris produxiſſe ſentientis longiſſime diſcedens, tradit *Chriſtum* annum integrum in carne prædicaſſe, & uno & trigeſimo ætatis ſuæ anno mortuum fuiſſe. Dall. ibid. c. 4. p. 258. 259.

Clemens Alexandrinus, ô eruditum Scriptorem! Ethnicos optimè intelligebat. Sic etiam *Juſtinus Martyr*, ſed non tantùm. Præclaros quibus caremus libros citat. *Scaligerana* 2.

Dicamus nunc quodnam de S. *Clemente Alexandrino* judicium ſit ferendum; quin eruditione conſummata ornatus fuerit ambigi nequit: S. *Hieronymus* haud gravatè aſſerit neminem unquam ei Scientiâ æqualem fuiſſe; & ſanè verum eſt inter *Veteres* omnes nullum eſſe cujus libri eruditione profana æquè perſperſi ſint. Imò majorem ejus ubertatem propalat quam *Scriptorem Chriſtianum* deceat, & profiteri poſſumus eum magis fuiſſe *Philoſophum* quàm *Theologum*, licet *Religionis* noſtræ ignarus non eſſet *Sacramque Scripturam* apprimè calleret. Sed Philoſophiæ *Moralis* quàm *Dogmatum* multò peritior eſt, omniaque fermè loca quæ citat more *Philonis Judæi allegoricè* explicat. Abſque ordine ac ſerie penè ſemper ſcribit. Stylus & ejus eſt admodum incomptus, quod in *Stromatibus* ejus imprimis obſervare licet: Nam in ſua *Paræneſi ad Gentes* & in *Pædagogo* ſuo floridior eſt ejus ſermo, ut obſervavit Photius, imò ad neſcio quam gravitatem non injucundam aſſurgit. *Eil.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſtic. pag. 234. 235.

* Non deſunt in hoc inſigni Auctore ſententiæ aliquæ, quæ errorem ſapiunt, quas

quas in libris noſtris *Controverſiarum* notavimus, ob quas *Gelaſius* Papa in *Concilio* quodam *Romano Clementis* hujus opuſcula inter *Apocrypha* retulit. Utrum autem ſententiæ illæ ab Hæreticis inſertæ ſint, ut aliqui pii credunt, an auctori more humano acciderint, ignoramus. *Bellarmin. de Scriptoribus Ecclesſ.*

Opera ejus omnia extant *Græcè* cum verſione *Frid. Sylburgii* & ex emend. *Dan. Heinſii* Lugduni Bat. apud *Joan. Patium* 1616. Fol. Eadem editio prodiit *Pariſ.* in Fol. Anno 1641.

Prodiit *Homilia* ejus de *Divite ſalvando Græc. Lat.* cum Fragmentis nonnullis tum *Græcis* tum *Latinis Oxon.* 1683. in 12. Homiliam anteà ediderat *Combefis* in Auct. Gr. Lat. Par. 1672. fol.

Q. SEPTIMUS TERTULLIANUS.

Clar. A. D. CXCII. PResbyter *Cartaginienſis*, circa Ann. 192. exeunte hoc ſæculo ad *Montani* dogma prolapſus. Obiiſſe videtur circa An. 220.

Opera genuina ſunt: Apologeticus. Ad Nationes, Libri 2—De Teſtimonio Animæ – Ad Scapulam — De ſpectaculis — De Idololatriâ – De Coronâ — De Pallio – De Pœnitentiâ — De Oratione — Ad Martyres — De Patientiâ — De cultu Fœminarum l. 2. – Ad Uxorem, lib. 2.—de Virginibus velandis—Adverſus Judæos—De Præſcriptione Hæreticorum — De Baptiſmo — Adverſus Hermogenem—Adverſus Valentinianos—De Animâ—De carne Chriſti—De Reſurrectione carnis—Adverſus Marcionem, lib. 5. —Scorpiace— Adverſus Praxeam.

Libri poſt lapſum in *Montaniſmum* ſcripti.

De exhortatione Caſtitatis—De Monogamiâ—De Fugâ in Perſecutione—De Jejuniis — De Pudicitiâ.

Opera ſuppoſititia ſunt: Poemata. Adverſus Marcionem, lib. 5.—De Judicio Domini — Geneſis — Sodoma.

Opera non *extantia*: De Paradiſo—De ſpe Fidelium—De Ecſtaſi — Adverſus Apollonium — Adverſus Apellicanos — De veſtibus Aaron — De cenſu Animæ.

Libros de Coronâ; De Virginibus Velandis; De Baptiſmo Græcè ſcripſit. *Gul. Cave.*

Vir profectò acris ac vehementis ingenii, humanis non minùs quàm divinis diſciplinis imbutus, ſuorum quoque temporum *Rhetor* præſtantiſſimus, & publicus ejus artis in urbe *Carthaginienſi* Præceptor, multa *Latino* eloquio eleganter ſcripſit, ſed ſtylo nimiùm elaborato, ac duro, & propter inuſitatam vocum novitatem obſcuro. *Sixt. Senen.* l. 4. Bibliothecæ ſanct.

Tertullianus creber eſt in ſententiis, ſed difficilis in loquendo. *Hieronym.* Epiſt. ad *Paulin.*

Septimius Tertullianus fuit in omni genere literarum peritus, ſed in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multùm obſcurus. *Lactant.* l. 5. cap. 1.

Scis.

Digitized by Google

Scis quàm durus ſit & aſper ſermo *Tertulliani.* Certè ſtridet magis, quàm loquitur. *Calvin.* in Epiſt. 339.

Tertullianus perturbatiſſimè loquitur ut *Afer. Lud. Viv.* de Tradent. Diſcip. lib. 3.

Inter *Latinos Theologos* multò omnium doctiſſimus *Tertullianus*, quanquam & ipſe Philoſophiæ cum primis callens. *Eraſm.* l. 28. Epiſt. 8. p. 1634.

Tertullianus habet hoc vitii quod in *Origene* damnat *Hieronymus.* Nonnunquam vim facit *Scripturis*, idque impudentiùs etiam quàm *Origenes.* Nam hic plerunque diſputat & inquirit, *Tertullianus* aſſeverat ac pugnat. *Eraſm.* lib. 17. Epiſt. 22.

Præterquàm quòd pietatem ſpirant *Orthodoxa* ejus *Scripta*, utriuſque linguæ, *Græcæ & Latinæ*, fuit peritiſſimus; plurimum valuit in docendo: diſputandi, dicendi, ſcribendi copiâ & gravitate maximâ fuit præditus: quod plerique ejus libri, doctiſſimi illi quinque, quos contra *Marcionem* ſcripſit, & *Apologeticus*, teſtantur. Beatus *Cyprianus* tanti eum fecit, ut ſingulis diebus ſolitus ſit eum lectitare, & *Magiſtrum* ſeu *Præceptorem* appellare. *Illyric.* l. 3. Catal. Teſt. Verit.

Tertullianus diligentiſſimus omnis *Antiquitatis* ſcrutator. *Montacut.* Apparat. 11. Sect. 37.

Tertullianus vir in *Romanis legibus* exercitatus, & præterea celebris etiam inter eos, qui *Romæ* illuſtres fuerunt, *Euſeb.* l. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 2.

Tertullianus vir inſignis, accuratâque *legum & Actorum Romanorum* peritiâ clarus, Niceph. l. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 8.

Audio Te, Clariſſime *Pameli*, in emendando *Tertulliano* eſſe. Major, an utilior à Te res ſuſcepta, neſcio. *Scriptorem* plenum antiquæ & reconditæ doctrinæ, corrigere arduum: eundem: correctum dari, non ſolùm veſtra *Theologorum* intereſt, ſed noſtra omnium qui *literas Græcas Romanaſque* tractamus. Tanta in eo viro & tam varia eruditio fuit. Ita in efficiendo labor: in effecto, laus ingens tibi proponitur. *Lipſ.* Epiſtolic. Quæſt. l. 5. Epiſt. 9.

Scriptorum quantum ad nos venit, eruditior nemo eſt, exque quo plura condiſcere poſſis, quàm *Tertullianus.* Nullus in eo Apex eſt non cum curâ poſitus, ut quo pacto alii inopiâ, hic abundantiâ literarum peccare nonnunquam videatur *Barth.* l. 19. Adverſar. c. 1.

Tertullianus ſemper in manibus habendus, accuratéque legendus eſt, tum propter linguæ *Romanæ* proprietatem, tum propter diſciplinarum ac literarum omnium cognitionem: fuit enim doctor omniſcius & argutus, qui illotis manibus tractandus non eſt, nec obiter legendus; ubique enim remoratur lectorem. *Tertullianus* certè excellentiſſimus auctor eſt in omnibus. *Scaligerana* prima.

Tertullianus prudens & ſciens obſcuravit malis verbis bonas ſententias, vel ipſo durior *Apuleio. Eraſm.* in *Ciceron.* p. 152.

Septimius Florens erat ille quidem omni liberali eruditione imbutus, verùm de induſtriâ orationem aſperat, & horridum quiddam affectat, & conſectatur: proinde quaſi parum virilem eam eloquentiam putaret, quæ concinnior

& elegantior eſſet. *Turneb.* lib. 7. Adverſar. cap. 10.

Ingenii acris, ardentis & ſubtilis erat, ſed quod omnem illam concinnitatem, omnemque rectitudinem quæ optari poſſet non habebat. Plus ſæpe fictorum luminum quam veræ ſoliditatis ratiociniis ejus ineſt; percutit & perſtringit potius audacibus ſuis enunciationibus, quàm rationum pondere convincit. Ejus ſententiæ ſunt affectatæ, immò quandoque paulò inflatæ: modo ſublimi eas exprimit, ſed parum nativo. Mediocritatem in rebus ſæpiùs excedit; ferè in omnibus exardeſcit & concitatur: Figuris & hyperbolis totus turget. Ubere ſcientia & eruditione pollebat, quibus opportunè noverat. In Satyra excellebat, joci ejus arguti ſunt & mordaces. Adverſarios dexterè adoriebatur, eoſque turma rationum ſe invicem ſubſequentium & quaſi concatenatarum profligabat. Denique ſi ratiociniis ſuis non perſuadeat, aſſenſum ſaltem verborum magnificâ pompâ extorquet. Conciſus eſt ſtylus ejus, voces ejus energicæ, ejuſque Scripta tot ſententiis ferè quot vocabulis conſtant. Hæc non obſtant quin *Lactantius* tria vitia notatu digna in eis meritò carpat. *Tertullianus*, inquit, *humanioribus literis excultiſſimus erat; ſed in loquendo parum facilis, parum comptus & multum obſcurus.* Hæc quidem tria in loquendo vitia in pleriſque Authoribus Africanis occurrunt, ſed illis in ſummo gradu laborare *Tertullianus* dici poteſt, nullumque Authorem extare cujus ſtylus durior, minùs comptus, & obſcurior ſit. Omnia ejus opera tribus his vitiis obnoxia ſunt, alia quidem plus, alia minus. In *Polemicis* libris planior & terſior, ſed minùs comptus eſt, obſcurior verò & purior in *Locis Communibus*; ut in libro ſuo de *Pallio*, qui inter totius Antiquitatis obſcuriſſimos libros cenſeri debet. Omnium comptiſſimus eſt Liber de *Pœnitentia.* Præclariora ejus Opera & utiliora ſunt ejus *Apologeticus*, *Præſcriptiones*, ejus de *Pœnitentia* Libri, de *Baptiſmo*, de *Oratione*, cum *Exhortationibus* ad *Patientiam* & ad *Martyrium*, *Ell.* du *Pin.* Nov. Bibl. Autor. Eccleſ. Tom. 1. p. 228. 229.

Expecto *Tertullianum* quem nobis mox evulgabis ut *patientiam* quam præſcribit me doceat. Author eſt cui me tua *Præfatio* reconciliaviſſet, ſi ipſum averſatus eſſem, ejuſque dictionis durities & ejuſdem ſæculi vitia me ab ejus lectione deterruiſſent; ſed illum jam pridem magni facio, mihique injucundus non videtur quantumvis ſpinoſus & lugubris ſit. In ejus Scriptis affulſit mihi *Lux* illa *nigra* cujus meminit vetus quidam Poeta; nec cum minori voluptate ſpeculor ejus obſcuritatem quàm *Ebeni* nitidiſſimi & elaboratiſſimi. Hæc ſemper mea fuit opinio, quòd quemadmodum *Africanarum* fœminarum pulchritudo, licet noſtratium venuſtati diſſimilis, eas tamen amabiles reddit, & quemadmodum *Sophoniſta* plurium *Italicarum* elegantiam obſcuravit; ſic etiam ejuſdem Regionis *ingenia* placeant ſuâ illâ exoticâ facundiâ; imò hunc etiam pluribus *Ciceronis imitatoribus* ſemper anteponam. Hoc delicatioribus fateamur, quòd *ferreus* quidem ſit ejus *ſtylus*; ſed nobis etiam viciſſim fateantur illum ex hoc *ferro arma* præſtantiſſima fabricaviſſe, honoremque ac innocentiam *Chriſtianiſmi* propugnaviſſe, *Valentinianos* ad internecionem perſecutum eſſe, *Marcionemque* uſque ad cor confodiſſe. *Balzac.* Epiſtolâ

Digitized by Google

ſtolâ ad D. *Rigaltium*, Epiſtolarum Gallic. lib. 5. Epiſt. 2.

Tertulliani opera pro Apocryphis habet *Gelaſius*.

* *Beati Rhenani* in *Tertullianum* Annotationes, ſi corrigantur, permittuntur. *Index Madrit.* Edit. Anno 1667.

Sicut ille [*Origenes*] apud *Graecos*, ita hic [*Tertullianus*] apud *Latinos* noſtrorum omnium facilè princeps judicandus eſt. Quid enim hoc viro doctius? quid in Divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem Philoſophiam & cunctas Philoſophorum ſectas, Auctores adſertoreſque ſectarum, omneſque eorum Diſciplinas, omnem Hiſtoriam ac ſtudiorum veritatem mirâ quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio verò tam gravi ac vehementi excelluit ut nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit. Jam porrò orationis ſuæ laudes quis exequi valeat? quæ tanta neſcio quâ rationum neceſſitate conſerta eſt, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat. Cujus quot penè verba, tot ſententiæ ſunt: quot ſenſus, tot victoriæ. Sciunt hoc *Marciones*, *Apelles*, *Praxea*, *Hermogenes*, *Judæi*, *Gentiles*, *Gnoſtici* cæterique, quorum ille Blaſphemias multis ac magnis Voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque poſt hæc omnia, hic inquam *Tertullianus*, Catholici Dogmatis, id eſt univerſalis ac vetuſtæ fidei, parum tenax, ac diſertior multò quàm fidelior, &c. *Vincent. Lirinenſ.* commonitor. 1.

Habet *Tertulliani* ſtylus majeſtatem quandam ſibi propriam, & grandem eloquentiam ſale & acumine plurimùm conditam, quæ ſimul legentis ingenium exercet, & animum ſuaviter delectat. *Gul. Cave.* Hiſt. Literar.

In ſcripta *Tertullianica* laborarunt varii, inſigniores verò ſunt, *Beatus Rhenanus*, *Jacobus Pammelius*, *Joan. Ludov.* de la *Cerda* Soc. Jeſ. *Nicol. Rigaltius*. Hic verò neglectâ omni illâ diviſione operum *Tertulliani* in plures vel pauciores tomos, uti fecerant *Jacobus Gammelius* ac *Ludovicus Lacerdanus*, ſimpliciter in uno volumine in Fol. edidit omnia *Tertulliani* opera *Pariſiis* An. 1644. quæ poſtea impreſſa An. 1662. ibid. apud *Joannem Dupuis*, ſub ſigno Coronæ aureæ, ſelectis ab illo variis notis ex auctoribus qui *Tertullianum* commentati fuerant, ſed brevibus & extra nauſeam. Quiſquis poſt tantos, ac tam varios auctores, in *Tertullianum* commentari tentaverit, ludere, opinor, atque oleum perdere apud prudentes exiſtimabitur. *Caſimir. Oudin.* in Supplem. de ſcript Eccleſiaſt. à Bellarmin. omiſſ.

ÆMILIUS PAULUS PAPINIANUS.

ICtus, tempore *Severi* Imp. claruit. *Severus*, quòd virum ſummopere probaret, *Præfectum Prætorio* fecit, eique moriens *Liberos* ſuos commendavit. Interemptus eſt ab *Antonino Caracallâ*, quòd *parricidium* ejus excuſare nollet, cùm triceſimum ſextum annum vix exegiſſet. Tam miſerè igitur interiit, vir omni æternitate, necdum terno illo *Neſtoris* ſeculo digniſſimus, Clar. Annò Dom. CC.

Digitized by Google

mus. *Guido Panciroll.* de Reb. recens invent.

Clariſſima illa *juris prudentiæ* noſtræ *Lumina* & *Numina*, *Ulpianus*, *Paulus*, *Scævola*, *Pomponius*, *Julianus*, *Papinianus*, quos quoties nomino, toties miror; toties ſtupeo, meamque per tot vigilias infantiam & inſcitiam deploro. *Anton. Fab.* in Cod. *Fabrian.*

Nemo unus unquam erit *Papinianus Cujac.* l. 1. Quæſt. *Papinian. Papinianus* omnium qui ſunt, qui erunt, quique fuerunt, juris peritiſſimus. *Idem* in Edit. Cod. *Theod.* in Epiſt.

Franc. Baldvinus monet omnes ut revereantur *Dei Providentiam* qui excitavit ſummos illos viros, *Joſephum* in *Æpypto*, *Danielem* in *Babyloniâ*, *Athenis Periclem*, *Romæ Papinianum* ad conſervandam humanam *Societatem* & *Juſtitiæ* ſplendorem. *Baldvin.* in comment. ad Inſtitut. in præfat.

Æmilius Paulus Papinianus egregium *Aſtreæ* columen, ævi ſui lumen, Vir excelſi & juſti judicii ac omnium JCtorum acutiſſimus. *Quenſtedt.*

Quem Ælius *Spartianus* Hiſt. in *Severo*, *Juris Aſylum* vocat, doctrinæque *legalis theſaurum.*

Virum Juris experientiſſimum vocat *Johannes Sarisburienſis*, lib. 4 cap. 2.

Tanto honore *Papinianum* affecerunt *veteres*, ut ab illo *Legum* ſtudioſi, qui profeciſſent, *Papinianiſtæ* appellari fuerint, quemadmodum *Juſtinianus* in præfatione *Digeſtorum* teſtatur. Tanta ejus in jure eſt autoritas, ut ſi diſcrepantes ſententiæ *Juriſconſultorum* occurrant, ea verior exiſtimetur, in quam *Papinianus* inclinat, ut ſancivit *Theodoſius* in Cod. *Theodoſiano.*

Papinianus fuit primus omnium in *Conſiliis Severi*, tum ob inſignem præ reliquis omnibus *Juris* ſcientiam, tum quòd *Severo* ex ſecundâ uxore affinitate conjunctus eſſet. *Arthur. Duck.* de Authorit. *Jur. Civil. Romanor.*

Interpretes noſtri opinantur, omnes conſtitutiones *Severi* & *Antonini*, quæ in *codice Juſtinianeo* reperiuntur, à *Papiniano* multâ cum deliberatione conſcriptas fuiſſe. *Matth. Weſenbec.* in *Papinian.*

Romanarum Legum uſus & exercitium in *Britanniâ* evidentiſſimè conſtat ex eo, quòd ſub *Septimio Severo* Imp. *Æmilius Papinianus Eboraci* Præfecti Prætorio munus (quod in *Imperio Romano* ſupremum fuit) geſſerit & *jus* dixerit: cujus ei fides tribuenda eſt *Dioni-Caſſio* viro *Conſulari*, qui ſub *Severo* vixit, & res geſtas *Severi* ſcripſit, licèt à reliquis *Romanæ* Hiſtoriæ ſcriptoribus omittatur. *Arth. Duck.* de Authorit. *Jul. Civil. Romanor.* l. 2. c. 8. Sect. 5.

Fragmenta *Papiniani* recitantur in *Pandectis.*

LUCIUS ANNÆUS FLORUS

Claruit Anno Dom. CCI.

Hiſtoricus, extremis *Trajani* temporibus floruit: Rerum *Romanarum* quatuor perſcripſit libros. Stylus ejus in Hiſtoriâ eſt declamatorius, ac poetico proprior, adeò, ut etiam *Virgilii* hemeſtichia profundat. Et tamen ea potiſſima eſt *Flori* noſtri laus, quòd ſcriptor eſſet elegans & diſertus, & ſi paucula exceperis, quæ frigidiùs dicta videntur, verè floridus. Sed latæ eſt culpæ

reus,

reus, quòd in temporum rationeuſque adeò negligens ſit; ita ut non poſſit non ſæpiùs hallucinari, qui hunc ducem ſequi velit. Valdè autem falluntur, qui eum putant in hiſtoriâ ſuâ Epitomen nobis *Livii* dare voluiſſe: ſiquidem crebrò à *Livio* recedit. *Voſſ.* l. 1. de Hiſtoric. Lat. c. 30.

L. *Annæus Florus* compendium non tam *Livii*, à quo ſæpè diſſentit, quàm Rerum *Romanarum* ſcripſit: ſi quid mei judicii eſt, compoſitè, diſertè, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo ſæpè mira: & ſententiarum quædam gemmulæ cum judicio inſertæ & veritate. *Lipſ.* lib. 2. Elect. cap. 5.

Habemus & alterum *Flori* ejuſdem opuſculum de *Romanâ Hiſtoriâ*, quo nihil poteſt fingi in illo genere vel acutius vel lepidius. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 5.

Florus quidem populi *Romani*, tanquam generis humani facta, à *Romulo* ad *Cæſarem Auguſtum*, pulcherrimo & ſimul abſolutiſſimo enchiridio abſolvit, cum aliquo fortaſſe molis damno, nullo veritatis. *Eryc. Putean.* in Præfat. quam ſuis *Inſubric. Hiſt.* libr. præmiſit.

Quæ [*Flori* Epitome] declamatoris mihi, non hiſtorici videtur. Dum ſingula bella deſcripſit, in ſingulis ineptus eſt. *Carol. Sigon.*

Miror autem ideò reprehenſum & ineptiæ damnatum à *Sigonio*, quòd ſingula bella ſingulatim deſcripſerit. Quis enim meliore ordine rem *Romanam* digeſſerit, præſertim ſi non utatur perpetuâ ſcriptione, ſed perfectiones, & capita diſpertita? Juſtior multo illa fuerit accuſatio, quòd in temporum ratione uſque adeo negligens ſit ut non poſſit non hallucinari, qui illum ſequatur. Inclementior in illum *Verderius*: *Lucius*, inquit, *Florus brevitate ſuâ ſe implicat potius, quàm explicat.* Quem cenſorem nemo non cenſurâ dignum exiſtimet; perſpicuus eſt enim ac dilucidus *Florus*, ſi quis alius quod ad ejus fieri maximè potuit, cùm ſibi multa paucis verbis complectenda proponeret. *Balthaſſ. Boniſac.* de Roman. Hiſt. Script.

Lucius Florus ſicuti nequaquam verboſus aut diffuſus, ita neque, ut illi qui ſumma rerum capita aut nuda Breviaria contexunt, in ſe reſtrictus eſt aut exanguis; ſed ſobriam & verbis cultam orationem amat, denſus interim ſententiis, & rebus cum judicio prolatis, adeò frequens & fœcundus, ut verborum propè numerum ſententiarum numero conſequatur. *Ioan. Pontan.* in Orat. Iſagogic. ad *Luc. Flor.*

Utinam *Florus* non tam brevis compreſſuſque eſſe ſtuduiſſet. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* l. 4. c. 6.

Quas laudes *Hiſpaniæ* paſſim tribuit ei exprobrant qui cenſent eum ex amore in Patriam cum quodam exceſſu ſecundi libri ſexto, decimo ſeptimo & decimo octavo capitibus locutum eſſe; præter illa quæ decimo tertio addit cùm Sertorii apud Hiſpanos bellica geſta narrat. *Franc. Motthæus* le *Vayer.*

A *Scaligero* ſuis in *Euſebium* Commentariis jure culpatur, quòd à *Cacozelia* non temperarit, abjectoque ac puerili deſiderio mirabilia dicendi veritatis diſpendio ſe abripi paſſus ſit. *Idem* ibid.

Florus verè floridus, plus habet Palæſtræ declamatoriæ, quàm virium & lacertorum. *Cauſſin.*

Lucius Florus brevitate ſuâ ſe implicat potiùs quàm explicat : cujus ope *Livii* multi libri periere. Scelus laqueo dignum. *Claud. Verder.* in Aucto Cenſion.

Lucii Ann. Flori Rerum Romanarum libri 4. prodierunt cum Notis *Io. Camertis*, editore *Iacobo Bedroto Pludentino:* additi ſunt *Sextus Rufus* & *Meſſala Corvinus. Baſileæ* 1532. in fol. apud *Hervagium.*

Prodierunt itidem cum Notis *Ioannis Freinshemii Argentorati* 1669. in 8. apud *Dolbophium.*

FLAVIUS PHILOSTRATUS.

Clar. A.D. CCIV.

L*Emnius* temporibus *Severi* Imp. ejuſque uxoris *Iuliæ*, Epiſtolarum Magiſter. *Reliquit* de vitâ *Apollonii Tyanæi* libros octo. In iis *Damidem Aſſyrium, Maximum* & *Maragenem*, ut ipſe fatetur, ſecutus eſt. Scripſit juſſu *Iuliæ Auguſtæ*. Extant ejuſdem Epiſtolæ, & liber *Iconum*, atque de Vitis Sophiſtarum libri duo.

Philoſtratus in Hiſtoricis magna *Homeri* mendacia majoribus mendaciis corrigit *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. p. 625.

Liber *Philoſtrati* de *Apollonio* penè totus figmentum eſt rabioſum, ac blaſphemum hominis in *fingendo* non inexercitati, quique hiſtorias comminiſceretur de iis, quæ nemo unquam vel vidiſſet, vel audiſſet. *Lud. Viv.* l. 5. ibid. p. 65.

Philoſtratus omnium, qui unquam *hiſtoriam* conſcripſerint, mendaciſſimus. *Cœl. Rhodigin.* l. 17. Lect. Antiq. c. 13.

Philoſtratum nugatorem ac mendacem ſæpiùs appellat *Lipſius.*

Sunt qui nihil aliud agunt quàm ludunt, & aures animoſque otioſos demulcent, adductis tantùm ad hoc narratiunculis : quales ſunt *Heliodorus* & *Philoſtratus*, & his vetuſtiores, nihilo tamen graviores, *Herodotus* & *Cteſias*, ob nimiam mendaciorum licentiam obliterati dudum, in quibus vix quicquam præter facundiam laudes. *Ioan. Wier.* lib. Apologetic. adverſ. *Leon. Suavii* calumn. Sect. 19.

Vix quiſquam ſatis dignè valeat unquam exprimere, quantum *humano generi* obfuerit *Philoſtratus*, ſcribendo res geſtas *Apollonii Tyanæi*, eaſdem amplificando mendaciis: ut videatur planè inventum fuiſſe *Diaboli.* Quod enim non valuit perficere in *Simone Mago* nuper extincto ; id in *Apollonio* implere conatus eſt: quippe qui æmulus *Chriſti* gloriæ ; ſicut ſcripto jam *Evangelio*, longè lateque per *orbem* innoteſcebant *Chriſti* res geſtæ; ſuum ipſe ſtatuens *Antichriſtum, pſeudoevangelium* quoque *actorum* ipſius per mendaciſſimum hominem ſcribendum curavit ; cui fidem præſtantes homines, nihilo *Chriſto* minorem fuiſſe *Apollonium* exiſtimarent, vel, ſicut iſtum ea perfeciſſe *Magiâ* complures compertum haberent, eâdem quoque Arte *Chriſtum* uſum eſſe falsò ac abſurdè effutirent. Commentario namque edito in *Chriſtianos, Hierocles* Philoſophus, unus ex *Areopagi* Judicibus, nihil magis monſtrare conatus eſt, quàm *Apollonium* æqualem fuiſſe *Chriſto.* Porrò ejus inſanias *Euſebius* adverſus eum ſcribens egregiè

Digitized by Google

egregiè confutavit. *Baron.* ad An. *Chr.* 68.

Philoſtratus Lemnius in vitâ *Apollonii Tyanei* fabulator & mendax, ſed ſermo ejus melle dulcior fluit. *Ioan. Bona.* Cardin.

Stylo uſus eſt aperto, gratioſo, conciſo, pleno etiam dulcedine, ac cum ex priſcis loquendi formis, tum ex recentioribus elegantiis laudem quærit. *Phot.*

Eunapius ait, *Philoſtratum* opus ſuum non debuiſſe inſcribere *Vitam Apollonii*, ſed *Acceſſum Dei ad Homines.*

Philoſtratus de *Aquâ*, circa oppidum *Tyana*, *Iovi* ſacrâ, quam vocant *Asbamaam*, ea prodit, quæ, niſi falsò tribuantur *Ariſtoteli* Græca, quæ poſt librum θαυμασίων ἀκουσμάτων leguntur fragmenta, verbo ad verbum inde deprompſit. Vide *Ariſtotelem*. inquit *Mauſſacus*, vide *Philoſtratum*, & apparebit facilè furtum. *Thomas* de *Plagio* num. 518.

Philoſtratus autem nullius eſt apud ullum cordatum auctoritatis, ita ut mirer doctiſſimum *Bochartum* tantâ cum fiduciâ ex hoc mendaciſſimo ſcriptore quamcumque concluſionem probare velle. In *Philoſtrato Baronius*, & ex eo *Poſſevinus* errores varios notat, ſed multò plura craſſiſſima mendacia attentus quilibet *Lector* obſervaverit. *Robert. Bail.* in Op. ſuo *Hiſt.* & *Chronol.* Impreſſ. *Amſtelod.* 1668. pag. 285.

Philoſtratus hic immortalem eſt nactus memoriam, libris octonis de *Apollonii* vitâ. In eâ ſe profitetur ſequi, tum *Damidem Aſſyrium*, tum alios duos, qui & ipſi *Philoſtrati* vitam ſcripſerint; nempe *Maximum* & *Mœrogenem*. Sed, ſeu vanos ſequitur duces, ſeu ipſe multa comminiſcitur, *magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit*; ut de eo refert *Vives* l. 5. de Trad. Diſcipl. & tamen hujuſmodi commentis deceptus *Caracalla Appollonio* Heroicum erigere monumentum non dubitavit; ut eſt apud *Xiphilinum* in vitâ *Caracallæ*. Quin fuere Gentiles, quos etiam *Chriſto* comparare *Apollonium* non puderet. Uti *Hierocles* ille, adverſus quem *Euſebius* diſſerit, *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Extant libri 2. De Vitis Sophiſtarum ad *Antoninum* Conſulem Græcè cum Interpretatione *Antonii Bonfinii*. Ejuſdem libri 8. de vitâ *Apollonii Tyanei* celebris Magi, nec non aliorum *Philoſtratorum* reliqua edita fuere curâ *Frederici Morelli*, *Lutetiæ Pariſiorum* Anno 1608. apud *Claud. Morellum*.

Prodierunt Epiſtolæ *Philoſtrati* Græcè, editore *Ioanne Meurſio*, *Lugd. Bat.* Anno 1616. in 4. unà cum *Meurſii* Diſſertatione de *Philoſtratis*.

OPPIANUS.

Cilix, ex urbe *Coryco*, Grammaticus, & Poëta, vixit ſub *Antonino Caracallâ*. Clar. A. D. CCXVII.
Scripſit *Halieutica*, id eſt, *Piſcatoria*, libris quinque: *Cynegetica*, l. 4. de *Aucupio*, libris duobus. Circa finem Imperii *Caracallæ* lue exceſſit, Anno ætatis triceſimo.

Antonino Caracallæ Ἁλιευτικά ſua inſcripſit, & κυνηγετικά, donatus ab eodem ob ſingulos verſus ſtatere aureo, hoc eſt, viginti millibus nummorum aureorum.

Suid. Hinc *Oppiani* carmina à plurimis *aurea* appellata ſunt.

Oppianus quidem inter *Græcos* adeò ſublimis eſt, adeò numeroſus, ut eorum unus ad *Virgilianam* diligentiam aſpiraſſe videatur. *Iul. Caſ. Scalig.* l. 5. c. 9. Poetic. pag. 664.

Oppianus Muſarum alumnus audit. *Idem* exercit. 218. Sect. 1.

Idem tractat argumentum *Gratius*, & *Nemeſianus* apud nos: *Græcis Oppianus*: Magnus hic Poeta, ſicuti ſæpè à nobis dictum eſt: quicum *Græcorum* neminem auſim comparare, Quamobrem noſtros quoque duos hoſce ab illo puto longè ſuperatos; quippe cujus unius ſpiritu *Virgilianam* divinitatem repræſentatam ſemper judicavi: tantum abeſt ut cum hujus numeris illorum verſus conferri poſſe rear. *Idem* l. 5. Poetic. p. 758.

Oppianus ſuavis, generoſus incomparabilis Poeta. *Dempſter.*

Omnium eruditorum puncta hic unus abſtulit, quod certè omni ævo pauciſſimis contigit. *Conrad. Ritterſ.* in procem. *Oppian.*

Dictio *Oppiani* copioſa, luculenta, & ſententiis hinc inde reſplendens, nonnunquam etiam obſcurior, ſed ubique docta. Præfationes ejus ita *Aſiatico* quodam dicendi genere elimatæ, profuſæque, ut totidem *Panegyricæ* orationes videri queant. *Borrich.* De Poet. p. 16.

Dom. *Craſſus* ait *Oppianum* in *Sententiis* & *Parabolis* præſertim excellere. Addit Oppianum rem admodum arduam præſtitiſſe, quod ſcilicet uniformitatem ubique ſervaverit, quam etiam ſermonis facundiæ & rerum de quibus agit maturitati tam feliciter attemperare noverit. *Craſſ.* de Poet. Græc. *Italicè.*

Habet ſtylum floridum & planum cum facundiâ & maturitate, & in ſententiis ac Parabolis præcipuè excellit. *Iac. Friſius* Biblioth. Philoſ.

Oppianus Cilix, admirabilis ille, & nunquam ſatis laudatus Poeta. *Tan. Fab.* l. 1. Epiſt. 63.

Oppianum tuum ſic expecto, ut dies noctesque de eo cogitem: amo enim illum Poetam, ut ſi quis alius. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. ad *Conrad.* Ritterſ. Momp. a. d. 7. Idus. Sept. 1597.

Jeſ. *Rapinus* non dubitavit tamen judicare Oppiani ſtylum exſuccum eſſe. Refl. in Poeſ. 2. *part. Reflex.* 15.

Oppianus de *Piſcibus* ſolutâ oratione ſcribens, ſæpè pro aliis alios *piſces* accipit. *Claud. Verder.* in Autor. cenſion.

Oppianus in deſcriptione *Equi Generoſi* pleraque è *Iobi* c. 39. mutuatus eſt. *Arnold. Boon.* l. 3. c. 11. Animadver. Sacr. ad Text. Hebraic. Vet. Teſtam.

Anno ætatis ſuæ triceſimo (quo etiam *Perſius* Satyræ ſcriptor acerrimus vivere deſiit) peſtilentiâ, quæ tum *Anazarbi* graſſabatur, extinctus eſt, vir & poeta optimus, gratus omnibus, gravis nemini. Magnum igitur moriens luctum & ingens ſui deſiderium omnibus bonis, tam inter cives quàm apud exteros, quibuſcunque nominis ejus fama innotuerat, reliquit. Nam à civibus quidem ejus & Sepulchri Monumentum ipſi exædificatum & ſtatua collocata eſt--- Sunt profectò *Oppiani* poemata ſingularia ac divina, neminique *Græ-*

corum

Digitized by Google

eorum Poetarum poſtponenda; plurimis verò etiam anteponenda,ut non temerè factum eſſe videatur,quod ſinguli ejus verſus ſingulis *aureis*, ſeu *Stateribus* æſtimati fuerunt. Neque mihi ſoli ita videtur, ſed judicii mei approbatores & ἀμολύτας; habeo eruditos & intelligentes audeo dicere Univerſos *Conrad. Ritterſ.* in Procem.de vit. & Oper. *Oppian.*

Prodierunt Opera ejus de Venatione & Piſcatu, Græcè & Latinè, curâ *Conradi Rittershuſii*, cujus Notæ, item vetus Scholiaſtes Græcus, accedunt. *Leydæ* in 8. Anno 1597.

M. MINUTIUS FELIX.

M. *Minutius Felix*, Gente, ut veriſimile eſt, *Afer*, non ignobilem inter *Romanos Cauſidicos* locum tenuit, doctrinâ tamen ac pietate *Chriſtianâ* ipſe longè nobilior. De ætate ejus quâ vixit, nihil habeo, quod pro certo affirmare auſim: ſi tamen in re obſcurâ, dubiâque hariolari liceat, conjiciam illum, utpote *Tertulliano* ſupparem, *Cypriano* antiquiorem, circa Ann. 220. claruiſſe. Scripſit *Romæ* libellum, pro octavo *Arnobii* libro aliquot rettò ſeculis falsò habitum, *Dialogum*, inquam, illum inſignem, *Octavium* dictum, inter *Cecilium Natalem*, Gentilem acerrimum, & *Octavium Ianuarium*, acutum *Chriſtianorum* vindicem ac Patronum: quos inter medius ſedet bonus *Arbiter*, *Minutius Felix*. In quo ſanè libello totum *Gentilium* cultum, *Deorumque* proſapiam non minus eruditè quam venuſtè & ingenioſè convellit, & *Chriſtianos* eorumque *Sacra* ab omnibus *Cecilii* calumniis atque objectionibus eleganter & nervosè vindicat. Tandem manus dans *Cacilius* gloriatur ſe quidem ab Octavio victum, de *errore* tamen triumphaſſe. *Gul. Cave.* Hiſt. Literar. Clar. A. D. CCXX.

Minutius Felix, Romæ inſignis *cauſidicus*, ſcripſit *Dialogum Chriſtiani & Ethnici* diſputantium,qui *Octavius* inſcribitur,ſed & alius ſub nomine ejus fertur de *Fato*, vel contra *Mathematicos*,qui cum ſit & ipſe diſerti hominis; non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire. *B. Hieronym.* de viris Illuſtr.

Minutius Felix cauſidicus Romani fori, in libro cui titulus *Octavius* eſt, & in altero contra *Mathematicos*,ſi tamen *Inſcriptio* non mentitur auctorem, quid *Gentilium Scripturarum* dimiſit intactum? *Idem* in Epiſt. ad *Magnum*.

Minutiani hujus libelli inſcriptio,& Dialogi forma, antiquum, eruditumque ſcribendi morem refert, Genus dicendi eſt argutum, acre, vehemens. Eſt preſſum, denſum,nervoſum, crebris ſententiis compactum,omniumque Antiquitatum atqueHiſtoriarum memoriâ refertum:& in quo plures ſententias,quam periodos numerare poſſis. Nam neque verboſi olim fuerunt *Chriſtiani*, qui *verba dare* nondum didicerant:& eorum *patroni* erant homines docti,ac ut uno verbo dicam polyhiſtores. *Franc. Balduin.* Præfat. præmiſſ. *Octav.* M. *Minut. Fel.*

Dialogum ejus elegantiſſimum vocat *G. Calixt.* de verit. Relig. Chriſt. n.16.

Minutius Felix, *Romanus Orator*, rei *Chriſtianæ* magnus Propugnator. *Hier.* *Drexel.* c. 3. Sect. 30. *Prodrom.* Æternitat.

Digitized by Google

Cæterùm *Minutius* [ſi non mole, ſed reapſe æſtimes] magna aliorum pro *Chriſtianis* vincit volumina, cùm rerum copia tum dictionis venuſtate. *Aubert. Miraus* in Schol. ad *Hieronym.* de *Script. Eccleſ.* c. 58.

Minutius Felix dialogum contra *Paganos* ſcripſit, lacteâ Sermonis ubertate *Lactantio* nihil cedentem; mirabili ubique perſpicuitate, etiam in acutè dictis: nihil argutiarum obſcuritate moleſtarum, nihil intempeſtivâ eruditionis oſtentatione inſolens aut arceſſitum: nihil verborum novitate aut transferendi improbitate, aut compoſitionis ſcabitudine durum, horrens, abruptum. *Monobibl. Ioan. Fred. Gronov.* Obſervat. in *Script. Eccleſiaſt.* c. 7.

Minutius Felix non ignobilis inter Cauſidicos loci fuit: Hujus liber, cui *Octavio* titulus eſt, declarat, quàm idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet. *Lactant.* l. 5. c. 1.

Si *Tertullianicis* comparentur *Minutiana*, ſtatim apparebit, *Minutium* ab *Tertulliano* & argumenta & diſſerendi ordinem, atque ipſa plerumque verba ſumpſiſſe. *Nic. Rigalt.* Not. in *Minut.* p. 2.

Æqualem *Tertulliano Minutium* fuiſſe, ſemper mihi perſuaſi, & quæ in utroque ſcriptore totidem verbis perſcripta extant, uter ab altero mutuatus ſit, dubito. *Ioſeph Scalig.* Epiſt. 376. *Ioan. A Wouvv.*

Dialogus Minutii Felicis elegans eſt, vocabulis ſelectis conſtat, ſententiæ ejus ſunt exquiſitæ, jucundus eas eloquendi modus, ejuſque rationes magna lux urgentiores reddit, multùm eruditionis in eodem obſervator. Denique Tractatulus iſte, ut obſervat Lactantius, demonſtrat *Minutium Felicem* præclarum *Religionis* ac *Veritatis* Patronum futurum fuiſſe, ſi ad hujuſmodi ſtudium totum animum appuliſſet. Sed *Dialogus* ejus Ingenii ab aliorum munerum occupationibus laxamentum captantis fœtus eſt potius quàm opus cum aſſiduitate concinnatum. Leviter tantum res attingit, non verò exhaurit. Majorem dat operam ut oſtendat quàm ridiculæ ſint Ethnicorum opiniones, eaſque propriis eorum *Authoribus* impugnet, quàm ut *Chriſtianorum* Doctrinam explicet atque probet. Imò nec *Myſteriorum* noſtrorum valde gnarum ſe prodit; *Animæque* cum corpore interitum credidiſſe videtur. Liber hic diù Octavus *Arnobii* liber habitus eſt; Repertus enim cum ſeptem Authoris hujus libris in veteri quodam *Vaticanæ* Bibliothecæ *Manuſcripto*, quater ſub illo nomine typis mandatus fuit, nemine verum ejus Authorem cognoſcente. Eruditus *Iuriſconſultus* Balduinus vulgarem hunc errorem primus animadvertit, ac *Heidelbergæ* Ann. 1560. Diſſertatiunculam hanc ſeparatim excudendam curavit, cum docta Præfatione, qua vero *Autori* eam reſtituit *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſticor. p. 326. 327. Tom. 1.

Certè in *Cypriani* de *Idolorum Vanitate* libello plurima ſunt, quæ totidem verbis in *Octavio Minutii* leguntur, neceſſe ut ſit aut hunc ab illo, aut illum ab hoc ea ſumpſiſſe. *Ioſ. Arn.* Lexic. Antiquit. Eccleſ. p. 889.

Ejus *Octavius* ſive Dialogus inter *Octavium* Chriſtianum & *Cæcilium* Ethnicum, prodiit cum Notis variorum, accurante *Iacobo Ouzelio. Lugd. Bat.* in 4. Anno

Digitized by Google

Anno 1651. apud *Ioan. Mairo*, quæ editio ibidem pulcherrimè repetita Anno 1672. in 8. ex officinâ *Hackianâ* prodiit.

JULIUS AFRICANUS.

SCriptor Eccleſiaſticus, Claruit Anno 220. vixit *Nicopoli*, in *Paleſtinâ*, eratque Epiſcopus *Emaus* [ſi fides ſit habenda *Hebed-jeſu Metropolita Sobenſi*] obiit circiter annum 232. Chartoph. *Gul. Cave.* Clar. A. D. CCXX.

Scripta ejus hæc ſunt: Commentarii inſcripti de *Ceſtis*---Epiſtola ad *Origenem*, de Hiſtoriâ *Suſanna*------Annalium ſeu de *Temporibus* volumina quinque------Epiſtola ad *Ariſtidem* de diſcrepantiâ Genealogiæ *Chriſti* à *Matthao* & *Lucâ* deſcriptæ.

Julius Africanus, accuratiſſimus temporum obſervator, Chriſtianorum primus *Chronologia* fontes recluſit, ac πεντάβιβλον χρονολογικὴν ſcripſit, ex quâ integras etiam paginas in ſuum Chronicon tranſcripſit *Euſebius*. Primus eas *Græcè* publicavit *Ioſephus Scaliger*, qui nec dubitat *Euſebii* Chronicon vocare *Africani* Chronicon recoctum. Atque hinc detegitur ſpiſſus error *Ioannis Bodini*, qui in *Methodo Hiſtoria* ſuæ *Euſebio* juniorem facit, atque addit, deduxiſſe tempora uſque ad annum 320. Scribere debuit 220. ut ex *Euſebio* ſcimus, qui *Africanum* exſcripſit. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Vir undecunque doctiſſimus, Philoſophus, Hiſtoriographus, & Theologus inſignis. Suis ſtudiis & ſumptibus apud *Caſaream Paleſtina* inſignem Bibliothecam condidit. Scripſit præterea magnæ utilitatis plura opuſcula *Trithem.* de Scriptor. Eccleſiaſt.

Iulius Africanus, vir ingentis, variæque doctrinæ. *Voſſ.* de Mathemat. pag. 293.

Doctum inprimis, & antiquum Scriptorem, nuncupat *Iſaac. Caſaub.* initio Not. in Tactic. *Æneæ.*

In multis rebus non tam diligentiâ, quàm judicio & linguarum cognitione deſtitutum labi probatu declive eſt. *Grot.*

Africanus ſedulus potiùs ſcriptor, quàm exacti per omnia judicii. *Idem* ibid.

Per idem tempus [viz. Ann. *Chriſt.* 222.] *Africanus* librorum ſcriptor qui Κεστοὶ appellantur, magnâ commendatione ad hominum famam profluxit. *Baron.* ad Ann. 222. Ejuſdem *Africani* quinque alii libri de *Temporum* & *Annalium* ſerie, accuratâ quadam induſtriâ elaborati, ad nos pervenerunt. *Idem* ibid.

Iulius Africanus Chriſtianorum, meâ quidem ſententiâ, doctiſſimus. *Paul. Colomeſ.* in Paralipom. ad Chartophyl. Eccleſiaſt. p. 3.

Legimus *Africani* illius Hiſtoriam, qui *Ceſtos*, ut nominant, libris quatuordecim compoſuit. Conciſus quidem eſt, nihil tamen cognitu neceſſarium omittit. *Phot.* Cod. 34.

Africanum

Digitized by Google

Africanum noſtrum librum τῶν κεςῶν auctorem fuiſſe cum *Euſebio*, *Photio*, *Suidâ* ſtatuimus, ut de *Voſſio*, *Lambecio*, *Wiſtenio*, nihil dicam, quicquid dicant *Scaliger* & *Valeſius*, qui *Africano* cuidam Gentili, *Sexto* dicto, tribuunt. *Gul. Cave* in Chartophyl. Eccleſ.

Eidem Authori aſcribitur prætereà Diſſertatio quæ inſcribitur de *Ceſtis*, quæque ſub ejus nomine citatur, non tantùm à *Suidâ* & à *Sincello*; ſed etiam à Photio; imò & ab *Euſebio* Hiſtoriæ ſuæ lib. 6. cap. 31. ſi modò aſſictus non ſit hic locus, qui nec in Verſione *Ruffini*, nec apud D. Hieronymum legitur. Sed veriſimilius eſt id alterius cujuſdam Africani opus eſſe. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſtic. Tom. 1. p. 318.

Notandum à *Suidâ* 24. numerari *Ceſtorum* libros, *Photio* 14. aliis verò duntaxat novem. *Labbe* de Script. Eccleſ.

Iulius Africanus quædam præclariſſima habebat, ſed lapſibus non carebat, id nobis conſtat ex iis quæ ex eodem tranſcripſit *Euſebius*. Quàm eximia ejus fragmenta traditurus ſum! Scaligerana 2.

Accuratiſſima ejus, quæ confecit ſcripta, cum aliis genuinæ antiquitatis, interciderunt, præter fruſtula quædam, in *Euſebiano Chronico*, & inter *Baſilii*, *Origeniſque* opera conſpicua.

* *Iulii Africani* Opera pro *Apocryphis* habet *Gelaſius*.

Epiſtolam ad *Origenem* de Hiſtoriâ Suſannæ Græcè edidit David *Hoeſchelius*. Ann. 1602. Græcè & Latinè unà cum quibuſdam *Origenis* Opuſculis *Ioh. Rod. Wetſtenius* Baſil. 1674.

Extant Commentarii de *Ceſtis* M S S. tum alibi, tum in Bibliothecâ Clariſſimi Viri *Iſaaci Voſſii*

Chronicon *Africani* apud Chaldæos etiamnum extare ſcribit *Hebediesu*, penes quem fides eſto.

HERODIANUS.

clar. A. D. CCXXIV.

HIſtoricus, tempore *Maximini* Imp. claruit. *Reliquit* Hiſtoriarum libros octo. Incipit à morte *Aurelii Antonini*, & deſinit in morte *Balbini* & *Maximi*. Eum in *Latinum* ſermonem *Angelus Politianus* tranſtulit. Quâ de re ita *Whear.* " Haud ſcio, uter majorem laudem mereatur *Herodianus* ne " quem in linguâ ſuâ ubere venâ fluere non negaverim, an *Politianus*, qui " *Herodiani* ſcripta tantâ felicitate interpretatus eſt, ut non tranſtuliſſe, ſed ipſe " compoſuiſſe videri poſſit.

Artium minutiſſimus ſciſcitator vocatur *Ammiano Marcellino* lib. 22. cap. 42.

Ad fidem pleraque dixit. *Iul. Capitolin.*

Scriptoris hujus dictio clara eſt, atque perſpicua, quin & jucunda: vocibus autem utitur temperatis, neque ſupra modum *Atticis*, quibus nativa illa communis ſermonis gratia quodammodo violetur, nec rurſus in humilitatem quandam ita demiſſis, ut artem omnem illæ fugiſſe videantur. Adhæc nec ſupervacaneis tumet, neque

neque neceſſarium quid omittit: Sed, ut uno verbo abſolvam, omnibus Hiſtoriæ virtutibus paucis ſanè cedit. *Phot.* in Biblioth. cod. 99.

Circumſpicere cœpi quem potiſſimum ex omni *Græcorum* copiâ interpretandum ſuſciperem. Occurrit autem in primis *Herodianus* hic, excellens rerum ſcriptor, & quidem in *Palatinâ* verſatus *aulâ*, affectæque jam ætatis Hiſtoriam de ſuis temporibus componere aggreſſus, neque eloquentiæ caruit laudibus, & fidem in primis libertatemque retinuit----Copioſam quandam ad inſtruendos mores ſuppellectilem in hoc auctore inveniet lector, & tanquam ſpeculum humanitatis agnoſcet, in quod inſpicere omnis vita poterit, unde ea capere atque haurire documenta queat, per quæ vel publicis vel privatis rationibus conſulatur. *Angel. Politian.* in lit. ad *Innocent.* 8. P. M. quas *Herodian.* præmiſit.

Herodianus perſimilis *Thucydidi.* Nam eleganter Imperatorum res geſtas ab *Antonino* & *Commodo* ordiens, uſque ad *Gordianum* nepotem deſcribere conatus eſt, & conciones aptè ſuis locis effinxit. Sed poterat, quâ in re culpæ non caret, hiſtoriam ſuam *Conſulatibus* diſtinguere; quod in Hiſtoria eſt neceſſarium. *Franc. Robertell.* in lit. ad *Ioan. Baptiſt. Campeg.* tom. 1. de pop. Rom. vita & victu præmiſſ.

Imperatorum ſingulorum actiones & geſta diligenter & certo ordine enumerat. Concionibus gaudet, ſed brevibus. Acumine, brevitate, & ſententiarum gravitate *Salluſtio* comparandus. Si meliorum temporum res tanto ordine & eâ copiâ ſcripſiſſet, inter *Graecos* Hiſtoricos, qui *Latinæ* memoriæ mandarunt, principem locum proculdubio obtinuiſſet. *Carol. Sigon.*

Quod ſi quis *Dionem* & *Herodianum* velit comparare, *Dio* ſanè amplitudine argumenti, copiâ expoſitionis, frequentia pragmaticæ informationis præcellere videbitur; ſed ſtyli terſiſſima & temperatiſſima venuſtas, *οἰκονομίας* hiſtoricæ concinnitas, ſententiarum opportunitas & elegantia, judicii civilis gravitas & æquabilitas, compoſitionis univerſæ competentia in *Herodiano* longè lateque eminebit---Quod nonnulli in Rebus *Alexandri* & *Maximini* fidem ejus ſuſpectam, non magnis id videntur de cauſis facere, ſicut in notis oſtendimus. *Ioan. Henric. Boecler.* in *Herodian.* præfat. ad lector.

Non idem fuit in *Herodiano* ſtudium veritatis inquirendæ: nec ferè poteſt ejuſdem Principis virtutes ac vitia recenſere. *Bodin.* Method. Hiſt. cap. 4. de *Sueton.* locutus.

Veritati etiam ſtuduit: niſi quod fides ejus nutet in *Alexandro* & *Maximino.* Quod etiam obſervatum politiſſimo hujus Scriptoris Interpreti, *Angelo Politiano.* Et ante eum *Iulio Capitolino* in *Maximinis* duobus, ubi ait: *Herodianus Græcus Scriptor, ei quantum videmus in odium Alexandri plurimùm facit.* Similiter *Trebellius Pollio* in 30. tyrannis: ac *Lampridius* in *Alexandro Severo*, & in *Antonino Diadumeno.* *Voſſ.* l. 2. de Hiſt. Græc. c. 15.

Quamvis *Herodianum* hîc tantùm ſpectemus quatenus Hiſtoricum ſe profitetur; cum tamen acceperimus à *Suida* eum plurima ſcripſiſſe conjectare poſſumus, præter octo ejus Hiſtoriæ libros nobis ſuperſtites, eoſque admodum breves, eum alia plura opera concinnaviſſe, quæ ad nos minimè pervenerint.

Quam in rem obſervandum eſt eum primitùs *Alexandrinum Grammaticum* fuiſſe; æquè ac Pater ejus Apollonius cognomine Dyſcolus ſeu Moroſus. Quapropter fortaſſis etiam *Artium minutiſſimum ſciſcitatorem* eum nuncupat. *Ammianus Marcellinus*. Ut ut res ſit, meliorem ætatis ſuæ partem *Romæ* in *Aula Imperatorum* traduxit, ubi ei facultas fuit, ea curioſitate quam in ejus libris cernere licet, innumera præclara indagandi, quæ alibi non docemur. *Franc. Mothaus le Vayer*.

Hiſtoricus elegans, copioſiùs vocatur *Dempſtero*

Abſolutiſſimi ſtyli & Judicii Hiſtoricus, & ſine causâ ab Interpretibus inter vitarum Scriptores repoſitus *Boſius* de compar. prud. Civ. n. 29.

Herodiani libri Hiſtoriarum 8. ab exceſſu *M. Aurelii. Antonini* Philoſophi, uſque ad mortem *Balbini* & *Maximi*, prodierunt Græcè & Latinè cum Notis & animadverſionibus *Ioan. H. Boecleri* Argentorati apud *Ioſiam Stedelium* in 8. Anno 1662.

DIO CASSIUS.

Clar. A. D. CCXXX. QUi & *Coccius*, ſive *Cocceianus* vocatur. *Nicea* hic, *Bithyniæ* urbe, natus fuit, ac ſub *Commodo*, & proximis Imperatoribus, *Senatoriâ* gaviſus eſt dignitate: à *Pertinace* etiam ornatus; ab *Alexandro*, *Mammeæ* filio, ad Conſulatum fuit evectus, quem cum ipſo *Imperatore* geſſit. Extremâ ætate, cum boni ejuſce *Imperatoris* veniâ, *Niceam* abiit, ut reliquum vitæ tempus in urbe patria viveret. Hiſtoriam ad hunc uſque *Alexandrum* libris 80. perduxit. Ac orſus quidem fuit ab Urbe Conditâ. Sed primi 34. libri perierunt. Extant verò ſequentes 25. qui incipiunt à *Luculli* geſtis, ac deſinunt in morte *Claudii Caſaris*. Qui inde ſequebantur, itidem interciderunt. Attamen bene eſt, inquit *Voſſius*, quòd horum *excerpta* ſaltem habemus.

Unius interim, ſed latæ admodum culpæ abſolvere *Dionem* non poſſum; quòd quadam ſeu judicii, ſeu morum pravitate, virtutes ſuo pretio æſtimare neſcit; ſed virus ſuum ejaculatur in optimos, & præſtantiſſimos viros, ut *Ciceronem, Brutum, Caſſiumque* & *L. Senecam*. Omnino hæc aut inſignem judicii defectum, aut malam mentem, arguunt. Tranſtulit *Dionem Caſſium Xylander*: idemque à ſe, ſed liberiore ſtylo, factum ait *Robertus Conſtantinus* in ſuo ſcriptorum nomenclatore. Præter iſtos 130. libros, qui in decadas diſtribuebantur, etiam prodidit *Perſica, Getica*, Ἐνόδια ſive potius, ut *Hieronym. Wolphius* emendat, ἐνόδια itineraria; ad hæc res à *Trajano* geſtas, & *Arriani* Philoſophi vitam, auctore *Suidâ*. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. c. 15. l. 2.

Cùm *Dio* totum vitæ ſuæ tempus in *Rep.* gerendâ conſumpſerit, ac per omnes honorum gradus bis ad *Conſulatum* evectus, deinde *Proconſul* factus, *Provincias* ſummâ cum laude gubernarit, magnam denique bonarum *Artium* ſcientiam cum *uſu* conjunxerit. Quis dubitet eum inter optimos *Scriptores* cenſere? Profectò Comitiorum ac Magiſtratuum Romanorum totiuſque publici *Iuris* diſciplinam accuratè collegit: *Principum* verò conſecrationes & ἀποθεώσεις unus tradidit;

tradidit; & ea, quæ *Tacitus Imperii Arcana vocat*, penè ſolus evulgavit. Fuit enim publici conſilii diligens indagator. Videtur tamen ubique partes *Cæſaris* adverſus *Pompeium*, & *Antonii* adverſus *Ciceronem* datâ operâ tueri voluiſſe: illa verò portenta quæ in Acie *Marcomanorum* contigerunt, *Arnulpho Ægyptio*, non *Chriſtianis* tribuit, contra quam *Tertullianus*, *Euſebius*, *Oroſius*, *Iuſtinus*, *Paulus Diaconus*, ac *Marcus* ipſe *Aurelius* in ſuis ad *Senatum* literis teſtantur. *Bodin.* in Method. legend. Hiſt. p. 64.

Hiſtoricus diligentiſſimus vocatur. *Dempſtero.*

Maximæ fidei & auctoritatis Hiſtoricus. *Rupert.* ad lib. 2. ff. de O. I. cap. 1.

Prudentiſſimus profectò graviſſimuſque Scriptor, nemineque utilitate & diſciplina Hiſtorica inferior. *Boſſius* de Compar. prud. Civ. n. 29.

ipſe αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος, quæ ſuam ætatem attinuerunt, omnia penitiſſimè inquiſivit, præteritorum memoriam ex publicis Monumentis recollegit, & quia in clariſſima luce Romanæ Reip. multos annos vixit, ſolus arcana Reip. intellexit, notiſque conſervavit, veteres leges ac ſolennes formulas diligentiùs expreſſit, ut in illo nihil poſſit deſiderari, *Tilem. diſcipl. Philol.* pagin. 202.

Inferior hôc [*Dionyſio Halicarnaſſenſi*] *Dio Caſſius* eſt, ut tamen & ipſe Politicum ſeſe probet aptumque docendis τοῖς μοναρχικοῖς fortaſſis & in Ariſtocraticis & Democraticis Inſtitutis parem laudem à nobis referens, niſi ampliſſimæ Hiſtoriæ totos 34. priores libros, quibus res ab Urbe Conditâ ad *Luculum* uſque tradidit, ævi infœlicitas detraxiſſet. Inſignes certè ſunt ſuperſtites 25. libri, quamvis in morte *Claudii* deſinant: & nihil vulgare ſapiunt ipſa reliqui Operis *Xiphiliniana* Excerpta. *Conring.* de Civ. Prud. Cap. 14.

Judicii, quo præditus eximio fuit, & prudentiæ civilis, cùm alia licet opere toto ſparſa colligere argumenta, ſanè quàm illuſtria, tum ex illis, quæ initio libri 42. de admiſſis à *Pompeio* poſt cladem *Pharſalicam* variis erroribus; quæ libri hunc ſequentis initio, de populari civitatis Romanæ ſtatu in *unius* imperium mutato; quæ denique libro 47. de dominatione *unius*, ex comparatione *Triumviratus*, præ quo C. *Cæſaris* Imperium fuit aureum, ſapientiſſimè diſſeruit. Ex his enim, quæ pauca producimus è multis, velut ex ungue *Leonem*, quod aiunt: ita, quanto *Caſſius* noſter uſu rerum valuerit, facilè quivis agnoſcet. *Ioan. Leunclav.* prolegom. ad *Dion.*

De *Dione* aliud eſt; quem legendum cum judicio aio, nec fidei ejus uſquequaque fidendum. Sæpè adulatur, ſæpè hallucinatur: utrumque ideo, quia *Græcus*, & ingenii minimè conſtantis. Quædam audaciùs in moribus externis, quædam vanius affirmat. *Lipſ.* l. 4. Epiſt. Quæſt. Epiſt. 3.

Summa eadem divitiarum *Seneca* expreſſa à Dione: qui omnes res relictas habet prout culpet virum inculpatum. Ita adulterium ei objicit cum *Agrippinâ*; *pullarium* eum fuiſſe ait, idemque vitium ab illo inſitum *Neroni*: cauſam uxoremque interfectæ Matris: aliaque, quæ homo vanus, præter fidem, prætérque omnium mentem conviciatur velut è plauſtro. Quibus odii cauſis? aut

quo mendacii pretio? Nam *Seneca* tanto anterior, non beneficio cognitus illi. Sed credo, judicii quadam morumque perverſitas fuit, quæ eundem illum in *Ciceronem* exacuit, quæ in *Caſſium*, *Brutum*, omneſque bonos. Caveat ab his, moneo, juventus; & è campis illis ita antiquitatum & hiſtoriæ flores legat, ut non colligat venena. *Idem* commentar. ad *Tacit.* l. 13. Annal. num. 125.

Dionem Caſſium à veritatis orbita ſæpè deflectere, haud eum fugit, qui vel illa legit, quæ memoriæ tradidit de *Cicerone*, *Caſſio*, *Senecâ*---- *Dio Caſſius* nuſquam ad minutias dilabitur; vel ſi quid, quod levius videatur, minimè prætermittere volet, excuſatione utitur, ut facilè liqueat, neutiquam imprudentiâ, vel inſcitia, peccare. *Voſſ.* De Arte Hiſtor. p. 49. 66.

Ea eſt humani animi Imbecillitas, ut ingentem illam verborum curam rerum incuria plurimùm conſequatur. Ita obſervatum eſt à viris doctis, *Dionem* multùm rhetoricari in præliorum deſcriptione; ſed eorum, quæ ad rem militarem requiruntur, exiguam oſtendere peritiam, propè dixerim nullam. *Idem* ibid. p. 140.

Grandis ejus ſermo & tumidus, eò quòd rerum ingentium ſenſa adferat. Veteris item ipſi conſtructionis Sermo plenus; verborumque, quæ rerum magnitudini reſpondeant. Periodi parentheſibus trajectæ. & *hyperbatorum* opportunus uſus. Numeri porrò & intercisio, etſi accuratè adhibita, ob orationis tamen perſpicuitatem, obiter legentibus non ſunt manifeſta. In narrationibus præterea & concionibus, *Thucydidis* maximè eſt æmulus; niſi quòd ad perſpicuitatem magis tendit: cætera ferè *Thucydides* illi norma eſt, ac regula. *Phot.* in Biblioth. cod. 71. *Andr. Schott.* Interp.

Nihil penè nos fugeret in rebus *Romanis* (tanta diligentia & accuratio fuit) ſi *Scriptor* ille totus extaret. *Lipſ.* De Magnitud. Rom. l. 3. c. 13.

Dio Caſſius apud pleroſque authoritate caret, ob res inſolentes quas ſine judicio narrat; tantùm enim abeſt ut veritati addictum ſe præbeat, ut potius à veroſimili longè abeat; ut Hiſtoriæ ſuæ libro 66. ubi dicit *Veſpaſianum* ſanaviſſe cæcum quendam Oculos ejus ſputo ſuo illinendo. *Rapin.* Reflex. in Hiſtor. Sect. 28. Gall.

Dio Caſſius ſive *Cocceius*, Hiſtoricus, *plagii* notatur ab *Henrico Valeſio*, quòd è *Sullâ Plutarchi* capita non pauca ſua deſcripſerit ad verbum. *Hen. Valeſ.* Not. in excerpt. *Peireſcian.* è *Dione* p. 91. Ed. Paris. An. 1634.

* *Ioannis Leunclavii* in *Dionis Caſſii* Hiſtoriam *Romanam* Notæ, *Francof.* 1592. cum expurgationibus permittuntur. *Index Madrit.*

Dionis Caſſii Hiſtoriæ Romanæ libri XXV. ſuperſtites ex LXXX. qui incipiunt à *Luculli* geſtis, ac deſinunt in morte *Claudii Cæſaris*, in lucem editi ſunt Græcè cum verſione *Guilielmi Xylandri* in fol. apud Henricum Stephanum anno 1591.

ORIGENES

Digitized by Google

ORIGENES.

ADamantius dictus, ob indefatigabile ſtudium, *Alexandria* natus, an. 186. ibique Presbyter & Scholæ *Catechetica* Magiſter: Claruit anno 230. à *Demetrio* anno 233. *Alexandriâ* pulſus, obiit *Tyri* ann. 254. *Gul. Cav.* Clar. Anno D. CCXXX.

Opera genuina ferè infinita ſunt.

Opera ſuppoſititia ſunt: Libri *Iob.* Tract. III. & comment. in eundem---Commentarius in *Evangel. S. Marci*---Homiliæ in diverſos-----De Sectis Philoſophorum, & Dogmatibus----Lamentum *Origenis*---Scholia in orationem Dominicam, & in cantica B. Virginis. Zachariæ & Simeonis.

Opus Dubium eſt Dialogus contra *Marcionitas*, de rectâ in *Deum* fide. Extat Græc. Lat. *Gul. Cave.*

Negari non poteſt *Origenem* ſæpius accuſaſſe Judæos quòd *Scripturam Sacram* adulteraverint, nec idem iis à S. Hieronymo crimen quandoque objectum fuiſſe. Sed ſi duorum illorum *Patrum* ſcribendi modum attentè perpendamus, illos, ut ad aliorum opinionem ſeſe accommodarent, contra ſui ipſorum ſententiam ſæpe locutos eſſe fatebimur. Ric. *Simon*, Hiſt. Critic. V. T. lib. 1. cap. 19. Gall.

Origenes primus inter Patres ad *Librorum Sacrorum* ſtudium animum maximè intendit. Hinc eſt quòd Methodo ab aliis *Patribus* qui ipſum præceſſerunt longè differat: Ac de illo dici poteſt quod neminis opera exſcripſerit, quamvis eorum legiſſet Commentaria qui ante ſe in *Biblia* ſcripſerant, cùm contra plerique eorum qui poſt illum vixerunt, ferè tantùm libros ipſius exſcripſerint. Hac de cauſa D. *Hieronymus* primum *poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum* illum nuncupavit. Quia valdè eruditus erat, ſuis in *Scripturam Commentariis* ſe in *Librorum Sacrorum* & *profanorum* Authorum ſtudio æquè exercitatum oſtendit. *Allegorias* præſertim in deliciis habebat, non modò quia *Platonicorum* Philoſophorum Scripta legerat, ſed etiam quia *Scriptura* hac ratione ſublimitatis famam conciliare putavit, quæ *Ethnicis* ſimplicior videbatur. Plurimi tamen faciebat *Literalem Bibliorum ſenſum*; ſed Allegoriam utiliorem cenſuit ad *Eruditos* ſæculi ſui ad Religionem Chriſtianam alliciendos. Uſque ad ſexies mille Volumina ſeu chartæ Spiras numerant, quas in *Scripturam* conſcripſerat. Ut ut res ſit, hoc ſaltem conſtat, neminem unquam æque ac ipſum in *Biblia* laboraſſe, ſive, ad *Textus* emendationem, ſive ad ejuſdem explanationem. Si ejus *Scholia* ſeu literales *Notulas* in *Scripturæ Textum* & *verſiones* haberemus, de profunda ejus eruditione & magna animi ad *Criticam Librorum Sacrorum* attentione meliùs judicare poſſemus. Satis etiam in *Hebraicis* verſatus erat, ut à *Judæis* quos interdum conſulebat facilè non deciperetur; ejuſque ingenii vaſtitas efficiebat, ut multa detegeret ad *Scripturarum* elucidationem utilia. Ejus Ingenii vis, Judiciique ſoliditas agnoſcitur in ejus *Homiliis* ſeu ſermonibus quos ex tempore dictabat aut pronuntiabat. Licet enim ſingularibus ſententiis creberrimus ſit, tot tamen inutilitates & digreſſiones in illis non deprehenduntur ac in

Digitized by Google

plerotumque aliorum *Patrum Homiliis*. Multò plus eruditionis inerat *Commentariis* ejus, ſeu *Tractatibus*, in quibus *Scripturæ* ſenſum profundiùs ſcrutabatur; & *S. Hieronymus* obſervavit illum in ejuſmodi *Operibus* ad *Hebraicum Textum* confugiſſe, ne quid negligeret quod ad Librorum Sacrorum elucidationem conducere poſſet. Nimium tamen eruditionis admiſcuiſſe videtur ſuis in *Scripturam Operibus*, & à *Bibliorum* ſimplicitate longè nimis obiviſſe. Sed cum acuti & penetrantis eſſet ingenii, ſolum ſublimem ſenſum in pretio habebat, & neſcio quam interpretationem quam *Spiritualem* vocabat; *ſenſumque litteralem* faſtidiebat, quem nihil non humilius ſimpliciuſq; redolere putabat. Vitioſa tamen eſt ejuſmodi *Methodus*; quia res non ſunt explicandæ juxta ingenii noſtri acumen, & ideas quas de illarum humilitate vel ſublimitate formamus, ſed quales ſunt in ſe ipſis & in ſua natura ſunt conſiderandæ. In quo hallucinati ſunt plerique eorum qui *Platonicorum* libros, ut exemplar imitandum ſibi propoſuerunt. Si ſemel hæc aperiatur feneſtra, quiſque ſublimes & ſpirituales ſenſus ſecundùm propriam indolem finget; & ita ſordebit *hiſtoricus* & *literalis Bibliorum ſenſus*. Verum eſt quod *Origenes* in hoc excuſabilis fuiſſe videatur, quia experientiâ didicerat *Scripturæ* literam ad inſtitutionem parum conducibilem eſſe; contrà verò ſuas *Allegorias* Auditorum ſuorum animas excitare, & ad Lectiones ſuas attentiores reddere. Idem ibid. l. 3. c. 9.

Origenes Adamantius, patriâ *Alexandrinus*, *Leonidæ Martyris* filius, *Ammonii* præſtantiſſimi Philoſophi in Philoſophia, & *Clementis Alexandrini* in ſacris dogmatibus auditor, ac diſcipulus. Vir tantæ fuit eruditionis & ingenii, ut ei parem doctiſſima *Græcia*, feliciſſimorum ingeniorum parens, nunquam habuerit. *Sixt. Senenſ.*

Athanaſius eum fidei ſuæ teſtem locupletiſſimum vocat.

Severus Sulpitius aſſerit, eum in illâ parte, quâ probatur, neminem poſt *Apoſtolos* habuiſſe æqualem; in eâ verò, quæ jure reprehenditur, neminem deformiùs erraſſe. *Hieronymus*, quanquam ſatis acerbè interdum in eum invehitur, tamen maximè admiratur ejus eruditionem; eundemque prædicat *ſacrorum omnium expoſitorum victorem*.

Origenes adamantius à D. *Hieronymo Chalcenterus* dictus, id eſt habens *æra inteſtina*, rarum ſapientiæ ſydus, atque utinam non caducum. Dum enim faſtidit literam, Hiſtoriam penè omnem in Allegoriam vertit; & dum ſublimiora ſectatur, corruit in profundum, *Ioan. Bona.* Card.

Certè magno fuit vir ingenio, atque excellenti eruditione *Origenes*: uti non immeritò ſcientiam illius optaverit *Hieronymus*, etiam cum invidiâ nominis. Fuit ille quidem pernicioſorum dogmatum author; ſed tamen, quia præſtantiſſimus erat *Sacræ Scripturæ* interpres, ita ſpernendi ejus errores fuere, uti nihil derogaretur ſummis ejus virtutibus. Falli & Hallucinari humanum eſt. Solitudinem quærat oportet, qui vult cum perfectis vivere. Penſanda vitiis bona cujuſque ſunt, & qua major pars ingenii ſterit, ea judicandum de homine eſt. *Petr. Cunæus* de *Rep. Heb*. p. 294. 295.

Quid aliis uſu veniat, neſcio: in me certè comperio, quod dicam: Plus me docet

Digitized by Google

docet Chriſtianæ Philoſophiæ unica *Origenis* pagina, quam decem *Auguſtini*, *Eraſm.* Epiſt. l. 2. Epiſt. 26.

Erat in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus adeò, ut ipſis *Chriſtiani* nominis hoſtibus admirationi fuerit. *Porphyrius* arcem totius eruditionis tenuiſſe dicit. *Konig*.

Eſt certè hic *Scriptor* adeò omnibus modis impurus, ſive ita ipſe ſcripſit, ſive depravata poſteà fuerant ejus *Scripta*, ut nullam in *Eccleſiâ* authoritatem in rebus controverſis mereatur. *Theod. Beza* in Epiſt. 28.

Quamvis doctiſſimus fuerit, deceptus tamen ex *Platonis* Philoſophiâ in multos errores incidit; S. *Baſilius* in libro de *Spiritu Sancto* c. 20. dicit *Origenem* non habuiſſe ſanas de Spiritu Sancto opiniones: *S. Epiphanius* in libris de *Hæreſibus* ponit *Origenem* in numero aliorum *Hæreticorum*: *S. Hieronymus* vertit in *Latinum* idioma libros *Origenis Periarchon*, ut oſtenderet errores plurimos, quibus libri illi ſcatent. Denique in quinto *Synodo generali*, collatione 8. canon. 2. dicitur *Anathema Origeni*, & Scriptis ejus. *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Quantùm attinet ad *Cypriani* æqualem *Origenem*, ex quo uno ſi ſalvus perduraſſet plus lucis nobis accederet quàm ex reliquis aliis, & à quo forſan potius quàm à cæteris omnibus haberemus in quo acquieſceremus, paucula ſunt, & maximam partem, fœdè lacera, & miſerè immutata quæ ſub illius nomine feruntur. Magni enim & mirandi iſtius viri monumenta, neque temporum, neque hominum injuriam ſuperare potuerunt. Atque haud ſcio annon horum invidia graviùs eum afflixerit, quàm ipſa tot ſeculorum vetuſtas quæ ab ipſius morte ad nos fluxerunt. *Dall.* de uſu *Patr.* l. 1. c. 1.

Epiphanius & *Rufinus* eum ſex millia voluminum in *ſacras Scripturas* elaboraſſe referunt. *Vincentius Lirinenſis* addit, neminem mortalium plura ſcripſiſſe, quàm *Origenem*; cujus *Opera* non ſolùm non perlegi, ſed ne inveniri quidem poſſibile eſt.

Quidam inter ſummos *Eccleſiæ* Proceres dicere non dubitabant. *Malle ſe cum Origene errare, quàm cum aliis verum ſtatuere.*

Celebre de eo vetuſtatis judicium eſt, *Origenes ubi benè, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejus.*

Origenes optimè ſcripſit contra *Celſum*, ſed reliqua nihil valent. *Scaligerana* 2.

Inter *Origenis* opera hoc opus contra *Celſum* eſt, meo judicio, longè pulcherrimum atque ampliſſimum. *Tan. Fab.* Epiſt. l. 1. Ep. 43. p. 140.

Hic amore caſtitatis ſe caſtravit: Novum & Vetus Teſtamentum memoriter novit: jam ſenex *Hebraicam* didicit *Linguam*. *Ioann. Wolf.* centur. 3. lection. Memorab.

Origenis libri contra *Celſum* præſtantiſſimum opus ſunt & profunda eruditione refertum---Liber hic politiſſimè magna animi attentione exquiſitaque methodo ſcriptus eſt. Non modò optimum *Origenis* opus eſt, ſed etiam *Apologia* pro *Chriſtianis* abſolutiſſima & elaboratiſſima omnium earum quas nobis tranſmiſit *Antiquitas*. *Ell.* du *Pin*. Nov. Biblioth. *Author. Eccleſiaſtic.* Tom. 1. p. 388. 389. Gall.

libri

Libri *Principiorum* magna cura ſcripti erant, & utiliſſimi, fuiſſent ſi ſatis habuiſſet *Religionis* Principia ex *Scriptura & Traditione* explicare, imaginationes ſuas Philoſophicas iis non admiſcendo. Politioris ſtyli ſunt *Homiliis* ejus *Commentaria* in *Scripturam* magnaque eruditione plena, ſed accuratione debita carent, plurimaque inutilia, obſcura & intricata continent. Sæpè poſt explicationem aliquam inchoatam ad aliam ſe confert præcedente nondum abſoluta. Ejus Homiliæ ſimpliciores & intellectu faciliores ſunt, ſed harum ſtylus minùs elegans eſt. Idem ibid.

Extant *Origenis* opera omnia Græco. Latina Tomis 2. in fol. an. 1679. per *Danielem Huetium. Pariſiis* apud *Andr. Pralard.*

DIONYSIUS LONGINUS.

Clar. An. D. CCXLVIII. SOphiſta, tempore *Severi* Imp. *Athenis* docuit. Erat *Porphyrii* Philoſophi Præceptor, & *Zenobiæ*, *Palmyrenorum* Reginæ à Conſiliis. Occiſus eſt ab *Aureliano* Imp. eo quòd *Zenobiæ* author fuiſſet, ut *Romanis* ſeſe opponeret, & ſuperbiorem ei Epiſtolam dictaſſet.

Multa admodum *ſcripſit*, quorum pleraque apud *Suidam* legi poſſunt. Hodiè nihil ejus extat, præter opuſculum illud elegantiſſimum περὶ ὕψȣς, De ſublimi Charactere, & Fragmenta quædam apud *Porphyrium* in vita *Plotini* & apud *Euſeb.* l. 15. *Evangel.* Præparat.

Suidas Longinum Philoſophum vocat; ſed *Plotinus* eum dicebat φιλόλογον μὲν, φιλόσοφον δὲ ȣδαμῶς, *Politioris* quidem *Literaturæ peritum*, *Philoſophum* vero *minimè*.

Eunapius eum vocat Βιβλιοθήκην ἔμψυχον, καὶ περιπατȣ̃ν μȣσεῖον *Bibliothecam vivam*; & *ambulans Muſeum*

Dionyſius Longinus Caſſius, mordax *Criticus*, & Rhetor præſtantiſſimus, atque egregius Philoſophus, Magiſter *Porphyrii*, quem Eunapius in vitâ *Porphyrii*, & ipſe *Porphyrius* in vitâ *Plotini* valdè commendant. *Ioan.* Card. *Bona.*

Denique *Dionyſio Longino*, Rethori κριτικωτάτῳ, qui ſub *Aureliano Cæſare* de hoc charactere [de *ſublimi ſtylo*] ablectum & planè aureolum reliquit libellum, appellatur ὕψ☉. *Voſſ.* Inſtitut. Oratoriar. l. 6. p. 433.

Ariſtoteles, *Cicero*, *Quintilianus* & *Longinus Rhetoricæ Tractatus Antiquitatis* abſolutiſſimos nobis reliquerunt. *Rapin.* Reflex. in Eloquent. Refl. 1.

Longinus magnus Magiſter dicendi; nec minor exiſtimator ſcriptorum alienorum. *Petr. Victor.* l. 35. Var. Lect. c. 11.

Certè *Moſen*, quòd de *Deo* magnificâ ſit oratione uſus, laudat *Paganiſmo* deditus *Longinus*, impii illius *Porphyrii* præceptor, ut *Eunapius* & *Suidas* tradunt, ac *Porphyrius* ipſe agnoſcit. *Idcirco* [inquit *Longinus*] *Iudæorum legiſlator, vir haud vulgaris, quandoquidem divini Numinis virtutem pro dignitate cognovit ac divulgavit; ſtatim in ingreſſu atque initio legum ſcribens: Dixit Deus; quid inquit? Fiat Lux, & facta eſt; Fiat terra, & facta eſt.* *Voſſ.* Inſtitut. Orat. l. 6. p. 446.

In *Longini* Libellum περὶ ὕψȣς notas eruditas ſcripſit *Gerh. Langbainius*, An. 1636.

1636. 8o. *Oxon.* Prodiit idem cum illuſtratione *Caroli Manoleſſii*, 4o. *Bononiæ* 1644. Græcè & Latinè cum Notis *Tanaquilli Fabri* Salmurii anno 1663. in 8o.

CÆCILIUS CYPRIANUS.

C*Arthaginienſis*, ex Gentili *Chriſtianus*, ex Rhetore primùm Presbyter anno 247. dein ab anno 248. Epiſcopus *Carthaginienſis*, capite damnatus,& gladio animadverſus anno 258. *Chartophyl.* Eccleſ. *Gul. Cave.* Extant opera *Pariſ.* 1666. & *Oxon.* 1682. fol. Clar. An. D. CCLVIII.

Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, natione *Afer*, ante ſuſceptam fidem glorioſè Rhethoricam docuit: Sed ſuadente Presbytero *Cæcilio*, à quo & cognomen ſortitus eſt, ad *Chriſtum* converſus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogavit; ac poſt non multùm in *Presbyterum* & Epiſcopum *Carthaginis* electus, multa piiſſima opuſcula elegantiſſimæ Phraſeos & *Ciceroniano* candori proximæ ad ædificationem *Eccleſiæ* ſcripſit. In quibus, ut *Hieronymus ad Paulinum* ſcribens, ait, *inſtar fontis puriſſimi lenis inceſſit & placidus.* Sixtus Senenſ.

Unus igitur præcipuus, & clarus extitit *Cyprianus*, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis Oratoriæ profeſſione quæſierat; & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, & (quæ Sermonis maxima eſt virtus) aperto; ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo,an facilior in explicando,an potentior in perſuadendo fuerit.*Lactant.* l. 5.Inſtitut.

Non alium video inter eos, qui Latinè ſcripſerunt, qui ad *Apoſtolici* pectoris vigorem propiùs accedat: ubique ſentias *Paſtorem* loqui, ac *Martyrio* deſtinatum. *Eraſm.* Epiſt.l.2. Epiſt.18.

Non poſſum equidem inficias ire, quin olim inter *orthodoxos Scriptores* primas tribuerim *Hieronymo*: Verùm ubi *Cyprianum*, quem priùs & carptim & oſcitans legeram, propiùs ſum contemplatus animi dubius reddor utrum utri præferam, adeò ſuis uterque virtutibus ſummus occurrit. Quòd ſi hoc nomine jure præfertur *Demoſthenes*, quod propiùs acceſſerit ad verum illud ac naturale dicendi genus, & longiùs abſit ab *umbrâ Declamatoris*, longè præcellit hac parte *Hieronymum Cyprianus*: Magis ubique ſerius, ac minus affectans; cùm *Hieronymus*, quemadmodum & *Tertullianus*, in riſu penè ſit immodicus, ſubinde deſidens in *expatiationibus*, plurimum admiſcens ex profanâ literaturâ:Quæ dotes, ſi laudi dantur, non tam defuere *Cypriano*, quàm vel ſpretæ ſunt, vel neglectæ. Nihil in hôc reperies quod ad oſtentationem ingenii videri poſſit aſcitum, aut quod ullo pacto vafritiem ſapiat, quæ non abeſt *Hieronymo.* Idem ibid.lib. 28. ep. 6.

Cæterùm cùm *Lucubrationes* ab eo relictæ ore omnium in Eccleſiâ ſint celebratæ; quidnam autem eſt quod *Gelaſius Papa* in *Romano Concilio*, ſtatuto *Canone* de libris Apocryphis, cenſuerit *Cypriani Opuſcula* apocrypha eſſe: At per *Opuſcula* certè non alia ab eo eſſe opera ſignificata, quàm editos ab illo de rebaptizatione Hæreticorum tractatus, exiſtimamus; qui uno volumine *opuſculo-*

Digitized by Google

rum titulo inſcripto, continerentur. *Baron.* 2. vol. ad an. 261.

Cùm jam *Chriſtianam* Religionem amplexus eſt, deriſum à *Gentilibus*, ac vilipenſum, & loco *Cypriani*, dictum *Coprianum*, his verbis teſtatur *Lactantius*: *Audivi quendam hominem diſertum ſane, qui eum jam mutatâ unâ literâ, Caprianum* (immò ut emendatiores codices habent, *Coprianum*, nempe ſtercorarium) *vocaret:* Quaſi quòd elegans ingenium & melioribus rebus aptum, ad aniles ſe fabulas contuliſſet. *Idem* ibid. ad ann. 250.

Cyprianum, virum ſanctiſſimum *Carthaginienſes* ad unum omnes in primis colunt, cui templum planè memorabile extra urbem ad littus maris extruxerunt: eumque cùm aliis pietatis officiis venerantur, tum feſtum diem, quem *Cypriana* vocant, quotannis celebrant. *Evagr. Scholaſtic.* l. 4. c. 16. Eccleſ. Hiſt.

Verſus ſcripſit *Cæcilius Cyprianus*, *Afer*, Pontifex Carthaginienſis, qui *Valeriano* Imperatore pro *Chriſto* neci traditus eſt. Cujus *Opera* ſoluta oratione omnibus nota, nec commendatione indigent. At verſus, quia parum cogniti vobis, tantum indicare volui. Sunt verò, quos ego legi, ſexaginta novem Heroici, *De ſancta Crucis Ligno*, quos ſi ſemel legatis, iterum & ſæpè legetis. *Lil. Gyrald.*

Tertulliani unicus admirator *Cyprianus*, ut etiam eum propter excellentiam *Magiſtrum* vocitare ſoleret, illius ſententiarum quaſdam liberè ſecutus eſt, ac, inter cæteras, iſtam de *rebaptizandis Hæreticis*, quam mordicùs tenuit--Idem beatus *Martyr* in ſui ſeculi errore verſabatur, putans omnibus Baptizatis, ne pueris quidem exceptis, *Euchariſtiam* eſſe ad ſalutem neceſſariam. *Dall.* de *vero uſu Patrum*, p. 262. 263.

Quod de D. *Cypriani* Operibus nobis ſupereſt majorem ob amiſſa dolorem in nobis excitat. Nulli enim libri utiliores illis ad veræ *Theologiæ* ſolidam notitiam comparandam. In illis quæ fuerit antiqua *Eccleſiæ* Diſciplina cernere licet. Singularia quædam ad *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* intelligentiam perneceſſaria hinc hauriuntur, & plerarumque difficultatum in primis *Conciliis* occurrentium elucidatio ibi reperitur, quarum ſolutionem alibi fruſtra quis quærat. *Ephemerides* Gallic. Eruditor. VIII. Febr. 1666.

* *Deſiderii Eraſmi* in D. *Cyprianum* annotationes, cum *expurgatione* permittuntur. *Index Madrit.* edit. Ann. 1667.

Non me terret auctoritas *Cypriani*, quia reficit humilitas *Cypriani*; magnum quidem meritum novimus *Cypriani* Epiſcopi & *Martyris*. *D. Auguſtin.* l. 2. de Bapt.

Beatiſſimus *Cyprianus* velut oleum decurrens in omnem Suavitatem linguâ compoſitâ: Declamator inſignis, Doctorque admirabilis. Quantos enim ille dubitantes non pertulit labi, lapſos verò firmiſſima prædicatione ſolidavit, confeſſores ad *Martyrium* ipſe perduxit? & ne minor eſſet prædicationibus ſuis; ipſe quoque *Martyrii* corona, Domino præſtante, decoratus eſt. *Caſſiodor.* Divin. Lect. c. 19.

Omnia Sancti *Cypriani* Opera edita in fol. *Oxonii* anno 1682. è Theatro *Sheldeniano*, correcta ad Manuſcriptos Codices, qui ſummâ cura allegantur, recognita & illuſtrata per *Joannem Fell. Oxonienſem* Epiſcopum.

PLO-

Digitized by Google

PLOTINUS.

PHiloſophus *Platonicus Ægyptius* natione, è civitate *Lyco*, diſcipulus *Ammonii*, Philoſophi *Chriſtiani*, præceptor *Porphyrii*, *Galieni*, *Taciti* & *Probi* temporibus. Sub *Philippo Roma* docuit, non *Idololatras* modò, ſed & *Chriſtianos* habens Auditores, à quorum religione non multùm abhorrere creditus eſt. *Civitatem* conditurus, ad *Platonis* ideam, *Galieni* Imp. opem imploravit, ſed hic à *Conſiliariis* ſuis eſt abſterritus. Fuit corpore gracili, tenui valetudine, morboque Sacro obnoxius. *Scripſit* de Rebus Philoſophicis libros 54. in *Enneadas* ſex diſtributos, quos *Latinè* interpretatus eſt *Marſilius Ficinus*. *Porphyrius* illum quoque contra *Gnoſticos* ſcripſiſſe addit. Doctrinam ejus *Ficinus* egregiè explicavit. Obiit Anno 270. ætatis 66. *Amelii* Præceptor: tanta virtutis veneratione ſuperſtitibus relicta, ut aræ paſſim ipſi, veluti *Deo*, extruerentur. *Hofman.* Clar. An. D. CCL.

Plotinus in diſputationibus ſtrenuus, ad inventionem ſolers, ad opportuna percipienda promptiſſimus, ſoli tamen intelligentiæ ſtudens, nihil de *Orthographiâ* curabat. Qui ad hunc legendum accedunt, hos mente ſublimiore eſſe convenit, nam cæteri homines animum habent, hic verò non animum, ſed intellectum. Quæ ſcribere conceperat, ita animo diſpoſuerat, ut è libro quodam antè oculos poſito exſcribere videretur: ſique ab aliquo interrumpebatur, peracto negotio, non repetebat Scripta, ſed ſequentia contexebat, quaſi nihil intermiſiſſet. *Porphyr.* in vit. *Plotin.*

Ob vim ingenii cœleſtem & dictionis obliquam, & ab ænigmatum obſcuritate non alienam rationem, gravior & à populari captu disjunctior videbatur. *Eunapius* in *Porph.*

Plotinus certè noſtræ memoriæ vicinus temporibus, *Platonem* cæteris excellentius intellexiſſe laudatur. *Aug.* de Civit. *Dei* l.8. c.10.

In *Plotino Auguſtinus* l. 3. Acad. videri *Platonem* revixiſſe ſcribit. Ita fuit ille os *Platonis* in Philoſophia purgatiſſimum & luciditiſſimum, dimotis nubibus erroris. *Macrobius* quoque Principem Philoſophiæ facit *Plotinum* cum *Platone*. *Lud. Viv.* comment. in loc. prædict. *Auguſt.*

Qui hunc audit, *Platonem* audire ſe putet: aut enim in *Plotino Plato* revixit, aut Dæmon idem prius *Platonem*, deinde *Plotinum* afflavit *Marſil. Ficin.* in Epiſt. ad Lect.

Plotinus Platonicus profundiſſimus, & à populari captu omninò disjunctus. Genus dicendi ſectatus eſt horridum & incultum, verborumque ac ſententiarum obſcuritate perplexum. *Joan.* Card. *Bona.* in Notit. Auctor.

Plotinus magis quàm quiſquam verborū parcus. *Macrob.* in ſom. *Scip.* l.2. c. 12.

Vir ſapientia inclytus vocatur *Lipſio* cent.4. Miſcellan. Epiſt.39.

Philoſophus maximi nominis, quique poſteris exemplum doctrinæ præbuit. *Barth.* ad *Zach.* pag.284.

Plotinus Numenii inventa & dogmata ſibi tribuere à maledicis quibuſdam dictus eſt, quo *plagii* crimine ut liberaretur, *Amelius* librum ſcripſit de *Differen*-

Digitized by Google

tiâ doctrina Plotini & Numenii. Joan. Jonſ. de ſcript. Hiſt.Philoſ. l. 3. c. 10.

De *Platonica*, ut & *Pythagorica Philoſophia* Principiis, ſcripſere olim *Numenius*, *Cronius*, *Moderatus*, & *Thraſyllus*, qui *Tiberiano* ævo vixit: Sed omnium ante ſe induſtriam curâ accuratâ vicit *Plotinus*. *Voſſ.* de Philoſ. Sect. p. 72.

Plotinus non modò Hæbræorum Patrum, ſed Piſcatorum quoque ac Salvatoris noſtri perdoctus traditiones. *Theodoret.* de curandis Aff. Græc. lib. 6.

Sed redeo ad *Plotinum*, cujus morientis verba literis planè aureis, & ſi quid auro reperitur etiamnum pretioſius, perſcribenda: quia quid noſtrûm cuique meditandum obeundumque ſit, ſumma veritate præſcribunt, non duxi per incuriam transmittenda. Nam cùm jamjam foret animam acturus, perrexit ad eum inviſendum *Euſtochius*, ſicuti ab eodem relatum ſibi, *Porphyrius* ſcribit: habitabat is *Puteolis*. *Adhuc* (inquit *Plotinus*) *te expecto, atque equidem jam adnitor, quod in nobis divinum eſt ad divinum ipſum quod viget in univerſo, redigere.* Spiritumque his verbis emiſit. *Rhodogin.* Lect. Antiq. l. 21. c. 10.

Plotini Philoſophiæ *Platonicæ* libri 54. in ſex Enneades diſtributi prodierunt *Græcè* cum Interpr. *Marſilii Ficini* & Commentariis. *Baſileæ* in Fol. An. 1580.

GREGORIUS.

Clar. Anno D. CCLIV. ANteà *Theodorus* dictus, Epiſcopus fuit *Neocæſarienſis*, & à magnitudine miraculorum patratorum *Thaumaturgus* appellatus, auditor fuit *Origenis*, dum eſſet adoleſcens; ſed ab erroribus ejus omninò immunis fuit. *Bellarm.* Obiit ann. Dom. 265.

Scripta Genuina hæc ſunt: Panegyricum in *Origenem*---Metaphraſis in Eccleſiaſtem---Brevis expoſitio fidei---Epiſtola Canonica. Aliæ Epiſtolæ plures quæ non extant.

Opera Suppoſititia ſunt: Ἡ κατὰ μέρος πίστις---Capita XII. de fide, cum Anathematiſmis---In annunciationem S. Dei Genitricis Sermones tres---Sermo in Sancta Theophania---Ad Tatianum de animâ diſputatio. *Gul. Cave.*

Certè *Baſilius* tantam fuiſſe miraculorum ejus præſtantiam ait, ut ab ipſis etiam veritatis hoſtibus. *Alter Moyſes* appellaretur. Virum Apoſtolicorum ſignorum & virtutum vocat. *Hieronymus.*

Vir doctus & ſanctus, & multa ſcripſit, & miraculis vivens coruſcavit. *Trithem.*

Vir Apoſtolicorum virtutum maximè compos, inter omnes Patres. *Barth.* in Adv. p. 36.

Gregorium Magnum & illius voces quo loco ponam? annon cum *Apoſtolis* & *Prophetis*, virum qui eodem Spiritu, quo illi, verſatus eſt, quique *Sanctorum* veſtigiis per omnem vitam inhæſerit, quique Evangelicæ conſervationis vigorem, quamdiu vixit, præſtiterit? Equidem illud dixerim: profectò injuriâ afficeremus veritatem, ſi non animam illam annumeremus iis qui *Deo* juncti ſunt: Qui velut inſignis magnaque lucerna in Eccleſia *Dei* reſplenduit: Qui *Spiritus*

ope

Digitized by Google

ope terrorem habuit adverſum Dæmonum poteſtatem. *Baſil.* de Spirit. Sanct. cap. 29.

De *Gregorio* illud conſtat: Quantumlibet in fide Chriſtiana *Origenem* habuerit Catechiſtam atque Doctorem; tamen adeò omni penitùs impuritate defæcatam ab eo cognoſcitur hauſiſſe doctrinam, ut nullus unquam nec adverſariorum quidem fuerit, qui vel levi ſuſpicione cum *Origene* conniventiæ eum in crimen adduxerit. Quòd verò in ipſum aliquando fuerit inclamatum, ſuis ſcriptis faviſſe *Sabellio*: procul hæc abhorrebant ab *Origenis* Sententia. *Baron.* ad Ann. 266.

Contra Gentiles ſcribens *Thaumaturgus*, aliquibus viſus eſt *Sabellio* arma ſubminiſtraſſe, quod S. *Baſilius*, *Baronius*, aliique purgant & excuſant.

Iſte *Gregorius* crebro hominum celebratur ſermone non *Athenis* ſolùm & *Beryti*, verum etiam per totam regionem *Ponti*, atque adeò per univerſum (propè dixerim) orbem terrarum. *Socrat.* l. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 27.

Ubi cognovit ſuum inſtare obitum, totam diœceſin ac civitatem ſuam perſcrutans, cùm ſeptemdecim tantum *Ethnicos* in ea reperiſſet, Gratias *Deo* agit, quod ſuo *Succeſſori* tot relinqueret ſimulachrorum cultores, quot ipſe ejus Eccleſiæ curam ſuſcipiens in ea Chriſtianos inveniſſet.

Sicut de *Moyſe* ait *Scriptura*, quod eruditus eſſet omni ſapientiâ *Ægyptiorum*: Ita quoque magnus iſte vir [*Gregorius Thaumaturgus*] cùm omnem *Gentilium* eruditionem atque doctrinam perſcrutatus eſſet, factoque periculo didiciſſet, quàm infirmæ eorum opiniones ſint atque ſententiæ, quàmque parum ſibi conſtent. Diſcipulus fit *Evangelii*, ac priùs quàm per myſticam & incorpoream nativitatem inſtitutus eſſet, adeò rectè atque præclarè ſeſe in vitâ gerebat, ut nullas peccati ſordes ad *Lavacrum* afferret. *Gregor. Nyſſen.* in vita ejus.

Gregorii Thaumaturgi Epiſcopi *Neocæſarienſis* opera varia, Græcè & Latinè ſummâ curâ comparata, Interprete & ſcholiaſte Doctore *Gerardo Voſſio* colliguntur, *Romæ*, ann. 1594. unà cum variis Sanctorum Patrum opuſculis, quæ anteà nunquam prodierant è prælis, eodem Interprete & Scholiaſte *Gerardo Voſſio*. Hæc autem impreſſa in 4°. *Moguntiæ*, ann. 1604. & in fol. *Pariſiis* an. 1622. junctis ſanctorum *Macarii Egyptii*, & *Baſilii Seleuciæ* Epiſcopi operibus, cum *Zonaræ* expoſitione in aliquot *canonicas Græcorum* Epiſtolas. De his operibus plene *Poſſevinus in ſuo Apparatu ſacro*, *Bellarminus* & *Labbeus De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui multis contendunt ut magnam ſaltem eorum partem, ſi non omnia, legitimam & putent & probent. Attamen ut ego ingenue ſenſum meum aperiam, dicam valde mihi ſuſpecta eſſe ea omnia quæ ſub ejus nomine vulgata ſunt, ob auctoritatem S. *Gregorii Nyſſeni* Epiſcopi, qui teſte *Leontio Byzantino* in libro de *ſectis*, c. 8. ait in vitâ D. *Gregorii Thaumaturgi* quam conſcripſit. eum nihil de Scriptis reliquiſſe poſteritati: Quis enim hoc melius noſcere poterat, quàm S. *Gregorius Nyſſenus*, qui vitam ejus ſcribebat? *Oudin.* in Supplement. de Script. Eccleſiaſt.

PORPHYRIUS.

Clar. Annò D. CCLXX.

PHiloſophus *Tyrius*, clarâ ortus proſapiâ, priùs *Malchus* vocabatur, deinde ob veſtem regiam *purpuream*, quâ ob nobilitatem utebatur, *Porphyrius* à Sophiſtâ *Longino*, qui ejus in *Rhetoricis* Præceptor erat, dictus eſt. *Plotini* fuit diſcipulus, magiſter verò *Jamblici*. Natus *Aureliani* temporibus obiit ſub finem *Diocletiani*.

Scripta ejus hæc ſunt: De divinis nominibus, l. 1.----De Principiis lib. 2.---de Materiâ, lib. 6. ----De animâ; lib. 5.----De animalium abſtinentiâ, lib. 4.--De cognoſcendo ſeipſum, lib. 4.----Quòd una fuerit *Platonis Ariſtotelisque* ſecta, lib. 7.----In hiſtoriam *Juliani Chaldæi* Philoſophi, lib. 4.----Contra Chriſtianos, lib. 15.----De Homericâ Philoſophiâ---Ad *Ariſtotelem* quòd anima ſit *entelechia*---Philologiæ Hiſtoriæ, lib. 5.----De Genere, Specie, Differentia, Proprio & Accidente------De *Nili* fontibus, ſecundum *Pindarum*----De utilitate quam Reges ex *Homero* percipere poſſunt, lib. 10.------Miſcellanearum Quæſtionum, lib. 7.-----In *Thucydidis* prooemium-----Ad *Ariſtidem*, lib. 7.----In *Minuciani* artem. Item alia plurima, præcipuè verò *Aſtronomica*.

Hic eſt ille *Porphyrius*, qui contumelioſam, ac atrocium injuriarum plenam linguam in *Chriſtianos* movit, & quâ ſuum peſtiferum venenum in eos effudit, ac ejaculatus eſt. *Suid.*

Porphyrius, vir, ſi quis alius fuit, Religioni *Chriſtianæ* & ejus *cultoribus* infeſtiſſimus. *Tanaquil. Fab.* Epiſt. l. 1. p. 145.

Rabidus adverſus *Chriſtum* canis audit *Porphyrius Hieronym.* in procem. catalog. Scriptor. Eccleſ.

Porphyrius contra veritatem rabida debacchatus eſt inſania. *Theodoret.* Serm. 1. de *Græc.* affect. curatione.

Porphyrius à poſteriore *gentilitate* maximè cultus, & inter *Platonicos*, ob excellentiam, *Philoſophus* cognominatus; ſed hoſtis ille *Chriſti* aſophos vel miſoſophos potius appellandus. Hic habitus omnium *Platonis* myſteriorum conſultiſſimus. *Wier.* de Mag. Infam. c. 3.

Ejus adeo exoſum & execrabile nomen, ut in *Edictis Imperatorum* profligatiſſimi quique *Hæretici*, *Porphyriani* dicerentur. *Crakanthorp.* de Provid. *Dei.*

Porphyrii Scripta adverſus *Chriſtianos* olim combuſta fuiſſe *Theodoſii* M. juſſu, ann. 448. patet ex *Actis Concil. Epheſini.*

Lactantius duorum meminit Philoſophorum, qui contra *Chriſtianos* ſcripſerint, quorum prior ſine dubio hic *Porphyrius* fuit. Deſcribit eum velut ſub velo Philoſophi omnibus vitiis coopertum, avarum ſimul ac luxurioſum quique opibus ſuis ipſos *Judices* corruptos habuerit in poteſtate. *Hofman.*

Magnum hujus inter *Philoſophos*, ac *ſophiſtas*, nomen fuit----*Porphyrium* primitùs fuiſſe *Chriſtianum*, ſed poſteà à Religione hac reſiliiſſe, *Auguſtinus* innuere videtur, l. 10. de *civ. Dei.* c. 28. Id ob auctoritatem tanti viri inficias ire non auſim: Sed hactenus tamen nihil invenio, quo id veriſimile fiat, præterquam quòd junior

Digitized by Google

junior familiariter uſus ſit *Origene.* Ac longè etiam minùs aſſentire poſſum doctiſſimo *Annalium Eccleſiaſticorum* Scriptori, [*Baronio* ad annum 325.]qui jam ſenem denuò ex *Gentili Chriſtianum* factum putat.*Voſſ.*de Hiſt. Græc.

Uſque adeò vir ille [*Porphyrius*] in omni virtutum genere volutatus promiſcuè fuit, ut neſcias quid laudes magis, Sermonis elegantiam & nitorem,an verò dicendi acrimoniam. Videtur extremam ſenectam attigiſſe; quo factum, ut multas reliquerit obſervationes, libris prius à ſe editis repugnantes: de quibus non poſſum aliter exiſtimare, quàm quòd ætatis progreſſu ſententiam mutarit. *Eunap.*in vit.*Porphyr.*

Porphyrius tanquam *Mercurialis quædam catena* ad Mortales demiſſa, omnigenæ eruditionis beneficio,cuncta apertè, dilucidè, claréque explicabat Plotini & Philoſophorum res, qui arcana ſua obſcuritatis latebra, ſicut Poëtæ Fabulis, involverunt, poſtquam laudatum *perſpicuitatis remedium* (τὸ φάρμακον τῆς σαφηνείας) experientia edoctus guſtaſſet. *Eunapius in vitâ ejus.*

Porphyrium Chriſtianæ fidei deſertorem tanti fecit *Libanius* ſophiſta, ut eum pro Deo habuerit.*Niceph.* lib.10.cap.3.

Julianum ejus mendaciis atque deliramentis tanquam divinis vocibus exultaſſe, liquet ex *Nazian.* orat.4.

Capitalis quidem ille [*Porphyrius*] fidei *Chriſtianæ* hoſtis, Philoſophus tamen inſignis, & veterum hiſtoriarum ſcientiſſimus. *Nic. Full.* Miſcell. ſacr. l. 2. cap. 6.

Optandum eſſet nos habere libros quos adverſus *Chriſtianos* conſcripſit: Si eos haberemus libros quos habebant *Patres* egregia in iis cerneremus.

Ex *Ariſtotelis* libris *Topicorum* ſumpſit *Porphyrius* quæ de *quinque vocibus* compoſuit; opus, ut mea utique ſententia utiliſſimum, ità longè ab utilitate traditum. Prætereo ταυτολογίαν, & moleſtiam *Orationis.* *Lud.viv.* de cauſis corrupt.Art.p.181.

Porphyrius è *ſacris Literis*, quæ ſibi collibuit ſuffuratus, nonnullis inde ſententiis ſua monumenta interſitis, poſthabuit *veritatem* perdiſcere. Simiuſque duntaxat imitator permanſit, vel ut veriùs dicam, *Graculus* quidam fuit alienis plumis exultus. *Theodoret.*ſerm.7.p.108.

Quæ verò cauſa eum moverit, ut deficeret à fide & libros in Chriſtianos ſcriberet docet *Socrates* l. 3. c. 19. Nam iſte *Cæſarea Paleſtinæ* à quibuſdam Chriſtianis reprehenſus, cùm prægravi, qua ardebat, iracundia illud ferre non poſſet, religionem *Chriſtianam* deſeruit; & præ odio illorum, qui ipſum coarguerant, ad libros conſcribendos, quibus *Chriſtianos* maledictis & contumeliis perſtringeret, præceps ruit. Eadem *Nicephor.* l.10. c.36. *Lud. Viv.* comment.in l.10.c.26.*Auguſtin.* de civ. *Dei.*

Porphyrii opera, viz. de Abſtinentia ab animalibus necandis, libr. 4. cum verſione *I. Valentini*: De vita *Pythagoræ* liber: Sententiæ ad Intelligibilia ducentes: De Antro Nympharum, quod in Odyſſea deſcribitur, Latinè omnia verſa ſunt per *Lucam Holſtenium*; qui & diſſertationem de Vita ac Scriptis *Porphyrii*, nec non Obſervationes ad vitam *Pythagoræ* adjecit.

Can-

Digitized by Google

Cantabrigiæ in 8o. Impenſis *Guil. Morden.* anno 1655.

Libri quatuor de Abſtinentiâ prodierunt Græcè cum Scholiis *Michaelis Epheſii* anno 1547. Florentiæ in Fol.

Scholia ejus optima ad Iliada *Homeri* ſe habere, aliquando in lucem proditura, ait *Iſaacus Voſſius* ad *Mela* lib. 1. cap. 9. quæ cum aliis commentatoribus Poetæ ejus è Bibliothecâ Peireſcianâ acceperit.

ÆLIUS SPARTIANUS.

Clar. An. D. CCXCIII.

DIocletiani Imperatoris temporibus floruit. Vitas *Adriani*, *Ælii veri*, *Didii Juliani*, *Severi* & *Peſcennii Nigri*, *Caracallæ* & *Getæ*, literis conſignavit.

Ælius Spartianus profundiſſimâ ſcatet eruditione, non ſine ſui temporis eloquentiâ. *Joan. Bapt. Pius*, c. 57. annot. poſter.

E *Spartiano*, *Lampridio*, *Capitolino*, *Vulcatio*, & illis quaſi partium ſecundarum *Hiſtoricis*, eloquentiæ non multum; rerum & morum veterum immenſam copiam eſt haurire. *Lipſ.* l. 5. Epiſt. Quæſt. Epiſt. 21.

De *Stylo* res nota, uti & aliorum, qui cum *Spartiano* conjungi ſolent. Ut ſunt *Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, *Julius Capitolinus*, & alii. De quibus ſic *Eraſmus* in *Ciceroniano*: *In his vix eſt quod probes, præter Hiſtoriæ fidem. Nam ægrè tuentur Sermonis Latini caſtimoniam. Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Rariſſimos ſupereſſe, qui veritatem viderentur exquiſitè ſectari, & ſibi comperta ſcripſiſſe, in cæterorum tamen copiâ non ſpernendos, voluit divina benignitas. In his ponere ſoleo *Polybium*, *Suetonium*, & *Vitarum Auguſtarum* ineptos plerumque conſarcinatores, niſi ſi ita interpolatos; *Tacitum Ammianum Marcellinum.* Quibus etſi diverſiſſimis *Scriptoribus*, maximè omnium *veritatis* ſtudium cordi fuiſſe ſcimus. *Barth.* l. 60. adverſ. in *Auguſtin.* de C. D. l. 1. c. 6.

In *Spartiano* multa pluribus in locis deprehenditur earundem rerum repetitio, & plurima ubique confuſio. Nam quoties *Serviani* cædem legas in *Adriano*? in cujus vitâ contexendâ poterat ſanè, debuerat certè *Spartianus* vel temporum ſervare ſeriem, vel per partes ſic dicenda diſtinguere, ut de publicè geſtis, de peregrinationibus, deque privatâ cæterâ ejus vitâ ſeparatim tractaret. Qui quidem ordo in aliis quoque *Spartiani* ſcriptis deſideratur. *Bonifac. Roman.* Hiſt. Scriptor.

Ælius Spartianus Hiſtoricus non magni ponderis. *Dempſter.* in Elench. *Scriptor.*

Certum eſt quòd *Spartianus*, Lampridius cæterique qui quod *Hiſtoria Auguſta* nomen obtinere ſolet compoſuerunt, tempora de quibus ſcribunt mirum in modum illuſtraverint, quòdque eorum librorum lectio, quandoquidem melioribus hac in parte deſtituti ſumus, abſque inſigni diſpendio negligi nequeat. Sed totum illud ingens volumen quod ab illis habemus, frigidum & exanime cadaver eſt, potiùs quàm *Hiſtoricum* corpus debitè animatum. Omnes Eruditi judicio conformes ſunt Authori qui, in ſua *Præfatione*, *Hiſtoriæ dehoneſtamenta* eos nominat. Dicique poteſt nihil in eorum lectione profici poſſe, quod attinet

ad

Digitized by Google

ad Hiſtoriæ regulas, niſi in contrarium ſenſum trahantur, quemadmodum in illorum imperitorum *Fidicinum* cantu, quem Diſcipulos ſuos audire volebat *Iſmenias*, ut errores vitarent quos in illo animadvertiſſent. *Franciſ. Mothæus le Vayer*. Præfat. ſua. Gall.

Julius Capitolinus, & huic æqualis *Ælius Spartianus*, claruerunt ambo temporibus *Diocletiani*, & in gratiam ipſius & ad ipſum ſcripſerunt Vitas quorundam Imperatorum, ut ex ſuis ipſorum ſcriptis apparet: quamobrem cùm ſcirent ipſum *Diocletianum* immenſo odio in *Chriſtianos* flagrare, & ipſi eadem in eos invidiâ, quæ de *Chriſtianis* ſcripta memoriâ digna reperiſſent, ex compoſito prætermiſerunt: Adeò ut acerbiſſimæ in eos per Imperatores *M. Antoninum* & *Lucium Verum* excitatæ perſecutionis, ne verbum quidem fecerint: Sicut & multa alia ab iis obvoluta ſilentio relicta habentur, quæ toto *Romano* orbi perſpicua, publicis etiam teſtata monumentis habentur. *Baron.* ad ann. *Chr.* 163.

Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, licèt exili quidem ac levidenſi teſtimonio proſequatur *Caſpar. Barthius* alicubi, & ipſo ævo *Theodoſiano*, vel etiam *Juſtinianeo* latinitatem in pleriſque deformiorem pronunciet: Nolim quiſquam utilitatis parùm ex eorum lectione comparari poſſe putet. *Whear.* Meth. leg. Hiſt. Civil. Sect. 22.

Hiſtoriæ Auguſt. ſcriptorum lectio cùm omnibus & Hiſtoriæ & Morum antiquorum ſtudioſis neceſſaria, nedum utilis; tum vel maxime iis, qui cognitione *Juris Civilis* Romanorum delectantur. Quàm multa enim toto ſparſim opere invenias, quæ ad Juriſprudentiæ ſtudia propriè pertineant? quàm multis locis, aut novum Jus aliquod introductum, aut vetus antiquatum obſervatur? ut taceam, quòd abſque his ſcriptoribus fuiſſet, plurimos prudentes, quorum extant in *Pandectis* & nomina & fragmenta, ignoraremus: Taceam item dictionis genus, in multis commune cum antiquis Juriſconſultis. Quid? tot Principum pulcherrimas Epiſtolas, tot graviſſima Senatus-conſulta, tot alia publica monumenta, è Scriniis Auguſtorum, Actis Senatûs & populi, aut neſcio unde ex abdito eruta, quanti cenſemus facienda? aut quem mihi dabis ex omni veterum Auctorum numero, cui propter ſimilem vel fidem, vel diligentiam tantum debeamus. Nec prætermiſerim eruditas illas neque longè petitas, ſed è re natas digreſſiones, quibus hi Libri, tanquam ſegmentis purpuræ veri luminis, variis locis ſunt ornati. *Iſaac. Caſaub.* In Prolegom. ad Hiſtor. Auguſt.

Ælius Spartianus, *Ælius Lampridius*, *Julius Capitolinus*, aliique *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores, in lucem emiſſi ſunt cum integris Notis *Iſaaci Caſauboni*, *Claudii Salmaſii* & *Jani Gruteri*, duobus Tomis in 8°. *Lugd. Bat.* ex officinâ *Hackianâ*, anno 1671.

ÆLIUS LAMPRIDIUS.

IMperatorum *Diocletiani* & *Conſtantini* Magni temporibus vixit. Nam ad illum quidem *Antonini Commodi*, ad hunc verò *Antonini Heliogabali* & Clar. A. D. CCXCVI.

Digitized by Google

Alexandri Severi vitas ſcripſit. *Gerard. Joan. Voſſius* eundem ſibi *Ælium Spartianum* atque *Lampridium* videri exiſtimat.

Mihi quidem id animi fuit, ut imitarer *Suetonium Tranquillum*, *Fabium Marcellinum*, *Gargillum Martialem*, *Julium Capitolinum*, *Ælium Lampridium*, cæteroſque, qui hæc & talia, non tam diſertè, quàm verè memoriæ prodiderunt. *Flav. Vopiſc.* in *Probo*, c. 2.

E *Spartiano*, *Lampridio*, *Capitolino*, *Vulcatio*, & illis quaſi partium ſecundarum Hiſtoricis, eloquentiæ non multum; rerum & morum veterum immenſam copiam eſt haurire. *Juſt. Lipſ.* l. 5. Epiſtolic. Quæſt. ep. 21.

Ælius Lampridius Hiſtoricus futilis, ſi ſcribendi genus ſpectetur, cæterùm neceſſarius Polyhiſtor. *Dempſter* in elench. Script.

Lampridius Hiſtoricus frigidus. Idem ibid.

Stylus *Lampridii* pedeſter ac humilis eſt; dictio parùm ſincera, numerus plerumque ſubſultans; res nullâ ſerie digeſtæ, ita relatæ, ut in mentem veniebant; nullus verborum delectus, nullus eloquentiæ apparatus. *Barth. Boniſac.* in excerpt. de *Roman. Hiſtor.* Scriptor.

De *Julio Capitolino*, *Ælio Lampridio*, *Trebellio Pollione*, *Flavio Vopiſco*, *Ælio Spartiano*, & *Vulcatio Gallicano*, qui uno ferè tempore ſub *Diocletiano* & *Conſtantino* Magno *Imp. Rom.* Principum vitas conſcripſere, vix habeo quid dicam; adeò temporum injuriâ & *Librariorum* indiligentiâ ſunt mutili, & corrupti; ex his tamen quæ extant facilè colligere poſſumus, eos pro temporum conditione ſatis diligentes in hiſtoriâ conſcribendâ fuiſſe, ſed rerum diſpoſitio, quâ uſi ſunt, minus apta, ſtyluſque tenuis. Pleraque etiam dicenda omittunt, multis ineptè, quæ ad rem nihil vel parum pertinent, additis, & cùm brevitati ſtudent, in nimiam verboſitatem incidunt, minuta quæque perſequentes. Nobis tamen chari eſſe debent, cùm eorum temporum meliores *Scriptores* non habeamus. *Car. Sigon.* de *Rom. Hiſt.* Script. c. 20.

Illud opinor apud eruditos omnes in confeſſo eſſe, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi *Suetonio*: qui, ut quidam non infeſtiviter dixit, *Prorſus eâ libertate ſcripſit Cæſarum vitas, quâ vixerunt ipſi.* Propemodum æquarunt *Suetonium*, hac ſanè laude, *Ælius Spartianus*, *Julius Capitolinus*, *Ælius*, *Lampridius*, *Vulcatius Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, *Flavius Vopiſcus*, licet eloquentiæ viribus ſermoniſque politiæ multò inferiores. Proinde mihi quidem digni videbantur, ut eorum lucubrationes ſtudioſi ſummâ fide ſervarent, quorum fide factum eſt, ut tantarum rerum tam certa memoria duret in hanc uſque noſtram ætatem. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. Epiſt. 16.

Romanorum Impp. vitæ ac res geſtæ; à ſex illis *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptoribus, non tam diſertè, quàm verè in literas referuntur; quos accuratè emendatos, atque illuſtratos, *Iſaacus Caſaubonus*, noviſſimi hujus ſeculi immortale decus, & *Claud. Salmaſius*, rerum literarumque veterum uſque ad miraculum doctus, haud ita pridem nobis dederunt. *Whear.* Meth. legendi Hiſt. Civil. ſect. 22.

Digitized by Google

JULIUS CAPITOLINUS.

TEmpore *Diocletiani* vixit. E *Spartiano*, *Lampridio*, *Capitolino*, *Vulcatio*, & illis quaſi partium ſecundarum *Hiſtoricis*, eloquentiæ non multum; rerum & motum veterum immenſam copiam eſt haurire. *Lipſ.* l. 5. Epiſt. Quæſt. Epiſt. 21. Clar. An. D. CCXCVIII.

In his (*viz. Ælio Lampridio*, *Julio Capitolino*, *Ælio Spartiano*, *Vulcatio*) *Gallicano*, *Trebellio Pollione*, *Flavio Vopiſco*, *Aurelio Victore*) vix eſt quod probes, præter Hiſtoriæ fidem; tantum abeſt, ut eos *Ciceroniani cognominis* honore digner. Nam ægrè tuentur Sermonis Latini caſtimoniam. *Eraſm.* in *Ciceroniano.*

Ex his tamen, quæ extant, facile colligere poſſumus, eos (*viz. Capitolinum*, *Lampridium*, *Pollionem*, *Vopiſcum*, *Spartianum*, *Gallicanum*) pro temporum conditione, ſatis diligentes in hiſtoria conſcribenda fuiſſe. Sed rerum diſpoſitio, quâ hi uſi ſunt, minus apta, ſtyluſque tenuis. Pleraque etiam dicenda omittunt; multis ineptè, quæ ad rem nihil, vel parum faciunt, additis. Et cum brevitati ſtudere conantur, in nimiam verboſitatem incidunt, minuta quæque proſequentes. Nobis tamen chari eſſe debent, cùm eorum temporum meliores *Scriptores* non habeamus. *Car. Sigon.* de Hiſt. Roman. c. 20.

Reprehendit *Sigonius Capitolini* otioſam verboſitatem, dum minuta quæque proſequitur. Sed profectò nimis ille eſt iniquus, qui pro gratia, quam *Scriptori* de nobis optimè merito debemus, reddit objurgationem. Nam vel minimarum rerum cognitio magnam interdum affert utilitatem, præſertim ſi de magnis agitur viris, quorum nullum eſt tam leve, tamque domeſticum dictum aut factum quin obſervatione dignum videatur. *Balthaſſ. Bonifac.* de *Roman. Hiſtor.* Scriptor. c. 21.

Julius Capitolinus, & huic æqualis *Ælius Spartianus*, claruerunt ambo temporibus *Diocletiani*, & in gratiam ipſius & ad ipſum ſcripſerunt Vitas quorundam Imperatorum, ut ex ſuis ipſorum Scriptis apparet: quamobrem cùm ſcirent ipſum *Diocletianum* immenſo odio in *Chriſtianos* flagrare, & ipſi eâdem in eos invidiâ, quæ de Chriſtianis ſcripta memoriâ digna reperiſſent, ex compoſito prætermiſerunt: Adeò ut acerbiſſimæ in eos per Impp. M. *Antoninum* & *Lucium Verum* excitatæ perſecutionis ne verbum quidem fecerint: Sicut & multa alia ab iis obvoluta ſilentio relicta habentur, quæ toto *Romano* orbi perſpicua, publicis etiam teſtata monumentis habentur. *Baron.* ad ann. *Chr.* 163.

Vitæ nonnullæ ſunt inter hos (*viz. Capitolinum*, *Lampridium*, *Pollionem*, *Spartianum*, *Gallicanum*) quas jure dicas, centonum inſtar, è diverſi coloris pannis fuiſſe conſutas. Scriptorum alibi deſideres judicium limatius, alibi diligentiam exquiſitiorem; omnium maximè in *Capitolino*, & in quatuor aliis. *Balthaſſ. Bonifac.* & Roman. Hiſt. Scriptor. c. 26.

Julius Capitolinus Hiſtorici nomine indignus, *Dempſter* in Elench. Script.

In *Vopiſco*, præter eruditionem, illud, etiam laudamus, quod omnia ordine

Digitized by Google

narrat meliori, quàm factum fuit à *Spartiano*, *Capitolino*, atque aliis *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptoribus, in quibus pleraque valdè turbata. *Voſſ.* l. 2. de Hiſt. Lat. c. 7.

Omnium verò maximè incuriam ſuam prodidit *Julius Capitolinus*: Cui congerendi tantum, non digerendi voluntas fuiſſe videtur. *Idem* de Art.Hiſt.c.24. pag. 128.

Julius Capitolinus eorum judicio qui illum evolvere dignati ſunt, omnium *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum* viliſſimus habetur. Fr. *Moth.* le *Vayer.* Tom. 1. pag. 412.

* *Iſaaci Caſauboni* Emendationes ac Notæ in *Julium Capitolinum*, inter libros *expurgandos* locum habent in *Indice Madrit.* edit. ann. 1667.

Si de *Ælio Lampridio*, atque *Julio Capitolino* plura ſcire deſideres, vide in *Ælio Spartiano* judicia de hiſce, aliiſque *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptoribus.

HIEROCLES.

Clar. An. D. CCCII.

PHiloſophus, an ſolùm homo politicus non liquet. Claruit ineunte hoc Seculo circa ann. 302. Perſecutionis ſub *Diocletiano* ferventis Auctor & ἐργοδιώκτης maximus: *Bithyniæ* primùm ex Vicario Præſes, deinde *Alexandriæ* Præfectus. Utrobique in *Chriſtianos* mirè deſæviit. Nec hôc contentus, Scriptis in eos duobus virulentis libellis, quos λόγους φιλαλήθεις nominavit, ulterius adhuc inſecutus eſt. Quo in opere inter alia *Apollonium Tyaneum*, magum famoſiſſimum *Chriſto Domino* comparavit, & vel paria, vel etiam majora feciſſe contendit. Alius à noſtro, & ætate junior *Hierocles* ille, qui ſcripſit de *Fato* apud *Photium*. *Gul. Cave.* Chartophyl. Eccleſ.

Commentario edito in *Chriſtianos*, *Hierocles* Philoſophus, unus ex *Areopagi* Judicibus, nihil magis monſtrare conatus eſt, quàm *Apollonium* æqualem fuiſſe *Chriſto*. Porrò ejus inſanias *Euſebius* adverſus eum ſcribens egregiè confutavit: Quem conſulat, qui hæc pleniùs ſcire cupit. *Baron.* ad an. *Dom.* 68.

De hoc Autore, tacito ejus nomine, *Lactantius* hæc tradit: Alius eandem materiam mordaciùs ſcripſit, qui erat è numero *Judicum*, qui auctor imprimis perſecutionis faciendæ fuit: Quo ſcelere non contentus, etiam Scriptis eos, quos afflixerat, inſecutus eſt. Compoſuit enim libellos duos, non *contra Chriſtianos*; ne inimicè inſectari videretur; ſed *ad Chriſtianos*; ut humanè, ac benignè conſulere putaretur. In quibus ita falſitatem *Scripturæ Sacræ* arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria: Nam quædam capita, quæ repugnare ſibi videbantur, expoſuit; adeò multa adeò intima enumerans, ut aliquando ex eâdem diſciplinâ fuiſſe videatur. *Lactant.* de *Juſtitiâ*, l. 5. c. 2.

Hieroclem, Philoſophum *Alexandrinum*, *Raynaudus* plagiariis accenſet, quoniam ipſi *Euſebius*, libro contra eum, perinde ut *Philopono Photius*, uſurpationem alienorum librorum vitio verterat. *Thomas.* de *Plagio*, ſect. 463.

Inter opera verò Philoſophica, ſive *Judex*, ſive alius fuerit, primum jure merito

Digitized by Google

merito locum ſibi vendicat ὑπόμνημα εἰς τὰ χρυσᾶ Πυθαγόρου Ἔπη, Commentarius in Aurea *Pythagoræ* Carmina, opus nunquam ſatis laudatum. Neque enim carmina iſta tantùm interpretari, aut Grammaticorum inſtar *Scholia* conjicere in animo habuit, ſed omnia *Pythagoricæ* diſciplinæ lineamenta brevi quaſi tabulâ depingere. *Joan. Pearſon.* in Prolegom. ad *Hierocl.*

Sciendum quòd *Hierocles*, qui ſcholam *Alexandrinam* ſublimitate & magnitudine animi ornavit, præter magnificentiam venerandam, & conſtantiam, etiam ingenii ubertate admodum affluebat; & cùm linguæ præſtantiâ, pulcherrimorumque nominum & verborum facilitate ac copiâ excelleret, omnes ubique auditores in ſui admirationem rapiebat, tam orationis venuſtate, quàm ſcientiarum varietate, cum *Platone* ſemper contendens. *Damaſcius* apud *Phot.*

Eſt autem Phraſis *Hieroclis* aperta atque pura, & rebus Philoſophicis apta, at non ſupervacuis pulchriſque coloribus, & *Rhetorices* variis pigmentis decorata. *Phot.*

Extant ejus Commentarii in Aurea *Pythagoræ* carmina, de Providentiâ & Fato, &c. Græcè & Latinè *Londini* in 8°. an. 1654.

ARNOBIUS.

AFer, ſub *Diocletiano* in urbe *Africæ Siccâ* florentiſſimè *Rhetoricam* docuit. Floruit circa ann. *Chr.* 303. *Lactantii* Præceptor fuit. Septem Libros adverſus *Gentes* edidit. Hâc occaſione hos libros ſcripſit: Cum adhuc Ethnicus ad Fidem *Chriſti* occultis inſpirationibus vocaretur, & ad crudelitatem quodammodò compelleretur, ab Epiſcopis *Africæ* Sacramentum regenerationis efflagitavit: Quem cùm illi rejicerent, veriti, ne vir ſeculari eloquentiâ tumens, Religioni *Chriſtianæ*, quam ſemper oppugnaverat, illudere vellet, obtulit eis in argumentum ſinceritatis ſuæ præſtantiſſima adverſus priſtinam Religionem diſputationum volumina, tanquam fidei ſuæ obſides. *Sixt. Senenſ.* Clar. An. D. CCCIII.

Arnobius Afer, abſtruſæ eruditionis, ſummique ingenii Autor, *adverſus Gentes* libros ſeptem ſcripſit. Reconditæ hoc ſapientiæ promptuarium, quo fatua *Gentilium* Religio exploditur, vera confirmatur, omni laude majus eſt. Quis enim eloquentiæ nervos, rationum pondera, exquiſitas ſententias cùm pervolvit, non abripitur in amorem & deſiderium tanti auctoris? ubique triumphat florentiſſima ejus dictio, atque ipſi adeò Gentiles ſuo jugulantur gladio. Calamus ille ſimul omnes tacentes *Gentilium Deos* perfodit, confecit. Ipſi Dii, ſi tales dii eſſent, erubeſcerent, ubi audirent hìc ſua crimina, atque inſulſas de ſe confictas fabulas. Libro quidem ſecundo *Arnobius Gnoſticorum* ſequitur opinionem de Immortalitate Animarum, & aliis in Locis à veritate Chriſtianâ nonnihil recedit. Sed hoc condonandum illi, qui ex *Ethniciſmi* tenebris recèns ad veritatem *Chriſtianam* pervenerat. Idem huic autori evenit, quod iis ſolet, qui ex carcere tenebricoſo in lucem perducti viſum adhuc dubium habent, in cæteris ſubtilis, diſertus, ingenio & facundiâ pollens. Ethniciſmi debellator fortiſſimus. *Joan.*

Maire præfat. ad Lect. *Arnob.* Impreſ. 40. an. 1651.

Septem libros adverſus *Gentes Arnobius* edidit, totidemque Diſcipulus ejus *Lactantius*, quos ſi legere volueris, *Dialogorum Ciceronis* in eis Epitomen reperies, inquit *Hieronymus* in Epiſtolâ ad *Magnum*.

Arnobio quis poſt *Tertullianum* inter ſacros Scriptores doctior? ideoque doctorum limâ dignior? *Lipſ.* Cent.1. Miſcell. Epiſt.42.

Arnobius Chriſtiani nominis Scriptorum quaſi *Varro* eſt Antiquæ & reconditæ doctrinæ, quà in rebus, quà in verbis. *Idem* Epiſtol. Quæſt. l.1. Ep.20.

Arnobius ſcriptor eruditiſſimus, neque magiſtellorum auribus commendandus. *Ioſ. Scalig.* comment. in *Priapeia*.

Arnobium nemo tam indoctus eſt quin eruditiſſimis ſcriptoribus accenſeat; nemo tam *Chriſtiani* dogmatis ignarus, quin errores ejuſdem facilè ignoſcat egregiis illis & nervoſiſſimis invectivis, quibus vi quadam aut vibratione velut flammeâ *gentium* ſuperſtitiones diſturbat. *Caſp. Barth.* l. 44. c.1. Adverſar.

Uſque eò eruditus, ut Rhetoricam Latinè docuerit, multos præclaros diſcipulos inſtruxerit, & doctrinâ reconditâ atque ſagacitate antiquæ lectionis *Varronum* & *Nigidiorum* ſit ſimilis, antiquiſſimorum morum, rituum, juris Pontificii vetuſtiſſimi conſultus. Theologorum & initiatorum omnia Myſteria doctus. *Barth.* l.59. cap.10. adverſar.

Si non extaret, denſa nox foret in Superſtitionibus Veterum. *Idem* lib.18. cap. 14. Adverſ.

Arnobius inæqualis & nimius eſt, & abſque operis ſui partitione confuſus. *Hieronym.* ad *Paulin.* Epiſt.13. Tom.1.

Reconditæ eruditionis, ſtyli aſperioris. *Dempſter.*

Cui Lucretii verba ab uſu remotiora mirificè placuerunt, & quaſi in deliciis habita ſunt. *Giſan.* collectan. in *Lucret.*

Feruntur ſub nomine *Arnobii* commentaria brevia in Pſalmos. Sed ea non videntur eſſe hujus *Arnobii*, ſed alterius recentioris. Nam in explicatione Pſalm. 108. refellit hic Auctor hæreſim *prædeſtinatorum*, quæ tempore S. *Auguſtini*, vel poſtea exorta eſt; & in explicatione Pſalm. 109. nominatim refellit *Photinum* hæreſis *Ebionitarum* Inſtauratorem. At *Photinus* tempore *Valentiniani* vixit, teſte *Hieronymo*, quo tempore *Arnobius* ſuperſtes eſſe non poterat----Feruntur etiam annotatiunculæ in varios locos Evangelii, ſed parvi momenti, neque certum eſt, an ſint *Arnobii*. *Bellarmin.* de Scriptor. Eccleſiaſt.

Eruditiſſimus *Scultetus* affirmare non dubitat, *Arnobium* nil niſi ſeptem illos libros adverſus Gentes ſcripſiſſe: Quibus (inquit) eruditè, & quidem tumido, elatoque orationis genere contra *Gentes* diſputat. *Scultet.* in Medullâ Patrum.

Lactantius Ciceronem ſatis feliciter imitatur: *Agellius, Tertullianus, Arnobius, Minutius* & *Apuleius*, propter eruditionis varietatem omninò legendi ſunt, ſed imitatio eorum ſtoliditatis opinionem conficit. *Caſp. Sciopp.* conſult. p.43.

Licet *Arnobii* facundiſſimos contra *Gentes* libros *Hieronymus* ad *Paulinum* ſcribens, reprehendat, veluti ſermone inæquales, & nimios, ac ſine ullâ totius operis

Digitized by Google

operis partitione confuſos; aliàs tamen luculentiſſimos & à florentiſſimo Rhetore feliciter elaboratos fatetur.

A *Clemente Alexandrino* multa *Arnobius* ad verbum penè mutuatus eſt. *Theod. Canter.* ad Lect. Not. ad *Arnob.*

Septem *Arnobii* libri eo dicendi genere ſcripti ſunt quod *Rhetorices* Profeſſore dignum ſit. Modus quo ſua ſenſa enunciat *Oratoris* eſt, ſtylus tamen ejus utcumque Africanus eſt; ideſt verba ejus ſunt dura, perperam diſpoſita, parum polita, & quandoque parum *Latina*. Liquet etiam eum *Religionis* noſtræ *Myſteriorum* perfectam notitiam nondum fuiſſe adeptum. Multò majori ſolertia Ethnicorum Religionem oppugnat quàm *Chriſtianam* propugnat. *Ethniciſmi* ſtultitiam felicius propalat, quam ſolide *Chriſtianiſmi* veritatem probat. Sed mirum id videri non debet; hoc enim omnibus recens *Converſis* ſolemne eſt, qui *Religionis* ſuæ adhuc pleni ejus vitia & debilitatem meliùs norunt, quàm argumenta & præſtantiam ejus quam nuper amplexi ſunt. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſtic. Tom. 1. p. 557.

In ſuis cum Ethnicis altercationibus armis oppugnantibus ſolertiorem quàm oppugnantibus Athletam ſe præbet. Eò potiſſimùm tendit ejus eruditio, ut his auxiliis Gentilium Cauſæ miſerabilia fundamenta convellat. Non liquet eum, quo tempore ſcribebat, multum adhuc è Bibliis legiſſe, præter loca *Evangelicæ Hiſtoriæ* magis obvia; aut eum Doctrinas & Principia Chriſtianiſmi accuratè perpendiſſe. Nedum igitur æquè ac *Catechumenus* primis fidei Rudimentis initiatus erat; Et ideo ejus memoria tanquam erroribus maculata traduci non debet; etiamſi quædam in ejus Scriptis occurrant Catholicæ Doctrinæ haud ita ſtrictè conformia; potiùs enim mirari ſubit quî in plures & graviores Errores non inciderit. Sæculari Eruditione abundè inſtructus erat, & præclaris naturæ dotibus ad illam ornandam præditus erat. Stylus ejus quamvis jam olim à D. *Hieronymo* perſtrictus ut laxus & inæqualis, ſufficienter tamen elegans eſt. Sapit quidem aliquando rancorem quendam *Africanæ* Dialecti, medium tamen calcat tramitem inter aſperitatem *Tertulliani* & lenitatem ac dulcedinem Cypriani: Nec ejus Opus adeo confuſum methodique expers eſt ac Pater ille videtur innuere, ut evidens erit cuilibet id attentè legere dignanti, & obſervanti quomodo inſtitutum ſuum deſignaverit, Argumentum ſuum proſecutus ſit, ejuſdem ſingulæ partes ex natura ſua convenienter ſatis ab invicem dependeant. Liberè neminiſque partium ſtudio ductus ſcripſit, & ut plerique Scriptorum ejus conterraneorum cum inſolito animi ardore ac fervore, Laconicis periodis nervoſoque ratiocinationis acumine, multiſque faceriſſimis ſalibus, cujus occaſionem ſufficientem ei ſubminiſtrabat Argumentum quod præ manibus habebat. Præter ſeptem ejus adverſus Gentes libros diù ſub ejuſdem nomine *Commentarii* quidam in *Pſalmos* circumlati fuerunt, quos ut illius eſſe probet, ac ſtyli diſcrimen ac inæqualitatem conciliet multum laborat Eraſmus.

Sed ſi eruditus ille vir paulò attentiùs rem conſideràſſet, aut ſatis diù vixiſſet, ut Libros adverſus *Gentes* (quos interiiſſe concludit) in lucem egreſſos vidiſſet, huic labori pepercifſet: Siquidem in hoc dudum omnes conſentiunt, quòd hujuſmodi

hujuſmodi *Commentaria* fœtus ſint *junioris Arnobii* qui eadem *Leontio Arelatenſi* Epiſcopo & *Ruſtico Narbonenſi*, ambobus *Auguſtino*, vergente jam ejus ætate, contemporaneis, nuncupavit: ut mittam quòd loca quædam in iis occurrant *Photinianas* & *Pelagianas* Controverſias ſpectantia, quæ diu poſt *Arnobii* ætatem excitatæ fuerunt. Quid de *Arnobio* poſt ejus converſionem factum fuerit, & an Sacris Eccleſiæ Ordinibus fuerit inauguratus, nobis non conſtat. Si D. *Hieronymus* genuinum temporis ordinem deſignaverit, quando eum collocat in Fronte Continuationis ſuæ *Chronici Euſebiani*, vivebat *Ann. Chr.* 317. biennio poſt Concilium Nicænum: ſed an tunc temporis tantùm, an verò multùm diutiùs, me latet. Doctor. *Willelmus Cave* in *Arnobii* Vita. Angl.

Caſtigatiſſima ſeptem illorum adverſus *Ethnicos* librorum editio anno 1651. prodiit *Lugduni Batavorum* in 4°. unà cum *Theodori Canteri* Notis, *Godeſchalci Stevvechii*, Electis Gebharti Elmenſhorſtii obſervationibus, & collectaneis variarum lectionum ac duplici Indice, nec non *Deſiderii Heraldi* animadverſionibus & caſtigationibus: *Salmaſiani* autem illi Commentarii tam diu expectati, tam ſæpè ejus amicorumque literis promiſſi atque jactati in fumum tandem ventoſque evanuerunt. *Labbe.*

* Opera *Arnobii Gelaſius* Papa Apocrypha declaravit.

LUCIUS CÆLIUS LACTANTIUS FIRMIANUS.

Clar. An. D. CCCIII.

ARnobii Rhetoris quondam auditor atque diſcipulus; vir in ſæcularibus literis abundanter doctus & in divinis Scripturis nobiliter inſtitutus, ita ut in arte *Dicendi* poſt *Ciceronem* facilè obtinuerit principatum: Rhetoricam primùm *Nicomediæ*, deinde *Romæ* ſub *Diocletiano* ab eo vocatus glorioſè docuit. Ubi cùm penuriâ Diſcipulorum ad paupertatem deveniſſet, ad extremum *Cæſaris Criſpi* filii *Conſtantini* Præceptor jam ſenex in *Galliâ* factus eſt. Claruit ſub *Conſtantino* Principe, cui amiciſſimus fuit, Anno *Dom.* 320. *Trithem.*

Opera Genuina ſunt: Inſtitutionum libri ſeptem------Inſtitutionum Epitome ------De irâ *Dei*------De opificio *Dei*------De mortibus Perſecutorum-----Fragmentum parvum de extremo Judicio.

Opera non extantia: Sympoſium----Grammaticus----Ὁδοιπορικὸν----Ad Aſclepiadem l. 2.------Ad Probum Epiſtol. libri 4.-----Ad Severum Epiſt. libri 2.-----Ad *Demetrianum* Epiſt. lib. 2.

Opera Suppoſititia: Carmen de Phœnice-----Carmen de Paſchâ----Carmen de Paſſione Domini. *Gul. Cave.*

Lactantius Firmianus ſecutus *Arnobii* præceptoris ſui exemplum, contra *Gentes* ſeptem volumina conſcripſit elegantiſſima & acutiſſima, nec eſt ullus inter Chriſtianos Scriptores tam vicinus dictioni *Tulliana. Lud. Viv.* comment. in Auguſt. de Civ. *Dei*, l. 18. c. 23.

Plus elocutioni, quàm eruditioni, ſtuduiſſe *Lactantium*, judicium eſt *Ant. Galat.* libro de Japigiæ ſitu.

Euſebius.

Digitized by Google

Euſebius Cæſarienſis in Chronico vocat eum virum omnium ſuo tempore eloquentiſſimum.

Hic eſt *Cicero Chriſtianorum*, quemadmodum *Cyprianus* eorundem *Caſar. Alſted.* Encyclop. l. 32. c. 7.

Firmianus à Patriâ vocabatur, ſed *Lactantius* à *lacteo* eloquentiæ flumine, ſolidiorique orationis genere. *Wolf.* Lection. Memorab. centur. 5.

Fluvium quaſi quendam *Tullianæ* Eloquentiæ *Hieronymus Lactantium* appellat in Epiſt. 13. ad *Paulinum.*

Lactantius Ciceronis ſtylum effigiavit, aut, ut quibuſdam placet, ſupergreſſus eſt. Mihi videtur rebus & ſententiis crebrior, nec numeris injucundior, nec fili æquabilitate, & candore poſterior: Has quippe virtutes maximis viribus & æmulatus, & aſſecutus eſt; hunc nec æquales, nec poſteri momorderunt, nemo elumbem, & fractum, *Aſianum*, & redundantem nemo cauſatus eſt. *Joan. Franciſc. Picus*, l. 3. Epiſt. 10.

Maximè verò inter omnes, qui de Chriſtianâ veritate ſcripſerunt, longè eminet, & excellit nitore quodam, ac copiâ *Lactantius Firmianus* vir omnem *Chriſtianorum* proculdubio eloquentiſſimus, cujus libros lege, quæſo, ſi literas amas. *Leonard. Aretin.* in Epiſt. ad *Conſtantiam Sfortiam.*

Utinam tàm noſtra confirmare potuiſſet, quàm facilè aliena deſtruxit. S. *Hieronym.* Epiſt. 13. ad *Paulinum.*

Plus ſtudii poſuit in deſtruendo *Helleniſmo*, quàm in *Chriſtianâ Religione* aſtruendâ. Card. *Joan. Bona.*

Quid verò, ſi quid tale *Lactantio* dictum eſſet? Quid ſi dictum & creditum *Auguſtino?* dicam quod in animo eſt, neque ille tam validè peregrinarum ſuperſtitionum fundamenta convelleret, neque iſte *Civitatis Dei* muros tantâ arte conſtrueret. *Franciſc. Petrarch.* l. 1. Epiſt. Senil. Epiſt. 4. ad *Joan. Boccacium.*

Lactantius Firmianus, licet à veterum paucis de erroribus accuſatus, ab iis tamen immunis non fuit. Jamdudum *Hieronymus* graviſſimum notavit. *Lactantius* [inquit] *in libris ſuis, ut maximè in Epiſtolis ad* Demetrianum, *Spiritûs Sancti omnino negat ſubſtantiam, & errore Judaico, dicit eum, vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & Sanctificationem utriuſque perſonæ ſub ejus nomine demonſtrari.*

Cæteri ſunt leviores, eique cum multis aliis *Patribus* communes: Ut quòd, verbi gratiâ, docet *Angelos* mulierum congreſſibus inquinatos, & inde neſcio quod genus *Dæmonum terrenorum* natum. Item quòd diſſerit omnes *Animas* in unâ communi cuſtodiâ detineri, donec tempus adveniat quo *maximus Judex* meritorum faciat examen.

Chriſtum ante ultimum judicium in terras venturum, & eos qui tum ſuperſtites futuri ſunt non morituros, ſed per mille annos infinitam multitudinem generaturos, vitamque in civitate ornatiſſimâ acturos pacatam, omnibuſque commodis uberrimè affluentem, ſub *Chriſto* & *Sanctorum* quorundam à mortuis ſuſcitatorum regno. *Dalleus* de uſu *Patrum*, p. 266.

Lactantius inter omnes Eccleſiaſticos Authores Latinos eloquentiſſimus eſt.

Digitized by Google

Purus, æqualis & nativus eſt ſtylus ejus, denique *Ciceroniano* prorſus ſimili, jureque optimo *Ciceronis Chriſtiani* nomen meretur, nedum ob vocabulorum puritatem, ſed etiam ob phraſeωs elegantiam & ſcribendi modum, *Ciceroniano* uſque adeo conformem, ut vel emunctioris naris eruditi diſcrimen aliquod vix animadvertere poſſent; Imò quidam ſunt, qui referente *Pico Mirandulano*, ſtylum ejus *Ciceroniano* præferre non dubitarunt.

Utut res ſit, certum eſt Lactantium *Ciceroni* longè ſuperiorem eſſe quoad ſententias, quia Religionis materiæ de quibus agit Philoſophorum Axiomata infinito intervallo ſuperent, Gentium Religionem nervoſiſſimè refutat; *Chriſtianam* ſolidè ſtabilit; de Deo ſublimiter loquitur: modo maximè orthodoxo. *Verbi* divinitatem & *Incarnationis* myſterium explicat; Vividiſſimo modo & creationem Mundi & diem Judicii deſcribit: His tamen falſa, incerta & fabuloſa quædam admiſcet. Moralibus exquiſitis præceptis refertus eſt, virtutes perſpicuè docet, homines ad earum exercitium potenter hortatur, juſtitiæ viam ipſis monſtrat, eoſque ab iniquitatis de viis abducit, *Deum* verò cultu honorandi modum ipſis tradit, & delictorum ſuorum pœnitendi. Fatendum tamen eſt eum nimis Philoſophicè Theologiam tractare, omnia noſtra Myſteria non penetrâſſe, imo in pluribus erroribus verſatum eſſe. *Ell.* du *Pin* Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſtic. Tom. 1.

Vir fuit temperamenti ad gravitatem compoſiti, vitæ ſeveræ, Zelo honoris ſuæ Religionis affectus, & in hac contra omnes adverſarios vindicanda indefeſſus. Strenuè *Judæis* & *Gentilibus* obſtitit, &, cum id ferebat occaſio, iis quoque qui intra Eccleſiam Fidem corrumpebant, ipſique mens fuit adverſus omnes *Sectas* & *Hæreſes* ubertim ſcribere. Præditus erat dotibus promtis & vividis, judicioque ſagaci: Quodcumque præ manibus haberet Argumentum id eo vigore eaque perſpicuitate tractabat, ut victoriam facilè ſemper reportaret. Ejus in peregrinis & exoticis literis, in quibus præſertim verſatus erat, eruditio exquiſita fuit, quo fiebat ut tam felici ſucceſſu *Gentiles* propriis eorum armis profligaret, & B. *Hieronymus* de eo diceret, *Eum majori dexteritate illorum Cauſam deſtruere, quàm propriam confirmaret & aſtrueret.* Si quædam in ejus Scriptis obſcura & minimè *Catholica* occurrant *Dogmata*, quis uſquam fuit hortus in quo nullæ ſuccreſcant herbæ noxiæ? Si præſertim qui illum colit è ſaltibus & dumetis recèns prorepſerit & in ſylvis ac deſertis enutritus fuerit. Præterquam quòd pleraque nobis pateant quæ apud Veteres in obſcuro latebant, necdum ſufficienter diſcuſſa erant; plurimæ Quæſtiones intricatæ ac problematicæ manebant, utpote circa quas Eccleſia nihildum præcisè neque dogmaticè determinaverat. Dantur Errores qui *Sæculi* ſunt nævus potius quàm *Perſonæ*; plurimaque Humanæ infirmitati & ſufficientis lucis defectui condonari debent. Notiones ejus *Chiliaſticæ* ipſi cum plurimis Doctrinâ & Pietate clariſſimis in Eccleſia Viris communes erant. *Cave* in vita *Lactantii.* Angl.

Lactantius omnia ordine *Temporis* accuratiſſimo diſpoſuit. *Henr. Dodwell.* diſſert. *Cyprian.* p. 305. in 8.

Lactan-

Digitized by Google

Lactantius quædam ſuppreſſo nomine deſcripſit ex *Mercurii* libro. *Conring.* de Hermeticâ Medicina c.5.

* Quemadmodum omnia ejus *opera* ad eloquentiam *Tullianam* proximè accedunt, ita erroribus variis ſic deformata ſunt, ut non ſine cauſa *Gelaſius* Papa in *Concilio Romano apocrypha* cenſeri voluerit. *Bellarmin.* de Scriptor Eccleſiaſt.

Prodierunt *Lactantii* opera cum variorum Notis curâ *Servatii Gallai*, *Leidæ* an. 1660. in 8. quæ pulchra eſt editio.

Lactantii librum ad *Donatum* Confeſſorem de *Mortibus Perſecutorum*, per annos plus mille in obſcuro latentem, doctiſſimus *Baluzius* ex codice Manuſcript. Bibliothecæ *Colbertinæ* primùm in *Gallia* edidit, 1679. *Pariſiis.* Hunc Librum vir admodum Reverendus *Gilbertus Burnet* in Anglicanum Sermonem elegantiſſimè tranſtulit.

EUSEBIUS.

VUlgò *Pamphili* cognomentum ſortitus ob initam cum *Pamphilo* Martyre contubernale ſuo ſingularem amicitiam, *Cæſareæ* in *Palæſtina* Metropolitanus Epiſcopus poſt *Agricolam*, ab anno *Chriſti* circiter 315. ad annum 340. quo obiiſſe perhibetur, *Arianæ* Factionis ſignifer, librorum omnis generis diligentiſſimus perveſtigator, πολυμαθέστατος καὶ πολυγραφώτατος. *Philipp. Labbe.* De Scriptor. Eccleſiaſt. Clar. An. D. CCCXV.

Scripſit *Euſebius* Chronica à Mundi fabrica uſque ad *Conſtantini Magni* vicennalia, qui eſt annus *Chr.* CCCXXVI. Horum priorem partem παντοδαπὴν ἱστορίαν ipſe *Euſebius* vocat: Alteram, χρονικοὺς κανόνας. *Georgius Syncellus* χρονικὸν, ac frequentiùs κανόνα appellat. Opere hoc propoſitum *Euſebio* fuit, monſtrare, *Moſaicas* origines tum initiis omnium dynaſtiarum, regnorum, ac Rerump. tum natalibus fabuloſorum *Deorum*, longè eſſe antiquiores. Atque ut hoc opere vetuſtatem Doctrinæ Moſaicæ; ita ejuſdem, ac *Chriſtianæ* item religionis, veritatem adverſus Philoſophos tuetur aureis commentariis *de Præparatione Evangelicâ.* Idem quoque elaboravit viginti libros *demonſtrationis Evangelicæ.* Quot olim fuiſſe, auctores ſunt B. *Hieronymus* in Scriptor. Eccleſ. & *Photius* in Biblioth. Sed hodie decem tantum ſuperſunt. *Arianum* fuiſſe, vel ſaltem excidiſſe illi *Ario* magis, quàm *Nicenæ* Synodo, convenientia, etſi veteres non dicerent, ſatis ex hoc opere pateret: quemadmodum oſtendit doctiſſimus *Billius*, lib. 1. obſervationum ſacrarum cap. 27. Ex Scriptis nominatis *Chronica* (quorum & *Epiphanius* meminit in λόγῳ ἀγκυρωτῷ) cum vett. libb. contulit doctiſſimus *Arnoldus Pontacut.* Atque idem opus *Joſephus Scaliger* caſtigavit, notiſque illuſtravit, quibus nihil hic ſol videt eruditius: Ut omnino tacere de iis ſatius videatur; quàm pauca dicere. Utinam aliquis tandem exſurgat, qui in illo, quod dixi, προπαρασκευῆς opere, parem præſtet induſtriam: Nam eo *Euſebius* ſatis docet, omnes ſe reſeraſſe arcas librarias Philoſoph. Hiſtoric. Theo-

 logorum,

Digitized by Google

logorum, non Græcorum modò, ſed etiam *Ægyptiorum*, ac *Phœnicum*. Atque hæc quidem eò fecit: Tum ut ex divina lege arguat *Gentiles*: Tum ut comprobet, multa illos de *Hebræorum* fontibus hauſiſſe. Condidit præterea *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* libris decem, quibus initium capit à nato *Chriſto*, & per tyrannorum tempora accuratè progreſſus uſque ad *Conſtantinum Magnum*, ea, quæ ab illo in Eccleſia inſtituta, vel ſaltem ſub eo geſta diligentiſſimè tractat. Mentionem facit eorum & *Photius* themate 27. edidit inſuper librum de *Martyribus*: Ut conſtat ex Hiſtor. Eccl. l.4. cap.14. & l.5. c.1. & l.4. & 20. Meminit ejus operis quoque, cùm *Hieronymus* in Script. Eccl. tum *Gregorius* Magnus ad Eulogium, Epiſt. 29. l.7. indict.1. Etiam de vita *Pamphili* fecit tres libros, ac alia multa; quorum titulos legere potes apud *Hieronymum* in dicto opere. Mirum verò, præteriri ab illo libros 4. de vita *Conſtantini*, qui hodieque extant, ac pro *Euſebianis* quoque agnoſcuntur à *Photio*; ubi ἐγκωμιαστικὴν περὶ βίβλον vocat. Similiter nec mentionem facit *Hieronymus* orationis *Euſebianæ* quæ inſcribitur εἰς Κωνσταντῖνον τὸν βασιλέα τριακονταετηρικός. At ejus meminit ipſe *Euſebius* lib.1. de vitâ *Conſtantini* cap. 1. & lib.4. cap.47. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. lib. 2. cap.17.

Primus, imperante *Conſtantino*, *Euſebius* Cæſarienſis, ſui ſeculi ſine controverſiâ vir eruditiſſimus, ad ſcribendam Eccleſiæ Catholicæ Hiſtoriam καθολικὴν & univerſalem animum appulit: Primus certè, quod affirmat ipſe libri primi initio, manum operi admovit, & orſus à nativitate Domini, rerum geſtarum ſeriem ad ſua uſque tempora ſingulari diligentiâ pertexuit. *Caſaub.* in Prolegom. ad *Baron.* Annal.

Invenire difficile eſt, qui veritatem in omnibus fuerit aſſecutus. Ecce enim *Euſebius*, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica primas tenere videtur, *Arianiſmo* ſemel malè imbutus, tametſi fidelis in cæteris habeatur, cùm in his quæ ſpectant ad dogmata *Arianorum*, tum etiam in rebus geſtis *Conſtantini Auguſti*, cujus vitam in gratiam *Conſtantii Arianorum* Patroni, conſcripſit, multa mentitus eſt. *Baron.* Præfat. primi Volum.

De ſummâ ejus & longè diffuſiſſima doctrinâ, ut pluribus agam, opus non eſt, cujus eruditio nomini & olim & hodiè venerabundus aſſurgit totus penè orbis Literarius: Pietate adeò venerabilis, ut apud plurimas Occidentis Eccleſias in *Sanctorum* numero haberetur, & *Sancti Confeſſoris*, & *Epiſcopi beatæ recordationis*, & *egregiæ vitæ beatiſſimi Sacerdotis* nomen meruerit. At pro dolor! gravatur viri optimi memoria, non apud recentiores modò, verùm apud veterum pleroſque hæreticæ pravitatis culpâ, quibus paſſim *Arianus* audit, & (ſi ita loqui fas ſit) *Arianiſſimus*, Princeps & ſignifer *Arianæ factionis*, ut non uno loco de eo *Hieronymus*. Temerè quidem, & iniquiori, quàm par erat, cenſura. Fatendum eſt, illum in *Platonicorum* ſcriptis, libriſque *Origenis* multum diuque verſatum, exinde nova quædam hauſiſſe, & Phraſes minùs commodas, quandoque & periculoſas, in *Chriſtianam* Religionem induxiſſe. Quod tamen illi cum multis præteritorum Sæculorum *Doctoribus* commune fuit, ſecuriùs & audacter nimis de iis loquutis, de quibus nondum ſuum Eccleſia tulerat judicium.

Digitized by Google

cium. Nequaquam verò *Hæreſis Arianæ* κυρίαις δόξαις fuiſſe imbutum, apertè ſatis teſtantur loca plurima in Scriptis ejus hodiernum extantia, quæ ipſa *Arianiſmi* fundamenta radicitùs evellunt. *Gul. Cave.* Chartophyl. Eccleſiaſt.

Euſebius tantâ ſecularium diſciplinarum peritiâ, & divinarum literarum exercitatione inter omnes ſui Seculi Epiſcopos claruit, ut nobiliſſimo *Conſtantini* Imper. elogio celebrari meruerit. Is enim ſæpe de ipſo dicere conſuevit: *Felicem Euſebium, qui non unius urbis, ſed orbis propè totius Epiſcopatu dignus eſſet. Sixt. Senenſ.* in Biblioth. l. 4.

Euſebius eſt vir immenſâ lectione, & proinde ſummâ eruditione. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* de C. D. l. 18. c. 82.

Cæſarienſis Euſebius, vir longè doctiſſimus, & in omni Hiſtoriarum genere exercitatiſſimus. *Caſaub.* exercit. ad Apparat. Annal. exercit. 1. p. 15.

Euſebius Chronologus optimus, uſus auctoritate *Conſtantini Auguſti* in conquirendis toto orbe rerum geſtarum Scriptoribus, ut *Ariſtoteles Alexandri. Boniſac.* Ludic. Hiſt.

Quô nullus Scholaſticorum veterum plura ad Hiſtoriam *Chriſtianiſmi* contulit, nullus plura errata in ſcriptis ſuis reliquit, nullius plures hallucinationes extant. *Scaliger.* Elench. Trihæreſ. Serar. c. 28.

Tota *Euſebii* Chronica nihil aliud ſunt quàm centunculus ex pannis *Africani* conſutus. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 108.

In rebus *Conſtantini* potiùs eſt *Encomiaſta*, quàm *Hiſtoricus. Baron.* in 3. vol.

Cardinalis iſte (*Baronius*) ubique ferè ſuum in *Euſebium* prodit odium, non aliunde natum, quàm quòd Hiſtoricus noſter, qui laudes & donationes *Conſtantini* Eccleſiaſticas fusè perſecutus eſt, Donationis Romanæ non modò mentionem facit nullam, ſed eam etiam fictam eſſe innuit, dum *Conſtantinum* non à Papâ Romano *Romæ*, ſed *Nicodemiæ* baptizatum eſſe ſcribit *Abraham. Scultet.* in Medullâ Theolog. Patrum. p. 736.

Eminent inter Scripta *Euſebii* libri 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & libri 15. de Præparatione Evangelicâ, qui Theſaurus ſunt omnis eruditionis veteris & ſapientiæ. *Mich. Neand.* in deſcript. Orbis.

Euſebii libros de Præparatione Evangelicâ, eximium opus appellat *Caſaubonus* ad *Baron.* Ann. 34. Num. 129.

Euſebius Phraſi neque jucundus uſpiam neque perſpicuus: Homo tamen multæ doctrinæ eſt: Tametſi mentis acumine, affectuumque conſtantiâ, quantum in dogmatum accuratâ tractatione eſt opus, indigeat. *Phot.* in Biblioth. cod. 13.

Leguntur *Euſebii Pamphili* de vita *Conſtantini* Magni Auguſt. laudatorii libri quatuor. Eſt porrò in hoc opere ſui ſatis in dictione ſimilis, niſi quòd nonnihil ad ſplendorem magis trahitur oratio, voceſque ad floridum alicubi genus tendunt: Etſi jucunditatis, & gratiæ in explicando modicum adhibere, ut in aliis quoque libris, videtur. Adferuntur verò loca plurima in his quatuor libris ex univerſâ ejus decem librorum Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ. *Photius* ibid. c. 127.

Euſebius inter eruditiſſimos Antiquitatis Viros eminuit, quod ejus Sectatores & Adverſarii communi calculo agnoverunt: Imò & dici poteſt abſque hallucinationis metu neminem extare inter noſtros Authores *Græcos* qui tanta lectione tantaque eruditione inſignis fuerit. Omnia ferè Opera ab ipſo concinnata totidem fœtus ſunt Herculei laboris diutiſſimæque ac operoſiſſimæ diſquiſitionis. Fatendum tamen eſt magno levamine ipſi fuiſſe *Monumenta* eorum qui ante ipſum in eadem Argumenta ſcripſerant, quorum etiam opera verbotim exſcribere nequaquam dubitat. Sermoni ſuo expoliendo minime incubuit, qui defectus vulgaris eſt iis qui Scientiam & Eruditionem operæ pretium unicè ducunt. Nec facundus neque jucundus eſt ejus ſtylus quod ſæpius obſervavit *Photius Ell.* du *Pin*, Biblioth. Nov. *Anthor. Eccleſiaſticorum* Tom. 2. p. 26, 27.

Si eruditiſſimus vocandus, quia multa legit, ſanè nemo illi hanc laudem invidere poteſt. Sin autem is eruditiſſimus, qui judicium cum multa lectione conjunxit; alium potius, quàm *Euſebium* producere debuit. *Ioſ. Scalig.* in Not. ad *Hieronymi* præfat. in *Euſebii* Chronicon.

Per hæc tempora (viz. Anno *Dom.* 339. mortuus eſt *Euſebius Pamphili*, *Cæſareæ Paleſtinæ* Epiſcopus, & Chronographorum Eccleſiaſticorum facilè princeps: Cujus indefeſſo ſtudio, incredibili diligentiâ, & vix ſatis æſtimandis laboribus poſteritati conſecrata eſt bona *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* pars, quâ hodie fruimur. *Bucholcer.* Indice Chronologico.

* Hiſtoriam *Euſebii* Eccleſiaſticam *Gelaſius* Papa inter Apocryphos libros retulit, fortaſſe ob nimias laudes *Origenis Bellarmin.* de ſcriptor. Eccleſ.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libri 10. de vitâ *Conſtantini* M. libri 4. Oratio *Conſtantini*. Panegyricus *Euſebii*. Omnia cum MSS. collata verſa & Notis illuſtrata, curâ *Henrici Valeſii*, Græcè & Latinè impreſſa *Pariſiis* in fol. an. 1669. Recuſa *Francofurti* ad *Mœnum* in Fol. an. 1672.

Eclogarum Propheticarum de *Chriſto*, libri 4. inediti hactenus ſunt MS. in Bibliothec. *Vindebonenſi*. Vide *Lambecium* comm. de ea Tom. 1. addit. 3.

De Præparatione Evangelicâ pro Chriſtianâ Religione adverſus Philoſophos Commentarii: Demonſtrationis Evangelicæ libri decem prodierunt Græcè cum verſione & emendatione *Franciſci Vigeri*, *Pariſiis* 1628. in fol. additi de Theologiâ Eccleſiaſticâ libri à *Richardo Montacutio* primùm eruti & latinitate donati, Notis quoque illuſtrati, & alia nonnulla.

Prodiit expoſitio in Canticum Canticorum Græcè, cum Obſervationibus *Ioan. Meurſii* 4. *Leydæ* 1617.

Prodiit Chronicon ab orbe condito uſque ad ann. *Chr.* 326. cum Notis *Arnoldi Pontaci* Epiſcopi Vaſatenſis, *Burdigalæ* anno 1604. in fol.

Prodiit itidem cum animadverſionibus *Ioſephi Scaligeri*, *Lugduni Batavorum* anno 1606. in fol. Auctius verò *Amſtelodami* an. 1658. accurante *Alexandro Moro* Eccleſiaſte *Pariſienſi*.

Digitized by Google

S. ATHANASIUS

ALexandrinus, ab anno 326. ex Diacono *Alexandriæ* Epiſc. *Arianorum* odium ſimul & flagellum; depoſitus in ſynodo *Tyriâ* anno 335. *Treverim* in exilium miſſus anno 336. Obiit in pace anno 371. Clar. Ann. D. CCCXXVI.

Opera Genuina varia ſunt.

Opera dubia: Synopſis ſacræ Scripturæ--Teſtimonia ex S. Scripturâ de communi eſſentiâ Patris, Filii & Spiritus Sancti--Sermo in Paſſionem & Crucem Domini--Vita D. *Antonii*, prout extat hodie.

Opera ſuppoſititia ſunt: Diſputatio contra *Arium* in Synodo Nicænâ--De Sanctiſſimâ Deipara Virgine--Symbolum *Athanaſii*--Tractatus de Definitionibus--De S. Trinitate Dialogi 5.--Dialogus inter Orthodoxum & Macedonianum continens 20. capitula--Quæſtiones 135. ad Antiochum--Dicta & Interpretationes parabolarum Evangelii, Quæſt. 133.--Quæſtiones aliæ 20.--Diſputationes cum *Ario* Laodiceæ habitæ--De unitâ Deitate Trinitatis ad Theophilum, libri 7. Lat.--Ad Monachos Exhortatio Lat.--Epiſt. ad Marcum Papam; cum Reſcripto Marci. Lat.--De Paſſione Imaginis D.N.J.Chriſti crucifixæ in Beryto--Declaratio Levitici--Homiliæ 7. ab Holſtenio Latinè editæ--Expoſitiones 11. de Incarnatione verbi--Orationes 4. in Anchiurio Gr. Lat. à Combef. edit. Tom. 1.--S. Syncleticæ vita Lat.

Opera quæ non extant: Commentarii in Eccleſiaſten--Commentarii in Cantica Canticorum--Contra Valentem & Urſacium, lib. 1.--Epiſtolæ ἑορτασικαὶ---Epiſtolæ aliæ plures. *Gul. Cave* in vita *Athanaſii*.

Malleus Hæreticorum à plurimis vocatur. *Theodoretus* illum vocat πρόβολον τῆς ἀληθείας, propugnaculum veritatis.

Gregorius Nazianzenus appellat, Tubam ingenten, & columnam Eccleſiæ. Pater rectæ fidei, vocatur *Epiphanio*.

Athanaſium laudare, idem eſt ac *virtutem* ipſam laudare, quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat. *Gregor. Nazianz.*

Magnus eruditione, virtute, labore, paſſionibus, ſed ſuper omnia, *Symbolo*, *Andr. Wint. Epiſc.* oratione habitâ in Camerâ Stellatâ.

Erat vir ille ſeculo tranquilliſſimo dignus, dediſſet nobis egregios ingenii facundiæque ſuæ fructus. Habebat enim verè dotem illam quam *Paulus* in Epiſcopo putat eſſe præcipuam, τὸ διδακτικὸν, adeò dilucidus eſt, acutus, ſobrius, attentus, breviter omnibus modis, ad docendum appoſitus. Nihil habet durum, quod offendit in *Tertulliano*; nihil ἐπιδεικτικὸν, quod videmus in *Hieronymo*; nihil operoſum, quod in *Hilario*; nihil laciniosum, quod eſt in *Auguſtino*, atque etiam *Chryſoſtomo*; nihil *Iſocraticos* numeros, aut *Lyſiæ* compoſitionem redolens, quod eſt in *Gregorio Nazianzeno*, ſed totus eſt in explicandâ re. *Eraſm.* Epiſt. l. 29. Epiſt. 88.

Excelluit poſt Apoſtolos in *Perſpicuitatis* arte *Athanaſius*, cui tribuunt quippe

pe eruditi, quòd acri non tantùm polluerit ingenio, ſed & ſcribendi methodo uſus ſit tam accuratâ, ut ne quidem ullum obſcuritatis veſtigium in Scriptis ejus, quorum genuinus autor erat, appareret. Et certè perſuadendi ſingularis vis dictionis Scriptioniſque facilitati ineſt--Monachi varia *Athanaſio* ſuppoſuerunt Opuſcula, ut vino ſuo vel potiùs vappæ, hoc eſt, *ritibus* ſuis gratiæ & nominis aliquid conciliarent. Atque hâc de cauſa celebri nobiliſſimi illius Patris Scripto [ſaltem adſcribi ipſi ſolito] *Syntagmati Fidei* dicto, *Hederam* inprimis *ſuſpenderunt. Gal. Salden.* de Uſu & Abuſu Librorum.

Adeò poſt tot tantaque ejus pro rectâ fide certamina, *Athanaſii*, nomen poſteris doctrinæ, & ſanctitatis fulgoribus clarum effulſit; ut quæque ipſius ſcripta non modò avidè legerentur; ſed ſingulari quadam reverentiâ colerentur. *Baron.*

Præclarum eſt illud elogium *Coſmæ*, Abbatis *Hieroſolymitæ*; quod apud *Sophronium*, Patriarcham *Hieroſolymitanum*, habemus in *Prato Spirituali*, cap. 40. *Cum inveneris aliquid ex Opuſculis S.* Athanaſii; *nec habueris Chartas ad ſcribendum; in veſtimentis tuis ſcribe illud.*

Athanaſii non eſſe id *Symbolum*, quod ejus dicitur, probatur (inquit *Voſſius*) primùm eo, quòd abhorruerit Eccleſia Catholica à novo Symbolo poſt *Nicænum* condendo--Deinde quia in veteribus *Athanaſii* Codd. deſideretur--Tum quia nec *Athanaſius* ipſe ejus meminerit; nec ejus vel proximi ævi quiſquam: Imò nec illis memorari, qui vitam *Athanaſii* aliquot ſæculis poſteà exararunt. Circa annum milleſimum videtur hoc *Symbolum* jam in Eccleſiis aliquibus obtinuiſſe; & ita obtinuiſſe, ut aliqui *Athanaſii* id eſſe arbitrarentur. Interim nihil ſolidi ac certi pro hac Sententia affertur. Poſt *annum* verò milleſimum ducenteſimum crevit hæc opinio *Athanaſii* eſſe; aliqui interim putabant *Anaſtaſii* fuiſſe, ac ex ſimilitudine eâ nominum hunc errorem proveniſſe--*Orientales* neque olim agnoviſſe, neque hodie agnoſcere *Athanaſii Symbolum*, certum eſt--Aliqui auctorem hujus Symboli exiſtimant *Euſebium Vercellenſem*, ſeu martyrem, ſeu confeſſorem potius, *Athanaſii* ipſius æqualem. Cujus ſententiæ etiam meminit *Ivellus* in Reſponſione ad *Hardingum* pro confeſſione Eccleſiæ Anglicanæ parte ſecundâ, cap. 1. diviſione 1. *Symbolum illud, cui nomen eſt Quicunque vult, ab* Athanaſio, *ut nonnulli arbitrantur, conſcriptum, ut alii, ab* Euſebio Vercellenſi. Alii verò credunt eſſe hominis *Galli*. Uti *P. Pithœus* libro de Proceſſ. Spirit. Sanct. *Magni* Athanaſii *ſymbolum, quamvis Treveris, ut plerique tradiderunt, id eſt, in* Galliâ, *à Theologo tamen inter illos doctiſſimo, acutiſſimoque, ſcriptum.* In *Pithœanam* hanc ſententiam (inquit *Voſſius*) maximè inclinat animus: Nempè ut ſit Theologi *Galli*; facilè que mihi perſuaſerim, conditum fuiſſe Pipini, vel *Karoli* M. temporibus occaſionem inter cætera præbente controverſiâ de *Proceſſione Spiritûs Sancti*: ſuper quâ in Gallicis tum Synodis agebatur. In mentem tamen venit, videri etiam poſſe hominis *Hiſpani*; quando circa eadem tempora quæſtio in *Hiſpaniis* agitabatur. Vide hæc fuſiùs in *Voſſio* de tribus *Symbolis*.

Symbolum quod *Athanaſii* nomine inſignitur diu, nemine contradicente; Opus

Digitized by Google

Opus habitum fuit, cujus Pater ille verus Author eſſet. Nunc tamen convenit inter omnes id Patris illius fœtum non eſſe, ſed alicujus Authoris qui diu poſt ipſum vixerit ignoratur quis ille ſit, quibuſdam alicui *Gallo* ipſum tribuentibus, aliis, ut Ieſ. *Queſnellus*, *Vigilio Tapſenſi*, qui vergente quinto Eccleſiæ ſæculo vivebat. Ut ut ſit, certum eſt poſt *Chalcedonenſe* Concilium id adornatum fuiſſe; quia tam disertè *Neſtorianorum* & *Eutychianorum* errores rejicit, ut liquidò conſtet id duas illas Hæreſes impugnare voluiſſe. *Ell.* du *Pin*, Nov. Biblioth. Auth. Eccl. Tom. 2. p. 119.

Ejus *Apologeticus* ad *Imperatorem Conſtantinum* eſt in eo genere. Opus omnibus ſuis abſolutum numeris. Nullum unquam Scriptum nativum & ſimplicem genium magis ſpiravit, nec ullus unquam ſermo, elegantior, figuris ornatior, & ad perſuadendum efficacior extitit. Hac in parte excellunt omnia B. *Athanaſii* Opera ſimplicem & ſine fuco ſpeciem præ ſe ferunt, & tamen ſi attentiùs conſiderentur artificio miro compoſita deprehendentur. Verborum aptitudinem mirificam ubique in oratione ſua ſervat, ſtylumque ſuum Argumentis quæ tractat & Perſonis quas alloquitur ſemper attemperat. Idem ibid. p. 154.

Legi *Magni Athanaſii in Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum commentarium.* Dilucidè dicit, ut in omnibus ſuis ſcriptis. Ad earum tamen Epiſtolarum gratiam & venuſtatem, quibus ſeceſſum excuſat ſuum, quæque ad exilium pertinent exponit, neque hic liber, neque alius ejus, (qui quidem in meas inciderit manus) attingit. *Phot*. Biblioth. Cod. 139.

Lecti ſunt *ejuſdem* ſancti viri *contra Arium, ejuſque dogmata libri quinque.* Hujus dictio perſpicua, ut & in cæteris ejus omnibus, ſobria item & candida, vehemenſque ac profunda, & argumenta validè torquens: ejus verò ubertas in his, ac fœcunditas admodum ſanè fuit mirabilis. Dialecticis adhæc uſus eſt argumentis, non illis nudè propoſitis, & ipſiſmet ex eâ arte peritis vocibus (quod pueri, recentioreſque diſcipuli, juveniliter ſeſe, ac gloriosè oſtentantes, ſolent) verùm Philoſophorum more, magnificèque prolatis, ac per nudas duntaxat notiones, & has quidem benè ornatas. Sacræ quoque Scripturæ teſtimoniis, ac demonſtrationibus validè communitur: & ut uno verbo abſolvam, ſolus hic liber ad *Arianiſmum* univerſum refellendum ſufficere queat. Immò qui *Gregorium* Theologum, ſanctumque *Baſilium* dixerit, ex hoc tanquam fonte hauſtos egregios illos & limpidos librorum ſuorum rivos contra eundem errorem profudiſſe, ſanè à ſcopo minimè aberrarit. *Phot*. ibid. Cod. 140. *Andr. Schot*. Interpr.

Naturæ dotibus acribus & acutis præditus fuit, ejus Ratiocinia vivida & arguta fuerunt, judicium ejus ſeverum & ſolidum erat; quæ omnia ſi analogâ educationis felicitate exculta fuiſſent eum efficere potuiſſent unum ex eruditiſſimis viris qui in Eccleſia unquam claruerint. Sed à juvenilibus ſuis conatibus & indagationibus illicò abducebatur gravioribus & ſeverioribus ſtudiis quæ ipſum in politioribus Sæcularis eruditionis partibus minùs eminentem reddebant, ob quarum defectum à *Philoſtorgio* perſtringitur. *Cave* in *Athanaſii* vita pag. 192. Anglicè.

Digitized by Google

Photiniani Athanaſio adeo infeſti ſunt, ut eum *Sathanaſium* vocare non vereantur. *Konig.* in Biblioth.

Opera D. *Athanaſii* in magnâ perturbatione ſunt, quàm multis ei aliorum Auctorum inſcriptis. Hic primus eſt, cui doctiſſimi hujus ſæculi Critici debuerant apponere medicam manum, ut S. Patris Scriptiones redderent puriſſimas ab extraneis omnibus: ſed heu ſtupendam patiuntur confuſionem! *Oudin.* in Supplem. de Script. Eccleſiaſt. à *Bellarm.* omiſſis.

Prodierunt Opera *Athanaſii* omnia Græcè & Latinè ex emendatione *Petri Nanmii* Tomis 2. *Pariſ.* Fol. 1627.

AURELIUS THEODOSIUS MACROBIUS.

Clar. A. D. CCCXLIV.

TEmpore *Theodoſii* Imp. floruit. In *Somnium Scipionis* commentatus eſt: Edidit etiam libros *Saturnaliorum*.

Macrobius Scriptor præſtantiſſimus; qui *veterum* Philoſophiam, non vanam illam, & quæ ad ſolam oſtentationem pertinet, ſed cordatam, & maſculam, altiſſimè penetravit. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Epiſt. p. 17.

Curioſiſſimus in loquendo, & reconditiſſimæ Scientiæ *Macrobius Laurent. Valla.*

Autor excellentiſſimus, & vir reconditiſſimæ ſcientiæ. *Cæl. Rhodigin.* l. 1. c. 11. & 15.

Macrobius, vir memoriarum *veterum* exſequentiſſimus non citra dicendi mundicias. *Idem* l. 6. c. 14.

Mihi quidem in *Platonicorum* myſteriis, in Mathematicis Diſciplinis, in re Poëticâ ſatis eruditus, neque ſuo ſeculo infacundus videtur. *Boniſac.* Ludicra Hiſt.

Macrobii Saturnalia multum habent bonarum, ac variarum rerum. *Lud. Viv.* de Trad. Diſc. l. 3.

Macrobius melior eſt his (*Gellio* ac *Apuleio*) atque explanatior, habet quæ non tam vulgari ſermoni ſint utilia, quàm Philoſophiæ explicandæ. *Idem* ibid.

Macrobius dapibus partim emendicatis, partim ſuffuratis ſuas cœnas inſtruxit. *Politian.* Epiſt. l. 12. Epiſt. 22.

Æſopicam Corniculam *Macrobium* appellat *Eraſmus*: ex aliorum pannis ſuos contexuit Centones. Itaque ſuâ linguâ non loquitur, etſi quando loquitur, *Græculum Latinè* balbutire credas. Quod genus eſt illud ex *Commentario* in ſomnium *Scipionis* ſecundo. *Eraſm.* in *Ciceron.* p. 148.

Ejus *Saturnalia* omnigena tractant argumenta. *Critica* & *Antiquitatum* perjucunda & eruditionis plena miſcella cenſetur ab Epiſcopo *Godeau.* Gall.

Chriſtophorus de *Mile Authorem* hunc ſingulari *Platonis* ſtudio teneri obſervavit, eumque iis colligendis quæ Authores in *Virgilium* notaverant maximè incubuiſſe, ejus *Saturnalia* erudita eſſe, ſed ſtyli non laudabilis, quòd ſæculo ſcripſerit quo linguæ Latinæ puritas jam alterata vel deperdita erat, ut ipſe *Ma-*

crobius

Digitized by Google

crobius fatetur. Denique *Jeſ. Vavaſſor* deprehendit illum totidem verbis *Plutarchum* innumeris in locis tranſcripſiſſe,ab *Aulo Gellio* plurima mutuatum eſſe: de ſuo tamen addidiſſe multa ſingularia & jucunda quæ ejus eruditionem & *Antiquitatis* notitiam manifeſtant. *Eruditorum Judicia.* Tom. 2. Pariſ. 1685. Gallicè.

Macrobius Philoſophus eximius, & *Criticus* acutiſſimus. Cardin. *Bona* Notit. Autor.

De *Macrobio*, quoniam *Xylander* adeo ſprevit virum, cujus tamen nihil cognitum habuiſſe videtur, hoc etiam dicam: fuiſſe inter ætatis ſuæ doctiſſimos ſine controverſiâ eximium quendam. *Reineſ.* in Epiſt. ad *Rupert.* p.462.

Macrobius, vir eruditiſſimus, etiamſi & aliud in totâ non egiſſet vitâ, in quâ reverà pro virili ſuâ *Literariæ Reip.* benè laboravit: Sed ſi aliud præterea non egiſſet, quàm ſervare nobis hunc omnis eruditionis theſaurum (*Somnium Scipionis*) optimè de ſtudiis omnibus fuiſſet meritus. *Lud. Viv.* Præfat. *Vigilia* in *Somn. Scip.*

Cœlium Rhodiginum optimorum Authorum fucum conviciantur quidam; nec deſunt, qui eodem crimine traducunt *Macrobium*, cùm tamen illos omnes de bonis literis benè meritos fateri cogamur. *Conrad. Heresbach.* Præfat. ad Lect. librorum *de Re Ruſtica.*

Quod etiam *Macrobius* (ut alia complura) è penu *Gelliana* eruditionis in ſuas cœnas deprompſit: homo ſatis quidem eruditus, ſed ingenio maximè ingrato, ac propè impudenti, ut qui tantò æris alieni cumulô nuſquam *creditoris* nomen profiteatur. *Petr. Crinit.* de Honeſtâ Diſcipl. p. 534.

Totam hanc diſputationem de *Servis*, num dominis beneficia tribuere poſſint, partim ex hoc *Senecæ* loco, partim ex Epiſt. 47. partim ex *Valerio* conſarcinatam *Macrobius* l. 1. *Saturn.* c. 2. pro ſuâ venditavit. Sed & ex *Agellio* & *Plutarchi Sympoſiacis* tam multa nullo pudore in ſeptimum librum *Saturnaliorum* ſuorum tranſtulit, ut appareat, eum factitâſſe eandem artem, quam plerique hoc ſæculo factitant, qui ita humani nihil à ſe alienum putant, ut alienis æquè utantur ac ſuis *M. Anton. Muret* ad *Senec.* 111. de Benefic. 18.

Macrobius tranſcripſit *Alexandrum Aphrodiſæum*, & penè verbatim expreſſit. *Ulyſſes Aldrovand.* de Quadruped. p. 394.

A *Gellio* ad *Macrobium* tranſeo, ad cujus propoſitum quantum faciat *Virgilii* verſus quidam quem citat, omnes viderint. Laudanti enim *Septenarium* numerum quid authoritatis adferre poteſt hic verſus! *Talia voce refert, ô terque quaterque beati.* O pulchrum commentum! non videt *Virgilium* ternario numero unitatem addidiſſe, quaſi diceret ter imò quater laudandi. Non autem quatuor ut *Septenarium* efficeret: ut enim rectè *Servius* numerum finitum pro infinito poſuit, de *Septenario*, opinor, potius quàm de alio numero nequaquam cogitans. In aliis *linguam Latinam* pervertit idem *Macrobius*. Sed quid mirum hominem *Græcum* non loqui *Latinè*, cui paſſim occurrunt ἑλληνισμοί? Quamprimùm os reſerat, *Græciſat*. *Claud. Verder.* in Autor. Cenſione.

Prodierunt *Macrobii* Opera, ex emendat. *Joan. Rivii Veneti. Pariſiis* apud Aſcenſum in Fol. 1519.

Prodierunt itidem cum obſervationibus *Joan. Iſaaci Pontani, Lugd. Bat.* 1597. in 8.

Itidem cum Notis variorum *Pontani, Meurſii, & Joan. Fried. Gronovii*, curâ *Jacobi Gronovii. Lugd. Bat.* ex Officina *Arnoldi Doude*, 1670. 8.

JAMBLICHUS.

Clar. A. D. CCCXLV.

PORphyrii Diſcipulus, tempore *Conſtantii & Iuliani* Imperator. floruit. Natus erat *Chalcide Syriæ*. Vitam ejus *Eunapius* exaravit. Reliquit duas orationes protrepticas ad Philoſophiam quas primus *Græcè* edidit *Joh. Arcerius*: item, vitam *Pythagoræ*, nec non libellum de Myſteriis *Chaldæorum & Ægyptiorum*, quod poſtremum opus primus *Marſilius Ficinus* edidit, poſtea *Nic. Scutellius* Anno 1556. hiſce verò duobus palmam præripuit vir ille doctrinâ celeberrimus, *Thomas Gale*, qui hoc opus, An. Dom. 1678. in Latinum Sermonem elegantiſſimè tranſtulit, atque notis eruditiſſimis illuſtravit, in Fol.

His ſucceſſit *Jamblichus*: ut clariſſimi nominis Philoſophus, ita & illuſtris genere, natus familiâ ampliſſimâ & locuplete. Patria illi *Chalcis*, *Syriæ*, quam *Cœlen* nominant, civitas. Hic cum *Anatolio*, qui à *Porphyrio* ſecundum locum obtinuit, conſuetudinem aluit, ſed multis eum modis ſuperavit, & ad ſummum Philoſophiæ gradum aſcendit. Ab eo conjunxit ſe *Porphyrio*, quo nulla in re fuit inferior, præterquam in concinnâ orationis ſtructurâ, dicendique facultate: Neque enim pari venere & gratiâ ab eo dicta, inſtructa fuere: Neque candorem habebant, & perſpicuitatem: Neque puritate Sermonis exornare *Scripta* laborabat, quanquam non omninò obſcuritate involuta ſit, aut vitium habeat oratio: Sed (quod *Xenocrate* dictitabat *Plato*) non ſacrificavit *Mercurialibus Gratiis*. Itaque lectorem non detinet, non obrepit illecebris quibuſdam, & ad lectionem invitat, quin potius avertere & obtundere aures videtur. *Eunap.* in vit. *Iambl. Hadrian.* jun. interpr.

Quanti verò habitus fuerit *Iamblichus*, docet *Iuliani* Imp. epiſtola prima ad eum ſcripta: καὶ εἴη γε Ζεῦ σῶτερ, &c. *utinam ô Servator Iupiter, & Sancte Mercuri, contingat Iamblichum optimum, commune orbis terrarum commodum longiſſimâ vitâ frui.*

Iulianus Apoſtata Oratione 4. obſervat *Iamblicum* nonnulla ſcripſiſſe ἄχρις ὑποθέσεως hoc eſt, non quòd ita ſentiret, ſed ut argumento ſerviret. Archangelorum doctrinam, & materiæ ποίησιν in hoc tractatu amplectitur, alibi aliter Philoſophatur. *Tho. Gale* in Not. in Teſtimon. *Anonym.* Annotat. in *Iamblic.* de *Myſt. Chaldæor.*

ὁ θεῖος ἰάμβλιχος, *Divinus Iamblichus* dicitur *Proclo* in *Plat.* Theol. l. 1. c. 2.

Iamblichus, magnæ vir apud *Græcos* authoritatis. *Pier. Valer.* Hieroglyph. l. 33. c. 41.

Tractârat hoc argumentum (*de vitâ Pythagoræ*) antea Præceptor ejus *Malchus*

Digitized by Google

Malchus, ſive *Porphyrius*: ex cujus libro multa, vel iiſdem, vel leviter immutatis verbis ſcripſit *Jamblichus Voſſ.* de Hiſt. Græc. l. 2. c. 18.

In vita *Pythagoræ* multa ſurripuit ex eâ, quam ſcripſerat *Porphyrius* ejus Præceptor. De vitâ *Pythagoræ*, libros 7. compoſuit, quorum quatuor duntaxat ad nos pervenerunt: Duo priores editi ſunt, duo poſteriores habentur MS. in Bibliothecâ *Vaticanâ. Joan,* Card. *Bona*.

Alios duos libros de ejuſdem vitâ MS. habuit *Lucas Holſtenius*, & editionem promittit, cap. 1. p. 4. vitæ *Porphyrii*.

THEMISTIUS.

PHiloſophus & Orator, tempore *Conſtantis, Joviani, Valentis* & *Valentiniani* Imperatorum vixit. Præfecturâ Prætorii *Conſtantinop.* defunctus eſt. A facundia *Euphrades* cognominatus eſt, *Auguſtinus* libro *de Categoriis* præceptorem ſuum vocat. *Scripſit* Paraphraſin in *Ariſtotelis* Phyſicam libris 8. *&c.* Præterea edidit ſua, viz. de Interpretatione & Inſcriptione *Prædicamentorum*; Diſputationes etiam quaſdam Orationes ad *Principes*, ſub quibus vivebat. Clar. A. D. CCCLII.

Doctiſſimus is fuit *Ariſtotelis* Paraphraſtes, atque etiamnum magnæ Autoritatis. *Quinſtedt*.

Themiſtius elegans & nitidus Scriptor, non tantum doctus Philoſophus. *Turneb.* adverſ. l. 12. c. 11.

Lectæ ſunt *civiles orationes Themiſtii* ſex & triginta. Harum aliæ ad *Conſtantinum* Imp. habitæ: In *Valentem* quoque, & *Valentinianum* minorem, ſed & in *Theodoſium Auguſt.* Laudibus eos encomiiſque celebrantes. Sermo illi apertus, ſupervacaneis carens, ac floridus. Verbis quidem uſus eſt vulgaribus, ſed in gravitatem aliquantum flexis. Hujus *Themiſtii* in omnia ferè *Ariſtotelis* ſcripta feruntur, non ſolùm commentaria, ſed etiam *Metaphraſes*, utiliter & compendioſè ſcriptæ: ut *Analyticorum*, ut librorum de *Animâ* & *Phyſicæ Auſcultationis*, ſimiliumque operum. *Platonis* etiam quædam expoſuit: Cætera *Philoſophiæ* amans imprimis, ac perſtudioſus. *Phot.* in Biblioth. *And. Schotto* Interp.

Hic licèt *Gentilis Valentem* Imperatorem quotidiè ſævientem in *orthodoxos*, authoritate ſuâ & epiſtolis reddidit mitiorem. Vide *Sozomen.* & *Suid.*

Themiſtium ob ſummam in Philoſophiâ ſcientiam. *Præturæ* dignitate & inſignibus decoravit *Conſtantius* Imperator. *Crakenthorp.* de Provid.

Themiſtii Orationes, quas doctiſſimus Miræus attulit, vidi, & ſummâ cum voluptate legi. Benè meretur de *Rep. Literariâ*, qui earum editionem parat. Sunt enim pulcherrimæ, elegantiſſimæ, lectu digniſſimæ, καὶ τῷ λόγῳ *Themiſtio* digniſſimæ. *Caſaub.* epiſt. ad *And. Schot. Lut. Pariſ.* 7. Kal. Dec. 1609.

Philoſophis acutiſſimis ſuo merito jam olim adſcriptus eſt *Themiſtius*, iſque ex familiâ *Ariſtotelis*, ſi *Hermolao Barbaro* credas, oriundus. Egregium ſua memoriâ Philoſophum vocat *Auguſtinus* & *Caſſiodorus* diligentiſſimum Scriptorem ac lucidum, & omnia ad facultatem intelligentiæ reducentem. *Antonio Zimarra*, qui *Tabulas* ſuper *Ariſtotelem* edidit, creditus eſt *Alexandri Aphrodiſæ*

Digitized by Google

Orthodoxorum perſecutionem ferebatur moderatus fuerit. Nullum profectò ſignum evidentius exiſtimationis cuiquam exhiberi poteſt; Ex quo enim Princeps aliquis Religionem quampiam exterminare in animum induxit, ſupra modum grave ac moleſtum eſt ei quicquid hujuſmodi conſilii progreſſum remoratur, & nihil præter validiſſimas rationes hujuſmodi remoram operari poteſt. Interim tamen *Themiſtii* ſermo mirum hunc effectum produxit in *Imperatorem* ad exitium *Orthodoxorum* inflammatum quorundam *Adrianum* Epiſcoporum conſilio, & *Imperatricis* artibus Philoſophus ille *Valentem* admonuit *quòd homines frugi & immeritos perſequeretur; Crimen non eſſe diverſum ab eo credere & ſentire; hanc opinionum diverſitatem mirum quid non eſſe; Gentiles multò magis inter ſe diſſentire quàm Chriſtianos; Unumquemque veritatem, diverſa aliqua parte intueri; Deoque viſum eſſe hominum ſuperbiam confundere ſeque venerabiliorem iis reddere difficultate ipſum cognoſcendi. Novella* Gall. de Literarum *Rep.* Menſe Decembr. 1684.

Prodierunt *Themiſtii Orationes* 33. cum Notis *Dionyſii Petavii* è *Soc. Ieſ.* atque *Iohannis Hardvini* ex eadem Societate. *Pariſiis* 1684. in fol.

HILARIUS.

AQuitanus, Epiſcopus *Pictavienſis*, claruit anno 354. ob fidem relegatus: obiit anno 369. Clar. A. D. CCCLIV.

Opera Genuina ſunt: De Trinitate, libri 12. ———Adverſus *Conſtantium* vita functum, liber 1. ———Ad eundem Imperatorem libri duo---- Adverſus Arianos & Auxentium liber: Cui ſubjungitur Auxentii ad Imp. Epiſtola---- De Synodis, adverſus Arianos---Fragmenta ex opere Hiſtorico de Synodis, libri 2.---Commentarii in Evangelium S. Matthæi———Commentarii in Pſalmos.

Opera ſuppoſititia ſunt: Epiſtola ad Auguſtinum------Alia ad eundem---Carmen in Geneſim----Epiſtola ad Abram Filiam----Liber de Patris & Filii unitate---Liber de eſſentia Patris & Filii.

Opera non *extantia*: Tractatus in Job———Commentarii in Cantica Canticorum-----Hiſtoria Ariminenſis & Seleucienſis Synodi adverſus Valentem & Urſacium-----Adverſus Saluſtium Præfectum, ſeu Dioſcurum Medicum———Liber Hymnorum----Liber Myſteriorum---Epiſtolæ plures. *Guliel. Cave.*

Quamvis jam provectæ ætatis *Chriſtianus* factus eſt, tamen brevi in Eccleſiaſticâ doctrinâ ita profecit, ut *Doctor* maximus, & Eccleſiæ Catholicæ *Columna* meritò habitus ſit. *Bellarmin.* de Scriptor: Eccleſ.

S. *Hieronymus* eum Romani Sermonis *Tubam*, Latinæque eloquentiæ *Rhodanum* appellat.

Hilarius difficilis eſt & obſcurus in loquendo: Et Gallico cothurno attollitur, verba

Digitized by Google

verba quoque multa ſecum trahens, quæ non ſunt *Tullianæ* puritatis. *Eraſm.* in *Ciceronian.* p. 151.

Hebræi Sermonis ignarus fuit, & Græcarum literarum vix quandam tenuem auram accepit. Stylus ejus tam in *Pſalterii* quàm in *Matthæi* Commentariis eſt abſque ullâ artis affectatione preſſus, ſolidus, interdum ſubobſcurus, ſed ab omni tumore faſtuque alienus: Tametſi diverſum ſentire viſus ſit *Hyeronimus*, qui ad *Paulinum* ſcribens, *Hilarius*, inquit, *Gallicano Cothurno attollitur, & cùm Græciæ floribus adornatur, longis interdum periodis involvitur; & ob id à ſimplicium Fratrum lectione procul eſt.* Quæ ſanè *Hieronymi* verba referenda ſunt ad libros duodecim de *Trinitate*; in quibus, ut idem *Hieronymus* in Epiſtola ad *Magnum* oratorem ſcribit, Duodecim *Quintiliani* libros & ſtylo imitatus eſt, & numero. *Sixtus Senenſ.* Biblioth. l. 4.

Niſi *Hilarius Pictavienſis* collegiſſet Decreta Synodorum Orientalium, jam nihil ſciremus; quia in Tomis *Conciliorum*, ſicut nunc habentur, Ceremoniæ quædam in illis Synodis ſancitæ recenſentur, nihil verò de dogmatibus. *Chemnit.* de lecturâ Patrum.

Quia maſculè *Arianæ* impietati ſeſe oppoſuit *Hilarius*, hinc *hæreticorum* flagellum & Malleus, itemque *Arianæ* pravitatis domitor paſſim audit. *Quenſtedt.*

Hilarius Latinorum primus, eloquentiæ ſuæ gladium ſtrinxit in *Arianos*. Ea quoque res illi plurimum famæ conciliavit, præcipuè quod res eſſet cum hoſte nobili. Nam non dubito, quin apud *Græcos*, præter *Athanaſium*, plures idem fecerint. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. Epiſt. 8.

Hilarius quàm egregius Author! de *Trinitate* benè ſcripſit. Scaligera. *poſterior.*

In libris de *Trinitate* videtur totâ vi adniſus, ut in hoc *opere* declararet atque exereret, quicquid ingenio quicquid eloquentiâ, quicquid ſacrarum cognitione literarum poſſet. Eraſm. l. 28. ep. 8.

Hilarius Pictavienſis Epiſcopus *Pſalmorum* interpretationem & Homilias in *Job* ſcribens, è Græcis *Origenis* libris quadraginta fermè millia verſuum ſic tranſtulit in ſuos Latinè, ut ſenſuum magis quàm verborum curam habens, nonnulla etiam de ſuo addens, non *Interpres* alieni, ſed *Autor* ſui operis (diſſimulato, viz. conſtanter *Origenis* nomine) haberi voluerit; quod idem inſtitutum ſuis quoque in *Matthæum* Commentariis proſecutus eſt. Eo fortaſſe conſilio, ut *Origeniani* nominis invidiam evitaret. Quo pacto excuſatum eum habere cum *Eraſmo* poſſumus. *Thom.* de *Plagio*, num. 466.

Hilarius, qui *Origenis* Homilias in *Job*, & libros in *Pſalmos* complures è Græco Latine vertit, non aſſedit *literæ dormitanti*, & putidâ ruſticorum Interpretatione ſe torſit, ſed quaſi captivos ſenſus *Victoris* jure tranſpoſuit. *Hieronym.* ad *Pammach.* de optimo gen. interpretandi.

B. *Hieronymus* S. *Hilarium* vocat *Latinæ Eloquentiæ Rhodanum*, non modò ad Patrium ejus ſolum alludens, ſed etiam ad *ſtyli* ipſius characterem qui violentus & rapidus eſt ſicut *Rhodani* decurſus. Quemadmodum enim flumen illud aquarum ſuarum impetu abſtrahit quicquid earum torrenti obſiſtit, ita etiam B. *Hilarius* animum & judicium abripit & ſermonum ſuorum, vi conſenſum extorquet.

Digitized by Google

extorquet. Modus quo res enunciat, percutit, ſtupefacit, dejicit & perſuadet. Ejus Periodi prolixæ ac intricatæ plerunque ſunt, quod illum ubique obſcurum reddit, & quibuſdam locis ferè intelligi neſcium. Barbaris ſæpè vocibus utitur, & in ejus *Operibus* loca occurrunt ubi conſtructio nulla eſt. Figuris & Antitheſibus creber eſt; Ejus ratiocinia quamvis ſolida, admodum tamen ſublimia ſunt vivido illo & urgenti modo quo illa contexit. *Adverſarios* ſuos nullo delectu tractat. *Ad Potentes & de Potentibus incomparabili libertate loquitur. Nemini parcit, morum rigidus Cenſor & ſeverus *Fidei Defenſor* eſt *Ell.* du *Pin*, Nov. Biblioth. Tom. 2. p. 281. 282.

Ejus eruditio tanta erat quanta in his Mundi regionibus comparari poterat. Quod *Hebraicorum* imperitus erat, qua occaſione *Hieronymo* plus ſemel vapulat, minimè mirum eſt, *Judaica* eruditio diebus illis infrequens erat, præſertim in *Occidentalibus* plagis. Suâ in Oriente tot annos commoratione aliqualem linguæ *Græcæ* notitiam acquiſiverat, quamvis ad ejus ἀκρίβειαν & perfectionem nunquam pervenerit, quod, inter alia exempla, *Verſiones* ejus etiamnum extantes comprobant. Ad ſtudia *Theologica* præſertim animum appulit, & ad examen Controverſiarum quæ temporibus illis agitabantur; in quibus, licet in fatuis & intricatis Speculationibus ſitæ eſſent, magnus *Magiſter* evaſit, claruitque inter *Latinorum* primos qui *Catholicæ* Fidei explanationem & Defenſionem ſuſceperunt.—Abſurdas & ſingulares ejus Notiones & Opiniones plus ſatis diſcuſſerunt alii: Quarum cauſa parum æquum eſſet Memoriam ejus gravare, ſi attendamus quòd controverſa *Dogmata* recèns exorta & nondum ſufficienter elucidata eſſent; quodque procul ab Actionis Scena vixerit, & poſtquam publicum Theatrum conſcendiſſet, totam vitam Capitibus & Controverſiis illius Sæculi fatigatus fuerit. Sed quid multa, Eruditus, Eloquens, & acris judicii fuit, Vir præclaris dotibus & ſana mente præditus, Catholicuſque Epiſcopus, & quod caput rei eſt, Vir pius & bonus. *Dr.* Cave in Vita Hilarii pagin. 212. 213.

Notantur in *Hilario* voces nonnullæ, quibus præter loquendi conſuetudinem videtur uſus, ut *Diſproficit*, pro *Degenerat*, ſive in *pejus proficit*: *Rheumam* dixit pro *Rheumate*; *paſcham* & *mannam*: rurſus *Diapſalma Diapſalmæ*, & *Diapſalma Diapſalmatis*. *Zabulus* pro *Diabolo* non apud ipſum modò reperitur. Notantur etiam aliquot *Solœciſmi* — Porro quod attinet ad *literas Græcas*, eas tenuiter attigit. *Joan. Gillot.* in Comment. de S. *Hilario*.

* *Deſiderii Eraſmi* in *D. Hilarium* Annotationes, ſi *expurgentur*, permittuntur. *Index Madrit.* edit. ann. 1667.

Prodierunt opera ejus omnia *Pariſiis*, ann. 1605. 1631. 1652. Fol.

LIBANIUS.

SOphiſta *Antiochenus* Ethnicus, floruit *Juliani* Imp. temporibus uſque ad *Theodoſium* Seniorem. Hic *Athenis* audivit *Diophantum* Philoſophum, Clar. A. D. CCCLX.

deinde

deinde in Declamationibus ſe exercuit. *Conſtantinopolim* profectus, ibidem ludum aperuit, unde propter laſcivum in pueros amorem pulſus, *Nicomediam* venit, indeque eandem ob cauſam rejectus, in patriam reverſus eſt, *ſcripſit* Declamationes; Progymnaſmata; orationes, quæ ſubobſcuræ; & Epiſtolas, quæ laudatiſſimæ; item opus de Modis dictandi Epiſtolas. Hic etiam argumenta in omnes Orationes *Demoſthenis* edidit. Quæ omnia diligentiæ *Frederici Morelli*, *Leonis Allatii*, *Valeſii*, &c. debentur. Præceptor fuit *Baſilii*, ab hoc impensè laudatus in Epiſt. & *Chryſoſtomi*; oblatam à *Juliano* Præfecturam. *Prætorii* titulo *Sophiſtæ* poſthabuit. *Hofman.*

Libri *Libanii* ſcatent gratiâ & facetiis *Comicis*, & adſperſâ ubique urbanitate & argutiâ verbis ſubſervit; affluit & lepos ac grata jucunditas, cunctis *Syrophœnicibus* in vulgari colloquio peculiaris. (*Attici* naſum & ſalem vocant) quæ dos præter eruditionem peti ab eo poteſt — eruditionem magnam & multiplicem lectionem in *Orationibus* ejus invenias, & dictiones, quæ illecebras meras, & ſuavia ſpirant. *Eunap.* in vitâ *Liban.*

Lecti ſunt *Libanii* Tomi duo. Is in fictis ſuis, quaſque exercitationis tantùm causâ ſcripſit, *Orationibus*, ſeipſo eſt, quàm in aliis præſtantior. Nimis enim diligens ac curioſus dum eſſe vult, nativam effuſamque ſermonis (ut ita dixerim) gratiam ac venuſtatem in illis aliis corrupit, atque in obſcuritatem delapſus eſt, multa quidem interpoſitionibus obſcuriora reddendo, quædam etiam ablatis neceſſariis. Regula eſt alioqui hôc in genere, ac norma *Sermonis Attici*. Clarum item habet in Epiſtolis ſcribendis nomen: Multaque & varia circumferuntur ab eo conſcripta *Phot.* in Biblioth. Cod. XC.

Philoſtratus floridus ac picturatus: dilucidus magis eſt & ſimplex *Libanius*. *Lud. Viv.* de Trad.. Diſcipl. l. 3.

Chryſoſtomus puer nondum *Sacro lavacro* regeneratus, audivit ingenioſum, ſed inſigniter impium *Libanium* Sophiſtam. Sic enim tum *Rhethores* appellabantur. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. Epiſt. 4.

Libanio doctorum hominum calculis, inter *Atticiſtas* præcipuus locus tribuitur. *Idem* ibid. l. 29. Epiſt. 16.

Libanius Sophiſta Declamator mirè diſertus; ſed dum nimis diligens eſſe vult, in obſcuritatem ſæpè dilabitur. *Joan.* Card. *Bona.*

Unus tantùm repertus eſt *Libanius* Sophiſta *Antiochenus*, *Juliano* magno amicitiæ vinculo adſtrictus, qui funebrem in ipſius Imp. laudem ſcripſerit *Orationem*, quâ eum pro arbitrio laudibus in cœlum evexit, & inter numina collocavit. *Baron.* ad ann. 363.

In *Chriſtianos* ſæpiùs ſtylum ſtringit, præſertim in *Oratione* in *Necem Juliani*, & *Oratione* de *Templis Gentilium*, ipſi *Theodoſio* oblatâ.

Libanii 300. Epiſtolas MSS. Regina *Suecia Chriſtiana*, habuiſſe traditur. *Konig.*

Legi heſternâ die orationem tuam magnâ ex parte ante prandium, pranſus verò ſine ullâ intermiſſione reliquum abſolvi. O te felicem qui ita poſſis dicere aut ſentire potius! ô rationem! ô partitionem! ô argumenta! ô diſquiſitionem!

Digitized by Google

nempe ô aditus! ô verba! ô numerum! ô compoſitionem! ô mentem! ô prudentiam! *Julianus* Imp. in Epiſt. 14. ad *Liban.*

Ediderunt *Libanii* Orationes, Declamationes, Diſſertationes, &c. *Græcè*, cum Verſione & Notis *Fed. Morelli* 2. Tomis, *Pariſiis* 1606, & 1627.

Extant Orationes 5. Conſtitutionum Imperatoriarum quales in Cod. *Theodoſiano & Juſtinianeo* occurrunt, *Græcè* cum Verſione & Notis *Gothofredi*. *Genevæ* 1631. fol.

Extant ejus Deſcriptiones *Græc. Lat.* per *L. Allatium*, *Romæ*. 1641. in 8°.

JULIANUS.

Apoſtata, Imperator, inter viros doctrinâ claros refertur. Elaboravit Orationes & Epiſtolas: Librum de *Cæſaribus*: *Miſopogonem* adverſus *Antiochenos*: Hymnum in Solem, &c. Opera *Juliani* omnia *Dionyſius Petavius*, *Pariſiis* 1630. edi curavit, in 4°. Claruit A.D. CCCLXI.

Per omnia Philoſophiæ membra prudenter diſputando, currebat *Julianus*. Sed tamen cùm hæc effectè, plenéque colligeret, nec humiliora deſpexit: *Poeticam* mediocriter, & *Rhetoricam*, (ut oſtendit *Orationum, Epiſtolarumque* ejus cum gravitate comitas incorrupta) & Noſtrarum Externarumque rerum *Hiſtoriam* multiformem. Super his aderat *Latinè* quoque diſſerendi ſufficiens *Sermo*. *Ammian. Marcellin.* l. XVI.

Per univerſa hæc ſtudia animum ſuum diffuderat *Julianus Cæſar*: Magnus omninò Vir; ſed major futurus, niſi *Libanium* nimis æſtimâſſet. Græci ſermonis ea eſt illi elegantia, is nitor, ea facundia, ut omnes rapiat in admirationem ſui. *Voſſ.* de Philolog. c. 1. ſect. 6.

Et genere nobiliſſimo, & formâ liberali, & ingenio ad literas & ad arma accommodato celebris ſtatim à pueritiâ fuit. *Chriſtianos* non tam violentis Perſecutionibus, quàm dolis & perſuaſionibus à veritate fidei abducere conatus eſt: Cùm oblata eſſent ei aliquando *Scripta Chriſtianorum*, quibus defendebatur doctrina *Evangelii*, deridens eam ſubſcripſit hæc verba Ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, *Legi*, *Intellexi*, *Damnavi*; ſed reſpondit, nomine aliorum Epiſcoporum *Baſilius*, Ἀνέγνως, ἀλλ' ὐκ ἔγνως, εἰ ἔγνως, ὐκ ἂν κατέγνως, *Legiſti*, *ſed non intellexiſti*; *ſi enim intellexiſſes*, *non damnaſſes*. *Pezell.* Mellific. Hiſtor. part. 2. pagin. 273.

Quo [*Juliano*] tertius magiſque *Deo* ſimul & *Hominibus* exoſum animal orbis vix vidit. *Crakan. horp.* de Provid. Dei.

Julianus, maximis ille quidem præſtans ingenii dotibus, eâ ſtatione digniſſimus, verùm eò miſeratque infelix, quòd in tantorum munerum largitorem Deum, ingratus extitit, ac mox ab agnitâ veritate ſceleſtiſſimè defecit. *Iſaac. Caſaub.* Dedicat. præfix. *Polybio*, pag. 13.

Julianus cætera vir egregius & laudabilis, niſi quòd ob ſcelus deſertæ *Fidei Chriſtianæ* fœdum *Apoſtatæ* nomen ad Poſteros tranſmiſit. *Baudii* Orat. præfix. *Plin.* Panegyr.

Digitized by Google

Julianus Parabates, atrociſſimus licèt Chriſtiani nominis hoſtis, vir tamen verè literatus, literarumque & librorum amantiſſimus fuit. *Princeps*, ut nonnemo eum vocat, *ad unguem factus*, *odium in Chriſtianos* ſi excipias. *Gul. Selden*, de librorum Uſu & Abuſu.

Certè *Julianum Judæorum* non minùs quàm *Chriſtianorum* hoſtem, Hiſtoriæ evidentia coegit fateri, & viros *divino Spiritu* afflatos vixiſſe inter *Judæos*, & ad *Moſis* atque *Eliæ* Sacrificia ignem cœlitùs delapſum. *Grot.* de Verit. Relig. Chriſt. l. 1.

Etſi res geſtas & exitum *Juliani* Imp. *Ammianus Marcellinus*, & alii ejus fautores, inter quos fuit *Libanius*, honorificè recenſent, & ſapientiam, pietatem atque ejus virtutes heroicas, præſertim continentiam & caſtitatem prædicant atque commendant: tamen plerique alii *Hiſtorici*, de ipſius ſceleratis & flagitioſis actionibus, & horrendâ morte conveniunt. Scribunt enim, quum in prælio contra *Perſas* haſtâ cœlitùs vulneratus eſſet, hauſtum cavâ manu proprium cruorem versùs cœlum aſperſiſſe, cum hâc blaſphemâ voce erga *Chriſtum*, à quo impiè deſciverat: *Viciſti tandem, Galilæe*: Sicut commemorant *Theodoretus*, *Caſſiodorus* in tripartit. & *Nicephorus*, qui & illud refert, Julianum jam moriturum animâ ſecedente à corpore, diviniùs quodammodò quàm pro hominum captu potuit, oculos intendiſſe, ita ut *Chriſtum* viderit, & exclamaſſe: *Satura Te, Nazarene*. *Philip. Camerar.* Oper. Horar. ſubciſiv. c. LIX.

Interdixit iſte *Apoſtata* uſum *Scholarum Chriſtianis*, ratus, nullam acerbiorem fore perſecutionem, neque expeditiorem viam evertendæ Religionis, quàm ſi à ſtudiis literarum *Chriſtiani* arcerentur. Nimirum (inquit *Voſſius*) acutus ac perſpicax Imperator ſatis videbat, quo pacto maximè poſſet nocere Religioni Chriſtianæ. *Voſſ.* de Philolog. p. 7.

Obiit *Junii 16. Ann.* 363. Ætatis ſuæ Anno trigeſimo ſecundo, cùm duos nondum integros annos regnâſſet. Princeps præclaris ſanè Virtutibus ornatus, Prudens, Circumſpectus, Æquitatis amans, ſtrictè Juſtus, Caſtus, Temperans, in Laboribus patiens & indefeſſus, in moliminibus ſtrenuus, imò uſque ad temeritatem & præcipitantiam: Ingenio erat, acer ſed nimis *Satyricus*, Captûs facilitate & Eruditione pleriſque omnibus Principibus ſuperior; De cætero tamen Laudis & auræ Popularis avidiſſimus; Qui dicacitate delectabatur, nec rarò cum vana ſic ſatis gloria ſe ipſum commendabat: Erat, fatentibus vel ipſis ejus Scriptoribus, Superſtitioſus potiùs quàm Religioſus; Immodicè amans Rituum, Ceremoniarum & Conſuetudinum Ethniciſmi, quas tum gladio, tum calamo & reſtauravit & propugnavit; atque in quarum exercitio non parvas otii ſui portiones inſumſit, ſeque juratum hoſtem profeſſus eſt eorum omnium qui ipſis adverſabantur. Denique, ne quod ei debetur taceam, ſi ejus Memoria, defectione ab optima quæ unquam extiterit Religione, commaculata non fuiſſet, ſeque tam acerbo & implacabili animo erga *Chriſtianos* non geſſiſſet, optimis Principibus qui unquam tenuerint *Imperii Romani* clavum accenſeri potuiſſet. *Cave*, in ſua introductione ad ſuos *Eccleſiaſticos*.

Etſi fidei Religioniſque *Chriſtianæ* deſertor turpiſſimus infenſiſſimuſque hoſtis

ſtis *Julianus* eſſet. Omni tamen doctrinæ genere excelluit, vitæque ſuæ & morum acerrimus cenſor, bellorum etiam in *Germanos* & *Perſas* magnâ cum celeritate, nec minori felicitate confectorum gloriâ inclytus, eam laudem apud poſteros meruit, ut, quod paucis contigit, & armis ſtrenuus & vitâ integer, & literarum ſtudiis excellens noſcatur: cùm quæ ſinguli Imperatores partitim præclara habuerant, ea unus hic animo & factis ſit complexus univerſa. Igitur cum virtutibus maximis animum parem gereret, & laudes cæterorum Imperatorum, ipſius etiam *Conſtantini* Magni, ſuperaret, (quod adverſus Patres ipſi iniquiores aſſeruit *Petrus Cunæus*, ringente *Petavio*) iniquè tulit eorum vitia, nec cohibuit calamum, quin iſtum in perverſos mores & temeraria facta priorum Imperatorum ſtringeret. Hinc natus liber, quem *Cæſarum* nomine inſignivit, quòd eorum, qui ante ſe Romanis imperitaverant, vitia inſectaretur. Hic cùm elegantia dictionis, & argutâ dicacitate, rerumque varietate inſignis, reliqua vel Græcorum vel ipſius etiam *Juliani* ſcripta ſuperaret, è Græco ſermone in Latinum à *Carolo Cantoclaro Gallo*, & *Petro Cunæo* Belgâ olim tranſlatus eſt. *Acta Eruditorum*, Vol. 2. p. 311.

CAIUS,

Sive, ut alii malunt, Fabius,

MARIUS VICTORINUS.

M*Arius Victorinus* per ea tempora floruit, quibus *Conſtantius Conſtantini* filius *Romani* Imperii habenas eſt moderatus, *Afer* quidem, & ut plerique exiſtimant *Cartaginienſis*. Qui verò *Maſſilienſem* faciunt valde falluntur, & fallunt legentes. *Romæ Victorinus*, ut *Hieronymus* prodit, Rhetoricam docuit, ubi & ſtatuam meruit in Foro *Trajani*, quo in loco & pleriſque aliis poſitas legimus. *Victorino* operam dediſſe in Rhetoricâ *Hieronymum* accepimus; & juvenem ipſum fuiſſe *Gentilium Deorum* cultorem, quos demum maturiore ætate abjuravit, ut *Hieronymus* & *Auguſtinus* prodiderunt; quorum hic in libro Confeſſionum, de eodem illud commemorat: quòd cùm aliquando *Victorinus* cum *Simpliciano* viro ſanctiſſimo colloqueretur, ſeque *Chriſtianum* aſſereret, & id ſe minus credere *Simplicianus* reſpondiſſet, quoniam cum cæteris Chriſtianis illum in ſacris ædibus concionibus intereſſe non conſpiceret: tum viro ſancto per jocum *Victorinus* reſpondit: *An*, inquit, *Simpliciane Pater putas parietes Chriſtianum hominem facere?* Tandem verò cùm *Victorinus* ad templa deveniſſet, & ei velut homini verecundo, occulti *Symboli* liber oblatus fuiſſet, ut legeret; ille pulpitum, quem *Umbonem* & *Ambonem* Eccleſiaſtici vocant aſcendit & publicè clarâ & altâ voce *Symbolum* pronunciavit; Quâ ex re cunctis palam innotuit illum *Chriſtianum* eſſe. Sed enim præter *Rhetoricam* & *Dialecticam*, quas diſciplinas in primis excoluit, (nam in utraque doctiſſimè ſcripſit) in Poeticâ etiam illum floruiſſe videmus: Nam & verſu Heroico ſeptem *Maccabæorum* Clar. A. D. CCCLXII.

fratrum

fratrum acerbam cum matre necem ſub *Antiochio* Rege deſcripſit: Quod non multò antè Poema legi, parum licèt caſtigatum: Præter enim feneſtras, quæ in eo patentes pleræque exiſtunt, vacillantes quoque Syllabas & pedes offendimus. Leguntur & *Hymni* quidam ejus nomine editi *De Sanctiſſimâ Trinitate.* Extant & ejus in Poetica commentarii exquiſitæ frugis, ſi integri & non mutili à ſtudioſis haberentur. Sunt præterea in manu ejuſdem commentarii in duos *M. Tullii* de Inventione Libellos. Sunt & quæ ex *Porphyrii* Iſagoge in Latinum tranſtulit. *Lil. Greg. Gyrald.* de Poet. Hiſt. Dial. 5.

Victorini libros 4. adverſus *Arianos* S. *Hieronymus* tradit *dialectico more* ſcriptos valdè eſſe obſcuros, & non niſi ab eruditis intelligi, ac cum judicio legendos, cùm nonnulla contineant duriuſcula, & ab uſu loquendi *Theologorum* aliena.

Non quia ignorem *Caium Marium Victorinum*, qui *Romæ* pueros Rhetoricam docuit, edidiſſe commentarios in *Apoſtolum*; ſed quòd occupatus ille eruditione ſæcularium literarum, *Scripturas* omninò *Sanctas* ignoraverit: Et nemo poſſit quamvis eloquens, de eo bene diſputare, qui neſcit. *Hieronym.* in Prooem. comment. in Epiſt. *Pauli* ad *Galatas*, Tom. 9.

Marius Victorinus Afer, ſenſu profundus, dictione obſcurus, durus in ſententiis, & ſæpè *Platonizans. Joan.* Card. *Bona.*

In *Victorini* libris contra *Arium* pleraque obſcura & involuta ſunt nexibus plicarum circumducta, quæ hominem doctum potius quàm diſertum arguant & capiant. *Caſp. Barth.* l. 42. adverſ. c. 9.

Poema *Maccabæorum* eſt deſcriptio verſibus *Hexametris* Martyrii ſeptem Fratrum. Nihil non vulgare continetur in hoc Poemate. Nihil Poeticum habet præter Virgilii humilia quædam imitamina; & pleraque ejus carmina Vilia ſunt & abjecta.

Commentaria *Victorini* in Apoſtolum *Paulum* nondum edita ſunt. Jeſ. *Sirmondus* eorum Fragmenta quædam in neſcio quo Manuſcripto invenerat.

Sed dubio procul illa cenſuit indigna quæ in publicam lucem venirent, quamvis in Admonitione ſua dicat horum Commentariorum ſtylum planiorem & terſiorem eſſe quam Scriptorem ejus Dogmaticorum. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Author. Eccleſ. Tom. 2. p. 296.

Quæ ſcripſit *Victorinus* cautè legenda monent *Critici Sacri*, quia magis Arti Rhetoricæ quàm Sacris Literis & Theologiæ operam dederat. Quo anno obierit, non conſtat, hoc certum obiiſſe ante annum 378. quo S. *Auguſtinus* repudiato *Manichæorum* dogmate ad partes Catholicorum tranſiit. Ejus opuſcula nemo in unum volumen collegit. *Philipp. Labb.*

Stylus *Victorino* parùm fœlix, præſertim in Dogmaticis perplexus ingratus, & qui vix ulla adeò decantatæ eloquentiæ veſtigia retinet. In Commentariis verò ſtylum planiorem & apertiorem eſſe teſtatur, qui legit, Doctiſſimus *Sirmondus.* Denique opuſcula ejus attentum & oculatum lectorem poſtulant. Cum in Gentilium enim literarum ſtudio longè majorem vitæ partem tranſegerit, nec niſi provectâ jam ætate Chriſtianiſmum amplexus ſit, non videtur ubique Fidei dogmata

Digitized by Google

dogmata ſatis accuratè percepiſſe, ſaltem non ſatis fœliciter expreſſiſſe. *Gul. Cave* in Hiſt. literar.

Ejus *Hymnos* tres de *Homouſio* recipiendo *Fabricius* ametros notat & anarythmos.

Libri quatuor adverſus *Arium* cum aliis quibuſdam, extant Tom. 4. Bibl. PP. *Pariſ.* fol.

Librum adverſus *Manichæos*, & alterum *de Principio Diei*, edidit *Sirmondus* in opuſc. dogmat. p. 153. *Pariſ.* 1630. 8°.

EPIPHANIUS.

E*Leutheropoli Paleſtinæ* oppido oriundus, *Conſtantiæ* ſeu *Salaminis* in *Cypro* Clar. A. D.
inſulâ Epiſcopus, floruit ſub *Juliano*, *Valente*, *Gratiano*, *Theodoſio*, atque CCCLXX.
Arcadio Impp. ab anno 361. ad 403. quo obiit die 12. Maii, valdè ſenex; πεντάγλωττος, ob quinque linguarum peritiam meritò appellatus, & à Sanctis Patribus ſæpè multumque commendatus. *Phil. Labbe.* de Script. Eccleſ.

Sanctus *Hieronymus* in Literis ad *Pammach.* vocat ſummum Antiſtitem, quò nec ætate, nec ſcientiâ, nec vitæ merito, nec totius orbis teſtimonio major extitit — Multa *ſcripſit Epiphanius*, quæ ab eruditis propter res, à ſimplicioribus propter verba quoque lectitantur. *Hieronym.* de Scrip. Eccleſ.

Opera Genuina ſunt: Panarium ſive adverſus Hæreſes 80. — Ancoratus, ſeu de fide ſermo — Anacephalæoſis, ſeu Panarii Epitome — De Ponderibus & Menſuris liber — Epiſtola ad *Joannem Hieroſolymitanum.* Lat. — Ad *Hieronymum* Epiſtola brevis. Latinè.

Opera ſuppoſititia ſunt: Phyſiologus — De vitâ & interitu *Prophetarum* — De duodecim Gemmis in veſte *Aaronis* — Ejuſdem libri Epitome — Orationes octo, viz. In Feſtum Palmarum: In *Chriſti* Sepulturam: In *Chriſti* Reſurrectionem: In *Chriſti* Aſſumptionem: De Laudibus B. *Mariæ* Virginis: In Feſto Palmarum — De numerorum Myſteriis — De Chriſti Reſurrectione.

Opera non *extantia*: De lapidibus — *S. Hilarionis* Encomium — Epiſtolæ plures. *Gul. Cave.*

Multa cum delectu & judicio legenda apud *Epiphanium.* Cujus *Panarium* nos ſolemus vocare *Chriſtianæ Antiquitatis Scrinium*: Et ſanè præſtantiſſimum eſt *opus*, & non omnium hominum. *Scalig.* Elench. Trihæreſ. *Serar.* c. 15.

Cum delectu ille Author tractandus, optimè alioqui de literis divinis deque Eccleſiâ meritus. *Idem* ibid. c. 21.

Fuit quidem *Epiphanius* vir ſanctus, ſed Grammaticæ ac Rhetoricæ admodum rudis, ut ſatis apparet ex Operibus, in quibus, non ſolùm orationis nitorem, ſed etiam ſeriem & ſyntaxin, periodorumque ſtructuram, orationis omnis lucem unicam, plerumque deſideres; quæ quidem vitia variis multiſque in locis neceſſariò obſcuritatem pariunt, quod & queruntur ejus Interpretes. *Joan. Dallæus* de vero uſu *Patrum* c. 5. p. 138.

Epiphanius verò ut ingenio erat ſimplici & aperto, &, ſi dicere licet, incauto, & nimis

& nimis credulo; ſic acer fuit & vehemens in iis omnibus retinendis, quæ ſancta & vera eſſe in animum induxerat, ideoque faciliùs abreptus eſt ad multa admittenda tanquam ſolida, quæ, ut ſemel ſuſceperat non facilè dimittebat, ſed retinebat mordicus. Non exiguo volumine & multo otio opus eſſet, ad ea omnia recenſenda quæ notari ex eo poſſent. Si cui in ea inquirere cordi eſt, adeat *Dionyſii Petavii* recentiſſimi interpretis *Notas*; caſtigat enim eum ſæpenumerò, & nonnunquam quidem acriter. *Dallæus* ibid. p. 272.

In Hæreſibus *Judæorum* & *Samaritanorum* non eſt valdè accuratus *Epiphanius*. *Montacut*. Apparat. 7. Sect. 80.

Perobſcura atque impedita; imò falſa eſſe quæ *Epiphanius* de *Anno* & *Die* quo natus eſt *Chriſtus*, diſſerit, nullumque *Sphingis* ænigma ejus oratione perplexius eſſe non dubitat pronunciare *Petavius* in *Epiphanium*.

Caſaubonus in exercitationibus ad *Annales Baronii*, *Epiphanium* virum maximum vocat: ſed credulitatis nimiæ eum ſæpius inſimulat.

Epiphanius Hiſtoriarum diligentiſſimus Inquiſitor vocatur *Grotio*.

Epiphanius falſa multa continet. Bona quædam habet, ſed ignarus eſt, atque miſellum ingenium. Multa corraſit, & Græcorum ac Hebraicorum nihil omnino callebat. Antiquitatum Theſaurum habemus apud Epiphanium, bonis enim libris inſtructus erat, ex quibus quando deſcribit, optimè; ſed quando ex ſuo dicit aliquid miſerrimus eſt. *Scaligerana* poſterior.

Legimus ſanctiſſimi Epiſcopi *Epiphanii* adverſus octoginta *Hæreſes Panaria* voluminibus tribus in libros ſeptem diſtributa: Ducto igitur à Barbariſmo initio, tendit inde uſque ad *Meſſallianos*: Cæteris, qui ante ipſum contra *Hæreſes* ſcripſerunt, copioſor atque utilior; propterea quòd quæ reliqui utilia continebant, hic nequaquam prætermiſit: Sed quæcunque præter illa ſtudioſè reperire potuit, adjunxit. Dictio ejus humilis, ac plane talis, qualem ejus eſſe oportuit, qui *Atticæ* elegantiæ rationem nullam duceret.

Infirmus verò ut plurimum eſt in conflictibus adverſus impias *Hæreſes* ſuſceptis. Eſt tamen ubi fortiter aggreditur, atque irruit, quamvis neque verborum ipſius, neque conſtructionis proprietas ullâ ex parte præſtantior efficiatur. *Phot.* in Biblioth. cod. 122.

S. Epiphanii ſtylus omnis elegantiæ & ſublimitatis expers eſt; imo contrà ſimplex, humilis & abjectus eſt; aſper eſt atque ruſticus, abſque ſerie & connexione; multæ lectionis & eruditionis vir fuit, ſed in rebus diſcernendis omni ſagacitate, & ingenii politie deſtitutus. Falſis plerumque rationibus ad Hæreticos refutandos utitur. Admodum credulus & minimùm accuratus erat. Paſſim hallucinatur in *Hiſtoriæ* factis notatu digniſſimis, & falſis monumentis aut rumoribus incertis nimis temerè fidem adhibet; Zelo & pietate abundabat, ſed conſilio prudentiaq; civili deficiebat. *Ell.* du *Pin.* Nov. Bibl. *Author. Eccleſiaſtic.* Tom. 2. p. 761.

Eruditio ejus contemnenda non erat ratione cùm Prophanorum tum Sacrorum Scriptorum, præſertim verò *Eruditionis Eccleſiaſticæ* tramites emenſus erat; Omnes uſitatiores linguas mediocriter callebat, ſpeciatim verò *Hebraicam*, *Syriacam*, *Ægyptiacam*, *Græcam* & *Latinam*; hinc B. *Hieronymo* πεντάγλωττος

Io.

mus denominatus, quamvis Orientalium idiomatum notitia tunc temporis parum frequens eſſet. Verum eſt quòd eruditione multò magis quàm judicio polleret, ejuſque Lectio diffuſior quàm acuta & nervoſa ejus ratiocinia. Quandoque, ut obſervat Photius, Adverſarium cum acumine quodam adoritur, at enerves plerunque ac inſulſi ſunt ſermones ejus. Sed capitalis ejus defectus fuit nimia ejus credulitas, cùm res plerumque referat alienam fidem ſecutus, ſinens ut ſibi imponatur ejuſmodi narrationibus quas evulgaverat Partium altera vel de propriis vel de Adverſarii ſui actis, abſque debita Inquiſitione prævioq; examine, quod in errores, contradictiones & confuſiones innumeras eum conjecit; Quemadmodum evidenter patet, ut alia taceam, ex ejus relationibus circa *Arianos* hujuſque trunci varios ramos. Vilis & inſipidus eſt ejus ſtylus, nec ad Eloquentiæ confinia accedit; quem Characterem Scriptis ipſius jam dudum tribuerat bonus ejus amicus S. *Hieronymus*; *Quod ſcilicet Viri Docti ea legerent propter Materiam & Subſtantiam, Simplices verò propter Stylum.* Præcipuus librorum qui nunc extant eſt ipſius *Panarion* ſeu Tractatus adverſus *Hæreſes*; In quo præter Argumentum principale, multa Veterum Authorum Eccleſiaſticorum Fragmenta notatu digna & nuſquam alibi occurrentia conſervavit; Et non exigua Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ pars illo libro continetur. In præſtantiſſimi & utiliſſimi hujus Operis compilatione auxilio non mediocri fuerunt ei Veteres quidam qui in hoc ſcribendi genere ipſi præluxerant, *Juſtinus Martyr, Irenæus, Hippolytus* & quidam alii, quorum Sermones & Relationes hic Author noſter auxit & ampliavit, iiſque integras addidit diſſertationes de *Hæreſibus* ſuo Tempore exortis, quod omnium turbulentiſſimum & vexatiſſimum Eccleſiæ Sæculum fuit, *Cave* in Vita *Epiphanii* p. 444. 445. Angl.

Prodierunt Vita & Opera *Epiphanii* Græc. Lat. cum Notis per *Dionyſium Petavium* Tom. 2. in fol. *Pariſ.* 1622.

Auctior verò editio quæ prodiit *Coloniæ* 1682. in fol. 2. Tomis Sumptibus *Ierem. Schrey*, & *Heinr. Joh. Meyeri.*

S. BASILIUS.

CAppadox, meritò Magnus appellatus, per plures annos S. *Gregorii Nazianzeni Athenis*, & in ſolitudine comes individuus, *Cæſareæ* in *Cappadociâ*, quæ priùs *Mazaca* dicebatur, Archiepiſcopus creatus eſt die Junii 14. Dominicâ anni 369. *Arianis*, ipſique *Valenti Auguſto* ſæpè reſtitit, multiſque exantlatis pro fide Catholicâ laboribus, ad meliorem vitam tranſiit Kalendis Januariis anni 378. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſiaſt. Clar. A. D. CCCLXX.

Opera Genuina ſunt: Homiliæ 9. in Hexaëmeron------In Pſalmos Homiliæ 22.------Homiliæ 31. varii argumenti -----De Baptiſmo lib. 2.------De vera Virginitate ad Letoium Melitenſ----Commentarii in 16. priora Iſaiæ capita---Adverſus Eunomium lib. 5.-----Ad Amphilochium de Spiritu Sancto----Sermo de Abdicatione rerum------De verâ ac piâ Fide-----Procœmium Ethicorum de

judicio Dei---Ethica ſeu Moralia---Aſcetica, ſeu de Inſtitut. Monach. Serm. 2. ---Regulæ fuſiùs diſputatæ---Regulæ breviores---Conſtitutiones Monaſticæ---Epiſtola ad Chilonem Anachoretam---Ad Monachum lapſum & Virgin. Lapſ. Epiſt. 3.---Ad Amphilochium Epiſtolæ Canonicæ, 3.----Epiſtolæ aliæ 428.---Liturgia, ſed interpolata---Conciones Morales 24. Ex *Baſilii* libris, per *Simeonem Logothetam* ſelectæ.

Opera Suppoſititia: Homil. 10. & 11. in Hexaëmeron--De Grammaticâ exercitatione Libellus (reverâ *Moſchopuli*)---De Conſolatione in Adverſis, Lat.---De laudibus eremi, ſeu vitæ ſolitariæ, (fragmentum ex opere *Petri Damiani*)---Admonitio ad Filium Spiritualem, Lat. ----Precatio cùm ſacris operaretur---Fragmentum Epiſtolæ ad Julianum Imp.

Vir eloquentium præſtantiſſimus, & in omni doctrinæ genere ſummus *D. Hieronym.* in catal. Script. Eccleſiaſt.

Fidei columen, veritatis norma, & Eccleſiæ forma, plena prudentiæ canities, fidelis ſervus & magnus Pontifex; Dei, hominiſque mediator; Spirituſque Sancti Domicilium. *Greg. Nazianz.* in Epiſt. 38. ad *Simplicianum.*

Vir divinus & Sacroſanctus, orbis oculus, magna vox & tuba, doctrinæ Palatium, Sol inter Sidera *Greg. Nazian.* in Epiſt. 10. ad *Baſilium.*

Os Eccleſiæ, aurea doctrinæ luſcinia vocatur *Gregorio Nyſſeno* in Encomio *Ephram.*

Præfulgidum lumen orbis univerſi. *Theodoret.* l. 4. c. 19.

Baſilius vir doctus atque ſanctiſſimus, tantæ apud *Græcos* auctoritatis extitit, ut ejus doctrinæ vel ſcriptis nemo unquam quantumlibet ſciolus in aliquo contradicere auſus fuerit. *Trithem.*

Baſilius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, re & cognomine magnus. Jure Chriſtianorum Philoſophus & Philoſophorum Chriſtianiſſimus dictus eſt. *Sixtus Senenſ.* l. 4. Biblioth.

D. *Baſilius* vir optimo jure dictus *Magnus*, ſed *Maximi* cognomine dignior ---Equidem contumeliam eſſe judico, *Baſilii* facundiam cum quoquam eorum comparare, quorum eloquentiam ſupra modum admirata eſt *Græcia*, juxta modum æmulata *Italia*---In Baſilio neſcio quid moroſulus etiam lector poſſit deſiderare. Manat è ſanctiſſimo pectore, cunctiſque humanis cupiditatibus defæcato, ſimplex ac naturalis oratio. Præſtantur omnia quæ poteſt *ars*, nec ulla tamen uſquam artis ſignificatio: Agnoſcas ibi ſummam mundanæ *Philoſophiæ* cognitionem, ſed nullam prorſus oſtentationem. Sentias illum callere diſciplinas liberales, & in his *Mathematicas* omnes, ſed ſic adhiberi, ut nihil aliud quàm ancillentur pietati. *Eraſm.* lib. 28. Epiſt. 7.

Opus Hexaëmeron dictum, uſque adeò admirandæ dictionis curâ & orationis majeſtate elaboravit, ut *Gregorius Nazianzenus* non immeritò dixerit, tantum *Baſilii* orationem omnes hominum Sermones antecedere, quantum *divina* vox *humanas*. *Rivet.* Tom. 2.

Hic plurima ſcripſit, inter quæ maximam admirationem hominibus movent illa, quæ in ſex dierum opificium conſcripſit. *Suidas.*

Digitized by Google

S. *Baſilius* Sancto Joanne *Chryſoſtomo* ſubtilior eſt in Homiliis quas in ſex Creationis Mundi dies conſcripſit, eaſque in Eruditorum gratiam magis quàm ad plebis inſtitutionem adornaſſe videtur. Sæpius tamen Textus literam explicat, & aliquando uſque ad Grammaticum ſenſum deſcendit, præcipuos notando modos quibus vocabula Græca & Hebraica verti poſſunt. Græci Patres hoc Opus mirati ſunt, cùm ob Authoris Eloquentiam inſignem, tùm ob eruditionem quandam quam S. *Baſilius* affectâſſe videtur. In illis Homiliis Orator perfectus, potiùs quàm Sacri Textûs Interpres obſervatur; Quæ methodus pleriſque Patribus communis eſt, præſertim verò *Græcis*, qui in ſuis Sermonibus cæteris multò diffuſiores ſunt. Eundem ferè characterem ſuis in aliquot *Pſalmos* Homiliis ſervat; ubi quidem tanta eruditio non elucet, ſed frequentiora ſunt moralia documenta, propter Argumentum quod ediſſerit. Literalem ſenſum magis ſequitur ſuis in *Iſaiam* Commentariis, licet digreſſiones quaſdam contineant & circa moralem ſenſum copioſiores ſint. Fatetur hic Pater neminem *Scripturam Sacram* intelligere poſſe, niſi plures annos, imo totam vitam in ejuſmodi ſtudio ſeſe priùs exercuerit. Cæterùm in hoc Commentario non apparet eruditio illa quam exhibent ejus in Hexaemerum Homiliæ, quia gravius eſt argumentum. Videtur è contrà meram affectâſſe citationem variorum *Scripturæ* locorum qui in toto illo libro utramque paginam faciunt. R. P. *Richard. Simon*, Hiſt. Critic. Veteris Teſtam. lib. 3. cap. 10. Gall.

Nulli *Authores* extant quorum *Scripta* animos altius penetrent quàm D. *Baſilii.* Omnia tam ad vivum deſcribit, tanta vi rationes ſuas explicat, tam horrendas vitii picturas delineat, ejus ad virtutem hortamenta tam efficaciter perſuadent, ejus documenta uſque adeò ampla & utilia ſunt, ut ejus ſcripta legere nemo poſſit quin ſe erudiri & perſuaderi de veritate perſentiſcat, & quin amorem erga virtutem & odium adverſus vitia concipiat. Sermones ejus ſententiis vacui, verbis vero pleni non ſunt, ut *Oratorum* plerique ſermones. In illis eloquentia doctrinam comitatur: pariter erudiunt, delectant, & movent. Dictio ejus terſa eſt & emphatica ſublimiter ſenſa ſua enuntiat. Stylus ejus purus eſt, elegans & ad perſuadendum efficax. Ejus Oratio nativa, lenis & inaffectata ſemper deprehenditur. Jucundè perſuadet, tam perſpicuè res explanat eaſque adeò veriſimiliter enunciat, ut, eruditi *Photii* judicio, cum nobis proponere poſſimus in *Exemplar Demoſthene* ac diſſertiſſimis *Oratoribus* Antiquitatis haud longè inferius. Imò, ſi *Eraſmo* fides adhibeatur, Veteres *Græciæ Oratores* antecellit eorumque vitiis caret. Ad omnigenas compoſitiones aptus erat. Ejus in *Scripturam* Commentarii maxime inſtitutivi & genuini ſunt. In *Panegyricis* eximius eſt Ratiocinii ejus vis & acumen in ejus tractatibus de Controverſiis cernuntur. Ejus *Morales* ſermones ad inſtitutionem & affectuum motionem apti ſunt. Denique licet ejus *Aſcetica* ſtyli æquè magnifici non ſint ac alia ejus ſcripta, non illis minùs tamen pura & terſa dictio eis ineſt. Methodus tamen in qua in uſus eſt eadem ſubobſcura quandoque reddit. *Ell.* du *Pin*, Nov. Bibl. Author. Eccleſiaſtic. Tom. 2. p. 586. 587.

Baſilius præſtantiſſimus eſt in libris omnibus. Purâ enim dictione, ſignificante, propriâ, & omninò civili ac Panegyricâ, ſi quis alius, uti novit, ſenſuumque ordine ac puritate primus,& nemini ſecundus, apparet *Phot.* in Biblioth. Cod. CXLI.

Vir fuit claræ ac perſpicacis Apprehenſionis, prompti & acris ingenii, acutè ſolertis ratiocinii; profundi ſolidique judicii: Acquiſitæ ipſius dotes oppidò adaugebant nativas ejus perfectiones, iiſque ſplendorem & ornatum incomparabilem addebant. Sicut educatio felix ei non defuerat, ſic nec induſtria nec ſedulitas ad ejusdem uſum in eo deſiderabatur: Horum ope Doctor eximius brevi evaſit & ad ſummum omnis politici utiliſque eruditionis faſtigium brevi evectus eſt, in qua nihil ſibi impervium reliquit: & tamen in ſingulis ita verſatus erat Scientiis, ut quiſpiam alius in harum unica, cùm in qualibet Arte non minùs accuratus eſſet quàm ſi ei ſoli operam navaſſet. Eminebat in Grammaticis, Rhetoricis, Philoſophicis, Aſtronomicis, Geometricis, Arithmeticis, Phyſicis, & quibus non? Omnes Gentilium Theſauros expilaverat, ſecretioreſque Philoſophicæ ſeculariſque Doctrinæ receſſus rimatus erat; Cujus reſpectu *Philoſtorgius* ait, & forſitan verè, *Athanaſium præ illo merum infantem fuiſſe.* Ejus ſtylus & ſcribendi modus mirificus eſt ac ferè inimitabilis; proprius eſt, perſpicuus, emphaticus, dulcis, lenis & facilis, & tamen energeticus & ad perſuadendum efficax, & ab ipſo fluens cum nativa & inaffectata venuſtate ac ſuavitate. Ejus in Philoſophicis ἀκρίβεια ſtyli ejus nitorem & lenitatem minimè vitiabat; nec ſuavitas ac elegantia Orationis ejus nervoſum robur & evidentiam Argumentorum infirmabat. *Cave* in Vit. *S. Baſilii* p. 262.

Baſilii Opera omnia prodierunt Græcè & Latine, Tomis 3. *Pariſiis*, Fol. ann. 1638.

Ad commodiorem Operum *S. Baſilii* intelligentiam non parum conferet *Fr. Combefis Baſilius reſtitutus*, in quo ex optimis MSS. textum caſtigavit, auxit, illuſtravit, & Verſiones recenſuit. Edidit hoc Opus *Pariſ.* 1679. Vol. 2. in 8.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

Clar. A. D. CCCLXX. COgnomento *Theologus*, *Nazianzi* in *Cappadociâ* natus, *Athenis* operam dedit ſub *Libanio* aliiſque ſophiſtis, cum Sancto *Baſilio*, circa ann. 354. Poſt aliquot annos reverſus ex ſolitudine in Patriam, *Saſimorum* factus eſt à *S. Baſilio* tum *Cæſarienſi* Archiepiſcopo Epiſcopus, quibus relictis vivo adhuc patre adminiſtravit *Nazianzenam* Eccleſiam, unde *Nazianzeni* cognomen ei adhæſit. Inde *Valente Auguſto Arianorum* fautore mortuo *Conſtantinopolim* venit ann. 379. Ubi paſtorali per aliquod tempus functus officio, occaſione excitatorum à *Timotheo Alexandrino* Patriarchâ aliiſque præſulibus tumultuum in Concilio *CP.* Generali ſponte receſſit *Nazianzum* an. 382. ibique plerumq; ruri vixit, uſque ad annum *Chriſti* 389. *Theodoſii* Imp. undecimum, quo obiit, vel die Maii 9. ex Martyrologio *Romano*, vel die Januarii 25. ex *Græcorum* Menologiis. *Phil. Labbe.*

Opera

Opera Genuina plurima ſunt.

Opera Dubia ſunt: Oratio ſeu Epiſtola ad *Evagrium* Monachum de *Divinitate*----ſignificatio in *Ezechielem.*

Opera Suppoſititia ſunt: Metaphraſis ſeu Tranſlatio in *Eccleſiaſtem*, quam *Gregorii Thaumaturgi* opus eſſe conſtat---Chriſtus Patiens, Tragœdia: quam ab *Apollinare Laodiceno* ſcriptam eſſe veriſimile eſt *Gul. Cave.*

Vir fuit omnino divinis humaniſque literis ſolidiſſimè imbutus, atque ſi unquam apud homines talis exiſtere debuit, effigies quædam atque omnibus virtutibus conſtans columna. *Sim. Metaphraſtes.*

Gregorius os *Chriſti* & vas Electionis vocatur *Baſilio.*

Vir per omnia incomparabilis, verbo & operibus clarus. *Ruffin.*

Columna aurea & totius *Eccleſiæ* fundamentum. *Euſeb.*

Ab omnibus *Græcis* ob ſingularem autoritatis ſuæ excellentiam, primus poſt D. *Joannem Evangeliſtam, Theologi* ac *Magni* cognomentis illuſtratus eſt. Vir fuit tam Philoſophiæ, quàm Theologiæ opibus affluens,& omnium ſui temporis ſolutâ atque pedeſtri oratione eloquentiſſimus: quippe qui *Polemonis Laodiceni*, Sophiſtæ celebratiſſimi, ſublimem dicendi Cothurnum eſſet aſſecutus. Hic *Baſilio Magno* arctiſſima fuit neceſſitudine conjunctus & D. *Hieronymum* in Scripturarum ſtudiis auditorem ac Diſcipulum habuit. Obtinuit etiam in *Eccleſiâ Græcâ*, tantum authoritatis pondus, ut quicunque teſtimonio ejus refragari auderet, ſtatim vel *Hæreticus* haberetur, vel *Hæreſeos* ſuſpicione notaretur. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Biblioth. Sanctæ, p. 219.

Tanto autem tum vivens, tum etiam poſt mortem nominis ſplendore effulſit & gloriâ, ut tam Græcorum quàm Latinorum præconiis celebretur: quem & reveriti ſunt & laudaverunt etiam Eccleſiæ hoſtes, ut inter alios *Euſtorgius*, qui *Baſilio* atque *Apollinari Gregorium* præfert. *Baron.* ad ann. 389.

In *Gregorio Nazianzeno* pietas propemodum ex æquo certat cum facundiâ. Sed amat ſignificantes argutias quas eò difficilius eſt Latinè reddere, quod pleræque ſunt in verbis ſitæ. Tota verò Phraſis nonnihil accedit ad ſtructuram *Iſocraticam.* Adde quòd de rebus divinis, quæ vix ullis verbis humanis explicari poſſunt, libenter ac frequenter philoſophatur. *Eraſm.* l. 26. Epiſt. 33.

Gregorius multa ſcripſit, in quibus ſapientiam cum Eloquentiâ mirifice copulavit *Bellarm.* de Script. Eccleſiaſt.

Gregorius Nazianzenus dictus *Theologus*, humanæ & divinæ Sapientiæ Theſaurus. *Joan.* Card. *Bona.*

Philoſtorgius ait, *Apollinarii* Sermonem *Commentationibus* eſſe aptiorem *Baſilii* in genere *Panegyrico* ſplendidiſſimum; At *Gregorii* cum utroque comparati oratio, ſublimiorem in ſcriptione locum obtinuit. Etenim *Appollinario* erat uberior in dicendo; *Baſilio* verò gravior.

Ex *Eraſmo*, Billio, *Baronio*, aliiſque retundas impurum os Martini Chemnitii Lutherani, qui cap. 11. Theol. Jeſuit. deblaterat *Nazianzenum* Apoſtrophis ſuis floridis magis & Rhetoricis, quàm Theologicis, occaſionem dediſſe multis ſuperſtitionibus. *Labbe* de Script. Eccleſiaſt.

De Facundiæ præmio cum Authore illo diſceptare nemo poteſt. Palmam dubio procul omnibus ſibi coævis præripit, vocabulorum puritate, elocutionis nobilitate, ſermonum ornamentis, ſimilitudinum concinnitate, ratiociniorum præſtantia & ſententiarum ſublimitate. Sanctus *Hieronymus* & *Suidas* Veterum quendam nomine Polemonem illum fuiſſe imitatum tradunt; Sed aſſerere poſſumus ſtylum ejus *Iſocratico* proximum eſſe. Quantumvis ſublimis, nativus tamen eſt, lenis, & jucundus. Plenæ ſunt ejus periodi & ad finem uſque ſibi ſimiles. Verborum mira eſt ei copia, nec in elocutionis facilitate, modoque jucundo parem ullum agnoſcit. Ejus *Orationes* arte ac methodo exquiſita compoſitæ ſunt; Character earum tum Argumento tum Auditoribus ejus conveniens eſt. Denique cenſeri poteſt perfectiſſimis *Græciæ Oratoribus* annumerandus. Nimiùm tamen affectat *Antitheſes*, alluſiones, ſimilitudines, comparationes aliaque id genus ſermonis blandimenta quæ ipſum effœminatum reddere videntur. Imo falſum ejus ſententiis & ratiociniis quandoque ſubeſſe deprehenditur, ſed quod elocutionum ejus pompa velatur copiaque verborum ejus obvolvitur. Admodum prolixus eſt & pauca *Periodis* pluribus effatur. *Ell.* du *Pin*, *Nov.* Biblioth. Author. Tom. 2. p. 655.

Concionibus ejus plures Philoſophicæ ſententiæ admiſcentur, & *Hiſtoriis Fabulaque* locis refertæ ſunt. *Moralem doctrinam* eo modo tradit qui *Philoſophorum* magis quam Populi captui accommodatus eſt; verùm in *Myſteriorum* explicatione ſubtiliſſimus & exactiſſimus eſt, qua facultate *Theologi* κατ' ἐξοχὴν ſic dicti nomen meritus eſt. Pietate clarus erat, ſed conſilio, prudentiaque civili ad res gerendas parum valebat. *Idem* ibid.

Fuit (ne plura dicamus quàm de ipſo dicit *Baſilius* Epiſt. 141. pag. 163.) σκεῦος ἐκλογῆς, ϗ φρέαρ βαθὺ, στόμα Χριστοῦ. *Vos electum*, *Theſaurus profundus & Os Chriſti*; jureque meritus eſt Characterem quo *Ruffinus* ipſum inſignit. *Quòd in omnibus Vir incomparabilis fuerit, tum Doctrinâ tum vitâ eminens, maximum Eccleſiæ Lumen, qui quod docebat faciebat, faciebatque quod docebat.* Divinæ hujuſmodi ac præſtantes qualitates ſtipabantur Naturalibus Dotibus ſublimis ingenii, ſubtilis Apprehenſionis, ſani Judicii, facilis expeditæque Elocutionis: Utraſque tandem ornabant totum ingens illud peculium totaque præclara illa ſupellex Eruditionis humanæ quæ in *Orientalibus Scholis*, cujuſmodi erant *Alexandrina*, ipſaque *Athenienſis* comparari poterant---Omnes ejus Sermones mirificè ſuavem quendam Gravitatis & Pietatis odorem ſpirant: Vixque dici poteſt an ejus *Eloquentiam*, an verò ejus *Sanctimoniam* magis mirari quis debeat. Stupendum in modum argutæ atque Laconicæ ſunt ejus periodi; Succinctæ ac expeditæ ſunt ejus ſententiæ, licet abundantem Senſûs incomparabilis copiam paucis verbis in ſe contineant; Nec tamen aut Periodorum ejus brevitas Argumenti ejus præſtantiæ nocet, aut ejus Argumenti ſublimitas Sermonem ejus obſcurum & intellectu difficilem reddit. Quodcumq; Thema ediſſerendum aſſumeret ſive in Perſuaſorio, ſive Encomiaſtico, ſive Forenſi genere, unumquodque perfectiſſimè ſemper in ſuo genere tractabat, rarò aut nunquam infra ſolitam Sermonis ſui majeſtatem & ſublimitatem deſcendendo. Hinc eſt quòd in

alias

alias linguas vix ac ne vix quidem verti poſſint ejus Tractatus, accuratione aliqua quæ cum Autographo ullam proportionem ſervet; Adeo ut Eraſmus qui *Occidentalem* Eccleſiam infinitè ſibi demeritus eſt ſuis Veterum Patrum Emendationibus & Verſionibus, ingenuè confeſſus ſit ſe ab aggredienda *Nazianzeni Translatione* ſimul deterreri & animum deſpondere ob ſtyli ejus acumen, Argumenti magnificentiam & ſublimitatem, eaſque ſubobſcuras alluſiones quibus Scripta ejus frequenter interſperſa ſunt. *Cave* in Vita *Greg. Nazianz.* pag. 334. 335. Angl.

Prodierunt *Gregorii* opera omnia Græcè & Latinè cum Commentariis Græcorum Nicetæ Serronii, Pſelli, Nonni & Eliæ Cretenſis, ex Interp. Jacobi Bill. Tom. 2. *Pariſiis* apud Claudium Morellium fol. an. 1609.

Prodierunt verò eadem Græc. Lat. Vol. 2. *Par.* 1630.

AMBROSIUS.

NAtus fuit *Ambroſius* ſeu *Roma*, ſeu *Treveris*, aut *Arelate* ad *Rhodanum*, ut quidam viri docti exiſtimant, anno *Chriſti* 333. patre *Ambroſio* præfecto prætorio *Galliarum*, miſſus ab *Anitio Probo Mediolanum* anno 369. ad gubernandas *Inſubriam*, *Liguriam*, atque *Æmiliam*, poſt mortem *Auxentii Hæretici Ariani* creatus conſenſu omnium *Mediolanenſis* Archiepiſcopus & conſecratus die 7. Decembris anni 374. omnem ad fidem rectam convertit *Italiam*, ut ad annum *Chriſti* 375. Olympiadis 288. tertium, inquit in Chronico Sanctus *Hieronimus* Ad *Maximum* tyrannum bis in *Gallias* legatus profectus eſt annis 383. & 387. Dein, ne pluribus in percurrendis ejus præclarè geſtis immorer, glorioſis pro Eccleſiâ Catholicâ perfunctus laboribus, ſanctiſſimè obiit die 4. Aprilis, Sabbato ſancto ſub diluculum, ſeu, quod idem eſt, pridiè Paſchatis, quod in Nonas Aprilis incidit anno *Chriſti* 397. *Cæſario* & *Attico* Coſſ. ætatis 64. Epiſcopatus 22. cum quatuor circiter menſibus. *Phil. Labbe.* Clar. A. D. CCCLXXIV.

Opera Genuina plurima ſunt.

Opera hæc recenſentur inter *Dubia*: De Virginis formâ vivendi---De Virginis lapſu---Hymni aliquot--- De Viduis, liber.

Opera hæc *ſuppoſititia* ſunt: Sermones de Tempore, & de *Sanctis*---Conciones breves---Sermo de Purificatione B. Virginis---Precationes ad Miſſam 2.---De Vocatione omnium Gentium, lib. 2.--- De Filii divinitate, & conſubſtantialitate adverſus *Arianos*---In Epiſtolas D. *Pauli* commentaria---In Apocalypſim. B. *Joannis* Commentaria---De vitiorum virtutumque conflictu---Expoſitio Fidei ſecundum Symbolum Nicænum---De Spiritu Sancto libelli Fragmentum---De concordiâ *Matthæi* & *Lucæ* in Genealogiâ *Chriſti*--- De Pœnitentia, liber---De Origine & moribus *Brachmanorum*---Expoſitio in Cantica Canticorum---Epiſtola ad Demetriadem.

Opera quæ *non extant*: In *Eſaiam* Commentarii---Commentarii adverſus nonnullos *Platonicos*---Elucidationes & Homiliæ in Sapientiam---Expoſitio in omnes D. *Pauli* Epiſtolas---Sermo de Judicio *Salomonis*---Catechiſmus Epiſtolaris.

Digitized by Google

ſtolaris ad *Fritigildem*---De puerilis ætatis inſtitutione ad Panſophiam. *Gul. Cave.*

Ambroſius Liguriæ & *Inſubriæ* primùm Præſes, deinde verò *Mediolanenſis* Eccleſiæ Pontificatum divinitùs adeptus, eâ inter ſui temporis Epiſcopos Fidei ſtabilitate, morum integritate,& eruditionis admiratione excelluit, ut Imperator *Theodoſius*,virtutum illius celſitudine commotus,publicè in ſummo templo *Conſtantinopolitanæ* Urbis exclamaverit. *Ambroſium novi unum qui ſolus dignè vocetur Epiſcopus. Sixtus Senenſ.* l. 4. Biblioth. Sanctæ.

Ambroſii tantam fuiſſe Chriſtianæ Doctrinæ authoritatem ſcribit *Auguſtinus*, ut nec ab Inimicis quidem in ejus Scriptis, quod reprehenderetur, potuerit inveniri.

Fuit velut Malleus Hæreticorum, conſtantiſſimus impugnator, cujus Linguæ in Fide *Chriſti* loquenti, nulla potuit unquam auctoritas humana indicere ſilentium. *Trithem.*

Adhuc audi alium excellentem *Dei* Diſpenſatorem, quem veneror ut Patrem: in *Chriſto* enim *Jeſu* per Evangelium ipſe me genuit,& eo Chriſti miniſtro lavacrum regenerationis accepi: Beatum loquor *Ambroſium*; cujus pro Catholicâ Fide Gratiam,conſtantiam,labores,pericula, ſive operibus, ſive Sermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. *Auguſtin.* lib. 1. 9. contra *Julian. Pelag.*

Inter priſcos Eccleſiæ Doctores *Latinos*, vix alium arbitror eſſe digniorem, cujus extent integræ Lucubrationes quàm D. *Ambroſium*. Hoc & ex animo dictum videri velim,& citra cujuſquam contumeliam. Sit Linguarum ac Scripturarum peritior *Hieronymus*, ſit elaboratioris phraſeos *Hilarius*, ſit in quæſtionum nodis explicandis argutior *Auguſtinus*, aliis item dotibus excelluerint alii; ſed quem mihi dabis,qui pari ſinceritate tractet ſacras literas,qui cautiùs vitarit ſuſpecta dogmata,qui ſic ubique gerat *Chriſtianum* Epiſcopum,qui ſic ſpiret paterna viſcera, qui ſummam Præſulis Authoritatem cum ſumma manſuetudine conjunxerit? Ubique ſentias hôc illum affici quod loquitur,& adeſt dictioni modeſta quædam ac pia jucunditas,grataque civilitas. Eſt quem omninò ſine causâ *Doctorem Mellifluum* vocant. At hic, juxta nomen ſuum, verè cœleſti manat *Ambroſiâ*, dignus qui ſit,quod dicitur *Ambroſius*;hoc eſt Immortalis non ſolùm apud *Chriſtum*,verùm etiam apud homines. *Eraſm.* Epiſt.l.28. Epiſt.3.

Illud confitendum,at non improbandum,quod pleraque quæ ſcripſit *Ambroſius*,hauſit è Græcorum Commentariis, præſertim *Origenis*; ſed ita, ut quod ſanum eſſet excerperet, quod à ſinceritate doctrinæ Catholicæ alienum aut contentioſum diſſimularet, nec errorem proferens,nec auctorem prodens, quorum alterum non erat tutum, alterum invidioſum. *Idem* ibid.

Dicendi character nec flaccidus eſt, nec humilis, quo nomine taxare videtur libellos de *Spiritu Sancto Hieronymus*,excuſante *Auguſtino*,quòd rem licèt grandem tamen ſubtilem docenti,non laudanti conveniret oratio demiſſior: Sed habet interim ſuos aculeos,ubi res poſtulat, propiùs tamen accedens ad argutam jucunditatem, quàm ad δείνωσιν illam & affectus penè tragicos, in quos inter-

interdum exardeſcunt *Hieronymus* & *Hilarius*: Ac plerunque totus ferè ſermo ex variis ſententiarum generibus, velut ex teſſellis, contextus eſt, quo dicendi genere ſupra modum delectatus videtur *Seneca. Idem* ibid.

Videtur nectare & *Ambroſia* innutritus. Tam ſuaves habet, tam argutas plerunque orationis delicias, ut apes, quæ infantuli cunas & os circumſederunt, credas adhuc in ejus labellis ſeſſitare. *Nic. Cauſſin.*

Ambroſius firmiſſimum Eccleſiæ ſui temporis columen, ne ipſe quidem omni planè errore caruit. Cum *Hilario* conſentit omnes in univerſum ignis examen ſubituros, juſtos inde liberatum iri, infideles in eo æternum manſuros------Reſurrectionem verò mortuorum non ſimul & ſemel futuram arbitrantur, ſed paulatim longo & ſtatuto ordine, ità ut qui crediderunt primi reſurgant, pro meritorum ratione. *Dallaus* de vero uſu Patrum c. 4. p. 270. 271.

Ambroſium Hieronymus multa paſſim ex *Origene*, *Hypolito*, *Baſilio*, forſan & ex *Didymo*, *Raymundus* etiam ex *Philone* deſcripſiſſe produnt. Imo *Sixtus Senenſis Ambroſii* Hexaëmeron nihil aliud eſſe ait, *quam ipſum* Baſilii *Hexaëmeron Latinè verſum, iiſdem ubique ſententiis ac verbis, transpoſitò tamen linearum ac ſententiarum quarundam ordine, atque additis vel ex* Hypolito *&* Origene, *vel ex alio quopiam, vel de ſuo fortaſſe nonnullis digreſſiunculis. Thomaſ.* de Plag. ſect. 355.

Ejus Eruditio plus elegantiæ quàm profunditatis habebat; quoniam aliqualem *Platonicæ Philoſophiæ* peritiam juvenilibus annis ab ipſo comparatam haud mediocriter ornabat Græcanicæ Linguæ & Eruditionis notitia. Cùm Epiſcopatum adeptus eſt, in Theologicis ſpeculationibus parum verſatus erat, in quarum proſecutione tam celerem progreſſum fecit ut numine cœlitus afflatus videretur. Concionator apud alios evaſit, dum merus diſcipulus in ſe adhuc erat; *Docere vos cæpi quod ipſe non didici*, hæc ejus confeſſio fuit. Eodem tempore docebat & diſcebat: Se ipſum informabat, dum alios inſtituebat. Quamvis cum *Græcorum* Patrum ſcriptis magnum haberet commercium, eorumque qui audaciſſimè & fidentiſſimè locuti ſunt, omnia tamen ſuſpecta minimèque orthodoxa *dogmata* ſedulò vitavit. Noxias præteribat herbas, Floreſque ſolos colligebat, pretioſum à vili ſeparans, Theologicaſque doctrinas cum maxima mentis ſcrupuloſitate & ſinceriſſima reverentia erga notam & receptam Eccleſiæ doctrinam tractando.

Varius eſt Stylus ejus pro Argumentorum de quibus agit varietate, generatim tamen conciſus & argutus, *Senecæ* ſtylo valde ſimilis, ſed paulò mitior & lenior. Sermones ejus conflati ſunt ex rotundis ſententiis, argutis dictis, concinnis Tranſitionibus, & Argumentum ſuum acriuſcula quaquam clauſula terminare ſolet. Verum eſt quod ſtylus ejus comptulus ſit potiùs quam elegans. Periodorum ejus brevitas & acumen voluptatem afferunt, & aliquid pungentis ac delicati ſaporis in Lectoris animo relinquunt, imo ſemper aliquid intelligendum, quod aut verbis non expreſſum, aut obſcurè tantum inſinuatum fuit. Opera ejus (ferè omnia manu propria exarata, niſi ſuperveniente invaletudine ipſi ſubducerentur) ſunt vel *Tractatus* ſeu libri in peculiaria quædam Themata

conſcripti; vel Homiliæ, vel *Epiſtolæ*; vel Commentarii. Inter ejus *Tractatus* quidā ſunt de quibus ei exprobratur quòd nihil fermè ſint quàm meræ Tranſlationes è *Græcis*. Sic B. *Hieronymus* dudum obſervaverat circa Librum ejus *De Spiritu S.* quòd fere omnia ex *Didymi* libro in idem Argumentum mutuatus eſſet; & in iis vertendis deteriora feciſſet; quòd frequenter *Græcos* Patres tranſcribat, præſertim *Origenem*. Non eſt diſſitendum quin *Græcorum* Patrum Scriptis crebrò utatur. Nec mirum eſt quòd vir qui ad ſtudia Theologica ſerò ſe accinxit, aliquantò magis ſolito in ſubſidium advocet illos qui ipſum anteceſſerunt, & quòd hic qui *Idiomatis* Græci callentiſſimus erat *Orientales* Theſauros in Plagas *Occidentales* conveheret, non ſemper facta mentione peculiari Portûs unde eos tranſvexiſſet. Nemo, quod in hanc rem optimè obſervat *Eraſmus*, *Ciceronem* culpát quod in *Platonicis* Libris adeò verſatus fuerit, & in propria Scripta bonam Philoſophiæ ſuæ partem hinc derivaverit. *Notiones* ſunt Platonicæ *Tullianis* ornamentis comptæ Imò nec indecorum hoc eſt plagium, ſed defenſione non indiga imitatio: Monendi etiam ſumus quòd *Hieronymus* non mediocri ſimultate in *Ambroſium* affectus fuerit, de quo etiam haud frequenter officioſè loquitur. *Hieronymus* impotentis animi vir fuit, qui multum ſibi arrogabat & qui rarò glorioſum Characterem tribuebat iis à quibus ſe vinci putabat. Quamvis alibi honorificam ejus mentionem faciat, dicens quòd cùm Mediolanenſis Epiſcopus factus fuiſſet, univerſa *Italia* mox ad Catholicam fidem adducta fuerit. *Cave* in vita *S. Ambroſii* p. 419. 420.

Ambroſius------ Vir ſummâ pietate, omnique virtutis genere venerabilis; invicti animi Præſul, qui Judæis, Gentilibus, & cujuſcunque generis Hæreticis animosè reſtitit; literarum Græcarum æquè ac Latinarum peritiſſimus; unde è Scriptis Patrum Græcorum, *Origenis* puta, *Didymi*, &c. hortulos ſuos largiter irrigavit: in hoc laudandus, quòd ſuppreſſis loliis flores decerpſerit. Stilo uitur eſt conciſo, arguto, teſſellato; & qui Senecæ facundiam, molliori tamen vena imitatur. *Gul. Cave* in Hiſtor. Literar. Script. Eccleſ.

Extant *Ambroſii* Opera, Tom. 5. *Baſil.* 1567. *Rom.* 1581. *Par.* 1632. fol. Nonnullis etiam videtur *Ambroſius* eſſe auctor librorum *De Excidio Iudæorum*, qui ſub *Hegeſippi junioris* nomine circumferuntur, ſaltem ſcriptor iſte erat *Ambroſii* σύγχρονος. Extant hi Libri cum Scholiis *Gualteri*, *Col.* 1575. in 8°.

S. GREGORIUS NYSSENUS.

Clar. A. D. CCCLXXV. NYſſæ in primâ *Cappadociâ* Epiſcopus, *S. Baſilii Cæſareæ* Archiepiſcopi frater natu minor, vir eloquentiſſimus, ut qui ex Rhetorices Profeſſore ad curam paſtoralem traductus fuiſſet ſub *Valente* Imp. antequam *S. Gregorius* Theologus *Saſimorum* fieret Antiſtes, ut ex ejus orationibus conſtat. Interfuit Concilio *Conſtantinopol.* Generali anno 381. vivebatque adhuc anno 392. *Theodoſii* Imp. 14. obiiſſe tradunt alii anno *Chriſti* 395. alii ſequenti, vel die 9. Martii, ut *Latinum Martyrologium*, vel 9. Januarii, ut *Faſtis Græcorum* adſcriptum legitur. *Labbe* de Script. Eccleſiaſt.

Opera

Digitized by Google

Opera *Genuina* varia ſunt.

Opera *Spuria*: In mulierem Peccatricem, & eos qui duriùs alios judicant, & de pœnitentiâ-----Oratio in Principium Jejuniorum. Duas iſtas Orationes *Aſterii Amaſeni* eſſe patet ex *Photio* Cod. 271---De Trinitate adverſus Judæos ex Veteri Teſtamento delecta Teſtimonia---De Naturâ Humanâ libri 8. qui *Nemeſii* ſunt.

Opera *Deperdita*: Expoſitiones in Proverbia-----Contra *Ablavium* de Patris, Filii & Spiritus Sancti Divinitate; niſi quis forſan ex Argumenti affinitate ſuſpicetur idem eſſe Opus cùm libello ad *Ablavium*, qui extat------Commentarij in Epiſtolam D. Pauli ad Philippenſes. *Gul. Cave.*

Gregorius Nyſſenus, quem *Græci* honoris causâ *Patrem Patrum* appellant. Academicis ac Peripateticis diſciplinis excultus, vir eloquentiæ nervoſæ ac preſſæ. *Sixt. Senenſ.*

Gregorium veneranda Eccleſiæ antiquitas eximiè coluit laudibuſque extulit, quem ſequentibus ſæculis Theologi, tam *Græci* quam *Latini* ad confirmanda orthodoxæ fidei dogmata teſtem certiſſimum adhibuerunt: Quippe qui in iis quæ ad fidem pertinent, nullâ in re à *Baſilio*, ut inquit etiam *Cardinalis Bellarminus*, diſſenſerit. *Oudin* in Supplem. de Script. Eccleſiaſt. à *Bellarmin.* omiſſ.

Leo Imp. *Conſtit.* 88. vocat ipſum dulcem & illuſtrem *Eccleſiæ* fontem.

Suidas hominem eloquentiſſimum, & multiplici eruditione præſtantem.

Summus evaſit orator, nec priſcis oratoribus inferior. Nimium tamen ejus cultum Rhetoricarum diſciplinarum reprehendit *Gregorius Nazianzenus* aurea planè Epiſtola eâ de re ad illum ſcriptâ quæ eſt numero 43. Interfuit Concilio Oecumenico *Conſtantinopolitano*, inque eo ſcripſiſſe fertur à *Nicephoro* lib. 12. Hiſtor. c. 13. & aliis, Libellum Fidei ſive *Symbolum* dictum *Conſtantinopolitanum*. *Quenſtedt.*

In divinis Scripturis admodum ſtudioſus & eruditus; provocatus ſtudio fratris *Baſilii Trithem.*

Sciunt omnes eruditi *Gregorium Nyſſenum* inter *Græcæ Eccleſiæ* lumina cenſitum cum paucis. Dignum *Baſilio* fratrem: dignum ſodalem *Nazianzeno. Montacut.* Apparat. 9. Sect. 10.

Gregorius fuit naturâ ſimplex & bonus: ideo χρηστότητα, id eſt, ſimplicitatem ejus reprehendit alicubi *Baſilius* Frater. Et *Eraſmus* bene judicat; *in Stylo quoque piam ſimplicitatem* *Nyſſeno placuiſſe. Abraham. Sultet.* in Medul. Patrum.

Lectus eſt *Gregorii Nyſſæ* Epiſcopi ſimiliter pro *Baſilio* adverſus *Eunomium* liber. Stylus illi, ſi cui *Rhetorum*, illuſtris, & jucunditatem auribus inſtillans. Sed nec ipſe quidem ordine *Eunomii* ſcriptum reprehendit. Quamobrem & *Theodoro* conciſior eſt, & *Sophronio* latior, abundat enim *Enthymematis* atque *Exemplis*. Illud autem verè pronunciaverim, quantum *Gregorius* venuſtate, ſplendore, & mirificâ jucunditate antecellit *Theodoro*, tantum etiam argumentorum copiâ & ubertate eundem vincere connititur. *Phot.* in Biblioth. Cod. 6.

Lectum eſt alterum ejuſdem *Gregorii Nyſſeni* opus de eadem ipsâ re: in quo

 rationibus

rationibus validioribus cum *Eunomio* manus conſerens eum vi expugnat, omnia impietatis firmamenta labefactans. Venuſtas verò Orationis, & ſplendor jucunditate mixtus, etiam in hoc opere decenter ſe oſtendit. *Phot.* ibid. Cod. VII.

Quamvis *S. Gregorius Nyſſenus Rhetoricam* publicè profeſſus ſit, & Photius aſſeveret ſtylum ejus ſublimem & jucundum eſſe; dici tamen poteſt eum à S. *Gregorii Nazianzeni* eloquentia longè abeſſe. Affectata eſt ejus Scriptio, ejuſque ſtylus minimè nativus. *Declamatorum* potius quam *Oratorum* more loquitur. *Allegoriis* aut abſtractis *ratiocinationibus* ſemper immerſus eſt, *Philoſophiam Theologia* commiſcet, *Philoſophorumque* principiis utitur, tum in *Myſteriorum* explicatione, tum in *Moralibus* ſuis ſermonibus. Quapropter ejus *Opera Tractatibus Ariſtotelis* & *Platonis* quam aliorum *Chriſtianorum* ſimiliora ſunt. *Origenem* in *allegoria* ſecutus & imitatus eſt; imò aliqui ejuſdem *Autharis* errores in ejus Operibus occurrunt, circa naturam *Animarum* & circa *terminationem* Pœnæ damnatorum; ſed illos aliis locis disertè rejicit & refellit. Valdè igitur veriſimile eſt locos in quibus *Origeniani* errores illi leguntur, additos fuiſſe. *Ell.* du *Pin.* Nov. Bibl. *Author. Eccleſiaſticor.* Tom. 2. p. 682. 683.

Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, *Baſilii* naturâ quidem frater, diſciplinâ verò filius: qui unà cum *Baſilio* videtur ab *Origenis* de *Purgatorio* ipſius gehennæ igne dogmate non admodum abhorruiſſe; idque fatetur *Nilus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus. Germanus* Epiſcopus *Conſtantinopolitanus*, qui Anno Dom. 680. florebat, tres *Nyſſeni* libros hoc errore inſperſos concedebat; ſed nos ab *Hæreticis* vitiatos fuiſſe hariolabatur, non ab ipſo auctore ita ſcriptos; quod ultimum eſt eorum effugium, qui ſtulta & abſurda pertinacia ſibi perſuadent, nihil à *veteribus* ſcriptum eſſe à præſenti ipſorum fide alienum. Cæterùm tam multa ſunt, & totis *Nyſſeni* orationibus ita penitus infixa hujus delirii venena, ut parum ſit veriſimile ea ab aliâ eſſe quàm ab *Auctoris* mente & manu. In aliis *Origenem* ſequitur. *Ioan. Dallæus* de uſu P P. p. 269. 270.

Vir fuit cùm ob Styli perſpicuitatem & elegantiam, tum ob eximias ſuas dotes vitæque pietatem æquè venerandus. Haud parum idoneo fuit loco in *Conſtantinopolitana* Synodo, cum in maximi momenti Caſibus ejus ſuffragium plurimi fecerint Collegæ. Quapropter cùm neceſſaria putabatur expoſitoriæ Confeſſionis Fidei perſcriptio, præſertim in Articulo de Spiritu Sancto, ejus adornandæ cura ei demandabatur. Hoc autem eſt *Conſtantinopolitanum*, ſeu, ut vulgò inter nos vocatur *Nicenum Symbolum. Cave* in vita *Gregorii* Nyſſeni Epiſcopi.

Extant Opera ejus omnia, *Græc. Lat.* Vol. 3. *Par.* ann. 1615. 1618. 1638. Fol.

S. HIERONYMUS.

Clar. A. D. CCCLXXVIII.

D*Almata*, urbe *Stridonenſis*, natus circa ann. 329. inclareſcere cœpit ab ann. 378. quo Presbyter à *Paulino Antiocheno* ordinatus, eremi *Bethlemetici* incola factus ann. 383. ſcripſit catalogum 392. obiit *Bethlemi* 420. ætat. 91. *Gul. Cave.* Chartophyl. Eccleſ.

Vir

Vir fuit in omni doctrinarum genere abſolutiſſimus. Quippe qui ſplendore ſermonis & eloquentiæ viribus, in quibus ſub *Donato* Grammatico, & *Victorino* Rhetore, clariſſimis viris, profecit, omnes Latinæ Eccleſiæ ſcriptores multo poſt ſe intervallo reliquit. *Linguarum* quoque tantam habuit peritiam, ut *Græcam, Hebræam, Syram, Chaldæam,* & *Latinam* omnes æquè ac *Dalmaticam* ſibi maternam linguam teneret. Sed & in Scholis Philoſophorum nihil de *Ariſtotelis, Platonis* ac *Zenonis*, hoc eſt, de *Peripateticis, Academicis, Stoicis*, reliquit intactum. Quibus inſtructus apparatibus, contulit ſe ad ſacrarum literarum ſtudia, uſus in his *Apollinari, Laodiceno, Didymo Alexandrino* & *Gregorio Nazianzeno* præceptoribus. Sub quibus tantam ſibi divinarum rerum eruditionem, & eruditionis nomen comparavit, ut in obſcuris ſanctorum voluminum difficultatibus *Romanus* Pontifex *Damaſus*, doctiſſimus *Auguſtinus, Paulinus, Chromatius Heliodorus*, multique alii paſſim per *Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Palæſtinam* & *Græciam*, eruditiſſimi Epiſcopi, ad hunc unum confugerent, tanquam ad eum, qui multiplici linguarum varietate adjutus, omnes legiſſet divinæ Scripturæ interpretes, *Græcos, Hebræos* & *Latinos. Sixt. Senenſ.* Biblioth. Sanct. l. 4.

Nec S. *Hieronymum*, quia *Presbyter* fuit, contemnendum arbitreris; qui *Græco* & *Latino*, inſuper & *Hebræo* eruditus eloquio, ex *Occidentali* ad *Orientalem* tranſiens Eccleſiam, in locis ſacris atque in literis ſacris uſque ad decrepitam vixit ætatem: cujus nobis eloquium ab Oriente uſque ad Occidentem, inſtar lampadis, reſplenduit. *S. Auguſtin.* contra *Iulian.* l. 1. c. 7.

Hieronymus Catholicorum Magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum, quaſi divinæ lampades rutilant. *Ioan. Caſſian.* contra *Neſtor.* de Verb. incar. l. 7.

Vir enim præter fidei meritum, dotemque virtutum, non ſolum *Latinis* atque *Græcis*, ſed & *Hebræis* etiam ita literis inſtitutus eſt, ut ſe illi in omni Scientiâ nemo audeat comparare.----- Concivit odia perditorum. Oderunt eum *Hæretici*, quia eos impugnare non deſinit; oderunt *Clerici*, quia vitam eorum inſectatur, & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt; nam qui eum *Hæreticum* eſſe arbitrantur, inſaniunt. Verè dixerim, catholica hominis Scientia, ſana doctrina eſt. Totus ſemper in lectione, totus in libris eſt; non die, non nocte requieſcit; aut legit aliquid ſemper, aut ſcribit. *Sulpic. Sever.* in Dialog. 1. de Virtutibus Monachorum Orientalium.

Magnus mihi Auctor eſt *Hieronymus,* vir in omnium temporum Hiſtoriis verſatiſſimus *Grot.* Vol. 4° Impreſſ. *Lond.* apud *Moſem Pitt*, in Fol. p. 488.

Chryſoſtomum & *Hieronymum* legere volui, ideò quòd eos videbam in textu ſacræ Scripturæ exponendo feliciores cæteris haberi. *Idem* ibid. p. 653.

Quantum in illo antiquitatis, quantum Græcarum literarum, quantum hiſtoriarum? tum quæ Phraſis, quod dicendi artificium quo non *Chriſtianos* modò omnes longo poſt ſe intervallo reliquit, verum etiam cum ipſo *Cicerone* certare videtur. *Eraſm.* l. 5. Epiſt. 19.

Hieronymum unum habet Eccleſiaſticus orbis, utrâque doctrinâ *Sacrâ* & *Gentili*, ut vocant juxta abſolutum. *Idem* l. 9. Epiſt. 15.

Quô virô nihil habet Orbis Latinus vel doctius vel ſanctius. *Idem* lib. 28. Epiſt. 8.

------His adde quòd conſummatiſſimus erat Theologus, & judice *Eraſmo*, omnium Chriſtianorum ſine controverſiâ longè tum doctiſſimus, tum facundiſſimus, & Theologorum princeps.

Cæterùm quod ſanctiſſimi viri pace dictum ſit, præfervidi erat & impotentis animi, qui affectibus ſuis nimis indulgebat; ſemel laceſſitus, adverſarios aſperrimè tractavit, & ab invectivâ ac Satyricâ ſcribendi venâ vix ac ne vix temperavit. Teſtes ſunt nobis ſatis luculenti inimicitiæ, quas cum *Rufino* olim ſibi neceſſario, *Ioanne Hieroſolymitano*, *Ioviniano*, *Vigilantio*, aliiſque habuit. In hos arreptâ levi quavis occaſione & remotâ omni pene gravitate, tota conviciorum plauſtra evomit, nullâ perſonæ, dignitatis, eruditionis ratione habitâ. Et quid mirum? cum in ipſum *D. Paulum* Apoſtolorum duram nimis & planè inſolentem cenſuram exercere ſolet. Quoties ipſum ad criticas Grammaticorum regulas anxiè expendit. *Solœciſmos*, & *vitioſam elocutionem*, & quod *ſermone utatur triviali* obiicit, (ut Apologiam pro ſemetipſo hâc de re ſcribere neceſſe habuit: *Nos*, inquit, *quotieſcunque Solœciſmos, aut tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut Malevoli criminantur*, &c.) quod *profundos ſenſus aliena lingua exprimere non valeret, nec curabat magnopere de verbis, cùm ſenſum haberet in tuto*: adeoque *non juxta humilitatem, ut plerique æſtimant, ſed verè dixiſſe Paulum, ſe ſermone imperitum eſſe*. Denique *ſtultum cum ſtultis Galatis factum, ſimplicioribus ſolummodo uſum argumentis, & quæ ſtulti poſſent intelligere, & penè de trivio: adeo ut ni præmiſiſſet, ſecundùm hominem dico, ſapientibus diſplicere potuiſſet*. Mitto plura in hominem θεόπνευστον, & Apoſtolorum longè eruditiſſimum, duriùs dicta, ne viri doctiſſimi & de Eccleſiâ optimè meriti manes nimis ſollicitare videar. In hôc etiam reprehendendus, quòd dum *Virginitatem* immodicis prorſus laudibus efferat, de *Nuptiis* minùs honeſtè, ac verecundè ſentire videatur. Certè *digamos* tanquam ſcortis ſolummodò meliores facit, cum immundis Arcæ *Noæ* animalibus & ſerpentibus confert, mulieremque ſecundas nuptias repetentem, cani ad vomitum, ſuique lotæ ad volutabrum revertenti comparare non erubeſcit. *Sed quiſque ſuos patimur manes*. *Gul. Cave*, in Hiſtor. literar. Script. Eccleſ.

Latinos, *Græcos*, *Hebræos*, *Chaldæos* Scriptores plures evolvit, accuratiùs excuſſit, quàm eorum qui poſt eum quiſquam: nempe homo ſummâ induſtriâ præditus, indefatigabili ſtudio & longâ vitâ uſus. *Lud Viv.* de Cauſis corruptar. Art. l. p. 131.

Hieronymus Doctor omninò Clariſſimus, contra Hæreticos leo rugiens, (hinc juxta quoſdam cum leone pingi ſolitus) & commune totius Orbis oraculum. *Ioh. Gottefrid. Olear.* in Abaco Patrum.

Nobis conſtat, *Hieronymum* omnium, qui olim interpretati ſacras literas ſunt, fuiſſe eruditiſſimum, adeò penitùs perdidicerat *Hebraiſmum*. *Petr. Cunæus* de Rep. Hebræor. p. 262.

Nihil illo viro eruditius vidit veterum ætas. *Idem* p. 316.

Hieronymus

Digitized by Google

Hieronymus, ut ubique vehemens, ita in *Eriſtico* contradiçendi genere parum interdum attendendus. *Montacut.* Apparat. 9. ſect. 19.

Omnium traditionum curioſiſſimus explorator. *Idem.*

Hic mos apud Patres frequens eſt, maximè apud *Tertullianum*, *Ambroſium* & *Hieronymum*, qui cum ingenio ſint fervido ac concitato, quam in partem propendent eo tanto impetu feruntur, ut quos quidem laudant eos inter Angelos, quos verò vituperant, inter Diabolos collocare videantur. Ita quæ credenda putant non aliter commendant, quàm ſi totidem eſſent *Chriſtianiſmi* fundamenta; quæ rejiciunt ac refutant, non aliter explodunt quàm ſi merum *Atheiſmum* ſpirarent. *Dallæus* de uſu P P. p. 177.

Quicquid habemus in Danielem, illud *Hieronymo* debemus, hic verò *Porphyrio* Chriſtianorum hoſti jurato. *Hieronymus* non adeo doctus erat ac perhibetur; admodum ignarus erat; ad ſuperſtitioſas mulierculas ſcribebat. Per nebulam tantùm Hebræa novit, quantùm edoctus à præceptore, nam Grammaticam nunquàm habuit, uſu didicit; *Hieronymus* quamvis *Græcam* & *Hebraicam* linguam bene calluerit, Biblia tamen ſæpius perperam interpretatur & intelligit. Pleraque illorum quæ ſcribebat non intelligebat, ut *Serarius*, ſed bonus eſt quoad illa quæ ejus ævo gerebantur------Melior eſt in iis quæ ad Ethnicos ſpectant quam in Theologicis. Nimis vehemens fuit, præſertim adverſus *Jovinianum* & *Vigilantium*, quamvis immeritò, ut ipſe *Eraſmus* id agnoſcit-----Quicquid dicat *Hieronymus*, eſt *Origeniſta*. Miſerrimè eſt commentatus in *Prophetas*. *Hieronymus* in Vetus *Teſtamentum* multùm laboravit & non contemnenda dixit. Erat bonus *Hebræus*. *Scaligerana* poſterior.

Patrum poſt *Origenem* doctiſſimus eſt dubio procul. *S. Hieronymus*, qui *Latinorum Origenes* quodammodo dici poteſt; quia reverà eadem in Biblia. Opera *Eccleſiæ Latinæ* tradere affectavit, quæ *Eccleſia Græca* tradiderat *Origenes*, Imò in hoc *Origenem* vincebat quòd *Hebraica Lingua* illo valde peritior erat, frequentiùſque cum *Judæis* ſui temporis quàm ille commercium habuerat. *S. Hieronymus* tamen adeo ſubtilis & perſpicacis ingenii non erat ac *Origenes*. Unde etiam in allegorias & in ſpirituales ſenſus tam frequenter non excurrit; & præterea ejus Allegoriæ meræ interdum Etymologiæ meraque animi ex alluſione ad voces oblectamenta. Sed dici poteſt eum ſupra cæteros omnes Patres ornatum fuiſſe dotibus neceſſariis ad *Scripturam Sacram* ritè interpretandam; quia *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Græcam* & *Latinam* linguam callebat. Non modò legerat & examinaverat *Græcas* Verſiones quæ in *Origenianis Hexaplis* erant, ſed inſuper cum doctiſſimis ſui temporis *Judæis* ſermones contulerat, nihilque ferè in *Scripturam* ipſis inconſultis faciebat. His addi poteſt eum omnes Authores cùm *Græcos* tum *Latinos* legiſſe qui in Biblia ante ſe ſcripſerant. Denique in profanorum Authorum libris verſatus erat, Adeo ut dici poſſit eum præ quocunque alio Patre inſtructum fuiſſe iis omnibus quæ ad Sacrorum Librorum *Interpretem* efformandum conducere valent. Non eſt tamen ſemper accuratus, quia non ſatis meditabatur.

bitur, & quia plerumque Scribis ſuis tantùm dictabat, ut ipſe refert; quæ in aliorum Commentariis legerat, aut quæ à *Judais* acceperat. Quapropter ipſi tribuendi non ſunt quæcunque in ejus Commentariis occurrunt, ejuſque in *Scripturam* Obſervationes. In illis enim explicationes minime *Orthodoxas* affert, quas in *Judæorum* vel *Hæreticorum* libris legerat, ut ipſe fatetur; traditis etiam Regulis ad ea in ſuis Scriptis diſtinguenda quæ vere ſua erant, ab iis quæ non erant. Diluit hoc pacto quod ei de ejus inconſtantia & opinionum diverſitate exprobrabatur.--------Optandum eſſet eruditum illum Patrem tempus habuiſſe diutius meditandi, & quæ in Commentariis *ſuis* ſcripſerat relegendi, ut ad ſaniores opiniones mentem determinaret. Cæterùm nemo eſt inter veteres Authores, apud quem *Scripturæ* literalem ſenſum meliùs quam apud S. *Hieronymum*, ediſcere liceat, qui tamen à pleriſque Theologis hodiernis magni non æſtimatur, quia nimis aridus & nimis criticus ipſis videtur, & quia negligunt ſtudium Linguarum *Græcæ* & *Hebraicæ* abſque quarum notitia impoſſibile tamen eſt ejus Opera legere poſſe. Et ſanè non ſemper ſe in eadem ſententia eſſe oſtendit, quodque uno loco approbavit, idem alibi rejicit: Eundem hominem laudat & culpat pro variis rationibus ob quas de ipſo loquitur. Modò Septuaginta Interpretum Verſionem cæteris omnibus præfert, eoſque tanquam Prophetas ſuſpicit; modò ignorantiam eorum ipſis exprobrat, eorumque *Tranſlationem* deſpicit. *P. Richard. Simon.* Hiſt. Cit. Veteris Teſtam. l. 3. c. 9. Gall.

Quô tandem modò, aut quibus ego verbis, tuam, maxime *Hieronyme*, ingentem ſimul pietatem ac facundiam deſcribam? Quônam modô tot linguarum ſimul & totius propè antiquitatis ac Philoſophiæ admirabilem peritiam? Quomodo Heroicum illum in ſcribendo & cæleſtem ardorem tuum, quo imbelle Hæreticorum agmen, non ſecus quàm mucrone quodam ſtricto, perſecutus es ac profligâſti? Quæ omnia prophanos etiam in admirationem rapiant, &c. *Heinſ.* Orat. 3. pro Biblioth. mun. Grat. act.

Hieronymus à *Rufino* furti accuſatus, tum alibi, tum his verbis in Prolog. l. 2. in *Michæam* ſe defendit: *Nam quod dicunt, Origenis volumina me compilare, & contaminare non decere veterum Scripta: Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant, eandem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus & vobis placere non dubito. Si enim criminis eſt, Græcorum bene dicta transferre, accuſetur* Ennius & Maro, Plautus, Cæcilius & Terentius, Tullius *quoque & cæteri eloquentes viri: Qui non ſolum verſus, ſed multa capita & longiſſimos libros, & fabulas integras tranſtulerunt. Sed & Hilarius noſter furti reus ſit, quod in Pſalmis quadraginta fermè millia verſuum ſupra dicti* Origenis *ad ſenſum verterit.*

Extant Opera 4. Vol. *Baſ.* 1553. *Antvv.* 1578. Tom. 6. *Par.* 1643. fol. *Francof.* Tom.

Digitized by Google

Tom. 12. 1684. cum omnium notis & Commentariis. Præfatio libri, qui *Comes* appellatur. ap. *Dacher. Spicileg.* Tom. 13.

Vide Opera *Genuina*, *Dubia*, *Spuria*, & *Deperdita* apud *Gulielmum Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

AMMIANUS MARCELLINUS.

Natione *Græcus*, patriâ *Antiochenus*, floruit ſub *Gratiano* ac *Valentiniano*. Libros ſcripſit 31. ex quibus tredecim primi deperierunt. Clar. A. D. CCCLXXX.

Eſt hic ſcriptor veritatis ſtudioſiſſimus, & prudens, gravis planè ac ſerius, & dignus, qui ab omnibus, ac *Germanis* præcipuè ametur. Mirificè enim illuſtrat *Veteris Germaniæ* ſitum. Eoque majorem hac in parte fidem meretur, quia in hac ſtipendia ipſe meruerit adverſus *Germanos*. *Dictio* horridior eſt. Sed virtutes hujus Scriptoris ſunt tantæ, ut hoc in rationem venire non debeat. Et quid mirum, ſi duri militis phraſis quoque duriuſcula ſit, homoque *Græcus Græcanicas* ſapiat loquendi formas. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Mihi quidem *Marcellinus* ſummis quibuſque *Hiſtoriæ* Scriptoribus comparandus videtur. Nam cùm duo maximè in *Hiſtorico* ſpectanda ſint, Res & Verba; elocutio quidem haudquaquam rerum geſtarum Scriptori negligenda eſt, rerum tamen prima ac potiſſima cura eſſe debet. Et *Marcellinus* quidem tum argumento *Operis*, tum delectu ac diſpoſitione, tum judicio ac fide nemini cedit: In præliorum verò obſidionumque narrationibus multos longo intervallo ſuperat. Verba autem ipſa ſunt ea quidem Latina ferè omnia: Sed conſtructio & collocatio verborum eſt, ut ita dicam ferè militaris. Nolim tamen omninò negare in Hiſtoriis *Marcellini* quædam occurrere reprehendenda. Nam & interdum verboſior eſt, quàm ut par ſit, & doctrinæ famam nimis affectat: Quod vitium eſt plerumque eorum, qui provectâ jam ætate ad ſtudia ſe contulerunt. Hinc exceſſus illi tempeſtivi atque pueriles de terræ motuum cauſis, de Cometis, de Iride. Præterea numerum & tonum Hiſtoricum rarò ſervat: Sed ferè *Cothurnatus* incedit, cùm *Hiſtorico* conveniat tracta & leniter fluens Oratio. *Henr. Valeſ.* ad lector. Epiſt. quam *Marcellino* præmiſit.

Ammiani Marcellini candorem ac ſtudium inquirendæ veritatis imitari debuiſſent: Is enim *Principum* virtutes ac vitia, ut optimus quiſque *Scriptor*, ſummâ fide notavit---*Tacitum* unum ex omnibus ad intuendum & ad imitandum ſibi propoſuiſſe videtur. Hôc tamen ab eo differt, quòd *Tacitus Romani* Sermonis dignitatem, ut tempora ferebant aſſecutus eſt, *Ammianus* verò latinis verbis, ac ſæpius ne latinis quidem, *Græcè* ſcripſit, & à re propoſitâ longiùs ac ſæpius digreditur. *Bodin.* Method. Hiſt. c. 4. p. 77. 78.

Ubi ad temporum ſuorum Hiſtoriam, quæ libris, qui extant, continetur, devenit; diligenter ſcripſit; ſed ea, quæ pertinent ad *Chriſtianos*; traducens ac detorquens: Adeo autem duro ac aſpero, inepto & planè turbato ſermone, ut vix, quod dicat, conſequi poſſis, librariorum quoque errore mutilus eſt & de-

pravatus; utilis tamen eſt, ubi intellexeris. Nam ea ſcribit, quæ meliores autores non habent. *Ant. Poſſevin.* in Apparatu, Sect. 3. c. 15.

Ammianus Marcellinus, homo quidem militaris, ſed tam literatus miles, tamque veterum literarum ſtudioſus, ut nihil non perveſtiget. Uno verbo dicam, Diligentiſſimus Scriptor eſt. Eſt quidem ſcabra ejus hominis, nempe *Conſtantinopolitani*, Oratio Latina: Sed rebus eſt doctis referta, & variam, multiplicem, reconditamque lectionem includit, & verò hiſtoriam, quam alius non expoſuerit, copioſè explicat. *Franc. Baldvin.* de Hiſtoriâ l. 1.

De hoc Scriptore hoc dicam; nullum neque apud Latinos, neque apud Græcos *Hiſtoricum* extare, qui paucis plura dicat, ubi res publicas & vitæ munia tangit, nec ullum me unquam prudentiorem legiſſe. *Barth.* l. 45. Adverſar. c. 2.

Utilitate monitorum, & veritate Hiſtoricâ neſcio an quiſquam autor ullibi ſit ſupra *Ammianum Marcellinum* *Barth.* ibid. l. 47. c. 1.

Ammianus Marcellinus fidei & judicii ſatis clarus eſt, modò ſtyli. *Juſt. Lipſ.* in Not. Politicorum l. 1. c. 9.

Ammiani Marcellini dictio ſicut à purâ Latinitate non parùm receſſit, ita ſuo quodam genere loquendi rerum abdita & negotiorum naturas diligenter conſequitur. Non poteſt quidem, quod prudenter intelligit, civiliter & venuſtè eloqui; ſed oſtendit tamen eximiè, ſibi ineſſe talis doctrinæ elementa, ſi vel ſeculi facundioris exemplo vel maturiore diſciplinâ licuiſſet: uti viro plerumque in militiâ & negotiorum actu verſanti. Certè compoſitioris eloquentiæ ſtudioſ ſæpè poteſt ſuggerere cogitationes & ſententias orationi civili profuturas; & ſimul admonere de iis, quæ magis ad ἐπίδειξιν & ſcenam recitatorum, quàm ad civilem habitum pertinent. Placuiſſe eum valde ſuo ævo vel Libanii Epiſtola c[illegible] eo & ad eum docere poteſt. *Ioh. Henr. Boecler.* de eloquent. Polit. n. 70.

Ammianus Marcellinus, Miles Græcus, tantos habet plerumque Spiritus, ut quæ *hircosâ* (ſi ita liceat appellare) latinitate ſcripſit, placere poſſint inter unguentatos; quod de *Ennio* non inurbanè *Seneca* fertur dixiſſe. *Cauſſin.* in Paral. Eloq. lib. 3. c. 14.

Ætate & ſtylo omnibus hiſce (*Tacitô, Suetoniô, Trogô Pompeiô, Juliô Cæſ. Q. Curtiô*) inferior, neutiquam tamen prudentiâ *Ammianus* eſt *Marcellinus*, pacis bellique negotiorum, eorum præſertim, quæ in regnis ſolent venire & præſtans Narrator. *Herman. Conring.* de Civ. Prud. cap. 14.

Tredecim priores libri *Ammiani Marcellini* quibus triginta ferè Imperatorum geſta continebantur, & quæcunque notatu digniora totis 259. annis facta fuerant, à *Nerva* ſcilicet uſque ad *Conſtantium* & *Magnentii* obitum ad nos uſque non pervenerunt; Sed Octodecim libri nobis ſuperſtites, quorum quinque poſtremos Accurſio debemus, ante quem detecti non fuerant, nos circa jacturam illam abundè conſolantur, cùm præclariſſima, nobiliſſima & maxima pars Hiſtoriæ illius ſint. In illis *Ammianus* omnes ingenii & eloquentiæ ſuæ vires adhibuit ut nobis ad vivum depingeret tum pace tum bello, ſingula geſta *Conſtantii, Iuliani, Ioviani, Valentiniani, Valentis, Gratiani* omniumq; qui

quo-

Digitized by Google

quot in *Reipublicæ* regimine partem aliquam obiverunt. Nihil neq; accuratius, neque ſincerius, eo quod de iis ſcribit, legere eſt. Nihil ferè de ſex illorum *Imperatorum Regno* abſque *Ammiani* libris nobis conſtaret. Unicus inter omnes Hiſtoricos qui ad nos pervenerunt, plenè pertractavit quæ alii obiter tantum perſtrinxerunt aut prorſus omiſerunt. Nam, ut taceamus de *Aurelio Victore, Eutropio, Oroſio ipſo,* qui Hiſtorias potius abbreviarunt quam contexuerunt, *Zoſimus* & *Zonaras,* qui tribus illis aliis prolixiores fuerunt, ad *Ammianum* non accedunt, ejuſque meram ferè *Epitomen* elaborarunt. *Eruditorum Ephemerides* Gall. diei Lunæ 28. Julii 1681.

Eo in numero (inter Scriptores præſtantes) jure meritoque collocandum cenſeo *Ammianum Marcellinum*, Auctorem ſerium & ingenii elegantis: Quem non magis in manibus hominum verſari miror, immo indignor. Cujus ſi integra hiſtoria extaret, quam à *Nerva* principatu ad *Valentiniani* & *Valentis* Impp. obitum perduxit, eſſet profectò qui aliorum jacturam æquiore animo ferremus. De rebus ſanè Majorum noſtrorum à *Taciti* ævo natum Scriptorem habemus neminem, qui memoriæ aut plura, aut exactiora tradiderit. Quippe non audita narrat, ſed viſa; nec ab aliis ſaltem acta, ſed quibus ipſemet ſæpè interfuit, laborum particeps periculorumque: Qui & ſtipendia adverſus *Germanos* meruit, & pleraſque *Germaniarum* partes luſtravit: Quo nomine ut *Germanus* meritò illum amo. Præter omnifarium doctrinarum Genus quo deliciatur, ſententiis creber eſt & aptus; conſiliorum diligens obſervator: Nec publica tantùm & cuivis in oculos incurrentia, ſed arcana quoque & quæ intra *aulam*, ut dicitur, notat, judicio minime vanus, niſi quod in multiplicibus illis *Regionum* deſcriptionibus *rerumque Naturalium* diſquiſitionibus penè intempeſtivis in leges hiſtoricas nonnihil videtur peccare: quorum alterum *Philoſophi* proprium; alterum *Periegetici* eſt, & *orbis* ſitum narrantis. De ſtylo ejus, quem neſcio qui *Scholaſtici* vituperant, ſic ſentio. Durus ille quidem & aſper, ſi cum *Auguſti* ævo conferatur: At verò ornatus & ſuas habens Veneres, ſi poſteriora tempora & ſæculum Auctoris, originemque ejus & Sectam ſpectes. Qui cùm *Græcus* natione eſſet & *Caſtra* ſequeretur *Caſtrenſi* immò *Aulicâ* quoque dictione uſus eſt. Nam & ipſi *Imperatores*, & qui in comitatu eorum elegantiores videri volebant, ita tum loquebantur. Tamen ut in ſenticeto roſæ nonnunquam & lilia ſuccreſcunt, ita in ejus *ſtyli* aſpritie velut floſculi quidam elegantiarum urbanarum apparent, qui cum *Livianis* de jure *Latinitatis* oppidò certare poſſint: Unde neque *Priſcianus* Grammaticus veritus eſt auctoritate ejus uti. Itaque ſi minus interdum placet, & obſcurus eſſe videtur, *obſcuritates non adſignemus culpæ ſcribentis, ſed inſcitiæ non aſſequentis*, ut apud *A. Gellium Sextus Cæcilius* inquit. *Frid. Lindenbrog.* in Præfat. ad obſervat. in *Ammian. Marcell.* fol. 1681.

Prodiit *Ammianus Marcellinus* cum Notis *Valeſii, Lindenbrogii* & aliorum, in fol. *Pariſiis* apud *Antonium Dezallier.* ann. 1681. Diſſertationem de Vitâ & Scriptis *Ammiani* præmiſit *Claudius Chiffletius*, in quâ ſpem nobis facit deperditos *Marcellini* libros alicubi hodie deliteſcere.

EUNAPIUS.

Clar. A. D. CCCLXXX.

S*Ardianus*, ſophiſta, Medicus & Hiſtoricus, tempore *Valentiniani*, *Valentis*, & *Gratiani* floruit. Reliquit de vitis ſophiſtarum opus elegans ac venuſtum, in quo paſſim odium ſuum (erat enim *Gentilis*) erga *Chriſtianos* prodit. Idem *Cæſarum* res geſtas, orſus, ubi *Herodianus* deſierat, ad ſua tempora uſque perduxit. Extare dicitur in *Bibliothecâ Venetâ*. *Konig.*

Quòd *Gentium* dogmata ſequeretur, non parum impius fuit. Qui ergo pietate ſingulari imperium ornarunt, eos omninò largiter vellicat atque traducit, maximéque omnium *Conſtantinum* Magnum; impios contrà extollit, ac præ cæteris *Julianum* Apoſtatam, ut ferè ad hunc laudandum, hiſtoricum hocce opus elaboraſſe videatur. Pulchra ejus *dictio*, ſi quis iſta exceperis: ἀλεκτρυονῶδες, καὶ ἐλαφωδέστερον, καὶ συωδέστερον, καὶ δὴ, καὶ τὸς ἱερακώδεις, καὶ κορακώδεις, καὶ πιθηκώδεις, καὶ τὸ ποταμῶδες δάκρυον, id eſt, Gallinaceoſum, magis cervinum, magiſque ſuillum, accipitroſi, corvoſi, ſimioſi, & lacryma flumínoſa, & id genus alia. His enim aliiſque vocibus generoſum dicendi genus corrumpit, atque adeo adulterat. Tropos adhæc præter modum adhibet, quod *Hiſtoriæ* lex vetat. Eximit autem moleſtiam ut plurimum dicendi vis, atque urbanitas. Compoſitione verò & perſpicuitate ac periodis ad hiſtoriam accommodatè ac propriè utitur, niſi quòd interdum *juridicè* magis, quàm *Hiſtoricè* implet, texitque orationem. Innovat non pauca in conſtruendo, verùm id non ingratè neque ut periodis reprehendendis anſam præbeat. *Phot.* in *Biblioth.* cod. 77. *Andr. Schott*, Interprete.

Eunapium Græcum Scriptorem è tenebris erutum, per otium vertendum ſuſcepi primus, tametſi mutilum locis pleriſque & maculoſum, & quô nihil obſcurius ſit, ob conciſam dicendi & ſæculi illius genio peculiarem Phraſin; eodem tamen pellacius nihil, quando altiorem quandam doctrinæ Sirenem mentibus inſtillat, & rerum aliis Scriptoribus omiſſarum, aut etiam ignoratarum, cognitionem tradit. *Hadrian. Junius* in literis ad Lect. quas *Eunap.* vit. præmiſit.

Dicendi genus non *Aſiaticum*, quod redundante verborum copiâ luxuriat, ſed nitidum & picturatum, *Sophiſtarum* genti tunc peculiare, videtur ſecutus, quod res non adumbrat, ſed vivis potius coloribus exprimit, atque ita ob oculos exponit, ut coram cernere videaris, conciſus tamen: Adde, quod & floſculos eruditos undecunque è Poetis & Philoſophis delibat, orationique, ceu ſtellas, aſpergit. *Idem* in vitâ *Eunap.*

Eo ex opere [*de rebus Geſtis Cæſarum*] ſolùm *de Legationibus* fragmentum, beneficio Viri Clariſſimi *Andreæ Schotti*, lucem vidit: reliqua extare dicuntur in *Bibliothecâ Venetâ*. Eò autem æquiori animo iſtis caremus, quòd *Zoſimum* habemus: Nam eaſdem res *Eunapius*, & *Zoſimus*, tractârunt, & ita tractârunt, ut *Zoſimus Eunapium* propè deſcripſiſſe viſus ſit: ut à quo ſolùm differat, quòd non, uti *Eunapius* fecerat, *Stelichonem* conviciis proſcindat: item quod brevior, & planior

planior *Eunapio* ſit, nec figuris, niſi rarò, utatur. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. lib. 2. cap. 18.

Librum de Vitis Philoſophorum & Sophiſtarum, impulſu *Chriſantii*, ſtylo non omninò perſpicuo ſcripſit *Ioan. Ionſius*, l.3. Hiſt. Philoſ. c. 17.

Doctus, ſed impius ſcriptor vocatur. *Dempſtero*.

---Sic *Monachus* pro abſurdis, avaris, & incommodis uſui humano cavillantur eiſdem cum *Rutilio* temporibus *Eunapius* & *Zoſimus*, rabioſi canes *Diaboli*, quorum alter *Philoſophorum*, alter *Imperatorum* vitas non alio fine ſcripſit, quàm ut à laudibus *Idololatriam* doctorum & potentum hominum *veritati* ubique effloreſcenti obſtaculum objicerent. *Caſp. Barth.* in *Rutil. Numat.* l. 1. v. 440.

Liber de *Vitis Sophiſtarum* prodiit Græcè cum Verſione Latinâ *Hadriani Iunii. Coloniæ Allobrogum* in 8. an. 1616.

Prodiit idem Græcè & Latinè curâ *Hieronymi Commelini*, an. 1596. in 8. Addita ſunt *Legationum* Fragmenta ex Bibliothecâ *Andreæ Schotti*.

Prodiit idem unà cum *Laertio* in 12. *Lugduni*, ann. 1596.

Q. AURELIUS SYMMACHUS.

Clar. A. D. CCCLXXXIV.

R*Omâ* oriundus, ejuſdemque urbis Senator, & Præfectus, claruit præcipuè an. 384. Conſulatum geſſit ann. 391. Reus majeſtatis *Româ* expulſus eſt, verùm mox à *Theodoſio* in gratiam receptus. Infenſum *Christianæ* Religioni animum ubique prodit, inprimis in *Relatione pro Arâ Victoriæ*, quam Imp. *Valentiniano* obtulit, in quâ *Gentilium* cauſam ſtrenuè & ex profeſſo agit. *Gull. Cave*. Reliquit decem libros *Epiſtolarum*.

Symmachus Aproniano ſucceſſit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modeſtiæ. *Ammian. Marcellin.* l. 28. c. 4.

Symmachus ille, mirabili eloquio & Scientiâ præditus. *Proſper. Aquitan.* de Promiſſ. *Dei*, part. 3.

Nullo veterum minor. *Macrob.* l. 5. c. 1.

Symmachus inter *Senatores* præcipuus habebatur, eratque *Romani* eloquii eruditione mirabilis. *Caſſidor.* Hiſt. Tripart. l. 9. c. 23.

Symmachus, Vir *Conſularis*, & *Urbi Præfectus* eloquentiſſimus & doctiſſimus. Scripſit *Epiſtolas* familiares elegantiſſimas, miræ brevitatis ac rotunditatis. *Cuſpinian.* in Comment. *Coſſ.*

Fuit *Symmacho* vera facundia, ſolers ingenium & acutum: par ſententiarum gravitas & venuſtas. Si verba reſpicias, brevitas grata: ſin altius ſenſum inveſtiges, prolixa & multiplex eruditio. Adde ſapientiæ *Civilis* ſolidam atque abſtruſam cognitionem. Adde raram ſub *Imperatoribus* ſanctimoniam morum, & *Romanam in Iure* ſuggerendo libertatem. Non ille *Rerump.* moderatoribus, aut *Iure conſultis* inprimis Magnorum *Principum* Conſiliariis, aut Secretariis, tractandus levi manu. *Iacob. Lectius*.

Dici non poteſt, quanti merito ſuo æſtimandæ ſint *Symmachi Epiſtolæ*. Non ſanè ob accuratam illam, & maximè ei generi ſcriptionis aptam brevitatem

ſolùm, ſed propter ſententias politicas tales atque eâ copiâ, ut vel ir de prudentia aliquis *Reipublicæ*, cum gloriâ & emolumento adminiſtrandæ, uſum dicere poſſit. Nulla ex iis eſt, quæ non ſpiret *Genium* quempiam, viri in rebus egregii publicis procurandis excitati: nulla *Epiſtola* eſt, quæ non integrum dogma *Politici* alicujus *Syntagmatis* propagare queat. *Caſpar. Barth.* Ableg. lib. II. capite 8.

In Epiſtolis eloquens, in relatione vehemens. *Dempſter.*

Simmach. in *Epiſtolis* quoties ſuo, quàm *Theodoſiani* ſæculi more ac modo loqui mavult, non multum optimis concedit. *Sciopp.* Conſultat. p. 43.

Reineſius in Epiſt. 35. ad *Hofm.* p. 244. *Epiſtolas*, quas habemus, non unius *Symmachi*, unius tamen *Sæculi* eſſe judicat.

In *Symmachi Epiſtolis*, quæ ferè breves ſunt, & publicas res attingunt, haud ſcio quam *Sidonius* rotunditatem repeterit: delectant tamen ob crebras, argutas, & conciſas ſententias, quod fortaſſe *rotunditatem* appellat; compoſitio verò minimè *rotunda* eſſe videtur; & ejus *ſermo*, qualis illo ſeculo erat, multùm à Germanâ ac purâ *Latinitate* deſciſcit ac degenerat. *Roland. Mareſ.* l. 2. Epiſt. 1.

Symmachum admirentur quibus ſtudio eſt *moleſtè* potiùs, quàm benè dicere. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 148.

Symmachus amat *Plautina* & *vetera* inſpergere. *Lipſ.* in Analect. ad *Milit. Roman.*

Symmachus nihil valet niſi pro Jure *Theodoſiano*; Bonum eſt illum ſemel, non ampliùs legere. *Scaligerana* 2.

Prudentius libro I. eorum, quos adverſus *Symmachum* ſcripſit: ſic adverſarium compellat.

> O linguam miro verborum fonte fluentem;
> Romani decus eloquii, cui cedat & ipſe
> *Tullius*; has fundit dives facundia gemmas!
> Os dignum, æterno tinctum quod fulgeat auro,
> Si mallet laudare *Deum.*

Quatuor ſunt genera dicendi; Copioſum in quo *Cicero* dominatur: breve, in quo *Salluſtius* regnat: ſiccum, quod *Frontoni* adſcribitur: pingue & floridum, in quo *Plinius Secundus* quondam, & nullo *veterum* minor noſter *Symmachus* luxuriatur. *Macrob.* l.5. *Saturnal.* c. I.

Haud quiſquam ita nitet, ut comparatus tibi non ſordeat; Quis ita *Æſopi* venuſtatem, quis Sophiſticas *Socratis* concluſiones, quis enthymemata *Demoſthenis*, aut opulentiam *Tullianam*, aut proprietatem noſtri *Maronis* accedat? quis ita affectet ſingula, ut tu imples omnia; Quid enim aliud es, quàm ex omni bonarum Artium ingenio collecta perfectio. *Auſon.* in Epiſt. ad *Symmach.*

Illud pretioſiſſimum generis humani decus, vir totus ex ſapientiâ, virtutibuſque factus. *Boëth.* lib. II. proſ. 4.

De *Symmacho* MS. qui nunc Ingolſtadii vinctus aſſervatur, literis Longobardicis

Digitized by Google

dicis exaratus, nemo, qui veriſimilia viderit, dubitare poſſit, eſſe nimirum longè illum vetuſtiſſimum. *Sciopp.* de Art. Crit. in Præfat.

Extant ejus opera *Genevæ* 1598. in 8. *Pariſiis* 1604. in 4. cum Notis *Parei* Neap. Nemet. 1618. 8.

CLAUDIUS CLAUDIANUS.

A*Lexandrinus*, magni ſpiritûs Poeta, ſub *Arcadio* & *Honorio* Imp. floruit, Clar. An. D. CCCCLVIII.
à quibus etiam ſtatuam in foro *Trajani* meruit Gentilis fuit (inquit) ac quidem pervicax: ut ex *Auguſtino* & *Oroſio* conſtat. Nec obſtat *Carmen* de *Chriſto*, quod in Editione *Venetâ Andreæ Aſulani*, *Claudiani* nomen præfert. In aliis enim libris adſignatur *Damaſo* Papæ. Nec ignoro etiam in nonnullis Manuſcriptis *Claudiani* nomen inveniri. Sed ut *Claudiani* eſſet, non hujus fuerit, ſed *Claudiani Mamerti*, qui ſub *Zenone* vixit *Voſſ.* de Poëtis Latinis.

Claudianus Poëta Ægyptius genere, cujus hodiè Poemata extant, multa & varia, nitidus & ferax in ſententiis, majorque inventione, quàm figurâ carminis, ſic quoque talis, ut ſi in recentiorum numero ponas, ſit haud dubiè primus, ut veterum ultimus. *Marc. Anton. Sabellic.* Ennead. 7. Hiſt. l. 9.

Ad carmen natus fuit, quod elegantiſſimè ſcripſit, poetico vir ingenio, & ad ſuperſtitionem propenſior; tametſi de *Chriſto* extat carmen ejus nomine inſcriptum quod credo ab eo in *Honorii* gratiam compoſitum, ut fuit aſſentator maximus. *Lud. viv.* in *Auguſtin.* l. 5. de C. D. c. 26.

Ingenio excellenti fuit, maximéque apto ad carmen componendum. Nam & aſſurgit feliciter variiſque figuris ac ſententiis mirificè delectat, ut videatur à naturâ ipsâ inſtructus ad poeticam facultatem. *Petr. Crinit.*

Maximus Poeta *Claudianus* ſolo argumento ignobiliore oppreſſus, addidit de ingenio, quantum deeſſet materiæ. Felix in eo calor, cultus non inviſus, temperatum judicium, dictio candida, numeri non affectati, acutè dicta multa ſine ambitione. *Jul. Caſ. Scalig.* de Re Poët. l. 6. c. 5.

Nec equidem puer ego unquam *Claudiani* verſus contempſi: ſed cum minimè numeros & lineamenta variet, idemque ſit ubique, ab aliquibus eo nomine in ordinem redigitur. At ſi cui forte illius numeri ſatis placent, placeant: ejus certè flacceſcit *Inventio*. Nam cùm primo animi impetu, ut videmus, pulchrè materiam apparet, & animoſiùs feratur, mox tanquam ventus hominem deficit, nec principiis ſatis poſtrema reſpondent. Omnino tamen, ut *Piſo* dicebat, eſt Poeta canorus, volubilis, & valdè dulcis: ſed certè parum idoneus dignuſque ut tantoperè illum imitari ſtudeatis. Sunt quidem in eo, ſi cum delectu decerpantur, flores, qui mirum dictu eſt, quàm vobis prodeſſe poſſint. *Lil. Girald.* de Poet. Antiq. p. 193.

Elegantiſſimum Panegyricum *Claudianus* in hunc quartum *Conſulatum Honorii* ſcripſit. Quem, ſtudioſe Lector, accuratè legas, ut multas ejus temporis Hiſtorias. Plenus enim eſt rerum & Hiſtoriarum, & omnimodâ ſcatet eruditione. *Ioan. Cuſpinian.* in Commentar. ad ann. Urbis MCLII.

Claudia-

Claudianus elegantiſſimus Poeta, quàm præclara habet in quarto Conſulatu *Honorii*! etiam *Prudentius*. *Scaligerana* poſterior, p.51.

Claudianus in ſexto *Honorii* Conſulatu oſtendit, ſe non ingenii ſolùm viribus excitatum, ſed optimorum quoque Poëtarum lectione aſſiduâ, ad poeticum decus & gloriam perveniſſe. *Ioſeph Caſtalio* var. lect. c. 37.

Claudius Claudianus Ægyptius, omnibus Latinis rerum ubertate prior, ſoli *Homero*, inventionis gloriâ, inter Græcos ceſſurus, poëtarum prægloriofiſſimus, *Thom. Dempſter*. in Elench. Script.

Teſtem inſuper dabimus non paulò auctoritate potentiorem: is erit laudatiſſimus Poëta. *Claudius Claudianus*, cujus ingenium & eloquentia, licèt ævo inciderint jam procliviori in vitium; nemini tamen ab ipſo *Auguſtæo* ævo puritate, candore & magnificentiâ ſermonis ceſſurus eſt: quarum virtutum licèt vulgo non ſint ſatis æſtimantes in ſummo ſcriptore; nos tamen ei debitum præconium non invidebimus. *Euſtat. Swart*. l. 1. *Analector*. c. 13.

Claudianus Poëta eſt, qui non fabularum obſcuris ambagibus aures potiùs titillet, quàm animum inſtruat. Nulla in eo nugarum ſcitè coagmentatarum ſeries, quæ blando errore à gravioribus ſtudiis ad *Sirenum* cantus mentes deducat. Graviſſimus & compoſitæ ad Politicam doctrinam nervoſitatis Stylus *Boxhorn*. in Monument.

Legimus hodie verſus ejus non ſine veneratione tanti ingenii, notamus dictionem caſtam, gravem, ſublimem, & nihilominus, quod mirere, facilem, moralis & Politicæ ſapientiæ monitis intertextam; ſed ne quid diſſimuletur, ſubinde tumidiorem penè juveniliter exſultantem, quod in *Marone* nemo juſtè culpaverit. *Borrich*. de Poet. p. 73.

Jeſ. *Rapinus* eum nobis depingit tanquam *Authorem* qui in ſuis Poematis multum judicii non oſtendit. Juvenilis indoles in omnibus *Claudiani Panegyricis* regnare conſpicitur, quæ nihil habet ſolidi, quamvis ingenium felix in iis rutilet. Inſipidas abſque ordine & cohærentia laudes congerit. Ille Poeta, pergit alibi, ingenio felicique imaginatione gaudet, ſed ei palatum eſt ineruditum quoad numeri delicias illas, carminumque modum illum quem in *Virgilio* admirantur Docti. Verſus & verba ejus ſimiliter continuò cadunt; quo fit ut vix abſque tædio legatur, nec in omni ſua dictione ullatenus unquam aſſurgit. *Rapin*. Reflex. partic. in *Poetic*. part. 2. Refl. 14. 15.

Claudianum verò cum *Tibullo* ſi conferrem in *Elegiis*, carperer à nonnullis; tamen is maximam meo judicio laudem promeretur in *Elogiâ* numeris omnibus abſolutâ, quâ *labores Herculis*, orbiſque cantu *Orphæo* viduati calamitatem pulcherrima varietate, floridoque Stylo, velut erudito penicillo exprimens ob oculos ponit legentium. *Jacob. Gadd*. in *Elog*. p. 150.

Claudianus non Latina ſolùm, verùm etiam Græca ſcripſit Poemata. Unde in veteri Epigrammate quod in baſi ejus ſtatuæ erat inſcriptum, *Virgilii* ſimul & *Homeri* animam in ſe transfuſam habuiſſe dicitur. Latinum quidem *carmen* primùm ſcribere aggreſſus eſt Anno Chriſti 395. quo Coſſ. fuerunt *Olybrius* & *Probinus*. De quorum *conſulatu* elegans *carmen* conſcripſit, quod etiamnum extat.

Hic

Digitized by Google

Hic conatus cùm feliciter ſucceſſiſſet *Claudiano*, animos ei addidit ad Latina deinceps *carmina* conſcribenda; cùm anteà Græcos tantùm verſus edidiſſet. *Henr. Valeſ.* in Annotat. ad l. 1. c. 19. Hiſt. Eccleſiaſt. *Euagrii.*

De *Claudiano* inter alios optimè meruit doctiſſimis Commentariis *Caſpar Barthius* qui eum edidit *Francofurti* in 4°. 1650. feliciorem tamen in emendando textu fuiſſe *Nic. Heinſium* nemo dubitat, cujus Notæ cum Commentariis Variorum, applauſum provocant. Hæc *Heinſeiana* Editio, accurante *Schrevelio*, prodiit in 8°. *Amſtelodami* ex officinâ *Elzevirianâ*, ann. 1665.

TORANIUS RUFINUS.

PResbyter, floruit An. D. 390. inter omnes Monachos *Aquileienſes*, ſecundùm *Hieron.* ep. 41. juxta *Bonoſum* & *Florentium*, celeberrimus; cum quibus hic *Aquileiæ* amicitiam iniit. In *Ægyptum* profectus, dein *Hieroſolymam* venit, ubi an. 25. commoratus eſt, variis operibus in publicum edendis ibi intentus. *Romam* rediit An. 397. ſed quòd nimiùm *Origenis* ſcriptis tribuerit, hoc primùm cum *Hieronymo* ipſum colliſit, non ſine inſigni ſcandalo. Lis à *Theophilo* utcunque compoſita, paulò poſt acriùs recruduit, cùm *Rufinus Romæ* librum *Origenis* de Principiis ederet, in quo nomine ſuo ſuppreſſo, *Hieronym.* pro *Origene* teſtem advocabat, qui ſic in ſuſpicionem venit *Origeniſmi*: Hinc acerbiſſimæ utrinque invectivæ. Tandem *Rufinus*, ab *Anaſtaſio* Epiſc. condemnatus, obiit in *Siciliâ*, an. 410. E *Græco* vertit *Joſephum*, *Euſebii* Hiſtoriam Eccl. & alia, illique duos adjecit libros, à *S. Paulino* rogatus. *Scripſit* quoque in *Hoſeam*, *Joëlem*, *Amoſum*, &c. *Hofmann.* in Lexic. Clar. A. D. CCCXC.

Rufinus, *Aquileienſis* Eccleſiæ presbyter, apud multos olim magno loco habebatur. *Caſſiano* l. 7. de incarnat. c. 27. vocatur *Chriſtianæ Philoſophiæ vir, haud contemnenda Eccleſiaſticorum doctorum portio.* Imò & B. *Hieronymus*, ut ex epiſtolâ ejus 5. ad *Florentium* conſtat, ſummis hujus ſanctimoniam laudibus extulit. Sed iſthoc fecit, antequam *Rufinus Romam* rediens, tranſlatione librorum *Origenis* περὶ ἀρχῶν, errores ſuos detexiſſet. Poſteà ſanè mens longè alia beato patri fuit, ut adverſaria amborum ſcripta oſtendunt. Atq; hoc in causâ eſt, cur *Palladius* quoque, qui *Rufino* erat addictior, iniquior ſit *Hieronymo*. Sed pro *Hieronymo* ſtat *Gelaſius* & Concilium *Romanum* 70. Epiſcoporum: quo ſtatuitur, multa in *Rufino* ad arbitrii libertatem pertinentia notata eſſe à B. *Hieronymo*: In quibus *Hieronymi* ſententiæ ſubſcribere conveniat. Inprimis *Rufinus* ob utriuſque linguæ, ac hiſtoriarum peritiam, magnifieri ſolet. Itaque & cùm *Severus Sulpitius* rogâſſet *Pontium Paulinum*, ut participem ſe eorum faceret, quæ de antiquis temporibus obſervaſſet: negavit hic, ſe eorum eſſe intelligentem; *Rufinumque Sulpitio*, ut eorum multis partibus peritiorem, commendavit. Sic enim inter alia ad *Severum* ſcribit Epiſt. nonâ: *Quod de me non habui, de fratris unanimi opulentiore theſauro petivi; & ipſam adnotationem, quam commonitorii vice miſeras, literis meis inditam direxi ad Rufinum presbyterum Sanctæ Melaniæ ſpiritali viâ comitem, verè ſanctum, & piè doctum, & ob hoc intimâ mihi affectione conjunctum.*

Digitized by Google

Si ille has, quæ meritò te promovent, de annorum, ſive regnorum, non congruente calculo, biantis Hiſtoriæ cauſſas non ediderit; qui & Scholaſticis, & ſalutaribus literis, Græcè juxta, ac Latinè, dives eſt: Vereor ne apud alium, in his regionibus, fruſtrà requiramus. Multum ſanè operæ contulit *Ruſinus* ad Hiſtoriam illuſtrandam. Nam inter alia, quæ *Gennadius*, & ex eo *Honorius* commemorat, *Clementis Romani* recognitiones, & *Flavium Joſephum*, Latinè tranſtulit. Item decem libros *Euſebii* hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Quod ad *Joſephum*, verſio illius, ut *Caſauboni* verbis utar ad Apparat. Annalium ſect. ult. *multis locis eſt ad inſaniam uſque inepta.* Sed addit hoc, inde proveniſſe, partim *quòd corruptiſſimos nactus eſſet codices*, partim quòd *judicio critico deſtitutus, quicquid inveniret, exprimeret.* In *Euſebio* quoque nimiùm profectò libertate in vertendo uſus fuit. Sanè *Euſebiana* Tranſlatio, ne paraphraſis quidem dici poſſit: Sed proprium opus, in quo tamen *Euſebium* plurimùm exſcripſerit. Multa adeò addit, multa demit, multa mutat. Dimidium octavi libri omiſit: Decimum vix attingit. Atque hoc pacto ex libris decem *Euſebii* fecit novem: Quibus duos de ſuo adjecit: Sed quibus non ſemper habenda ſit fides, ſi *Socrati* credimus. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Sanè futiliſſimum auctorem vocat etiam *Joſephus Scaliger*, Appendice operis de emendatione Temporum.

Ruſinus nihil unquam vertit bonâ fide. *Eraſm.* l. 25. Epiſt. 3.

Ruſinus monachus & *Aquileienſis* Eccleſiæ *presbyter*, vir eloquens, & in divinis Scripturis valdè eruditus; *Græco* & *Latino* peritus eloquio, inter Eccleſiaſticos Doctores non parvæ opinionis fuit. Ejus ſcripta, licèt multa ſint, tamen inter Apocrypha computantur. 15. diſ. Sancta *Romana*; propterea quòd in ſanctiſſimum virum *Hieronymum* ſcripſerit invectivas Epiſtolas; ſicut ex earum lectione intelligi poteſt. Sed poſteà in concordiam dilectionis fraternæ redeuntibus, facta ſunt opuſcula *Ruſini* authentica; in quantum *Hieronymi* dictis non fuerint contraria. *Trithem.*

Profectò, ſi quiſquam, *Ruſinus* is eſt, qui *Tempora* ſoleat confundere. *Voſſ.* de trib. Symb. p. 43.

Ruſinus ex inſcitiâ ubique errare ſolet. *Caſaub.* exercit. 16. ad *Baron.* Ann. 34. Num. 196.

Tantam habes *Græci* & *Latini* ſermonis ſcientiam, ut *Græci* te *Latinum*, & *Latini Græcum* putent. *Hieronym.* Apol. 3. adverſ. *Ruſin.*

Ruſinus, quamvis *Græcè* loqueretur, non intelligebat tamen *Græca* quæ legebat *Scaligeran.* poſterior.

—— Nec erit fortaſſe piaculum, ſi noſter Lector *Hiſtoriarum* ſtudioſus inſuper *Ruſinum* habendo prætereat; nam eorundem Temporum Hiſtoriam uberiùs multò & accuratius *Socrates Theodoretus* & *Sozomenus* compoſuerunt. *Whear.* in Meth. legendi Hiſtorias.

Neque verò Hiſtoriam ſuam (*Socrates*) negligenter ac ſupinè conſcripſit, quemadmodum *Ruſinus Aquileienſis*, qui duos libros *Hiſtoriæ* Eccleſiaſticæ, quos *Euſebii Cæſarienſis* libris attexuit, memoriter mihi videtur compoſuiſſe. *Hen. Valeſ.* de vitâ & ſcript. *Socratis.*

Dom-

Digitized by Google

Dom. *Gallois* in ea eſt opinione quòd *Joſephi* Verſio omnium ejus *Tranſlationum* peſſima ſit. Aliæ ſaltem eloquentiam quandam redolent quæ earum defectus compenſat. Sed illa *Judaicarum Antiquitatum* adeo barbara & obſcura eſt, ut nihil è *Ruffino* in ea deprehendatur præter uſurpatam ab illo *Interprete* licentiam introducendi *Joſephum* ea dicentem quæ in mentem ei nunquam venerunt. *Eruditorum Ephemerides* Gallic. 10. Januar. 1667.

Rufinus, quamvis ſenſum potiùs *Euſebii* ſequatur quàm verba, terſus eſt tamen ac nitidus, nec legentibus injucundus: ac vel eo nomine plurimum laudandus, quòd *Eccleſiaſticam Hiſtoriam* primus Latinæ linguæ hominibus dedit; cujus *verſione* ad noſtram uſque ætatem uſa eſt *Occidentis Eccleſia. Henr. Valeſ.* Præfat. ad *Euſebiana Hiſt.* edit.

Rufinus primus eſt qui *Euſebianam* Hiſtoriam verterit, ſed id admodum licenter, de more ſuo, præſtitit. Totum decimum librum omiſit, duoſque alios ei adjunxit qui Hiſtoriæ ſeriem uſque ad *Theodoſii* mortem complectuntur. Ejus verſio pura, terſa imò & ſatis elegans eſt; jucundè admodum Authoris ſui ſenſum & mentis ideas exprimit, imò fideliùs interdum quam interpretes qui ipſum poſtea verterunt. Authoribus Latinis auxilio non mediocri fuit; hinc enim hauſerunt quicquid de primorum ſeculorum Hiſtoria Eccleſiaſtica ſcripſerunt aut noverunt. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Authorum Eccleſiaſticor. Tom. 2. pag. 9.

Fatendum eſt *Rufinum*, quamvis à *S. Hieronymo* acerrimè vapulaverit, inter doctiſſimos ſeculi ſui viros numerandum eſſe. Eruditione Sanctum illum fortaſſis non æquabat, ſed pacatioris & minus vehementis ingenii erat. Latinè non ſcribit æquè eleganter, ſed æqualior eſt ſtylus ejus. Diſſiteri nemo poteſt quin ei multum debeat Eccleſia Latina quod præcipuorum Authorum Græcorum notitiam ei gratificatus ſit, præſertim verò Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Quamvis plurium errorum accuſatus fuerit, nullius tamen convictus eſt, nec male criminationes in ſe collatas diluit. *Origenem* defendit, ſed errores ipſi aſcriptos repudiando. Id in cujus culpa eſſe cenſeri poteſt, non quidem quod ex ejus ſcriptis liqueat, ſed penes fidem Authorum qui de ipſo locuti ſunt, hoc unum eſt, quod *Pelagii* Præceptor fuerit. Sed fortaſſis errores diſcipuli cauſa fuerunt cur Magiſtro imputati fuerint, quamvis eos ipſum minimè docuerit. Utut res ſit dici non poteſt ab Eccleſia ideo receſſiſſe, nec illos errores pertinaciter propugnaviſſe. Perperam itaque, meo quidem judicio, plerique recentiorum memoriam ejus adeo contumelioſè inſectantur, & cum ipſo agunt, ut cum Hæreticorum pernicioſiſſimo. Non ſunt attendenda omnia convitia quibus à *S. Hieronymo*, in mutuæ contentionis æſtu, proſcinditur, atque *Gelaſii* Papæ moderamen imitari ſatius eſt, qui Sancti viri nomine ipſum condecorat: *Rufinus vir Religioſus*, inquit, quamvis agnoſcat eum ab Hieronymo jure reprehenſum circa ea quæ de hominis libertate dixit. *Ell.* du *Pin*, Nov. Bibliot. Author. Eccleſiaſticor. Tom. 3. Gall.

Summum quidem fuiſſe *Origenis* admiratorem, & cum *Pelagii* ſectatoribus libero Arbitrio nimium tribuiſſe nemo prudens facilè negabit. Verùm

 annon

annon *ἀμετρεία τ ἀνθολκῆς Hieronymum* nimis tranſverſum egerit; an meruit *Rufinus* omnia, quæ pleno ore in ipſum evomuntur, convitia, perpendent æqui rerum æſtimatores. Interim illud negari non poteſt, *Rufinum* in vertendis è Græco Sermone aliorum Scriptis peſſimâ fide ut plurimum egiſſe, mutando, truncando, addendo; ut nova potiùs quàm aliena videri poſſent; nec divinando quis aſſequi valeret quænam *Rufini*, quænam ipſius Auctoris partes fuerint. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Prodierunt opera *Rufini* 2. Tom. *Pariſ.* 1580. fol.

DECIUS MAGNUS AUSONIUS.

Clar. A. D. CCCXC.

GEnere *Gallus*, patriâ *Burdigalenſis* fuit. *Valentiniano, Gratiano* & *Theodoſio* Imperantibus, claruit. A *Gratiano* Diſcipulo ad Conſulatum evectus eſt. *Bellarminus* aliique eum inter *Chriſtianos* collocant, diſſentiente *G. I. Voſſio*, qui *Gentilem* fuiſſe aſſerit. Condidit varia *carmina*.

Auſonii ingenium magnum, acutum : Stylus duriuſculus : Multa *ſcripſit*, non ſolum varia, ſed etiam variè. Quare quid facere potuerit, non quid fecerit, potiùs judicandum. Utinam *Epigrammata* ne ſcripſiſſet. Nam & inculta ſunt penè omnia, & omnia dura : Quædam etiam inepta, aut frigida aut frivola, ut è *Græcis* ſatis habuit quæ exprimeret. Nonnulla verò adeo fœda atque deteſtanda, ut neque Scriptore, neque Auditore digna, non in ſpongiam incumbere merita ſint, ſed ſolis flammis expiari poſſe videantur. Sanè ſibi multùm placuiſſe conſtat ex incuriâ *Scriptionum* futurorum ſæculorum ſecurum, cùm ſibi videretur ſui eſſe Princeps. Eum verò piguiſſe Caſtigationis videmus in ipſis *Jambis*, quos cùm puriores inchoaſſet, lutulentos fluere permiſit. *Jul. Cæſ. Scalig.* l. 6. Poetic. c. 5.

Inter cætera verò ejus poëmatia ſunt, quæ ipſe partim *εἰδύλλια*, ut *Gryphum de numero ternario*, partim vocat *Eclogas*; ſic enim inſcribitur ea, quæ vitæ noſtræ miſerias deſcribit; valdè ſunt bona, & quovis magno Poëta digna. Sed longè illuſtrior illa, in qua *Cupido cruciatur*. Eſt enim docta, candida, neque carens numeris. *Moſellam* verò adeò excoluit, ut ea ſola magni Poëtæ nomen ſibi comparare potuerit. Eſt enim in eâ multa ars, tum diſpoſitionis tum eloquutionis. Multa lumina figurarum, multum ingenii deprehendas. *Idem* ibid.

Multa in illo viro (*Auſonio*,) verè Magno, tecum unà miror, multa ſuſpicio & veneror. Ut pauca de multis, Illud inprimis apud me monſtri inſtar habet, hominem *Chriſtianum*, &, ut apparet, non nomine tantùm; ſed & pectore & moribus, adeò ſæpè laſciva atque improba ſcribere potuiſſe, ut niſi nomen *Auſonii* eſſet adſcriptum, *Bilbilitanum* Poëtam te legere putes—— Suſpicio in hoc viro acumen, lepôrem, ac rotunditatem, inprimis *Epigrammatum*, quibus (*expleri* mentem nequeo ardeſcoque legendo) veneror & eruditionem multiplicem de veterum fontibus hauſtam. Quid enim apud illos, ſive *Græcos*, ſive *Latinos*, memorabile, quà verborum, quà rerum, quod

non

Digitized by Google

non *Auſonius* delibarit. *Cunrad. Rittershuſ.* in Epiſt. ad *Salomonem Pantherum.*

Chriſtianus quidem *Auſonius* fuit; ut ex ejus verſibus, & item *Paulini* ejus diſcipuli facilè colligimus: Sed petulantior tamen, & laſcivior quàm ut inter *Chriſtianos* numerari dignus ſit--------In *Grypho* quidem eruditio multa, varietas, & curioſitas; judicii verò, & nitoris, ut quidem mihi nunc videtur, parum. Sunt ejus quædam, quæ è *Græco* in *Latinum* transtulit, in quibus argutiæ, ſalis, & lepôris ſatis, quæ legiſſe aliquod eſt operæ pretium. *Lil. Gyrald.* de Poët. Dial. 10.

Poëmation compoſuit lepidiſſimus Poëta *Auſonius* ad *Nepotulum* ejuſdem nominis *Auſonii* ex filiâ, quod προτρεπτικὸν inſcripſit, elegans ſanè & doctrinæ multijugæ. *Idem* dialogiſmo 21.

In *Moſellâ* maximam laudem, ut eſt autor *Symmachus*, jure optimo ſibi vindicavit. Siquidem incredibili elegantiâ utitur in eo deſcribendo. *Faſtorum* prætereà libros abſolvit, opus magni laboris, ac multarum vigiliarum. *Petr. Crinit.* de Poët. Lat.

Ingenium & eruditio fuit in *Auſonio* multa, ſed ſtylus tempora illa, inquit *Eraſmus* in *Ciceroniano*, aulæ delicias & licentiam reſipit.

D. *Auſonius Burdegalenſis* Poëta eruditiſſimus, licèt durioris ſtyli. *Thom. Dempſter.* in elench. Scriptor.

Auſonius noſtras, Poëta poſt tempora *Domitiani* omnium eruditiſſimus, & in cujus Lectione nemo operam ſuam luſerit. *Joſ. Scalig.* ad *Virgil.* catalecta.

Auſonius non tam inelegans, meo judicio, Poeta, quàm volunt hi, qui eum *Ferreum* contumelioſè nominant. *Joann. Brodæus* l. 1. Miſcel. c. 6.

Tam eruditus verò eſt Scriptor *Auſonius*, ut vix poſſit alterum tertiumve verſum abſolvere, quin egregiam aliquam rem geſtam alludat *Caſp. Barth.* l. 40. adverſ. c. 9.

Nullam Auſonius diſciplinam ignoravit: Omnes *Latinos Græcoſque* Scriptores, quorum major pars intercidit, ad unguem novit: Hinc in ejus Scriptis multa ſe oſtendit, & varia eruditio, ut cuivis legenti non ſtatim queant intelligi. *Elias Vinet.* præfat. præfixâ *Auſon.* Scriptis.

In Scriptis ejus oblita *Tulliano* melle feſtivitas, merum gaudium. *Symmach.* lib. 1. Epiſt. 30.

Oratio Atticis Salibus aſperſa & thymô odorata. *Idem* epiſt. 22.

Ille rerum eventus nequaquam eveniet, ut ingenium tuum labor deterat: Benignitatem cura flectat: Facundiam uſus exhauriat. *Idem* ibid.

Tam ſecundæ (*Auſonius*) apud Aquitanos fuit famæ, ut ab illis cum aliquo ſeptem Sapientum contenderetur. Atque ſcitum ejus in ore omnium verſabatur: *Beatum eſſe non qui habet quæ cupit, ſed qui non cupit, quæ non habet.* Atque de eo jactabant Aquitani. Quemadmodum *Auſonius* neminem ſibi propoſuit imitandum: Ita *Auſonium* nemo nunc poteſt imitari. Eloquentiæ non ita ſtuduit, cùm hoc ſæpiùs diceret: Satius eſſe, ſi moribus Antiquorum prudentium viveremus, quàm ſi eorum tantùm linguâ & arte loqueremur.

annon *ἀμετρεία τῆς ἀνθολκῆς Hieronymum* nimis tranſverſum egerit; an meruit *Rufinus* omnia, quæ pleno ore in ipſum evomuntur, convitia, perpendent æqui rerum æſtimatores. Interim illud negari non poteſt, *Rufinum* in vertendis è Græco Sermone aliorum Scriptis peſſimâ fide ut plurimum egiſſe, mutando, truncando, addendo; ut nova potiùs quàm aliena videri poſſent; nec divinando quis aſſequi valeret quænam *Rufini*, quænam ipſius Auctoris partes fuerint. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Prodierunt opera *Rufini* 2. Tom. *Pariſ.* 1580. fol.

DECIUS MAGNUS AUSONIUS.

Clar. A. D. CCCXC.

GEnere *Gallus*, patriâ *Burdigalenſis* fuit. *Valentiniano*, *Gratiano* & *Theodoſio* Imperantibus, claruit. A *Gratiano* Diſcipulo ad Conſulatum evectus eſt. *Bellarminus* aliique eum inter *Chriſtianos* collocant, diſſentiente *G. I. Voſſio*, qui *Gentilem* fuiſſe aſſerit. Condidit varia *carmina*.

Auſonii ingenium magnum, acutum : Stylus duriuſculus : Multa *ſcripſit*, non ſolum varia, ſed etiam variè. Quare quid facere potuerit, non quid fecerit, potiùs judicandum. Utinam *Epigrammata* ne ſcripſiſſet. Nam & inculta ſunt penè omnia, & omnia dura : Quædam etiam inepta, aut frigida aut frivola, ut è *Græcis* ſatis habuit quæ exprimeret. Nonnulla verò adeo fœda atque deteſtanda, ut neque Scriptore, neque Auditore digna, non in ſpongiam incumbere merita ſint, ſed ſolis flammis expiari poſſe videantur. Sanè ſibi multùm placuiſſe conſtat ex incuriâ *Scriptionum* futurorum ſæculorum ſecurum, cùm ſibi videretur ſui eſſe Princeps. Eum verò piguiſſe Caſtigationis videmus in ipſis *Jambis*, quos cùm puriores inchoaſſet, lutulentos fluere permiſit. *Jul. Cæſ. Scalig.* l. 6. Poetic. c. 5.

Inter cætera verò ejus poëmatia ſunt, quæ ipſe partim *εἰδύλλια*, ut *Gryphum de numero ternario*, partim vocat *Eclogas*; ſic enim inſcribitur ea, quæ vitæ noſtræ miſerias deſcribit; valdè ſunt bona, & quovis magno Poetâ digna. Sed longè illuſtrior illa, in qua *Cupido cruciatur*. Eſt enim docta, candida, neque carens numeris. *Moſellam* verò adeò excoluit, ut ea ſola magni Poëtæ nomen ſibi comparare potuerit. Eſt enim in eâ multa ars, tum diſpoſitionis tum eloquutionis. Multa lumina figurarum, multum ingenii deprehendas. *Idem* ibid.

Multa in illo viro (*Auſonio*,) verè Magno, tecum unà miror, multa ſuſpicio & veneror. Ut pauca de multis, Illud inprimis apud me monſtri inſtar habet, hominem *Chriſtianum*, &, ut apparet, non nomine tantùm; ſed & pectore & moribus, adeò ſæpè laſciva atque improba ſcribere potuiſſe, ut niſi nomen *Auſonii* eſſet adſcriptum, *Bilbilitanum* Poëtam te legere putes—— Suſpicio in hoc viro acumen, lepôrem, ac rotunditatem, inprimis *Epigrammatum*, quibus (*expleri* mentem nequeo ardeſcoque legendo) veneror & eruditionem multiplicem de veterum fontibus hauſtam. Quid enim apud illos, ſive *Græcos*, ſive *Latinos*, memorabile, quà verborum, quà rerum, quod non

Digitized by Google

non *Auſonius* delibarit. *Cunrad. Rittershuſ.* in Epiſt. ad *Salomonem Pantherum.*

Chriſtianus quidem *Auſonius* fuit; ut ex ejus verſibus, & item *Paulini* ejus diſcipuli facilè colligimus: Sed petulantior tamen, & laſcivior quàm ut inter *Chriſtianos* numerari dignus ſit--------In *Grypho* quidem eruditio multa, varietas, & curioſitas; judicii verò, & nitoris, ut quidem mihi nunc videtur, parum. Sunt ejus quædam, quæ è *Græco* in *Latinum* tranſtulit, in quibus argutiæ, ſalis, & lepôris ſatis, quæ legiſſe aliquod eſt operæ pretium. *Lil. Gyrald.* de Poët. Dial. 10.

Poëmation compoſuit lepidiſſimus Poëta *Auſonius* ad *Nepotulum* ejuſdem nominis *Auſonii* ex filiâ, quod προτρεπτικὸν inſcripſit, elegans ſanè & doctrinæ multijugæ. *Idem* dialogiſmo 21.

In *Moſellâ* maximamlaudem, ut eſt autor *Symmachus*, jure optimo ſibi vindicavit. Siquidem incredibili elegantiâ utitur in eo deſcribendo. *Faſtorum* præterea libros abſolvit, opus magni laboris, ac multarum vigiliarum. *Petr. Crinit.* de Poët. Lat.

Ingenium & eruditio fuit in *Auſonio* multa, ſed ſtylus tempora illa, inquit *Eraſmus* in *Ciceroniano*, aulæ delicias & licentiam reſipit.

D. *Auſonius Burdegalenſis* Poëta eruditiſſimus, licèt durioris ſtyli. *Thom. Dempſter.* in elench. Scriptor.

Auſonius noſtras, Poëta poſt tempora *Domitiani* omnium eruditiſſimus, & in cujus Lectione nemo operam ſuam luſerit. *Joſ. Scalig.* ad *Virgil.* catalecta.

Auſonius non tam inelegans, meo judicio, Poeta, quàm volunt hi, qui eum *Ferreum* contumelioſè nominant. *Joann. Brodæus* l. 1. Miſcel. c. 6.

Tam eruditus verò eſt Scriptor *Auſonius*, ut vix poſſit alterum tertiumve verſum abſolvere, quin egregiam aliquam rem geſtam alludat *Caſp. Barth.* l. 40. adverſ. c. 9.

Nullam Auſonius diſciplinam ignoravit: Omnes *Latinos Græcoſque* Scriptores, quorum major pars intercidit, ad unguem novit: Hinc in ejus Scriptis multa ſe oſtendit, & varia eruditio, ut cuivis legenti non ſtatim queant intelligi. *Elias Vinet.* præfat. præfixâ *Auſon.* Scriptis.

In Scriptis ejus oblita *Tulliano* melle feſtivitas, merum gaudium. *Symmach.* lib. 1. Epiſt. 30.

Oratio Atticis Salibus aſperſa & thymô odorata. *Idem* epiſt. 22.

Ille rerum eventus nequaquam eveniet, ut ingenium tuum labor deterat: Benignitatem cura flectat: Facundiam uſus exhauriat. *Idem* ibid.

Tam ſecundæ (*Auſonius*) apud Aquitanos fuit famæ, ut ab illis cum aliquo ſeptem Sapientum contenderetur. Atque ſcitum ejus in ore omnium verſabatur: *Beatum eſſe non qui habet quæ cupit, ſed qui non cupit, quæ non habet.* Atque de eo jactabant Aquitani. Quemadmodum *Auſonius* neminem ſibi propoſuit imitandum: Ita *Auſonium* nemo nunc poteſt imitari. Eloquentiæ non ita ſtuduit, cùm hoc ſæpiùs diceret: Satius eſſe, ſi moribus Antiquorum prudentium viveremus, quàm ſi eorum tantùm linguâ & arte loqueremur.

queremur. *Joſ. Scalig.* lib. 2. *Auſonianarum* lect. cap. ult.

Moſellam ipſius ita prædicat *Symmachus*, ut libris *Maronis* adjungendam judicet.

Martialem Auſonius renovare viſus eſt ac referre ſcribendis *Epigrammatis*, longo intervallo, ut temporis, ita dignitatis ac præſtantiæ. Huic ego Poetæ faveo libenter, cùm homini *Gallo*, tum doctrinâ ſingulari, & ſummâ ingenii ſuavitate prædito. Sed minus ei tempus profectò, quo vixit, favet. Quo quidem tempore inſici jamdudum cœperat *Latinus Sermo*, verbis & parum *Latinis*, & parum *Latinè* junctis. *Poëtica* facta durior multò, quàm olim. *Vavaſſ.* de *Epigrammate*, c. 15.

Elegans & acutum *Auſonii* Poëmation *Gryphus* eſt; in quo propter reconditam doctrinam & occultos quoſdam reſpectus, ingenium poeta declaravit ſuum. *Andr. Schott.* l. 2. c. 33. obſerv. Human.

D. Magnus *Auſonius Burdigalenſis*, Imperatoris *Gratiani* Præceptor, ejuſque beneficio *Conſul* tandem *Romanus*, paulò ante initium Seculi 5. obiit, Religione *Ethnicus*, eoque à *Paulino* amico, ſed *Chriſtianis ſacris* dedito identidem objurgatus, varia ſcripſit, quæ in luce publicâ verſantur, omnia culta, ſelecta, ingenioſa, ſed à fæcibus temporum, quibus vivebat, non ſemper libera. Ad eum quoque referuntur à Doctis illa, quæ *Dionyſii Catonis* nomen præferunt *Diſticha*; ſed quia *Vindicianus* in Epiſt. ad Imperat. *Valentinianum* hujus *Catonis* meminit, alium eum eſſe ab *Auſonio* credibile eſt. Vivacitatem ingenii ejus, ut ex aliis deprehendunt eruditi ita præcipuè ex *Centone* illius *Nuptiali*, quo *Maronis* caſtitatem in ruborem dedit, atque utinam non lectorum hodiéque tentet pudicitiam. *Borrich.* de Poetis, p. 73.

Auſonius editus eſt *Amſtelod.* ex recenſione *Jacobi Tollii* cum Notis Variorum, in 8o. Anno 1671. In *Gryphum* ejus *De Numero ternario* commendatus eſt *Claudius Minos Divionenſis*: In eundem de *Urbibus Elias Vinetus*: In *Moſellam Marquardus Freherus*.

S. AURELIUS AUGUSTINUS.

Clar. A. D. CCCXCVI.

PAtre Patricio, Matre *S. Monica*, *Tagaſtæ* in *Numidia* natus, *Arbetiono* & *Lolliano* Coſſ. Anno Chriſti 355. Idibus Novembris, *Romam* ex *Africâ* venit ann. 383. deinde *Mediolanum* ann. 384. ubi à S. *Ambroſio* Mediolanenſi Præſule ad fidem Catholicam à Manichæorum hæreſi converſus, & baptizatus eſt Paſchali tempore ann. 388. ætatis 34. Poſt ſanctæ matris obitum, ad *Oſtia Tiberina* die 4. Maii ann. 389. reverſus in *Africam*, à *Valerio Hipponenſi* Epiſcopo ann. 391. Presbyter ordinatus, deinde Epiſcopus ann. 396. jubente eodem *Valerio* à *Megalio Calamenſi* Epiſcopo *Numidiæ* Primate conſecratus novo more, ut non ſuccederet in Cathedrâ Epiſcopali, ſed accederet, commiſſam ſibi Eccleſiam rexit per ann. 35. uſque ad diem 28. Auguſti ann. 430. quo *Vandalis* Hipponem Regium jam tertium menſem arctâ obſidione vallantibus, ad cœleſtem patriam evolavit, cùm libris *Juliani Pelagiani* reſponderet, annos natus 76. *Philip. Labbe.*

Vir

Digitized by Google

Vir ſupra omnes, qui ante eum & poſt eum hucuſque fuerunt, mortales, admirabili ingenii acumine præditus, omnibus liberalibus diſciplinis inſtructus, *Platonicâ* Philoſophiâ pleniſſimè imbutus, *Ariſtotelicæ* doctrinæ non ignarus, in divinis Scripturis longè omnium eruditiſſimus, & in earum explanatione ultrà, quàm dici queat, incomparabili ſubtilitate ſublimis; omnes *Latinæ Eccleſiæ* Scriptores ſcribendi labore, & lucubrationum multitudine ſuperavit, editis plus quàm mille & triginta ex omni diſciplinarum genere voluminibus. *Sixt. Senenſ.* Biblioth. l. 4.

Orationis ejus, ac dictionis genus fœcundiſſimum & exuberantiſſimum eſt, ditiſſimâ & copioſiſſimâ, ne dicam nimiâ, diverſarum rerum affluentiâ redundans, & periodis in longum productis, miſtim & indiſcriminatim quamplurima ſecum volvens ac rapiens, digreſſionibus, excurſibus, & ambagibus vagabundum, quod ingenioſum, attentum, memorem, & patientem requirat lectorem: quem ne multiloquii tædio faſtidiat, *Punicis* quibuſdam argutiis recreare ſolet, ludens ſæpiſſime in ſimiliter progredientibus & ſimiliter cadentibus ſententiis, aliiſque non injucundis *Rhetorum* figuris, quæ longum & implicitum prolixæ lectionis iter emolliant. *Idem* & ibid.

Auguſtinus multum habet *Africitatis* in contextu dictionis, non perinde in verbis, præſertim in libris *de Civitate Dei*, quod unum ex ejus operibus legendum cenſeo *Philologo*, id enim bonâ ex parte in mediâ Philologiâ verſatur. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Quia D. *Auguſtinus* omnigena eruditione præditus erat, de omnigenis etiam rebus, & pro omnibus hominum generibus ſcripſit. *Operum* ejus plurima pro *Theologis* aut *Philoſophis* tantùm ſunt; ſed Tractatus de *Civitate Dei* pro illis etiam eſt qui Scientiam non profitentur, cumque illum inſigni cuidam *Dynaſtæ Romano* nuncupaverit, eum videtur præſertim conſcripſiſſe in gratiam Nobilium, eorumque captui attemperaſſe. Illum enim jucundum & intellectu facilem elucubrare delectatus eſt, ibique ſervato ſplendido illo igne qui in omnibus aliis ejus Operibus coruſcat, iiſque omnium admirationem conciliat, obſcuritatem vitavit quæ in quibuſdam ejus ſcriptis deprehenditur, cujuſque cauſa ab ipſo *Hieronymo* caſtigantur. Unde etiam apud Maximos totius Orbis Principes in magno pretio fuit. Is eſt liber, cujus lectionem, *Æginardo* teſte, *Carolus Magnus* in deliciis præſertim habebat. *Carolus V. Regum* noſtrorum ſapientiſſimus tanti eundem æſtimabat, ut virum cujus opera ad illius verſionem Gallicam uſus eſt remuneratus ſit dignitate *Magiſtri ſupplicium libellorum. Henricus* verò VIII. *Angliæ* Rex Commentarios quibus *Ludovicus Vives* Authoris illius difficultates explanaverat, ut gratiſſimum munus omnium quæ ſibi offerri poſſent accepit. *Eruditorum Ephemerides* Gall. diei Lunæ 15. Martii 1666.

Quid habet *Orbis Chriſtianus* hôc Scriptore vel magis aureum, vel *auguſtius?* ut ipſa vocabula nequaquam fortuito, ſed Numinis providentiâ videantur indita viro.—Non arbitror alium eſſe *Doctorem*, in quem opulentus ille juxta ac benignus *Spiritus Sanctus* dotes ſuas omnes largiùs effuderit quàm in *Auguſtinum*, quaſi

Digitized by Google

quaſi voluerit in unâ tabulâ vividum quoddam exemplar *Epiſcopi* repræſentare ----linguam habebat in tantum ab omni petulantia puram, ut etiam cum procaciſſimis *Hæreticis*, vel ſcripto vel ſermone diſputans, mirè temperet à convitiis; ſed Scripturarum modò teſtimoniis & argumentis veritatem aſſerit, impietatem refellit, adeò ut ne laceſſitus quidem regerat maledicta. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. Epiſt. 1.

Auguſtinus accuratiſſimus in Fidei dogmatibus diſcernendis, & in diſputandis ſolertiſſimus. *Montacut.* Apparat. 1. ſect. 70.

Magnus ſanè vir fuit *Auguſtinus*, pietate & doctrinâ admirabilis *Caſaub.* Epiſt. 710. ad *Perronium* Card.

Unus *Aurelius Auguſtinus*, vir tantus, *Retractationum* libros reliquit, ſimpliciter ac bonâ fide, quem nullus eſt ad hoc tempus imitatus: videlicet manſueto vir ingenio, & modicè de ſe ipſo ſentiens. *Lud. Viv.* de Cauſ. Corrupt. Art. l. 1.

Hîc nobis toties occinuntur *Auguſtini Retractationes.* Atqui *Retractatio* nihil aliud eſt quàm *recognitio.* Neque enim eo titulo profitetur ſe caſtigationem errorum ſuorum, ſed catalogum & recenſionem operum ſuorum texere, ac ſingulorum velut argumenta, eò ſpectans, ne quid lucubrationum ipſius intercideret, aut alteri tribueretur quod ipſius eſſet, aut ipſi tribueretur quod eſſet alterius. Verùm obiter quædam ſua reprehendit, fateor, ſed levicula: veluti quòd alicubi ſit uſus vocabulo *fortunæ*, quòd lapſus ſit in nomine *Medici.* At plura defendit, interdum non ſine tergiverſatione. *Eraſm.* l. 25. Epiſt. 14.

Nec *Hebraicè* ſciebat *Auguſtinus*, & *Græcè* minus quàm mediocriter. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* de C. D. l. 15. c. 13.

Nunquam infeliciùs in Scripturis Sanctis verſatus, quàm in *Pſalmorum* enarratione----*Hieronymus* in Epiſtolis ad *Auguſtinum* taxare videtur hos *Commentarios tanquam nimis obſcuros & in nonnullis etiam à rectâ lineâ, & à ſuâ Græcorumque omnium tractatorum mente diſcrepantes.* Suſpicor *Hieronymum* deſideraſſe in his *Enarrationibus* explicationem *Pſalmorum* juxta Hebraicæ veritatis puritatem, & Græcorum Expoſitorum ſententiam: ſed, cùm *Auguſtinus* Hebraici ſermonis eſſet ignarus, & in Græcis literis non ſic eſſet inſtructus, ut Græca *Commentaria* liberâ manu poſſet evolvere; neceſſe fuit illum ſæpè ex inopiâ literalis intelligentiæ à vero, ac proprio literæ ſenſu ad extortas *Allegorias* deflectere. *Sixtus Senenſ.* in Biblioth. Sanct.

S. *Auguſtinus* ingenio admodum vaſto, polito & acuto pollebat. Ejus ratiocinia validè urgebant. Uſitata ejus Methodus eſt præclara Principia ponere, ex quibus innumeras elicit conſequentias, adeo ut omnia Doctrinæ illius capita arctiſſimam inter ſe connexionem habeant. In pleraque *Myſteria* magis ratiocinatus eſt quàm ullus Author ante illum: plures Quæſtiones priùs non motas agitat, harumque plures ſola acuminis ſui vi diremit. Longè ſæpius abivit ab eorum ſententia qui ipſum præceſſerunt, ut novam prorſus viam inſiſteret, ſive in *Scripturarum* explicatione, ſive in Theologicis opinionibus. Circa res Theologicas de eo dici poteſt quod de ſeipſo dicebat Cicero circa Philoſophiam, quod fuerit *Magnus Opinator*, id eſt quòd plurimas opiniones quæ meram habebant

Digitized by Google

habebant probabilitatem in medium protulerit. Sed id facit S. *Auguſtinus* admodum modeſtè ac prudenter, non ea mente ut alios ad arbitrium ſuum cæcorum in morem ſequendum adigeret. Contra verò cùm agitur de Eccleſiæ Doctrina, eam cum animi firmitate proponit ac tuetur, eamque oppugnantes fortiter adoritur. Multò minus eruditione quam ingenii dotibus valebat; nam neque linguas callebat, nec Veterum ſcripta multùm evolverat. Multò faciliùs & terſiùs quàm politè ac eleganter ſcribebat. Quamvis Rhetoricam docuiſſet, Oratorum tamen eloquentiam non poſſidebat, aut illam ſaltem negligebat: Imò nec ſemper in phraſibus ſuis caſtigatus eſt ſtylus ejus, vocabulaque impropria atque barbara quandoque uſurpat, argutiis ſæpiùs vocumque alluſionibus utitur: Res eaſdem frequenter repetit, eademque ratiocinia centies in ſcriptis ſuis inculcat. Eidem mentis conceptui diutiùs hæret, quem variis modis effatur, & in locos communes excùrrere ſolet. Argumenta innumera ex aliquo Principio ediſſeruit, Corpuſque Theologicum, ut ita loquar, Latinorum Patrum qui poſt ipſum vixerunt efformavit. Hi ſiquidem ex illius libris nedum hauſerunt Principia quibus uſi ſunt, ſed etiam frequenter eundem merè tranſcripſerunt. Concilia in ſuis Decretis condendis verba ejus adhibuerunt. Denique cùm Petrus Lombardus ſæculo duodecimo Theologiam univerſam in Epitomen cogere voluit, nihil fere egit quàm S. Auguſtini locos excerpere. Et quamvis S. *Thomas* cæterique Scholaſtici diverſam methodum ſecuti ſint, horum tamen plerique Principia S. *Auguſtini* amplexi ſunt, iiſque Opiniones ſuas Theologicas ſuperſtruxerunt. *Ell.* du *Pin*, Nov. Biblioth. Author. Eccleſiaſtic. Tom.3.

Origeni & Sancto Hieronymo Sanctum *Auguſtinum* à me ſubjungendum eſſe cenſui, qui eruditione prioribus æqualis quidem non fuit, ſed hunc defectum ingenii ſui viribus, judiciique ſoliditate ſupplevit. In ſuis Libris de *Doctrina Chriſtiana* plurimiſque Operum ſuorum locis optimè notavit dotes ad Scripturam ritè interpretandam neceſſarias; cumque modeſtus eſſet harum pleriſque ſe deficere ingenuè faſſus eſt, adeoque nemo mirari debet, ſi ejus in *Scripturam Commentarii* parum accurati quandoque deprehendantur: præterquam quod in eo Studii genere ſatis exercitatus nondum erat cùm in hanc materiam ſcribere ſtatuit, ut & ipſe agnovit. Subtilioris quidem & acutioris erat ingenii quàm Sanctus *Hieronymus*; Eſtque *Origene* ordinatior etiam & verbis aptior in omnibus quorum inventor eſt: ſed quia minimùm *Græcam* linguam callebat, *Hebraica* verò prorſus ignarus erat, Opus quod in *Geneſim* ſuſcepit ut *Manicheis* reſponderet, ſupra vires ejus fuiſſe videtur. Quapropter idem ad incudem revocare neceſſe habuit; imò nec erubuit ea damnare quæ præcipitanter nimis & abſque auxiliis ad *Scripturam* bene interpretandam requiſitis ſcripſerat.----Cùm ſubtilis & acuti eſſet ingenii *Scripturæ* ſalebras facilè deprehendebat, imo quaſdam ſubinde animadvertebat iis locis ubi plana videbatur: Sed in eo Studii genere ſe ipſum ſatis non exercuerat, ut aptas earum ſolutiones & Lectoribus ſuis ſatisfacientes afferret. Quibuſdam prætereà *Philoſophicis Theologiciſque* præjudiciis fœtus erat, quæ omnibus ſuis Operibus interſerit.

Digitized by Google

Quaſtionibus tamen ſuis in ſeptem priores *Bibliorum Libros*, oſtendit ſe *Gr[illegible]ces* inſcium non fuiſſe, multoque felicius optatum exitum ſe aſſecuturum, ſi *Graci Hebraique* idiomatis notitiam habuiſſet, præterquam quòd totum tempus ad meditandum in tanti momenti materiam neceſſarium ei non ſuppetebat. Unde etiam fatetur ſe Opus iſtud *Quaſtiones* inſcripſiſſe, quoniam Dubia potiùs propoſuit quàm horum ſolutiones attulerit, quamvis tamen plurima enodaverit. Ejus in *Pſalmos Commentarii* ſeu potius *Conciones* nihil præter moralem & allegoricum ſenſum continent, prætereaque innumeris digreſſionibus & ſupervacaneis ſubtilitatibus ſcatent. *Ieſ. Richard. Simon*. Hiſt. Critica V. Teſtamenti lib.3. c.9.pag.397. 398. Gall.

Auguſtinus eſt *magnus diſputator, ſed non eſt ἐξηγητικὸς, non interpretatur benè Scripturam*, eſt ineptus ſæpe. Sanctus *Auguſtinus* in Sanctum *Hieronymum* ſtomachabatur, quòd *Biblia* vertiſſet, qui optimè ipſi reſpondit, adeo ut *Auguſtinus* leniſſimum reſponſum repoſuerit. Magnus Theologus fuit Sanctus *Auguſtinus*: ſed major adhuc fuiſſet ſi *Gracam Hebraicamque* linguam intellexiſſet. Sæpe fatetur ſe neque *Gracè* neque *Hebraicè* quicquam ſcire. *Rhetorica, Dialectica Grammaticaque* Profeſſor fuerat. Veterum præſtantiſſimus eſt Sanctus *Auguſtinus*. Quàm miſellus Liber ſunt Sancti Auguſtini *Confeſſiones*! *Scaligerana* poſterior.

Auguſtinus fuit utilis ad monita danda piæ vitæ, ad *Interpretandas Scripturas* ſatis infelix, certè Græcis multis locis inferior. *Grotius* in Diſcuſſ. *Rivet*. Apologet.

Auguſtinum ſuos paſſum eſſe manes nemo jure inficiabitur. Ejuſmodi eſt quòd adverſus pueros ante baptiſmum morientes, adeo immiſericorditer pronunciat, non ſolùm viſione *Dei* privandos, quæ ſententia vulgo nunc obtinet, ſed etiam inferorum igne in æternum cruciandos, quæ fuit etiam ſententia *Gregorii Ariminenſis*, doctoris Scholaſtici non ignobilis, qui ob id *Parvulorum tormentum* dictus eſt. Statuit etiam *Auguſtinus Euchariſtiam* pueris neceſſariam Huic ſubjicienda eſt alia *Opinio* in quam evidenter propendet; *Animam eſſe ex traduce*, & de patre in filium tranſire, & ex ejus ſubſtantia non minus quàm corpus progigni, minimè verò à *Deo* immediatè creari & immitti, quæ hodiè noſtra omnium fides eſt. Nemo neſcit ipſum paſſim *Angelis* naturam corpoream tribuere: temere item affirmare univerſum orbem momento creatum, & ſex dierum intervalla, in creatione ad varios gradus cognitionis *Angelica* referre. Cenſuit item cum veterum pleriſque, Tempus quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, *Animas* abditis receptaculis contineri. Sed & cum iiſdem omninò videtur ſentire ſupremo olim die, omnium etiam ſanctiſſimorum hominum corpora, poſt reſurrectionem, igne luſtratum iri. Illud ſanè mirificum eſt quod vir, alioqui cautus & à temeritate alienus, diſertiſſimè affirmat, LXX. *Interpretes* Prophetas fuiſſe, & à Spiritu Sancto immediatè afflatos in *Scripturis* vertendis; ita ut quæcunque apud hos aliter ſunt quàm in *Hebrais* fontibus, ea non ab *Interpretum* errore, ſed à *Dei* ipſius numine ac voluntate eſſe velit, in quam ille opinionem eo inductus

ctus eſt, quòd vulgari, & ab *Hieronymo* acriter caſtigatæ & irriſæ, de Septuaginta diverſis iſtorum *Interpretum* cellulis fabulæ, nimiùm credulus fuit. *Dallæus* de vero uſu PP. p.280. &c.

Auguſtinus deſcripſit quædam ſuppreſſo nomine ex libro *Mercurii*. *Conring.* Hermet. Medic.c.5.

Extant ejus Opera decem Tom. *Baſ.*1529.1569. *Antv.* 1574. *Par.*1586. Fol. Supplement. 2. Tom. *Par.* 1654. Fol. Paratur à Benedictinis Pariſienſ. accuratiſſima Editio, cujus aliquot jam Tomi prodierunt.

Vide Opera ejus *Genuina, Dubia, Spuria*, & *Deperdita* apud *Gul. Cave* in Hiſt. literar.ſcript.Eccleſ.

SEXTUS AURELIUS VICTOR.

QUI beneficio Cl.Viri, *Andreæ Schotti*, prodiit in lucem, ætate vixit *Conſtantii* & *Juliani* Imperatorum. De hoc Auctore ſic *Ammianus Marcellinus* l.21. Imperator (*Conſtantius*) revertitur *Naſſum*, copioſum oppidum: quò inde expeditè cuncta diſponeret ſuis utilitatibus profutura: ubi *Victorem* apud Sirmium viſum, Scriptorem Hiſtoricum, exinde venire præceptum, Pannoniæ ſecundæ Conſularem præfecit, & honoravit æneâ ſtatuâ, virum ſobrietatis gratiâ mutilandum, multò poſt urbi præfectum. Clar. An. D. CCCXCVI.

Extant hujus *Victoris* libri duo. Prior eſt de Viris Illuſtribus à *Procâ* uſque ad *Iulium Cæſarem*, qui vel *Cornelio Nepoti*, vel *Plinio Novocomenſi*, vel *Suetonio* etiam falſo tribui ſolet. Alter continet vitas *Cæſarum* uſque ad *Juliani* tertium Conſulatum. His libellis præmittitur *Origo Gentis Romanæ*. Sed cur Commentatiuncula iſthæc minùs credatur ejuſdem eſſe *Victoris*, veriſimile facit titulus ejus: quando iſthic legas, ex fontibus illis petitum eſſe, ex quibus ſua hauſere juniores ipſi, *Livius*, & *Victor Afer*. Quis enim ſit *Victor* ille *Afer*, ſi non eſt hiſtoricus ille *Ammiano* memoratus, ac cujus duo ſunt libelli, quos dicebamus? Nec obſtat *Afri* cognomen. Nam *Aurelium Victorem* natione fuiſſe *Afrum*, à vero non abhorret, quandoquidem multus eſt in ea laudandâ, ac alicubi appellat *terrarum Decus*: Quamobrem ita colligimus, libellum de *Origine Gentis Romanæ* congeſtum eſſe ab aliquo, qui fuerit poſt *Aurelium Victorem*. Atque idem ſcripſit *de Origine Gentis Patavinæ*: ut ipſe initio libelli *de Origine Gentis Romanæ* teſtatur. *Victorem* fuiſſe hominem *Gentilem*, vel inde conſtat; quòd in *Hadriani* vitâ eò inclinat, ut *Antinoi* Sacrificium res fuerit pia religioſaque. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. l.2.c.8.

Hiſtoriæ Romanæ breviarium ex omni Hiſtoria priſcorum digeſſit, & de Viris Illuſtribus urbis Romæ libellum illuſtrem compoſuit. Scriptor præclari judicii, qui charactere cuique verè Principi affingendo, paucos omninò pares habuit. Summæ autoritatis Hiſtoricus; Afrum in eo acumen, & denſitas ſententiarum nodoſa, & ſummo affectatoque ſtudio difficilis. *Barth.* lib.54. Adverſ. cap.13.

Digitized by Google

Ingenium & dictio *Victoris Aurelii* videtur ſpeciem quandam referre *Corn. Taciti*, cui tamen nihilo propior eſt, quàm ſtannum argento. Laudandus tamen conatus, & habenda gratia *Victoris* induſtriæ, quæ cùm multa undique delibaverit, cavi nobis, ne plurimarum rerum ignari eſſemus quarum memoria cum vetuſtioribus libris unde erant excerpta, penitus interiiſſet. *Balth. Bonifac.* de Rom. Hiſt. ſcript.

Is ut elegantiâ *Romanâ* haud mirabilis eſt, ita propter magnitudinem materiæ valdè nobis utilis, licet non ſemel erret, & pleraque dicendo omittat. *Car. Sigon.* de Hiſtor. Roman.

Durum hoc mihi ipſi videretur niſi *Victorem* cogitarem, & reliquam ejus adfectatæ novitatis Phraſim. *Lipſ.* l. de Amphitheatro, c. 6.

In his (viz. *Ælio Spartiano, Julio Capitolino, Ælio Lampridio, Vulcatio Gallicano, Trebellio Pollione, Flavio Vopiſco, Aurelio Victore*) vix eſt quod probes præter Hiſtoriæ fidem; tantum abeſt, ut eos *Ciceroniani* cognominis honore digner. Nam ægrè tuentur *Sermonis Latini* caſtimoniam. *Eraſm.* in *Ciceroniano.*

Aurelius Victor, Auctor neque indiſertus, nec inargutus: quem *virum ſobrietatis gratiâ multilaudum*, dicit *Ammianus Marcellinus*: & *Caſaubonus* Opuſculum ejus, *de Vitis Auguſtorum*, elegantiſſimum appellat. *Whear.* Method. Leg. Hiſt. Civ. ſect. 22.

Aurelius Victor, ſummæ auctoritatis *Hiſtoricus*, qui *Scripta* ſua ex *Suetonio, Eutropio*, & aliis antiquioribus contexuit. *Joan.* Card. *Bona.*

Sextus Aurelius Victor, vir *Conſularis*, breviter ab *Auguſto* ad *Theodoſii* ſenioris mortem ſub quo vixit, *Imperatorum* vitas mandavit memoriæ: Nonnulla alia præterita perſecutus eſt. Corrigendus eſt autem dum tempore *Conventus Mediolanenſis* ambos *Conſtantini* filios creatos fuiſſe *Cæſares* tradit, cùm aliter conſtet ex *Euſebio* l. 4. c. 40. Vitæ *Conſtantini.* Cæterùm longè à *Victore* diſcrepat *Zoſimus*, & ipſe errore lapſus, dum *Licinianum Licinii* filium à Patre creatum *Cæſarem* dicit non cum viginti menſium eſſet infans, ſed annos viginti natum. *Ant. Poſſev.* Biblioth. Select.

S. Aurelii Victoris Hiſtoria Romana compendium Interpretatione & Notis illuſtravit *Anna Tanaquilli Fabri filia* juſſu *Chriſtianiſſmi* Reges in uſum Sereniſſimi *Delphini* in 4°. A *Paris* chez *Denis Thierry* 1681.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

Clar. An. D. CCCXCVIII.

PRopter admirabilem in dicendo eloquentiam dictus à *Græcis* χρυσόστομος καὶ χρυσοῤῥήμων, *Antiochia* anno 355. aut præcedenti natus cùm aliquot annos in foro verſatus fuiſſet, ad ſeverioris vitæ genus, ac *Chriſtianam* pietatem ſedulò converſus, adverſus *Gentiles* & *Iudæos* anno 382. ſcripſit, tum anno 386. à *Meletio* Patriarcha *Antiocheno* Presbyter ordinatus, cum *Marcionitis* non ſemel diſputavit. Anno *Chriſti* 398. *Arcadii* Imp. ab obitu patris quarto, poſt *Nectarium* ad

Digitized by Google

ad *Thronum Conſtantinopol.* Regiæ urbis evectus, ex eo dejectus eſt anno 403. conſpiratione *Eudoxiæ Auguſtæ, Theophili Alexandrini*, & aliorum Epiſcoporum, & in exilium ejectus, unde paulò poſt revocatus anno ſeq. iterum deportatus eſt *Cucuſum Armeniæ* oppidum, & *Arabiſſum*, ac in villam, quæ *Comana* dicitur, in Regione *Pontica*, in quâ, cùm rediret, obiit die 14. *Septembris*, anno 407. ætatis 53. ſedis 9. cum menſibus 6. & die 20. *Phil. Labbe.*

Si *Plutarcho* fides ſit habenda, qui perſpicuitatem ac facilitatem germanum *Atticiſmum* eſſe cenſet, præclarus ac celebris *Joannes* omnes ſuperat, ut qui & *Atticum* ſe verbis præbuerit, & perſpicuitatem, qualem, haud ſcio an alius quiſquam adhibuerit. *Iſidor. Peluſiota* l.2.epiſt.42.

Linguam etiam habuit; quæ ſuo fluxu *Nili Catarrhactas* ſuperabat. Nullus profectò mortalium ab omni ævo, tantâ dicendi copiâ abundavit, quanta ſolus ille ditatus erat, & ſolus abſque fuco, illud aureum & divinum (*Chryſoſtomi*) nomen hæreditario quaſi jure conſecutus eſt. *Suidas* in verb. *Ιωάννης*.

Dictio illius de more perſpicua & pura, ſplendida inſuper, ac fluens apparet, multam interim cùm ſenſuum varietatem, tum gratiſſimorum exemplorum copiam exhibens.-----Quæcunque auditorum captui accommodata eſſent: atque ad eorum ſalutem & utilitatem pertinerent, ea neutiquam ille prætermittebat. Quamobrem neque admirari ſanctiſſimum virum ſatis unquam poſſum, quòd perpetuò in omnibus ſuis ſcriptis auditorum ita utilitatem, tanquam ſcopum præfixiſſe ſibi videatur, ut cætera vel omninò neglexerit, vel leviſſimè attigerit. Sed & illud penitus præ auditorum utilitate contempſit, quod alicui vel ſenſus aliquos ignoraſſe, vel ad profundiora quædam penetrare refugiſſe, vel id genus alia prætcriiſſe videri poſſet. *Phot.* Biblioth. cod.172.

Quantum verò ad verborum rationem, & genus Dictionis attinet, omnes ei tribuunt nativam, nudam ac venuſtam *Attici* Sermonis puritatem, admirabili docendi facilitate conjunctam, qualis nulli unquam, vel *Græcorum* eloquentiſſimo, contigit. Nuſquam delectandi gratiâ utitur vel ſententiarum argutiis, ut *Ambroſius*; vel Poetarum illecebris, & mimorum ſalibus, ut *Hieronymus*; vel facetiis & jocis, quemadmodum *Tertullianus*: Sed affectu potius paternæ Charitatis, & pio quodam juvandi ſtudio mirificè delectat *Auditores*; quos ut majori cum attentione detineat, orationis curſum frequentibus dialogiſmis, percontatiunculis, & exercitatiunculis interrumpere ſolet. *Sixtus Senenſ.* l.4.Biblioth.Sanctæ.

Omnium ferè diſciplinarum cùm *Chryſoſtomus* fuerit exactè doctus, nullam tamen uſquam præbet oſtentationis ſpeciem, ſed omnes humanas Diſciplinas cogit ſervire *Chriſtianæ* pietati, ſic admiſcens quaſi vinum generoſum aquâ modicâ diluas. Nuſquam enim eſt aquæ vel color, vel ſapor, ſed tamen ſentis vinum eſſe ſuavius. Cumque tantus eſſet, tum eruditione, tum eloquentiâ; tamen incredibili quodam juvandi ſtudio, quicquid ferè ſcripſit, accommodavit auribus populi, eoque ad hujus captum demiſit orationis habitum, quaſi Præceptor

cum puero diſcipulo balbutiat. Metaphoris & collationibus, quoniam plurimùm conducunt, & ad lucem, & ad jucunditatem orationis, frequenter utitur; in quibus inveniendis quidem mirus eſt, ſed multò mirabilior in tractandis. *Eraſm*.l.28.Epiſt.4.

Mihi inter omnes *Græcos* placet *Chryſoſtomus* lectus: qui copiam, varietatem, figuras & flexus Sermonis dabit;denique & ornamentum grande,& quod plauſus movet, ſimilitudines atque Imagines, quibus ſcatet. *Lipſ*. in Cent.3. Epiſt. ad *Belgas*, Epiſt.49.

Paſchalium feriarum, ſive religio, ſive otium, facilè ſuaſit, ut véterum *Græcæ Eccleſiæ* Doctorum eloquentiſſimum, *Chryſoſtomum*, in manus ſumerem. Ejus enim facundia, eruditio & facilitas, in causâ ſunt ut eum aliis omnibus libenter præferam. Cl. *Sarrav*. ad Cl. *Salm*. *ſ*. Lut. Pariſ. 9. April.1644.

Ego ſtudioſiſſimus illius Patris ſum, tum quia nullus melior Novi Teſtamenti *Interpres*, tum & propter miram dulcedinem, & amœnitatem dictionis, quam poſt illum nullus Eccleſiaſticus Scriptor conſequi potuit. *Joſeph. Scalig*. epiſt.389.

Verè dicam: Ego multum faveo *Chryſoſtomo*, propter illud flumen eloquentiæ, quod nunquam lutulentum fluit, ſed ſemper ſibi ſimile eſt.Hoc tamen non poſſum diſſimulare, quod in eo Scriptore deprehendi, quum ab iis diſceſſit, quæ ad ſacram paginam pertinent, nihil puerilius, ne dicam inſcitius eſſe illo. *Ioſeph.Scalig*.epiſt.84.

Chryſoſtomus Patrum Græcorum præſtantiſſimus. Si omnes S. *Chryſoſtomi* lucubrationes typis mandentur, 100. florenis profectò valebit. Benè ſcripſit, ſed quando à Theologia ſua, ſuoque textu digreditur, nihil niſi viliſſimum præſtat. Impuritatem ſuperbiæ junxit. An decebat illum patrare quæ patravit. Exilio multatus eſt, idque jure merito. Infinita pulchra habet & optima in Novum Teſtamentum. *Scaligerana* poſterior.

Chryſoſtomum & *Hieronymum* legere volui, ideò quod eos videbam in textu Sacræ Scripturæ exponendo feliciores cæteris haberi. *Grot*. vol. 4. Impreſſ. Lond. apud *Moſem Pitt*. fol. p.653.

Poſt Sacra *Biblia* & *Paulinas* in primis *Epiſtolas*,nullum novi ſcriptum in quo qui concionatores ſunt & *Græcè* non neſciunt, majore cum fructu verſentur, quàm in *B. Chryſoſtomi* Homiliis, quas ita numeroſas reliquit, ut nemo plures; ita bonas, ut nemo meliores; ita diſertas & dilucidas, ut nihil excogitari quidem poſſit diſertum aut dilucidum magis.*Ioan. Boiſius* præfat.ad Notas in Tom. 3. *Chryſoſtomi*.

Iohanne Chryſoſtomo, nemo *Græcorum Patrum* plura edidit, nemo meliora ſive orationis ornatum ſpectes, ſive gravitatem ſententiarum. *Suidas* in omnes *Veteris* & *Novi Teſtamenti* libros commentaria refert edidiſſe, complurimos prætereà compoſuiſſe Tractatus, *ad multa verſuum millia,quorum numerum inire non hominis eſſe, ſed Dei,cui nota ſint omnia*. *Georgius Alexandrinus* quatuor millia & octingentos ipſius *Sermones*, cùm omnes non poſſent, à piis quibuſdam viris poſt mortem ejus coacervatos ſcribit. Porrò in interpretandis *Scripturis* ita felici

Digitized by Google

felici, adeoque Divino fuiſſe Ingenio conſtat, ut quamvis cæteri *Eccleſiæ Patres* communibus ſuffragiis locum aliquem *Scripturæ* ſecùs quàm ipſi viſum eſſet, interpretarentur, contra omnes unius præponderaret ſententia. Quam conſuetudinem in *Orientali Eccleſia*, & ſemper antea, & ſuo tempore obtinuiſſe ſcribit *Author incertus vitæ Chryſoſtomi* c.37. Quin & in *Occidentali* magni fuiſſe ponderis ejus *Interpretationes*, teſtes ſunt locupletes *Hieronymus* & *Auguſtinus*; ipſiſque adeo *Britannicis Inſulis* ſolùm ex omnibus Antiquis *Interpretibus* lectitatum, in ſummaque habitum admiratione multis ante ſuam ætatem ſeculis refert *Georgius*. Nec minor in *Dogmatibus* ſtabiliendis ejuſdem Auctoritas. *Henr. Savil.* in præfat. *Ioan. Chryſoſt.* oper. præfix.

Chryſoſtomus licet pulchrè ſuo cognomini reſpondens, alicubi tamen verbis redundat, & in digreſſionibus videtur immodicus. *Eraſm.* l.28.Ep.7.

Iohannes Chryſoſtomus abſque controverſia doctiſſimus ac facundiſſimus ſcriptor. Ei tamen multa excidiſſe, vel falsò, vel certè incautiùs dicta, & veniam poſcentia quis neget? Quale eſt quod ſomniat *Davidem* eos Pſalmos qui quinquageſimum proximè conſequuntur, humanâ ſimpliciter intelligentiâ ſcripſiſſe, Spiritu Sancto vacuum. Idem peccatum originale videtur neſciviſſe; nam & peccatum nobis naturâ ineſſe negat, & parvulos peccato carere ait, & illud *Pauli* ad *Romanos* 5.19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, admodum dilutè interpretatur, ac ſi Apoſtolus vellet homines *Adæ* ſcelere, non peccato quidem ipſi, ſed morti fuiſſe ſubjectos. Eum quoque clarum eſt juſtorum animas cœlo ante ſupremam reſurrectionis diem excludere, & preces pro ipſis damnatis approbaſſe, ac velut utiles commendaſſe; quod videntur quoque ſentire *Auguſtinus, Damaſcenus,* & alii. *Dallaus* de uſu PP. pag. 273. 274.

Extant Opera *Chryſoſtomi* Græcè 8. vol. *Eton.* 1613. [quæ nitida planè eſt & accurata editio] Græc. Lat. 11. vol. *Par.* 1609. & 1636. fol. *Oratio in Diodorum Tarſenſ.* cum Palladio Gr. Lat. *Par.* 1680. 4. *Homil.* 6. ap. Combef. 1656. *Homiliæ* 4. in *Pſalm.* & *interpretatio in Daniel.* Gr. Lat. *Par.* 1661. 4. Deſideratur inter hujus Patris inedita, celeberrima ad *Cæſarium* Monachum adv. Apollinarii Hæreſim Epiſtola, Antiquam hujus Epiſtolæ verſionem [græca enim ſupereſſe haud ſperandum eſt] ex codice Florentino à ſe deſcriptam *Palladii* Dialogo de vita *Chryſoſtomi* nuper ſubnexuerat *Emericus Bigotius*. Verùm impreſſione ad umbilicum perductâ, Epiſtolam à reliquis divulſam ſupprimendam curarunt Cenſores aliquot *Sorbonici*. De quo meritò conqueſtus eſt ex Reformatorum gente *Pariſienſis* Theologus. Donec prodeat integra, liceat mihi hoc loco ad fragmenta quæ extant, digitum intendere. Primum habetur ap. *Petrum Martyrem* [qui Epiſtolam hanc ex eodem Codice Florentino deſcripſerat, ſecumque in *Angliam* retulerat] in defenſ. Euchariſtiæ adv. *Gardinerum* VVintonienſ. Part. 1. pag. 390. Et iterum p. 502. edit. ut videtur. *Tigur.* 1559. fol. Et loc. commun. Claſſ. 4. cap. 10. pag. 603. nobile, ſi quid aliud, adv. Tranſubſtantiationis dogma teſtimonium. Aliud habet *Damaſcenus* libro contra *Acephalos* ap. *Caniſ.* Antiq. Lect. Tom. 4. Part. 1. pag. 211. Tertium Anonymus contra

Digitized by Google

contra *Severianos* ibid.p.238. *Cave* Chartophyl.Eccleſiaſt.

Vide ibid. Fragmentum Græc. prædict. Epiſtolæ ex Biblioth. *Arundel.* antiq. MSS. deſumptum.

S. *Chryſoſtomi* Epiſtolæ ad *Cæſarium* apographum habuit ex Bibliothecâ Florentinâ *Laurentius Panciatichi*, Cardinalis Medicæi Bibliothecarius, cujus copiam ab eo impetrare non potuit *Chriſt.Sandius*, ut ipſe teſtatur in Appendice Hiſtoriæ *Arianorum*; cumque eum interrogaret quid Epiſtola contineret, reſpondit Panciatichi ſe non audere id propalare. *Chryſoſtomi* Homiliis in totum Pſalterium (quarum partem tantùm habemus) uſus eſt *Wilhelmus Lindanus*, ex Cardinalis *Granvellani* Bibliotheca. Has in Latinum Sermonem vertit *Martinus Duncanus*, eodem Lindano teſte, Præfatione in Pſalterium vetus ab eo caſtigatum. Verùm tralatio iſta nunquam prodiit. Veteris Teſtamenti Synopſis, auctore *Chryſoſtomo* MS. occurrit apud Cl. *Iſ. Voſſium*. His adde *Jeremiæ* explanationem, quæ Græcè integra extat in catena *Chisleriana* in hunc Prophetam, *Paul.Colomeſ.*Paralipom.ad Chartophyl.Eccleſ.*Gul.Cave.*

SULPICIUS SEVERUS,

Vel potiùs,

SEVERUS SULPICIUS.

Clar. A. D. CCCC.

AQuitanus, *Primuliacenſis* in *Galliâ* Presbyter, terſiſſimi Sermonis Scriptor, claruit & ſcripſit anno 400. obiit circa annum 422. *Gul.Cave.*

Scripſit duos libros de *Sacrâ Hiſtoria*---Vitam *B. Martini*---Tres Epiſtolas ---Tres Dialogos. In quibus ſequitur errorem *Millenariorum.*

Severus Presbyter, vir genere, & literis nobilis. *Gennad.*in catal.

Severus, vir doctrinâ & ſapientiâ pollens. *Auguſtin.*epiſt.205.

Dictione utitur terſâ, & eleganti, adeo ut *Eccleſiaſticorum* puriſſimus *Scriptor* *à Joſepho Scaligero* vocetur. *Voſſ.*de Hiſt.Lat.

Elegantiâ *Romani Sermonis* vix quiſquam *Chriſtianus Auctor* extat præferendus *Severo Sulpitio*, ut eum legens videatur ſtantis *Reipublicæ Senatorem* aliquem de divinis rebus diſſerentem audire. *Barth.*l.12.adv.c.18.

Chriſtianum Salluſtium vocat *Barthius* l.49.adv.c.4.

Quo opuſculo (*ſacrâ Hiſtoriâ*) non ſanè magno, aliud an ullo unquam ſeculo *Reip.Chriſtianæ* utilius ac præſtabilius editum ſit, iis, quorum illud eſt judicium, judicandum relinquo. De *elegantia* verò præſtare auſim, & affirmare me poſſe confido, nulli idem omnium *Scriptorum Eccleſiaſticorum* quicquam concedere; alia verò omnia, quæ in eodem genere verſantur, tanto intervallo omnimodis ſuperare, ut ne ſint quidem ad hoc comparanda. Magnum eſt quod dico, & fortaſſe plurimis incredibile: Sed ejuſmodi tamen, quod non tā dicenti mihi, quàm teſtificanti pro me veritati creditum iri confidam, ſi quibus operæ pretium erit *Oroſium*, *Florum*, *Eutropium*, alioſque *Epitomarum* autores cum hoc noſtro omnibus

Digitized by Google

omnibus partibus contendere. *Victor Giſelin.* in vita *Sulpit.*

Hortor omnes qui ſe aut ſacris aut prophanis ſtudiis dediderunt Adoleſcentes, ut *Severum* hunc eo animo legant, ut plurimùm ſe non tam in prudentiæ, quàm in religionis & innocentiæ ſtudio profecturos eſſe confidant. Addo etiam *Latinæ Eloquentiæ*, quam ille tantâ induſtriâ coluit, ut *Sallustianam* dictionem nobis magnâ ex parte expreſſerit. *Car. Sigon.* comment. in l. 1. *Hiſt. Sacra.*

Dignus ſanè, qui vel eo nomine legatur, quòd ſupra ſæculi ſui captum loquitur Latinè. *Ioſ. Scalig.* in epiſt. 305.

Vir erat doctrinâ & ſapientiâ plurimùm pollens; ſcriptor valdè politus *Wehar.* in Meth. legend. Hiſt. Eccleſ. ſect. 2.

Sulpitius mollior quidem & jucundior & dilucidior & illaboratior *Hilario*, ſed Phraſis *Gallum* fuiſſe declarat. Non deeſt pietas, ſed abeſt vis & gravitas, & eſt floridum dicendi genus magis, quàm nervoſum. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, pag. 152.

In Senectute vergente, à *Pelagianis* deceptus [*Severus Sulpitius*] poſtea erroris ſui pœnitentiam egit; ac perpetuo ſilentio linguæ temeritatem expiavit. Stylus *Severo* clarus, faciliſque; & longè ſupra ſeculi ſui genium terſus & politus. *Gul. Cave.*

Hic Author (*Severus Sulpitius*) elegans eſt. Admodum caſtè politeque ſcribit. Eximiam brevitatem ſummæ perſpicuitati conjunxit, in quo *Salluſtium* quem imitatus eſt antecellit. Hiſtoriæ Breviarium ita concinnum & egregiè elaboratum nemo nobis exhibuit. Non eſt tamen valde accuratus & in Hiſtoriam pluries peccat, in Eccleſiaſticam præſertim. Quoad Miracula credulus admodum eſt, Veterumque deliramentis ſuffragatur, circa Regnum Mille annorum, circa Antichriſtum quem putat *Neronem* eſſe, circa tempus finis ſeculi, & circa filios Dei qui cum mulieribus commercium habuerunt. Admodum obiter perſtringit Hiſtoriam Eccleſiæ, à *Ieſu Chriſto* uſque ad Sæculum quartum. Pauciſſima de *Arianis* memorat; ſed de *Priſcillianiſtis* prolixè admodum diſſerit, pluraque quam cæteri Authores de iis nos docet. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Author. Eccleſ. Tom. 3. Gall.

Quòd à *Pelagianis* ſeductus in aliquo à regulâ *Orthodoxæ Fidei* exorbitaverit *Severus*, nuſquam omninò, niſi in ſolo *Gennadio* legi, qui neſcio utrum hoc alicubi & ipſe legerit, an ex ſolâ famâ, quæ facta infectaque loquitur, didicerit. Illud tamen fideliter credo, hunc ejus *errorem* gloriam ſanctitatis ejus non obſcuraſſe; cùm autor idem qui refert, deceptum teſtetur & correctum. *Guibert.* Abbas *Gemblacenſis.*

Malè verò *Carolus Sigonius, Petrus Galeſinius,* & *Victor Giſelinus Sulpitium* hunc, cum *Sulpitio,* Epiſcopo *Bituricenſi,* confundunt. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Sulpitius Severus, vir fabulis addictiſſimus. *Henr. Dodwel.* diſſert. *Cypr.* p. 299. in 8.

Severi Sulpitii libri de *Sacrâ Hiſtoriâ* & *Dialogi* de Converſatione Orientalium cautè legendi ſunt. *Bellarm.* de Scrip. Eccleſ.

* *Ioannis Druſii* Commentarius in *Sulpitii Severi* Hiſtoriam Sacram

 prohibetur,

Digitized by Google

prohibetur, donec emendetur. *Index Madrit.* anno 1667.

Georgii Hornii Commentaria in *Severum Sulpitium*, omninò prohibentur in *Indice Romæ* Impreſſo 1681.

Prodierunt Opera *Sulpitii Severi* cum Notis Variorum, accurante *Georgio Hornio.* Amſtelodami apud *Elzivirios* 1665. in 8.

De *Severi Sulpitii* laudibus & Scriptis, *Bellarminus* & *Labbæus* in Opere ſuo, De *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, *Poſſevinus* in *Apparatu Sacro* ſcripſerunt. Hujus operibus ſæpiùs impreſſis cum Notis etiam & Commentariis, addo duas inſignes *Epiſtolas* ad ſororem ſuam, quas primus evulgavit *Stephanus Baluzius* tom. 1. Miſcellaneorum ſuorum p. 329. Itemque alias quinque in *Spicilegio Lucæ Dacherii* evulgatas ex MS. Cod. tom. 5. p. 532. magnum veteris ac venerandi Scriptoris Supplementum. *Caſimir. Oudin.* in Supplem. ad Bellarm.

AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS.

Chr. A. D. CCCCV.

VIr clariſſimus, *Hiſpanus*, Miles *Palatinus*, [ſunt qui Virum Conſularem atque urbi *Romanæ* Præfectum vocitent] Poeta *Chriſtianus*, natum ſe canit Anno *Dom.* 348. Floruit *Theodoſii* Magni & Filiorum ejus temporibus. De morte *Prudentii* nihil conſtat. *Iuventutem* incontinenter actam ſibi fatetur ipſe & dolet.

Leguntur adhuc ipſius *Poëmata* multiplici ac vario genere carminum compoſita: Quibus facilè probari poteſt, eum quidem pro conditione temporum maximè præſtitiſſe inter *Chriſtianos* Poetas, non modò eruditis verborum figuris, ſed etiam ſententiarum gravitate. *Sidonius Apollinaris* haud omninò contemnendus *autor* in legendis atque obſervandis antiquis Scriptoribus, cùm loquitur de *Prudentio* Poetâ, minimè veritus eſt, illum *Horatio* adjungere. *Petro. Crinit.*

Fuit homo multæ quidem eruditionis ac variæ, verùm in *Eloquentiâ* ac linguæ caſtitate vel parùm valuit, vel potiùs neglexit, deſiderio videlicet pietatis ac *fidei:* Quod ipſe innuit cum alibi, tum in *Hymno* octodecim *Martyrum Cæſaraugustanorum. Lil. Gyrald.*

Hiſtoriam Chriſtianam juvit iis, quæ, inter alia, de variorum *Martyrum* paſſionibus ſcripſit: *Carmine* quidem, ſed ex quo tamen petere rei geſtæ veritatem ſoleant, qui hanc materiem *proſâ* proſequuntur. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Aurelius Prudentius, Poeta *Chriſtianus*, ſcripſit egregia carmina. *Bellarm.* de Scriptor. Eccleſ.

Prudentius Pindarus Chriſtianus dulciſſimus, & prudentiſſimus *Chriſti vates. Ioann. Bona.* Card.

Senex vario metrorum genere *res Eccleſiaſticas* ingenioſè & eleganter tractavit. *Illyricus* Catal. *Teſtium Veritat.*

Prudentius ſeptimum & quinquageſimum annum agens, *res Eccleſiaſticas* vario carminum genere cœpit componere, doctè & eleganter, niſi quòd interdum in *vocibus peregrinis* & maximè *Græcis*, ſyllabarum quantitatem neglexit, quum tamen *Græcas* illum *Literas* probè tenuiſſe teſtentur librorum ipſius *Inſcriptiones Græcæ. Car. Stephan.* in Dictionar. &c.

Prudentius

Digitized by Google

Prudentius ſanè tolerabilis eſt Poeta, ſed aliàs ætatis conſuetudine abripitur, aliàs priſcorum verborum uſui, & *Lucretii* imitationi nimium indulget. *Caſp. Scipp.* in conſultat. p. 43.

In *Prudentii* carmine ſunt etiam quæ deſideres. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. p. 520.

Quô nemo diviniùs de *Chriſtianis* rebus unquam ſcripſit, *Barth.* adv. l. 8. c. 11. Eſt enim in eo poetâ recondita eruditio rarus in verbis lepor, in phraſi latinitas non impura, niſi quâ imitatione ſacræ loquelæ, fregit volens regulam, & quâ à barbarie Monachorum exſcribentium ſecus quàm voluit, non raro ſcribere coactus eſt. *Barth.* l. 21. c. 4. Adv.

Elegantium rerum theſaurus eſt *Prudentius*, quem non debemus inſtar Poetæ vulgaris præterire. *Idem* ibid. l. 27. c. 5.

Prudentius bonus Poeta. *Scaligerana* 1.

Prudentius elegantiſſimus Poëta. *Scaligerana* 51.

Aurelius Prudentius Clemens, *Theodoſio* Magno Imperatore clarus, ſupra genium ſeculi ſui facundiâ & piâ eruditione aſſurrexit. Sunt inter manus opera ejus metrica *pſychomachia*, *cathemerinos*, *apotheoſis*, *hamartigenia*, item de *Coronis Martyrum*, & libelli duo adverſus *Symmachum* cum hymnis aliquot. Verſus ejus, ſi quantitatum vitia tollas, ferè ſinè ſalebris, ſonori, decori. *Borrich.* de Poëtis p. 72.

Prudentius non eſt valde bonus Poeta. Barbaris ſæpe utitur vocibus, & ab *Auguſtam* ſeculi puritate longè remotis. Ejus ſententiæ ſunt ſic ſatis concinnæ & vero Chriſtiano dignæ. Quidam ejus loci eleganter. ſcripti ſunt, quique cum jucunditate leguntur. *Elles* du *Pin.* Nova Biblioth. Author Eccleſ. Tom. 3.

Prudentius omnium Chriſtianorum Poetarum prudentiſſimus & eruditiſſimus. *Taubmann.*

Tantum ſpirans tum ſanctimoniæ, tum ſacræ eruditionis, ut mereatur inter graviſſimos Eccleſiæ Doctores annumerari. *Deſider. Eraſm.*

Unus omnium inter Poetas Chriſtianos Lectores ſuos paſcere ſufficit lautiſſimè, ſive pretioſiſſimas panis cœleſtis, hoc eſt, verbi divini epulas eſurias, ſive efficacis eloquentiæ condimenta requiras. *Petrus Moſellanus* in Epiſt. ad *Matth. Meiner.*

In *Aurelii Prudentii* Poematis viget & ſpirat ardor Pietatis, & eruditio, & gravitas *Chriſtiana* & flexanima divinitùs efflati pectoris Eloquentia, ad ciendos in animis legentium affectus pios efficaciſſima. *David. Chytræus* in Regulis ſtudiorum, p. 194.

Tamen in *Prudentio* verborum non tam acer delectus. *Lipſ.* in l. 2. Saturnal. Sermon. c. 20.

Prodierunt opera ejus ſive Poemata cum Notis Criticis *Nicolai Heinſii* in 12. *Amſtelodami* 1670. apud *Elzev.*

Libri 2. adverſus *Symmachum* cum Scholiis *Iſaaci Grangæi* Gymnaſiarchæ *Vindocinenſis*, ad ill. D. *Cæſarem* de *Vendoſme*, Vindocinenſem Ducem. *Par.* apud *Robertum Fouet.* 1614. 8.

Digitized by Google

SYNESIUS.

Clar. A. D. CCCCX.

GEnere *Pentapolitanus*, ex Philoſopho *Platonico*, *Ptolemaidis* in *Thebaide* Epiſc. vivebat annum circ. 412. *Gul. Cave.*

Opera Syneſii edidit *Dionyſius Petavius.* Ann. 1612. & 1631. cum Notis, Inter quæ liber de *Regno* : De *Providentiâ* libri duo : *Epiſtolæ* 155. *Dio*, vel, de vitæ ipſius inſtituto : *Calvitii* encomium : *Cataſtaſis* in Barbarorum excurſionem : *Cataſtaſis* in laudem *Anyſii* : De dono *Aſtrolabii Homilia* : *Hymni* : *De Inſomniis.*

Hic igitur *Syneſius*, tum reliquis diſciplinis excultus fuit, tum in Philoſophiâ adeò excelluit, ut admirationi eſſet etiam *Chriſtianis*, his ſcilicet qui neque odio, neque gratiâ adducti, de rebus judicare ſolent. Perſuadent igitur illi, ut ſalutaris regenerationis lavacrum perciperet, & *Sacerdotii* jugum ſubiret, tametſi *Reſurrectionis* doctrinam nondum ſuſcepiſſet, neque ita ſentire vellet: rectè omninò conjicientes, ad reliquas ejus viri virtutes iſta eſſe acceſſura, cùm *Divina Gratia* nihil imperfectum habere ſuſtineat. Nec ſpes eos fefellit. Qualis enim & quantus extiterit, abunde teſtantur, tum *Epiſtolæ* poſt ſuſceptam Sacerdotii dignitatem eleganter & doctè ab eo conſcriptæ; tum *Oratio* quam dixit eidem *Imperatori Theodoſii*; tum quicumque ejus libri admodum utiles circumferuntur, *Evagr.* l. 1. Eccleſ. Hiſt. c. 15. *Henr. Valeſ.* Interprete.

Lectæ ſunt *Epiſcopi Cyrenes*, cui *Syneſio* nomen, de *Providentiâ*, & de *Regno*, aliiſque nonnullis *Orationes*. Stylus illi ſublimis quidem & grandis, ſed qui ad popularem ſimul dictionem aliquantum inclinet. Lectæ ſunt & ejuſdem *Epiſtolæ variæ*, venuſtate ac dulcedine fluentes, cum ſententiarum robore ac denſitate. *Phot.* in Biblioth. Cod. 26.

Syneſii ſtylus, *Photii* quidem judicio, grandis & ſublimis eſt, ſed Poeſin aliquatenus redolet. In narrationibus præſertim & in deſcriptionibus excellit. Prolixis præfationibus crebriſque digreſſionibus variat argumenta quæ pertractat. Delectabilia reddit eadem, præclaris Hiſtoriæ fabulæque locis, inſignioribuſque Profanorum Poetarum dictis. Nihil aſperi nec tædioſi habet ejus Philoſophia; ea eſt ejus induſtria ut hanc gratam & jucundam reddat; ad ſolam delectationem attendere videtur, cùm præcipua ſapientiæ capita tradit. Ad ſummarum veritatum notitiam lectorem ſenſim deducit, dum feſtivas tantum narrationes ſe legere putat. In prima ejus Epiſtola duorum generum Opera illum ſcripſiſſe obſervat; alia eſſe circa ſublimiſſimam Philoſophiam; alia verò Rhetoricas diſſertationes eſſe: Sed facile cognoſci poſſe utraque ejuſdem ingenii fœtus eſſe, modò res ſerias, modò facetias meditantis. Et ſanè idem character ubique conſpicitur. Opera ejus Philoſophica Rhetoricis & Poeticis figuris ſunt exornata; Eloquentiæ verò diatribæ ſententiis Philoſophicis roborantur. In Platonicis Scriptis verſatiſſimus erat, & ex illo fonte hauſerat quicquid maximi & celſiſſimi habet antiqua Philoſophia circa ſummi Entis & Moralium Principiorum cognitionem. Pauca de Religione noſtra ſcripſit, & multùm abeſt quin

in

in ea æquè doctus eſſet ac in Platonis Philoſophia. Liquet tamen ex ejus Epiſtolis eum fuiſſe ſapientiſſimum, prudentiſſimum & optimum Epiſcopum. Negotia quantùm poterat detrectabat; quando tamen illis implicabatur dexterrimè ſeſe hinc expediebat, eaque cautiſſimè gerebat. Magna ſinceritate cordiſque rectitudine utebatur, nec tamen conſtantia & lenitate, datâ occaſione deficiebat. Humilitatis ſeu modeſtiæ ejus præclaram ideam mentibus noſtris ingenerant conatus illi quibus Epiſcopatum recuſavit, & modus ille quo de ſe ipſo loquitur Ad quotum uſque annum vixerit ignoratur. *Ell.* du *Pin.* Nova Biblioth. Author. Eccleſ. Tom. 3.

Syneſius vir admirandæ ſanctitatis & doctrinæ, eloquentiæ tamen ſtudiis clarior, quam rerum *Eccleſiaſticarum* notitiâ. *Quenſtedt.*

Syneſius Philoſophorum omnium, uno *Platone* excepto, eloquentiſſimus---- Neque enim mihi animus eſt, eloquentiſſimi juxta ac ſapientiſſimi Philoſophi [*Syneſii*] laudes pertexere, aut orationis accuratiſſimæ virtutes perſequi, aut reconditam *philoſophandi* rationem in lucem protrahere. *Luc. Holſten.* diſſertat. de *Syneſ.* & de Fugâ Epiſcopatûs.

Phraſis ejus tanquam *Attica* laudatur. *Geſner.*

Dictione utitur gravi, & quæ exercitatum & attentum lectorem requirit. *Neand.* Geograph.

Syneſius elaboratus, & tranſlationibus Paulò obſcurioribus frequens. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. p. 540.

Ioannes Maria Braſichellanus in *Romano Indice* obſervat, *Syneſium*, qui diutiùs antè Philoſophus *Ethnicus* vixit, *Platonica* quædam ſeu *Pythagorica* nonnunquam ſuis *Hymnis* inſeruiſſe, præſertim, cùm de *Trinitate* loquitur, vix *Poëticis* numeris potuiſſe retinere exactam illam loquendi rationem, quam Theologia in Myſterio ſacræ *Triadis* ſervandam præſcribit.

Reperiuntur in *Scriptis* ejus quædam *Ethnicæ* opiniones, quales ſunt *Opinio* de *Venere*, quòd ejus indignatione mulieres *Libycæ* grandes habeant mammillas, pectoraque inconvenienter compoſita, ita ut infantes non per alas, ſed per humeros lac ſugant, mammâ in humeros rejectâ, Epiſt. 4. *Opinio* de *Fortuna* & *Famâ*, quòd *Deæ* ſint, Epiſt. 43. 44.

Vide plura *Ioſ. Arndii* Lexic. Antiquit. Eccleſiaſt.

Syneſius pius, & doctus, argutus interdum, ſtylo amœno, æquè proſâ verſuque bonus. *Balth. Bonifac.* Ludic. Hiſt. p. 603.

Vir pietate & eruditione inter primos ſui ævi. *Hofman.*

Vir fuit admirandæ ſanctitatis & doctrinæ. Scripſit plurimas & elegantiſſimas Epiſtolas. *Bellarm.* de Scriptor. Eccleſ.

Syneſii Epiſtolas admirandas vocat *Gregorius Gyraldus.*

Egregia in Syneſii Epiſtolis occurrunt. Scaligerana 2.

Syneſius, patriam nactus *Cyrenen*, *Pentapoleos* in *Libyâ Ægypto* proximâ nominatiſſimam urbem, ab ineunte ætate, ut ex epiſtolâ 57. adverſus *Andronicum* diſcimus, Philoſophiæ operam dedit, *Alexandriæ Magiſtrâ* imprimis uſus *Hypatiâ*, *Theonis* præſtantiſſimi Mathematici filiâ, quæ ut ex *Socrate* conſtat, anno

Digitized by Google

demum 415. à populo primùm teſtis obruta eſt, tum membratim diſcerpta, fuitque inter ſophiſtas ſui temporis nominatiſſimus, uxorem duxit, quatuorque ex eâ filios ſuſcepit, Legatione pro patriâ ſuâ per triennium functus eſt *Conſtantinopol.* apud *Arcadium* Imperator. circa annum 400. ad quem habuit orationem de Regno: dein anno 410. Epiſcopatum *Cyrenes* ſeu *Ptolemaidis* patriæ ſuæ invitus capeſſere coactus eſt, ordinatus à *Theophilo Alexandrino* Patriarchâ ſub *Theodoſio* juniore *Arcadii* filio. Quamdiu in ſacrâ illâ miniſtratione vixerit, quove anno obierit, à nemine proditum eſt *Phil. Labbe* de Scriptoribus Eccleſ.

ISIDORUS PELUSIOTES.

Chr. A. D. CCCCXII.

PResbyter *Ægyptius* ſanctiſſimus & magnæ in Eccleſiâ *Chriſti* gloriæ, vulgò *Peluſiota* dictus, quòd juxta Urbem *Ægypti Peluſium*, quibuſdam modò *Celbeis* vel *Damiata* appellatam, monaſticam vitam exercuerit [ſunt & qui Abbatem vocent *Peluſiaci* montis in *Ægypto*.] Fuiſſe *S. Ioannis Chryſoſtomi* diſcipulum, & floruiſſe ſub *Arcadio* ejuſque filio *Theodoſio* minore conſtat. Obiit die 4. Februarii poſt annum 431. neque enim certus mortis ejus annus cognoſci poteſt. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Angelicam in carne degens vitam, multa ſcripſit variæ utilitatis plena, potiſſimùm autem *Epiſtolarum* omnis generis divinâ ſimul & humanâ gratiâ refertarum propè Chiliades decem, ſive decem millia: in quibus omnes divinas utriuſque *Teſtamenti* Scripturas expoſuit, & omnes omnium hominum mores inſtituit, uſus in eis dicendi genere maximè ad *docendum* accommodato. Vidimus in Bibliothecâ *Marcianâ Venetiis.* Volumen manu ſcriptum, complectens hujus ſancti viri 1148. Epiſtolas. *Sixtus Senenſ.* Biblioth. l. 4.

Peluſiaci in *Ægypto* montis Monachis præfuit *Abbas*, *Iſidorus Peluſiota* inde dictus, eximius *Iohannis Chryſoſtomi* diſcipulus vir doctiſſimus, & in Prophanis etiam Scriptoribus [*Platone* & *Plutarcho*] verſatus; qui propter inſignem vitæ, morumque ſanctitatem θεοφόρος peculiariter eſt appellatus, quemque *Angelicam* in carne vitam degiſſe, atque Monaſtici Inſtituti vivum ac animatum exemplar fuiſſe *veteres* affirmant. Placuit ipſi *Scripturam*, & alia quæ occurrebant *Dubia*, *Epiſtolico* ſcribendi genere explanare. Scripſiſſe autem *Iſidorum* ad decem millia *Epiſtolarum*, atque in his ter mille *Scripturam Sacram* expoſuiſſe, auctor eſt *Suidas*, vel quem *Suidas* exſcripſit. Hactenus verò triplici editione non plures in lucem prodierunt, quàm bis mille tredecim. *Ioan. Andr. Quenſt.*

Iſidorum Peluſiotem ἀληθόγλωττον appellat *Damaſcius* apud *Suidam*, quòd unâ cum ſimplicitate veritatem amaret, probaret, & ſine omni diſſimulatione loqueretur.

Quod ſcribis de repertis B. Patris *Iſidori Peluſiotæ* Epiſtolis, & tuâ curâ deſcriptis atque ad edendum paratis, beaſti me, Mi *Rittershuſi*, hoc Evangelio. Macte hoc ſtudio atque *Hermæo* iſto. Multum quidem tibi jam *Reſp. Literaria* debet, propter egregia ingenii tui monumenta, quibus illam auxiſti, ornaſti: ſed magnum cumulum

Digitized by Google

cumulum prioribus tuis meritis adjeceris, ſi tam pium & eruditum Scriptorem ἐξ ᾅδυ παλίνορσον nobis dederis. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. ad *Cunrad. Rittersh.* Dat. Madrid. 3. Non. *Septemb.* 1604.

Iſidori Epiſtolæ quæ in publicum prodierunt, libris 5. ſuccinctæ ſunt & oppidò elegantes, in quibus plurima *Scripturæ* loca erudite enodantur. *Hofman.*

Iſidorus Peluſiota reliquit Epiſtolas doctas & pietatem ſpirantes. *Konig.*

Iſidori Peluſiotæ Epiſtolæ, bonus liber. *Scaligerana* 2.

Origeniſtæ Orthodoxos olim irridentes *Peluſiotas* per contemptum vocabant, ut docet *Hieronymus* ad *Pammachium*, de Erroribus *Origenis*.

Theodoſio Imp. regnante, magno etiam in honore fuit *Iſidorus Peluſiota*, cujus gloria ob illius tum facta, tum dicta longè latéque pervagata eſt, omniumque ſermone celebrata. Iſte carnem ſic maceravit laboribus, ſicque animum arcanis & divinis doctrinis ſaginavit, ut *vitam Angelicam* in terris traduceret, & vivam expreſſamque effigiem *vitæ Monaſticæ*, & divinæ contemplationis omnibus perpetuò intuendam proponeret. Scripſit quidem cùm alia multa opera perquam utilia, tum unum ad *Cyrillum*: ex quo perſpicuum eſt, eum iiſdem cum admirabili illo *Cyrillo* vixiſſe temporibus. *Evagr.* l. 1. c. 15.

Jam quòd rurſus de *Epiſtolis Iſidori Peluſiotæ* dicendum eſt cùm eæ ſententiis, ac brevibus adhortationibus aculeum *Lectori* perutilem infigant, ſuaſerim probis, & eruditis *Gymnaſiarchis*, ne tantam ſinerent elabi occaſionem, quâ eas Diſcipulis interdum prælegerent, ſicque eorum mores efformarent, dictionem ac pietatem eis inſtillarent. *Ant. Poſſevin.* Apparat. Sac.

Prodierunt opera ejus omnia Græcè & Latinè in Fol. *Pariſ.* ann. 1638.

Alius planè à noſtro erat *Iſidorus*, cujus ſæpiùs meminit *Suidas*, in vocibus Ἀφίλλιω, Μεῖτλω & σαρχίωτων, nempe Philoſophus Gentilis; cujus vitam ſcripſit *Damaſcius*, quam apud Photium Cod. 242. videre eſt *Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS.

THeophilo patruo ſuo θείῳ πρὸς πατρὸς ſucceſſit in Patriarchatu *Alexandrino*, eumque rexit ab ann. 413. ad ann. 444. quo deceſſit die 9. Junii, vel ex aliorum calculis, die 28. Januarii anni ſequentis. Præfuerat ann. 431. *Concilio Epheſino* adverſus *Neſtorium*, nomine Sancti *Celeſtini* Papæ. *Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. CCCCXII.

Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, acumine ingenii, ſubtilitate judicii, eruditionis varietate, docendi facilitate, copiâque diſſerendi celebris, & pietate ſincerâ conſpicuus, reliquit in divinas literas varios ac penè innumerabiles interpretativi generis labores, hoc eſt *Homilias* valdè elegantes, quas olim [ut *Gennadius* refert] *Græciæ* Epiſcopi ad declamandum memoriæ commendabant. *Sixt. Senenſ.*

Cyrillus Epiſcopus *Alexandrinus*, vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus, ac præſertim circa myſterium *Incarnationis Dominicæ* à Deo doctus. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Cyrillus

Digitized by Google

Cyrillus vir ingenii vehementis & imperatorii. Myſterii *Incarnationis* acerrimus Hyperaſpiſtes. *Hofman.*

Cyrillus Epiſcopus *Alexandrinus*, magis bonus Theologus, quam vir bonus, *Joannis Chryſoſtomi* viri innocentiſſimi diſertiſſimique in vitâ & poſt mortem hoſtis infenſiſſimus. *Henr. Savill.* Lecturâ primâ in *Euclid.*

Cyrillus vir ingenii excellentiſſimi, & in omni doctrinarum genere præclarè inſtituti, electus Epiſcopus circa ann. 415. per multos annos, tum vivâ voce, gregi ſuo, tum variis ſcriptis, quorum nonnulla extant. *Chriſti* Eccleſiis eximiam operam navavit. *Illyric.* in Catal. Teſtium Veritat.

In libris quinque adverſus *Blaſphemias Neſtorii*, ſervat *Cyrillus* ſuum dicendi characterem, & ſermonis proprietatem. Clarior verò eſt quàm ad *Hermiam* ſcribens, aut in libris *de Adoratione in Spiritu.* Sermo illi confictus, & ad propriam dicendi formam contortus, ac veluti ſolutum numeroſque negligens metrum. *Phot.* in Cod. XLIX.

Cyrilli Theſauri, Epicherematis ſive Argumentationibus refertus eſt liber, pugnatque validè ac variè cum *Arii* & *Eunomii* furibundâ rabie. Etenim & Logicis argumentis ſapienter illorum deſtruit amentiam, quibus dum S. *Scripturæ* adnectit adtexitque teſtimonia, quàm ſit illa doctrina futilis omni ex parte divulgat. Adhibet idem nuda quoque S. Scripturæ teſtimonia, ut quò ſe faſtuoſi vertant, obſepti undique atque concluſi non habeant. Eſt autem inter omnia ejus ſcripta liber hic maximè perſpicuus, iis potiſſimùm, qui logicorum argumentorum ſenſum capere poſſunt. *Idem* in Cod. 136.

Cyrillum ad certamina natum, nullam prorſus hæreſin graſſari paſſum fuiſſe. *Nicephorus* ait l. XIV. c. 14.

Meritò fortiſſimus *Chriſti* Athleta, & *Neſtorianæ* Hæreſios *Averruncus* dicitur. Multis, præſertim in *Divinas Literas*, editis *Commentariis* optimè de *Eccleſia* meritus eſt. *Quenſtedt.* de viris Illuſtr.

Cyrillus Alexandrinus pietate, eloquentiâ, & acumine inſignis, *Ioa.* Card. *Bona.*

Quod autem ad S. *Cyrillum* ſpectat, obſtupeſco quidem, dum incredibilem & planè incomparabilem animi ejus conſidero manſuetudinem atque modeſtiam cum ſummâ animi ſummiſſione conjunctam: quibus quidem omnibus virtutibus præter innumera illa ſpecimina edita, additamentum modò illud adjecit omni laude digniſſimum. *Baron.* ad ann. 432.

Hoc certè in confeſſo eſt, vix aliquem memorabilem nævum in Magno iſthoc viro deprehendi, niſi quòd *Angelis* nimium tribuere videtur. *Olear.* in Abac. PP.

Ex *Cyrilli Theſauro* citantur ſententiæ quædam pro *Romani Pontificis* Primatu, nempè: *Petro omnes jure Divino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt.* Rurſus: *Debemus nos, ut qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi adhærere.* At in libris *Theſauri* quos in *Cyrilli* operibus habemus, ne veſtigium quidem horum teſtimoniorum apparet, quæ conficta eſſe non dubitamus. Autor falſi fuit *Thomas Aquinas* in opuſculo adverſus *Græcos*, qui primus ex *Cyrilli Theſaurorum* libris *Pontificis Romani* tyrannidem aſſerere

Digitized by Google

tere voluit. *Bellarminus* tamen quædam profert, & ex eo *Poſſevinus*; ex quibus ab eo crimine *Thomam* ſuum abſolvere conantur. *And. Rivet.* Critic. Sacr.

Sanctus *Cyrillus* ſenſum ſublimem & allegoricum multò magis ſequitur ſuis in *Exodum* & *Leviticum*, quàm in *Geneſin* Commentariis. Uno verbo, ad hoc præcipuè collimat, ut *Ieſu Chriſti* & Religionis noſtræ Myſteria notificet, hoc axiomate nixus, quòd Vetus Teſtam. nihil fuerit quàm typus & umbra eorum quæ in Novo futura erant. Itaque Domino noſtro ejuſque Myſteriis pleraque eorum quæ in *Exodo* & in *Levitico* leguntur, accommodat. Eadem methodo uti pergit in quoſdam duorum cæterorum *Pentateuchi* Librorum locos; Utque majori firmet authoritate hunc Veteris Teſtamenti interpretandi modum relatè ad veritates quæ in Novo continentur, ſubjungit eos ſolos quibus perfectè nota ſunt Religionis noſtræ Myſteria, capaces eſſe ſublimium & celſorum hujuſmodi ſenſuum. Ejus in Eſaiam Commentarios ſilentio prætereo, quia Pater hic in ſua Methodo admodum uniformis eſt. Jeſ. *Richard. Simon*. Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. cap. 10. Gall.

Liber adverſus *Iudæos*, & breves illæ *Anagogæ* haud ſcio an *Cyrilli* ſint. Sed res parvi momenti eſt, cùm ſint libelli breviſſimi, & leves. --Libri ſexdecim in Leviticum *Cyrilli* non ſunt, ſed *Origenis*; & manifeſtum hoc eſt, tum quia auctor ubique ſenſum literalem deſtruit, tum quia habentur iſti ipſi inter opera *Origenis*: ut mirum ſit, cur Impreſſores in omnibus Editionibus iſta opera auctori non ſuo attribuant. ſcripſiſſe dicitur *Cyrillus* in alios etiam Prophetas, ſed non extant Commentaria ejus, niſi in *Iſaiam*, & Prophetas minores---Scripſit *Cyrillus* libros duodecim in *Ioannem*, ſed quatuor intermedii perierunt. Sed *Iodochus Clictoveus* ad imitationem *Cyrilli* addidit quatuor libros intermedios. Itaque *Cyrilli* non ſunt, niſi primi quatuor, & quatuor poſtremi---*Theſaurus* creditur eſſe imperfectus, multa enim citantur à S. *Thomâ* in opuſculo de erroribus *Græcorum* ex *Theſauro Cyrilli*, quæ in libris non inveniuntur.---Liber de Sacroſanctâ *Trinitate* non videtur eſſe *Cyrilli*, ſed alicujus poſterioris; auctor enim copioſè diſputat de duabus Naturis in *Chriſto*, & de duabus voluntatibus, & operationibus, & reddit rationem cur non repugnent iſtis dogmatibus, qui aliquando dixerunt, in *Chriſto* eſſe operationem theandricam, & unam Verbi naturam eſſe incarnatam. Itaque videtur auctor ſcripſiſſe poſt ſextam Synodum. *Bellarm.* de Script. Eccleſiaſt.

Cyrillus---Vir ſanè pietate juxta ac eruditione, zeloque pro fide Catholicâ invicto nobilis. Multa illum quidem criminatur *Theodòritus*, & ab eo unicam in Chriſto Naturam poſitam fuiſſe clamat. Fatendum quidem eſt, eum ſæpiùs affirmare μίαν εἶναι φύσιν λόγου: Sed æquè clarum eſt, in omnibus his locis ipſum vocem φύσεως loco ὑποστάσεως uſurpare: uti ſole clariùs demonſtrari poſſet, ſi modò hiſce immorari vellem. Vitio inſuper *Cyrillo* vertitur, quòd *Hypatiam*, celeberrimam illam Philoſopham *Alexandrinam*, odio & livore ductus, membratim à plebe diſcerpi effeciſſet. Verùm qui hanc in *Cyrillum* calumniam ſtringit, *Damaſcius*, parum hac in re fidei meretur, utpote Chriſtianæ Religionis hoſtis acerrimus. Id quidem ab *Alexandrinis*, leviſſimo hominum genere,

factum eſſe negari nequit: *Cyrillo* autem ſatagente id eveniſſe ſpectata illius probitas credere nequaquam ſinit. *Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

* Hæ variæ Editiones *Cyrilli* Operum, viz. *Baſileæ.* 1524. 1528. 1546. 1566. 1576. *Pariſiis* 1573. 1605. inter libros *Expurgandos* numerantur in *Indice Madritienſi* Edit. ann. 1667.

Cyrillus eſt cenſurâ notatus, quia multa habet contra Monachos. *Scaligerana.*

Prodierunt Opera ejus omnia in 6. Tomos diſtributa Græcè & Latinè, editore *Ioanne Auberto Laudunenſi* Canonico. *Pariſ.* in Fol. ann. 1638.

Prodierunt itidem *Homiliæ* XIX. in *Ieremiam* è MS. Bibl. Scorialenſis Græcè cum interpretatione *Balthaſaris Corderii Antverpiæ* 1548. apud Plantinum, 8.

PAULUS OROSIUS.

Clar. A. D. CCCCXVI.

HIſpanus *Tarracone* ortus, tempore *Arcadii* & *Honorii* Imp. claruit. Struxit Apologiam de Libertate Arbitrii, cui ſeptem integra *Auguſtini* folia cum parte octavi inſerta ſunt, quæ ex illo opuſculo planè debent furcillari. Quâ de re G. *I. Voſſius*, lib. 2. de Hiſt. Lat. cap. 13. & l. 1. Hiſt. *Pelag.* cap. 17. legi poterit.

Idem *Oroſius*, ſuaſu *S. Auguſtini*, ſeptem libros Hiſtoriarum compoſuit, quibus oſtendit, ab Orbe condito uſque ad ſuam ætatem maximas ſemper atque atrociſſimas calamitates paſſim contigiſſe. Hoc opus à quibuſdam *Hormeſtes* inſcribitur. *Voſſius* putat. ὁρμέϛην vel ὁρμαθὸν vocari: *Barthius* ſtatuit, epigraphen hanc ex verbis tituli, *Oroſ.* de miſer. hom. natam eſſe. *Steph. Vignandus Pighius in Hercule Prodicio*, p. 112. verum & genuinum titulum, *Orcheſtram mundi*, fuiſſe exiſtimat, *Pighii* ſententiam ut rationabilem *Reineſius* in Var. lect. 3. 3. pag. 386. amplectitur. Manuſcriptum ejus exemplar cum inſcriptione *Ormeſtæ* extare etiam *Oxonii* in Bibliothecâ *Balleolenſi*, ut ait *Thomas Iameſius.* Qui & auctor eſt, *Cantabrigiæ* in Bibliothecâ Collegii *S. Benedicti* Manuſcriptum eſſe exemplar *Oroſii de Viris Illuſtribus. Quale opus* [inquit *Voſſius*] *videre nondum contigit. Sed ſanè metuo ne non Oroſii, verùm Honorii illud ſit. Quæ nomina in Manuſcriptis quandoque confunduntur.*

Adverſus Paganos *Oroſius* juſſu *Auguſtini* ſeptem libros *Hiſtoriarum* conſcripſit. De quibus *Gelaſius* primus cum LXX. Epiſcopis ſententiam tulit, ejuſque decreti verba ſunt hæc: *Oroſium virum eruditiſſimum collaudamus, quia valde neceſſaria adverſus Paganorum calumnias ordinavit, mirâque brevitate contexuit.*

Auguſtini Conſilio, ut ipſe ad *Evodium* ſcribit., *Oroſius Bethleemum* ad D. *Hieronymum* profectus eſt cum hac ejus commendatione. *Ecce venit ad me Religioſus Juvenis, Catholicâ pace frater, ætate filius, honore Compresbyter, noſter Oroſius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans ſtudio, utile vas in domo Domini eſſe*

eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ Animas Hiſpanorum multò infeliciùs, quàm corpora barbaricus Gladius trucidarunt.

Eſt *Oroſius* Scriptor planè utilis: ſed qui Scriptores *Græcos* non legerit: imò *Græcarum* literarum expers fuerit. In temporibus etiam crebrò fallitur: ut vel illa oſtendunt, quæ in eo caſtigavit *Scaliger* in animadverſionibus *Euſebianis.* Sæpiùs etiam vulgares ſectatur opiniones quàm hiſtoricum accuratum ſe præbeat, cujus eſt omnia ad veritatis trutinam expendere. Ita videmus eum lib. 7. tradere *Druſum* à *Tiberio* extinctum veneno, quam opinionem vulgi refellit *Tacitus* in IV. Annal. *Juſtus Lipſius.* Commentario ad eum locum, culpat hoc nomine *Oroſium* & aſperiùs aliquanto quàm vellem ſubtexit: *At me non valdè movent ejuſmodi Scriptores legitimæ hiſtoriæ (dicam iratis quorundam auribus) dehoneſtamenta.* Item in l. 5. cùm queſtus eſſet de magno Hiſtoriæ hiatu, (nam triennii ferè geſta deſiderantur) ſubjungit mox: *Adeò bonis illis partibus cura otiumque fuit deſcribere Oroſios, & Vopiſcos, & hujuſmodi quiſquilias præ* (Taciti) *auro*: Nec immerito ſanè. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. l. 2. c. 14.

P. Oroſius Hiſpanus, in Hiſtoriâ interdum pætus veritatis aut inveſtigator, aut enarrator. *Dempſter.*

Paulus Oroſius vir in divinis Scripturis eruditus, & in ſæcularibus literis peritiſſimus *Trithem.*

Paulus Oroſius Nobiliſſimus ille rerum *Chriſtianarum Hiſtoricus. Montacut.* Apparat. 3. Sect. 43.

Paulus Oroſius, ſcriptor utique bonis adnumerandus, quamvis non quidem primis. *Caſp. Barth.* l. Adverſar. p. 1661.

Baronius & *Caſaubonus* fidem *Oroſio* detrahunt propter nimiam credulitatem: Rerumque *Romanarum* ignorationem ejus aliquando mirificam fuiſſe dicunt. *Iſaac. Caſaub.* Exercitat. 1. ad *Baron.* p. 85.

Oroſii diligentiam, & pietatem, viri quidam doctiſſimi, ſed importuni alieni judicii *Cenſores*, & ſuis affectibus, præconceptis opinionibus nimis interdum indulgentes, variè ſugillant, & criminantur: & nimiæ levitatis, ut loquuntur, in *Prodigiis* credendis poſtulant: Zelum habuiſſe, ſed non ſecundum diſcretionem, pronunciant: & rerum *Romanarum* mirificâ laboràſſe ignorantiâ. Cujus viri pietas, eruditio, diligentia, canities nequaquam tàm acerbè, vel inſolenter potius, tractanda fuit. Coætaneus erat *Auguſtino* & *Hieronymo*, utrique familiaris, & multis nominibus commendatus. Viderat ille, legerat, volutarat rerum *Romanarum*, & noſtrarum authores non paucos, qui à multis retrò ſeculis deſiderantur, quos de nomine *Cenſores* noſtri vix noverunt: Quos, ſaltem, aliquos, Duces ſequi poterat & directores, in aliquibus hiſce *Prodigiis* interpretandis, ne de ſuo finxiſſe, quod multi ſolent, videatur. *Montacut.* Apparat. 3. ſect. 43.

Scriptor hic acris judicii vir, brevi Hiſtoriâ ingentem rerum ſuppellectilem continet. Qui tamen memoriâ lapſus videtur [inquit *Baron.* Card. Tom. *Annal.* 4.] cum verſus *Claudiani* de *Victoriâ Theodoſii* contra *Eugenium* referens, non videatur conſuluiſſe *Claudianum*, qui aliter habet. *Ant. Poſſev.* in Apparat. Sacr.

Digitized by Google

Opus cui titulus *Hormeſta* Hiſtoria quædam univerſalis eſt in ſeptem libros diſtributa, quæ utilis quodammodo eſſe poteſt. Non malè ſcripta eſt, ſed parum accurata. Plures contra Hiſtoriam & Chronologiam craſſi errores in illa occurrunt. Græcos Hiſtoriographos non evolvit Author; & iis quæ in rem ſuam facere poterant temerè admodum fidem adhibet, an firmo nitantur fundamento minimè perpendens. *Ell.* du *Pin.* Nov. Biblioth. Ant. Eccleſ. Tom. 3.

Paulus Oroſius Hiſpanus nonnulla ex *Entropio*, & ex *Floro* excerpta collegit. Primæ illi partes in Religione *Chriſtianâ* meritò laudantur, uti & in *veterum* ſuperſtitione explodendâ. Vixit ſub *Honorio* Principe, *Auguſtini*, cujus diſcipulus fuit, temporibus, ut hoc nomine, atque adeò brevitatis cujuſdam facundæ digniſſimus ſit, qui legatur. *Anton. Poſſev.* Biblioth. ſelect.

Paulus Oroſius vir in divinis Scripturis eruditus, & in ſæcularibus literis periſſimus, vitâ & converſatione clariſſimus fuit. *Biblioth. Hiſpan.*

Fuit diſertus, ac multarum rerum peritiâ clarus. *Ibid.*

Optima ejus Editio eſt, quæ cum *Latini* & *Andreæ Schotti* obſervationibus ac aliorum annotationibus anno 1615. *Moguntiæ* excuſa eſt.

THEODRETUS ſive THEODORITUS.

Clar. A. D. CCCCXXIII.

ANtiochenus, *Theodori Mopſueſteni* diſcipulus, ab anno 423. *Cyri* Provinciæ *Euphrateſiæ* in Syriâ urbis Epiſcopus, ob nimiam cum *Neſtorio* amicitiam depoſitus, in *Synodo Chalcedonenſi* anno 451. reſtitutus, vixit uſque ad annum 460. ſeu, ut alii, 466. Extra controverſiam ſui ſæculi doctiſſimus erat. *Gul. Cave.*

Atticâ vir eloquentiâ celebris, & *ſanctorum voluminum* explanatione clariſſimus, *Hereticorum* quoque impugnator acerrimus. *Sixt. Senenſ.*

Vir in divinis Scripturis valdè doctus, & in ſæcularium literarum diſciplinis ſufficienter eruditus. *Trithem.*

Theodoretus Epiſcopus *Cyri*, vir eruditione & judicio inter primos. Patriâ *Antiochenus* genere nobilis, diſcipulus *Chryſoſtomi* fuit; domi parcus, urbem magnificè exornavit, à *Pulcheriâ* quoque impetravit, ne tributa in *Diæceſi* ſuâ intenderentur: Quæ cùm 800. contineret *Parochias*, quarum plurimæ *Hæreſibus* variis infectæ, omnes magnâ induſtriâ & felicitate purgavit. Ob eloquentiam, doctrinam & pietatem *Antiochiæ* Præſulibus tantopere gratus, ut illum diu ſecum retinerent, concionibus frequentibus ibi defunctum. In opere, cui Titulus, *Medela Paſſionum Græcarum*, tota *veterum* Philoſophia & Theologia latet *Hofman.*

Fuit autem *Theodoretus* in omni literaturâ *Græcâ* eruditiſſimus, ſectator Magni *Ioannis Chryſoſtomi*; illum enim ſibi, quaſi primarium exemplar, ſtylo conformando propoſitum habuit; ideò fluidus admodùm eſt & copioſus, in elocutione facilis, & *Atticam* gratiam redolens. *Poſſevin.* in Apparat. Sacr.

Sanctiſſimum & *Sacrarum Litterarum* intelligentiâ præcellentiſſimum *Theologum*

Digitized by Google

legum eum vocat *Druſius* obſervat. lib. 3. c. 21.

Fuit ingenio excellentiſſimo, & ad omnis generis diſciplinas percipiendas capaciſſimo, *Illyric.* catal. Teſt. veritat.

Gennadius dicit, omnia *Theodoreti Scripta* ſolidis ac nervoſis argumentis abundare.

Vir ſui ſeculi eruditiſſimus vocatur à *Dallæo*.

Virum planè doctiſſimum vocat *Bellarminus* de Script. Eccleſ.

Clemens Alexandrinus, Cyrillus & *Theodoretus* inter eloquentes ſummè docti, inter doctos ſummè eloquentes. *Nic. Cauſſin.*

Ajunt virum hunc in maximâ urbe *Romanâ* uſque adeo clarum & celebrem extitiſſe, ut etiam in omnibus officinarum veſtibulis homines parvas *Imagines* ipſi erigerent, hinc videlicet præſidium ſibi & ſecuritatem quandam comparantes. *Johan. Damaſcen.* orat. 3. de *Imaginibus.*

Libros plurimos compoſuit *Theodoretus*, tum in *Sacram Scripturam*, tum adverſus diverſas *Hereſes*, deque aliis *Argumentis*: quorum pleraque extant, multa interierunt: Ex quibus hanc ingenii ac judicii doctrinæque laudem retulit, ut nemo Divinas Literas fideliùs interpretari, nemo Hiſtoriam Eccleſiaſticam aptiùs illo texere exiſtimetur. Styli verò is lepos & elegantia, quæ & lectorem ſine faſtidio teneat, & perſpicuitati brevitate non officiat. *Iacob. Sirmond.* in vita *Theodoreti.*

De Stylo *Theodoreti* ita cenſet *Photius*: *Hiſtoriæ* eum magis convenire, quàm iſtum, quô vel *Socrates* utitur, vel *Hermias Sozomenus*, vel *Evagrius Ponticus*; clarus enim & grandis eſt, miniméque redundans: Niſi quòd Tranſlationibus interdum audaciùs, penè ineptè utatur. *Phot.* in Biblioth. Cod. 31.

Lectus *Theodoreti* Epiſcopi *Cyri* liber contra *Hereſes*. Stylus huic perſpicuus, miniméque redundans. *Idem* Cod. 56.

Superſunt *Theodoreti* libri quinque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: Quos ab *Hereſi Arrii* incipit, & deducit uſque ad tempora *Theodoſii* Junioris. Secundæ Synodi Generalis geſta fuſiùs, quàm Hiſtorici alii, enarrat. Apud *Gennadium* autem legimus, continuaſſe eum Hiſtoriam ſuam uſque ad *Leonem* Imper. atque id aliis quinque libris, adjectis, ſed iſti perierunt. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Theodoreti Hiſtoriam *Baronius* ſæpiſſimè redarguit, utpote quæ in Chronologiâ labatur non ſemel, & nonnullas falſas narrationes immiſceat.

Errores *Theodoreti* varii ſunt: negavit ante *Moſen* fuiſſe linguam *Hebraam.* mulieres non eſſe ad *Imaginem Dei* conditas: in Geneſi *Moſen* per *Spiritum* intelligere *Aerem*, & alia, quæ vide *Centur. Magdeburg.* l. 5. c. 10.

Laudat *Iohannes Garnerius* in *Theodoreto* pietatem & morum innocentiam, opum aliarumque rerum humanarum contemptum, ingenium capax, felicem memoriam, indefeſſum literarum ſtudium, ſtupendam eruditionem, & dicendi facultatem, zelum adverſus *Marcionitas, Apollinariſtas*, & alios *Hæreticos*, aliaque domi & foris præclarè geſta. Reprehendit contrà philautiam, nimium gloriæ amorem, & pertinaciſſimum *Partium* ſtudium. Arguit eundem, quòd non tam ex modeſtiâ, quam præ ſe tulerit, quàm nobilioris Eccleſiæ deſiderio, *Cy-*

Digitized by Google

renſem Epiſcopatum invitus ſuſceperit. Dolet, quòd cùm Magiſtrum Scientiæ *Theodorum*, eloquentiæ *Chryſoſtomum* habuiſſet, *Chryſoſtomi* eloquentiâ ad tuendos *Theodori* errores abuſus fuerit. Notat ipſum, dum ad perſpiciendos *Hæreticorum* errores omnem animi aciem intenderet, id fuiſſe paſſum, quod oculi vehementer affecti ſolent, nempe ut nonnunquam totam *Hæreſin* videre ſibi videretur, ubi minima ejus ſpecies vel umbra appareret. Deplorat, quòd à *Neſtorio*, quem in *Monaſterio S. Expreprii* contubernalem & ſtudiorum commilitonem habuerat, in graviſſimos errores abreptus, *Cyrillum Alexandrinum* impugnaverit, & non ſolùm in vivum amarulenta convicia ore & calamo congeſſerit, ſed mortuo quoque inſultaverit. *Acta Eruditorum* Menſis Februarii 1685.

Theodoretus longe admodum abiit ab aliorum *Patrum* methodo. Non enim *Homilias* nec *Commentarios* in univerſam Scripturam conſcripſit, ſed ſatis ipſi fuit in unam *Scripturæ* partem *Quæſtiones* agitare, in alteram verò *Commentarios* conſcribere. Quædam quidem ſunt ſatis inutilia in ejus *Quæſtionibus*, quæ longe nimis accerſita videntur; Sed vice verſa ingens reconditæ *Theologiæ* copia in illis conſpicitur, ſtylique *Sacræ Scripturæ* notitia pluſquam mediocris. Inter Græcos omnes Patres, huic imprimis addicere ſe debet quicunque in *Bibliis* doctus evadere vult. Quandoque tamen, potius ad Sermonis ſui ornatum quàm ad explanationem argumentorum quæ pertractat, allegorias admiſcet: Quod vitare debebat in Quæſtionibus ubi res ſimpliciter tantum proponere pauciſque verbis ſolvere requiritur. Cæteros Græcos Patres ſedulò legerat, præſertim verò Libros *Origenis* & Sancti *Iohannis Chryſoſtomi*, quos ſæpius ſequitur. Veteres *Græcos Interpretes* identidem citat, imo & Textum *Hebraicum*, quem legebat in Origenis *Hexaplis*, & in vocum Hebræarum interpretatione quam idem Origenes evulgârat. Præter ejus quæ nobis ſuppetunt Quæſtiones in *Pentateuchum* in *Ioſuam*, in *Iudices* in *Ruthem*, in quatuor *Regum* libros & in *Paralipomena*, contexuit etiam *Commentarios* in *Pſalmos* & in plures alios *Bibliorum* libros, quos ad literam quam maxime poteſt, exponit, aliquas tamen moralitates iis ſemper admiſcendo. *Literam* multò preſſiùs ſequitur quàm cæteri *Patres Græci*; Nec etiam valde diffuſus eſt ſtylus ejus, quamvis eum ſimilitudinibus interdum exornet. Sæpiuſculè citat Græcas veteres Verſiones *Aquilæ*, *Symmachi* & *Theodotionis* ad *Scripturæ* textûs ampliorem elucidationem; Nec *Septuaginta* Interpretes ſemper ſequitur, cùm præſertim ipſi perſuaſum eſt Verſiones alias *Scripturæ* ſenſum puriùs exprimere. Jeſ. *Richard. Simon.* Hiſt. Critic. Vet. Teſt. l. 3. c. 10. Gall.

Omnium Veterum præſtantiſſimus eſt *Theodoritus*, quem male *Theodoretum* vocant, hoc enim participium ſignificat, *itus* verò nomen. Nulla ineſt *Allegoria*. Dolendum eſt quod omnia Græco idiomate non habeamus. Neminem Veterum niſi in patriâ ejus linguâ legam, *licet habeatur tantùm* Latinè. Habebo Theodoritum in Canones Apoſtolorum. *Multa ſunt ejus in Bibliothecis* Bavarâ, *Auguſtanâ*, Papæ. Scaligerana 2.

Certè dum *Theodoreti* Hiſtoriam in *Latinum* Sermonem converterem, veriſſimum

mum eſſe id quod de *Metaphoris* ejus dixerat *Photius*, non ſine faſtidio deprehendi. Hujuſmodi enim *Figuræ*, præcipuè in Hiſtoriâ rerum geſtarum, maximam moleſtiam pariunt *Interpreti*. Illud prætereà in Hiſtoriâ *Theodoriti* reprehendendum mihi videtur, quòd in toto opere nullam notam *Temporum* adhibuit. Nam neque *Conſules* nominat, nec quo cujuſque *Imperatoris* anno res geſtæ ſint obſervat. *Henr. Valeſ.* in Præfat. præfix. editioni *Theodor.* anno 1673.

Extant Opera ejus omnia in 4. Tomos digeſta, curâ *Iacobi Sirmondi Græcè* & *Latinè*, *Pariſiis* apud *Sebaſtianum Cramoiſi* in folio anno 1642.

Prodiit Tomus quintus cum Hiſtoriâ *Theodoriti*, & Diſſertatione de Libris ejus, aliiſque Diſſertationibus *Iohannis Garnerii è* Soc. Jeſ. *Pariſiis* 1684. in fol.

PHILOSTORGIUS.

ÆQualis *Olympiodoro* erat *Philoſtorgius Cappadox*: Qui, *Carterio*, & *Eulampiâ*, parentibus natus fuit, ſub *Valentiniano*, & *Valente*, Impp. circa annum *Chr.* 367. Sed ſub *Theodoſio* juniore Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros edidit 12. pro duodecim literis, quas habemus in nomine ejus. Ac primus quidem liber cœpit à Φ, alter ab I, tertius à Λ; & ita porrò; ut tandem integri nominis, quod eſt Φιλοσόργιος, fieret Ἀκροστιχὶς. Hoc feciſſe arbitror, ne auctor aliquando ignoraretur: ſed ex *Acroſtichide* poſſet agnoſci. Quomodo & *Plautinarum* Comœdiarum nomen indicatur verſibus, qui cuique fabulæ præmittuntur. Stylo uſus fuit ſic ſatis eleganti; ſed undique erga *Eunomianæ* ſectæ homines amorem, erga *Catholicos* odium prodidit. Ab *Arrii* in Hæreſin ſtudio incepit: ac deſiit in eo tempore, quo *Theodoſius* junior Imperii ſceptra *Valentiniano* minori, *Placidiæ*, & *Conſtantii* filio, patrueli ſuo, tradidit. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. lib. 2. cap. 20. Clar. An. D. CCCCXXV.

Nicephorus Calliſtus initio Operis ſui, & libro 7. c. 19. eum vocat Θεομισῆ [*Deo inviſum*]: nempe ob Hæreſin *Eunomianam*. Etiam, ut ineptum *Eunomii* laudatorem, taxat idem *Nicephorus* l. 12. c. 29.

Hoc *Philoſtorgii* opus Antiquitatis multa egregia reſerat. *Nicephorus Calliſtus* ex hoc *Philoſtorgio*, quem *Deo inviſum* vocat, multa in Hiſtoriam ſuam tranſtulit. *Hofman.*

Sanè artibus liberalibus apprimè fuiſſe excultum liquidò conſtat: Unde plurima in Hiſtoriam ſuam refert, quæ non vulgarem *Philoſophiæ*, *Hiſtoriæque Naturalis*, *Geographiæ*, *Aſtronomiæ*, *Poëtices* & *Medicinæ* notitiam redolent. Sectâ erat non tam *Arianus*, quàm *Eunomianus* & *Anomæus*, filiumque ἑτερούσιον, ac *Patre* minorem eſſe contendit; quod ex ſexcentis Hiſtoriæ locis patet: Unde & *Athei* cognomen traxit. Scripſit circa ann. 425. *Gul. Cave.* Hiſtor. Literar.

Lecta eſt *Philoſtorgii Ariani* veluti *Eccleſiaſtica Hiſtoria*. Narrat autem ferè contraria omnibus *Eccleſiaſticis Hiſtoricis*, laudibus extollens quos novit *Arianiſmo*

niſmo infectos, & conviciis *Orthodoxos* perfundens: ita ut hoc ejus opus non tam *Hiſtoria* eſſe videatur, quàm *Hæreticorum* laudatio, cum nudâ & merâ vituperatione atque accuſatione *Catholicorum*. Stylus illi comptior; & poëticis ſine tædio, minimèque ingratis vocibus utitur. Tropi quoque ac verba ſignificantia gratiam ipſi cum jucunditate conciliant. Niſi quòd interdum audaciùs ipſis, vel nimiùm detortis utendo, in frigidum & importunum ſermonem incidit. Ornatur ab illo variè oratio, vel ad ſatietatem, ita ut in obſcuritatem, nec eam ſemper gratam, occultè trahatur Auditor. Sæpè etiam ſententias aptè ſuis locis inſerit---Quantumvis autem *Philoſtorgius* hic in *Orthodoxos* fureret, in *Gregorium* tamen cognomento *Theologum*, incurrere non eſt auſus, cujus doctrinam vel invitus prædicat. *Baſilio* verò magno calumniam texere auſus eſt, quâ illuſtriorem eum reddidit. Vim enim & venuſtatem Sermonis in concionibus, ipsâ rei evidentiâ fateri coactus eſt: temerarium tamen ipſum homo futilis appellat, nec in refutando exercitatum: eò quòd, ut ait, *Eunomii* libris reſpondere auſus eſſet. *Phot.* in Biblioth. Cod. 40.

Suidas ex *Philoſtorgio* non pauca recitat, variis in locis.

Putantur Fragmenta quædam *Philoſtorgianæ* Hiſtoriæ ſupereſſe inter libros *Didaci Hurtadi*, qui nunc *Scuriaci* in Bibliothecâ Regis *Catholici* adverſantur. *Aub. Miræus* de Script. Eccleſiaſt.

De *Philoſtorgio* ſcriptiſque ejus fusè, ut ſolet, agit *Iacobus Gothofredus.* prolegomenis in *Philoſtorgium*, qui & uberrimas annotationes adjecit, doctiſſimo *Valeſio* non ſemper probatas.

Hanc *Philoſtorgii* Hiſtoriam eruit ex MS. Cod. *Genevenſi Iacobus Godofredus* doctiſſimus Juriſconſultus impreſſam in 4. *Genevæ* anno 1642. Sed & illud procuravit imprimi iterum anno 1673. *Henricus Valeſius*, cum Hiſtoriis *Theodoriti* & *Evagrii Scholaſtici* in Fol. *Pariſ.*

ZOSIMUS

Clar. A. D. CCCCXXV. COmes & exadvocatus *Fiſci* fuit, *Paganorum* religioni addictus: *Theodoſii* Junioris tempore claruit. Reliquit ſex libros Hiſtoriarum. Incipit ab *Auguſto*, deſinit in *Honorio*. Paulò tamen (inquit *Voſſius*) ulteriùs progreſſum eſſe, veriſimile eſt. Nam quædam in fine deeſſe, nemini puto eſſe obſcurum. Libros iſtos Latinè vertit, atque edidit, *Joannes Leunclavius. Henricus Stephanus* duos primos etiam Græcè cum *Herodiano* ſuo excudit. Sed interpretationem eſſe *Leunclavii*, parùm candidè diſſimulavit.

Impiam hic *Paganorum* ſecutus Religionem, in pluribus adverſus pios ſæpiùs latrat. Alioqui brevis eſt, dictione perſpicuus ac purus, nec ſuavitatis expers. *Phot.* in Biblioth.

Ipſe totus in *Chriſtianæ* Religionis pietate oppugnandâ: Principibuſque *Romanis*, qui & initiati fuerant, lacerandis verſatur. Ideò ſæpè falſa ſcribens indignus eſt *Hiſtorici* Nomine, à quo amor & odium abeſſe debent, ut veritati locus ſit. Utilis tamen eſt, quòd pleraque aut ab aliis non ſcripta, aut tem-

porum

Digitized by Google

porum injuriâ amiſſa, perſequitur. *Car. Sigon.* de Hiſt. Lat.

Zoſimus, Ethnicus homo addictiſſimus *Ethnciſmo*,& in *Chriſtianam* Religionem infenſiſſimus,cùm de *Chriſtianorum* rebus agit,manifeſtus ſæpè convincitur proditor veritatis ,& in *Conſtantinum* pariter iniquiſſimus , quem ut *deſertorem Deorum* exagitat contumeliis;ut intelligas ipſum in *Conſtantinum Philippicas* potiùs, quàm *Conſtantini* hiſtoriam ſcripſiſſe. *Baron.*ad ann.306.num.18.

Zoſimus comes , vir idolomaniæ addictiſſimus , imperio *Romano* ad veram *Chriſti* Religionem ſuſcipiendam feliciter inclinato , provinciam hanc ſuſcepit deſcribendæ *Romanæ Hiſtoriæ*, hôc tantum conſilio, ut oſtenderet,mutatam *Deorum* ſuperſtitionem in *Chriſti* fidem, cauſam fuiſſe declinationis *Imperii*.Planè ut capitaliſſimus hoſtis *Chriſtianorum* , in luce clariſſimâ hallucinatur , quia hallucinari voluit.*Lœl.Biſciolo.* l.7.c.10.Horarum ſubciſiv.

Fuerit ſanè *Chriſtianis* infenſus , (quotuſquiſque enim tam æquo eſt animo, ut benè cupiat ei , qui ſibi perſuaſionem de cultu divino , quam veritati conſentaneam , & plurium ſeculorum conſenſu nixam putat , eripere velit ? an ideo ſtatim fides ei deroganda? Certe negari nequit , quædam enormia vitia illos habuiſſe ; quorum aliqua & *Chriſtiani* Scriptores notârunt. Interpretatus forſan aliqua fuerit paulò ſeciùs , odioſéque traduxerit : at fabulas excogitâſſe , quibus planè nil veri ineſſet, ſuæque Hiſtoriæ inſeruiſſe, vix unquam oſtendi poterit. *Joan. Andr. Boſius* in Exercitat. de Pontificat. Max. Impp. Roman. c. 6. ſect. 4.

Poſſem , ſi luberet , vel ſi opus eſſe ducerem , veriſſimas hoc loco *Zoſimaæ* Commentationis laudes explicare. Sed quando *Vendibili* , quod aiunt , *vino* , ſuſpensâ non opus eſt hæderâ ; mittamus iſta ſanè , nec diutiùs ab elegantiſſimorum librorum lectione , jam cupidos cognoſcendi noſtri *Scriptoris* animos inhibeamus. Hoc quidem futurum , propè certò mihi polliceri videor , ut, ſolis *Eccleſiaſticarum Rerum* narrationibus exceptis , cætera *Zoſimum* quibuſvis noſtrorum Hiſtoriis *Euſebianis, Socratis, Sozomenicis* , *Theodoreteis* eruditi lectores non invitè præferant : aut , ſi hos , quaſi majorum gentium *Scriptores Eccleſiaſticos*, animi quadam religione præpediti , *Pagano* poſtponere non audebunt;quin extra controverſiam in ſuo genere parem his facturi ſint,cæteroſque noſtros ſive *Zonaras*, ſive *Cedrenos*,ne quidem in comparationem cum hoc admiſſuri,nullus equidem dubitabo. *Joan. Leunclav.* in Apolog. quam pro *Zoſimo* contra *Evagrium* , alioſque ſcripſit.

Henricus Stephanus in Epiſt. ad *Philippum Sydneium* , *Zoſimum* , veritatis & eruendæ è tenebris , & in lucem proferendæ valdè ſtudioſum fuiſſe ait.

Eaſdem res (*de Rebus Geſtis Cæſarum Eunapius* , & *Zoſimus* , tractârunt. & ita tractarunt, ut *Zoſimus Eunapium* propè deſcripſiſſe viſus ſit: ut à quo ſolùm differat, quòd non, uti *Eunapius* fecerat, *Stelichontem* conviciis proſcindat:item quòd brevior, & planior *Eunapio* ſit ; nec figuris, niſi rarò, utatur. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. lib.2.cap.18.

Zoſimi Romanarum Hiſtoriarum libri 6.à *Cæſare Auguſto* uſque ad ann.*Chriſt.* 410. prodierunt Græcè cum *Joan. Leunclavii* Interpr. & *Frid. Sylburgii* Notis in

Tom.3. Hiſtoriæ Rom. Scriptorum ab eodem *Sylburgio Franc.* 1590. in Fol. editæ. Prodierunt itidem *Oxonii* 1680. in 8°.

VINCENTIUS.

Clar. An. D. CCCCXXXIV.

G*Allus*, *Tulli Leucorum* natus, ex Milite ſeculari *Monachus* & *Presbyter Lerinenſis*, ſcribebat ann. 434. Obiit circiter ann. 440. aut paulò poſt. *Gul. Cave.*

Primò militiam ſecularem ſectatus, militiæ *Lirinenſis* excubias, ut verbo *Sidonii* utamur, poſteà deſudavit: ubi factus Monachus & *Presbyter*, elegantiſſimum illud *Commonitorium* ſcripſit adversùs *Hæreſes*, quod toties bono publico editum eſt. At Vir modeſtiſſimus, utilitatem potiùs *Chriſtianorum* ſpectans quàm terreſtris gloriæ vanitatem, quemadmodum de ſe dicebat *Salvianus*, nomen huic operi ſuum ſubtraxit, quod ſub *Peregrini* nomine vulgavit. *Steph. Baluz.* Notis ad *Vincent. Lirin.*

Vir in *Scripturis Sanctis* doctus, & Notitiâ *Eccleſiaſticorum Dogmatum* ſufficienter inſtructus compoſuit ad evitanda *Hæreticorum* collegia nitido ſatis & aperto ſermone validiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo, titulavit: *Peregrini* adverſus *Hæreticos*. Cujus Operis, quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem à quibuſdam furatam perdidit, recapitulato ejus paucis ſermonibus ſenſu priſtino compegit, & uno in libro edidit. *Gennad.* de Script. Eccleſ.

Vincentii liber contra prophanas *Hæreſeων* novitates, Opus eſt eruditum & acutum, quodque *veritatis* adverſariorum fraudes detegat, atque impugnet. *Pontificii Doctores* de hoc *Vincentii* libro multùm gloriantur, & *Catholicum* illud ſuum ſuperbè jactant. *Illyric.* Catal. Teſt. Verit.

Vincentius Monaſterii *Lirinenſis* Presbyter æqualis *Caſſiani* fuit, quippe qui paulò poſt *Concilium Epheſinum* ſe ſcripſiſſe teſtatur, id eſt, tribus annis poſt *Concilium* celebratum. Scripſit opuſculum parvum mole, ſed virtute maximum, de *prophanis vocum novitatibus*. Libellus extat, & utiliſſimè legitur. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Hunc *Vincentii* libellum planè aureum vocat *Baronius* Notis in Martyrol.

Idemque *Baronius* Tom. 5. ann. 434. ait: ut vix ſit reperire, qui paucioribus Chartis majora concluſerit.

Commonitorium Vincentii Lirinenſis nunquam homini *Chriſtiano* deponendum manibus putem; imò inſtar quotidiani *Enchiridii* circumferendum, ut ſolidum Beatitudinis noſtræ documentum eleganter & nervosè literis ab eruditiſſimo homine ſignatum; utinam non paulò copioſiùs. *Barth.* l. 18. adv. c. 7.

Vincentius Monachus & Presbyter Monaſterii *Lerinenſis* inſulæ. Natione *Gallus*, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & ſecularium literarum non ignarus, vitâ & moribus clarus. Extat ejus inſigne opus, quod ſub *Peregrini* nomine compoſuit, à veteribus doctoribus percelebrè laudatum, de erroribus & Collegiis Hæreticorum fugiendis. *Trithem.*

Si quis diligentiùs penſitabit, dicet ſcriptum eſſe eruditum & acutum, quod-

que

Digitized by Google

que *Hæreticorum* fraudes clarè in apertum producat, detegat atque egregiè impugnet; quin & præſens valdè remedium & antidotum quaſi contra eorundem venena miniſtret: in quo ipſius Scriptoris vis ingenii elucet, & doctrinæ magnitudo. *Magdeburgenſ.* Hiſt. Cent. V. c. 10.

Vincentius Peregrini nomine Commonitoria ſcripſit, quibus nihil in eo genere majore judicio aut acutiore Stylo conſcriptum memini *Petr. Pithaus* præf. in *Salvian.*

Edo in uſus veſtros duo ex Eccleſiaſtica Antiquitate ſcripta; unum S. *Auguſtini*, libros videlicet ejus de Doctrina Chriſtiana, quibus appendicem addidi librum de *Fide & Symbolo*; alterum *Vincentii Lerinenſis*: utrumque ſicut celebritatis ita quoque utilitatis maximæ. Complectuntur enim Introductionem in univerſum ſtudium Theologiæ, & cùm ad Scripturæ Explicationem, tum ad tractationem controverſiarum ſive confutationem Hæreticorum viam muniunt. *Georg. Calixt.* in Proœm. libris 4. *Auguſtin.* de Doctrina *Chriſt.* & *Vincent. Lerin.* Commonit. præmiſſo.

Vincentius Monachus *Lerinenſis* jam ab annis pluſquam mille ducentis vivebat. Interea tamen, ut ait Card. *Perronius* ejus ſcripta ex uſu concinno eſſe nunquam deſinunt. Et ſanè illis non modo ævi ſui *Novatores* adoritur, ſed etiam arma miniſtrat ad profanas *Novitates* oppugnandas, omnium *Hæreticorum* qui adverſus *Eccleſiam* inſurgere potuerunt, vel unquam poterunt. *Eruditorum Ephem.* Gall. Tom. 12. pag. 335.

Laborat *Vincentius* ſuſpicione *Semi-Pelagianiſmi*, qui tunc vigebat in illo *Monaſterio*. Unde & nonnulli cenſent, *eundem* eſſe, qui objectiones illas propoſuit, quas *Proſper* appellat *Vincentianas* & refutat, ut ſunt *Voſſius* & *Rivetus*, ille Hiſt. *Pelag.* l. 1. c. 9. iſte l. 4. Critic. Sacr. cap. 24. Quod tamen *Baronius* in Notis ad Martyrologium die 24. Maii prorſus impugnat. & Tom. 5. ann. 431. Lerinenſem pro *Catholico* & hoſte *Pelagii* habendum operosè contendit. Noviſſimè tamen *Ioannes Dallaus*, c. 2. lib. de *Uſu Patrum* confirmat, & *Sanctum* ſalutari admiratur. Nam in Martyrologio Romano ſic legimus: *Die 9 Kal. Iunii in Monaſterio Lerinenſi celebratur Natalis S. Vincentii Presbyteri, doctrina & ſanctitate conſpicui. Joſ. Arudius* in *Lexic.* Antiquit. Eccleſ. p. 1011.

Extat *Vincentii Lerinenſis* Commonitorium adverſus Hæreſes *Pariſiis* 1619. 4. & cum *Salviano* ibid. 1669. 8. à *Stephano Baluzio* editum.

SOCRATES.

Patriâ *Conſtantinopolitanus*, officio *Scholaſticus*, *Helladii* & *Ammonii* in Grammaticis Diſcipulus, *Novatianis* paulò faventior, claruit & ſcripſit ann. 440. Extat *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſtylo non admodum ſplendido. Gr. Lat. *Pariſ.* 1668. Fol. Edit. *Valeſ. Gul. Cave.* Clar. A. D. CCCCXL.

Hiſtoriam libris ſeptem condidit, orſus inde, ubi *Euſebius* deſiit. id eſt, à *Conſtantino*, uſque ad *Theodoſium* Juniorem, per ann. 140.

Digitized by Google

Novati partibus eum faviſſe pluribus è locis manifeſtum eſt. Nam (quod obſervavit doctiſſimus *Jacobus Billius*) nihil libentius fecit, quàm ut non modò oblatâ, ſed etiam interdum quæſitâ occaſione in *Novatianorum* laudem multa commemoret. Et ſi quis pio zelo incenſus *Novatianos* acriùs inſectetur, hujus nomen exiſtimationemque perſtringere ac labefactare ſtuduit. Sed ita obliquè, ut minùs perſpicaci lectori non tam dolori ſuo atque iræ obſequi; quàm veritatis rationem habere videatur. *Jacob. Bill.* l. 1. Obſervat. Sacrar. c. 26.

Sanè *Novatianis* favere, nulli obſcurum eſſe poteſt, qui legerit. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Claudicat veritas in *Socrate* Sectæ *Novatianorum* addicto, & in *Sozomeno* eâdem tincto fuligine. *Baron.* præfat. in Annal. Eccleſ. p. 2.

Photius in Biblioth. Cod. XXVIII. cenſet; *Socratem* nec habere ſtylum admodum ſplendidum, nec in dogmatibus eſſe accuratum.

Tandem verò (*Socrates*) abjectâ cauſidicinâ, ad ſcribendum *Eccleſiaſticam Hiſtoriam* animum ſuum applicuit. Quâ in re, & judicio & diligentiâ uſus eſt ſingulari. Ac judicium quidem, declarant obſervationes ac ſententiæ paſſim in libris ejus intextæ: quibus, meo quidem judicio, nihil eſt illuſtrius. Diligentiam verò, cùm alia multa teſtantur, tum illud inprimis, quod temporum notam, id eſt, *Conſulatus* & *Olympiadas* ſæpenumerò apponit, præſertim ubi res quaſdam majoris momenti commemorat. —— In ſcribenda autem Hiſtoriâ, uſus eſt *Socrates* ſtylo ſimplici atque abjecto, idque de induſtria; quo ab omnibus faciliùs intelligi poſſet, ut ipſe teſtatur in exordio libri primi ac tertii. Illud enim ſublime & ornatum dicendi genus, Panegyricis potiùs orationibus, quàm rerum *Eccleſiaſticarum* Hiſtoriæ convenire exiſtimavit. *Henr. Valeſ.* de vitâ & Script. Socratis.

Potuit quidem *Socrates* noſter favere *Novatianis*, ſeu quòd neceſſitudine ac familiaritate iiſdem conjunctus eſſet, ſeu quòd eorum diſciplinam atque abſtinentiam probaret. Fuit enim, quantum quidem ex ejus libris colligere poſſumus, paulò ſeverior. Sed *Novatianum* illum fuiſſe, ægrè admodum mihi perſuaſerim; præſertim cùm ex aliquot locis, quæ in ejus Hiſtoriâ occurrunt, contrarium mihi videar deprehendiſſe. Primùm enim in l. 2. c. 38. τὺς τῆς ἐκκλησίας non ſemel appellat *Catholicos*, eoſque opponit *Novatianis*. *Novatianos* ergo extra *Eccleſiam* fuiſſe agnoſcit, Quod profectò nunquam faceret, ſi *Novatiani* ſectam amplexus fuiſſet. Sed & in libro ſexto, c. 20. & 23. *Novatianis* inter *Hæreticos* nominat, cum *Arianis* ſcilicet *Macedonianis* & *Eunomianis*. Denique ex capite 19. ejuſdem libri apertè colligitur, *Socratem Novatianum* non fuiſſe. *Henricus Valeſ.* ibid.

Hanc igitur *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, quæ cunctis *Chriſtianis* valdè neceſſaria comprobatur, à tribus *Græcis* auctoribus mirabiliter conſtat eſſe conſcriptam: uno ſcilicet *Theodorito*, venerabili Epiſcopo, & duobus diſertiſſimis viris, *Sozomeno* & *Socrate*: *Caſſiodor.* in Præf. Hiſt. Tripartit.

Socratem, Theodoretum, & Sozomenum Epiphanius Scholaſticus Latinè tranſtulit, Magno *Aurelio Caſſiodoro* id poſtulante, qui ex tribus iſtis unum corpus confecit

Digitized by Google

cit ediditque, unde *tripartitam Hiſtoriam* appellatam ex ipſo conſtat. *Whear.* Sect. 34.

Socratem in re Chronologica aliquandò hallucinari videtur *Baronio.*

Franciſcus Turrianus ipſum mendacii accuſat, non uno in loco.

HERMIAS SOZOMENUS.

ORtu, ut videtur, *Palaſtinus*, Advocatus *Conſtantinopolitanus*, claruit anno 440. Extat *Græc. Lat. Hiſtoria Eccleſiaſtica*, in quâ ſæpe à *Socrate* diſsentit, *Par.* 1668. fol. cum Notis *Valeſii*. Hanc editionem ut & *Socratis* expreſserunt *Moguntini* anno 1677. fol. verùm longe infra *Pariſienſem* ſubſidet iſta editio. *Gul. Cave* in Chartophyl. Clar. An. D. CCCCXL.

Hermias Sozomenus, dictus *Scholaſticus*, *Salaminius*. Scripſit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* libris 9. à tertio Conſulatu *Criſpi* & *Conſtantini* jun. ſeu An. *Chr.* 324. uſque ad 17. Conſulatum *Theodoſii* jun. id eſt, uſque ad ann. 439. Inſcripſit illam *Imperatori*; ſed partem ejus, continentem res geſtas Annorum 20. ab anno nempe 400. amiſimus. Nimium *Theodoro Mopſueſteno* tribuere videtur *Gregorius* M. niſi hîc ſe fefellit, *Socratem* intelligens fortè. Pœnitentiæ publicæ gradus exactè deſcribit. *Novatianis* quibuſdam paulò æquior fuiſſe dicitur. Obiit anno 450. *Hofman.* in lexic. ſuo.

Apud *Gregorium* M. l. 6. Epiſt. 95. hujuſmodi de eo judicium eſt. *Sed ipſam quoque Sozomeni Hiſtoriam ſedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur: & Theodorum Mopſueſtiæ nimium laudat; atque ad diem uſque obitûs ſui magnum doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet.* Quod de *Theodoro Mopſueſtiæ* ait, id hodiè in *Socrate* non legas; ſed in *Theodoreto*. Quare videri poſſit in *Gregorio* memoriæ error. Sed veriſimilius eſt, ſcripſiſſe hoc *Sozomenum* in iis, quæ deperierunt. Nam ipſe *Sozomenus* refert in præfatione, ſe Hiſtoriam ſuam produxiſſe uſque ad Conſulatum *Theodoſii* junioris ſeptimum decimum: ut penè viginti annorum Hiſtoria deſideretur. Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 2. c. 20.

Cardinalis *Baronius* Tom. 4. ad annum 439. hôc modo interpretatus eſt verba prædicta *Gregorii* M. dicendo, nimirùm, *ab Eccleſiâ R. Sozomenum Theodorũ Mopſueſtiæ laudatorem non recipi: in reliquis quæ vera dixit, quomodo potuit ab Eccleſiâ non recipi?* Prætereà à *Gelaſio* Papâ (cui nemo ob auctoritatem atque doctrinam refragari poteſt juxta ipſum *Cardinalem*) conſtat, *Sozomenum* non rejici, ſed majoris fidei haberi quàm *Euſebium Cæſarienſem*; ejuſque *Hiſtoriam* majoris æſtimationis apud *Photium* quàm *Socratis* fuiſſe. Denique *Melchior Canus* ait, in *Concilio Florentino*, cui interfuit Imperator *Palæologus*, teſtimonium *Sozomeni*, non ſolùm uſurpatum, ſed etiam probatum. *Whear.* in Meth. legendi Hiſt. Civ. Sect. 35.

In ſcribendâ autem Hiſtoria uſus eſt *Sozomenus* ſtylo, nec depreſſo nimis nec turgido, ſed qui inter utrumque medius incedit. Qui quidem ſtylus *Eccleſiaſticarum* rerum ſcriptori optimè convenit. Et *Photius* quidem in *Bibliothecâ*, dictionem *Sozomeni* præfert dictioni *Socratis*. Cui nos libenter accedimus. Sed

Digitized by Google

quantum elegantiâ dictionis vincit *Sozomenus*, tantum *Socrates* judicio vincit. Nam *Socrates* quidem tum de viris, tum de rebus ac negotiis *Eccleſiaſticis* optimè judicat. Nihil eſt in illo niſi grave ac ſerium. Nihil quod tanquam ſuperfluum poſſis expungere. Contrà verò in *Sozomeno* quædam occurrunt levia ac puerilia. Cujuſmodi eſt in libro primo exceſſus ille de conditu urbis *Hemona*, & de *Argonautis*, qui navem *Argo* humeris ſuis per aliquot ſtadia tranſportarunt. Item deſcriptio illa *Daphnenſis* ſuburbani, quæ habetur in libro ſexto: Item obſervatio illa de pulchritudine corporis, ubi agit de *Virgine* illâ apud quam diu latitavit Beatus *Athanaſius*. Denique liber nonus nihil ferè aliud continet quàm eventus Bellicos, quibus nihil commune eſt cum *Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ*. *Henr. Valeſ.* de vitâ & ſcriptis *Sozomeni*.

Sed & dictio ipſa *Sozomeni* quam *Photius* dictioni *Socratis* anteponit, vitiis ſuis non caret. Obſervavi enim, periodos à *Sozomeno* non aliter inter ſe connecti quàm per *particulas* illas δὲ & τε, quibus nihil eſt moleſtius. Quod ſi quis *Epiſtolam* illam attentiùs legerit qua *Sozomenus* Opus ſuum juniori *Theodoſio* nuncupavit, inveniet profectò id quod dixi, *Sozomenum* non magnum *Oratorem* fuiſſe. *Idem* ibid.

Uter plagiarius ſit, *Socrates* ne an *Sozomenus*, difficile eſt dicere, cùm ambo iiſdem temporibus vixerint, ambo principatu *Theodoſii* junioris, Hiſtoriam ſuam ſcripſerint. Itaque in hujus Quæſtionis diſceptatione, utendum eſt conjectura. *Idem* ibid.

Sozomenum in Chronologia ſæpe erraſſe cenſuit *Baronius*.

SALVIANUS.

Clar. A. D. CCCCXL.

ORtu *Gallus*, Presbyter *Maſſilienſis*, claruit ab anno 440. & deinceps magis magiſque inclareſcere cœpit; in vivis adhuc erat anno 495. *Scripta* ejus *Pariſiis* excuſa ſunt Anno *Dom.* 1669. 80. *Gul. Cave*.

Salvianus plurima *Opera* ſcripſiſſe fertur, ſed nunc extant ſolùm, quod ego ſciam libri octo de *Providentiâ*, & *Judicio Dei*, & libri quatuor de *Eccleſia*, ſub nomine *Timothei*, in quibus ita exaggerat vitas *Chriſtianorum*, & maximè *Clericorum* ſui temporis, ut nimius videri poſſet, niſi ex vero zelo gloriæ *Dei*, & ſalutis animarum Oratio ejus proficiſceretur. *Bellarmin.* de ſcript. Eccleſ.

Salvianus humana & divina literatura inſtructus. *Phil. Labbe.*

Divinarum & humanarum literarum Scientiſſimus. *Hofman.*

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis ſufficienter inſtructus. *Trithem.*

Salvianus Presbyter *Maſſilienſis*, cultus ac pius *Auctor*, novus ſui temporis *Hieremias*. *Joan. Bona*. Card.

Nihil ei videtur ad abſolutam eruditionem defuiſſe. Et ut eſt ſanè mirus in caſtigando artifex, ita eſt in docendo Magiſter acerrimus. *Centur. Magd.* l. 5. c. 10.

Scripſit hic *Latino*, candido & ſuccincto ſermone multa laudatiſſima opuſcula. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Biblioth.

Liber ejus de *Providentiâ Divinâ* verè aureus eſt, multæ eloquentiæ, pietatis &

Digitized by Google

& doctrinæ, meritoque omnibus legendus. *Quenſtedt.*

Eximius ſcriptor. *Salvianus*, ſanè diligenti lectione dignus eſt. *Barth.* l.43. cap. 16.

Joſephus Scaliger Scriptorem *Chriſtianiſſimum* appellat.

Gallica Gentis Epiſcoporum magiſtrum vocat *Taubmannus* Notis in *Plautum.*

Salviani Opera *Conradus Rittershuſius* erudito Commentario illuſtravit. Quo nomine gratias illi egit *Caſaubonus* hiſce verbis: *Salvianum* verò qui pluris faciat quàm ipſe facio, non facilè invenias. Itaque pro eâ Operâ, quæ illi optimo Scriptori à te eſt impenſa, ago tibi pro meâ virili grates gratiſſimas. *Caſaub.* in Litter. ad *Rittersh. Londini* prid. Kal. Jan. 1611.

Salvianus & *Vincentius Lirinenſis*, viri, quantum ferebat mala ſeculi illius fortuna, & eloquentiſſimi & veræ pietatis ac ſinceræ religionis amantiſſimi. Scripſerunt enim illi adeò purâ ac tersâ *Latinitate* ut deſiderari præterea nihil poſſit in ſcriptoribus adeò remotis à ſeculo *Divi Auguſti* & *Titi Livii.* Res verò *Religionis* ac *Morum* eo *veri* amore, ac caritate erga miſerrimos ætatis ſuæ mortales, eâ in *Deum* pietate proſecuti ſunt, ut planè appareat nihil aliud efficere eos lucubrationibus ſuis voluiſſe, niſi ut *Humanum Genus* ad ſanam mentem & ad Divinorum beneficiorum agnitionem retraherent. *Steph. Baluz.* in Epiſt. ad *Abbat. Jac. Nic. Colbert.* dat. *Lut. Pariſ.* 4. Kal. Jul. 1669. Oper. *Salvian.* & *Vincent. Lirin.* præfixâ.

Salvianus quam pulcher eſt hic liber, & quam pulchra ſimplicitas! Scaligerana 2.

Salvianus Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter, humanâ & divinâ literaturâ inſtructus, &, ut abſque invidiâ loquar, Epiſcoporum Sanctorum *Salonii* & *Verani* magiſter, ſcripſit ſcholaſtico & aperto Sermone multa. *Gennad.* de Script. Eccleſ.

Salvianus, magni nominis Epiſcopus ſui temporis fuit, laudaturque ab *Eucherio* Epiſcopo *Lugdunenſi*, ſimul cum *Vincentio*; quos Sanctos viros eloquentiâ & doctrinâ eminentes fuiſſe tradit in præfatione ad libros de *Quæſtionibus* Veteris ac Novi Teſtamenti, quos ad *Salonium* inſcripſit, ad quem etiam *Salvianus* eoſdem ſuos commentarios dedit. *Baron.* ad ann. 428.

Salvianus Treveris oriundus, quem *Maſſilienſem Epiſcopum Poſſevinus, Sixtus Senenſis, Bellarminus,* & cum iis alii è recentioribus multi faciunt, cùm tamen *Presbyterum* tantùm *Maſſil.* fuiſſe, ex incorruptis Codicibus *Gennadii Maſſilienſis*, coætanei, liquidò conſtet, imo ipſa Epiſcoporum Maſſil. ſucceſſio & Chronologia id edoceat: Vivente enim *Salviano*, *Venerius* anno 428. fuit Epiſcopus, cui, *Gennadio* teſte, ſucceſſit *Euſtachius*, & huic, *Græcus*, auctore *Sidonio Apoll.* tùm *Cannatus*, &c. referentibus *Sammarthanis*, Tom. 3. *Gall. Chriſt.* f. 642. Major adhuc eſt audacia *Philippi Elſii*, Ord. Auguſt. qui eremitam *Salvianum*, & *Auguſtinianum* facere contendit, caſtigati propterea à *Labbeo* p. 322. de Script. Eccleſ. *Olearius* in Abaco Patrum.

* *Conradi Rittershuſii* Commentarius in *Salviani Maſſilienſis* Opera, inter Libros expurgandos numeratur in *Indice Madrit.* impreſſo Anno 1667.

TIRO PROSPER.

Clar. An. D. CCCXLVI.

AQuitanicus, *Valentiniani* temporibus fuit, quem *Burdigalenſem* vocat *Joannes Aventinus*: *Leonis Papæ* primùm Notarius, ac pòſt Epiſcopus *Rhegienſis* fuit. Multa præclara ſcripſit pro *Gratiâ Chriſti* contra *Pelagianos*, ſeſeque *S. Auguſtini* Diſcipulum & defenſorem acerrimum demonſtravit, uti loquitur *Bellarminus* de Script. Eccleſ. *Chronologiam* ſuam terminavit Anno 435. quo creditur obiiſſe. Scripſit porro *Poema*, contra *Ingratos*; Librum contra *Collatorem*, &c. Quæ omnia ſæpiùs Edita. Libri tres de *Vitâ Contemplativâ*, *Juliani Pomerii* ſunt, falsò *Proſpero* tributi. Sic duo libri De *Vocatione Gentium*, nec *Ambroſii*, nec hujus *Proſperi*, nec *Proſperi*, Epiſc. *Aurelian.* cujus *Sidonius Apoll.* meminit, in Epiſt. nec *Proſperi*, qui An. 527. Concilio *Carpentoractenſi* ſubſcripſit, ſed *Afri* cujuſdam ſunt, qui ad *Demetriadem* Epiſtolam ſcripſit. *Hofman.*

Quo eodem *Leonis* tempore in *Italia Proſper* claruit, qui ex *Hiſpaniâ* originem duxit, vel (ut rectiùs alii tradunt) ex *Aquitaniâ* qui cùm chlamydatus *Romam* miles veniſſet, à *Leone* Pont. Max. benignè ſuſceptus, & ad aliam militiam longè feliciorem translatus eſt, Leoniſque ipſius ſcriba fuiſſe creditur. Quin *Gennadius*, Epiſtolas *Leonis*, ait, adverſus *Eutychem*, quæ adhuc leguntur, ab ipſo *Proſpero* dictatas eſſe, ſunt qui credant. Certè ab ipſo *Leone* non multò poſt *Regii Lepidi* Pontifex eſt inſtitutus, ubi cùm doctrinâ, tum Sanctitate floruit. Longior vobis videri poſſim, ſi omnem ejus vitam percurrere velim, quam non contemnendo ſtylo *Flaminius* pater complexus eſt: ut miſſam faciam quæ in Eccleſiâ legitur, & quam breviter *Gennadius* in ſuo de viris illuſtribus attigit. Poëticam ejus nunc ego tantùm attingam, in quâ (ut ea ferebant tempora) excelluit. Scripſit verò de *Providentiâ Dei* librum unum: περὶ ἀχαρίστων, id eſt, *de ingratis*, alterum, heroico carmine. Scripſit & *Epigrammata* ex D. *Auguſtini* ſententiis, omnia quæ leguntur. Item libellum alterum elego verſu de *Diverſis Cauſis*: *Odas* inſuper & *Hymnos*, quorum aliquos citat *Beda*. Scripſit & *Proſper* alia pleraque ſolutâ Oratione, quorum magna pars extat, & ipſe nonnulla legi. In Divorum quoque numero ſuis meritis relatus eſt, & *Regi Lepidi* maximè cultus. *Lil. Greg. Gyrald.*

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis nobiliter doctus; carmine excellens & proſâ, eloquio diſertus, ſenſu profundus, ingenio ſubtilis, aſſertione nervoſus, vitâ & converſatione ſanctiſſimus. *Trithem.*

Vir acris ingenii, dictionis preſſæ, nervoſæ, & elegantis, magnam cum vitæ ſanctitate divinarum & humanarum rerum eruditionem habens. *Sixt. Senenſ.* Biblioth. Sanct. l. 4.

Proſper Aquitanicus acerrimus fidei defenſor, in ſcribendo accuratus, ſive ſoluta, ſive ligatâ Oratione loquatur. *Sirmundus* in Notis ad *Sidonium Apollinarem* conſtanter negat hunc *Epiſcopum* fuiſſe. Imò *Laicum* fuiſſe & *Uxoratum* docet *Philippus Labbe. Joan.* Card. *Bona.*

Laudatur à *Gennadio Proſperi* dictio, utpote (ut ait) ſcholaſtica atque nervoſa.

nervoſa. Eadem de eo *Marcellinus* in *Chronico*: Sed magno errore ibi, pro *nervoſa* habet *verboſa Baron.* ad Ann. 466.

Vir certè erat magnæ eruditionis, nec minoris pro fide Catholicâ Zeli: adeo ut *Pelagianæ* Hæreſeos ruinam illi præ aliis acceptam referat *Photius* Cod. 54. Uxoratum fuiſſe arguunt verſus ad Uxorem ſuam, qui à *Bedâ* in fine libelli de re Metricâ adducuntur. *Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

Proſper Aquitanicus, Rhetor & Poeta ſeculi quinti diſertus, ſenſu profundus & ſubtilis. Extat carmen ejus adverſus *Ingratos*, item *de Providentiâ Dei* aliud; in quibus rariùs impingit in Nævos *Proſodicos*, quàm vulgò veteres *Eccleſiaſtici* ſolent. Conſtat *Pelagianis* infeſtum fuiſſe, eoque olim commendatum. *Borrich.* de Poët. pag. 77.

De eleganti Carmine περὶ ἀχαρίστων (ſic *Pelagianos* & *Semipelagianos* vocat, tanquam erga *divinam Gratiam* ingratos) quin ejus ſit ambigit nemo. At carmen *de Providenti* hominis eſt *Pelagiani*: cui illud *Proſperi* de *Ingratis* ſubjungi ſolet, ut antidoti impleret vicem. Meritò verò judicium deſideramus in *Antonio Flaminio Imolenſi*, qui in *Proſperi* vitâ, carmen illud *Pelagianum* illius eſſe putavit: & tamen ab eo librum eſſe ſcriptum ait contra nefariam *Caſſiani* hæreſin *Voſſ.* l. 1. c. 18. Hiſt. *Pelagianæ*.

Dominus *Godeau* cenſet Poema contra *Ingratos* Epitomen eſſe omnium S. *Auguſtini* librorum in hanc materiam, eorum præſertim qui adverſus *Julianum* ſcripti ſunt. Addit ejus phraſes mirabiles eſſe, meritoque pluribus in locis non ſine ſtupore conſiderari quomodò *Sanctus* ille verſificationis pulchritudinem cum argumenti ſpinis conſociare valuerit. *Anton. Godeau* Approbat. *Verſionis Gall.* Poematis hujus adverſus *Ingratos. Gallicè.*

Quod ſatis mirum in hoc adverſus *Ingratos* Poemate occurrit, juxta *Anonymi* Authoris ſententiam, eſt quòd ἀκρίβεια circa Fidei dogmata in illo tam congruenter obſervata deprehendatur, quantumvis reluctantibus verſuum coactione, geniique Poetici licentia; quòdque ibi cernantur veritates cum nativis Poeſeos ornamentis, id eſt cum blanditiis liberalique audacia repræſentatæ quæ amœnitatem & ingenium pariter ſapiat. *Anonymus Interpretes* Operis hujus, in ſuo *Prologo* Gallicè.

Gennadius in libro de *Viris Illuſtribus*: ſcribit Epiſtolam illam celebrem Sancti *Leonis* ad *Flavianum* contra *Eutychem*, exiſtimari à Sancto *Proſpero* fuiſſe ſcriptam. At certe ſi ulla Epiſtola S. *Leonis* eſt, illa omnino eſt, ſive ſtylum, ſive doctrinam *Leonis* attendas. Libri de *Vocatione Gentium* tribuuntur etiam S. *Ambroſio*, ſed verè *Proſperi* ſunt, non *Ambroſii*, ut ſupra demonſtravimus, cùm de libris *Ambroſii* ageremus. Liber *de Providentia Dei* non videtur *Proſperi*, ſed alicujus ex factione *Gallorum*: qui *Semipelagiani* ſunt appellati. Legat prudens lector, & judicet. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Editio *Operum* ejus probatior *Colonienſis*, in 8°. anno 1630. Chronicon integrum edidit *Labbeus* Bibl. Nov. MSS. T. 1.

C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS.

Clar. An. D. ccccLXXII. Obiiſſe dicitur An. 482. XII. Cal. Septembr.

PAtrem habuit, qui ſub *Honorio* Imp. fuerit *Tribunus Notarius*, & Præfectus Prætorio *Galliarum*. Natus ipſe ſub *Theodoſio* juniore, & *Valentiniano* 3. Ter utriuſque militiæ Magiſter fuit, quater Prætorio Præfectus. Multùm auctoritate valuit apud *Auguſtos Petronium Auguſtum*, *Avitum*, *Majorianum*, *Aviti* etiam gener fuit, ac perfamiliaris *Theodorico Gothorum* Regi: inter quem & *Majorianum*, *Sidonio* conciliante, pactum initum eſt. A *Majoriano* etiam *Comitis* honore auctus. Sub *Severo Auguſto Averniam* adverſus incurſus *Barbarorum* defendit. Sub *Anthemio* etiam magno in honore fuit. Poſt varias verò dignitates jam quadragenarius, factus eſt *Arvernorum* Epiſcopus: ac tum totum ſe *Sacris Studiis* dedit, relictâ Poëſi. Quantum autem valuerit *Poëſi*, partim oſtendit, quod in *Trajani* foro ſtatuam meruit cum *Laureâ Apollinari*: partim elucet ex 24. Poematiis, quæ habemus. In Metra ſæpiùs peccat. *Voſſ.* de Poet. Lat.

Sidonius Arvernorum Epiſcopus ſcripſit varia & grata volumina, & ſanæ doctrinæ: Homo ſiquidem tam divinis quàm humanis ad integrum imbutus, acerque ingenio; ſcripſit ad Diverſos, diverſo metro, vel Proſâ compoſitum inſigne Volumen, in quo quid in literis poſſit, oſtendit: Verùm in *Chriſtiano* vigore pollens, etiam inter *Barbaræ* ferocitatis duritiem, quæ eo tempore *Gallos* oppreſſerat, *Catholicus* pater & Doctor habetur inſignis. *Gennad.* lib. de Viris Illuſtr.

In *Sidonio*, ingens, ut apparet, ingenii vigor. Magis ob multas virtutes admirandus, quòd præmortuâ Romanâ facundiâ hæc ſcripſerit, quàm ob temporis vitia accuſandus videatur *Cauſſin.* lib. 3. cap. 14.

Nemo poſt Claudianum melior Poeta fuit, à quo deinceps cæteri omnem eloquentiam in affectatos illos Rithmos fregerunt, multa paucis includere, & conſonis ſententiarum clauſulis velut harmonicum genus dicendi affectantes. *Barth.* lib. 57. cap. 11.

Scholaſticiſſimus omnium Præſulum *Sidonius*. *Wibert. Gemblacenſis.*

Vir ingenioſus & Cothurnatæ Eloquentiæ. *Vincent.* ſpec. lib. 21. c. 46.

Veteris ſtudioſus elegantiæ, ita ut barbaricis Incurſionibus obſoletæ, & penè antiquatæ *antiqua facundiæ reductor & reparator* haberetur. *Savaro. in vitâ.*

Apollinare opus, Muſis & Apolline dignum. *Idem ibid.*

In utroque dicendi genere Gallicum neſcio quid & barbarum redolere videtur. *Lil Greg. Gyrald.* de Poet. Dial. 5.

Verba Antiquaria, & novata, & Phraſis dura, atque novata, & horrida, minùs multo notabilia ſunt in oratione numeris adſtrictâ: quod eſt animadvertere in multis: velut in *Sidonio Apollinare*, & Martiano Capellâ: quorum *Proſa* abſurdiſſima eſt, *Verſum* non penitus rejicias. *Lud. Viv.* lib. 3. de *ratione Dicend.* c. de Poetic.

Sidonius

Digitized by Google

Sidonius Apollinaris Arvernorum Epiſcopus, vir acris ingenii, & Cothurnatæ eloquentiæ, ſed ſtylo duro & obſcuro ob corruptum à *Gothis* ſeculum. *Jo. Card. Bona.*

Notamus hodieque non proletariam in *Sidonii* ſcriptis eruditionem, & locupletes ſanè ingenium. Non inficiandum tamen, dictionem ejus duriorem ſubinde eſſe, & horridulam, immò quandoque tumidam. Ut taceam lapſus *Proſodicos*, & verborum quandoque novitates. *Borrich.* de Poëtis p. 77.

In Epiſtolis ac Carminibus ſupra modum literatus. *Roſin.* Antiq. Rom.

Unicè autem laudo & amplector *Sidonii* modeſtiam, qui ſe immeritò *Arvernæ Eccleſiæ* propoſitum eſſe conqueritur. Gener is fuit *Aviti* Imp. Vir ſummâ morum ſanctitate, Rhetoricis & Poëticis literis excultus. *Greg. Turonenſ.* l.2.c.21.

Sidonii Apollinaris, ſive *Apollinaris Sidonii*, ita enim malumus cum doctiſſimis viris; ingenium magnum fuit; eloquentia in verſu non vulgaris eo tempore; nam de cæterâ melius ſilere exiſtimo, cùm infiniti alii eo tempore longè faciliùs ſcripſerint. C.*Barth.*l.49.c.18.

Sidonius accuratus, aliquando etiam anxius; plenus electorum verborum & ſententiarum, quas acutas brevi concludit gyro. *Jul. Caſ. Scalig.* De Re Poët. pag. 822.

Jeſ. *Rapinus* ait illum in improprietatem incidiſſe, dum affectat grandiloquentiam, nec tamen Poeſeos genium habet. Imò nec dubitavit alibi præterea dicere, *Sidonium ſtylo* admodum arido miniméque ſapido ſcripſiſſe.

Apollinarius Sidonius à vitâ moribuſque *Modeſti* nomen apud Librarios accepit. *Barth.*adverſ.l.6.c.1.

Claudius Mamertus Sidonium vocat eruditorum ſui ævi peritiſſimum ac diſertiſſimum, eique libros tres de *Animâ* adverſus *Fauſtum* dedicavit. *Labbe.* de Scriptor. Eccleſ.

Editio illa Operum ejus non faſtidienda, quæ *Pariſiis* cum Commentariis & caſtigationibus *Joan. Savaronis* prodiit, item *Vouverii*, ſed præfertur *Hanovienſis Elmenhorſtii*; probatiſſima omnium *Labbei* cum notis *Jacobi Sirmondi*.

Plura ſi quis velit, conſulat is *Joannem Savaronem* & *Jacobum Sirmondum*, qui *Sidonii* noſtri res geſtas ſtudiosè & accuratè collegerunt.

MARTIANUS MINEUS FELIX CAPELLA.

ÆTatis dubiæ Auctor. Vir Proconſularis, & domo *Carthaginienſis* in vet. libris vocatur. Extant libri 7. *De Nuptiis Philologiæ*, primùm editi *Vicentiæ* anno 1499. curâ *Franciſci Vitalis Badiani*; cum ſcholiis & obſerv. *Bonav. Vulcanii*, unà cum *Iſidori Originibus*. fol. ann. 1577. emendati ab *Hugone Grotio Lugduni Bat.* anno 1599. in 8°. quæ editio reliquis præſtantior. Clar. An. D. CCCCXC.

Ut *Petronius*, ſic & *Martianus Capella Satyræ* nomine opus ſuum inſcripſit, quòd illius inſtar hoc opus & Verſibus & Proſâ ſcripſerit, & utile dulci miſcuerit

cuerit. Stylus Barbaries ipſa eſt: tantâ audaciâ, tantâ *figurarum* inſolentiâ, ut vel in Poëtâ omnium confidentiſſimo non ferendæ ſint. Stylus etiam tam ſpiſsâ caligine involutus eſt, vix ut explicari poſſit: doctus alioqui, & non vulgari eruditione refertus. *Africanus* fuiſſe creditur; ſi non erat, eſſe debuit uſque adeò horrido & coacto ſcribendi genere utitur. Incertum eſt, quo tempore vixerit; certum tamen eſt eum *Juſtiniano* fuiſſe antiquiorem, & ad *Proconſulis* evectum eſſe dignitatem. *Petr.Dan.Huet.* de *Orig.Fabul.* p.79.80.

De *Martiano Capellâ* judicium ecce *Ludovici Vivis*! *Sidonii*, inquit, *& Capella Proſa abſurdiſſima eſt, verſum non penitus rejicies.* Verum enim verò Scriptorem eruditum eſſe, & in *Hiſtoria* etiam *Ægyptiacâ*, ut alia mittam, probe verſatum ignorare non poteſt, qui eum ſedulò verſaverit; laudatus propterea etiam *Scheinero* in *Rotâ Urſinâ*: Sed vitio gentis; *Afer* enim fuiſſe traditur, & temporum, liberiùs ſibi indulſit, Dictioniſque *Latinæ* negligentior deprehenditur. *Ol.Borrick*, cogitat. de variis Lat.Ling.ætat.p.21.

Martianus Felix Capella, etſi *Carthaginienſis* fuit, *Latinè* tamen multa ſcripſit, ſed novo quodam & affectato ſcribendi genere, quo plerique in terrâ *Africâ* uſi ſunt, ut *Apulejus*, *Tertullianus*, & *Fulgentius*. Carmina hic multa compoſuit, ſuis & libris inſeruit. Ejus verò *Philologiæ* & *Mercurii Nuptiæ* non aliud mihi eſſe videntur, quàm figmentum quoddam *Poëticum*, quod cum ſolutâ oratione, tum pedibus aſtrictum conſcriptum ſit. Parum ab aliis ſcriptoribus antiquis *Martianus*, quod ſciam, celebratur, niſi in eo qui de *Diſciplina Eccleſiaſticorum* inſcribitur, qui à quibuſdam *Severino Boetio* attribuitur---Tametſi multa variaque in eo ſit & exotica eruditio, nihilominus non eſt pueris ediſcendus. Neque enim tenera ætas eruditioni, ut mea fert opinio, ſed linguæ proprietati, & elegantiæ ſtudere debet, & *Naturam* imitari, quæ nos quidem priùs verba formare, dein cum annis ſapientiam aſſequi docet. *Lil.Gyrald.*

Scriptorem hunc vere eruditum, tamen barbarum non plane immerito appellat *Joſ.Scaliger* notis in *Cir.Voſſ.* de Hiſt. Latin.

Durum & vere *Latini* Sermonis æſtimantibus barbariorem ſcriptorem eſſe *Martianum Capellam* non imus inficias: Ex eo tamen tot numero tantaque pondere diſcere poſſis, quot quantaque ex alio paris molis quovis. Tota fere ibi *Cyclopedia* novem Chartis abſoluta eſt, cum innumeris interioris ſapientiæ Myſteriis Verſu atque Proſâ oratione indicatis & propoſitis. *Barth.* l. 19. adv. cap. 16.

Martianus Capella auctor utiliſſimus ad veterum de ſingulis artibus liberalibus ſententiam capiendam, nec dignus qui à *Criticis* adeo aſpernabili titulo proſtituatur ludibrio *Tulliaſtrorum*. *Idem* ibid.l.7.c.16.

Et fuit alioquin jam ante ipſos mille annos tanta *Capellæ* hujus auctoritas, ut qui eum teneret, videretur omnium Artium arcana noſſe. *Barth.* ibid.lib.8. cap. 23.

Qui dictionem ejus ſolutam in culpam trahit, mitiùs judicabit, ſi temporum caliginem intuetur, & *Afrum* fuiſſe ſciat, cui genti, ſi paucos excipias, ſartago quædam loquendi non erat inſueta. Spargit autem *Capella* per totum opus ſuum metra,

Digitized by Google

metra varii generis,non optimi quidem illâ coloris,ſed tamen nec ubique peſſimi. *Borrich.* de Poët. p. 80.

Ad ipſum *Martianum* te relego,in quo plurima invenies,quæ nec diſcere tædebit, nec didiciſſe pœnitebit. Neque hoc ipſos barbari ſeculi homines latuit, apud quos quanti nominis fuerit *Capella*, vel ſolus *Turonenſis* ſatis ſuperque docebit, qui eum in fine libri non aliter nominat, quàm ſi *Ariſtotelem, Ciceronem, Varronem* nominâſſet. *Hug. Grot.*

Rebus Latinus, verbis Africanus, durus innovator. *Dempſter.*

GENNADIUS.

MAſſilienſis Presbyter, vixit tempore *Anaſtaſii* Imp. & *Gelaſii* Papæ: cui & opus de *Fide* dicavit. Epiſcopum vocat *Sigebertus*: uti & *Platina* in *Symmacho* facit. Sed Presbyter dicitur è *Wallafrido Strabone* de divinis officiis c. 20. Imò ipſe ſic ſe appellat in fine libelli de Illuſtr. Script. Vt veriſimile ſit, à *Sigeberto* eum confundi cum altero *Gennadio*, *Conſtantinopolitano*, qui *Leonis* ſenioris temporibus floruit: ut ex *Maſſilienſi* hoc *Gennadio* cognoſcimus, item è *Nicephoro* l.15.c.22.& 23. *Maſſilienſis Gennadii* duo libri extant: unus eſt de *Dogmatibus Eccleſiaſticis*; quem falsò tribui *Auguſtino*, jam ante annos octingentos monuit *Eccleſia Lugdunenſis* in iis, quæ de *Godſcalci* causâ adverſus *Joannem Erigenam Scotum* ſcripſit. Alter liber, cujus unius causâ hîc ejus meminimus, eſt is, quem conſcripſit de *Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus*. Eum & *Caſſiodorus* commendat libro de divinis lect. c. 17. Manuſcriptus extat in *Bibliothecâ* publicâ *Academiæ Cantabrigienſi*, & *Bibliothecâ* Collegii S. *Benedictini*, eadem urbe. Reliqua *Gennadii* perierunt. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. Clar. An. D. CCCCXCII.

Gennadius Maſſilienſis Presbyter & poſteà Epiſcopus vixit tempore *Gelaſii* Papæ, circa an. Dom. 490. nam ad ipſum *Gelaſium* miſiſſe librum ſuum de *Fide* teſtatur ipſe *Gennadius* in extremo libro ſuo de *Viris Illuſtribus*, quamvis non in omnibus *Codicibus* liber *Gennadii* inveniatur completus. Scripſit librum de *Eccleſiaſticis Dogmatibus*, qui extat inter libros S. *Auguſtini*, & hic eſſe creditur liber; quem ipſe miſit ad *Gelaſium*.

Scripſit etiam librum de *Viris Illuſtribus*, in quo ſuſpicionem non parvam reliquit ſuæ non rectæ fidei. Laudavit enim *Caſſianum*, & *Fauſtum* qui *Semipelagiani* fuerunt; & *S. Proſperum* depreſſit, qui pro gratiâ *Dei* contra *Pelagium* fortiſſimè dimicavit. Scripſit prætereà multa alia, quæ ipſe commemorat in extremo libro de *Viris Illuſtribus*: Sed ea non extant,aut certè ad manus meas non venerunt. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Gennadius Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus & ſæcularium literarum non ignarus, *Græco* ſimul & *Latino* ad perfectum inſtructus eloquio, multa conſcripſit opuſcula,& de Græco in Latinum Sermonem non pauca volumina Antiquorum Patrum traduxit. *Trithem.*

Hujus quoque [*Symmachi* Pont. M.] tempore Eccleſiam Dei multùm

 juvit

Digitized by Google

juvit *Gennadius Maſſilienſis* Epiſcopus, qui diligens *Auguſtini* imitator, & librum de dogmatibus compoſuit: & quid cuique ad ſalutem neceſſarium eſſet, declaravit. Scripſit item de *Illuſtribus*, *Hieronymum* imitatus. *Platin.* de Vitis Pontif.

Nec verò poteſt aut debet tanto cum faſtidio *Gennadii* auctoritas declinari, admittendo ejus lapſum. Nam *Adrianus* Papa Epiſt. 9. ad *Carolum Francorum* Regem de ipſo perhonorificè loquitur, teſtemque producit, & cum laude tanquam ſcriptorem uſquequaque Catholicum allegat in ſuæ cauſæ præſidium pro veneratione reliquiarum ſanctarum, ubi etiam *Pontifex* titulo *Sanctitatis* eundem honeſtat. Unde colligit *Suarez Gennadium* nunquam fuiſſe *Pelagianum*, quia ſi fuiſſet Hæreticus, non tanto honore ab *Adriano* Papâ ad fidei dogma confirmandum allegaretur. *Joh. Bapt. Gueſnay* in ſuo *Caſſiano Illuſtrato*.

Sic igitur concludimus, ſatis gravem cauſſam non eſſe, cur *Gennadium* in *Semipelagianorum* numerum reponamus: Ut qui de abſolutâ quidem *Prædeſtinatione* diſſenſerit ab *Auguſtino*, quod illi cum multis Catholicorum commune fuiſſe, ſuo loco comprobabimus; at fortaſſe neceſſitatem gratiæ non negârit ἁπλῶς, verum ejus duntaxat, quæ fluat ab intentione *Dei* abſolutâ, eóque certò & infallibiliter ſemper operetur. *Voſſ.* Hiſt. Pelag. l. 1. c. 10.

Pelagianiſmi notâ eximunt libri ab eo contra *Pelagium* ſcripti: nec Gratiæ prævenientis neceſſitatem ab eo ſublatam eſſe (quæ propria erat Semipelagianiſmi nota) manifeſtò liquet: Adeo ut Scriptoribus Catholicis jure accenſeri queat. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Quamvis *Gennadius* in ſuo de Viris illuſtribus libro non mediocri diligentia uſus fuerit, obſervatur tamen eum minori curâ exoticos Scriptores quam conterraneos perquiſiviſſe & retuliſſe, ac Authorum ejus pleroſque Gallos eſſe, pauciſſimos verò ex aliis Imperii Provinciis. *Eruditorum Judicia*, *Pariſ.* 1685. per *Dom. Baillet*, Gallicè.

In *Gennadii* libro de *Viris Illuſtribus* nonnulla quædam fuiſſe ab interpolatore addita, cenſet *Labbeus*.

Extat Liber de *Scriptoribus Eccleſiaſticis Antwerpiæ* 1639. Fol.

(Integrior verò extat in Cod. *Corbeienſi*, cujus ſpecimen dedit Mabill. Anal. T. II. p. 42.)

Extant de *Dogmatibus Eccleſiaſticis* libri duo cum obſervationibus *Geverharti Elmenhorſtii*. Additæ ſunt *Martialis Lemovicenſis* duæ Epiſtolæ *Hamburgi* in 4o. an. 1614.

HESYCHIUS.

Clar. An. Dom. D.

Alexandrinus, Grammaticus nobilis, & fortè Chriſtianus, ad *Eulogium* quendam Lexicon vocum *Græcarum* ſcripſit, in quô multæ rariſſimæ voces ac difficillimæ phraſes explicantur, plurimis encomiis ab Eruditis commendatum. Nitida ejus eſt editio quæ nuperrimè an. 1668. in 4o. cum notis *Junii*, *Scaligeri*,

Digitized by Google

Scaligeri, Salmaſii, Palmerii, Gujeti, Sopingii, Coccei, Gronovii, Tanaquil. Fabri, accurante Cornelio Schrevelio Lugduni Bat. & Roterodami. Typis prodiit, additô etiam per *Priceum* Indice auctorum omnium, quos ille citat, ex Officinâ *Hackianâ. Joan. Hallervord.* Biblioth. curioſ.

Heſychius, doctiſſimus ille Grammaticus, & cujus liber pro Theſauro eruditis eſſe debet. *Tanaquill. Faber* l.1. Epiſt. p. 108.

Gloſſographorum longè princeps. *Caſaub.* in *Athenæum.*

Grammaticorum Alpha. *Montac.* orig. Ecclеſ. Tom. 1. part. poſter.

Equidem ita ſemper judicavi omnium veterum Criticorum, qui hodiè extant, eruditiſſimum illum eſſe. *Caſaub.* Epiſt. 198.

Omnium veterum Criticorum, quos habemus hodie longè, ſi quid judico, doctiſſimus, & ſerio Græcantibus apprimè utilis. *Caſaub.* Ep. 265.

Ille verò omnium ſui generis eruditione præcipuus, ſed *Gloſſographus* potiùs quàm linguæ *Ariſtarchus. Euſthat. Suvart.* l.1. Analect. c.1.

Julius Scaliger. in lib. de ſubtilitate futilem & planè Grammaticum autorem nominat.

Heſychii Lexicon *Græcæ* Linguæ theſaurum ducebat Præceptor in *Græcis* mus *Bonaventura Vulcanius.* Qui & *Gentilem* non *Chriſtianum*, fuiſſe cenſet. Mihi ille, quem *Gentilem* fuiſſe *Suidas* putat, diverſus ab hoc videtur. Sanè *Lexici* ſcriptor tam multa admiſcet è Scripturis, eorumque Græcis Interpretibus, ut non aliud liceat ſuſpicari. *Voſſ.* de Philol. p. 37.

Ex nuda *Indicis* percurſione, ſtructorem vocabularii illius (rem nondum omnibus creditam) patebit Chriſtianum fuiſſe. Quis enim (ut *novi Fœderis* *prœtermittam*) *Evangeliſtas, Apoſtolos, Prophetas, Prophetarum expoſitores*, à vera fide alienus ſuo operi inſeruiſſet? *Priceus* præfat. ad Indic. *Heſych.*

Heſychio qui teſtimonia Veterum Auctorum exſecuit, piaculum inexpiabile fecit. Plurima enim bonorum Scriptorum loca paucis verbis illuſtrat doctiſſimus omnium Grammaticorum, quæ niſi coram Gloſſis ſuis videas, vix ſentias quàm ſint erudita. *Caſp. Barth.* ad Claud. p. 1102.

Vix centeſimam *Heſychii* partem habemus, & ſæpè pro gemmis, auro, argento, ſæpè, inquam, meros carbones, & lutum lutulentum imperiti homines ſubſtituerunt. *Tanaquil. Fab.* l.2. epiſt. p. 58.

Heſychius optimus Author eſt. Epitome nobis tantùm reſtat, citationes omittuntur. *Scaligerana poſterior.*

Heſychii & Erotiani Lexica ad *Hippocratem* intelligendum maximo erunt adjumento; quorum hic ex profeſſo ipſius *Hippocratis* dictiones exactiſſimè perpendit, enarratque, ille verò fuit optimus Grammaticus. *Scaligerana* prima.

Heſychii Lexicon magni æſtimabant *Heinſius* atque *Salmaſius.*

Græcorum Lexicographorum par illud nobile, *Heſychius & Suidas*, in Scholis Grammaticis, auditu vix notum, nedum manibus tritum; & Opera eorum (virorum clariſſimorum) quamvis fundamenta fuerint *Lexicorum* ſubſequentium, iis ſuperſtructorum; nihilominus tamen, Latinè etiam reddita, adeo

curta

curta ſunt, & abſtruſa; ut penè mutilum prorſus eſſet, & vix Operæ pretium, tyronum uſui ea exhibere veſtiganda. *Gul. Robertſon.* in Præf. ad *Schrev.* Lexic.

Ex omnibus quorum ad nos ſcripta pervenerunt, nullus ferè eſt, qui à *Vetuſtate* pejus fuerit acceptus, quàm hic noſter Scriptor, verè πολυμαθέστατος, verè undecunque doctiſſimus, & omnis *Antiquitatis* peritiſſimus; cujus *Lexicon* nihil aliud eſt, quàm perpetuæ *Auctorum* Gloſſæ & Interpretationes & antiquæ eruditionis penu; & in quo non *Græciæ* totius modò, ſed ex parte & *Orientis*, ut *Dan. Heinſius* in *Ariſtarcho* ſuo ait, eruditio concluſa jacet. *Cornel. Schrevel.* in Præfat. ad Heſych. Lexic. 4o. Impreſ. Lugd. Batav. 1668.

Julius Scaliger ait *Heſychium* eſſe Authorem frivolum, abſque eruditione ac minimè idoneum ad aliquid boni continendum, pertuſoque caniſtro ſimilem. Sed eum in hac ſententia ſolum eſſe arbitror.——

Lexici hujus editio omnium abſolutiſſima eſt Hollandica anni 1668. tota *Græca* cum Notis *Variorum* in 4°. accurante *Schrevelio.* Sed quoniam hic Compilator mediocriter celebris ſit, potior, à Dom. J. *Caſparo Suvicero* expectatur, quam etiam brevi exituram ſpes eſt. *Eruditorum Judicium* Pariſiis 1689 per *Dom.* Baillet.

PROCLUS.

Clar. Anno Dom. D.

LYcius, Philoſophus, floruit Anno *Chriſt.* 500. *Syriani* diſcipulus fuit: *Marinum* verò diſcipulum & ſucceſſorem habuit. *Stoeflerus* atque *Schrekenfuchſius* malè in tempora *Trajani* collocant. Extant ſex ejus libri de Theologiâ *Platonicâ*, qui *Hamburgi* primùm prodiere an. 1618. Item ſuperſunt ejuſdem Commentarii in *Timæum* & libros de *Repub.* ſcripſit quoque de *Orphei, Pythagoræ* & *Platonis* conſenſu in *Oraculis* libros decem, aliaque quæ *Suidas* commemorat. *Konig.*

Hic eſt ille *Proclus* (inquit *Suidas*) ſecundus à *Porphyrio*, qui impuram ſuam & contumelioſam linguam adverſus *Chriſtianos* exacuit. Sed adverſus hunc calamum fœliciter ſtrinxit *Joan. Philoponus Gul. Cave* in Chartophyl.

Circa Ann. *Chriſt.* quingenteſimum memoriam ſui nominis conſecrabat nobilis & *Grammaticus*, *Philoſophus*, *Proclus Lycius*: cujus, inter alia multa, *Sphæram* habemus, imprimis agentem de *Circulis Cœleſtibus*. Sed monumentis aliis plus laudis meruit: quia hoc opus exſcripſit ex Iſagoge *Gemini*, Geometræ & Aſtrologi; qui *Ciceronis* ætate viguit. Vertit *Procli Sphæram Thomas Linacer.* Scholiis illuſtravit *Eraſmus Oſualdus Schreckenfuchſius. Voſſ.* de Mathemat. p. 165.

Mirari ſatis non poſſum malignitatem *Procli*, quando Scholiis in *Cratylum Platonis*, *Ariſtoteli* exprobrat, quòd *Analytice* ejus à quovis non planè hebete, ac ſtupido intelligi poſſit. Nam nec ipſe, qui hoc culpat, quoties Commentario in *Euclidem* aliquid in Scriptore eo improbat, ad *Platonicas* Methodos recurrit.

Digitized by Google

rit, ſed omnia ſecundum *Ariſtotelis Analyticen* expendit. Nec ſi tanta eſt perſpicuitas *Ariſtotelis*, ut omnes non hebetes eum intelligant, Philoſopho id vitio, ſed laudi duci debet. Quis enim in tam neceſſario Argumento non malit dictionem perſpicuam, qualis Philoſopho convenit, quàm Myſticam & Symbolicam, cujuſmodi eorum eſt, qui nolunt intelligi, ut magis ſint admirationi? Quid quòd nec tam perſpicua omnia ſint in *Analyticis*, quàm videri vult *Proclus*. Quod veterum plerique agnoſcunt. *Voſſ.* de Natur. Logic. p. 70.

Naturalis Philoſophia adhuc ſincera non invenitur, ſed infecta & corrupta: in *Ariſtotelis* Scholâ, per *Logicam*; in *Platonis* Scholâ, per *Theologiam Naturalem* in ſecundâ Scholâ *Platonis*, *Procli*, & aliorum per *Mathematicam*; quæ *Philoſophiam Naturalem* terminare, non generare aut procreare debet. *Franc. Bacon*, Nov. Organ. l. 1. Aphoriſm. xcvi.

Proclus tum & in Philoſophiâ & in *Mechanicis* florebat, neque *Archimedis* duntaxat celeberrimi Artificis cognôrat omnia, ſed & ipſe nova quædam adinvenerat: ab eo facta eſt Machina, quâ claſſis *Vitaliani* debellata eſt. Nam ſpecula ex ære fabricaſſe uſtoria *Proclus* fertur, eaque de muro è regione hoſtilium navium ſuſpendiſſe, in quæ cùm radii ſolares impegiſſent; ignem inde inſtar fulminis erumpentem, claſſiarios ipſaſque naves hoſtium combuſſiſſe; quod *Archimedem* excogitaſſe *Romanis Syracuſas* obſidentibus, *Dion* refert, *Zonar.* in Annal.

Proclus, cum eſſet *Olympiodori* Auditor, hominis facundi, & cujus dicentis Oratio non fluebat, ſed torrentis inſtar ferebatur, ut pauci dicta ejus aſſequerentur, ſolitus à recitatione omnia quæ dixiſſet *Olympiodorus* totidem atque iiſdem verbis reddere. *Caſaub.* in Not. *Spartian.*

Licèt *Logicâ* leviter inſtructus, attamen eximius Mathematicus fuit. Certè libris & monumentis ejus recenſendis libro fuerit opus, ita multiplices unius ingenii fœtus memorantur; *Geometricarum* verò in *Euclidem* Expoſitionum libri quatuor diligentiam magnam teſtantur. Atque utinam, ut in primum *Euclidis* librum induſtrius eſſe voluit, ſic in reliquos parem induſtriam continuâſſet: ſed videtur aliis viam laboris indicare voluiſſe, laboris ipſius parte contentus fuiſſe. *Petr. Ram.* Schol. Mathem.

Extant *Procli* Elementa Theologica & Phyſica Latinè reddita à *Franciſco Patricio*, *Ferrariæ* in 4. apud *Dominicum Mamarellum*, ann. 1583.

Extant Theologiæ *Platonicæ* libri 6. è Bibliothecâ *Gottorpianâ* primùm eruti & Græcè cum Interpretatione Latinâ *Æmilii Porti* editi *Hamburgi* in Fol. ann. 1618.

Extat Paraphraſis in *Ptolomei* de Syderum affectionibus lib. 4. Græcè cum Interpretatione *Leonis Allatii*. *Leydæ* in 8. an. 1635.

FULGENTIUS.

AFer, ex Abbate, *Ruſpenſis* in *Africa* Epiſcopus, claruit circa ann. 508. una cum aliis in exilium miſſus, rediit ann. 523. vivere deſiit ann. 533. ipſis Clar. A. D. D VIII.

Digitized by Google

Calendis Januarii, ætatis ſuæ 65. *Gul. Cave.*

Omnibus quidem *Patrum* ſcriptis ea dos ineſt,ut non ſolo mentes *Veritatis* fulgore perſtringant,ſed ſimul intimum quemdam pietatis ſenſum cordibus legentium inſerant: Haud ſcio tamen an ullius propria magis laus illa fuerit quàm *Fulgentii*,cujus ex ſcriptis is *Charitatis* ſpirat ardor,ea *Spiritus* ubertas exudat,ut pectus *Deo* plenum non intelligas modò, ſed ſentias. *Auguſtini* diſcipulum ſcias, non magis ex conſenſione dogmatum,quàm ex ſimilitudine virtutum,variiſque ingenii ac morum ornamentis,quibus ille totum *Auguſtinum* expreſſit. Eſt quidem *Auguſtini* ſtylus aliquanto cultior,& à ſeculi ſui vitiis intactior,cùm *Fulgentio* nunquam cura fuerit abſtergere ſeculi ſui ſitum, at idem in utriſque mentis vigor,idem acumen,idem ſententiarum pondus: eadem ingenii felicitas, eadem in tractandis Scripturis diligentia,dexteritas, affluentia : eadem morum æquitas,ſuavitas,manſuetudo; idem Charitatis ardor ex *Scriptis* emicans, idem pro *Veritate* zelus. Nec diſpares utrique hoſtes. Nam & *Auguſtino* frequens cum *Arianis* luctatio fuit,& *Fulgentium* hæc *Hæreſis* per totam vitam exercuit: cum *Semipelagianis* orientibus conflictus *Auguſtino* fuit, cum iiſdem adultis *Fulgentio*: pari utrobique ſucceſſu. A neutro enim hic error in totum compreſſus eſt, ſic tamen ab utroque revictus & depreſſus eſt, ut utrique tota ſe *Latinorum Theologorum* cohors ſemper adjunxerit. *Gul. Deſprez.* Præfat. in *Fulgent.* Opera.

Fulgentius Afer, Eccleſiæ *Ruſpenſis* Epiſcopus,in confeſſione *Fidei* clarus,in Scripturis Divinis copioſè eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac diſſerendo ſubtilis, *Iſidor. Hiſpalenſ.*

Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, in Græcâ & Latinâ linguâ clarus, geminâ ſcientia ſcripſit multa. Claruit in *Homilitico* dicendi genere.*Sigebert. Gemblac.* de Script. Eccleſ.

Vir erat & eximiâ doctrinâ & inſigni pietate inter ætatis ſuæ Epiſcopos facilè princeps. *Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

Pontifex *Ruſpenſis* doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ conſpicuus, ſummum ac penè ultimum Eccleſiæ *Africanæ* ſidus. *Drexel.* cap. 2. Prodr. æternit. ſect. 46.

Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, incomparabilis vir, cujus ego admirator ſum. *Caſp. Barth.* Adverſar. l. 16. c. 8.

Quem ego Scriptorem [*Fulgentium*] inter *Patres Latinos* ſummoperè amo, ob nervos quibus præditus eſt in perſuadendo, & vivam vim dictionis rebus maximis ubique parem. *Idem* ibid. l. 46. c. 13.

Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, Fulgentiſſimum Eccleſiæ ſidus. *Voſſ.* Hiſt. *Pelag.* lib. 1. cap. 21.

Hoc eodem anno,ipſis Calendis Januarii ſummum illud ac penè ultimum *Africanæ* Eccleſiæ decus. *Fulgentius Ruſpenſis* Epiſcopus doctrinâ & ſanctitate mirabilis optatum diu, ante præcognitum, præſenti vitæ finem lætus impoſuit. *Henr. Spondan.* ad ann. 529.

In Antiquitatis notitia hoſpitem admodum eſſe oportet eum qui ignorat quancùm

Digitized by Google

rum dignitate ſua, virtute, eruditione, zelo & ærumnis ſuis pro Fide Catholica, in Eccleſia coruſcus fuerit *Fulgentius*, quem Tractatûs cujuſdam divi *Auguſtini* lectio eripuit præſenti Seculo, & muneri cuidam primario in urbe *Carthagine*, cui natales debebat è quadam Nobiliſſimorum & illuſtriſſimorum concivium familia. *Eruditorum* Ephemerides. Gall. Tom. 12. p. 216.

S. *Fulgentius Carthaginenſis*, Epiſcopus *Ruſpenſis*, vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus, floruit tempore *Tranſimundi* Regis, ad quem ſcripſit libros. Obiit Ann. Dom. 529. vitæ ſuæ ann. 65. Epiſcopatus autem 25. ut Card. *Baronius* Annotat. Tom. 6. Annal. Scripſit plura, teſte *Iſidoro* libro de *Viris illuſtribus*, quorum multa perierunt. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

----Quibus quidem apparet, quanta eſſet in *Fulgentio* cum ingenii acumine ſacræ Theologiæ eminens excellenſque doctrina. Videas miro quodam modo validâ ſæpè reſponſione erigere protritam ab hoſtibus veritatem, ſimulque proſternere pollentem regiâ potentiâ, inſultantemque impietatem; tantâ tamen modeſtiâ, ut ſicut ex eo ſublimis ipſius doctrina intelligi poſſit, ita ex hoc ejuſdem intueri valeas ſanctitatem. *Baron.* ad Ann. *Chriſti* 504.

Inter cætera ante Epiſcopatum compoſuit 24. vel ut alii legunt 23. libros: quorum primus eſt abſque *A.* hoc eſt, ne unam quidem literam *A* habet. Secundus eſt abſque *E.* Tertius abſque *C.* & ſic deinceps. Hujus operis *Fulgentiani* exemplar Ma. extat in *Letienſi* apud *Hannones* Cœnobio, teſte *Auberto Miræo* Bibl. Eccleſ.

Extant ejus opera *Antv.* 1574. 8. *Lugd.* 1633. 1652. Fol. cum operibus *Leonis* M. &c. B. PP. Tom. 9. p. 16.

Poſt varias Doctorum Virorum ad Opera S. *Fulgentii* procuratas ſucceſſu temporum Acceſſiones & Commentarios, ea omnia ann. 1684. cum optimo (inquit *Oudinus*) ordine & charactere impreſſa in 4. *Pariſ.* apud *Guillelmum Deſprez*, viâ *Jacobaâ*, ſub ſigno S. *Proſperi*, ſuppoſititiis ſermonibus elemento minori ad finem adjectis.

Quamvis verò qui huic *Fulgentii* editioni *Pariſ.* 1684. operam dederunt, nomina ſua latere voluerint, de publicâ utilitate magis, quàm de fama ſoliciti & egregii facti conſcientiâ contenti, neminem tamen latere voluerunt, multum ſe à Jeſuitâ *Chiffletio* adjutos, qui variantes in omnia ferè *Fulgentii* opera, lectiones, quas olim ex variis codicibus Bibliothecæ *Carthuſiæ* ad *Portas* exſcripſerat, beniginiſſimè cum iis communicavit. *Acta Eruditorum* Menſ. Septembr. Anno 1684.

FABIUS PLANCIADES FULGENTIUS.

GRammaticus, texuit libellum de *Continentiâ Virgilianâ*: & alium de *Antiquarum Vocum Interpretatione*, ad *Chalcidium*, qui extant. *Phyſiologicon* ejuſdem nondum apparet. Hunc *Fulgentium* nonnulli cum *Fulgentio Ruſpenſi* confundere ſolent, inter quos *Lil. Gregorius Gyraldus*. Clar. An. Di DX.

Digitized by Google

Fulgentii Planciadis Grammatici *Mythologiarum* libri tres, utiles quidem, ſed dictionis admodum tumidæ,& verbis abſtruſis,atque Poëticis abundantes. Hoc opus editum olim ſub nomine *Fulgentii* Epiſcopi *Carthaginenſis*. *Bollandus* die 14. Januarii cenſet eſſe S. *Fulgentii* Epiſcopi *Aſtigitani* in *Hiſpaniâ*, Fratris SS. *Leandri*, & *Iſidori*, qui primò fuit Epiſcopus *Carthagenâ*, unde fortaſſis factum eſt,ut *Fulgentio Carthaginenſi* tribueretur; Sed hæc eſt conjectura *Bivarii* in Comment. ad *Chronicon Suppoſititium* M. *Maximi*, nam Auctor *Mythologiarum* eſt proculdubio *Fulgentius Planciades* Grammaticus *Africanus Joan*. Card. *Bona*.

Fulgentius omnium Scriptorum audaciſſimus, corruptus ſermone, confuſus intellectu, & omninò quidvis potiùs quàm ſapientiæ conſultus. *Caſp. Barth.* in 1. *Sylv. Papinii*, p. 81.

Hæc *Fulgentius*: quem Scriptorem legendo miſeratione temporum afficimur; tanta enim jam ruditas à Græcâ literaturâ erat, ut ſibi arrogantiæ ſummæ homo omnia ſcribere licere crederet,modò vel auctores Græcos vel voces ejuſdem linguæ per caput pedeſque attrahere poſſet in medium,& inde ſuum negotium curare. C.*Barth*. Comm. ad *Stat*. Tom. 3. p. 449.

Fulgentius Planciades, ſcriptor Mythologicus,utilior quàm eloquentior: Semipoetans: Afer Affectator. *Barth*. l. 17. c. 7. Adverſ.

Quòd autem *Fulgentius Planciades* etiam *Taciti Facetias* citat, hôc inficeto adeò *Grammatico* planè dignum eſt, qui etiam *Planti Enciſton*, & ſimiles laudet nugas. *Vaſſ*. de Hiſt. Lat. l. 1. c. 30.

Quòd ſignifer *Jovis* ſit *Ganymedes*, docet doctiſſimus *Mythologus Fulgentius*. l. 1. *Joſ. Scalig*. Comment. in El. de Ob. *Mac*.

Auctor non contemnendus *Fulgentius Turneb*. Adverſar. l. 16. c. 3.

Fulgentius non contemnendus Grammaticus. *Angel. Politian*.

Expiſcati commodum ex penario literatorio cujus tu fuiſti Condus, *Mythologicon Placiadem*, fratrem, ut fertur, *Caſſiodori*, hunc Chalcytipis Officinatoribus tradendum curavimus, nuncupatim tibi dicantes ſine provocatione electo judici aureum librum; quid librum? theſaurum potiùs: quem *Sidonius* l. 3. eruditiſſimum & ob ingenii merita *Quæſtorium* vocat, tanquam *Quæſturâ* rejectâ *Epiſcopatum Africæ* ſumpſerit. *Joh. Bapt. Pius* in Epiſt. Dedicat. ad *Anton. Mariam Bentivolaum*.

Fulgentii verò paucos libros vidi, in quibus de *Chriſtianâ* Religione benè ſentit: ſed duriuſculus in primis,& affectatior ſtylo eſt, adeò ut in ſcriptis ſuis ſpinas,& verborum aſperitates,ſi non aculeos potiùs pro verbis inſeruiſſe videatur: & in primis in *Mythologico*: nam alia quidem piè, & *Chriſtianè* ſcripta,non tam horrida ſunt. *Lil. Greg. Gyrald*.

Ineptè ludit ille [*Fulgentius*] in *Etymologiis* ex *Græcis* fontibus derivandis, ut contrà M.*Varro* nimio ſæpè linguæ *Latinæ* ſtudio. *Andr. Schott*. Obſerv. Human. l. 2. c. 17.

Fulgentii Mythologiâ quid ineptius? *Brod*. Annot. in *Q. Calabrum*. p. 238.

Semeles ineptiſſimum etymon eſt apud *Fulgentium* l. 2. *Mythol*. & tamen doctiſſimi

ctiſſimi viri eum *Mythologum Doctiſſimi* nomine commendant, qui totus nihil niſi mera eſt nugacitas. *Barth.* Comment. ad *Stat.* Tom. II. p. 728.

In libro cujus titulus eſt *Expoſitio Virgilianæ Continentiæ, ſecundum Philoſophos Morales*, mirabili induſtriâ aurum in luto, ut ita dicam, quæſivit & invenit; dum opus Poëtæ ad Phyſicam rationem inclinavit. Scripſit hoc opus ad quendam Diaconum: Aliud verò *Mythologiarum* ad *Catum* Presbyterum *Carthaginenſem*, & de abſtruſis Antiquorum ſermonibus ad *Chalcidium* Grammaticum, jam ſenem, cum ipſe adhuc juvenis eſſet, & literarum Humanitatis Scholæ Doctor & Rector. *Trithem.*

Hujus opera edidit *Amſtelodami* in 8. *Thomas Munkerus*, Ann. Dom. 1681. atque Commentariis illuſtravit.

ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETHIUS.

TEmpore *Anaſtaſii* Imp. & *Theodorici Gothorum* Regis claruit. *Scripſit* quinque libros de conſolatione Philoſophiæ, cùm *Ticini* in exilio viveret. Cùm ob litteras, ad *Anaſtaſium* Imp. ſcriptas, & alia quædam ſuſpectus eſſet *Theodorico* Regi, quaſi ſtuderet recuperandæ libertati, juſſu ejus cum ſocero *Symmacho*, anno 524. interemtus eſt. Clar. A. D. DX.

Certè inter poſterioris ævi Scriptores, *Græcos* pariter ac *Latinos*, nemo fuit in omni genere ſapientiæ *Boethio* noſtro par. Nihil quippe in eo non eſt eximium. Religionem ſpectamus? Chriſtianus eſt, & quidem inter Chriſtianos fidei orthodoxæ ſectator atque Adſertor. Patriam? *Romanus*. Dignitatem? Patritius, exconſul ordinarius, exmagiſter officiorum. Familiam? *Anicius Manlius, Torquatus, Severinus, Boëthius*. Studium & vitæ genus? Logicus acutiſſimus, Theologus graviſſimus, Mathematicus ſolertiſſimus, Monachus artificioſiſſimus, Muſicus ſuaviſſimus: adhæc Orator & Poëta optimus. Dictionis modum? utroque in genere fuſo pariter & numeris adſtricto, egregius, ſed in hoc præcipuè excellens. *Boëthii Petr. Berthius* præfatione præfixâ *Boëthii* libris de conſolatione.

Sunt quidem omnes *Boethii* libri graves & eruditi. Sed in his de conſolatione Philoſophiæ, neſcio quomodo noſter Auctor ſeipſum vicerit. Ac puto, homines, quò ſunt morti viciniores, eò plus experiri in ſe divinitatis; eòque communem vitæ ordinem egreſſos, majora dicere, videre, cogitare, quàm in omni vitâ actâ fecerint. Quæ res ingens momentum habet ad probandam immortalitatem animarum---Scripſit conſolationem iſtam verbis ſententiiſque ita numeroſam, ut nihil poſſit concipi elegantius. *Idem* & *ibidem*.

Boëthii Severini ingenium, eruditio, ars, ſapientia, facilè provocat omnes Auctores, ſive illi Græci ſint ſive *Latini*. Sæculi barbarie ejus oratio ſoluta deterior invenitur; at quæ libuit ludere in Poëſi, divina ſanè ſunt, nihil illis cultius, nihil gravius, neque denſitas ſententiarum, Venerem, neque acumen abſtulit ardorem. Equidem cenſeo, paucos cum illo comparari poſſe. *Valla* docet illum *Latinè* loqui; at *Vallam Boëthius* bene ſapere. *Jul. Scaliger.* in Hypercritico, p. 825.

Sine difficultate profundus eſt in ſententiis,in verbis ſine levitate conſpicuus; orator vehemens,efficax demonſtrator. Ad id quod ſequendum eſt, nunc prolabitur ſuadens, nunc quaſi ſtimulo neceſſitatis impellens. *Ioannis Sarisberienſis* Epiſc. *Carnot.* Policratici lib. 7. cap. 15.

Fuit *Boëthius* in omni diſciplinâ egregiè doctus, quod liquidò ex ejus monumentis conſtare poteſt. In pangendis verſibus mirâ uſus eſt facilitate. *Lilius Gyraldus* de Poëtis.

Vir *Latinè* & *Gracè* doctiſſimus, in omni diſciplinarum genere excellens, quôque *Roma* à *Varonis* temporibus non habuerit undecunque doctiorem. Quantum idem carmine valuerit, oſtendunt libri 5. *de Conſolatione Philoſophia*, quos exul *Ticini* ſcripſit. Omnino nihil in poëſi venuſtius habuit, vel illud ævum,vel etiam quod proximè anteceſſit. *Voſſius* de Poëtis Latinis.

Severini Boëthii ingenium neque ante ſe multos,neque poſt ſe aliquem toto *Romani* Imperii tempore habuit ſimilem. *Barthius* adverſar. lib.17. c.13.

Quis *Boëthio*, vel in dialecticis acutior, vel ſubtilior in Mathematicis, vel in Philoſophia locupletior, vel in Theologia ſublimior? *Politianus* in Miſcellaneis.

Boethius egregius Philoſophus, Poëta non peſſimus, à *Ciceronis* dictione longè ſemotus. *Eraſm.* in *Ciceroniano.*

Boëthius totus legendus eſt, magnus quippe Philoſophus, & Poëta eximius, phraſin *Neroniani* temporis imitans. *Scaligerana* prima, p.30.

Boëtius parvulas quaſdam *Odas* compoſuit, quas Operi ſuo de *Conſolationibus Philoſophicis* immiſcuit. Sed quantavis ingenii politie ornatus eſſet, pravum ſcribendi modum qui tunc vigebat ſuperare nequivit: Quod in illo pulcherrimum nitet, nihil eſt niſi adulterina pulchritudo, genio ſeculi quo ſcribebat conformis. *Rapin.* Reflexionib. in *Poëticam* in particulari. Reflex. 30.

Extat *Lugd. Bat.* ex off. *Hackiana* 1671. 8.

M. AURELIUS CASSIODORUS.

Clar. A. D. DXIV.

SEnator, V. C. & illuſtris, Exquæſtor Palatii, Exconſul Ordinarius, Officiorumque Exmagiſter, Præſ. Præt. Præpoſitus atque Patricius *Romanus.* Conſulatum quidem ann. 514. ſolus geſſit, *Theodorico Oſtrogothorum* Regi cariſſimus eique à ſecretis & Epiſtolis, ann. 570. Adhuc vixit nonagenario major, anno verò 575. obiit, ſicut refert *Ioan. Henr. Urſinus*, l.4. de *Stat. Anim.* p. 544.

Quaſi ſidus quoddam inter *Gothici* ſeculi barbariem eluxit, tandem Monachus factus & *Ravennatenſis* Cœnobii Abbas. *Olear.* Abac. Patrum.

Scripſit plurima, hæc verò primum obtinent locum: Comment, in Pſalmos, & in Cantica Canticorum Epiſtolarum libri 12.----Inſtitutionum Divinarum libri duo---De Orthographiâ ex Veteribus Grammaticis excerptâ---*Chronicon*, deſinens in annum 519.--- Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ *Tripartita* nominatur,

Digitized by Google

tur, quam ex Græcis Auctoribus, *Socrate, Sozomeno* ac *Theodoreto* per amicum ſuum *Epiphanium Scholaſticum* Latinè redditis concinnavit---Libri 12. de rebus geſtis *Gothorum*. Eos *Jornandes* in Epitomen redegit---Liber de Animâ.

Inprimis verò *Aurelium Caſſiodorum* Senatorem, virum illuſtrem, ac doctum auxit dignitate Patriciatûs *Theodoricus*, de quâ eidem collatâ dignitate extant ejuſdem *Theodorici* litteræ cùm ad ipſum *Caſſiodorum* tum ad *Senatum* datæ, in quibus magiſtratûs tum ab ipſo, tum à majoribus ejus benè perfuncti honorifica mentio habetur. Retinuit eum apud ſe, cujus Conſilio Regnum moderari conſuevit, & leges ſancire populis, uſus etiam ejus Miniſterio in conſcribendis ad diverſos Epiſtolis, ex quibus ipſius *Caſſiodori* libri variarum confecti ſunt. *Baron.* ad an. 493.

Caſſiodorus bonus Auctor, & minimè ſpernendus. *Scaligerana* 1.

Vir in divinis Scripturis valdè doctus, & in ſecularibus literis omnium ſuo tempore facilè eruditiſſimus, non minus ſanctitate quàm ſcientiâ clariſſimus effulſit. *Trithem.*

Inter viros ſuo tempore doctiſſimos citra controverſiam Principatum quendam tenuit. *Petr. Broſſeus* in vitâ *Caſſiodori.*

Doctus, &, ut illa tempora ferebant, eloquens. *Dempſter.* in *Roſin.*

Vir utique & dignitate & pietate magnus. *Conring.* de Antiq. Acad. diſſert. 1.

Magna *Aurelii Caſſiodori* mens, quæ inter hanc *Gothici* ſeculi barbariem quaſi ſidus quoddam eluxit, ſtylo veniam deprecatur & facilè invenit. *Cauſſin.* plura *Valla* lib. 4. Elegant. c. 88.

Caſſiodorus Senator, & Regi *Theodorico* ab Epiſtolis, poſtea Monachus, vir gravis & ſolidè doctus, cujus ſacræ & prophanæ lucubrationes plenæ ſunt jucunditatis & gratiæ. *Ioan.* Card. *Bona.*

Quingenteſimus tertius Chriſti annus *Dexecrato* & *Voluſiano* conſulibus notatur à *Marcellino*, ex quo librarii redarguas errorem in *Caſſiodoro*, apud quem omiſſus anni hujus reperitur horum conſulatus. Acta autem Synodalia anni hujus, abſque certo Conſule, poſt conſulatum *Avieni* notata leguntur: ſed male indictione nonâ cum undecima ſcribenda eſſet indictio: unde conjicias librarii errorem ita exſcribentis IX. loco XI. numeri notas: ſed & nonnulli librariorum vitio potuit accidiſſe, ut ad finem *Chronici Caſſiodori* aliquot deſiderentur conſulatus: omnis enim ſuſpicio oſcitantiæ procul ab ipſo abeſt, qui ſuorum temporum ſcriptor luculentiſſimus & accuratiſſimus extitit. Porrò ex numero annorum Imperii *Anaſtaſii* integrum & concinnum eſſe *Marcellini* Chronicon, *Caſſiodori* verò mutilatum apparet. *Baron.* ad Ann. Chr. 503.

Eſt illud *Chronicon* [*Caſſiodori*] non inutile quidem propter *Conſulum* annos, quos digeſſit; ut & *Sigebertus* annotavit in Catalogo CXL. Sed tamen nec nimis eſt magnæ rei. Sanè penè nunquam ei cum *Euſebio* convenit. Sed *Caſſiodori* Chronicon tantùm farrago eſt quam temulentiæ comparat *Onuphrius Panvinus*, approbante etiam *Ioſepho Scaligero* in Animadverſ. *Euſebianis*. Profectò inſanum ſit non longè præferre *Faſtos Capitolinos*. Nam Antiquiores ſunt multò, longéque

longéque florentioris ævi: adhæc non *Conſules* modò ſed etiam *Cenſores*, & *Dictatores* nominant, cum ſuis *Equitum Magiſtris:* prætereà prænomina exactè magis ponunt, quorum ignorantia facit,ut perſonæ confundantur, magnaque in Hiſtoriis oriatur obſcuritas. Utinam tantùm *Faſti* illi non ad nos mutili perveniſſent. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Inutile etiam eſſet heic examinare *Caſſiodori Commentarios* in *Pſalmos*, cùm nihil penè aliud egerit quàm *Divi Auguſtini Commentarios* in eoſdem libros contrahere, ut id ſtatim initio Præfationis ſuæ teſtatur. Præter ejus *Commentarios*, hujus Authoris præclarum habemus Tractatum, cui titulus *De Inſtitutione Divinarum Scripturarum*, quo ſe exercitatum in *Scriptura Critica* demonſtrat, ſeque obſervaſſe quæ optima in hoc Argumentum apud Veteres *Eccleſiæ Doctores* occurrebant-----Præcipui ejus Authores ſunt *Divus Hieronymus* & *Divus Auguſtinus*; quibus acceptas ferre tenetur pleraſque regulas quas inOpere ſuo univerſo propoſuit ad *Scripturarum* interpretationem.Plures memorat libros qui nunc deſiderantur,& inter cæteros Obſervationes quaſdam à *Divo Hieronymo* conſcriptas, admodum conciſè in *Prophetas*, ut junioribus *Scripturæ* ſtudia faciliora fierent. Novam *Beati Hieronymi* Verſionem ex Hebræo tanti æſtimat,ut aperte dicat vix in poſterum opus eſſe ad Hebraicos fontes confugere, cum tam accurata *Bibliorum Translatio* extet. *Rich.* Simon. Hiſt.Crit. V. T l. 3. cap. 10.

Omnia *M. Aurelii Caſſiodori* opera impreſſa ſunt duobus Tomis in Fol. *Rothomagi* anno 1679. impenſis *Antonii Dezallier* Bibliopolæ *Pariſienſis*,& collata fuerunt cum MSS. Codd.curis *Iohannis Garetii* Monachi *Benedictini* Congregationis ſancti *Mauri*,præmiſſa dicti *Caſſiodori* vitâ,cum diſſertatione *de ejus Monachiſmo*.

JUSTINIANUS I.

Clar. An. D. DXXVII.

ROmanorum Imperator,ex ſorore nepos *Iuſtini* ſen.à quo Nobiliſſimus primò,dein *Cæſar* & *Auguſtus* pronuntiatus, an. *Chr.*527. paulo poſt ei ſucceſſit.Leges hic ſtatim in hæreticos ſeveras promulgavit,templa deſtructa reparavit,Eccleſiæ protectorem ſe fore profeſſus, dignum ſe imperio oſtendit.Hinc per *Beliſarium* contra *Perſas Vandaloſque*,capto *Gilimero*, victor, *Africam* recuperavit, *Gothos* in *Italia* ſubegit, *Vitige* R. in poteſtatem redacto, *Mauros* ſuperavit, *Samaritaniſque* ſubjugatis, priſtinum Romano Imp. ſplendorem reddidit: poſtquam *Hypatium, Pompeium* & *Probum Anaſtaſii* Imper.nepotes,ingenti ſeditione à *Viride Venetaq*; *Circi* factione excitatâ,rebellantes,ab Imperatrice corroboratus,& à *Beliſario* Mundóq; fortiter defenſus oppreſſiſſet. Sic quiete Imperio partâ,*Jus Civile* in eum ordinem redigendum curavit,quo nunc utimur, electis ad id negotii decem viris præſtantiſſimis,qui Codices *Gregorianum, Theodoſianum* & *Hermogeneum* in unum contraherent,legeſque per 2000. Libb. diſperſas in quinquaginta ſaltem compingerent,unde Codex *Digeſtorum*

vel

Digitized by Google

vel *Pandectarum* ortus. Porro 4. Libb. *Inſtitutionum*, qui textum omnium legum ſuccinctè continerent, & Cod. *Novellarum*, quibus novas à ſe latas complexus erat, compoſuit. Concilio 5. Oecum. *Conſtantinopoli* habito, priorum Concil. fidem confirmavit, errores damnavit, tria capitula rejecit, Anno 548. dum *Theodora Eutychianorum* commoda omnibus modis curaret, quæ *Epiphanio* Epiſcopo urbis mortuo *Anthemium Eutych.* promovit, donec re à Marito cognitâ, huic *Menna* Orthodoxus ſubſtitutus eſt. Felix, ni paulo ante mortem in *Severitarum Hæreſin* prolapſus eſſet, qui negarunt *Christi* corpus corruptibile fuiſſe. Obiit an. 565. ætat. 83. Imp. 39. *Hofman.* in Lexico.

Quem quidem Imperatorem tanti conſtat ingenii, tantæque doctrinæ fuiſſe, ut mirum non ſit ſi leges *Romanas* ſparſas & incompoſitas in ordinem ad utilitatem hominum redegerit, eaque abſciderit, quæ ſupervacanea & inutilia videbantur. Hac tamen in re, conſilio & operâ *Ioannis* Patricii *Treboniani, Theophili*, & *Dorothei* uſus eſt, qui tum doctrinâ & authoritate inſignes habebantur. Immenſum namque illud librorum pelagus (ad duo enim ferè millia librorum fuiſſe conſtat) coacervatis ſimul ab urbe conditâ uſque ad hæc tempora tot judiciis, in quinquaginta libros titulatim digeſſit, quos nunc *Digeſta*, nunc *Pandecta* appellant: quòd omnem civilem doctrinam contineant. Idem quoque legum Epitomen fecit librorum quatuor. Has autem leges *Inſtitutiones* vocat. Dicimus etiam *Iuſtiniani Codicem* & volumen eſſe. Sunt prætereà qui dicant *Iuſtinianum* ipſum libros de *Incarnatione Domini* eleganter ſcripſiſſe, templumque in honorem *Dei* Patris (nam Filius ſapientia eſt) *Sancta Sophia*, quo nullum eſt in orbe majus, ſuâ impenſâ, ſuoque juſſu ædificatum. *Platina* in vitis Pontif. Rom.

Vir magni & excellentis ingenii, locum inter Eccleſiaſticos Scriptores meritò acquiſivit: quòd præter plura, quæ ſive in ejus legibus, ſive in legum collectionibus tradidit ad *Chriſtianam* pietatem ſpectantibus, vindicem ſe acerrimum *Hæreſium*, quæ ejus temporibus vigebant, oſtendit; nimirùm *Porphyrii*, *Eutychetis*, *Neſtorii* & *Arrianorum*. *Trithem.* & *Poſſevin.*

Iuſtiniani fama nullis ſæculis, nullis ſilebitur ætatibus. *Jornand.* de Reb. Goth.

Juſtinianus Imperator inter viros literatos merito ſuo reponitur. Fuit enim princeps, ſi quis alius, in Philoſophicis Theologicis, & Juridicis verſatiſſimus, adeò ut *Sapientiſſimi Principis* elogium à *Theodahado*, *Gothorum* Rege, obtinuerit. *Konig.*

Ipſius etiam *Juſtiniani* induſtriæ & ſolicitudini debemus, quòd præclara illa veterum Juriſprudentum & Legiſlatorum monumenta ſummo totius orbis bono habeamus concinnata. Alioquin nempe futurum erat, ut deſudati illi veterum labores egregii, jam eſſent irriti, ſcriptis tineas & blattas paſcentibus. *Guido Panciroll.* de Reb. recèns invent. p. 219.

Tribonianus ſagacis vir ingenii, & ad ſimulandum facti, impius quoque & *Chriſtiani* cultûs ex profeſſo hoſtis, avaritiæ cum primis mancipatus ſic ut ad omnem lucelli auram leges fixerit ac refixerit: hic fraudes ſpirans, peſtifero afflatu *Juſtinianum* Imperatorem ita infecerat, ut nunquam moriturum perſuaderet, ſed vivum ſentientemque in cœlum tralatum iri. Hunc tamen *Juſtinia-*

Digitized by Google

num ſunt, qui tradant, fide catholicum, rectum in adminiſtratione, judiciis juſtum: unde ſit factum, ut ex voto cederent omnia. *Rhodigin.* Lect. Antiq. l. 22. c. 20.

Creditur *Iuſtinianus* prorſum fuiſſe literarum expers: Etenim *Iuſtinus* pater boves pavit, ſed antea ſues, mox materiarii fabri miniſter vilis. *Iuſtinianum Suidas* ex imperitiâ ἀναλφάβητον vocat. *Idem* ibid. l. 25. c. 12.

Licèt aliquam infamiam paſſus ſit *Iuſtinianus* ex *Suida* teſtimonio referentis eum fuiſſe rudem, literarum expertem, & demùm in amentiâ deceſſiſſe, quem & aliqui viri docti ſecuti ſunt; tamen ejus famam defendunt longè plures, majoribuſque teſtimoniis freti. *Arth. Duck.* de uſu & Authoritate Jur. Civ. Rom.

Quidam tradunt *Iuſtinianum* à verâ fide excidiſſe: *Suidas* autem (qui aliis nominibus eum fortiter calumniabatur) eum fatetur fuiſſe omnium Imperatorum maximè orthodoxum; quod & ipſius Profeſſio Fidei Chriſtianæ in *Codice Iuſtinianeo*, & ſplendidiſſimum S. *Sophiæ* Templum *Conſtantinopoli* ab eo conſtructum adhuc demonſtrant. Imò etiam à plurimis aſſeritur, eum fuiſſe relatum in numerum *Sanctorum*; noviſſiméque *Sixtus Quintus* Pont. *Rom.* ejus eximiam pietatem celebravit. *Idem* ibid.

Non derant olim, nec deſunt hodie, qui in ſacratiſſimum Principem, non minus doctrinâ & pietate, quàm potentiâ & rerum geſtarum gloriâ clarum, tota calumniarum & convitiorum plauſtra exonerant. Nemo verò unquam iniquiori cenſurâ, & inverecundiâ longè infra ſummi Principis ſortem, in auguſtiſſimos *Iuſtiniani* manes debacchatus, eſt, quàm Card. *Baronius*, omnes in hoc eloquentiæ nervos intendens, ut ex Imperatore non *hominem*, ſed *diabolum* nobis exhiberet. Ut fidem faciam, quædam lectori ob oculos ponam. *Fuit*, inquit, *homo penitùs illiteratus, adeò ut nec alphabetum aliquando didiciſſet. Sacrilegus Imperator, qui non levem perſecutionem excitavit; furore percitus, mente dimotus, correptus maligno ſpiritu, agitatus à Satanâ, quique omnem in Eccleſiâ diſſolvit ordinem, fecitque ex regno cœlorum ergaſtulum Inferorum.* Infinitus eſſem, ſi omnia percurrerem. Non mihi in animo eſt, poſt *Guinetum*, *Giphanium*, *Trivorium*, *Rivium* noſtratem, alioſque, egregii Principis vindicias agere. De eximiis *Iuſtiniani* virtutibus unicum aut alterum Veterum Teſtimonium proferam. De doctrinâ ejus & pietate hæc Procopius, (De Bell. Goth. lib. 3. de Ædif Juſtin. lib. 1.) in *Iuſtinianum* adhuc æquus. Solitum eum tum libros de rebus Divinis agentes pervolutare, tum de iiſdem colloquia cum Epiſcopis & Presbyteris in multam noctem pertrahere: in more ei ſemper fuiſſe multis ante Paſcha dierum hebdomadibus corpus vigiliis & inediis pluſquam aſceticis macerare, ſemel in biduo cibum capere, vino, pane, aliiſque cibariis penitùs abſtinuiſſe, herbis tantùm ſale & aceto conditis, atque aquâ contentum. De egregio autem illius erga fidem Catholicam ſtudio audiamus *Agathonem* Papam ex Epiſcoporum 125. Synodo teſtimonium ferentem. *Et præ omnibus*, inquit, *emulator veræ Apoſtolicæ Fidei piæ memoriæ* Juſtinianus *Aug. cujus fidei rectitudo, quantum pro ſincerâ confeſſione Deo placuit, tantùm Rempublicam Chriſtianam exaltavit: & uſque ab omnibus*

omnibus gentibus ejus religioſa memoria veneratione digna cenſetur: Cujus fidei rectitudo per auguſtiſſima ejus edicta in toto orbe diffuſa laudatur. Gul. Cave in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

Inſtitutiones Juſtiniani multùm laudat *Cujacius*: hunc librum omnium librorum *Juris Civilis* nitidiſſimum, comptiſſimum, facillimum, nulloque penè *Interprete* indigentem prædicat. *Cujac.* l. 2. obſervat. 31.

In *Juſtiniani Inſtitutiones Phillippus Melancthon* hoc diſtichon compoſut.

Continet hic tenuis Legum Præcepta libellus:
Primaque *Romani* ſemina *Juris* habet.

Præter *Novellas*, quarum plurimæ ſunt fori Eccleſiaſtici, extant Lat. Ep. ad Synodum *Conſtantinopol.* Concil. Tom. 5. p. 119. Epp. 11. gr. l. ibid. p. 223. 679.

Tractatus adv. *Origenis* errores, ib. p. 635. Confeſſio adv. Tria Capitula, ib. p. 683. Conſtitutio adv. *Anthimum*, &c. ib. p. 264.

PROCOPIUS.

Clar. A. D. DXXVII.

PRæclarum ſub *Juſtiniano* nomen habuit *Procopius*. Natus hic fuit *Cæſareæ Paleſtinæ*. Fuit idem Orator, ac Rhetor ſeu Profeſſor, vel Cauſidicus. Notarius erat, ac Comes *Beliſarii*; cujus & res geſtas conſignavit. Accuratè, ac disertè ſcripſit, ſive, ut *Evagrius* inquit, l. 4. c. 12. φιλοπονώτατα, κομψῶς τε, καὶ λογίως, id eſt, Laboriosè, ſcitè ac disertè, ut ait *Nicephorus Calliſti*, l. 16. c. 10. Continet ejus Hiſtoria libros 8. quorum duo primi ſunt de Bello *Perſico*; duo ſequentes de bello *Vandalico*: Quatuor poſtremi de bello *Gothico*. Primos duos, quos de bello *Perſico* eſſe dixi, in compendium redegit *Photius* in Biblioth. Cod. 63. At omnium σύνοψιν habes apud *Agathiam* in Præfatione: Qui Hiſtoriam ſuam inde cœpit, ubi *Procopius* deſiit. Octo iſtis poſtea nonum *Procopius* adjecit: atque eum, quia complecteretur res antea non editas ἀνέκδοτα appellavit, *Suidâ* teſte, qui etiam auctor eſt, libro hôc fuiſſe invectum in *Juſtinianum*; & conjugem *Theodoram*; item *Beliſarium*, & uxorem ejus *Antoninam*. Ἀνέκδοτα iſta laudat *Evagrius* l. 4. c. 31. Memorat quoque *Nicephorus Calliſti* l. 17. c. 10. Item *Suidas*; qui & multa inde variis exſcripſit in locis. Præter novem, quos dixi, libros, extat volumen *Procopii* de *Juſtiniani* ædificiis in ſex narrationes, ſive, ut ipſe vocat, λόγους, diviſum. Ex iis clarè elucet, Hominem fuiſſe *Chriſtianum*; non *gentilem*, qualium ἀθείαν deteſtatur. Sed neque *Hæreticum*, etſi in *Juſtiniano* damnet, quòd in tales ſtatuerit pœnam capitalem. Nimirum judicabat, aliquas fidei controverſias tam eſſe difficiles penetratu, ut multi eas capere non poſſint: eoque probare non poterat, ſi propterea quis vitâ privaretur. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Procopius Hiſtorias optima fide *Græcè* conſcriptas nobis reliquit, diligens in ſcribendâ Hiſtoriâ, verùm mediocri ſtylo, ac planè naturali dictione, quæ *Aſiaticæ*

propior eſt, quàm *Atticæ*: ipſe enim *Aſiaticus* fuit. Conciones & Epiſtolas quaſdam breves interpoſuit, haud prorſus in eo genere ineptas. *Poſſev.* de Hiſtoric.

Procopius Hiſtoricus inſignis, quique rebus à ſe ſcriptis interfuit, verax alioqui, at malignus & ingratus in *Juſtinianum*, quem *Anecdotis* lacerat virulentè ac proſcindit. *Bonifac.* in Lud. Hiſt. p. 601.

Certè quantùm ex ipſius Scriptis perſpicere liquet, veri non abſimile mihi videtur, *Procopium* neque prorſus Gentilem fuiſſe, neque prorſus Chriſtianum: cum Gentilibus Chriſtianam non veram & unicam eſſe Religionem crediciſſe; cum Chriſtianis Gentilium ritus & ſuperſtitiones ludibrio habuiſſe: cum utriſque ſummum Numen cœli terræque conditorem agnoviſſe. Utut res ſit, erat ſaltem profeſſione & nomine tenus, Chriſtianus; utque *Juſtiniani* gratiam eò faciliùs captaret, quicquid in pectore clam fovebat, palam Chriſtianum cultum præ ſe tulit—In eâ (Hiſtoriâ Arcanâ) *Procopius* ſummâ non tam audaciâ dicam, quàm mentiendi & calumniandi prurigine turpiſſima & inaudita hactenus ſcelera *Juſtiniano* Imp. aliiſque affingit: adeò, ut nullo alio fine eam ſcripſiſſe videatur, quàm ut optimi Principis Aulam, tanquam Diabolorum Lernam, orbi inviſam redderet. Tanta quinetiam in eâ ubique ſcatet fortiter conviciandi libido, tanta mendaciorum inverecundia, à ſolitâ *Procopii* gravitate alieniſſima, ut ſuppoſititium eſſe opus & *Procopio* falsò inſcriptum viri doctiſſimi opinati ſint. In excuſis exemplaribus paginæ nonnullæ horrendas *Theodoræ* Aug. impudicitias & libidines narrantes omiſſæ ſunt. *Integra* verò *Hiſtoria* in Bibliothecâ Vaticanâ reperitur. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Procopius ornamenta *Hiſtoriarum* & *Græci* Sermonis puritatem aut neſciſſe aut neglexiſſe videtur: ſed quæ ad *Hiſtoriam* pertinent, ſingula commemorat ac res quoque leviſſimas magno ſtudio conſectatur. Et quoniam in rebus gerendis perpetuus *Beliſarii* comes, ac totius publici conſilii particeps fuit, ſæpiùs etiam pro *Republ.* legationes obiit. Denique mediocriter eſt à doctrinâ informatus, ut non dubitem illum inter *Selectos* recenſere. Cùm verò ſingulas Epiſtolas, Decreta, Fœdera, Conciones vario dicendi genere ac ſtylo deſcribit, magnum *veriſſimi Scriptoris* præbet argumentum: Niſi quòd ſuum *Belliſarium* ſæpiùs, quàm decuit, & ineptis plerunque laudibus oneravit: ineptiùs quoque cædem *Conſtantiani*, qui apud *Juſtinianum* ſtabuli magiſtrum egit, *Belliſarii* juſſu perpetratam ita excuſavit, ut in *fatis* eſſe diceret, *Conſtantianum* ſic mori debuiſſe. Ridiculas quoque 30. *porcorum* & *ſtatuæ Theodorici* conjecturas eximo, quodque *Thulen* decies *Britanniâ* majorem facit, quæ tamen altero tanto minor eſt. Sed illud fidem omnium ſuperat, *Cineres Veſuvii montis*, qui citra *Neapolim* ſitus eſt, *Byzantium* uſque vento delatos, ac populum ita exterritum, ut annuis ſupplicationibus *Deum* placaret: quæ *prodigia* ſapiunt *Græcam* vanitatem, & *Hiſtoricis* non modò *prophanis*, verùm etiam Eccleſiaſticis fidem ſæpè derogarunt. *Joann. Bodin.* in Method. Hiſt. c. 4.

Procopius in iis quæ ſcribit accuratus eſt, quoniam Beliſarium in ejus bellis comitatus eſt præclarorumque Geſtorum ejus teſtis extitit, ſed in Hiſtoria ſua

Perſica

Digitized by Google

Perſica nimis jejunus eſt: *Diarii* enim potius quam *Hiſtoriæ* ſpeciem præ ſe fert *Rapinus* Reflex. in Hiſtor. Sect. 28.

Procopius. O egregium Hiſtoricum! *Vulcanius* totis quinque vel ſex annis meum ſervavit, eumque à me lacrymabundus efflagitabat, quoniam eum illi dare renuebam. *Scaligerana* 2. Gall.

Procopius omnibus iis dotibus eſt inſtructus,quæ ad *Hiſtoriæ* pulcritudinem conducere poſſunt. Nam, *Evagrio* judice, accuratè, comptè ac eleganter ſcripſit.Nihil eorum oblitus eſt quæ ad Hiſtoriam decorandam Ars conferre valet; Mirificæ ſunt ejus deſcriptiones, ejus Orationes vehementes, ejuſque animadverſiones ſagacitatem ſpirant. *Eruditorum* Ephemerides Gall. 26. Auguſti 1675.

Paucis ut concludam,arbitror *Procopium* dignum eſſe qui attentè legatur, in primis propter ea quæ ſolus cum accurata notitia tractat; Magna tamen utendum eſſe prudentia in eo legendo,ut bonum à malo diſtinguatur,ejuſque lapſus, ab iis quæ judicio limatiori ſcripſit. Suidas, poſtquam eum *Illuſtrem* cognominavit, *Rhetoris* & *Sophiſtæ* nomen ei tribuit,qualis reverâ pluſquàm *Hiſtoricum* deceat fuiſſe videtur. Diffuſus eſt,ſed ea ubertate quæ potiùs *Aſiatica* eſt quàm *Attica*,ſeu quæ frequenter plus ſuperfluitatis quàm veri ornatûs habet.*Franciſc. Mothæus le Vayer*, Tom 1. p. 363. Gall.

Leonardus Aretinus mortuus, quod ei nullo pudori fuit, furti damnatus eſt, quòd *Gothicam* hiſtoriam ſuppreſſo *Procopii* nomine publicâſſet,accuſante *Chriſtophoro Perſonâ*,qui aliud *exemplar* nactus,& *Gothicam*,& *Perſicam* ſimul atque *Vandalicam*, *Græci* authoris titulum ingenuè profitendo, tranſtulerit. *Paul Iov.* in Elogio *Aretini*.

Fuit *Procopius* horum *Romanæ Antiquitatis* curioſiſſimus, ut paſſim in libris *de Bello Gothico* ſingulari diligentiâ deſcripſerit urbis mœnia, portas, cloacas, vias ædificia,ſuburbia nulluſque illo exactiùs proſequatur viam *Appiam*,*Æneæ* navigium, *Mauſoleum Adriani*, Bovis *Myroniani* ſignum in foro Pacis; quæ compluraque alia,& hæc ipſa de *Domitiano* uni *Procopio* debemus.*Nic. Alemann.* in Notis ad cap. 8. *Procop.*

Quoniam autem *Iuſtinianum* omnis Literaturæ imperitum fuiſſe aſſeruimus, non defuerit fortè,qui contra *Suidæ* teſtimonium,*Procopium Cæſarienſem*, *Beliſarii* ſcribam,producat,qui inter varias nugas & mendacia, quibus ſcatent ejus hiſtoriæ (de his loquor,quæ ad *Iuſtiniani Tribonianique* mores pertinent) hunc *Principem* Theologiæ operam dediſſe, memoriæ prodidit. Vide *Franc. Florid. Sabin.* in lib. de *Iur. Civ.* interpretibus.

Opera ejus omnia in unum collecta *Pariſiis* Tomis 2. è Typographiâ Regiâ vulgavit *Græcè* ac *Latinè* Notiſque illuſtrata P. *Claudius Maltrait* Jeſuita *Tholoſanus* an 1663. fol.

Anecdota ſtudio atque curâ *Nicolai Alemanni Romæ* & *Lugduni* 1623. Typis edita fuerunt in fol. apud *Andream Brugiottum*.

Omnia verò *Procopii* Opera edita ſunt *Græcè* & *Latinè*,inter Auctores *Hiſtoriæ Byzantinæ* in fol. 24.Tomis editos, ex prælo *Galliarum* regio ab anno 1647.& ad 1670. & ultra.

PRISCIANUS.

Clar. A. D. DXXVIII.

CÆſarienſis, claruit *Athenis* tempore *Iuſtiniani* Imp. *Scripſit* de *Arte Grammaticâ*, ad *Iulianum* Conſulem: ad *Choſroën* verò *Perſarum* Regem lib. De *Naturalibus Quæſtionibus.* Convertit in *Latinum* Sermonem *Dionyſii*, de ſitu *Orbis* carmina. Sunt qui ſcribunt, hunc ab initio *Chriſtianum*, deinde fidei *deſertorem* fuiſſe. Pars *Operum* ejus ab *Eliâ Vineto* aliiſque edita. Floruit *Conſtantinopoli*, Anno 525. Nomen ejus, in codice Antiquiſſimo & emendatiſſimo *Præſcianum* eſſe, notat alicubi *Hadrianus Valeſius Hofman.*

Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus, omnium ſui generis princeps ſcriptor. *Joan.* Card. *Bona.*

Priſcianus Priſcus & nomine & fide Grammaticus. *Voſſ.* l. 1. De Anal. c. 19.

Magnus Grammaticorum Thalaſſiarchus Priſcianus *Barth.* Adv. l. 35. c. 9.

Tres illi tanquam *Triumviri*, de quorum principatu inter eruditos quæritur, *Donatus, Servius, Priſcianus.* Quibus ego tantum tribuo, ut poſt eos quicunque aliquid de *Latinitate* ſcripſerunt, balbutire videantur. *Laur. Valla.* Præfat. in ſecund. lib. *Elegant.*

Dixi *promiſcuam veteres ſcripſiſſe EI* vel *I*, longum. *Priſcianus* aliter; qui *veteres* vult ſemper *EI* ſcripſiſſe, ſequentem ætatem, *I* productum. Errat ipſe, non ego: & refutant clarè æra & *Marmora* vetuſta, in quibus ferè omnibus (quaſi ſi nihil interſit) confuſanea hæc Scriptura. Putidum ſit citare: cui mens aut oculi, legat. Illud non importunè moneo, ſolviſſe *veteres EI* illud ſcribere, etiam cum *I* brevi. *Lipſius* de Rect. Pronunc. Lat. Ling. c. 8.

Pater *Creſſolius Ieſuita* dicit *Priſcianum* inter *Grammaticos* literatiſſimum fuiſſe. *Ioſias* le *Mercier* eruditionem multam ipſi tribuit. & G. *Voſſius* eum limatioris judicii *Grammaticum*, ac in lingua verſatiſſimum cenſet. *Scioppius* tamen non rarò in illum invehitur, exiguum ei objiciens judicium in omnibus quæ ſcripſit, quamvis non diſſentiatur magna dexteritate & diligentia eum uti oportuiſſe ad Operis ſui executionem. Sed *Bibliographus Anonymus* obſervat *Criticum* ipſum legitimo in ſuis Accuſationibus fundamento ſæpè deſtitutum eſſe. Cæterum Priſciani Opera in *Vniverſitate Pariſina* uſque ad decimum tertium Seculum uſitatiſſima fuerunt, ibique conſpiciebantur parva ejus Grammatica ſeu ejus Rudimenta, quæ in inferioribus Claſſibus *Alphabetum* vocabantur, ejuſque major, quæ *Priſcianus Major* in ſuperioribus dicebatur. *Baillet*, in *Eruditorum* Judiciis. Pariſ. 1685. Gall.

Vulgò de incongrua *Latinitate* dicimus quòd *Priſciano caput obtundatur*, ac ſi ritè loqui & ſcribere, ſpeciali jure, ad ipſum pertineret. (Anglica Authoris ſententia.)

Extant Opera ejus Grammatica cum expoſitione *Ioan.* de *Aingrè* in Fol. *Venetiis* an. 1596.

Extant etiam in Corpore veterum Grammaticorum à *Putſchio* evulgato

Venetiis

Digitized by Google

Venetiis jam anno 1476. excuſa tradit *Voſſius* l. 3. c. 30. de Analogiâ.

AGATHIAS, nonnullis dicitur AGATHIUS.

M*Yrinenſis* Poëta & Hiſtoricus celebris, vixit *Juſtiniani* Imp. temporibus. Clar. A.D. DLX. Compoſuit 5. libros de Imperio & geſtis *Juſtiniani*: item *Epigrammata* quæ paſſim in *Anthologiâ* leguntur. *Suidas Scholaſticum Smyrnæum* appellat. Veteribus *Scholæ* Collegia *Juriſperitorum* dicta ſunt: unde σχολαςικοὶ, qui alio nomine *Advocati* vocantur. *Konig.*

Agathius Scholaſticus Smyrneus quinque libris res *Juſtiniani* Principis, ejuſque Ducum *Beliſarii* & *Narſis* in *Italiâ*, *Africâ*, *Perſide* & apud *Byzantium* geſtas, poſt *Procopium*, ſcripſit ſtylo tenui, & crebris interpoſitionibus confuſo. Verùm utilis eſt, quòd ea proſecutus ſit, quæ meliores ſcriptores non habent. *Car. Sigon.* de Hiſt. *Roman.* c. 34.

Nunc verò *Agathiam* Hiſtoricum Optimum, qui *Juſtiniani* Imp. res geſtas poſt *Procopium Cæſarienſem* eſt perſecutus, *Græcè* antehac nunquam typis editum, in lucem emitto; *Agathiam*, inquam, virum ſuæ ætatis doctiſſimum, quique unus *poëticen* cum *Oratoriâ* ita conjunxit, ut dubium ſit, in utrâ magis excelluerit; in utrâque certè non dubiam de omnibus ſui ævi ſcriptoribus victoriam reportavit. E cujus editione plurimum & *Hiſtoriæ*, & *Græcæ* linguæ incrementi ornamentique eſt acceſſurum. Cùm enim varia graviſſimaque Bella adverſus populoſiſſimas potentiſſimaſque nationes, *Francos* ſcilicet, *Gothos*, *Vandalos*, *Hunnos*, & *Perſas* geſta deſcribat; tum verò de eorum moribus atque inſtitutis, ac præcipuè de *Perſicorum* Regum genealogiâ ac politiâ, multa commemorat ſcitu digniſſima, quæ apud alios *Scriptores* nuſquam reperiantur. *Stylus* ipſe planè eſt floridus atque amœnus, multis ſententiarum luminibus illuſtratus. Verbis verò utitur ſelectiſſimis, & frequenter à communi uſu ac ſignificatione remotis, adeo, ut *Suidas* diligens *Gloſſographus* potiſſimam *Lexici* ſui partem ex hujus Scriptis concinnârit. *Bonaventur. Vulcan.* in lit. ad *Holland.* & *Weſtfriſ.* Ord. quas *Agath.* præmiſit, anno 1594. ſcriptis.

Multùm tempora illa ornabat *Agathias*——Præter *Epigrammata* multa, quæ in Ἀνθολογίᾳ habemus, ſcripſit libros quinque de *Imperio*, & rebus geſtis *Juſtiniani*. Nec tamen omnia de eo refert: ſed inde, ut ipſe ait, cœpit, ubi deſiit *Procopius*. Dictione utitur terſâ, & floridâ *Gentilem* fuiſſe, præter alia oſtendit illud Φασὶν, quo l. 3. utitur, cùm ſermo ſit de Martyrio B. *Stephani Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Agathias Hiſtoricus & Poëta excellens. *Cunrad. Ritterſhuſ.*

Probus inprimis ſui ſeculi ſcriptor. *Olear.* in Abac. PP.

Procopium ſequatur *Agathias*, floridus & non contemnendæ prudentiæ Scriptor. *Whear.* in Meth. legend. Hiſt. Civ. ſect. 24.

Agathias eſt multi nominis Hiſtoricus & Poëta. *Dempſter.*

Hic Author tanquam unus è Seculi ſui optimis Poetis celebratus eſt. Credo ex ejus *Poematis* unum & octoginta Epigrammata nobis tantum ſupereſſe, in libris

libris ejus *Anthologia* perſperſa, quæque *Vulcanius* in faſciculum collegit, quem cum ejuſdem Authoris Hiſtoria evulgavit. Hæc plurimi feciſſe videtur *Joſephus Scaliger*, cum ea in Latinos verſus convertere dignatus ſit, quæ ſeptimo *Anthologiæ* libro occurrunt. Idem de aliquot aliis præſtiterunt *Douſa* & *Vulcanius*. Poema quoddam inſuper elaboraverat cui titulus *Daphnici* ſeu *Daphniaſis*, quod rebus amatoriis, imò & pejoribus refertum erat, ſed utrum in lucem prodierit ab inventa typographia, me latet. *Eruditorum Judicia* de Poetis Pariſiis 1686.

Sunt qui *Agathiam* exiſtiment primum fuiſſe, qui *Græcorum Epigrammatum* volumen collegerit, in unumque conjunxerit: alii *Planudem Maximum*, Monachum, virum doctum. *Gyrald.* de Poet. Hiſt. Dial. 10.

Vero propius eſt, illum *Ethnicum* fuiſſe, quàm *Chriſti* fidelem: neque tamen diverſæ factionis homines inſectatur palam aut mordet, perinde ac *Zoſimus* fecerat. Dictione uſus eſt floridâ ac terſâ; quam ſuo more, uti barbaram & fæculentam reprehendit *Verderius*, omni enim potiùs ornatu *Scripta* compſit; nudamque Hiſtoriam vetulæ rugis ſcatenti perſimilem ſibi videri dicebat: quodque graviſſimos ſcriptores feciſſe compererat, diſceptationibus & conſiliis judicium ſuum interpoſuit, & quaſi *Arbiter* datus, ſententiam tulit *Balth. Bonifac.* de *Rom. Hiſt.* Script. cap. 24.

Zoſimus, Procopius, Agathias tantam redolent barbariem, ut ne eorum quidem meminiſſe deceat. *Claud. Verder.* in Autor. Cenſione.

Extant de Imperio & Rebus Geſtis *Juſtiniani* Libri 5. Græcè & Latinè cum Notis *Bonaventuræ Vulcanii. Lugduni Bat.* 4°. an. 1594.

GILDAS.

Clar. A. D. DLXXXI.

COgnomine *ſapiens*, & ut à *Gildâ Albanio* diſtinguatur, *Badonicus* dictus, gente *Anglo Saxo*, natus anno 520. ob prælium *Badonicum* claro (inde ei nomen) *Iltuti Morganenſis* diſcipulus, Monachus *Bannochorenſis*, ſcripſit an. 581. teſte *Radulpho* de *Diceto* nequid jam dicam de *Polydoro*, *Baleo* &c. quamvis alii, & in his Rev. *Uſſerius* libellum ejus ad an. 564. referant, ipſumque an. 570. obiiſſe volunt. *Gul. Cave* Chartoph. Eccleſ.

Scripſit Epiſtolam ſive libellum de excidio *Britanniæ*, itemque Reprehenſionem acrem in *Britanniæ* Clerum. Aliarum *Gildæ* lucubrationum ad nos pervenit nihil, præter *Fragmenta* quædam, quæ veteri libro *Canonum* titulorum 66. inſerta, in *Cottonianâ* Bibliothecâ vidimus. Nam ut cum aliis, quæ inter *Plautinas* Comœdias habetur, *Aulul ariam* huic adſcribam, perſuaderi mihi non patior: licèt eò etiam politiſſimi virum judicii *Ger. Ioannem Voſſium* propendere non ignorem. *Jacob. Uſſer.* in *Antiq. Britan.* Eccleſ. c. 14.

Juſtiniani temporibus, atque ultrà, claruit *Gildas*, cognomento *Sapiens*, *Iltuti Morganenſis* diſcipulus & *Bannochorenſis* cœnobii monachus atque Abbas. Cujus tum libellum de excidio *Britanniæ* habemus, tum reprehenſionem acrem in *Britanniæ* Clerum----Sanè ut ſummæ eruditionis vir, ita fidei, ac ſanctimoniæ

Digitized by Google

ſanctimoniæ præcellentis fuit. Nec movere debent ridicula illa, atque inepta oracula, *Gildæ* tributa. Planè enim ſunt nugatoris cujuſdam commentum, qui auctoritatem aliquam quiſquiliis ſuis *Gildæ* nomine voluit comparare. At verè ſcripſit *Gildas* librum antè memoratum, ſive ut ipſe vocat, epiſtolam de excidio, & conqueſtu *Britanniæ*. In quâ refert, quàm atrocia ſit perpeſſa *Britannia* à *Saxonum* adventu uſque ad tempus illud, quo iſta traderet. Is liber primùm operâ *Cuthuberti Tonſtalli*, *Londinenſis* Epiſcopi in lucem protractus, ac cum præfatione *Polydori Virgilii* editus fuit. Meminit hujus Libelli etiam *Venerabilis Beda* hiſtor. Angl. l. 1. cap. 22. item *Gulielmus Neubrigenſis* in Præfat. Brevis eſt in hiſtoriâ: multus autem in caſtigandis *Britannorum* vitiis. Antequam is lucem adſpexiſſet, imponi ſimplicioribus ſolet libello alio *Gildæ* nomen ementiente---Si quid *Gildæ*, præter epiſtolam, de quâ diximus, ac invectivam in Clerum *Britanniæ*, tribui debet, id fuerit *Querolus*; ſive *Aulularia* illa quæ cum *Plauti* nomine falsò prodiit. Sanè *Gildæ* adſignant codices quidam manu exarati: nec ſtylus refragatur: niſi quòd ille in *Gildæ* Epiſtolâ ſit impeditior, intricatiorque, quàm in *Querolo*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Hunc (*Gildum*) venerabilis *Beda* quaſi per *Antonomaſiam* notanter *Britonum* Hiſtoricum vocavit.

Et ſanè Auctor Antiquus, & ſcriptor non vulgaris. *Pitſeus.*

Vir fuit ſummæ eruditionis ac fidei. *Aub. Miræus.*

Præ aliis *Britanniæ* Scriptoribus, ſolus mihi *Gildas* (quoties eundem materiæ curſus intulerit) imitabilis eſſe videtur. Quia ea quæ vidit & ipſe cognovit ſcripto commendans, *excidiumque gentis* ſuæ declarans potiùs quàm deſcribens, veram magis *Hiſtoriam* texuit quàm ornatam. *Gildam* itaque *Gyraldus* ſequitur: quem utinam moribus & vitâ ſequi poſſet; factus ejuſdem plus ſapientiâ quàm eloquentiâ, plus animo quàm calamo, plus zelo quàm ſtylo, plus vitâ quàm verbis Imitator. *Sylveſt.Gyrald.*in priore Præfat. præfix. Deſcript. *Cambriæ* ſuæ.

Gildas homo *Britannus*: cui nihil remotius eſt, quàm mentiri,nihil propius, quàm veritati inniti. Integritatis ejus non leve documentum eſt, quia in veritate promendâ, propriæ genti non parcit: & cùm admodum parcè bona de ſuis loquatur, multa in eis mala deplorat: nec veretur, ut verum non taceat, *Brito* de *Britonibus* ſcribere, eos nec in Bello fortes fuiſſe, nec in pace fideles. *Polydor. Virgil.* l.1. Angl. Hiſt.

Legem innocentiæ ſibi conſtituens, vitam vixit integerrimam *Gildas*, ut in *Deum* flagitiosè delinquentes; eò liberiùs caſtigaret. Eruditione multò plus valuit quàm eloquentiâ, quod vitio temporis adſcribendum modis omnibus judico. *Britannica* Plebis peccata & ingruentem per *Anglo-Saxones* calamitatem, quotidianis deplorabat lachrymis. Impuros hominum mores, præcipuè Sacerdotum & *Principum*, non poterat in ſuis Concionibus non improbare.*Joan. Balæus* de ſcript. *Britan.*

Hunc *Gildæ* libellum de *Excidio Britanniæ*, ob horridulum & incomptum *Orationis* Characterem, etiam à *Gulielmo Neubrigenſi* in *Anglicanæ* ſuæ *Hiſto-*

ria proœmio ita vituperatum invenimus: *Cum ſermone ſit admodum impolitus atque inſipidus, paucis eum vel tranſcribere vel habere curantibus, rarò invenitur.*

Et ſanè (inquit Uſſerius Biblioth. Theol. MS. pag. 113.) *Beda* Britannorum ſcelera, Hiſtoricum illorum *Gildam* flebili ſermone deſcripſiſſe confirmat; ex cujus etiam opere integras aliquando paginas Hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Unde & *Priſeus* in Hiſtor. Britann. Defenſ. cap. ult. rationem reddens cur à *Bedâ* prætéritus fuit *Arthurus*, ex hoc Gilda, inquit, id erroris hauſerat, quando nihil ex Britannicis rebus ipſe legiſſe videretur, præter ea quæ ab hoc acceperit. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

* Hic Author in quibuſdam locis de *Sacerdotibus*, cautè legendus. *Index Madrit.* edit. ann. 1667.

Extant Epiſtola *de Excidio Britanniæ*, *Lond.* 1525. 8°. 1568. 12°. Et *Ordinis Eccleſiaſt. Caſtigatio*, in Orthodoxographia, p. 487. & Biblioth. PP. Tom. 8. pag. 707. 715.

Epiſtola *de Excidio Britanniæ* Manuſcripta adſervatur *Cantabrigiæ* in Bibliothecâ publicâ, & *Oxoniæ* in Bibliothecâ Collegii Mertonenſis. Etiam vita *Gildæ* hujus Manuſcripta dicitur ſupereſſe *Cantabrigiæ* in Collegio S. *Benedicti*. Variaque ex eâ vitâ refert fragmenta *Joannes* à *Boſco* in libro, quem ex veteribus membranis *Floriacenſis* Bibliothecæ collegit. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

S. GREGORIUS.

Clar. An. D. DXC.

MAgnus, *Romæ* natus, Patre *Gordiano* Senatore, *Felicis* II. aliis III. abnepos, ex Præfecto Urbis *Romanæ* Monachus *S. Equitii* factus, tum à *Pelagio* II. Romano Pontifice *S. R. E.* Diaconus creatus, mittitur *CP.* ad *Mauritium* Imperatorem Apocriſiarius anno 582. unde diſputatione cum *Eutychio P. CP.* de Reſurrectione carnis habitâ, *Romam* reverſus, ædificavit Monaſterium Sancti *Andreæ* in *Clivo Tauri*, ac *Pelagio* lue extincto die 8. Febr. anni 590. ipſe electus, acceptoque *Mauritii* Imp. conſenſu conſecratus eſt die 3. Septembris ejuſdem anni, tenuitque Pontificatum annis 13. menſibus 6. diebus 10. uſque ad diem 12. Martii, anni 604. quo obiit ſub *Phocâ Imp. Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Gregorius Papa, *Romanæ* Sedis & Apoſtolicæ Præſul, compunctione timoris *Dei* plenus, & humilitate ſummus, tantoque per Gratiam Spiritûs Sancti ſcientiæ lumine præditus, ut non modò illi præſentium temporum quiſquam, ſed nec in præteritis quidem par fuerit unquam. Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione ſublimis, ut, excluſis omnibus illuſtrium virorum comparationibus, nihil illi ſimile demonſtret antiquitas. Vicit enim ſanctitate *Antonium*, eloquentiâ *Cyprianum*, ſapientiâ *Auguſtinum*. *Ildefonſ. Tolet.* de Script. Eccleſiaſt.

Gregorius Romanæ Urbis Epiſcopus, organum Sancti Spiritûs, incomparabilis

Digitized by Google

bilis omnibus ſuis prædeceſſoribus, multa præ ſole præclara, ac præ obrizo auro pretioſa ſcripſit. *Honorius Auguſtod.* de Script. Eccleſ.

Gregorius Primus, ex Monacho ordinis Sancti *Benedicti*, Patriâ *Romanus*, poſt *Pelagium* Pontificem ſedit in Cathedrâ *Petri* annis 13. menſibus 6. Vir in Divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis utique doctiſſimus, Theologorum Princeps, ſplendor Philoſophorum, & Rhetorum lumen, vita & converſatione integer atque ſanctiſſimus, cui divinas Scripturas explananti Spiritus Sanctus aliquoties viſibili ſpecie apparuit, eique arcana myſteriorum earundem inviſibili magiſterio reſeravit. *Trithem.*

Hic [*Gregorius*] librum *Dialogorum*, quem cum *Petro* Diacono ſuo, de miraculis Sanctorum ſui temporis habuit, *Teudelindæ Longobardorum* Reginæ, pro munere miſit. Scripſit & alia, quæ à *Romanis* poſt mortem ejus combuſta ſunt, qui & omnia opera ejus combuſſiſſent niſi *Petrus*, diaconus ejus interveniens confirmâſſet jurejurando, ſe vidiſſe Spiritum Sanctum quaſi columbam ſuper caput *Gregorii* tractantis ſedentem, roſtrum ſuum ori illius inſerentem: & hoc ipſum *Petrus* hac conditione fecit, ut, ſi ipſe poſt factum jusjurandum ſtatim moreretur, *Romani* à libris *Gregorii* comburendis ceſſarent: ſi non moreretur, ipſe etiam combuſtoribus librorum manus daret. Sic *Petrus* inter verba juramenti expiravit, & *Romanorum* inſania ceſſavit. *Sigebert.* de Script. Eccleſ.

Alii quidem *Pontifices* conſtruendis ornandiſque vel auro vel argento Eccleſiis operam dabat, hic autem totus erga animarum lucra vacabat *Beda* Hiſt. Eccleſ. *Angl.*

Is non ſibi ipſi, ſed utilitati hominum, ac honori divino conſulens, quem certè ob Religionem & pietatem rebus omnibus ſemper attulerat, ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus atque omni ambitione & potentiâ, gubernacula Chriſtianæ Reipublicæ ſuſcipiens, ita vixit, ut uſque ad tempora noſtra neminem ex ſucceſſoribus parem habuerit, nedum ſuperiorem vel ſanctitate vitæ, vel diligentiâ in rebus agendis, vel doctrinâ & ſcriptis. *Platina* in Vit. *Gregor.*

Nullâ virtute major & admirabilior, quàm quòd ambitionem illam contempſit, quæ maximos quoſque Chriſtianæ confeſſionis antiſtites afflixit--- Ejus Homiliæ mirificè bonis rebus plenæ, & exemplar ſequentium ſeculorum doctoribus. In ſummo pretio fuerunt, adeò, ut qui aliorum librorum potiri non poſſent, ex præſcripto, iſtum ſibi parare omnimodè oportuerit. *Caſp. Barth.* l. 55. c. ult. Adverſariorum.

In *Gregorio* puram, nulloque fuco picturatam ſanctimoniam agnoſcimus. *Eraſm.* in Præfat. *Auguſt.*

Gregorius Magnus Papa morum inſtructor præcipuus, & omnium virtutum Magiſter. *Joan.* Card. *Bona.*

Gregorium Romanum ejus nominis primum agnoſco virum pium, ea loquentem quæ ſentit. Et hic propiùs accedit ad *M. Tullium*, quàm *Ambroſius*: ſed fluit lutulentus, & *Iſocratica* ſtructuræ quaſi ſervit Oratio, quod eſt à *Cicerone*

Tt 2 alienum

alienum. Sic enim puer in Scholis aſſueverat. *Eraſm.* in *Ciceron.*p.155.

Verborum, & Orationis genus in omnibus penè ſcriptis ejus continuum eſt & connexum, inciſis quibuſdam, & membris ſibi invicem correſpondentibus currens, & *ὁμοιοτελεύτοις*, hoc eſt, ſimiliter terminantibus ſententiis fluens, ſemperque ferè in abſolutis perfectiſque finiens periodis, non affectatis tamen, nec quæſitis, ſed ex priſtina ſecularis eloquentiæ exercitatione ultro manantibus, citra ullum accuratæ dictionis & elaboratæ texturæ artificium. *Sixt. Senenſ.* Biblioth. Sanct. l.4.

Sanctus *Gregorius* Papa prolixos in *Jobum* Commentarios elucubravit, ubi Literalem ſenſum tanquam parum utilem ad plebis inſtitutionem negligit. Hic Pater Sancti *Auguſtini* Opera ſedulo legerat, quorum excerptis libros ſuos refertit; & in hoc ſe judicio pollere demonſtrat, quod in omnibus non ſit ſecutus veterem Latinam Verſionem quæ ad *Græcam Septuaginta* Interpretum facta fuerat, quæque illo tempore Vulgata Verſio adhuc erat; Verùm ad Divi *Hieronymi* Translationem ex Hebraicis ſæpè recurrit, iis præſertim locis quibus illam Veteri præſtantiorem deprehendebat. Utraque hac Verſione ſe uti profitetur, quia *Romæ* ambæ tunc erant in uſu: Hæc autem fuit occaſio cur Nova hæc Sancti *Hieronymi* Verſio reciperetur; quæ tandem Veteri Vulgatæ ſuccenturiata fuit. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Critic. V. T. l.3.cap.10.

Hæc carmina de *Gregorio* Primo, *Leone* Primo, & *Nicolao* Primo compoſuit *Stephanus Paſchaſius:*

Pontifices quot *Roma* tulit celeberrima Sanctos;
Majores nullos *Nicolao*, *Gregorioque*;
Sive *Leone* habuit: *re* ſunt ut *nomine* Primi.

Gregorius Magnus---Vir erat pietate inſignis, nec ævi illius ratione habita doctrinâ incelebris: immo ſi *Iſidorum Hiſpalenſem* audire velimus, *tanto per gratiam S.Spiritûs ſcientiæ lumine præditus, ut non modò illi præſentium temporum quiſquam doctorum, ſed nec in præteritis quidem illi par fuerit unquam.* Sic quidem *Iſidorus*: cujus tamen hac in re verba cum grano ſalis accipienda eſſe meminerit lector. Pietatis certè & eruditionis laus ei neutiquam eſt deneganda, in hôc verò jure merito culpandus, quòd teſte *Joanne Sariſburienſi*, de Nug. Curial. lib. 2. cap. 26. & lib. 8. cap. 19. non modò *Matheſin* ab Aula recedere juſſerit, ſed quo major eſſet S. Scripturæ autoritas, & in ea evolvenda diligentia ſtudioſior, intempeſtivo nimis ac planè flagranti zelo nobiliſſimæ Bibliothecæ Palatinæ, in cujus Archivis recondebantur tot veneranda vetuſtatis monumenta, ignem admoverit, quo incendio perierunt.

Scripta *Palatinus* quæcunque tenebat *Apollo*.

In quibus inquit Sariſburienſis, *erant præcipua, quæ cœleſtium mentem & ſuperiorum oracula videbantur hominibus revelare.* Gul. Cave *in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.*

Anto-

Digitized by Google

Antoninus Florentinus, part. 4. *Summa Confeſſionis*, tit. 11. c. 4. refert *Gregorium* omnes libros, quos habere potuit, *Titi Livii* comburi feciſſe, quia ibi multa de ſuperſtitionibus *Idolorum* narrantur.

Univerſalis titulum penitùs damnavit *Gregorius*: & primus appellari voluit *Servus Servorum*.

Extant Opera Rom. 2. Vol. 1588. 1593. *Baſ.* 1564. 2. Vol. *Ant.* 1572. 1615. *Par.* 1605. 1640. fol. *Epiſtolarum* lib. 12. C. T. 5. p. 1028. Dialogorum lib. 4. à *Zacharia* P. Græcè verſi habentur integri Gr. Lat. edit. *Par.* 1640. Tom. 30. ſuppletis quæ deerant ex Caniſ. Antiq. Lect. Tom. 3.

Perpenſis ex utraque parte argumentis reſtat, ut hi *Dialogi de Vitâ & Miraculis Patr. Italicorum, & de æternitate Animarum*, ſaltèm ſint dubiæ fidei, à *Gregorio* M. ut videtur, ſcripti, à recentioribus aucti & interpolati. Ejus ergo eſſe haud iverim inficias. Interim in hoc opere concinnando nimiùm credulitati ſuæ indulſiſſe, & in fabulas plus quam par erat, propenſiorem fuiſſe nemo qui æquo animo ac præjudiciis libero id legerit, facilè negabit. *Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

EVAGRIUS SCHOLASTICUS.

GEnere *Syrus*, domo *Epiphanienſis*, Advocatus & Expræfectus natus ann. 536. quando obierit non liquet. *Gul. Cave* Chartoph. Eccleſ. Cl. DX

Evagrius Scholaſticus Epiphaniâ Syriæ urbe oriundus, poſt *Euſebium*, *Socratem*, *Sozomenum*, atque *Theodoretum*, libros ſex Eccleſiaſticæ conſcripſit Hiſtoriæ, ab anno circiter 431. quo *Neſtoriana* impietas in Concilio *Epheſino* damnata eſt, uſque ad annum 597. *Mauritii* Imp. 12. ut ipſe in fine narrat, ubi etiam aſſerit, ſcriptum à ſe aliud quoque opus fuiſſe, quod Relationes, Epiſtolas, Decreta, Orationes, Diſputationes, reſque alias ejuſmodi complectebatur: ſeque duos honoris gradus conſecutum: & primùm quidem à *Tiberio Conſtantino* ad Quæſturam evectum, tum à *Mauricio* munus adeptum ſervandarum Tabularum, in quibus, non tam nomina, quàm ipſa Præfectorum acta inſcribebantur. *Phil. Labbe* de Hiſt. Eccleſiaſt.

Evagrius, illuſtri dignitate præditus, Hiſtoriam uſque ad *Juſtini* ætatem deduxit, maxima ex parte res prophanas tractans: quarum argumenta, & materiam, ex *Euſtathio Syro*, *Zozimo*, *Priſco*, *Joanne*, *Procopio Caſarienſi*, *Agathiâ*, qui illis temporibus ordine inſignes fuere oratores & præthereà ex aliis, non pœnitendis Hiſtoricis decerpſit. *Niceph. Caliſt.* in Proœm. Hiſt. Eccleſiaſt.

Evagrius eſt ſuorum temporum rerum geſtarum Scriptor inſignis, atque ex *Græcis* primus eorum, qui leguntur, *Orthodoxus*. Aſt enim vero magnam partem Scriptorum ſuorum *Zachariæ* rhetoris, *Eutichiani* Hæretici authoritate confirmat *Evagrius*, unde ipſe haud immeritò *Eutychianus* à nonnullis dicitur. *Henr. Spondan.* in Epit. *Annal. Baron.* ad Ann. 565. num. 11.

Zachariam Rhetorem, cujus auctoritate magnam partem Scriptorum ſuorum

confirmat, *Eutychianum* Hæreticum fuiſſe, plurimaque rerum benè à Catholicis geſtarum ſilentio ſupprimere, atque ea quæ *Eutychiano* errori favent, ad verbum recenſere conſtat. Meminerit igitur Lector Catholicus, ut cautè legat ea quæ ab eodem *Zachariâ*, in causâ præſertim *Eutychianorum*, apud *Evagrium* citantur. *Aubert. Miraus* de Script. Eccleſiaſt.

Laudanda eſt in primis *Evagrii* diligentia, qui cum *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ſcribere aggreſſus eſſet, quæcunque ad id argumentum ſpectabant, ex optimis Scriptoribus collegit, puta ex *Priſco, Joanne, Zachario*, *Euſtathio*, & *Procopio* Rhetoribus. Stylus quoque ejus non improbandus eſt: Habet enim elegantiam & venuſtatem, ut teſtatur etiam *Photius*. Sed quod præcipuè in *Evagrio* laudandum eſt ex *Græcis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* Scriptoribus, ſolus hic rectæ fidei doctrinam integram atque illibatam ſervavit, ut poſt *Photium* obſervavit *Baronius* in *Annalibus*. Illud tamen in eo reprehenſionem meretur, quòd non tantam diligentiam adhibuit in conquirendis antiquitatis *Eccleſiaſticæ* monumentis, quantam in legendis prophanis Scriptoribus. Certè totus ferè liber ſextus in belli *Perſici* narratione conſumitur. *Henr. Valeſ.* in Præfat. ad edit. *Theodoreti* & *Evagrii*.

Evagrius Scholaſticus Eccleſiaſtica Hiſtoriæ Scriptor, rès potius profanas quàm ſacras pertractans. *Joan.* Card. *Bona*.

Evagrius eſt Scriptor à fabuloſis narrationibus, ut res arguit, non nimis alienus. *Iſaac. Caſaub.* exercit. 13. num. 31.

Lecta eſt *Evagrii Scholaſtici* expræfecti, nati *Epiphaniâ* urbe *Cæleſyria*, *Eccleſiaſtica Hiſtoria* libris ſex: Inchoans à fine *Socratis* & *Theodoriti* Hiſtoriarum, pertingenſque ad *Mauricii* annum duodecimum imperii. Stylus huic non ingratus, tametſi interdum redundare quodammodò videatur. Verùm in Dogmatum veritate cæteris *Hiſtoricis* accuratior eſt. *Phot.* in *Biblioth.* Cod. 29.

Quæ quidem laus, etſi ei non ſit deneganda, in pluribus tamen factis recenſendis nimis fuiſſe credulum, & in fabulas proniorem, ex iis quæ datâ quâvis occaſione de Cruce, Reliquiis, fictiſque Miraculis (quæ majori in pretio jam haberi cœperant) refert, cuivis præjudiciis non occæcato liquidò patebit. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Hiſtoriam *Evagrii* primus omnium *Robertus Stephanus Græcè* edidit ex unico codice MS. Bibliothecæ Regiæ.

Loca compluria in *Evagrii* Hiſtoriâ explicat *Jacobus Billius Prunæus* libr. 1. Obſervationum Sacrarum c. 38.

Prodiit *Evagrii* Hiſtoria unà cum *Theodoreti* Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ anno Dom. 1683. fol. cum Notis *Henrici Valeſii*.

S. ISIDORUS HISPALENSIS ARCHIEPISC.

Clar. An. D. DXCV.

S*everiano* Patre in provinciâ *Cartaginenſi* natus, poſt fratrem ſuum *Leandrum Hiſpalenſis* in *Bætica* Archiepiſcopus fuit per annos 40. ab anno *Chriſti*

Chriſti 595. ad 636. æra 874. qua anno primo *Chintiliani* Regis Spiritum *Deo* reddidit die 4. Aprilis, feriâ quinta poſt Paſcha, alii 16. Januarii---Junior ſæpè dicitur ad diſtinctionem alterius *Iſidori Hiſpani*, *Cordubenſis* Epiſcopi qui *Honorio* & *Theodoſio* II. imperantibus *Paulo Oroſio* Hiſtoriarum Scriptori notiſſimo commentaria in libros Regum dicavit circa ann. 412. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ.

Scripſit varia, hæc verò primum obtinent locum: Originum, ſive Etymologiarum libri 20.---Chronicon ab initio Mundi uſque ad annum *Chriſti* 626.--- Hiſtoria *Gothorum*, *Vandalorum*, & *Suevorum*---Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis---Commentaria in libros Hiſtoricos veteris Teſtamenti.

Iſidorus vir egregius, *Hiſpalenſis* Eccleſiæ Epiſcopus, *Leandri* Epiſcopi Succeſſor & Germanus, floruit à tempore *Mauritii* Imperatoris, & *Recaredi* Regis: in quo quiddam ſibi Antiquitas vindicavit, imò noſtrum tempus antiquitatis in eo ſcientiam imaginavit Vir in omni locutionis genere formatus, ut imperito doctoque, ſecundùm qualitatem Sermonis, exiſteret aptus, congruâ verò opportunitate loci, incomparabili eloquentiâ clarus. Jam verò quantus ſapientiâ fuit, ex ejus diverſis ſtudiis & elaboratis opuſculis perfacilè prudens lector intelligere poterit. *Braulio.* Epiſc. *Cæſar. Auguſt.* in prænot. libr. *Iſidori.*

Iſidorus, poſt *Leandrum* Fratrem Hiſpalenſis Sedis, Provinciæ *Bœticæ*, cathedram tenuit, vir decore ſimul & ingenio pollens. Nam tantæ jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex eo in ſtuporem verteret audientes: ex quo audita bis qui audiſſet, non niſi repetita ſæpiùs commendaret. Scripſit opera eximia, & non parva. *Ildefonſ. Tolet.* de Script. Eccleſ.

Iſidorum ſummoperè laudant *Concilii Toletani* VIII. Patres. *Noſtri*, inquiunt *Sæculi Doctor egregius*, *Eccleſiæ Catholicæ noviſſimum decus*, *præcedentibus ætate poſtremus*, *doctrinæ comparatione non infimus*, & *quod majus eſt*, *in ſæculorum fine doctiſſimus*, *atque cum reverentiâ nominandus* Iſidorus. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Vir non tam doctrinâ, quàm vitâ Philoſophus, & in dicendo non tam rudis, quàm inexercitatus. *Volaterran.*

Hiſpanis Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *Leandri* ſucceſſor, multa tum ſcripſit quæ fidem *Chriſtianam* mirificè juvant. De ſummo enim bono, de viris illuſtribus, de vocabulis Grammatices, & etymologiis libros compoſuit. Hiſtoriam præterea ab *Adam* uſque ad tempora *Heraclii*, vitas quorundam Sanctorum, Hiſtoriam *Longobardorum*, & brevem quandam Coſmographiam ſtylo ſatis eleganti edidit. In eo homine pluris facienda eſt certè ſanctitas, quàm eruditio. Sunt qui ſcribant *Iſidorum Germanum* fuiſſe, quanquam *Hiſpani* hunc ſuum eſſe affirmentutcunque ſit, ſatis conſtat, eum fuiſſe quavis laude dignum ob doctrinam & ſanctitatem. *Platina* de Vit. Pontif.

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſæcularibus literis nulli ſuo tempore ſecundus. *Trithem.*

Vir eximiæ ſanctitatis & eruditionis, divinarum Scripturarum peritiſſimus. *Sixt. Senenſ.*

Fuit

Digitized by Google

Vir doctrinâ ſimul & ingenio pollens. *Baron.* ad an. 636. ſect. 9.

Fuit hic vir omnium literarum cognitione tinctus. *Bibl. Hiſpanic.*

Qui unus(*Iſidorus Hiſp.*)inter omnes *Hiſpaniæ* Viros, tum ſanctitate, tum literis clarus, nec ſecus ac *Sol* inter omnia ſidera fulget. *Lucius Marinæus* de Reb. *Hiſp.*

Iſidorus vitæ ſanctitate, literis tam ſacris quàm profanis paucis æqualis, inferior nemini, quemque ſatis ſuperque doctum illud *Originum* opus poſteris commendat. *Ludovic. Nonius* in *Hiſpan.*

Quem (*Iſidorum Hiſp.*) *Hiſpaniarum Doctorem* nominat Rex *Ferdinandus* cognomento *Magnus*, quanquam ſæpè etiam vanus (in opere *Etymologico*) dicatur *Paulo Merula* part. 2. Coſmog. l. 3. c. 34.

Iſidorus Hiſpalenſis, Grammaticus neceſſarius, in quo pleraque, quæ nuſquam alibi, & Hiſtoricus non ſatis cultus, neç diligens, moribus tamen incorruptis, & non tam doctrinâ, quàm vitâ Philoſophus. *Bonifac.* Judic. Hiſt. l. 15. c. 5.

Iſidorus Hiſpalenſis Grammaticus adfert nonnulla ex antiquis hauſta haud prorſus aſpernanda, præſertim quòd fontes illi non pervenerunt ad hanc ætatem. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Eſt quidem is Scriptor neceſſarius potiùs quàm doctus. *Caſaub.* ep. 307. *Car. Labbeo.*

Joannes, *Gerundenſis* Epiſcopus, ſic cenſet, in rebus *Hiſpanicis* laudabiles eſſe, *Trogum Pompejum*, *Oroſium*, & *Iſidorum Hiſpalenſem*: tolerabilem, *Rodericum Toletanum*: cæteros ſomnia contexere.

Iſidorus multa ex *Veterum* libris quibus hodiè caremus, eaque optima tranſcripſit, ideo illum velim habere. Doctis utiliſſimus eſt. *Scaligerana* prima.

Fratoribus *Iſidorum* ſemiptiſcis annumerat *Jan. Douza* l. 3. præcid. in *Petronium*, c. 9. p. 355.

Iſidorum centonum Sarcinatorem vocat idem *Douza* Not. in *Salluſt.* p. 18.

Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ſcripſit *Originum* libros XX. In quibus eum ex *Servio Maronis* Interprete, *Feſto*, *Nonio*, *Divo Auguſtino*, cæteriſque melioris notæ Auctoribus ad verbum pleraque tranſcripſiſſe, oſtendit *Petrus Ciacconius* Notis in *Iſidor.*

Talis fermè eſt apud *Latinos Iſidori Rhapſodia*, qualis apud *Græcos Suida*, undecunque à compluribus conſarcinata. *Beat. Rhenan.* in *Tertullian.* de Pœnitentiâ. p. 471.

Auctor *Originum* ſive *Etymologiarum*, quibus tamen quandoque nil, niſi nugas agit, & riſum movet. *Chriſtian. Becman.* de propriâ ſignificatione vocum. p. 13.

Janus Douza centonum Sarcinatorem vocat *Iſidorum*. Quô tamen ipsô locô cùm unum alterumque *Salluſtii* fragmentum haud mediocri acceſſione augeat ex *Iſidoro*, vellem parciùs ipſi probrum hoc, ſaltem dum ejus beneficio fruebatur, objeciſſet. *Thomas* de Plagio, num. 474.

Cæterùm in ſacris quoque lucubrationibus cùm aliena conſtipare, quàm ſua dare idem *Iſidorus* maluerit, *plagium* ipſi cum primis è S. *Gregorio*, cujus diſcipulus fuit, objectum meminimus. Quod quidem crimen ab eo depellere qui volet, niſi aliam viam inſtiterit, quàm *Lucas Tudenſis*, qui extraordinarium *Spiri-*

Digitized by Google

Spiritûs Sancti influxum credi à nobis hic voluit, operam perdet. *Idem* ibid. num. 475.

Miror ſanè *Bellarminum* in eâ fuiſſe ſententiâ, quòd *Chronicon* illud decerptum ſit ex libro 5. *Etymologiarum*, cum è contrà certo certius mihi videatur, ex hoc Chronico delibaſſe *Iſidorum* aut certè *Braulionem* quæ brevi compendio de ſerie temporum traduntur ad calcem libri quinti *Etymologiarum* — ſunt qui [*Iſidiori*] commentarios in quatuor libros Regum adjudicare malunt *Iſidoro* ſeniori Epiſc. *Cordubenſi Phil. Labbe.* de Script. Eccleſiaſt.

Iſidorus Hiſpalenſis: anno 639. præfuit Synodo *Spalenſi*, quo modo vocatur Synodus *Hiſpalenſis*: Ut *Spalis* pro *Hiſpalis*, *Spania* pro *Hiſpania* dixere. Item præfuit nobili illi LXX. Epiſcoporum Synodo *Toletanæ*: quæ anno habita 633. ut Manuſcriptis Antiquis *Garſias Loaiſa* obſervavit. Utrum autem *Hiſpalenſis* hic ſit idem ille, qui Pontificum Epiſtolas, & Conciliorum Canonas, collegit, adhuc in controverſiâ eſt. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Non poſſum eruditum & Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudioſum Lectorem hoc loco gaudium meum celare: repertum nempe à me eſſe ſuperioribus diebus illuſtre & bene longum *Iſidori Hiſpalenſis* Epiſcopi Fragmentum de *Inſtitutione Jejunii Quadrageſimalis*, quod alibi, ſi vitam *Deus* dederit, publici juris faciam. *Boxhorn.* ad Hiſt. Auguſt. Script. p. 999.

An Fragmentum illud ediderit *Boxhornius*, nobis incompertum; quod, aut egregiè fallor, non aliud fuit ab *Iſidori* 36. capite libri primi *de Officiis Eccleſiaſticis*. *Iſidori* operum editio *Madritenſis* anno 1599. rariùs proſtat. in eâ *Joh. Grial.* editoris & aliorum Præfationes legas, in editione *Pariſienſi* An. 1601. Typographorum avaritiâ expunctas. *Paul. Colomeſ.* paralipom. ad Chartophyl. Eccleſ. *Gul. Cave.*

Opera omnia cum obſervationibus *Garſiæ Loayſæ Grialii* & *Jacobi du Breul* Monachi S. *Germani* à *Pratis*. *Pariſiis* in fol. apud *Seb. Nivellium* an. 1601. *Editio bona.*

Opuſcula nondum anteà edita vulgavit *Conſtantinus Cajetanus*, & inſcripſit *Philippo III. Hiſpaniarum* Regi *Romæ*. in 4°. 1616.

De ordine creaturarum liber ad *Braulionem* Epiſcopum *Cæſarauguſtanum* primùm editus à *Dacherio* Tomo 1. ſpicilegii.

THEOPHYLACTUS.

Clar. Anno Dom. DCXL.

COgnomine *Simocatta*, genere *Ægyptius*, patriâ verò *Locrenſis*, ex Sophiſta Præfectus, & Antigrapheus, id eſt, forſan *Cancellarius*, claruit anno 611. & deinceps. *Gul. Cave.*

De rebus à *Mauritio* Imp. geſtis libros octo poſterius reliquit, quos ex *Græco Jacobus Pontanus* S. J. *Latinos* fecit. Singulorum librorum excerpta *Photius* Cod. 65. recitat. Circumferuntur & hæc ejuſdem *Simocattæ*, *Problemata Phiſica*; Epiſtolæ Morales, Ruſticæ, Amatoriæ; *Excerpta Legationum* ex libris illis Hiſtoriarum.

Dictio illius [in *Hiſtoriarum libris* veneris aliquid habet, niſi quòd figuratis vocibus & allegoricis ſenſibus putidè nimis ac frequenter ad ſatietatem uſus, in frigiditatem quandam ac juveniles ineptias dilabatur. Veruntamen & Sententiarum illa interjectio minus opportuna diligentiam arguit; & curioſam, & ſupervacaneam. Cætera bonus, in reprehenſionem non incurrit. *Phot.* in Bibliot. Cod. 65.

Huic [*Photii* de *Simocatta*] judicio & nos ſuffragamur, Dictioniſque elegantiam ex *Tropis*, tum iis, qui in uno verbo, tum iis, qui in oratione cernuntur, magnam partem à *Simocattâ* quæſitam & comparatam concedimus— —Et eſt aliunde parum nonnunquam dilucidus hic Autor, ut interpretem etiam me eruditiorem pudere non debeat, id candidè confiteri. Quod de Sententiis non opportunè inſertis queritur *Photius*, id aliquando factum à *Simocattâ* non memini. Curioſè quidem, & fortaſſe plus ſatis diligentem alicubi, non negaverim, & in ſententiis quoque crebrum eſſe fateor: nec ob id diem illi dicendum puto. Invenitur præterea aliquantò verboſior, quod *Photium* prætermiſſe miror: & idem vel continenter repetit, vel pluribus, quàm opus eſt, dicit —— Genus ſcribendi, ſi totum ſimul univerſè ſpectemus, ſanè elaboratum, prudens, grave, jucundum, diſertum, planeque oratorium —— Nec lectorem ſuum tantummodò meliorem, ſed etiam doctiorem dimittere ſtudet; &, cùm alios ſummi ordinis Scriptores, tum *Homerum* ſe non oſcitanter legiſſe oſtendit. Multa nihilominus particulatim laudari in hac *Hiſtoriâ Mauritianâ* poſſunt: ut deſcriptiones Montium, Fluminum, Caſtellorum, Locorum, pugnarum, rituum: Orationes partim Sacræ, partim Civiles, partim Militares, ſententiis ornatiſſimæ ac robuſtiſſimæ, & omninò eloquentiſſimæ: ſimilitudines ad illuſtrandum accommodatæ, multa prudenter dicta: multa piè explicata. Si igitur *Hiſtoria* quoquo modo ſcripta delectat; hæc *Hiſtoria* ſcripta ad hunc modum, neceſſe eſt, multò amplius delectet. *Jac. Pontan.* in lit. ad Lector. quas *Simocattæ* lib. Hiſtor. præmiſit.

Ejuſmodi eſt, quod apud *Theophylactum Simocattam*, ſcriptorem eximium inter *Græcos* recentiores, obſervabamus. *Caſaub.* Not. ad *Spartian. Hadrian.* c. 25.

Theophylactus Simocatta, cujus præter *Hiſtoriam* exſtant *Quæſtiones Phyſicæ*, & *Epiſtolæ* agreſtes, morales, amatoriæ: Stylum habet venuſtum, ſed dum nimis elegantiam ſectatur, in *cacozelon*, & puerilem affectationem incidit. *Joan.* Card. *Bona.*

Quæ verò fuſiùs ſuis libris exponit *Simocatta*, ea breviùs perſtringunt *Theophanes*, *Zonaras*, *Cedrenus*, & *Nicephorus Calliſtus*: qui & ex *Simocattâ*, vel iis, qui *Simocattam* exſcripſerant, illa, quæ de *Mauritio* ſcribunt, hauſerunt. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. c. 23. l. 2.

Theophylactus Simocatta *quàm miſellus ſcriptor!* Scaligerana *poſter.*

De Rebus à *Mauritio* Imperatore geſtis libri octo impreſſi ſunt in Fol. *Pariſiis Græcè* pariter ac *Latinè*, inter Scriptores Hiſtoriæ *Byzantinæ* ex Typographio Regio, per *Sebaſtianum Cramoiſium* an. 1647.

BEDA.

Digitized by Google

BEDA.

IN *Britanniâ* ex *Anglo-Saxonum* genere oriundus, in *Girwenſi* territorio non longè à *Tina* fluminis oſtiis natus eſt anno 673. à puero Monaſticam vitam amplexus, in eâ per multos annos perſeveravit ſub *Benedicto* & *Geolfrido* Abbatibus Monaſterii BB. *Petri* & *Pauli* ad *Tinam*, in Diœceſi *Dunelmenſi*, vulgò appellatus Presbyter *Anglus* ac *Venerabilis*, obiit anno 735. die 26. Maii, ſive 7. Kal. Junii, quo *Aſcenſionis Domini* memoria celebrabatur. *Phil. Labbe* de ſcript. Eccleſ. Scripſit penè infinita. Clar. A. D. DCCXIII.

Omnigenâ ſcientiarum eruditione inſtructus, Grammaticus *Græcè* non minùs, quàm Latinè peritus, Poëta, Rhetor, Hiſtoricus, Aſtronomus, Arithmeticus, Chronographus, Coſmographus, Philoſophus & Theologus evaſit in tantum illis temporibus admirandus, ut apud ejus ſeculi doctiores proverbium de eo diceretur, Hominem, in extremo orbis angulo natum, univerſum orbem ſuo ingenio perſtrinxiſſe.—Opera ejus, adhuc eo vivente, & ſemper nova ſcribente, tanto in pretio habita ſunt, ut ex ordinatione Epiſcoporum *Britanniæ* in Eccleſiis publicè legerentur. *Sixt. Senenſ.*

Fuit in *Gentilium* libris tam planè exercitatus, ut eo ſeculo vix parem habuerit. *Phyſicen*, & *Matheſin*, non à rivulis ſordidis, ſed ex puriſſimis fontibus, hoc eſt, ex *Græcis* & *Latinis* authoribus primis hauſit. Fidei verò *Chriſtianæ* Myſteria tam ſolidè, quantum ejus temporis dabat iniquitas, novit; ut ob exactam utriuſque linguæ, *Latinæ* & *Græcæ* peritiam, magno illo *Gregorio* à multis præclarior haberetur. Styli enim ſuavitate ac Dicendi copiâ, illum in pleriſque exuperabat: atque utinam Spiritualium Senſuum puritate magis. Nihil ferè lectione dignum in omni reperitur vetuſtate, quod ſuis locis non legatur in *Bedâ*: tametſi *Britanniæ* limites nunquam fuerit egreſſus. Si *Auguſtini*, *Hieronymi* aut *Chryſoſtomi* temporibus claruiſſet, non dubito quin potuiſſet de paritate cum ipſis contendere: quòd inter tot ſuperſtitionum præſtigia, tam caſtos ediderit fœtus. *Joan Balæus.*

Et ſanè noſter *Beda* vir omni eruditionis genere tam inſigniter inſtructus, ut eo vix quemquam in omnibus ſcientiis doctiorem unquam *Europa* protulerit. *Pitſeus* de Script. Britann.

Quô mortuô, ſepulta eſt cum eo rerum geſtarum omnis penè notitia uſque ad noſtra tempora. Cùm enim pigro ſemper ſuccederet pigrior, multo tempore in totâ inſulâ ſtudiorum detepuit fervor. *Gul. Malmesbur.*

Beda enim præter *Græcæ* atque *Latinæ* linguæ doctrinam, quam non mediocriter tenebat, ob religionem etiam, atque modeſtiam, *Venerabilis* cognomentum adeptus eſt. Scripſit enim multa in *Actus Apoſtolorum*, in *Lucam*. Edidit & librum de temporibus, & homilias pleraſque, quibus multùm *Gallici* ſacerdotes utuntur. *Platina* de Vit. Pontific.

Obſervandum eſt, ſexto, ſeptimo atque octavo ſeculo neminem ferè per *Italiam*, *Galliam*, *Britanniam*, *Hiſpaniam* (uno verbo) in *Occidentalis Eccleſiæ* toto

toto orbe, nomen aliquod ſcripto libro inveniſſe, qui non in *Monaſterio* educatus ſit atque inſtitutus. Qui inter *Britannicos Monachos* eminet *Beda*, idem omnium illius tempeſtatis per Occidentem Univerſum fuit doctiſſimus. Nos ipſi *Germani* prima *Chriſtianæ* doctrinæ exordia illis Cœnobitis debemus. Imo debemus illis initia omnis culturæ melioris, atque eruditionis: ſicut & *Angli* ipſi ac *Scoti* à *Monachis Romanis* eam antehac acceperant. *Hermann. Conring.* tertiâ Diſſertat. de Antic. Academ.

Vir moderato ſermone ſuæ gentis res geſtas conſcribens: cui ſanè ob id plurimum debet poſteritas, quòd plurima ſcitu digniſſima literarum monumentis tradiderit, quorum memoria (ſi ille non retuliſſet) oblivionis nube tegeretur. *Britannica Antiquit.*

Videtur autem quibuſdam incredibile, quòd in extremo mundi angulo vir qui nunquam maria transfretaverit ob addiſcendam ſapientiam, ſcholas *Philoſophorum* non frequentaverit, tantâ eruditione clareat, tantâ *librorum* compoſitione ubique mundo innoteſcat: ſed hoc non eſſe mirandum ipſe docet, qui inter DC. beatæ vitæ & mirabilis ſcientiæ *Monachos* enutritus, quicquid ſcientiæ ſinguli habuerant, omne hoc ipſe in unum ſui cordis vaſculum *Spiritu Sancto* illuminante contraxerat. *Simeo Dunelmenſ.* in Epiſt. ad *Hugonem Decan. Eborac.* de *Archiep. Eboraci.*

Beda Stylum habet nec omninò inelegantem, nec affectatæ elegantiæ curioſum, ſed temperatum; qui nec verborum multitudine faſtidium, neque paucitate obſcuritatem pariat, ſed brevi facilitate currat gratiſſimè. *Sixt. Senenſ.*

Quorum nos virorum (*Gregorii Turonenſis* & *Bedæ*) pietatem & zelum promovendæ Religionis ſuſpicimus & veneramur: at facilitatem in credendis multis, quæ priora ſæcula non crediderant, admodum ſuſpectam habere profitemur. *Iſaac. Caſaub.* Exerc. 16. ad *Baron.* Num. 138.

Bedæ, optimi & ſanctiſſimi viri, ac merito ſuo, uti vocatur, *Venerabilis*, libro de *locis Sacris*, multa futilia aut palam falſa contineri, ne *Baronius* quidem dubitabat agnoſcere & fateri. *Caſaub.* Exerc. 2. ad *Baron.* Num. 4.

Quædam falsò ſcripſit *Beda de Hiberniâ*: Nec mirum, cùm *Beda* nihil de hâc Inſulâ oculatâ fide cognoverit, ſed per latorem audierit. *Joan. Bromton.* in Chronico, in *Hen.* 2.

Seculi ſui Omnigena *Eruditione* ornatiſſimus fuit. Incipiat ab ejus *Axiomatibus Sophiſta*, ad ejus *Metaphyſica* progrediatur *Baccalaureus*, ad ejus *Mathematica* Magiſter Artium; Ejus verò *Controverſiis* & in *Scripturas Commentariis* concludat Theologus: Et illum ſinguli in quavis harum *Artium* ac *Scientiarum* quovis Scriptore Chriſtiano illius Seculi præſtantiorem deprehendent. Univerſa ferme *Biblia* explanavit, in Anglicum idioma *Pſalmos* & *Novum Teſtamentum* tranſtulit. Vitam egit quæ *Commentarius* fuit in hæc Apoſtoli *verba*. In medio Nationis pravæ ac perverſæ ſplendentes ut luminaria in mundo. Tom. Fuller. Pr. reb. Angl.

Miratus ſum non ſemel, cùm tam multi *Bedæ* Codices in *Angliâ* reperiantur, cur nemo adhuc inter *Anglos* inventus ſit qui conterraneum ſuum longè me-

meliorem, quàm in eruditorum manibus verſatur, in vulgus emittat. Ego, quod ſolùm poſſum, in commune Reip. literariæ bonum notabo, *Bedæ* Fragmentum ex libro de *temporibus* apud *Munſterum* extare lib. 2. *Coſmographiæ*, quod in editis non compareț. *Bedæ Hymni* aliquot occurrunt in collectione *Caſſandriana*. Obiter obſerva quæ habet *Ph. Melanchton* in quadam ad *Jo. Cratonem* Epiſtola: *Narravit mihi Aventinus*, inquit, *ſe in Codice Bedæ, qui eſt in Bibliothecâ Paſſavienſi, legiſſe enarrationem verborum* (*Cœnæ Dominicæ*) *perſpicuam, quæ tota deſit in libris editis.* Quam *Bedæ* Editionem intelligat *Aventinus*, qui obiit Anno 1533, mihi non conſtat, niſi forte ejus in Evangelia Commentarios ſeparatim excuſos, quos videre nondum contigit. Genuinum *Bedæ Martyrologium* cum *Flori* Additamentis habetur in Actis SS. menſis Martii Tom. 2.

In eo enim invenias quæ ex *Bedæ* Martyrologio adducit *Amalarius* de Offic. Eccleſ. l. 2. c. 34. & de ordine Antiph. c. 28. Quod minus animadverſum RR. Patribus *Henſchenio* & *Papebrochio*. *Paul. Colomeſ.* Paralipom. ad Chartoph. Eccleſ. *Gul. Cave.*

Hoc *Bedæ* Epitaphium.

Beda *Dei* famulus, *Monachorum nobile* ſidus,
Finibus è terræ *profuit* Eccleſiæ,
Solers eſte Patrum *ſcrutando per omnia ſenſum*,
Eloquio viguit, *plurima* compoſuit.
Annos hâc vitâ *ter duxit ritè* triginta.
Presbyter officio, *utilis* ingenio.
Jani ſeptenis *viduatus carne* Kalendis
Angligena Angelicam *commeruit* Patriam.

Circumfertur & hoc vulgò monoſtichon Epitaphium *Leoninum.*

Hâc ſunt in foſsâ Bedæ *Venerabilis* Oſſa.

Phil. Labbe. Theſaur. Epitaph.

Extant. Opera 3. Vol. *Baſ.* 1653. *Col.* 1612. fol. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* unà cum *Alfredi* Regis paraphraſi *Saxonicâ*, doctiſque *Abr. Wheloci* Notis *Cantabr.* 1644. Fol. cum Notis P. *Chiffletii Par.* 1681. 4°. Epp. II. & vitæ Abbatum *Wiremuthenſium* & *Girwic. Dublin.* 1664. 8°. Ep. ad *Albinum* ap. *Mabillon.* Analect. Tom. 1. *Martyrologium* Carmine Heroico ap. Dacher. Tom. 10.

Opera Deperdita: Commentarius in Iſaiam Prophetam—Epiſtolarum liber—Tractatus de Manſionibus Filiorum Iſrael—In illud Iſaiæ, *Et claudentur ibi in carcere, & poſt Dies multos viſitabuntur.*—Epigrammatum liber—librum de vitâ & Paſſione S. *Anaſtaſii*, malè è Græco tranſlatum, & pejus à quodam imperito emendatum, *Beda* ad ſenſum correxit. *Gul. Cave.*

Digitized by Google

ALCUINUS, ſive, FLACCUS ALBINUS ALCUINUS.

Claruit A.D. DCCLXXX. NAtione *Britannus*, *Eboracæ* Civitatis Diaconus, officio Scholaſticus, Magiſter *Caroli Magni Francorum* Regis, eique familiaris ac percarus, obiit ex paralyſi *Turonibus* die *Pentecoſtes* 19. Maii an. 804. & in *Cormæriaceno* Cœnobio ſepultus. Venerabilis *Bedæ* qui anno 735. finem vivendi fecit, atque *Egberti* Archiepiſcopi *Eboracenſis* diſcipulus fuiſſe dicitur, evocatus in *Galliam* à *Carolo* circa annum 790. multiſque Monaſteriis præter *Turonenſe S. Martini* ab eodem ditatus. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ.

Flaccus Albinus, qui & *Alcuinus* Diaconus cognominabatur, *Anglus* natione, à nonnullis Scriptoribus *Eboracenſis* putatur, ab aliis verò *Londino* non procul oriundus fertur. Hic *Bedæ* primùm, *Egberti* Archiepiſ. poſteà obſequentiſſimus olim Diſcipulus, *Theologorum* ſuæ ætatis, imò omnium *Anglorum* ab initio, poſt *Bedam* & *Adhelmum* longè eruditiſſimus credebatur, ita ut eſſet *Caroli Magni* Præceptor, & *Pariſiorum* Academiæ Inſtitutor primus. Gymnaſii *Cantabrigienſis* Annales habent, quòd omnes illic *Liberales Artes*, publicè poſt *Bedam* docuerit, *Latinè*, *Græcè* & *Hebraicè* peritus: & quòd tandem *Eboraci* ſub *Egberto* prælegerit, *Philoſophorum* ſui temporis *Anteſignanus*. Ab *Offâ* potentiſſimo *Merciorum* Rege ad *Carolum* prædictum, pro pacis fœdere confirmando, atque aliis regnorum negotiis miſſus: perſpecta ejus eruditione penè incredibili, fit ex legato hoſpes, & ex hoſpite demum Magiſter delicioſus: non aliter quàm apud *Athenienſes* fuerit olim *Gorgias*. Deinceps igitur illum inſtructiorem præ aliis omnibus *Carolus Cæſar* habebat, in *Rhetoricis*, *Dialecticis*, *Mathematicis* ac *Theologicis*: qui & ſimul computandi artem, atque *ſiderum* curſus varios, ſub eo copioſè didicit: de quo *Bebelius* in quadam Præfatione hoc ſcribit: *Albinus* (inquit) *author ubique pius, ubique doctus, ſuccinctus, maturus, gravis, & ante multos alios præcipuè dignus, qui in manibus hominum habeatur, &c. Nam ſtylus ejus ſimplex eſt & purus Joan. Balæus.*

Carolus Magnus Franciæ Rex & Imperator eximiam *Alchuvini* doctrinam ac ſapientiam expertus, eum de remotiſſimis *Angliæ* finibus evocatum ſibi totum aſſeruit, ac magnis in regno ſuo dignitatibus cumulavit ----*Alchuvinus* in celeberrimum hoc *Galliæ* regnum aſcitus, unus è principibus *Imperialis Aulæ* comitibus fuit, uſu & exercitatione rerum tractandarum, omnibuſque artibus ac ſcientiis adeò inſtructus, ut prudentiſſimis ejus conſiliis *Rex Carolus* ſemper uteretur---Poſtremò beatos *Alchuvini* manes honorificâ recordatione proſequitur *Gallia*, quòd cùm ob ſingularem eruditionis ac ſapientiæ famam apud *Carolum Magnum* gratiâ & auctoritate plurimùm valeret, hac ſortis benignitate non ad ſui ipſius commoda, ſed ad communem *Reipublicæ* utilitatem uſus eſt. Nam hoc potiſſimùm ſuaſore Rex ille glorioſiſſimus, qui quotidie eum de ſcientiis variis diſſerentem libentiſſimè audiebat, *litteras* penè *jacentes* erexit, *Scholas deſtructas* repara-

Digitized by Google

reparavit, & ſi nonnullis *veterum* habenda fides, *Pariſienſem* etiam hanc *Academiam* primus inſtituit *Andr. Ducheſnius* in Epiſt. ad D. *Gul. Varium, Franc.* Procancell. quam præmiſit Edit. Opp. *Alchuvini.*

Erat ingenii feliciſſimi, mitis animi, facundæ linguæ, miræ modeſtiæ, moderatæ gravitatis, maturi judicii, magnæ Pietatis, ſingularis eruditionis, terſi ſermonis, ſtyli ſuccincti, ſimplicis, puri. Politè tum verſu, tum Proſâ ſcripſit. Cum *Latinarum* literarum ſcientiâ, *Græcarum* etiam & *Hebraicarum* cognitionem conjunxit. Nam has linguas & perfectè calluit, & publicè docuit. Omnes denique ſcientias Mathematicas, Philoſophicas, & Theologicas accuratè tenuit, atque etiam docuit. Demum teſtimonio *Vincentii Bellovacenſis* in *Speculo Hiſtoriali*, & noſtrorum *Hiſtoricorum*, imò communi penè omnium ſententiâ, erat *Anglorum* omnium poſt beatum *Aldheium*, & *Venerabilem Bedam* planè doctiſſimus. Ad quas etiam laudes addunt quidam, tres antiquos Auctores fuiſſe, ut ita dicam *Hyppiæ* ſimiles, hoc eſt, *omniſcios*, videlicet D. *Hieronymum*, *Iſidorum*, & hunc noſtrum *Alcuinum Joan. Pitſeus.*

Temporibus *Pipini*, & filii ejus *Caroli Magni*, *Francorum* Regum, claruit *Flaccus Alcuinus*, cui cognomentum *Albinus* fuit----Natione hic erat *Anglus*: à *Bedâ* primùm, hinc ab *Egberto* Archiepiſcopo, eſt inſtitutus. Docuit *Carolum Magnum* ac eidem poſteà ab eleemoſynis, & ſanctioribus conſiliis, fuit. Etiam conſilio ejus *Carolus* inſtituit *Academiam Pariſianam. Latinè, Græcè, Hebraicè,* callebat: atque idem erat Rhetor, Philoſophus, Mathematicus, & Theologus nobilis. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Vir in *Divinis Scripturis* eruditiſſimus, & in *Sæcularium Litterarum* peritiâ nulli ſuo tempore ſecundus, carmine excellens & Proſâ. *Trithem.*

Vir in omni ſcientiarum genere ſuo tempore celebratiſſimus. *Sixt. Senenſ.*

Albinus Flaccus Alcuinus, Abbas multæ pietatis, & ſcientiæ ſcriptor, quem *Eginarthus* ait *Magiſtrum* fuiſſe *Caroli Magni.* Liber autem de *Divinis Officiis* malè tributus ei videtur, quia in eo citantur verſus *Theodulphi* Epiſcopi *Aurelianenſis*, qui vixit ſub *Ludovico Pio*, quod etiam obſervavit P. *Sirmondus* in notis ad *Theodulphum. Joan.* Card. *Bona.*

Extant opera omnia ab *Andr. Quercetano* collecta *Par.* 1617. fol. Epp. 11. & ſermo ad *Carolum* M. ap. *Baluz.* Miſcel. Tom. 1. p. 365. Ep. & Præfatio in lib. 7. ad *Fælicem* ib. Tom. 4. p. 413. Epp. 111. & Præfatio in Pſalmos Pœnit. ap. Dacher. Tom. 9. vita S. *Willibrordi* ap. Mabill. Sæc. III. part. 1. p. 601.

Opera Deperdita: Commentarius in Proverbia — Commentarius in 4. Epiſtolas S. *Pauli*, viz. ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos — De Orthographiâ liber — De Muſicâ liber. *Gul. Cave.*

Alchuvini ſeu *Albini* Abbatis *Epitaphium*, ab ipſo dum viveret dictatum, & in laminâ æreâ parieti inſertum *Turonis* in D. *Martini.* Extat quoque inter Epitaphia *Rabani Mauri* num. 7.

Hic, rogo, pauxillum veniens ſubſiſte, Viator,
Et mea ſcrutare pectore dicta tuo:

Ut

Ut Tua deque meis agnoſcas fata figuris,
Vertitur en ſpecies ut mea, ſicque tua.
Quod nunc es, fueram famoſus in Orbe Viator,
Et quod nunc ego ſum, tuque futurus eris
Delicias mundi caſſo ſectabar amore,
Nunc cinis, & pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem: quoniam hac manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm parvo cernis in antro
Me tenet hìc requies? ſic tua parva fiet.
Cur Tyrio *corpus inhias veſtirier oſtro,*
Quod mox eſuriens pulvere vermis edet?
Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, Lector, *rogo, carminis hujus;*
Et dic da veniam Chriſte *tuo famulo.*
Obſecro nulla manus violet pia jura Sepulcri,
Perſonet Angelica *donec ab arce tuba:*
Qui jaces in tumulo terra de pulvere ſurge,
Magnus adeſt judex millibus innumeris.
Alchvvin *nomen erat* Sophiam *mihi ſemper amanti,*
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

Phil. Labbe in Theſ. Epitaph.

HINCMARUS RHEMENSIS.

Glar. A. D. DCCCXLV. EX nobili ortus *Francorum* familiâ, Monachum primò profeſſus eſt in Monaſterio S. *Dionyſii* in *Francia*, ſub *Hildvino* Abbate, tum in locum *Ebbonis*, ob conjurationem adverſus *Ludovicum Pium* Imperatorem depoſiti, atque ejecti, annitente *Carolo Calvo* Rege promotus in Archiepiſcopum *Rhemenſem* menſe Aprili anni 845. in Concilio *Bellovacenſi*, ac deinde conſecratus Dominicâ die 17. Maii, cùm ſediſſet annis 37. obiit die 21. Decembris anni 822. *Sparnaci*, cùm metu *Normannorum Duro Cortoro Rhemorum* ad illam Matronæ impoſitam villam ſeceſſiſſet. Interfuit quamplurimis per ea tempora celebratis Conciliis, ac paulò ante mortem ſcripſit Epiſtolam menſe Auguſto ad Epiſcopos *Franciæ* — Quamvis in quibuſdam eum aberraſſe ut humanum eſt, nemo negare poſſit; conſtat tamen inter ætatis ſuæ erudítiſſimos ac ſanctitatis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ retinentiſſimos vindices meritò annumerandum eſſe. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ.

Hincmari vitam ſcripſit *Flodoardus* lib. 3. *Rhemenſium* Epiſcoporum, à quo ob *Canonum* peritiam, & *Theologiæ* ſcientiam valdè commendatur. Quem

Digitized by Google

Quem quidem etiam *Nicolaus* I. Papa divinitùs valdè doctum fuiſſe teſtatur. At varia, quæ geſſit, cùm vel ageret cum Apoſtolica ſede, vel cum *Hincmaro* Epiſcopo *Laudunenſi* altercarentur, vel aliis negotiis ſe immiſceret, fecerunt, ut non modò dubiam, verùm etiam conſtantem de ſe relinqueret Opinionem, cum in pleriſque haud rectè inceſſiſſe. Scripſit autem doctè contra *Gotheſcalcum*, &c. *Poſſevini* Apparat. ſac.

Non ſum neſcius, dùm tantis divinæ gratiæ muneribus abunderis, ultrò vos cogitare apud *Principem* juvandi *Bonos*, facultatem divinitùs accepiſſe, ut quod in ſe non habent, in vobis poſſideant, & remunerandæ veſtræ induſtriæ materiam præbeant. Nobilitatem veſtræ generoſitatis ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officii commendat Religio profeſſionis. Hæc veſtræ Celſitudini non arrogantiæ vitio, ſed amicitiæ ſtudio ſcripſi: ut quoniam in vobis & nobilitas & ſapientia convenerunt, quantum hæc ſocietas valeat, etiam nolentibus emineat, qui ipſa quoque lumina Eccleſiæ obſcurare contendunt. *Lupus* Abbas *Ferrarienſ.* in Epiſt. 42. ad *Hincmar.* Epiſt. *Rhemenſ.*

Hincmarus fuit *Archiepiſcopus Rhemenſis*, vir doctus, & pietatis ſtudioſus, ſub *Carolo ſecundo Ludovici Pii* filio, circa 870. Domini annum: tametſi & Magni *Caroli* tempora adoleſcens attigerit. Is dum corrigere vitia morboſque *Clericorum* conatus eſt, multum moleſtiarum à perditæ vitæ Clero, eorumque ad *Papam* appellationibus, imò & à *Papis* ipſis ſuſtinuit. *Matth. Flacc. Illyric.* Catal. Teſt. Verit.

Jacobus Sirmundus vir optimè meritus de omnibus literis jam inter octuagenarium & nonagenarium medius non deſinit poſteritatem obligare. Librum nobis edidit ex Manuſcripto qui fuit *Hincmari* Archiepiſcopi *Rhemenſis* ſatis noti. Is liber oppoſitus eſt libro hominis ſentientis cum *Prædeſtinatis*, ideſt, ita ut nunc ſentiunt qui Synodo *Dordrechtanæ* adhærent. Eſt autem ſcriptus & efficaciter & eleganter, & dignus qui legatur non ſuâ tantum linguâ, ſed & aliis. *Hug. Grot.* Epiſt. ad fratrem ſuum *Lutet.* 10. Octob. 1643.

Hincmarus Rhemenſis, Epiſcopus doctus, ſed dubiæ famæ, dubio vitiorum, ac virtutum temperamento. *Joan.* Card. *Bona.*

Si de *Hincmaro* quid ſentiendum æquo judicii libramento dicendum ſit: quod ad ſcientiam pertinet; ſi agitur de peritia *Canonum*, planè dixeris eruditiſſimum, licet interdum nimis eis favens ſuper Apoſtolicæ ſedis Decreta eos extulerit. Si de Theologicis facultatibus, ipſum quidem invenimus excultiſſimum, ut in his quæ contra *Gotheſcalcum Prædeſtinationum* Hæreticum abundè ſcripſit, adverſus quem præ cæteris laboravit: In reliquis etiam talem exiſtimatum quem conſuluerint plures diverſis Quæſtionibus, ſed non in omnibus ita feliciter, ut ex reſponſionibus ad eas apparet. *Baron.* ad ann. 882.

Vir in divinis Scripturis ſingulariter doctus, & in ſecularibus literis nulli ſuo tempore ſecundus; ſapientiâ & morum honeſtate conſpicuus, atque eloquentiſſimus; ſcripſit non contemnendæ auctoritatis plura opuſcula. *Trithem.*

Digitized by Google

Et ſanè Eccleſiæ leges & jura nemo meliùs intellexit, nemo animoſiùs defendit. Tandem ad ejus opera deveniamus, multâ quidem eruditione, doctrina, pietate, referta; & quæ Eccleſiæ *Gallicana* Hiſtoriam mirè illuſtrant;de quibus rectè Sirmundus, *in iis nullum eſſe quod utilitate ſuâ careat, & in quo præſtans autoris judicium cum ſcientiæ copiâ non eluceat. Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccl.

Extant opera ejus omnia editore *Ioanne Cordeſio* Canonico *Lemovicenſi, Pariſ.*1615. in 4°. apud *Sebaſt. Nivellium.*

Extant eadem in Tom.II. diviſa cum obſervationibus *Jacobi Sirmondi, Pariſ.* 1645. in Fol.

Anno 1658. *Pariſ. in* 4°. edidit *Lud. Cellotius* quatuor *Hincmari opuſcula de Eccleſiaſticâ libertate* adverſus *Hincmarum Laudun.* unà cum Concilio *Duziacenſi*, ſuiſque Notis eruditis, quæ ad Innocentiam *Hincmari Rhemenſis* vindicandam plurimùm conferunt, habentur etiam Concil. Tom. VIII. pag.1732. ibique etiam pag. 1789. extant VIII. ejus ad *Hincmarum Laudun.* Epiſtolæ, ex Codice *Vatic.* deſcriptæ, & tunc primùm editæ, quæ proinde in operibus *Hincmari* deſiderantur.

RABANUS MAURUS.

Clar. An. D. DCCCXLVII.

MAgnentius Rabanus Maurus*, ſive ut alii, *Rabanus Maurus Magnetius* aut *Magentius*, quod ultimum fortè illi à Patria adhæſit, *Magentiæ* enim ſive *Moguntia* natum ſe atque renatum in Epitaphio clarè inſinuat: deinde *Fulda* à puero Monachus, *Alcuini* diſcipulus & poſt *Egilem* ann. 822. defunctum ejuſdem celeberrimi in *Buchonia* ſilvâ à *S. Bonifacio* ædificati Monaſterii Abbas ſuo tempore erudiriſſimus. Demum jam ſenior poſt *Otgarium* die Dominicâ 26. Junii ann.847. electus *Moguntinus* Archiepiſcopus, obiit die 4. Febr.ann.856. *Ludovico Lotharii* filio imperante, regnantibus verò *Ludovico* in *Germaniâ* & *Carolo Calvo* in *Galliâ Ludovici Pii* filiis, cumque ad S. *Albanum Moguntiæ* ſepultus fuiſſet,translatus deinde fuit in *Saxoniam.Phil.Labb.* de Script. Eccleſ.

Juvenis adhuc *Benedictinæ* Sectæ monachum induit; ac tam moribus quàm ſcientiis mirabiliter profecit: & omnium dicendi generum peritus, *Pariſienſem* Scholam ab *Anglis* & *Scotis* inchoatam,ſuâ doctrina celebriorem reddidit.Summus enim *Theologus* erat, *Philoſophus*, *Aſtronomus*, *Rhetor*, ac Poeta ſubtiliſſimus: cui per eam ætatem, ut de ipſo ſcribitur, nec *Italia* ſimilem, nec *Germania* æqualem peperit. Multa etiam in *Bibliorum* libros & luculenter & accuratè conſcripſit. *Jo.Balæus* de Scriptor. *Britan.*

Tanti viri eruditionem (inquit *Bruſchius*) omnes Bibliothecæ nobis commendant & quantum ingenio valuerit, edita ab eo Volumina demonſtrant. Bibliothecam enim *Fuldenſem*, tantâ librorum multitudine locupletavit,ut dinumerari vix queant. Illum tamen *Thomas Waldenſis* in Epiſtolâ ad Papam *Martinum* Quintum; & in libro ſuo *de Sacramentis*,inter Hæreticos numerat; quod *Eucha-riſticum*

Digitized by Google

riſticum panem, cibum digerendum eſſe dixerit,& ſeceſſui obnoxium, *Bertramique* partes foverit. *Appendix* ad loc.prædict.*Io.Bal.*

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis nobiliter doctus; Philoſophus, Rhetor, *Aſtronomus* & Poeta ſubtiliſſimus,cui [ut abſque invidia loquar] nec *Italia*, ſimilem, nec *Germania* peperit æqualem. *Trithem.*

Vir omnium diſciplinarum cognitione abſolutiſſimus, Rhetor, Poeta, Aſtronomus, Philoſophus, & Theologus,cui nullum parem eo ſeculo *Germania* habuerit. *Sixt.Senenſ.*

In omni diſciplinarum genere excelluit. In *Pariſienſi Academia* aliquandiu *Profeſſorem* egit, & magno ornamento fuit *Doctoribus Scholaſticis. Illyric.*Catal. Teſt. Veritat.

Magnentius Rabanus laudibus *Sanctæ Crucis*, opere ingenii & induſtriæ admirabili, *Barth.* lib.29. Adverſar. cap.10.

Poetarum ſui Temporis nullis ſecundus. *Vincent. Bellovacent.* Doctrinal. ſui lib.18.cap.59.

Hoc Poetæ nomen ſibi imprimis paravit *Poemate Iſogrammatico* quod inſcribitur de *Sanctæ Crucis* laudibus. *Voſſ.* de Poet. Lat.

Rabanus Maurus ex Abbate *Fuldenſi* Archiepiſcopus *Moguntinus*, æquè doctus ac pius, ligata & ſoluta oratione excellens. Artificioſum valdè eſt ejus *Poemation Iſogrammaticum* de laudibus *Sanctæ Crucis. Io.*Card.*Bona.*

Sunt qui ſcribant rogatu *Ludovici Gregorium* IV. *Sanctorum omnium* celebritatem Kalendis Novembris inſtituiſſe,eamque rem magnopere à *Rabano* Monacho, Theologo inſigni, *carminibus & proſâ* laudatam fuiſſe. In his enim duobus dicendi generibus vir doctus, ut illâ maximè tempeſtate, ſatis valebat. *Platina* in Vit.*Greg.*IV.

Emicuit planè *Rabanus* ut *Fulgentiſſimum Sidus*, cujus quæ extant *Scripta* tanquam lucis radii excellentiam demonſtrant *auctoris*, ut & iiſdem illuſtrata *Germania* glorietur ſuum haud adeò imparem magnis habuiſſe *Doctorem*: de quo *Trithemius* tradit, ipſum præter *Opuſcula* tam carmine quàm ſoluta oratione conſcripta, *Scripturam Sanctam* à Principio uſque ad finem omnem feliciter explanaſſe, virum planè omni literarum genere egregiè excultum, triumque linguarum, Hebraicæ, Græcæ atque Latinæ peritum. *Baron.* ad ann.856.

Vertex ſui temporis Theologorum *Rabanus. Idem* ad ann. 847.

Rabanus Maurus Magnentius, Archiepiſcopus *Moguntinus*, Scriptor ſeculi 9. celeberrimus, *Fuldenſis* creditur. Philoſophus ingens, Theologus ſummus, Poetarum ſui ſeculi facilè princeps. *Alcuino* præceptore uſus, primò Abbatiæ *Fuldenſi* adhibitus eſt, cujus reditus cùm negligentiùs, ſacris curis ſtudiiſque intentior, curaſſet, Monachorum importunis querelis cedens, ad *Ludovicum Germaniæ* Regem ſe contulit, à quo *Moguntina* Inſula ornatus eſt anno 847. Synodos complures celebravit, Arbiter negotiorum ſui temporis. Sententiæ *de Orali Manducatione Corporis Chriſti in Cœnâ Domini*, jam tum ſpargi

Digitized by Google

cœptæ, acriter reſtitit, diligens *Auguſtini* ſectator, ejuſque ſententiam *Bertramus* Presbyter, juſſu *Caroli* calvi, ſcripto edito defendit: eodem tempore & *Johanne Scoto*, de *Euchariſtia* dogma *Auguſtini* egregiè tuito, *Hoſpin*. in præf. ad lib. Conc. ſub eo tamen *Godeſcalcus* Monachus, quòd Prædeſtinationem & reprobationem dari, nec Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, ex Sacrâ Scriptura, doceret, duriter habitus eſt. Obiit ann. 856. *Hofmann*.

Anno 856. deceſſit *Rabanus Magnentius Maurus*. Hic *Albini Flacci* auditor fuit, ac ex quarto Cœnobii *Fuldenſis* Abbate ſextus eſt factus Epiſcopus *Moguntinus*. Præter doctiſſimos in Scripturam Commẽtarios, inter alia compoſuit Martyrologium, quod Manuſcriptum in Monaſterio S. *Galli* apud *Helvetios* adſervatur, atque exinde ab *Henrico Caniſio* editum eſt Tom. VI. Antiq. Lect. Fortaſſe tamen non tam *Rabanus* id compoſuit, quàm multò antè Scriptum tantummodo adauxit: quomodo, temporibus *Othonis* II. Martyrologium *Rabani* locupletavit *Notgerus Balbulus*, monachus S. *Galli*, quæ & *Barthii* ſuſpicio eſt lib. 35. Adverſ. c. 8. Liber ejus de Vitâ *Mariæ Magdalenæ* Manuſcriptus eſt *Oxonii* in Bibliothecâ *Magdalenenſi*. Ait *Poſſevinus*, carmine etiam conſignaſſe res geſtas *Lothari*, *Ludovici*, & *Caroli* Imp. Sed quo pacto *Ludovici* geſta panxerit, qui primo ejus anno cœlis receptus fuit? Ac quanto minus tradiderit geſta *Caroli Calvi*, qui poſt annos 20. *Ludovico* ſucceſſit? Vitam *Rabani* tribus libris complexus eſt *Trithemius*: qui & deſcripſit translationem ejus in *Saxoniam* è Monaſterio S. *Albani* prope *Moguntiam*, ubi fuerat ſepultus. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Erat quidem in ipſum [*Rabanum Maurum*] paulò iniquior *Willielmus Malmsburienſis* noſter, quod ex *Præfatione ejus ad Abbreviationem Amalarii* liquet, quam ex Bibliothecâ *Lambethanâ* nuper extulit D. *Alix*. ad *Joan. Pariſienſem*, quâ non modò ſententiam illius de *Euchariſtia* tanquam minùs ſanam, immo periculoſam notat, ſed & libros ejus veluti parum utiles traducit; quin & inſignis cujuſdam plagii inſimulat, quaſi duos *de Officiis Eccleſiaſticis* libros ex *Iſidoro*, *Auguſtino*, & *Gregorii* Paſtorali ad verbum tranſcripſiſſet; alia quædam Opuſcula ex *Iſidoro* & *Beda* compilaſſet; *Fuit enim*, inquit, *vir ille huic vitio peculiariter aſſiduus, quaſi prorſus deſperaret lectores ſuos memoriam non habere, quâ poſſent ejus furta deprehendere.* Quæ tamen non tam rei veritati quàm literatorum invidiæ, & peculiari in *Rabani* ſententiam odio ſunt adſcribenda. Erat quippe *Rabanus* extra controverſiam inter ſeculi ſui doctrina claros facilè princeps. Nec ipſe modò eruditiſſimus, ſed ſolis inſtar doctrinæ radios undique ſparſit. Erat ſub eo *Fuldenſe* Monaſterium publica virtutis & eruditionis Schola. CCLXX. Monachos habebat, quos non ſolum in SS. Scripturis, ſed etiam ſecularibus literis erudivit. Confluxerunt etiam ad eum aliunde Diſcipuli, adeò ut ex ejus Scholâ prodirent, qui mox ad ſummas in Eccleſiâ & Republicâ dignitates evecti ſunt. In ſuorum uſum Bibliothecam *Fuldenſem* primus condidit, libriſque ornatam reddidit; quin & ipſe tot præclara ſcripſit Volumina, quæ ſola Bibliothecam inſtruere poſſent. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Extant

Digitized by Google

Extant opera ejus VI. Tom. *Colon.* 1627. fol.

Extat liber de Computo apud *Baluz.* Miſcell.Tom.1.p.1.

Opera inedita: Commentarius in Acta Apoſtolorum. Extat MS. in Bibliotheca Collegii *Baltolenſis Oxon.* volum. 151. ----De vitâ S. *Mariæ Magdalenæ* liber. Habetur MS. in Collegio *Magdalenenſi Oxon.* vol. 166. ----- Expoſitio de Paſchate & Agno Paſchali. Extat MS. in Collegio S. *Benedicti Cantab.* volum. 122.--------Gloſſarium Latino-Theotiſcum in tota Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti; cujus exemplar MS. venerandæ vetuſtatis in Germaniâ repertum Bibliothecæ Cæſareæ intulit *Lambecius*, ut ipſe prodit Comment.lib. 2. pag.436. Et forſan alia alibi; de quibus videndus Catalogus, quem exhibet Serarius *Rerum Moguntiac.* lib. 4. pag. 631. Inter *Opera* ejus quæ hodie non ſuperſunt gravi [inquit *Gul. Cave*] Eccleſiæ diſpendio, periit *Epiſtola ad Egilonem* Abbatem *Fuldenſem*, qua veram & orthodoxam de *Euchariſtiâ* doctrinam aſſeruit, & novam Paſchaſii ſententiam refutavit. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script.Eccleſ.

JOANNES SCOTUS ERIGENA.

QUem alii *Anglum* apud *Ergene* in Confiniis *Walliæ* natum, alii *Scotum*, *Hibernum* alii fuiſſe volunt, claruit anno 858. à diſcipulis Monachis liberiùs à ſe reprehenſis, anno 884. in Cœnobio *Malmeſburienſi* graphiis confoſſus præacutiſque ſcalpellis interemptus eſt. *Scripſit* multa, atque ex iis libros quinque *De Naturæ Diviſione*, impreſſos in *Anglia Oxonii* anno 1681. fol. Clar. A. D. DCCCLVIII.

Hic relictâ patriâ, *Franciam* ad *Carolum Calvum* venit, à quo magnâ dignatione ſuſceptus, familiarium partium habebatur, tranſigebaturque cum eo tam ſeria quàm joca, individuuſque comes tam menſæ, quàm cubiculi erat: nec unquam inter eos fuit diſſidium, quia miraculo ſcientiæ ejus Rex captus, adverſus Magiſtrum, quamvis irâ præproperum, nec dicto inſurgere vellet. Regis ergo rogatu *Hierarchiam Dionyſii* de *Græco* in *Latinum*, de verbo verbum tranſtulit, quo fit ut vix intelligatur *Latina*, quæ volubilitate magis *Græcâ* quàm poſitione conſtruitur noſtra. Compoſuit & *Librum* quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id eſt, *De Naturæ Diviſione* titulavit, propter quarundam perplexarum Quæſtionum ſolutionem bene utilem, ſi tamen ignoſcatur ei in quibuſdam, quibus à *Latinorum* tramite deviavit, dum in *Græcos* nimium oculos intendit. Fuit multæ lectionis & curioſæ, acris ſed inelegantis ad *Interpretandum* ſcientiæ; quod eum [ut verbis *Anaſtaſii Romanæ Eccleſiæ* Bibliothecarii loquar] non egiſſe aliam ob cauſam exiſtimo, niſi quia cum eſſet humilis ſpiritu non præſumpſit verbi proprietatem deſerere, ne aliquo modo à ſensûs veritate decideret. Doctus ad invidiam, ut *Græcorum* pediſſequus, qui multa, quæ non recipiant aures *Latinæ*, libris ſuis aſperſerit: quæ non ignorans quàm invidioſa lectoribus eſſent, vel ſub perſona *Collocutoris* ſui, vel ſub pallio *Græcorum* occulebat. Quapropter & *Hæreticus* putatus eſt, & ſcripſit contra eum quidam *Florus*. Sunt enim in libro περὶ

Digitized by Google

φύσεως perplurima; quæ multorum æſtimatione à fide *Catholicâ* exorbitare videantur. *Willielm. Malmesbur.* ex Codice *Thuaneo* MS.

Anno 883. venit in *Angliam* Magiſter *Ioannes Scotus*, vir perſpicacis ingenii. *Roger. Wendover.* in Chronic.

Vir ſupra ſæculi ſui captum doctus. *Gul. Cave* in Chartophyl.

Vir perſpicacis ingenii, & multæ doctrinæ. *Oudin.* de Scriptor. Eccleſ.

Iohannes Scotus, dictus *Erigenus*, è *Scotiâ* in *Franciam* delatus, *Carolo Calvo* gratus fuit. Vir puſillo corpore, ſed ingenio maximus, feſtivus ac facetus, unde & menſæ & cubiculi Imperatorii non rarò particeps. Philoſophus porro eximius, Theologus conſummatus. Eodem tempore, anno 876. quo *Rabanus* Epiſc. *Moguntinus*, diligens *Auguſtini* ſectator in libb. *de Inſtitut. Clericorum*, *figurarum locutionem*, in verbis *S. Cœnæ* agnoſcebat, à *Bertramo* Presbytero, juſſu *Caroli* defenſus: edito libro de *Euchariſtia*, dogma *Auguſtini* quoque retinuit. Hinc *Pariſiis*, Papæ inſtigatu, pulſus, cùm in *Angliam* perveniſſet, à Diſcipulis, inſtinctu Monachorum, graphiis confoſſus eſt, Anno 884. Opus ejus aliquot in *Conciliis* damnatum, & *Berengarius*, qui ex illo ſalutarem doctrinam hauſit, *Romæ* an. 1059. ſub *Nicolao* 2. in ignem conjicere coactus eſt, quaſi igni in veritatem jus eſſet. *Hofman.*

Carolus Imperator ad quem pervenit *Bertrami* liber de *Euchariſtia*, celebrem noſtrum popularem in Aula ſua tunc habebat, cui nomen *Johannes Scotus*; qui de eodem Argumento librum conſcripſit & in eundem finem in quem ſcripſerat alter. Vir iſte ob minimè vulgarem ejus eruditionem, in Anglia, ubi magno apud *Alfredum* Regem in pretio fuit *Iohannis Sapientis* cognomen adeptus eſt: Et haud ita pridem in Eccleſiæ Romanæ *Martyrologio* locum occupavit, quamvis illinc hodie ejectus ſit. Reverâ eum ab Eccleſia *Lugdunenſi* & aliis eodem tempore reprehenſum legimus, ob opiniones quaſdam ab ipſo evulgatas circa Dei *Præcognitionem* & *Prædeſtinationem* ante conditum Orbem, circa *Liberum* hominis *Arbitrium*, hujuſque cum Dei *Gratia* in præſenti Seculo Concurſum & circa genus *Punitionis* Reproborum Hominum & Angelorum, in futuro Seculo: Sed nuſquam nobis conſtat, hunc de *Sacramento* librum fuiſſe damnatum ante *Lanfranci* tempora: Qui primus Anglicanam Eccleſiam hoc corruptæ Doctrinæ de *Carnali Præſentia* fermento deinceps infecit. Eò uſque Quæſtio hæc de *Reali Præſentia* problematica ſemper fuerat: & perinde liberum erat cuique *Bertrami* aut Johannis Scoti hac in parte Doctrinam ſectari, ac illam *Paſchaſii Radberti*, quæ à tempore ſolutionis *Sathanæ*, ſuperior evaſit. Epiſcopus *Uſſerius*, Reſponſione ad Ieſuit. Provocatione pag. 76. 77.

Ioannes dictus *Erigena* Monachus, in Divinis Scripturis doctus, & in diſciplinâ ſæcularium literarum eruditiſſimus, *Græco* & *Latino* ad plenum inſtructus eloquio, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus. *Trithem.*

Hoc viro eximio, tanquam Geniali quodam ſidere, adornabat *Alphredus* Academiam ſuam *Oxonii* inchoatam. Erat ille primus qui publicè illic bonas artes profitebatur. *Joan. Baleus.*

Quæ verò *Balæus* de hujus Patre *Patricio*, de *Peregrinatione*, quâ *Athenas*

Athenas petiit, de mira in linguis *Orientalibus* peritia ſcripſit, nullam apud me fidem impetrant. Editor *Joan. Scot. Erigen.* lib. 5. de Diviſ. Naturæ, fol. *Oxon.* 1681.

PHOTIUS.

SAncti *Tharaſii P. CP.* ex ſorore nepos, vir doctiſſimus, Imperatori primum à Secretis, Prothoſpatharius, atque urbis Senator, Eunuchus & Laicus, ſedem *CP.* ejecto per *Bardam Cæſarem S. Ignatio* viro ſanctiſſimo invaſit die 25. Decembris 858. vel ut alii numerare malunt, omiſſâ duntaxat dierum ogdoade, ut plenior computatio videatur, ſive ex familiari aliàs pleriſque *Romanis* more, anno 859. tenuitque per ſummum nefas uſque ad annum 869. quo in Synodo VIII. Oecumenica *CP.* celebrata reſtituto *S. Ignatio* expulſus eſt, deinde poſt ejuſdem *Ignatii* mortem reſtitutus à *Baſilio Macedone* anno 878. perſeveravit thronum illum ſanctiſſimum fœdare uſque ad annum 885. quo à *Leone Sapiente Baſilis* filio iterum ejectus in receſſu Monaſterii Accœmetarum periiſſe dicitur: Sed quo anno, quave die ignoratur. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ. Clar. An. D. DCCCLVIII

Scripta ejus hæc ſunt: Bibliotheca----Epiſtolæ----Nomocanon Titulis XIV. comprehenſus, hoc eſt, Canones Apoſtolorum Conciliorumque veterum cum legibus Imp. Romanorum collati, & in unum digeſti volumen---Acta Conciliorum ſeptem Generalium in Epitomen redacta----Sermo in Natalem B. *Mariæ*----De voluntatibus in *Chriſto*---------Epiſtola ad *Michaelem* Principem *Bulgarorum.*

Tandem *Photium* Protoſpatharium & primum à Secretis, Patriarcham urbis Regiæ deſignant, hominem ſanè minimè obſcurum & ignobilem, ſed claris & illuſtribus oriundum natalibus, rerumque civilium & politicarum uſu prudentiaque & ſcientiâ clariſſimum. Grammaticæ enim literaturæ, & carminis pangendi, dicendique laude, quin & Philoſophiæ & Medicæ, & omnium prope liberalium diſciplinarum externarum ſtudio cognitioneque tantopere florebat, ut ævi ſui facilè princeps haberetur, imò & cum Veteribus certare poſſet. Omnia quippe in illo concurrerant, aptitudo quædam & naturæ vis ac felicitas, ſtudium, opes, quibus librorum omnium copiam ſibi comparabat, &, quod præ cunctis, gloriæ laudiſque cupido, qua incenſus totas noctes ut lectioni aſſiduè vacaret, ducebat inſomnes. *Nicet. Paphlago* in *Ignatii* Patriarch. *CP.* vitâ *Matth. Radero* Interpr.

Photii Pſeudopatriarchæ *Conſtantinopolitanorum Bibliotheca*, infinitam ejus lectionem, & acerrimum judicium demonſtrat: Sed hic homo perditus fuit, & primus auctor *Schiſmatis Græcorum*: Ingenii vaſri, verſipellis, & ambitioſi. *Joan.* Card. *Bona.*

Photius eruditiſſimus & incredibili lectione *auctor*, in eo præſertim opere quod

quod *Bibliothecam* de libris à ſe lectis nominavit, in quo tam accuratè, tam acri ingenio, tam conſideratè, tam doctè, tam diſtinctè, tam liberè de tanta multitudine & varietate librorum judicium facit, ut nihil animadverſione dignum prætermiſiſſe videatur. Ita ferè cujuſque libri argumentum, & genus ſtyli, ac doctrinæ diſcernit & notat, ut qui *ſummas* illas legat, totos libros & ingenia *auctorum* noſſe ſibi videatur. Quis igitur noſtræ ætatis ſe cum *Photio* conferre audeat, ſive ingenium ejus ſpectemus, ſive πολυμαθίαν & πολυπειρίαν; *Franc. Turrion.* procem. in Apoſtol. Conſtitut. *Clement. Roman.*

Photii Bibliothecam laudat *Andreas Schottus* hiſce verbis: Non ex aliorum Sermone, vel obiter, & tanquam per tranſennam inſpecto *Opere*, ut ferè hoc ſeculo, de toto *Opere* judicium ſibi ferendum exiſtimabat, ſed à capite ad calcem perlecto, liberè judicat *Cenſor & Criticus* graviſſimus, ſummi & ingenii & judicii de *Scriptoribus* ducentis ampliùs & ſeptuaginta, *Philologis*, *Poeticis*, *Hiſtoricis*, *Oratoribus*, *Philoſophis* & *Theologis*: qui maximam partem, temporum ne injuriâ, an *Majorum* incuriâ perierunt. Et quidem de ſtyli charactere, ſcriptorum numero, & titulis, quæ γνήσια, quæ ψευδεπίγραφα quid laude & imitatione, quid contra vituperatione dignum in ſingulis deprehendiſſet, ſine fuco & odio, more majorum pronunciat. Denique qua quiſque tempeſtate floruerit, cæteraque, longum eſſet enim ire per ſingula, audacter dijudicat. *And. Scot.* in Not. ad Chreſtomath. *Procli.*

Certè inter paucos ille Scriptor (*Photius*) meretur: Qui ſolus tot clariſſimorum ingeniorum monumenta à *fato* eripuit: toto dico fato, & ſaltem nomina, & *Scriptorum* velut membra ſervavit. Quàm multos ille legit, ex iis elegit, &, ut ſic loquar, defloravit, quos noſſe nobis aliter non eſſet? E ſacris, prophanis, tractatoribus, *Hiſtoricis*, *Oratoribus*, *Poetis*, & nihil eſt in *Græca* omni literatura, aut ut veriùs dicam, libraria, quod ille vir non libârit. *Lipſ. Marc. Velſero.*

Utinam, mi *Hoeſcheli*, in *Photii* editione exornanda te juvare poſſem. Librum quidem totum in duos tomos diſtinctum, manu *Henrici Stephani* ſcriptum, olim legi. *Opus* varium. Ex cujus editione incertum majorne redundatura ſit in te gloria, an in alios utilitas. Certè tam egregium ſcriptum non alio *editore* dignum erat quàm te, qui tot bonorum auctorum editione, & eruditionem tuam & propenſum in literas animum teſtari volueris. *Joſ. Scalig. David. Hoeſchel.*

Photius acerrimo vir ingenio perſpicaciſſimoque & in omni genere doctrinarum præſtantiſſimus Scriptor. *Fuller.* Miſcellan. l. 2. c. 3.

Photius acerrimi & exquiſitiſſimi judicii vir. *Tanaquil. Faber* lib. 1. Epiſt. ep. 42.

Addo his temporibus editam, cum nulla alia conferendam, *Photii Patriarchæ Bibliothecam*, in qua vir ille Magnus Sententiam ſuam de *Scriptorum Eccleſiaſticorum Græcia* maxima parte nobis exponit. *Dallæus* de vero uſu PP. p. 53.

Vir, ut cætera taceam, infinitæ Lectionis, ſtupendæ eruditionis, omnium non ſui modò, ſed & omnium penè ſeculorum doctiſſimus, librorum Helluo voraciſſimus,

Digitized by Google

voracisſimus, cenſor κριτικώτατος. Nemo Bibliothecam ejus vel ſemel inſpexerit, quin Hiſtoricum ſummum, Philologum inſtructiſſimum, Criticum perſpicaciſſimum ſtatim deprehendet. Teſtantur accuratam Juris peritiam tot ſolertia ad interrogationes propoſitas Reſponſa; prudentiam politicam liber *De Officio Principis*, ut de Rebus Geſtis nil dicam. Legantur ejus *Epiſtolæ*, videbis ipſum Philoſophica, Medica, Mathematica, Theologica, ad amuſſim tenuiſſe. Verùm id apud omnes in confeſſo eſt, & fortè ſolus eſt *Philippus Brietius*, qui *Photium* literis ſecularibus clarum, divinarum fuiſſe ignarum affirmavit, reclamante totâ Doctorum caveâ, totque ejus Scriptis ſummâ Sacrarum Literarum, & Rei Theologicæ peritiâ refertiſſimis. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar.

Vides quàm malâ fide & verba *Joſephi* & ſententiam *Photius* recitet. Atque hoc non ſemel diligens lector, in eo præſtantiſſimo *Scriptore* ſi attendat, obſervabit. Solet enim nonnunquam pugnantes invicem ſententias diverſorum auctorum, uni alicui tribuere, & integras narrationes hoc pacto confundere. *Iſaac. Caſaubon.* exercit. 1. ad *Baron.* num. 5. p. 33.

Tumultuarium quidem *Opus*, ne quid taciturnitate prævaricari videar, *Photianam* hanc *Bibliothecam* extitiſſe hæc indicant: eadem ſæpe repetita, hiatus, interdum, atque hiulca loca, neglectus ſtylus, rejecta denique in alteram Operis partem, librorum quos jam recenſuerat, excerpta longiora; prorſus ut credam *Photium* memoriâ ſuâ juvanda potius, quàm ut cæteris promiſcuè prodeſſet, hoc opus conſarcinaſſe, aut certè poſtremam manum non adjeciſſe, limâ nitidiori Opere futuro. Aulicis nimirum negotiis, atque ambitione tranſverſum raptum, mentem aliò, aliò aures diviſiſſe. *Andr. Schott.* præfat. ad *Phot.* Biblioth.

Dom. *Valois* primogenitus probare decreverat hujus Bibliothecæ pluſquam quartam partem *Photii* non eſſe, *Paul. Colomeſ.* in Opuſc. p. 97.

Omnibus, qui ante ætatem illam aut ſuperiores extiterunt, palmam Patriarcha *Photius* præripuit. Qui de omnibus, imprimis autem ſummis maximiſque *Chriſtianis* ſimul Prophaniſque autoribus, *Philoſophis*, *Hiſtoricis*, Poetis, Oratoribus, ſed maximè Theologis, ità accuratè ac exquiſitè judicat, ut unus eruditione variâ, cum omnibus, quos legerat, legendi diligentia, cum maximis, qui ante extiterant, commiſſus videatur: tam diffuſo in his omnibus judicio atque accurato, ut non tantùm ſingula, de quibus judicavit, penetraſſe, ſed & omnia, quæ ſciri poſſunt maximo ſucceſſu didiciſſe videatur; tantâ autem fide, ut non Criticum in Scripto, ſed juratum Judicem, in luce hominum de ſingulis ſententiam pronunciare exiſtimes. In quo uno homine ad univerſum ſeſe literarum orbem circulumque Critice diffudit: ut, qui nihil in Grammaticâ, Rhetoricâ, nihil in minoribus ſcientiis ac artibus, Theologis ignoſcat; opiniones autem parum integras ac ſanas, ut Theologus, proſcribat; ſic in omnibus verſatus pariter atque abſolutus, ut nec diſciplinam ullam, neque partem ullam Critices intactam ſibi magnus vir relinquat. Nam nec eam, quam emendat prætermittit: quin nonnulla, etiam in ſacris literis, à Scribis aut Hæreticis corrupta eo tempore

oſtendit.

oſtendit, & in ea, quæ ex genio & uſu, de proprietate & poſſeſſione ſingulorum ſtatuit ac ſciſcit, rarò admodum aberrat. In iis autem, quæ aut rectè, aut ſecus ab aliis dicuntur, partem operis præcipuam conſumpſit. *Dan.Heinſ.*prolegom.in *Ariſtarch.*

At qua prudentiâ vir [*Photius*] fuit! quo acumine! quàm ſincerus & elegans in omni judicio. *Vacaſſ.* de Ludic. Dioctine, p.143.

De cujus [*Photii*] inſigni eruditione atque exacto in cenſendis libris judicio *Catholici* æque ac *Hæretici* conſentiunt. *Petr.* de *Halloix.* de *Dionyſ. Areop.* vita,quæſt.11.

Photius Patriarcha,in quo dubium,majorne lectio,an acrius judicium. *Dempſt.*

Eruditiſſimus Scriptor & exactiſſimi judicii criticus *Photius. Iſaac. Caſaub.* procem.Not.in *Gregor. Nyſſ.*Epiſt.ad *Euſtathiam.*

Photium [*Bardas*] inſignem doctrinâ virum, cujus *Bibliotheca* theſaurum præbet adhuc priſcæ eruditionis, primarium tunc à ſecretis, evexit in thronum. *Io.Cluver.*in Hiſt. Epitome, de Imp. *Michael.* III. rebus.

Photium acerbis paſſim *Bellarminus*, *Baronius*, *Labbeus*, & plerique omnes Pontificii, verbis dicteriiſque petunt, *Richardus.Montacutius* verò, *Norvicenſis* in *Angliâ* Epiſcopus, ex inſtituto eum defendit.

Prodiit *Photii* Bibliotheca (Græce μυριόβιβλος) cum interpretatione *Latinâ* & obſerv. *Andreæ Schotti*,& Notis *Hoeſchelii*, *Rothomagi* in folio,anno 1653.apud *Ioannem* & *Davidem Berthelinos.*

Etymologicum ejus manuſcriptum ſe apud *Marquardum Gudium* vidiſſe affirmat *Ez. Spanhemius* de Numiſm.p.358.

Epiſtolæ CCXLVIII.prodierunt *Græcè* cum interpretatione & notis *Richardi Montacutii*, *Londini* 1651. fol.

Prodiit *Nomocanon* ſive jus Pontificium *Græcè* & *Latinè*, cum Commentario *Balſamonis*, cujus reliqua ſcripta adjuncta ſunt *Pariſiis* an.1620.in fol.

ANASTASIUS.

Clar. An. D. DCCCLXX. ROmanus Abbas,& S. R.E. Bibliothecarius labente *Chriſti* ſeculo nono,ſub ſummis Pontificibus *Nicolao* I. *Hadriano* II. & *Joanne* VIII. floruit, ac ſi vera eſt *Cardinalis Baronii* Chronologia, uſque ad annum fermè 886. vitam perduxit: quo verò anno obierit, nemo affirmat. Errat *Voſſius*, & ſi qui alii cum *Anaſtaſio Presbytero Cardinale S.Marcelli*, & Bibliothecario *Gregorii* IV. Papæ confundunt,qui à *Leone* IV.in *Synodo Romanâ* anno 850. eſt exauthoratus, eò quòd contra *Canones* Eccleſiam ſuam quinquennio deſeruiſſet. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ.

Multa *ſcripſit*: inter alia vitas *Pontificum Roman.* quarum ultima eſt *Nicolai I.* compoſuit. Multa de *Græcis Latina* fecit.

Anaſtaſius Apoſtolicæ Bibliothecæ cuſtos & inſtaurator ſagaciſſimus,in Divinis Scripturis eruditus,& in ſecularibus literis nobiliter doctus,*Græco* & *Latino* multùm peritus eloquio. *Trithem.* de Script.Eccleſ.

In

Digitized by Google

In *Anaſtaſio* (dicit neſcio quis *Moguntinus* haud indoctus) habemus ſincerè & fideliter, excluſo omni verborum fuco, deſcriptas centum & novem *Romanorum Pontificum* vitas: hoc eſt, quotquot à *B. Petro Apoſtolo*, uſque ad ann. *Dom.* ferè ſeptuageſimum ſupra octingenteſimum *Romanam Cathedram* obtinuerunt: viz. à B. *Petro* uſque ad *Nicolaum I.* qui anno 867. è vivis exceſſit. *Whear.* in Method. leg. Hiſt. Eccleſ. Sect. 41.

Anaſtaſius in pretio erat *Romanæ Eccleſiæ* Bibliothecarius, vir ſanè ita utraque linguâ doctus, ut è *Græco* in *Latinum* ſeptimam univerſalem *Synodum*, & *Hierarchiam Dionyſii*, & vitas multorum Sanctorum *Caroli* [*Calvi*] gratiâ in *Latinum*, eleganter & doctè tranſtulerit. *Platin.* in *Ioan.* IX.

Anaſtaſius Bibliothecarius, etſi rudi ſtylo, fideliſſimè tamen rerum geſtarum Hiſtoriam enarravit, immò in rerum ſui temporis narratione, nullum fideliorem & meliorem ſcriptorem habemus, apud quem magis cum ſimplicitate veritas, quàm cum fuco mendacia valuerunt. *Baron.* ad Ann. 752. & 799.

Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius, vir pro eorum ſtatu *Græcis* & *Latinis* literis eruditus & *Theophane Iſauro*, & *Nicephoro* Patriarcha *Conſtantinopolitano Græcis* Scriptoribus, inepto, ac planè barbaro ſtylo, verùm optimâ fide, & diligentiâ Hiſtoriam decerptam, *Latinè* conſcripſit à *Chriſti* natali ad *Michaelem* ſeniorem cognomine *Rangales Conſtantinopolitanum* Imperatorem: Nobis autem valde charus eſſe debet, quod ea, quæ nec meliores, nec peſores Scriptores habebant, literarum monumentis tradiderit. *Ant. Poſſevin.* Biblioth. ſelect.

Anaſtaſius Abbas, & Bibliothecarius *Apoſtolicus Græcè* & *Latinè* doctus; in *Vitis Pontificum* plura ſunt *vocabula* illius ætatis quâ vixit, circa finem ſeculi noni, tunc omnibus cognita, nunc obſcura & difficilia. *Ioan.* Card. *Bona.*

Anaſtaſius—Vir erat pro ævi ſui genio nequaquam indoctus, qui utriuſque linguæ ſcientiam tenuit, & cum primariis ſeculi viris, *Photio* ac *Hincmaro*, arctam ſatis amicitiam coluit. *Gul. Cave* in hiſt. literar.

Apud *Anaſtaſium* multa de *Sergio Papa* II. deſiderari videntur; ſiquidem nulla ibi de clade tanta per *Sarracenos* illatâ mentio, cùm deprædati ſunt *Baſilicas Apoſtolorum*, quæ quidem haud potuerunt à quovis etiam negligente ſcriptore prætermitti, cujus cladis tantum eſt mentio obiter facta apud *Anaſtaſium* ipſum in *Leone*, qui *Sergio* huic ſucceſſit. *Baron.* ad An. *Chriſt.* 847.

Multa ille [*Anaſtaſius* Bibliothecarius] Græcorum volumina Latinè deſcripſit, at quamvis non κατὰ πόδα, ſed bonâ tamen fide ſenſum retuliſſe ſe ipſe ſcribat, in quibuſdam nihilominùs boni interpretis numeros omnes abſolvit; & tantâ quidem religione, ut præ fidi interpretis laude, puri & caſti ſermonis decus ſit aſpernatus, & vocabula *Cethegis* non exaudita fingere auſus ſit: juxta ſanctionem *Hyeronimi*, qui rebus novis nova fingere nomina interpretem jubet. *Huet.* de Clar. Interpret.

Libri *de Vitis Pontificum* priorem partem *Anaſtaſium* parentem non agnoſcere, inde probat *Labbeus*, quod viderat MS. codicem optimæ notæ tempore *Caroli Magni* exaratum, in quo *Vitæ* illæ *Damaſo* jam tum tribuebantur, antequam aut natus eſſet *Anaſtaſius*, aut ſaltem ex primis infantiæ crepundiis emerſiſſet.

Digitized by Google

Philipp.Labb. De Script.Eccleſ.Tom.1.p.252.

Librum de *Vitis Romanorum Pontificum*, ab alio ſcriptum, ab *Anaſtaſio* autem interpolatum, cenſuit *David Blondellus* in Præfat.Apologiæ p. 26.

Extat *Concilium Nicanum* 11. ab *Anaſtaſio* Latinè verſum, in Concil.Tom.7. pag.29.

Extat *Concilium Generale* 8. partim è *Græco* verſum, partim multis de ſuo additis auctum (huic enim Synodo ipſe præſens interfuit) in Concil. Tom. 8. pag.961.

Extat *Hiſtoria Eccleſiaſtica* & *Vitæ Pontificum*, *Pariſiis* 1649. in Folio.

Anaſtaſii Collectanea de *Hiſtoriâ Monothelitarum* edidit Sirmondus *Pariſiis* 1620. 8. & Biblioth.PP. Tom.12. p.831. *Paſſionem S. Demetrii Mabillon.* Analect. Tom.1.pag.65.

OECUMENIUS.

Clar. A. D. DCCCCXC.

SCriptor admodum incertæ ætatis, de quo altum apud veteres ſilentium : id modo conſtat, poſt annum 800. claruiſſe. *Olympidioro* illum hîc adjungimus ad annum 990. donec veram ejus ætatem expiſcari liceat. *Gul. Cave* Chartophyl.Eccleſ.

Oecumenius Græcus autor, valdè doctus, in explicandis *Divinis Scripturis* brevis, apertus, & elegans, atque in *veterum* Commentariis evolvendis aſſiduè verſatus, collegit ſolerti curâ ex dictis præſtantiſſimorum *Græcæ Eccleſiæ* Doctorum nobiles Annotationum Commentarios in *Octateuchum*, quos ipſe in Commentariis ſuis in Epiſtolam ad *Hebræos* Capite ſexto ſe ſcripſiſſe teſtatur. Collegit etiam perſimili induſtriâ in totum Novum *Teſtamentum Catenam* explanationum. *Sixt.Senenſ.* l.4.Biblioth.

Oecumenii in omnes D. *Pauli* Epiſtolas abſolutiſſimi Commentarii, cùm ex aliis probatiſſimis quibuſque *Græcis* Theologis; tum præcipuè ex aureo illo *Chryſoſtomo*, divina brevitate collecti: ita ut poſt hunc ſupervacaneus videri *Theophylactus* poſſit. *Geſner.* in Biblioth.

Fronto Ducæus noſter apud *Poſſevinum* in *Apparatu* cenſebat, in Commentariis ſeu Catenis *Oecumenii* in S. *Paulum* quædam fuiſſe à poſteriore aliquo ſcriptore admixta, unde ridiculè pro more concludere viſus eſt *Robertus Cocus* Commentarios illos falsò fuiſſe *Oecumenio* aſcriptos. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ.

In *Bibliothecâ Patrum* extat *Catena* in Epiſtolam *S. Pauli* ad *Romanos*, ſub nomine *Theoduli* presbyteri *Cœleſyriæ*; quæ tota ferè excerpta eſt ex *Oecumenii Catenâ*. *Aubert. Miræus* in Auctar. de Script. Eccleſ.

Plurima excerpſit *Oecumenius* ex *Chryſoſtomo*, cujus tamen nomen tunc ſolùm addi curavit, quum ejus verba recenſeret: non autem cum ipſius ſententiam contractioribus verbis referret. *Joan.Henten.* in Præfat.ad *Oecum.* Comment. in Act. Apoſt. &c.

Oecumenius Græcus ſcriptor, quamvis à *Sixto Senenſi*, & ab aliis hactenus habitus

Digitized by Google

bitus ſit Auctor Scholiorum ad Epiſtolas D. *Pauli*, rectè tamen mihi ſcripſit *Fronto Ducæus* noſter in Antiquis *Græcis* Patribus accuratus obſervator, ea non eſſe *Oecumenii*, niſi ex parte; neque verò Auctorem illius *Catenæ* tam antiquum fuiſſe. Neque enim ſolet Auctor ejus *Catenæ* aliquid ſuum interſerere, niſi rariſſimè. *Ant.Poſſev.* Apparat.Sac.

Opera ejus *Græcè* & *Latinè*, edita *Pariſiis*, duobus Vol. Anno 1631. Quibus adjuncta, quæ *Aretæ* Epiſc. *Cæſar.* in *Cappadociâ* tribuuntur. Cuncta hæc vertit *Joannes Hentenius*, nempe *Catenas* in *Acta Apoſtolorum*; Commentarios in Epiſtolas *S. Pauli*: in Epiſtolam *S. Jacobi*, aliaſque Canonicas.

AVICENNA vel ABOALI ABINSCENI.

Sub *Conrado* 2. & *Henrico* 3. claruit. In *Balech* oppido natus fuit Patre Medico inſigni, anno *Hegiræ* 370. hoc eſt anno *Chriſti* 992. Vixit annos 58.ut mortuus ſit anno *Muhammedis* 428. ſive *Chriſti* 1050. Atque hæc cognoſcere eſt ex vita *Avicennæ*, quam unus ex ejus diſcipulis, & ipſe *Arabs*, ſcripſit. Quare toto ſeculo decepti ſunt, ſecundùm quos (in iis eſt *Neander Bremenſis*, *Avicenna Cordubæ Averrhoem*, *Alexandriæ* audivit *Rhaſin* in Adoleſcentiâ. Multa quoque de hoc ipſo narrant, ut qui totæ ab *Averroe* fuit impoſitus. Verùm quàm hæc ſint falſa, adparet ex ſupradictis, & præcipuè ex Scripto *Leonis Africani* de doctis *Arabibus*, ubi utriuſque vita fusè deſcribitur. *Voſſ.de* Philoſoph.c.14. Clar. Ann. D. MXL.

Omnem medicinam ordine optimo complexus eſt, ita ut hac parte etiam ex ſuperet *Galenum*. *Idem* ibid.

Avicenna primus artem conſcripſit, cùm antea *Galenus* ſparſim per occaſionem de diverſis Argumentis pro re natâ diſſeruiſſet. *Henr. Savil.* Lectur. 2. in *Euclid.*

Inter *Arabas* præcipui Medici ſunt, *Avicenna*, *Rhazes*, *Averrhoes*, *Meſue*, *Avenzoar*, *Serapio* & *Alſabaravius*. Qui delectantur fusâ & polidædalâ varietate remediorum, *Avicennam* amplectantur: cuncta enim hujus ævi remedia ex eo manant. *Heurn.* diſſertat. de ſtudio Medic.

Avicenna, Medicus & Philoſophus inſignis. Nondum decenni major literas humaniores & quicquid ſcientiarum ad *Alcorani* intellectum pertinet, calluiſſe dicitur, & totam *ἐγκυκλοπαιδείαν* ante annum ætatis 18. abſolviſſe, quo temporis ſpatio nec unam noctem integram dormiviſſe perhibetur, nec interdiu aliis rebus quàm lectioni vacaſſe, cùm aliquid illi intellectu difficile occurreret, ad templum, nodi iſtius ſolutionem à *Deo* precibus impetraturus, ſe conferre ſolitus. *Edvv.Pocock.* in Specim. Hiſt. *Arab.* p.362.

De religione ſuſpectus eſt, quòd de rebus ad alteram vitam ſpectantibus philoſophicè argutandi eaſque aliter ac ſonant verba interpretandi audaciam ſibi ſumpſerit.Ita,ſi benè memini, à docto apud illos quodam, cui ejus iſtis de rebus ſententiæ mentionem injeci, reſponſum accepi. *Idem* in Notis Miſcell.ad Portam *Moſis* c.7.

Digitized by Google

Multa in Philoſophiâ & Medicinâ compoſuit. *Ariſtoteli* ita addictus fuit, ut quidam referant, eum totam *Ariſtotelis* Metaphyſicam memoriâ tenuiſſe. *Konig.* in Biblioth.

Avicenna ſingulari ſcientiâ vir & ingenio exactiſſimo, & ſubacto inprimis, id eſt, uſu, auditione, lectione, ac literis perpolito atque culto. *Rhodigin.* lib.2. cap.19.

Cæſar Scaliger Divinum virum appellat Comment. in primum *Theophraſt.* Hiſt.Plant.

Iulius Scaliger Avicennæ lectionem Medicis omnibus tanquam perneceſſariam commendabat, nec quenquam in magnum medicum evadere poſſe exiſtimabat, qui tam doctum opus non legiſſet. *Scaligerana* 1.p.18.

Fuit *Avicenna* vir ſummi ingenii, magnus Philoſophus, excellens Medicus, & ſummus apud ſuos *Theologus*. Quum itaque tanto ingenio, tantâ Philoſophiæ cognitione, tantâ denique peritiâ *Artis* inſtructus eſſet; rem hactenus *Græcis* ipſis intentatam aggreſſus eſt, integram *artem Medicam* in unum *Syſtema* redigere conatus. Quanquam enim non negaveris, multa in illo Opere *Canonis* occurrere, quæ correctionem mereantur; fatendum tamen eſt, eſſe opus admiratione dignum. *Leonardus* ſanè *Fuchſius*, & alii *Arabum Medicorum* hoſtes eximium illud opus damnando nihil egerunt. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in *Art. Medic.*p.63.

Etſi pene infiniti ſint viri, qui *Avicennam* maximis encomiis affecerunt, tamen quàm abjectè quidam de eo ſenſerint, oſtendit *Ioannis Manardi* de eo judicium l. 9. Epiſt. 5. *Non eſſe inter antiquos numerandum, ſed nec inter Auctores, hoc eſt, qui Arti aliquid addiderunt, cùm ex aliis ferè verbum ex verbo acceperit, quicquid in ſuum librum congeſſit, atque cum multis, vel ſui, vel Interpretum culpâ, mendis.* Atque idem l.1.Epiſt.1. ait: *Quis avicennam ceu cœleſte numen non adoravit? in cujus tamen libro præter denſam caliginem, infinitum eſt ambagum chaos. Nicolaus Leonicenus* libro ſuo de erroribus *Plinii*, tyrannum vocare non dubitat, varioſque ei & noxios objectat errores. Nec minus alii inſultant.

Averrois doctrina, & Metaphyſica *Avicennæ*, omnia denique illa *Arabica* mihi videntur reſipere deliramenta *Alcorani*, nihil fieri poteſt illis inſulſius frigidiuſque. *Lud.Viv.*l.5.de Cauſ.Corrupt.Art.

Huic debemus cocturam Sacchari; item Caſſiam fiſtularem, myrobalanum, tamarindam & rhabarbarum.

Natus in *Arabia*, vel *Perſia*, in villâ *Aufrene* ad *Bucharam*, Patre *Hali*. Anno ætatis decimo tam luculentum ingenii ſpecimen Præceptoribus dedit, ut miraculo eſſet: quippe *Alchoranum*, qui liber *Mahomethi* leges continet, memoriâ tenebat. Nihil legere ſolitus fuit, quod non excerperet. Curavit aliquando adhuc juvenis Regis *Nuch* filium, fruſtra ſuorum medicorum operam expertum. Ideo ad regiam Bibliothecam admiſſus, majori contentione operam ſtudiis dedit. Et cùm reliquum tempus diſcendo abſumpſiſſet, anno ætatis 21. ad ſcribendum animum appulit. In pleriſque *Meſuem* imitatus eſt. Malus interdum fuit Evangeliſta, quia ſæpè aberrat. Sed robuſto corpore, & valetudine proſperrimâ uti

potuiſſet

potuiſſet, niſi nimiâ *Veneris* intemperantiâ & aſſiduâ libidine, in quam naturâ maximè pronus erat, eam labefactaſſet. Floruit ſub *Conrado* III. Imperatore *A. C.* 1145. vel, ſecundum alios, ſub *Friderico Barbaroſſa A. C.* 1165. obiit anno ætatis ſuæ 58. ſepultus eſt in civitate *Chamedan. Ioan. Anton.* vander *Linden.* de Script. Medic.

Quædam *Avicennæ* opera Latinè reddidit & Scholiis illuſtrata evulgavit *Vopiſcus Fortunatus Plempius* Medicus *Lovanienſis. Lovanii* in fol. 1658.

Extant *Canonis Medicinæ* lib. 5. *Arabicè*: addita ſunt Opuſcula Logica, Phyſica, & Metaphyſica. *Romæ* in Typographia *Medicea* anno 1593. in fol.

MICHAEL PSELLUS.

Patriâ *Conſtantinopolitanus* nobili *Proſapiâ* oriundus, *Michaelis Ducæ* Imperatoris Præceptor, & Senator *CP.* claruit anno 1050. tandem dignitatibus exutus, habitum Monachalem induit. *Latinorum* in dogmate de *Proceſſione* Hoſtis ipſo fatente *Allatio*: ſcripſit penè infinita, Philoſophica, Mathematica, Medica, Hiſtorica, Theologica, quorum catalogum ſatis amplum tam editorum quàm ἀνεκδότων texit, mirâ ſanè diligentiâ L. *Allat. diatribâ de Pſellis, eorumque ſcriptis Romæ* 1634. 8o. *Gul. Cave* Chartophyl. Eccleſ. Clar. An. D. M L.

Michael Pſellus Philoſophus Peripateticus, & Medicus *Græcus* eruditus & clarus & in Theologia haud vulgaris. *Ioan. Anton.* vander *Linden.* de Script. Med.

Deinde etiam *Michaeli Pſello* (*Ioannes Italus Philoſophus*) dedit operam, illi latè inclyto, homini, non tam curâ Magiſtrorum ſapientum, quorum limina non multùm triverat, quàm indolis præſtantiâ & velocitate mentis divinitùs adjutæ (id videlicet impetrantibus per crebras vigilias continuatis matris ejus precibus, in templo *Cyri*, ad Sanctam Imaginem *Dei* Matris fundi ſolitis) in eminentiſſimum ſapientiæ atque eruditionis omnis apicem evecto; quippe qui ad *Græcorum* literas atque artes omnes, quas perfectè nôrat *Chaldæorum* Diſciplinas adjunxerat, famamque meruerat doctiſſimi omnium, qui tunc eſſent. *Anna Comnena* lib. 5. *Alexiados.*

Ii tres viri (quorum unus fuit *Michael Pſellus* ſapientiâ & eloquentiâ hominibus illius tempeſtatis præſtare videbantur. *Iohann. Curopalat.* in Hiſt. Compend.

Sapientiſſimus *Pſellus* vocatur *Mich. Glyca* in Annal. part. 2.

Michael ſapientiſſimus *Pſellus*, Philoſophorum Princeps dicitur *Io. Zona.* in Annal. Tom. III.

Michael Pſellus, Græcus, vir apprimè doctus, cum in Philoſophia *Peripatetica*, tùm verò præcipuè in ſtudiis Mathematicis & Medicinâ. *Quenſtedt.*

Michael Pſellus, vir & eruditione & famâ maximus. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Hujus quoque *Conſtantini Ducæ* tempore, vir cùm in omnium liberalium Artium Scientia, ſed & peregrinarum, floruit *Michael Pſellus*, cujus innumerabiles penè

Digitized by Google

pene libri curioſorum & ſtudioſorum manibus teruntur. *Lil. Greg. Gyrald.* de Poet. Dialog. 5.

Vir planè admirandus, & qui omnes ferè ſeculi ſui eruditos dicendi copiâ, ingenii acumine, doctrinæ profunditate, longo poſt ſe intervallo reliquit. *Gul. Cave* in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

Auſim dicere, neminem ea, vel ſubſequente ætate, Græcè vel inveniſſe acrius, vel ordinaſſe aptiùs, vel locutum eloquentiùs, vel profundiùs res pertractaſſe. Nulla fuit ſcientia, quam ipſe vel notis non illuſtraverit, vel compendio non tentaverit, vel optima Methodo non expedierit. *Leo Allatius* in Diatribâ quam edidit de *Pſellis*, eorumque ſcriptis, p. 42.

Anno 1060. ac deinceps, claruit ille *πολυγραφώτατος Michael Pſellus*: qui inter cætera reliquit libros duos, *Conſtantino Ducæ* dicatos, de *Victûs Ratione*, deque *Facultatibus & ſucci qualitate elementorum*. *Latinè* vertit *Georgius Valla*. Excudit *Baſileæ Andr. Cratander* anno 1529. Peſſimè translatum eſſe, conqueritur *Lilius Gyraldus*: quia propterea non multùm fuit adjutus ea interpretatione, cùm verteret *Simeonem Sethum*, *Antiochenum* magiſtrum, de Cibariorum facultate. Etſi idem ſit liber, ac ſolùm *Pſello* quædam adjecerit *Simeon Sethi*. *Voſſ.* de Philoſophiâ, c. 12.

Michael Pſellus ſcripſiſſe dicitur Ἰατρικὸν περὶ Κωνσταντῖνον τὸν πορφυρογέννητον. *Medicale ad Conſtantinum Porphyrogennetum*. *Leo* tamen *Allatius*, diſſertatione de *Pſellis*, negat eſſe inclyti illius *Michaelis Pſelli*, quia neque in eo ſit agnoſcere *Pſelli* in dicendo acrimoniam, nec in re expedienda ſolertiam: ac tempora etiam obſtare, ſive his *Conſtantinus Porphyrogennetes* ſit primus, ſive ſecundus, qui cum *Baſilio* imperium tenuit. Agnoſcit interim *librum eſſe non contemnendum ac ſæpe ſuâ brevitate expeditum, & remediis à probatiſſimis Scriptoribus delectis tranſcriptiſque, idque populari loquendi formâ*.

Seculo undecimo *Michaelis Pſelli* celebre erat nomen. Scripſit *Lyræ Pythagoricæ* diagramma; quod hodie manuſcriptum ſervatur in *Galliâ*, teſte *Phil. Labb.* Biblioth. Novæ, fol. 114. *Jo. Jonſius* de Script. Hiſt. *Phil.* l. 3. c. 20.

Michael Pſellus Præfectus ſtudiis *Michaelis Ducæ* Imperatoris, qui fuit *Conſtantini Ducæ* filius, & anno 1071. *Romano Diogeni* ſucceſſit in regimine *Orientalis Imperii*. Floruit anno 1071. & ſequentibus, inſignis ob magnam rerum philoſophicarum & divinarum ſcientiam, quam probant plurima ejus Opuſcula tam impreſſa, quàm etiam Manuſcripta adhuc latitantia in variis Bibliothecis. *Oudin.* in Supplem. de Script. Eccleſ. à *Bellarmino* omiſſ.

Extat Commentarius ſive Paraphraſis in *Canticum Canticorum* Græcè editus à *Io. Meurſio* unà cum *Euſebii* in idem Paraphraſi, anno 1617. in 4°.

Dialogus περὶ ἐνεργείας δαιμόνων à *Gilberto Gaulmino* Græcè & Latinè prodiit *Lutetiæ Pariſ.* 1615. in 8.

Prodiit de Virtutibus Lapidum liber ex Editione & cum Notis *Philippi Mauſaci Toloſæ* 1615. & 1618. in 8.

Confer de ejus variis ſcriptis *Leonis Allatii* Syntagma de *Cl. Pſellis Romæ* apud *Jac. Maſcardum* anno 1634. impreſſum.

GEORGIUS

Digitized by Google

GEORGIUS CEDRENUS.

MOnachus, claruit anno 1057. Extant Græcè & Latinè *Annales* ſive *Compendium Hiſtoriarum* ab orbe condito cum Notis & Animadverſionibus *Xylandri, Car. Fabroti, Iac. Goaris*, & Gloſſario mixo-barbaro, *Par.* 1647. fol. ut olim *Baſil.* 1566. fol. Clar. A. D. MLVII.

Totum *Cedreni* opus eſt ſtabulum Quiſquiliarum, & Cento ex multis pannis ſordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris conſutus. *Joſ. Scalig.* Not. in Græc. *Euſeb.* p. 402.

Cedreni verò *Synopſin* arbitramur non multò poſt ejus obitum mutilatam fuiſſe atque ita ab illis librorum carnificibus, ut hodie edita eſt, poſteritati tranſmiſſam: quin ne ea quidem, quæ *breviatores* collegerant, integra omninò ad nos perveniſſe: Nam *Leunclavius* vir doctiſſimus in Notis ad *Annales Turcicos* ſcribit, aliquot *Cedreni* folia penes ſe habuiſſe quæ inexcuſis deſiderantur. Nos verò apud *Syncellum* paginam integram reperimus, & quædam alia, quæ in editione vulgata non extant. *Idem* ibid.

Georgius Cedrenus in rebus *Byzantinis Zonarâ* paulò diligentior eſt: In iis autem quæ *Conſtantinopolitanos* Cæſares præcedunt, cedit *Zonaræ*: à quo & ſtylo vincitur, uti etiam à *Nicetâ* & *Gregorâ*, & aliis. Interim in *Centone* hoc, ac penè dixerim, *Quiſquiliis* iſtis, aliquos purpuræ pannos reperire eſt ex *Africano* ab *Euſebio*, indeque à compilatore hoc, ſuo adſutos centoni. Nam ut *Africanum Euſebius*, Euſebium *Georgius Syncellus*, ita *Syncellum*, itemque *Theophanem*, qui *Syncellum* continuavit, ad verbum exſcripſit *Cedrenus*. Vocavit verò hoc opus Σύνοψιν Ἱστοριῶν. Sed ut ipſe mutilârat priores, ita ejus quoque volumen mutilarunt juniores: idque judicio nullo, ſine ordine temporum, ſine delectu rerum. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Etſi *Georgius Cedrenus* ſit quidem *anilium* ſæpè *fabellarum* ſcriptor, & veri incurioſus vel ignarus; Judicio legatur tamen, dabit quod juvet. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 3. Miſcel. Epiſt. LXI.

Georgius Cedrenus Monachus *Græcus*, in cujus *Hiſtoriâ* ſi quid boni reperitur, ab aliis compilatum eſt. *Jo.* Card. *Bona*.

Cedreni porrò *Hiſtoria* à morte *Nicephori* uſque ad Imperium *Iſaaci Comneni*, etiam legitur ſub nomine *Joannis Curopalatæ*, paucis exceptis: quod *Geſnerus*, *Voſſius* & alii monuerunt. Adeò quidem, ut alteruter *Plagiarius* fuiſſe videatur. *Aubert. Miræus* in Auctar. de Script. Eccleſiaſt.

Caſaubonus quoque Notis in lib. 17. *Strabonis*, refert, ut cùm à *Graculo* Hiſtoriam *Curopalatæ* emiſſet, eumque contuliſſet cum *Cedreno*, deprehenderit eadem iiſdem verbis ab iis dici, ut alteruter neceſſariò *Plagiarius* ſit.

Hunc [*Georgium Cedrenum*] aliquando *Wolphius*, ſed quam ſano judicio? prætulerat *Zonaræ*. *Zonaras* enim, licèt in Hiſtoria poſt *Conſtantinum* Magnum jejunior ſit, & nonniſi obvia quæque percurrerit, in his verò, quæ ante *Conſtantinum* ad mundi exordia diligentiùs, ac copioſiùs verſatur. Sed quod laude dignũ, eaque

Z z ſumma

Digitized by Google

ſumma eſt, *Zonaras* res de ſuo componit, & narrat, non alienorum furtis plauſum captat, neque tractatus integros exſcribit. *Leo Allat.* de *Georg.* Diat.

Opus è variis Hiſtoriis non ſententiis ſolùm, ſed verbo tenus conſarcinatum abſolvit. Quæ ſi ab Auctoribus repeterentur, nudus ipſe, æquè ac cornicula illa remaneret---Neſcio quâ fronte, quæ exſcripſit, pro ſuis divendidit, adeò ut vix unam alteramve periodum in tam vaſto volumine *Cedreni* propriam ac legitimam reperies: gratiæ tamen illi agendæ ſunt, quòd auctores nobis præcipuos, & ratos ſuo ipſe furto conſervavit. *Leo Allatius* Diatrib. de *Georg.* & eorum Script. p. 34.

LANFRANCUS.

Cla. A. D. MLXX.

Natione *Italus*, Patriâ *Papienſis*, ex Priore *Beccenſi*, ac deinde Abbate S. *Stephani Cadomenſis*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & *Angliæ* Primas ab anno 1070. uſque ad ann. 1088. quo mortuus eſt.

Stigando verò ſucceſſit *Lanfrancus* Monachus, vir eleganter literatus, & moribus multimodis ornatus, qui inter cætera Magnifica Opera, librum compoſuit *de Sacramento Altaris*, fidem roborando Catholicam. *Mat. Weſtmonaſt.* ad ann. 1070.

Stigando ſucceſſit Reverendiſſimus *Patriarcha* ex Abbate *Cadomenſi* omnium liberalium Artium Doctor laudatiſſimus & luculentiſſimus, & in temporalibus negotiis experientiſſimus, vitaque ac Religione ſanctiſſimus, Magiſter *Lanfrancus*, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* Canonicè conſecratus. Vide *Rer. Anglic. Script. Veter.* Tom. 1. Impreſſ. *Oxon.* 1684. fol. p. 69.

Omnium ſui temporis in omni literarum genere doctiſſimus, & in Concilio, quod *Romæ* adverſus *Berengarium* Diaconum Eccleſiæ *Andegavenſis* Hæreticum à 113. Epiſcopis ſub *Nicolao* II. celebratum eſt, longè clariſſimus, inter alia præſtantis ingenii ſui Monumenta reliquit pios, atque eruditos in totum *Pſalterium*, & in omnes *Pauli* Epiſtolas Commentarios. *Sixt. Senenſ.*

Lanfrancus, vir eâ tempeſtate doctiſſimus errores *Berengarii* præclaro opuſculo notavit. *Platina* in Vit. *Nic.* II.

---Hæc de ordinatione *Lanfranci* celebris hujus ſeculi in *Eccleſiâ Catholicâ* luminis ſupra tantum Candelabrum erecti, ut qui ſcientia egregiè polleret & ſanctitate vitæ. *Baron.* ad Ann. Chr. 1070.

Lanfrancus Archiepiſcopus *Cantuarienſis* vir Sanctus, & doctus in Concilio *Romano* ſub *Nicolao* II. *Pontifice* anno 1059. diſputavit cum *Berengario* Hæreſiarchâ: eumque ita convicit, ut *Berengarius* librum ſuum in ignem ejecerit. Sed eo ad vomitum redeunte, ſcripſit idem *Lanfrancus* inſignem librum de veritate Corporis *Domini* in *Euchariſtiâ Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Certè Eadmerus *Lanfrancum* de rebus Eccleſiaſticis quæ ſuo tempore geſtæ ſunt, veraciſſimo & compendioſo calamo ſcripſiſſe diſertè refert. *Eadmer.* lib. 1. Hiſt. Nov. p. 7.

Dicit *Petrus Cluniacenſis* in initio libri ſui *de Sacrificio Lanfrancum* de Sacrificio

Digitized by Google

crificio *Euchariſtiæ* ſcripſiſſe benè, plenè, perfectè: *Guitmundum*, meliùs, plenius, perfectiùs: *Algerum*, optimè, pleniſſimè, perfectiſſimè.

Obiit, ut plerique tradunt, Jun. 4. (ut *Hovedenus*, & *Florentinus Wigorn.* Maii 24.) 1089. febricula quod ſæpè optaverat abſumptus, & in Eccleſiâ *Cantuarienſi*, quam multùm locupletarat, ac ædificiis novis ornaverat, honorificè tumulatus eſt. Monachorum in eo Cœnobio degentium numerum eò uſque auxit, ut cum adveniens triginta tantùm invenerit, 140. decedens reliquerit. Manneria 25. per *Odonem* Epiſcopum *Baiocenſem* fratrem Regis uterinum erepta, *Eccleſiæ* reſtituenda curavit. Palatium Arhiepiſcopale quod eſt *Cantuariæ* ferè totum conſtruxit. Xenodochia duo prope civitatem prædictam inſtituit, unum videlicet apud *Harbaldovvn*, alterum in Suburbiis quod S. *Joannis* nomine hodiè innoteſcit. Ad ſtructuram Eccleſiæ Cathedralis *Roffenſis* magnam contulit pecuniam, aut potius integram à fundamentis excitavit. In reparatione Cœnobii S. *Albani* mille Marcas impendit. Mannerium de *Redburn* per injuriam ereptum, illiùs operâ redditum eſt: Ac deinde moriens, mille libras noſtrates eidem Monaſterio per teſtamentum legavit. *Franc. Goduvin.* de *Præſul. Ang.*

Lanfrancus Longobardus, Papiæ oriundus, erat Sophiſmatum ſtrophis ac omni genere Dialectices ætate ſua inſtructiſſimus----*Cantuariæ* templum inſtauravit, pretioſis ditavit ornamentis, Monachorum auxit prædia, Præbendas inſtituit, novos erexit cultus, adventantibus peregrinis Xenodochia condidit, atque alia multa pro ampliando Papiſmo fecit. *Balæus* de Script. *Britan.*

Vir juris Divini Humani ſuo in ævo ſcientiſſimus ac undequaque doctiſſimus, qui velut *tertius* è Cœlo *Cato* Monacho Malmesburienſi, *lib.* 3. *de Geſtis Regum Angliæ*, dicitur, & Archiepiſcopus fuit ſub *Wilhelmo* Primo ſeu propè ſexcentos abhinc (ſcil. 1650.) annos Cantuarienſis. *Selden.* lib. 1. de Synedr. Vett. Ebr. cap. 13.

In memoriam *Lanfranci* Archiep. *Cantuarienſis* hoc *Epitaphium* ſtruxit *Philippus Bona Spei*:

Vixiſti, venèrande Pater, ſapienter & æquè,
  Vixiſti vivens, mors quoque vita tibi eſt.
Inter divitias pauper Lanfrance *fuiſti,*
  Divitiis manans pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere Latinæ,
  Gratia de vobis ecce triumphat ovans.
Tu Latios *ortu*, Galloſque *docendo levaſti*,
  Te ſibi Primatem *cardo Britannus habet.*
In terrâ degens Cœleſtia mente petebas;
  Exemptus terrâ ſidera liber adis.
Sol Geminos *denis obſederat igne diebus*,
  Prompſit Luna *Dies, Nocte ſolutus abis.*

Philipp. Labbe Theſaur. Epitaph.

Prodierunt Opera omnia: Commentarius in Epiſtolas *Pauli*: Libellus de S. *Cœnâ*. Notæ in aliquot *Caſſiani Collationes*: Decreta pro Ordine S. *Benedict*. Epiſtolæ. Editore *Lucâ Dacherio* Monacho *Bened. Pariſ.* in fol. 1648.

THEOPHYLACTUS.

Chr. A. D. MLXXI.

ACrida in *Bulgariâ* Archiepiſcopus in lectione operum S. *Joannis Chryſoſtomi* verſatiſſimus, quem *Eraſmus* alicubi *Vulgarium* pro *Bulgare* ſeu *Bulgarorum* Præſule appellitat, non anno 860. ut *Poſſevinus*, *Perronius* Card. & plerique alii, ſed circiter annum 1071. vivebat tempore ſummi Pontificis *Alexandri* II. & *Romani Diogenis Græcorum* Imperatoris, ut ex ejus Epiſtolis conſtat. Perveniſſe quoque uſque ad Pontificatum *Gregorii* VII. & Imperium *Nicephori Botoniatæ* mihi exploratum. Quo autem obierit anno, prorſus ignoro *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Theophylactus, *Bulgariæ* Archiepiſcopus, in D. *Chryſoſtomi* lectione diu multumque verſatus ac detritus, redegit in breve & apertum compendium juxta hiſtoricam intelligentiam, quicquid admirabilis ille pater ex aureo ſuo ore, veluti ex abundantiſſimo fonte, in exponendis Scripturis Sanctis effuderat, prætermiſſis locis communibus, in quibus ille plenis eloquentiæ velis excurrere conſuevit. Allegorias quoque cum aut nullas, aut raras apud *Chryſoſtomum* inveniſſet, ex aliorum Commentariis ſupplevit, & ſuis locis aptiſſimè accommodavit *Theophylacti* in *Oſeam* liber unus, acephalus & ateleſtus, hoc eſt temporis injuriâ, initio & fine carens. *Sixt. Senenſ.* Bibl. Sanct. l. 4.

Theophylactus in Commentariis ſuis in quatuor *Evangelia*, & in omnes Epiſtolas S. *Pauli*, ita *Chryſoſtomum* ſecutus eſt, ut *Chryſoſtomi* Abbreviator dici poſſit. Porrò Schiſmaticum fuiſſe *Theophylactum* intelligi poteſt ex Commentario in cap. 3. *Ioannis*, ubi *Latinos* reprehendit quòd credant *Spiritum Sanctum* à Filio etiam procedere. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Ubivis *Theophylactum* legeris, ſenties S. *Ioannis Chryſoſtomi* ſemper eructare ſententias. *Baron.* ad Ann. Chr. 1073.

Scripturarum Interpretem, haudquaquam malum, cenſebat *Eraſmus* in cap. 1. *Luc.*

Hoc tempore florebat *Theophylactus Bulgarorum* Archiepiſcopus, ſolus ferè hoc ſeculo Theologiæ nomine celebris, qui ſane in his verbis, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Epiſcopi *Romani* nullam rationem habuit. *Phil. Mornæus* in Myſt. Iniq.

Cautionem *Theophylacto* hanc adſcripſit *Poſſevinus*, erraſſe nimirum enarratione in cap. 3. Evangelii S. *Ioannis* circa proceſſionem Spiritus Sancti ex Patre ac Filio, quam *Catholici* vetereſque Patres colligunt ex iis verbis *Ioannis* 20. *Inſufflavit ac dixit: Accipite Spiritum Sanct.* Idem monuit ab interpretibus ejus Hæreticis *Ioanne Oecolampadio* ac *Ioanne Lonicero* falſatos fuiſſe locos, qui ad poteſtatem ſummi Pontificis ſpectant.

Prodierunt Commentar. *Theophylacti* in Epiſtolas *Pauli* Græcè & Latinè è *Ioan.*

Digitized by Google

Joann. Loniceri tranſlatione & recognitione *Philipp. Montani*, curâ *Auguſtini* in fol. 1636.

Prodierunt ejus Commentar. in 4. Evangelia Græc. & Latin. *Pariſ.* fol. ann. 1635.

Prodiit ejus Inſtitutio Regia curâ *Petri Poſſini* 4. *Pariſ.* 1651. è Typographiâ Regiâ.

Integra *Theophylacti Bulgariæ* Epiſcopi *Enarratio* in duodecim Prophetas minores, Græcè MS. extat in folio in Bibliothecâ *Auguſtanâ* Codice 48.

Ejuſdem quoque colloquium cum quodam de *Accuſationibus Latinorum*, & *Oratio* in *Alexium Comnenum* Imp. MSS. Græcè in Bibliothecâ Sereniſſimi *Bavariæ* Ducis Codice 116. *Oudin.* in Supplem. de Script. Eccleſ.

JOANNES XIPHILINUS.

Conſtantinopolitanus, tempore *Conſtantini Ducæ* Imperatoris claruit, & *Dionis Caſſii* Hiſtoriam in compendium redegit. Malè nonnulli eum Patriarcham faciunt. Sic enim *Gul. Cave* in Tab. Chronolog. ad Secul. 11. Qui Dionis Hiſtoriam in Epitomen redegit, non fuit hic Patriarcha *Conſtantinopolitanus* (quod ad unum ferè omnes *Scriptores* volunt; & in his *Andreas Schottus, I.G. Voſſius*, Lud. *La-Cerda*, &c.) ſed ejuſdem nepos. En ipſius verba, à nemine, quod ſciam, hactenus animadverſa, in vitâ *Auguſti*: λέγω γὰρ τοῦτο οὐχὶ ὡς ὁ Δίων, &c. *Verùm hoc non dico* Dionis Pruſæenſis *nomine, ſed ut* Joannes Xiphilinus, Joannis *Patriarchæ fratris filius, qui tempore* Michaelis *Imperatoris, filii Ducæ, hanc Epitomen compoſui. Gul. Cave* Cartophyl. Eccl. clar. A. D. MLXXIII.

Sub *Conſtantino* XII. cognomento *Ducâ*, (cujus uxori *Eudoxiæ* tribuitur Cento *Homericus* de *Chriſto*) claruit *Ioannes* cognomento *Xiphilinus*, VII. ejus nominis, Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, ordine in iis LXXVIII. quâ dignitate functus eſt annos XI. menſes VII. Antea fuit Monachus montis *Olympi*. Patriâ erat *Trapezuntius*. De eo ſic *Glycas* Annalibus parte IV. *Conſtantino Patriarchâ mortuo*, Joannes Xiphilinus *in ejus locum ſuffectus eſt; vir omnino propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem admirandus.* Trapezunte *oriundus*, *vitam in Olympo religioſis exercitiis deditam agebat: unde vir pertractus eſt ad hanc dignitatem, tanquam inter alios eximius. Xiphilinus* hic *Dionis* Hiſtoriam in Compendium redegit: niſi cum nonnullis, nepotem ejus fuiſſe, malis. Sed priorem ſententiam magis probo: uti & *Andr. Schottum* facere video Prolegomenis in *Photii* myriobiblum. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Xiphilinus, vir valde doctus vocatur *Poſſevino*.

Xiphilinus, Epitomaſtes *Dionis*, adeò fidelis, & prudens, ut ea quidem, quæ nimia eſſe videbantur, reſecaret, in cæteris verò à verbis, quibus *Dion.* uſus fuerat, non diſceſſerit. Scripſit quingentis annis poſt *Dionem Michaelis* Imperatoris temporibus. *Balthaſſ. Bonifac.* Ludic. Hiſt. p. 606.

Præclarè nobiſcum actum eſt, quòd *Joannis Xiphilini Conſtantinopolitani* Monachi Epitome, ex quadraginta quatuor poſterioribus *Dionis* libris confecta ſu-

perſit, quæ vitas *Imperatorum* omnium continens non modicum auxilium rebus cognoſcendis præſtat. *Car. Sigon.*

Xiphilinus Dionem Caſſium in compendium redegit,magno Reipublicæ Malo: *Dionis* enim Commentarius ita excidit,& Compendium retentum eſt.*Calviſ.* ad ann.*Chr.* 1066.

Multorum *Dionis* Scriptorum amiſſionem præpoſtero *Xiphilini* conſilio, vel auſui potius temerario debemus,qui dum ſuas obtruſit imperitis Eclogas, occaſionem præbuit, ut integri *Dionis* libri negligerentur. *Jo. Leunclav.* Præfat. in *Dion.*

Xiphilinus multas pulchras & utiles partes in *Dione* recîdit, teſtante *Lipſio*, qui in deſcriptione *Trajani* pontis in *Danubio*, hiſce verbis utitur: Deſcribit graphicè *Dio Caſſius*, & gratia *Sectori* ejus *Xiphilino* eſto, quòd hanc partem non recîdit. O quam pulchras valenteſque ille alias! *Lipſ.* de Magnitud. Roman. l. 5. c. 12.

Xiphilinus ſcripſit Commentarium in *Matthæum* Græcè MS. apud *Iſaacum Voſſium*,teſte *Colomeſio* opuſcul. c. 16.

Scripſit Sermones in Evangelia MS. in *Scorialenſi* Bibl. *Barvoëtius* p. 133.

Scripſit *Homilias in Evangelia Dominicalia totius Anni*,quæ MSS.Græcè extant ſub ejus nomine in Bibliotheca Sereniſſimi *Bavariæ* Ducis cod. 91. & in Vaticanâ ex MS. Codice *Heidelbergenſi Palatino*, num.221. digniſſimæ (inquit *Oudinus*) quæ in publicum prodeant.

LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS.

Clar. A. D. MLXXVII.

NOn ut quidam *Aſchaffemburgenſis*, & cœnobii *Hirsfeldenſis* in Diœceſi *Moguntinâ* ab anno 1058. alumnus,quo veſtem Monaſticam ex *Meghineri* Abbatis manibus,ut ipſemet narrat,accepit,& presbyter ordinatus *Hieroſolymitanum* iter,inſcio Abbate,aggreſſus anno ſequenti medio menſe Septembri ad Monaſterium ſuum rediit. Is culto ac veraci ſtylo ſcripſit *Hiſtoriam ab orbe condito* ad annum 1077. quæ habetur in Collectione Rerum *Germanicarum*.Continuatio Monachi *Erfordenſis* uſque ad annum 1471. non accedit ad præcedentis Hiſtoriæ dignitatem, ſed hominem ſapit parum accuratum atque elegantem *Phil. Labbe* de Script. Eccleſiaſt.

Lambertus Schafnaburgenſis, ſive *Aſchaffenburgenſis* (ut eſt apud *Serrarium* in Annal. *Moguntinis*) monachus *Hirsfeldenſis* in diœceſi *Moguntinâ*.Hunc *Trithemius* in Chronicis ait conſcripſiſſe Chronicon cœnobii ſui *Hirsfeldenſis*;breve illud,ſed non inutile. Id videre nondum licuit: Inprimis autem nomen ſibi peperit Hiſtoriâ *Germanicâ*,quam perducit uſq; ad annum *Chriſti* 1077. quo vivebat.Eum verò continuavit *Monachus* quidam *Erphordenſis* uſque ad an.1471. Dictio ejus elegans eſt---Vix tamen probare poſſum,quod *Hiſtoriæ* quædam admiſceat privata,poſteritatis memoriâ minùs digna. In rebus etiam pertinentibus ad controverſiam inter *Henricum* IV. & *Gregorium* VII. fidem ejus claudicare, multorum judicium eſt. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Lambertu

Lamberto Schafnaburgenſi nemo politiùs inter veteres res *Germaniæ* Literis commiſit. *Barth. adverſ.* l. 49. c. 4.

Miræ ævo ſuo *Eloquentiæ* Scriptorem vocat idem *Barth.* l. 45. c. 23.

Inſignis & verax Hiſtoricus *Lambertus* vocatur *Bellarmino* de Scriptor.

Chronographus doctiſſimus & accuratiſſimus vocatur *Bucholcero* in Ind. Chronol. p. 310.

Philippus Melancthon de *Chronico Lamberti* inter alia ſic ſcribit ad *Caſparem Crugerum : Nondum vidi, à Germanis Scriptoribus eo argumento quicquam diligentius eſſe compoſitum.*

Lambertus Schafnaburgenſis , vir ſupra ſæculum prudens, & facundus. *Quenſtedt.*

Equidem miror in Sæculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem, & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in *Chronologis* noſtri temporis pudorem aliquem exprimere poſſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent. *Joſeph. Scalig.* lib. de emendat. Temp.

Lambertum Schafnaburgenſem haud planè contemno, in rebus *Germanicis*: uti nec *Rodericum Toletanum*, in *Hiſpanicis*. Uterque bonus, quantum potuit in tali ævo *Lipſ.* Not. ad 1. lib. Politicorum.

Henrico IV. Imp. coævus & rerum illius temporis diligentiſſimus & judicioſiſſimus Scriptor. *Hen. Meibom. jun. in Epiſt. de Illuſtris gentis Heimburg. Orig. & Progreſſu.*

Sanè prudentiæ non minùs, quàm eloquentiæ palmam (ut ſileam accuratam temporum rationem) non ſuæ tantùm ætatis omnibus, ſed & diſertioris ævi pluribus præripuit. Cæterùm unius circiter decennalis hiſtoriæ hoc præconium eſt quâ ſcilicet *Henrici* IV. Cæſaris res nonnullas ſuâ ætate geſtas eſt perſecutus: reliqua, quæ præcedunt, prorſus aliâ ſunt conditione, ut mirari meritò ſubeat cur tam diſſimilia unô illi placuerit volumine comprehendere. *Conring.* in Præfat. ad *Tacit.* de M. G. edit. primæ.

Lamberti Hiſtoriam Germanicam, opus inſigne & jucundæ lectionis vocat *Trithemius.*

Scriptore hôc ſe non parùm adjutum ait *Trithemius* in Chronico *Hirſaugienſi.*

*Hic Author inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Indice Madritenſi* edit. an. 1607.

Extat Chronicon *Argentorat.* 1609. fol. & apud *Piſtor. Francof.* 1583. in fol.

SUIDAS.

GRammaticus, Lexici conditor, vixiſſe creditur circa an. 1081. Forſan antiquior ipſe *Suidas*, multis quæ ſequiora tempora ſapiunt, à recentiori manu additis. *Gul. Cave* in Cartophyl. Eccleſ. Clar. A. D. MLXXXI.

Suidas Junior, Grammaticus, Lexicon *Græcum* ex variis Scriptoribus collegit. De ætate ejus alii aliter ſentiunt. *Hugo Grotius* in Epiſt. 110. ad *Gallos*, p. 254. paulò

Digitized by Google

lò poſt *Conſtantinum*, *Leonis* filiā, vixiſſe autumat. Rationem addit: Nam quantum memini, hic eſt Imperatorum poſtremus, quem in libro ſuo nominat, *Conſtantinus* autem ille A. C. 912. regnare cœpit *Cluverius* in Epitome Hiſt. p. 448. ſub *Theophilo*, qui anno 829. imperabat, collocat. *Voſſius* in tract. de Philoſ. p. 37. aut temporibus *Alexii Comneni* (is autem *Imperio* præfuit ann. 1080.) aut *Iuſtiniani* claruiſſe judicat. Ego aliquando exiſtimabam eum tempore *Baſilii* II. & *Conſtantini* VIII. vel A. C. 976. & deinceps vixiſſe, motus hac ratione, quòd in vocibus Κωνςαντινέπολις ἐι Ἀδάμ tempora mundi uſque ad tempora *Zimiſcæ*, *Baſilii* & *Conſtantini* ſupputet. Supputavit autem ſine dubio uſq; ad ſua tempora. *Konig.* in Bibl.

Suidas Lexicographus, Monachus *Byzantinus*, admirabilis, incomparabilis: unus inſtar omnium Grammaticorum. *Io. Roſin.* in Antiq. *Roman.*

Carolus Philippi in *Guſtu Philologico* vocat eum pecus cum aureo vellere.

Sed admoneo, utcunque pecus *Suidas* eſt, aureum tamen eſſe, & è meliore metallo vellus ferre. Carpſit & ſumpſit ex optimis, qui fuerunt, & plerique non ſunt; utinam judicio & curâ, addo & fide, meliori! Nam & nomina ferè ſupprimit, & intendere oportet quid ejus ſit, quid alienum. Cæterùm etſi ille *Arcadicum* & *Midinum* ſapit; alios tamen lectores ſuos facit, qui curioſi quidem ſint & intenti. *Lipſ.* de Milit. *Romanâ* l. 4. Dialog. 10.

Suidas Grammaticus nullius judicii, doctrinæ autem mediocris, qui Laciniis undique collatis & corraſis purpuræ interdum, non raró tamen panni levidenſis craſſo filo & depexi farraginem illam coagmentavit. *Montacut.* in exercitat. p. 235.

Suidas in *Græcis* non contemnendus Author, rudem ſe prodit & planè infantem in *Latinis*. *Montacut.* Apparat. 3. Sect. 1.

Suidas (ut eſt diverſorum librorum è *Centonibus* conſutus liber) ſibi ipſi ſæpiùs minus conſtat. *Iul. Cæſ. Scalig.* in Epiſt. quadam.

Suidas autem more ſuo, id eſt trivialiter (ut aiunt) interpretatur vocem *Parodia*. *Idem Poëtic.* p. 114.

In hoc Auctore emendando multus eſt *Poſſevinus* in *Apparatu Sacro*, ubi inquit, In opere ſive Scriptis, quæ *Suidæ* nomen præferunt complura ſunt quæ ad *Philologiam*, ad *Hiſtoriam* humanam, ad *Poeſin* ad *Philoſophiam*, ſed & ad *divinæ Scripturæ*, *Patrumque* & *Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum* notitiam ſpectant. Veruntamen etiam pleraque iiſdem fuerunt intertexta, quæ aut *Evangelicæ* veritati adverſantur, aut procul abſunt ab *Hiſtoricâ* integritate. Hæc *Poſſevin.* in Apparat. Sacr.

Suidas, homo ineptus, fateor, ſed, interdum, non malus compilator. *Tan. Faber.* Not. in *Prima Scaligerana*, p. 2.

E Scholiis *Ariſtophanis*, ut ex aliis *Grammaticorum* promptuariis in acervum ſuum infinita congeſſit. *Deſider. Herald.* Animadv. ad *Arnob.* l. 3.

Suidæ tribuitur *Lexicon*, quod tamen multis auctariis à variis poſterioribus eſt cumulatum, felicitate *Lexicographis* perpetuâ. Nam etiam *Ambroſii*

Calepini

Digitized by Google

Calepini Dictionarium, quod ab Autore editum erat valdè jejunum & aridum, nunc acceſſionibus ſubinde factis, & *Calepino* ſemper tributis, clarum reddit auctorem. *Raynaud* Erotemata de mal. & bon. libris Partit. 1. Erot. 10.

Nihil facilius fuerit, quàm eum auctorem (*Suidam*) infinitis quibus ſcatet mendis liberare: quod tamen miror nequiviſſe videre virum eruditum ejus *Interpretem*, cui, quum *Suida* ſæpiſſimè integras *Laërtii* paginas deſcribat, nunquam potuit hoc ſubolere: quod ſanè miror. *Caſaub.* in Not. ad *Diog. Laer.*

Pauca legi apud *Scholiaſten Ariſtophanis*, quæ relata non ſint in hoc *Suidæ* Dictionario, prodit *Mauſſacus*; qui & ſic judicat, vel *Scholiaſten* illum à *Suidâ*, vel *Suidam* à *Scholiaſte* integras enarrationes deſcripſiſſe. *Mauſſac.* diſſert. Crit. ad *Harpocrat.* p. 374.

In *Collectaneis* illis eruditos uno ore hodieque requirere, pleraque *Veterum Scriptorum*, ut *Polybii* ac *Dionis* nomina temerè omiſſa, teſtatur *Andreas Schottus* præfatione in Proverbia *Zenobii*.

Iſmos *Suidæ*, ad verbum priores exſcribere, neque mentione eos dignari. Neſcio autem, quid in mentem venerit doctiſſimo *Angelo Politiano*, ut epiſtolâ ad *Bernardum Riccium*, quæ legitur libro undecimo, dubitaret an ullus unquam *Suidas* fuiſſet. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Eam abjiciendam puto, quàm *Grammatiſtæ* quidam faciunt, duorum hujus nominis diſtinctionem, ut ſcilicet ille antiquior tantùm *Hiſtoricus*, hic recentior *Grammaticus Gyrald* de Poëtar. Hiſt. Dial. 3.

* *Hieronymi Wolphii* Annotat. in *Suidam*, *ſi expurgentur*, permittuntur. *Index Madrit.* edit. an. 1667.

Prodiit *Suidæ* Lexicon Græcè cum interp. Latinâ *Æmilii Porti Cretenſis* & Notis, Tomis II. *Coloniæ Allobr.* anno 1619. fol. apud *Petrum Choüet*.

S. ANSELMUS.

IN *Auguſta Salaſſorum* urbe inter *Alpes* ſitâ natus (Burgundum alii minùs rectè, ac *Seduni* apud *Rhætos* natum, quidam *Pedemontanum* vocitant atque *Italum*, relicto Patre, quem nullo placare poſſet obſequio, patriaque clam abſcedens, ad *Lanfrancum* venit *Beccenſis* in *Normanniâ* celeberrimi Monaſterii Priorem ac Magiſtrum, ubi factus Monachus, vixque elapſis tribus annis, deinde Prior per quindecim annos, atque Abbas ejuſdem Cœnobii, exactis in ſupremo regimine totidem annis; *Cantuarienſem* adeptus eſt Præſulatum an. *Chriſti* 1093. electus die 6. Martii primâ Dominicâ Quadrageſimæ, Multis pro Catholicâ Eccleſiâ perfunctus laboribus in *Italiâ*, *Galliâ*, ac *Britanniâ*. *Londini* tandem obiit anno ætatis 76. Præſulatûs 16. *Chriſti* 1109. die 21. Aprilis, feriâ quartâ hebdomadæ ſanctæ, & in Eccleſiâ *Cantuarienſi* ad caput *Lanfranci* prædeceſſoris ſui ſepultus. *Labb.* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MXCII.

Anſelmus Cantuarienſis in *Angliâ* Archiepiſcopus, *Lanfranci Cantuarienſis* Archiepiſcopi Diſcipulus, ingentibus *Dei* bonis, doctrinaque & ſanctitate ornatus, varia *Scripta*, magno eorum bono reliquit, qui ea voluerint attentè

 perlegere

perlegere. Ad quam Lectionem faciliùs allici potuerunt, ſi intellexerint, ea non ſolùm eſſe ſe re breviſſima, ſed & tanti ſucci plena, ut vir inter alios productus *Antonius Demochares* Theologus *Sorbonicus* Epiſtolâ Præfixâ *Anſelmi* opuſculis, quæ data anno 1544. edita eſt 1550. *Pariſiis*, ſcripto ſit teſtatus, *In* Anſelmi *iſtius brevibus Opuſculis penè omnia firmis rationibus demonſtrari*, *quæ* Petrus Lombardus *Magiſter Sententiarum, in quatuor plenis voluminibus multis Sanctorum Doctorum auctoritatibus poſteà confirmavit. Ant. Poſſevin.* Apparat. Sac.

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & ſæcularium literarum peritiâ nulli ſuo tempore ſecundus. *Trithem.*

Vir magni ingenii & acuminis, *G. Calliet* in Apparat. Theolog. pag. 132.

Vir tam Divinis quàm Humanis Diſciplinis nobiliter excultus, ſtylo mirè ſimplici & puro, ſed non injucundo. *Sixt. Senenſ.*

Vir fuit natione *Italus*, profeſſione *Monachus*, ingenio acerrimo & ſanctitate admirandâ cum maximâ prudentiâ, & humilitate conjunctâ. Ejus vita ab *Eadmero* fideliter conſcripta eſt. Cum moreretur, dixit, optare ſe adhuc modicum temporis, ut quæſtionem obſcuriſſimam de *Origine Animæ*, quam cœperat, abſolveret: ſed hoc tempus ei datum non eſt, ut majus bonum ei in æternitate daretur. *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Illuſtravit planè *Anglicanam* Eccleſiam doctrinâ, illuſtravit & ſanctitate, cæteris Sanctiſſimis Patribus *Chriſti* Confeſſoribus, quos *Eccleſia* veneratur, minimè impar. Claruit miraculis vivens, atque defunctus, lucidum ſidus Eccleſiæ *Anglicanæ*, multiplici fulgore coruſcans omnibus intuentibus in tantâ noctis obſcuræ caligine. *Baron.* ad Ann. 1109.

Anſelmus, Vir Sanctimoniâ Vitæ, gravitate, eruditione eximiâ, aliiſque virtutibus clarus----- In Synodo *Barenſi* coactâ, præclaram operam navarat *Anſelmus*, contra *Græcos* ibidem tunc præſentes, quorum errores, ac illum præcipuè de proceſſione Spiritus Sancti, doctiſſimè magnâque cum gloriâ præſens refutarat, inde poſtmodum ſumpta occaſione libellum eâ de re edendi, qui etiamnum apud doctos, in pretio eſt. Cujus tamen certaminis non aliud tulit præmium, quàm quòd ipſi & ſucceſſoribus ſedes aſſignata eſt in Concilio generali prope dextrum pedem Pontificis, qui hoc uſus elogio id conſtituit. *Includamus* (inquit) *hunc in Orbe noſtro tanquam alterius Orbis Papam*; alludens fortaſſis ad illud *Solini*, ubi *Britanniam* noſtram alterius Orbis nomine appellat—Quadringentis ferè poſt obitum ejus annis, operâ *Ioannis Moorton* ſucceſſorum unius, inter ſanctos relatus eſt, ſerò ſatis. Nimirum quia non erat ad illum uſque diem qui numerata pecuniâ hunc illi emeret honorem; nec repertus eſt inter Pontifices qui ultrò & gratis deferret vel huic, quo nemo (fidenter dico) jam inde ab eo tempore *Sancti* elogio dignior in *Divorum* album aſcriptus ſit. *Franc. Godwin* de Præſul. *Angl.*

Ante ann. 1102. ſacerdotibus Uxores in *Angliâ* interdictæ non fuerunt, tunc verò *Anſelmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſacris literis & Naturæ vim intulit, & *Anglorum* Sacerdotibus Uxores anteà non prohibitas, prohibuit. *Camden.* in *Britan.*

Anſelmus

Digitized by Google

Anſelmus dicere ſolebat, *ſe malle eſſe ſine peccato in inferno, quàm in Cœlo cum peccato.*

Sixtus Senenſis in ſuâ Bibliothecâ tribuit S. *Anſelmo* explicationem in *Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue*, & *Judices* 1. Sed unde hoc habeat, divinare non poſſum cùm tanta opera *Edinerum* latuerint. *Bellarmin.* de Scriptor. Eccleſ.

Prodierunt opera ejus omnia in 4. Tomos diſtributa, ſtudio *Theophili Raynaudi Ceſpitellenſis* è Soc. Jeſu. *Lugd.* fol. 1630. apud *Durantium.*

Opera verò ejus accuratiſſimè impreſſa ſunt in fol. *Pariſ.* apud *Ludovicum Billaine* ann. 1675. curâ & ſtudio doctiſſimi viri *Gabrielis Gerberon* Monachi *Benedictini* Congregationis S. *Mauri.*

SIGEBERTUS.

Gemblacenſis in *Brabantiâ Gallicanâ* cœnobii Monachus, (errat enim *Melchior Godaſtus* qui *Genblacenſem* Abbatem eundemque *Sanctum* appellare non eſt veritus) cùm ætate florens pueros in *Metenſi S. Vincentii* Monaſterio diu docuiſſet, *Gemblacum* reverſus, reliquum vitæ tempus ibidem egit, *Henricianis* partibus adverſus *Romanos* Pontifices *Gregorium* VII. *Urbanum* II. & *Paſchalem* II. ad procaciſſimam uſque infrunitæ mentis audaciam; atque ut *Catholici* quidam ſcripſerunt, inſaniam deliriumque addictus. Obiit die 5. Octobris non anni 1112. ut *Miraus* aliique plurimi ſcripſere, ſed anni 1113. proximè conſequentis. Suum ipſe ſibi texuit elogium c. 171. *libri de Viris Illuſtribus* poſt alia omnia opera compoſiti; quem cum aliis ſex, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ex profeſſo tractarunt, recudendum curavit *Aubertus Miraus Antverpiæ* anno 1639. *Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. C. M.

Præ cæteris ejus *Scriptis* æſtimantur libri *de Viris Illuſtribus* & *Chronicon* ab an. 381. ad an. 1112.

Vir in divinis Scripturis à juventute ſuâ ſtudioſiſſimus & multùm eruditus, atque in ſecularibus literis nulli ſuo tempore in *Leodienſium* territorio ſecundus, Carmine exercitatus & Pro‹ſ›â. *Trithem.*

Poëta ſui temporis celebratiſſimus, & in divinis Scripturis à juventute detritus *Sixt. Senenſ.*

Cùm annos religiosè piéque ætate grandis apud ſuos exegiſſet, animam Creatori ſuo reddidit. Utinam ea ætas tales multos tuliſſet: certè non tam mutilam haberemus illorum temporum Hiſtoriam. *Franc. Swveert. Athen. Belgic.*

Sigebertus, venerabilis Monachus *Gemblacenſis Cœnobii*, vir in omni ſcientiâ literarum incomparabilis ingenii. *Monach. Auguſtinian. Nuſſienſ.* in Chron. *Belg.*

Sigebertus vir nemini ſuo tempore eruditione inferior. *Centuriator. Magdeburg.* Cent. XII. c. 10.

Felicia certè hæc tempora fuere, quæ & *Sigebertum* Monachum *Gemblacenſem* virum ſpectatæ doctrinæ, & *Bernardum* ex *Caſtilione Burgundiæ* nobili genere ortum, protulere. *Platin.* in Vit. *Paſchal.* II.

Sigebertus vir doctus vocatur *Lipſio*, l. 2. Var. Lect. c. 3.

Sigebertus omnis divini humanique *Juris* conſultiſſimus. *Illyric.* in Catal. Teſt. Ver.

Stylo utitur libero. & neque Pontificibus, cùm opus eſt, parcit. *Hofman.*

Morum probitate & ſcientiæ multiplicitate laudabilis, & gratus ſui temporis ſapientibus. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belg.*

Sigebertus in computatione ſæpè labitur, teſtante *Baronio.*

Sigebertus Chronologus, in quo pleraque memoratu digniſſima, quædam falſa & commentitia levia nonnulla & futilia. *Bonifac.* l. 15. Ludic. Hiſt. c. 7.

Sigebertus in ſuâ Chronologiâ iniquior fuit *Gregorio* Septimo, ob ſtudium erga Imperatorem: quâ de cauſâ non pauca mentitus eſt, & præſertim cùm narrat obitum ipſius *Gregorii Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Sigebertus Gemblacenſis Monachus, utilis, & laudabilis Hiſtoricus, niſi quòd *Gregorio* VII. iniquior fuit, & in gratiam Imperatoris multa mentitus eſt. *Ioan. Bona.*

Quod ad *Sigebertum* ſpectat, Voſſius obſervat temporum ſeriem ſæpius ab illo neglectam in ordine quo Scriptores ſuos collocat. *Bellarminus* ſentit etiam illum in ſuis judiciis non eſſe ſatis liberum, eumque in *Papas* propter Imperatores animum nimis infenſum prodidiſſe: ſed hoc ad Chronicon ejus potius quàm ad Viros ejus Illuſtres pertinet. *Sigebertus* in multos errores incidit non minus quàm qui præceſſerunt, accurationis defectu. Quidam vanæ cujuſdam gloriæ illum etiam inſimulant, quòd magna cura omnium ſuorum Scriptorum enumerationem Catalogo ſuo attexuerit. Sed ſi grave vitium hoc fuerit, id Seculo noſtro vulgariſſimum evaſit, neque hoc ſine exemplo fecit *Sigebertus Eruditorum Judicia* per Dom. *Baillet.* Gall.

* *Sigeberti* liber contra Papam *Gregorium*, & contra Epiſtolam *Paſchalis Papæ*, prohibetur in *Indice Romæ* Impreſſo, 1681.

Extat Chronicon ejus ab anno 381. ad annum 1112. poſt omnes alias Editiones, *Auberti Miræi* curâ à Mendis repurgatum *Antv.* 1608. in 4o.

Extat liber *de Viris Illuſtribus* Miræi Notis illuſtratus unà cum aliis ejuſdem argumenti in Bibliotheca Eccleſiaſtica *Antv.* 1639. Fol.

Alia ejus Opuſcula, *Schardius*, *Goldaſtus*, aliique exhibuerunt.

S. BERNARDUS.

Clar. A. D. MCXV.

IN caſtro Fontanis prope *Divionem* in Ducatu *Burgundiæ* natus anno 1091. Patre *Tecelino*, Matre *Aletha*, *Ciſtercium* venit cum ſociis circiter 30. anno 1113. ad *Stephanum Hardingum* tertium illius Monaſterii anno 1098. primùm fundati *Abbatem*. à quo *Claravallenſi* Cœnobio anno 1115. ad fluviolum *Seniam* in *diœceſi Lingonenſi* erecto datus Abbas, vixit uſque ad diem 20. Auguſti anni 1153. quo ad cœlos evolavit Doctor Mellifluus, ac verè ſui ſeculi decus ſingulare, cujus vitam plures ſcripſere *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Vita

Digitized by Google

Vitæ ſanctimoniâ & præclarâ eruditione præſtantiſſimus----Modus docendi ejus in ſenſibus Myſticis indagandis, & in moribus formandis ferè ſemper verſatur. Oratio ubique dulcis & ardens, ita delectat, & ardenter incendit, ut ex ſuaviſſimâ linguâ ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentiſſimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. *Sixt. Senenſ.*

Bernardo quis ſuavius ſcripſit? cujus ego Meditationes rivum Paradiſi, Ambroſiam Animarum, Pabulum Angelicum, Medullam pietatis vocare ſoleo. *Dan. Heinſ.* Orat. III. pro Biblioth. mun. Grat. act.

Vir & *Chriſtiane* doctus, & ſanctè facundus, & piè feſtivus. *Eraſm.* in Annot. ad cap. 1. Epiſt. ad *Rom.*

Bernardus, admirabili Religionis ſtudio, & ſacrarum literarum peritiâ, quarum verba & ſententiæ dicenti ſe ſponte offerunt, in movendis etiam affectibus piis, non ſegnis, nec inefficax, ſimul tamen feſtivus & jucundus eſt, ut *Melliflui* cognomen non immeritò ipſi tributum videatur; cum plerique alii, illi σύγχρονοι & recentiores ſcholaſticæ Theologiæ Scriptores, frigidi & ἀπαθεῖς in dicendo, unum hoc agant, ut lectorem doceant. *David Chytræus* in Orat. de *Ph. Melanthone*, p. 509.

Vir planè ſinceræ atque infucatæ pietatis, inſigni in Deum amore, ingenti adverſus corruptos Chriſtianorum mores zelo flagrans, multò melior futurus, ſi tempora, in quibus ſors ipſi vivendi contigit, non prohibuiſſent. Literis humanioribus non leviter tinctus, Scientiâ Theologicâ inſtructiſſimus, longè ſupra captum ſeculi, quò vixit, elegans ac eruditus. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Bernardus vir melleæ eloquentiæ, admirandæ doctrinæ, piique & ſani ſensûs ſcriptor. In quo ita ſumma Religio & probitas cum ſummâ eruditione & eloquentia conjuncta fuit, ut à nonnullis *Apoſtolus* XIII. appellatus ſit. *Quenſtedt.*

Nullos habuit Præceptores præter quercus & fagos. Hinc Proverbium; *Neque enim Bernardus vidit omnia.* Nec mirum, cum incidit in fatalia illa tempora, quibus literis omnibus ferè bonis ſpiſſa nox incubuit. *Hofman.* in Lexic. ſuo.

Vir digniſſimus meliori ævo, qui vel in tantis tenebris veritatis lucem ſalutarem aſpexit, viceſque ſuis ſæpè deplorabat. *Morton.* cauſa Reg. c. 3.

B. *Lutherus* nullus dubitat illum omnibus *Patribus* anteponere, in *Coll. Menſ* cap. 30.

Inter Latinos, *Bernardus* me capit; & uſum habet excitandi, ob acrimoniam ubique & calorem: tum etiam docendi atque imprimendi, ob ſententiarum acumen, quas crebrò & ſalubriter miſcet. *Lipſ.* Epiſt. Cent. III. ad *Belgas* Epiſt. 49.

Utinam tales *Papiſtas* multos, imò vel unum talem hodiè haberemus in toto regno *Pontificio*, qualem *Bernardum* fuiſſe conſtat. Ita ſanè, ita ſolidè diſputat ille de ſummis fidei capitibus, de Scripturis, de Eccleſiâ, de Hominis miſeriâ, de

gratuitâ juſtificatione, de gratiâ, de novâ obedientiâ, cum *Catholicâ Eccleſiâ*, contra *Tridentinas* fabulas, ut nihil ſolidius quæri poſſit. Num ergo *Papiſta* fuerat qui contra Jeſuitas, contra *Tridentinos*, in maximis fidei Articulis *Eccleſiam Catholicam* & Patrum conſenſum ſequitur? Dicam apertè quod res eſt. *Bernardus* Romani Pontificis juriſdictionem longè ſupra omnes ſuperiores *Patres* extulit. Atque hinc eſt quòd *Papiſta* vocetur à *B llarmino*. Nam *Cyprianus, Auguſtinus, Ambroſius*, aliique ſuperiores *Romani Pontificis* juriſdictionem cohibuerunt. *Bernardus* autem incidit in fatalia illa tempora, ultra annum milleſimum, *Satanâ* jam ſoluto. Itaque quod cohibere non potuit, tulit ut potuit. Nam poſt annum milleſimum multi viri Sancti *Romani* Pontificis juriſdictionem in ſpiritualibus, quam cohibere non poſſent, patienter tulerunt. *Georg. Carleton* in Conſenſ. Eccleſ. Cathol. contra *Tridentinos*, lib. 6.

Librum ejus de *Gratiâ* & *Libero Arbitrio* plurimùm laudat *Voſſius* Hiſt. *Pelag*. lib. 1. cap. 21. *Qui præconio(* inquit *) noſtro non indiget, cum in deliciis eſſe omnibus ſoleat, qui catholicam ſententiam ſequuntur.*

Hujus lectioni *Carolus* V. in ſeceſſu ſuo præcipuè deditus, ejus maximè de *Duplici Hæreditate Chriſti* diſcurſu, in *Agone* mortis ſe ſolatus eſt *Thuan*. l. 14.

Bernardi Sermones octoginta ſex in tria prima *Cantici Canticorum* capita eruditi omnes cæteris ipſius laboribus præferunt. *Sixt. Senenſ.* Bibl. Sanct. l. 4.

De ejus ſtylo ita *Eraſmus* in *Ciceroniano*, *Bernardum* agnoſco virum bonum, quæ pars eſt *Oratoris*, naturâ compoſitum ad urbanitatem, & addictionis leporem: ſed adeo non *Ciceronianus*, ut è *Scriptis* vix ſuboleat, unquam illi lectum *Ciceronem*, pag. 153. 154.

Bernardus fuit autor *Monaſteriorum* ultra centum & ſexaginta.

Refertur poſt novem annos à morte inter Sanctos à Pontifice *Alexandro*, quòd *Apoſtolicam* ſedem adeò defendiſſet. *Calviſ.* ann. 1153.

S. *Bernardus* Abbas *Claravallenſis*, vir planè Apoſtolicus, & non minus gloriâ miraculorum, quàm ſapientiæ ſplendore illuſtris floruit maximè tempore *Innocentii* ſecundi Pontificis anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo, ſed obiit ann. 1153. ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto. Scripſit multa opera, ſed multa etiam illi tribuuntur quæ ejus non ſunt. Opera quæ ſine dubio ſanctum *Bernardum* habent auctorem illa ſua ſunt, quæ numerantur à *Gofrido* ejus diſcipulo, & Alumno, l. 3. vitæ ipſius capite ultimo, vitam enim S. *Bernardi* primus ſcripſit, eo vivente, *Gulielmus* Abbas S. *Theodorici*, unico libro comprehenſam: deinde adjecit ſecundum librum *Bernardus* Abbas bonæ *Vallis:* tres ultimos addidit *Gofridus* Monachus *Claravallenſis*. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Extant opera ejus omnia cum Notis *Ioan. Picardi* Monaſterii *Pariſienſis* ad S. *Victorem* Canonici. *Antverpiæ* apud *Joan. Keerburgium* in fol. ann. 1616. curâ *Edmundi Tiraquelli* Religioſi Ciſt.

Extant eadem ſtudio & labore *Jacobi Merloni Horſtii*. S. Theol. Licentiati, fol. *Coloniæ* 1642. Tomis 6.

Extant eadem aucta & emendata à Domino *Joanne Mabillon* Monacho *Bened.* qui & notas adjecit. *Pariſiis* in fol. anno 1667. apud *Fred. Leonard.* vol. 2.

Epitaphium

Epitaphium S. *Bernardi Claravallis* Ab. per *Philippum Bonæ Spei* Abbatem Ord. Præm.

Claræ *ſunt* Valles, *ſed claris vallibus* Abbas
Clarior, his Clarum nomen in orbe dedit.
Clarus Avis, Clarus meritis & Clarus honore
Claruit ingenio, Religione magis.
Mors eſt Clara, cinis Clarus, Clarumque Sepulchrum,
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

ANNA COMNENA.

ALexii Comneni Imp. filia, *Nicephori Bryennii Cæſaris* uxor, claruit Anno 1118. ſcripſit an. 1148. *Libros* 15. de rebus geſtis Patris ſui, quos *Alexiada* vocavit. Horum octo primos ex *Auguſtanâ* Bibliothecâ edidit *David Hæſchelius* Anno 1610. in 4°. omnes quindecim *Græcè* & *Latinè* prodierunt cum *Hæſchelii* notis & *Petri Poſſini Gloſſario, Pariſiis* 1651. fol. Notas Hiſtoricas & Philologicas addidit *Carolus Dufreſnius, Pariſ.* 1670. fol. *Joannes Bodinus* falsò affirmat hoc opus *Comnenæ* conſtitiſſe libris 20. Clar. A. D. DCXVIII.

Erat autem & ipſe (*Bryennius*) ſtudiis doctrinarum deditus, & *uxor* ejus in iiſdem operam nihilo minorem, ac potiùs majorem ponebat, exquiſitè *Atticiſſans*, ingenioque prædita acutiſſimo abſtruſiſſimas contemplationes, eam facultatem partim naturæ bonitate, partim induſtriâ conſecuta. Affixa etiam erat libris, & eruditorum conſuetudine haud obiter utebatur. *Joan. Zonaras.* Annal. Tom. 3. Interp. *Hieron. Wolf.*

Annam Cæſariſſam ſororem Imperatoris (*Joannis Comneni*) *Nicephorus Brienius* in matrimonio habebat, omnium diſciplinarum parenti Philoſophiæ deditam, & omnibus artibus eruditam. *Nicet. Acominat. Choniates* in Hiſt. de *Ioan. Comneno*, c. 3.

Anna, Alexii illius filia, fœmina eruditiſſima, tanti dux fœmina facti, libris 20. ſuæ *Alexiados* paternam Hiſtoriam ita deſcribit atque illuſtrat, ut ejus ætatis, & Imperii, & Orientis ſtatum liquidò etiamnum conſpiciamus. *Franc. Patrit.* de Hiſt. Inſtitut. l. 1.

Annam paulò pluris æſtimamus, quàm *Aventinum* aut *Illyricum*, cui quanta fuerit mentiendi facultas, docet ejus *Alexias* nuper *Græcè* publicata, de cujus dubiâ & ſuſpectâ fide editor ipſe ſtatim in limine luculentum teſtimonium dedit. Et lectio ipſa docet, quot falſis narrationibus & pſeudologiis liber ille refertus ſit, præſertim ubi de *Latinorum* rebus & *Gregorii* VII. *Roberti*que *Guiſcardi* Sermo. *Iac. Gretſer.* adverſ. *Melch. Goldaſt.* l. 2. c. 19.

Hæc ipſa prænobilis fœmina ad miraculum docta, in hac ſuâ Hiſtoriâ, ne amori erga ſuum parentem nimium aliquando induxerit, nonnulli haud leviter ſuſpicantur.

Digitized by Google

ſumma eſt, *Zonaras* res de ſuo componit, & narrat, non alienorum furtis plauſum captat, neque tractatus integros exſcribit. *Leo Allat.* de *Georg.* Diat.

Opus è variis Hiſtoriis non ſententiis ſolùm, ſed verbo tenus conſarcinatum abſolvit. Quæ ſi ab Auctoribus repeterentur, nudus ipſe, æquè ac cornicula illa remaneret---Neſcio quâ fronte, quæ exſcripſit, pro ſuis divendidit, adeò ut vix unam alteramve periodum in tam vaſto volumine *Cedreni* propriam ac legitimam reperies: gratiæ tamen illi agendæ ſunt, quòd auctores nobis præcipuos, & raros ſuo ipſe furto conſervavit. *Leo Allatius* Diatrib. de *Georg.* & eorum Script. p. 34.

LANFRANCUS.

Cla. A. D. MLXX.

NAtione *Italus*, Patriâ *Papienſis*, ex Priore *Beccenſi*, ac deinde Abbate S. *Stephani Cadomenſis*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & *Angliæ* Primas ab anno 1070. uſque ad ann. 1088. quo mortuus eſt.

Stigando verò ſucceſſit *Lanfrancus* Monachus, vir eleganter literatus, & moribus multimodis ornatus, qui inter cætera Magnifica Opera, librum compoſuit *de Sacramento Altaris*, fidem roborando Catholicam. *Mat. Weſtmonaſt.* ad ann. 1070.

Stigando ſucceſſit Reverendiſſimus *Patriarcha* ex Abbate *Cadomenſi* omnium liberalium Artium Doctor laudatiſſimus & luculentiſſimus, & in temporalibus negotiis experientiſſimus, vitaque ac Religione ſanctiſſimus, Magiſter *Lanfrancus*, in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* Canonicè conſecratus. Vide *Rer. Anglic. Script. Veter.* Tom. 1. Impreſſ. *Oxon.* 1684. fol. p. 69.

Omnium ſui temporis in omni literarum genere doctiſſimus, & in Concilio, quod *Romæ* adverſus *Berengarium* Diaconum Eccleſiæ *Andegavenſis* Hæreticum à 113. Epiſcopis ſub *Nicolao* II. celebratum eſt, longè clariſſimus, inter alia præſtantis ingenii ſui Monumenta reliquit pios, atque eruditos in totum *Pſalterium*, & in omnes *Pauli* Epiſtolas Commentarios. *Sixt. Senenſ.*

Lanfrancus, vir eâ tempeſtate doctiſſimus errores *Berengarii* præclaro opuſculo notavit. *Platina* in Vit. *Nic.* II.

---Hæc de ordinatione *Lanfranci* celebris hujus ſeculi in *Eccleſiâ Catholicâ* luminis ſupra tantum Candelabrum erecti, ut qui ſcientia egregiè polleret & ſanctitate vitæ. *Baron.* ad Ann. Chr. 1070.

Lanfrancus Archiepiſcopus *Cantuarienſis* vir Sanctus, & doctus in Concilio *Romano* ſub *Nicolao* II. *Pontifice* anno 1059. diſputavit cum *Berengario* Hæreſiarchâ: eumque ita convicit, ut *Berengarius* librum ſuum in ignem ejecerit. Sed eo ad vomitum redeunte, ſcripſit idem *Lanfrancus* inſignem librum de veritate Corporis *Domini* in *Euchariſtiâ Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Certè Eadmerus *Lanfrancum* de rebus Eccleſiaſticis quæ ſuo tempore geſtæ ſunt, veraciſſimo & compendioſo calamo ſcripſiſſe diſertè refert. *Eadmer.* lib. 1. Hiſt. Nov.. p. 7.

Dicit *Petrus Cluniacenſis* in initio libri ſui *de Sacrificio Lanfrancum* de Sacrificio

Digitized by Google

crificio *Euchariſtiæ* ſcripſiſſe benè, plenè, perfectè: *Guitmundum*, meliùs, plenius, perfectiùs: *Algerum*, optimè, pleniſſimè, perfectiſſimè.

Obiit, ut plerique tradunt, Jun. 4. (ut *Hovedenus*, & *Florentinus Wigorn.* Maii 24.) 1089. febricula quod ſæpè optaverat abſumptus, & in Eccleſiâ *Cantuarienſi*, quam multùm locupletarat, ac ædificiis novis ornaverat, honorificè tumulatus eſt. Monachorum in eo Cœnobio degentium numerum eò uſque auxit, ut cum adveniens triginta tantùm invenerit, 140. decedens reliquerit. Manneria 25. per *Odonem* Epiſcopum *Baiocenſem* fratrem Regis uterinum erepta, *Eccleſiæ* reſtituenda curavit. Palatium Arhiepiſcopale quod eſt *Cantuariæ* ferè totum conſtruxit. Xenodochia duo prope civitatem prædictam inſtituit, unum videlicet apud *Harbaldovvn*, alterum in Suburbiis quod S. *Joannis* nomine hodiè innoteſcit. Ad ſtructuram Eccleſiæ Cathedralis *Roffenſis* magnam contulit pecuniam, aut potius integram à fundamentis excitavit. In reparatione Cœnobii S. *Albani* mille Marcas impendit. Mannerium de *Redburn* per injuriam ereptum, illius operâ redditum eſt: Ac deinde moriens, mille libras noſtrates eidem Monaſterio per teſtamentum legavit. *Franc. Godvvin.* de *Præſul. Ang.*

Lanfrancus Longobardus, Papiæ oriundus, erat Sophiſmatum ſtrophis ac omni genere Dialectices ætate ſua inſtructiſſimus---*Cantuariæ* templum inſtauravit, pretioſis ditavit ornamentis, Monachorum auxit prædia, Præbendas inſtituit, novos erexit cultus, adventantibus peregrinis Xenodochia condidit, atque alia multa pro ampliando Papiſmo fecit. *Balæus* de Script. *Britan.*

Vir juris Divini Humani ſuo in ævo ſcientiſſimus ac undequaque doctiſſimus, qui velut *tertius* è Cœlo *Cato* Monacho Malmesburienſi, *lib.* 3. *de Geſtis Regum Angliæ*, dicitur, & Archiepiſcopus fuit ſub *Wilhelmo* Primo ſeu propè ſexcentos abhinc (ſcil. 1650.) annos Cantuarienſis. *Selden.* lib. 1. de Synedr. Vett. Ebr. cap. 13.

In memoriam *Lanfranci* Archiep. *Cantuarienſis* hoc *Epitaphium* ſtruxit *Philippus Bonæ Spei*:

> *Vixiſti, venerande Pater, ſapienter & æquè,*
> *Vixiſti vivens, mors quoque vita tibi eſt.*
> *Inter divitias pauper* Lanfrance *fuiſti,*
> *Divitiis manans pauperum amator eras.*
> *Per te florentes artes valuere* Latinæ,
> *Gratia de vobis ecce triumphat ovans.*
> *Tu* Latios *ortu*, Galloſque *docendo levaſti*,
> *Te ſibi* Primatem *cardo Britannus habet.*
> *In terrâ degens Cœleſtia mente petebas*;
> *Exemptus terrâ ſidera liber adis.*
> Sol Geminos *denis obſederat igne diebus*,
> *Promptſit* Luna *Dies, Nocte ſolutus abis.*

Philipp. Labbe Theſaur. Epitaph.

Prodierunt Opera omnia: Commentarius in Epiſtolas *Pauli*: Libellus de S. *Cœnâ*. Notæ in aliquot *Caſſiani Collationes*: Decreta pro Ordine S. *Benedict*. Epiſtolæ. Editore *Lucâ Dacherio* Monacho *Bened. Pariſ.* in fol. 1648.

THEOPHYLACTUS.

Chr. A. D. MLXXI.

ACrida in *Bulgariâ* Archiepiſcopus in lectione operum S. *Joannis Chryſoſtomi* verſatiſſimus, quem *Eraſmus* alicubi *Vulgarium* pro *Bulgare* ſeu *Bulgarorum* Præſule appellitat, non anno 860. ut *Poſſevinus*, *Perronius* Card. & plerique alii, ſed circiter annum 1071. vivebat tempore ſummi Pontificis *Alexandri* II. & *Romani Diogenis Græcorum* Imperatoris, ut ex ejus Epiſtolis conſtat. Perveniſſe quoque uſque ad Pontificatum *Gregorii* VII. & Imperium *Nicephori Botoniatæ* mihi exploratum. Quo autem obierit anno, prorſus ignoro *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Theophylactus, *Bulgariæ* Archiepiſcopus, in D. *Chryſoſtomi* lectione diu multumque verſatus ac detritus, redegit in breve & apertum compendium juxta hiſtoricam intelligentiam, quicquid admirabilis ille pater ex aureo ſuo ore, veluti ex abundantiſſimo fonte, in exponendis Scripturis Sanctis effuderat, prætermiſſis locis communibus, in quibus ille plenis eloquentiæ velis excurrere conſuevit. Allegorias quoque cum aut nullas, aut raras apud *Chryſoſtomum* inveniſſet, ex aliorum Commentariis ſupplevit, & ſuis locis aptiſſimè accommodavit *Theophylacti* in *Oſeam* liber unus, acephalus & atelestus, hoc eſt temporis injuriâ, initio & fine carens. *Sixt. Senenſ.* Bibl. Sanct. l. 4.

Theophylactus in Commentariis ſuis in quatuor *Evangelia*, & in omnes Epiſtolas S. *Pauli*, ita *Chryſoſtomum* ſecutus eſt, ut *Chryſoſtomi* Abbreviator dici poſſit. Porrò Schiſmaticum fuiſſe *Theophylactum* intelligi poteſt ex Commentario in cap. 3. *Ioannis*, ubi *Latinos* reprehendit quòd credant *Spiritum Sanctum* à Filio etiam procedere. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Ubivis *Theophylactum* legeris, ſenties S. *Ioannis Chryſoſtomi* ſemper eructare ſententias. *Baron.* ad Ann. Chr. 1073.

Scripturarum Interpretem, haudquaquam malum, cenſebat *Eraſmus* in cap. 1. *Luc.*

Hoc tempore florebat *Theophylactus Bulgarorum* Archiepiſcopus, ſolus ferè hoc ſeculo Theologiæ nomine celebris, qui ſane in his verbis, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Epiſcopi *Romani* nullam rationem habuit. *Phil. Mornæus* in Myſt. Iniq.

Cautionem *Theophylacto* hanc adſcripſit *Poſſevinus*, erraſſe nimirum enarratione in cap. 3. Evangelii S. *Ioannis* circa proceſſionem Spiritus Sancti ex Patre ac Filio, quam *Catholici* vetereſque Patres colligunt ex iis verbis *Ioannis* 20. *Inſufflavit ac dixit: Accipite Spiritum Sanct.* Idem monnit ab interpretibus ejus Hæreticis *Ioanne Oecolampadio* ac *Ioanne Lonicero* falſatos fuiſſe locos, qui ad poteſtatem ſummi Pontificis ſpectant.

Prodierunt Commentar. *Theophylacti* in Epiſtolas *Pauli* Græcè & Latinè è *Ioan.*

Digitized by Google

Joann. Loniceri tranſlatione & recognitione *Philipp. Montani*, curâ *Auguſtini* in fol. 1636.

Prodierunt ejus Commentar. in 4. Evangelia Græc. & Latin. *Pariſ.* fol. ann. 1635.

Prodiit ejus Inſtitutio Regia curâ *Petri Poſſini* 4. *Pariſ.* 1651. è Typographiâ Regiâ.

Integra *Theophylacti Bulgariæ* Epiſcopi *Enarratio* in duodecim Prophetas minores, Græcè MS. extat in folio in Bibliothecâ *Auguſtanâ* Codice 48.

Ejuſdem quoque colloquium cum quodam de *Accuſationibus Latinorum*, & *Oratio* in *Alexium Comnenum* Imp. MSS. Græcè in Bibliothecâ Sereniſſimi *Bavariæ* Ducis Codice 116. *Oudin.* in Supplem. de Script. Eccleſ.

JOANNES XIPHILINUS.

Clar. A. D. MLXXIII.

C*Onſtantinopolitanus*, tempore *Conſtantini Ducæ* Imperatoris claruit, & *Dionis Caſſii* Hiſtoriam in compendium redegit. Malè nonnulli eum Patriarcham faciunt. Sic enim *Gul. Cave* in Tab. Chronolog. ad Secul. 11. Qui Dionis Hiſtoriam in Epitomen redegit, non fuit hic Patriarcha *Conſtantinopolitanus* (quod ad unum ferè omnes *Scriptores* volunt; & in his *Andreas Schottus, I.G. Voſſius*, Lud. *La-Cerda*, &c.) ſed ejuſdem nepos. En ipſius verba, à nemine, quod ſciam, hactenus animadverſa, in vitâ *Auguſti*: *λέγω γὰρ τῦτο ἐκεῖν ὡς ὁ Δίων*, &c. *Verùm hoc non dico* Dionis Pruſæenſis *nomine, ſed ut* Joannes Xiphilinus, Joannis *Patriarchæ fratris filius, qui tempore* Michaelis *Imperatoris, filii Ducæ, hanc Epitomen compoſui. Gul. Cave* Cartophyl. Eccl.

Sub *Conſtantino* XII. cognomento *Ducâ*, (cujus uxori *Eudoxiæ* tribuitur Cento *Homericus* de *Chriſto*) claruit *Ioannes* cognomento *Xiphilinus*, VII. ejus nominis, Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, ordine in iis LXXVIII. quâ dignitate functus eſt annos XI. menſes VII. Antea fuit Monachus montis *Olympi*. Patriâ erat *Trapezuntius*. De eo ſic *Glycas* Annalibus parte IV. *Conſtantino Patriarchâ mortuo*, Joannes Xiphilinus *in ejus locum ſuffectus eſt; vir omnino propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem admirandus.* Trapezunte *oriundus*, *vitam in Olympo religioſis exercitiis deditam agebat: unde vir pertractus eſt ad hanc dignitatem, tanquam inter alios eximius. Xiphilinus* hic *Dionis* Hiſtoriam in Compendium redegit: niſi cum nonnullis, nepotem ejus fuiſſe, malis. Sed priorem ſententiam magis probo: uti & *Andr. Schottum* facere video Prolegomenis in *Photii* myriobiblum. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Xiphilinus, vir valde doctus vocatur *Poſſevino*.

Xiphilinus, Epitomaſtes *Dionis*, adeò fidelis, & prudens, ut ea quidem, quæ nimia eſſe videbantur, reſecaret, in cæteris verò à verbis, quibus *Dion.* uſus fuerat, non diſceſſerit. Scripſit quingentis annis poſt *Dionem Michaelis* Imperatoris temporibus. *Balthaſſ. Bonifac.* Ludic. Hiſt. p. 606.

Præclarè nobiſcum actum eſt, quòd *Joannis Xiphilini Conſtantinopolitani* Monachi Epitome, ex quadraginta quatuor poſterioribus *Dionis* libris confecta ſu-

 perſit

periſit, quæ vitas *Imperatorum* omnium continens non modicum auxilium rebus cognoſcendis præſtat. *Car. Sigon.*

Xiphilinus Dionem Caſſium in compendium redegit, magno Reipublicæ Malo: *Dionis* enim Commentarius ita excidit, & Compendium retentum eſt. *Calviſ.* ad ann. *Chr.* 1066.

Multorum *Dionis* Scriptorum amiſſionem præpoſtero *Xiphilini* conſilio, vel auſui potius temerario debemus, qui dum ſuas obtruſit imperitis Eclogas, occaſionem præbuit, ut integri *Dionis* libri negligerentur. *Jo. Leunclav.* Præfat. in *Dion.*

Xiphilinus multas pulchras & utiles partes in *Dione* recîdit, teſtante *Lipſio*, qui in deſcriptione *Trajani* pontis in *Danubio*, hiſce verbis utitur: Deſcribit graphicè *Dio Caſſius*, & gratia *Sectori* ejus *Xiphilino* eſto, quòd hanc partem non recîdit. O quam pulchras valenteſque ille alias! *Lipſ.* de Magnitud. Roman. l. 5. c. 12.

Xiphilinus ſcripſit Commentarium in *Matthæum* Græcè MS. apud *Iſaacum Voſſium*, teſte *Colomeſio* opuſcul. c. 16.

Scripſit Sermones in Evangelia MS. in *Scorialenſi* Bibl. *Barvoëtius* p. 133.

Scripſit *Homilias in Evangelia Dominicalia totius Anni*, quæ MSS. Græcè extant ſub ejus nomine in Bibliotheca Sereniſſimi *Bavariæ* Ducis cod. 91. & in Vaticanâ ex MS. Codice *Heidelbergenſi Palatino*, num. 221. digniſſimæ (inquit *Oudinus*) quæ in publicum prodeant.

LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS.

Clar. A. D. MLXXVII.

NOn ut quidam *Aſchaffemburgenſis*, & cœnobii *Hirsfeldenſis* in Diœceſi *Moguntinâ* ab anno 1058. alumnus, quo veſtem Monaſticam ex *Meghineri* Abbatis manibus, ut ipſemet narrat, accepit, & presbyter ordinatus, *Hieroſolymitanum* iter, inſcio Abbate, aggreſſus anno ſequenti medio menſe Septembri ad Monaſterium ſuum rediit. Is culto ac veraci ſtylo ſcripſit *Hiſtoriam ab orbe condito* ad annum 1077. quæ habetur in Collectione Rerum *Germanicarum*. Continuatio Monachi *Erfordenſis* uſque ad annum 1471. non accedit ad præcedentis Hiſtoriæ dignitatem, ſed hominem ſapit parum accuratum atque elegantem *Phil. Labbe* de Script. Eccleſiaſt.

Lambertus Schafnaburgenſis, ſive *Aſchaffenburgenſis* (ut eſt apud *Serrarium* in Annal. *Moguntinis*) monachus *Hirsfeldenſis* in diœceſi *Moguntinâ*. Hunc *Trithemius* in Chronicis ait conſcripſiſſe Chronicon cœnobii ſui *Hirsfeldenſis*; breve illud, ſed non inutile. Id videre nondum licuit: Inprimis autem nomen ſibi peperit Hiſtoriâ *Germanicâ*, quam perducit uſq; ad annum *Chriſti* 1077. quo vivebat. Eum verò continuavit *Monachus* quidam *Erphordenſis* uſque ad an. 1471. Dictio ejus elegans eſt--- Vix tamen probare poſſum, quod *Hiſtoriæ* quædam admiſceat privata, poſteritatis memoriâ minùs digna. In rebus etiam pertinentibus ad controverſiam inter *Henricum* IV. & *Gregorium* VII. fidem ejus claudicare, multorum judicium eſt. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Lambertus

Lamberto Schafnaburgenſi nemo politiùs inter veteres res *Germaniæ* Literis commiſit. *Barth. adverſ.* l. 49. c. 4.

Miræ ævo ſuo *Eloquentiæ* Scriptorem vocat idem *Barth.* l. 45. c. 23.

Inſignis & verax Hiſtoricus *Lambertus* vocatur *Bellarmino* de Scriptor.

Chronographus doctiſſimus & accuratiſſimus vocatur *Bucholcero* in Ind. Chronol. p. 310.

Philippus Melancthon de *Chronico Lamberti* inter alia ſic ſcribit ad *Caſparem Crugerum* : *Nondum vidi, à Germanis Scriptoribus eo argumento quicquam diligentius eſſe compoſitum.*

Lambertus Schafnaburgenſis , vir ſupra ſæculum prudens, & facundus. *Quenſtedt.*

Equidem miror in Sæculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem, & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in *Chronologis* noſtri temporis pudorem aliquem exprimere poſſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent. *Joſeph. Scalig.* lib. de emendat. Temp.

Lambertum Schafnaburgenſem haud planè contemno, in rebus *Germanicis*: uti nec *Rodericum Toletanum*, in *Hiſpanicis*. Uterque bonus, quantum potuit in tali ævo *Lipſ.* Not. ad 1. lib. Politicorum.

Henrico IV. Imp. coævus & rerum illius temporis diligentiſſimus & judicioſiſſimus Scriptor. *Hen. Meibom. jun. in Epiſt. de Illuſtris gentis Heimburg. Orig. & Progreſſu.*

Sanè prudentiæ non minùs, quàm eloquentiæ palmam (ut ſileam accuratam temporum rationem) non ſuæ tantùm ætatis omnibus, ſed & diſertioris ævi pluribus præripuit. Cæterùm unius circiter decennalis hiſtoriæ hoc præconium eſt quâ ſcilicet *Henrici* IV. Cæſaris res nonnullas ſuâ ætate geſtas eſt perſecutus: reliqua, quæ præcedunt, prorſus aliâ ſunt conditione, ut mirari meritò ſubeat cur tam diſſimilia unô illi placuerit volumine comprehendere. *Conring.* in Præfat. ad *Tacit.* de M. G. edit. primæ.

Lamberti Hiſtoriam Germanicam, opus inſigne & jucundæ lectionis vocat *Trithemius.*

Scriptore hôc ſe non parùm adjutum ait *Trithemius* in Chronico *Hirſaugienſi.*

* Hic Author inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Indice Madritenſi* edit. an. 1607.

Extat Chronicon *Argentorat.* 1609. fol. & apud *Piſtor. Francof.* 1583. in fol.

SUIDAS.

GRammaticus, Lexici conditor, vixiſſe creditur circa an. 1081. Forſan antiquior ipſe *Suidas*, multis quæ ſequiora tempora ſapiunt, à recentiori manu addictis. *Gul. Cave* in Cartophyl. Eccleſ. Clar. A. D. MLXXXI.

Suidas Junior, Grammaticus, Lexicon *Græcum* ex variis Scriptoribus collegit. De ætate ejus alii aliter ſentiunt. *Hugo Grotius* in Epiſt. 110. ad *Gallos*, p. 254. paulò

lò poſt *Conſtantinum*, *Leonis* filiã, vixiſſe autumat. Rationem addit: Nam quantum memini, hic eſt Imperatorum poſtremus, quem in libro ſuo nominat, *Conſtantinus* autem ille A. C. 912. regnare cœpit *Cluverius* in Epitome Hiſt. p. 448. ſub *Theophilo*, qui anno 829. imperabat, collocat. *Voſſius* in tract. de Philoſ. p. 37. aut temporibus *Alexii Comneni* (is autem *Imperio* præfuit ann. 1080.) aut *Iuſtiniani* claruiſſe judicat. Ego aliquando exiſtimabam eum tempore *Baſilii* II. & *Conſtantini* VIII. vel A. C. 976. & deinceps vixiſſe, motus hac ratione, quòd in vocibus Κωνςαντινέπολις εἰ Ἀδὰμ tempora mundi uſque ad tempora *Zimiſcæ Baſilii* & *Conſtantini* ſupputet. Supputavit autem ſine dubio uſq; ad ſua tempora. *Konig.* in Bibl.

Suidas Lexicographus, Monachus *Byzantinus*, admirabilis, incomparabilis: unus inſtar omnium Grammaticorum. *Io. Roſin.* in Antiq. *Roman.*

Carolus Philippi in *Guſtu Philologico* vocat eum pecus cum aureo vellere.

Sed admoneo, utcunque pecus *Suidas* eſt, aureum tamen eſſe, & è meliore metallo vellus ferre. Carpſit & ſumpſit ex optimis, qui fuerunt, & pleriqué non ſunt; utinam judicio & curâ, addo & fide, meliori! Nam & nomina ferè ſupprimit, & intendere oportet quid ejus ſit, quid alienum. Cæterùm etſi ille *Arcadicum* & *Midinum* ſapit; alios tamen lectores ſuos facit, qui curioſi quidem ſint & intenti. *Lipſ.* de Milit. *Romanâ* l. 4. Dialog. 10.

Suidas Grammaticus nullius judicii, doctrinæ autem mediocris, qui Laciniis undique collatis & corraſis purpuræ interdum, non raro tamen panni levidenſis craſſo filo & depexi farraginem illam coagmentavit. *Montacut.* in exercitat. p. 235.

Suidas in *Græcis* non contemnendus Author, rudem ſe prodit & planè infantem in *Latinis*. *Montacut.* Apparat. 3. Sect. 1.

Suidas (ut eſt diverſorum librorum è *Centonibus* conſutus liber) ſibi ipſi ſæpiùs minus conſtat. *Iul. Caſ. Scalig.* in Epiſt. quadam.

Suidas autem more ſuo, id eſt trivialiter (ut aiunt) interpretatur vocem *Parodia*. *Idem Poëtic.* p. 114.

In hoc Auctore emendando multus eſt *Poſſevinus* in *Apparatu Sacro*, ubi inquit, In opere ſive Scriptis, quæ *Suidæ* nomen præferunt complura ſunt quæ ad *Philologiam*, ad *Hiſtoriam* humanam, ad *Poeſin* ad *Philoſophiam*, ſed & ad *divina Scripturæ*, *Patrumque* & *Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum* notitiam ſpectant. Veruntamen etiam pleraque iiſdem fuerunt intertexta, quæ aut *Evangelicæ* veritati adverſantur, aut procul abſunt ab *Hiſtoricâ* integritate. Hæc *Poſſevin.* in Apparat. Sacr.

Suidas, homo ineptus, fateor, ſed, interdum, non malus compilator. *Tan. Faber.* Not. in *Prima Scaligerana*, p. 2.

E Scholiis *Ariſtophanis*, ut ex aliis *Grammaticorum* promptuariis in acervum ſuum infinita congeſſit. *Deſider. Herald.* Animadv. ad *Arnob.* l. 3.

Suidæ tribuitur *Lexicon*, quod tamen multis auctariis à variis poſterioribus eſt cumulatum, felicitate *Lexicographis* perpetuâ. Nam etiam *Ambroſii*

Calepini

Digitized by Google

Calepini Dictionarium, quod ab Autore editum erat valdè jejunum & aridum, nunc acceſſionibus ſubinde factis, & *Calepino* ſemper tributis, clarum reddit auctorem. *Raynaud* Erotemata de mal. & bon. libris Partit. 1. Erot.10.

Nihil facilius fuerit, quàm eum auctorem (*Suidam*) infinitis quibus ſcatet mendis liberare: quod tamen miror nequiviſſe videre virum eruditum ejus *Interpretem*, cui, quum *Suida* ſæpiſſimè integras *Laërtii* paginas deſcribat, nunquam potuit hoc ſubolere: quod ſanè miror. *Caſaub.* in Not. ad *Diog. Laer.*

Pauca legi apud *Scholiaſten Ariſtophanis*, quæ relata non ſint in hoc *Suidæ* Dictionario, prodit *Mauſſacus*, qui & ſic judicat, vel *Scholiaſten* illum à *Suidâ*, vel *Suidam* à *Scholiaſte* integras enarrationes deſcripſiſſe. *Mauſſac.* differt. Crit. ad *Harpocrat.* p. 374.

In *Collectaneis* illis eruditos uno ore hodieque requirere, pleraque *Veterum Scriptorum*, ut *Polybii* ac *Dionis* nomina temerè omiſſa, teſtatur *Andreas Schottus* præfatione in Proverbia *Zenobii*.

Is mos *Suidæ*, ad verbum priores exſcribere, neque mentione eos dignari. Neſcio autem, quid in mentem venerit doctiſſimo *Angelo Politiano*, ut epiſtolâ ad *Bernardum Riccium*, quæ legitur libro undecimo, dubitaret an ullus unquam *Suidas* fuiſſet. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Eam abjiciendam puto, quàm *Grammatiſtæ* quidam faciunt, duorum hujus nominis diſtinctionem, ut ſcilicet ille antiquior tantùm *Hiſtoricus*, hic recentior *Grammaticus Gyrald* de Poëtar. Hiſt. Dial. 3.

* *Hieronymi Wolphii* Annotat. in *Suidam*, ſi *expurgentur*, permittuntur. *Index Madrit.* edit. an. 1667.

Prodiit *Suidæ* Lexicon Græcè cum interp. Latinâ *Æmilii Porti Cretenſis* & Notis, Tomis II. *Coloniæ Allobr.* anno 1619. fol. apud *Petrum Choüet.*

S. ANSELMUS.

IN *Auguſta Salaſſorum* urbe inter *Alpes* ſitâ natus (Burgundum alii minùs rectè, ac *Seduni* apud *Rhætos* natum, quidam *Pedemontanum* vocitant atque *Italum*, relicto Patre, quem nullo placare poſſet obſequio, patriaque clam abſcedens, ad *Lanfrancum* venit *Beccenſis* in *Normanniâ* celeberrimi Monaſterii Priorem ac Magiſtrum, ubi factus Monachus, vixque elapſis tribus annis, deinde Prior per quindecim annos, atque Abbas ejuſdem Cœnobii, exactis in ſupremo regimine totidem annis; *Cantuarienſem* adeptus eſt Præſulatum an. *Chriſti* 1093. electus die 6. Martii primâ Dominicâ Quadrageſimæ, Multis pro Catholicâ Eccleſiâ perfunctus laboribus in *Italiâ, Galliâ*, ac *Britanniâ. Londini* tandem obiit anno ætatis 76. Præſulatûs 16. *Chriſti* 1109. die 21. Aprilis, feriâ quartâ hebdomadæ ſanctæ, & in Eccleſiâ *Cantuarienſi* ad caput *Lanfranci* prædeceſſoris ſui ſepultus. *Labb.* de Script. Eccleſ.

Clar. A. D. MXCII.

Anſelmus Cantuarienſis in *Angliâ* Archiepiſcopus, *Lanfranci Cantuarienſis* Archiepiſcopi Diſcipulus, ingentibus *Dei* bonis, doctrinaque & ſanctitate ornatus, varia *Scripta*, magno eorum bono reliquit, qui ea voluerint attentè

Digitized by Google

perlegere. Ad quam Lectionem faciliùs allici potuerunt, ſi intellexerint, ea non ſolùm eſſe ſo re breviſſima, ſed & tanti ſucci plena, ut vir inter alios productus *Antonius Demochares* Theologus *Sorbonicus* Epiſtolâ Præfixâ *Anſelmi* opuſculis, quæ data anno 1544. edita eſt 1550. *Pariſiis*, ſcripto ſit teſtatus, *In* Anſelmi *iſtius brevibus Opuſculis penè omnia firmis rationibus demonſtrari, quæ* Petrus Lombardus *Magiſter Sententiarum, in quatuor plenis voluminibus multis Sanctorum Doctorum auctoritatibus poſteà confirmavit. Ant. Poſſevin.* Apparat. Sac.

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & ſæcularium literarum peritiâ nulli ſuo tempore ſecundus. *Trithem.*

Vir magni ingenii & acuminis, *G. Calliot* in Apparat. Theolog. pag. 151.

Vir tam Divinis quàm Humanis Diſciplinis nobiliter excultus, ſtylo mirè ſimplici & puro, ſed non injucundo. *Sixt. Senenſ.*

Vir fuit natione *Italus*, profeſſione *Monachus*, ingenio acerrimo & ſanctitate admirandâ cum maximâ prudentiâ, & humilitate conjunctâ. Ejus vita ab *Eadnero* fideliter conſcripta eſt. Cum moreretur, dixit, optare ſe adhuc modicum temporis, ut quæſtionem obſcuriſſimam de *Origine Animæ*, quam cœperat, abſolveret: ſed hoc tempus ei datum non eſt, ut majus bonum ei in æternitate daretur. *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Illuſtravit planè *Anglicanam* Eccleſiam doctrinâ, illuſtravit & ſanctitate, cæteris Sanctiſſimis Patribus *Chriſti* Confeſſoribus, quos *Eccleſia* veneratur, minimè impar. Claruit miraculis vivens, atque defunctus, lucidum ſidus Eccleſiæ *Anglicanæ*, multiplici fulgore coruſcans omnibus intuentibus in tantâ noctis obſcuræ caligine. *Baron.* ad Ann. 1109.

Anſelmus, Vir Sanctimoniâ Vitæ, gravitate, eruditione eximiâ, aliiſque virtutibus clarus----- In Synodo *Barenſi* coactâ, præclaram operam navarat *Anſelmus*, contra *Græcos* ibidem tunc præſentes, quorum errores, ac illum præcipuè de proceſſione Spiritus Sancti, doctiſſimè magnâque cum gloriâ præſens refutarat, inde poſtmodum ſumpta occaſione libellum eâ de re edendi, qui etiamnum apud doctos, in pretio eſt. Cujus tamen certaminis non aliud tulit præmium, quàm quòd ipſi & ſucceſſoribus ſedes aſſignata eſt in Concilio generali prope dextrum pedem Pontificis, qui hoc uſus elogio id conſtituit. *Includamus (* inquit *) hunc in Orbe noſtro tanquam alterius Orbis Papam*; alludens fortaſſis ad illud *Solini*, ubi *Britanniam* noſtram alterius Orbis nomine appellat—Quadringentis ferè poſt obitum ejus annis, operâ *Ioannis Moorton* ſucceſſorum unius, inter ſanctos relatus eſt, ſerò ſatis. Nimirum quia non erat ad illum uſque diem qui numerata pecuniâ hunc illi emeret honorem; nec repertus eſt inter Pontifices qui ultrò & gratis deferret vel huic, quo nemo (fidenter dico) jam inde ab eo tempore *Sancti* elogio dignior in *Divorum* album aſcriptus ſit. *Franc. Godvvin* de Præſul. *Angl.*

Ante ann. 1102. ſacerdotibus Uxores in *Angliâ* interdictæ non fuerunt, tunc verò *Anſelmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſacris literis & Naturæ vim intulit, & *Anglorum* Sacerdotibus Uxores anteà non prohibitas, prohibuit. *Camden.* in *Britan.*

Anſelmus

Digitized by Google

Anſelmus dicere ſolebat, *ſe malle eſſe ſine peccato in inferno, quàm in Cœlo cum peccato.*

Sixtus Senenſis in ſuâ Bibliothecâ tribuit S. *Anſelmo* explicationem in *Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue*, & *Judices* 1. Sed unde hoc habeat, divinare non poſſum cùm tanta opera *Edinerum* latuerint. *Bellarmin.* de Scriptor. Eccleſ.

Prodierunt opera ejus omnia in 4. Tomos diſtributa, ſtudio *Theophili Raynaudi Ceſpitellenſis* è Soc. Jeſu. *Lugd.* fol. 1630. apud *Durantium.*

Opera verò ejus accuratiſſimè impreſſa ſunt in fol. *Pariſ.* apud *Ludovicum Billaine* ann. 1675. curâ & ſtudio doctiſſimi viri *Gabrielis Gerberon* Monachi *Benedictini* Congregationis S. *Mauri.*

SIGEBERTUS.

GEmblacenſis in *Brabantiâ Gallicanâ* cœnobii Monachus, (errat enim *Melchior Godaſtus* qui *Genblacenſem* Abbatem eundemque *Sanctum* appellare non eſt veritus) cùm ætate florens pueros in *Metenſi* S. *Vincentii* Monaſterio diu docuiſſet, *Gemblacum* reverſus, reliquum vitæ tempus ibidem egit, *Henricianis* partibus adverſus *Romanos* Pontifices *Gregorium* VII. *Urbanum* II. & *Paſchalem* II. ad procaciſſimam uſque infrunitæ mentis audaciam; atque ut *Catholici* quidam ſcripſerunt, inſaniam deliriumque addictus. Obiit die 5. Octobris non anni 1112. ut *Miræus* aliique plurimi ſcripſere, ſed anni 1113. proximè conſequentis. Suum ipſe ſibi texuit elogium c. 171. *libri de Viris Illuſtribus* poſt alia omnia opera compoſiti; quem cum aliis ſex, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ex profeſſo tractarunt, recudendum curavit *Aubertus Miræus Antverpiæ* anno 1639. *Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. C. M.

Præ cæteris ejus *Scriptis* æſtimantur libri *de Viris Illuſtribus* & *Chronicon* ab an. 381. ad an. 1112.

Vir in divinis Scripturis à juventute ſuâ ſtudioſiſſimus & multùm eruditus, atque in ſecularibus literis nulli ſuo tempore in *Leodienſium* territorio ſecundus, Carmine exercitatus & Proſâ. *Trithem.*

Poëta ſui temporis celebratiſſimus, & in divinis Scripturis à juventute detritus *Sixt. Senenſ.*

Cùm annos religioſè piéque ætate grandis apud ſuos exegiſſet, animam Creatori ſuo reddidit. Utinam ea ætas tales multos tuliſſet: certè non tam mutilam haberemus illorum temporum Hiſtoriam. *Franc. Sweert. Athen. Belgic.*

Sigebertus, venerabilis Monachus *Gemblacenſis Cœnobii*, vir in omni ſcientiâ literarum incomparabilis ingenii. *Monach. Auguſtinian. Nuſſienſ.* in Chron. *Belg.*

Sigebertus vir nemini ſuo tempore eruditione inferior. *Centuriator. Magdeburg.* Cent. XII. c. 10.

Felicia certè hæc tempora fuere, quæ & *Sigebertum* Monachum *Gemblacenſem* virum ſpectatæ doctrinæ, & *Bernardum* ex *Caſtilione Burgundiæ* nobili genere ortum, protulere. *Platin.* in Vit. *Paſchal.* II.

Sigebertus vir doctus vocatur *Lipſio*, l. 2. Var. Lect. c. 3.

Sigebertus omnis divini humanique *Juris* conſultiſſimus. *Illyric.* in Catal. Teſt. Ver.

Stylo utitur libero. & neque Pontificibus, cùm opus eſt, parcit. *Hofman.*

Morum probitate & ſcientiæ multiplicitate laudabilis, & gratus ſui temporis ſapientibus. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belg.*

Sigebertus in computatione ſæpè labitur, teſtante *Baronio.*

Sigebertus Chronologus, in quo pleraque memoratu digniſſima, quædam falſa & commentitia levia nonnulla & futilia. *Boniſac.* l. 15. Ludic. Hiſt. c. 7.

Sigebertus in ſuâ Chronologiâ iniquior fuit *Gregorio* Septimo, ob ſtudium erga Imperatorem: quâ de cauſâ non pauca mentitus eſt, & præſertim cùm narrat obitum ipſius *Gregorii Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Sigebertus Gemblacenſis Monachus, utilis, & laudabilis Hiſtoricus, niſi quòd *Gregorio* VII. iniquior fuit, & in gratiam Imperatoris multa mentitus eſt. *Ioan. Bona.*

Quod ad *Sigebertum* ſpectat, Voſſius obſervat temporum ſeriem ſæpius ab illo neglectam in ordine quo Scriptores ſuos collocat. *Bellarminus* ſentit etiam illum in ſuis judiciis non eſſe ſatis liberum, eumque in *Papas* propter Imperatores animum nimis infenſum prodidiſſe: ſed hoc ad Chronicon ejus potius quàm ad Viros ejus Illuſtres pertinet. *Sigebertus* in multos errores incidit non minus quàm qui præceſſerunt, accurationis defectu. Quidam vanæ cujuſdam gloriæ illum etiam inſimulant, quòd magna cura omnium ſuorum Scriptorum enumerationem Catalogo ſuo attexuerit. Sed ſi grave vitium hoc fuerit, id Seculo noſtro vulgariſſimum evaſit, neque hoc ſine exemplo fecit *Sigebertus Eruditorum Judicia* per Dom. *Baillet.* Gall.

* *Sigeberti* liber contra Papam *Gregorium*, & contra Epiſtolam *Paſchalis Papæ*, prohibetur in *Indice Romæ* Impreſſo, 1681.

Extat Chronicon ejus ab anno 381. ad annum 1112. poſt omnes alias Editiones, *Auberti Miræi* curâ à Mendis repurgatum *Antv.* 1608. in 4°.

Extat liber *de Viris Illuſtribus* Miræi Notis illuſtratus unà cum aliis ejuſdem argumenti in Bibliotheca Eccleſiaſtica *Antv.* 1639. Fol.

Alia ejus Opuſcula, *Schardius*, *Goldaſtus*, aliique exhibuerunt.

S. BERNARDUS.

Clar. A. D. MCXV.

IN caſtro Fontanis prope *Divionem* in Ducatu *Burgundiæ* natus anno 1091. Patre *Tecelino*, Matre *Aletha*, *Ciſtercium* venit cum ſociis circiter 30. anno 1113. ad *Stephanum Hardingum* tertium illius Monaſterii anno 1098. primùm fundati *Abbatem*. à quo *Claravallenſi* Cœnobio anno 1115. ad fluviolum *Seniam* in *diœceſi Lingonenſi* erecto datus Abbas, vixit uſque ad diem 20. Auguſti anni 1153. quo ad cœlos evolavit Doctor Mellifluus, ac verè ſui ſeculi decus ſingulare, cujus vitam plures ſcripſere *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Vita

Digitized by Google

Vitæ ſanctimoniâ & præclarâ eruditione præſtantiſſimus------Modus docendi ejus in ſenſibus Myſticis indagandis, & in moribus formandis ferè ſemper verſatur. Oratio ubique dulcis & ardens, ita delectat, & ardenter incendit, ut ex ſuaviſſimâ linguâ ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentiſſimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. *Sixt. Senenſ.*

Bernardo quis ſuavius ſcripſit? cujus ego Meditationes rivum Paradiſi, Ambroſiam Animarum, Pabulum Angelicum, Medullam pietatis vocare ſoleo. *Dan. Heinſ.* Orat. III. pro Biblioth. mun. Grat. act.

Vir & *Chriſtiane* doctus, & ſanctè facundus, & piè feſtivus. *Eraſm.* in Annot. ad cap. 1. Epiſt. ad *Rom.*

Bernardus, admirabili Religionis ſtudio, & ſacrarum literarum peritiâ, quarum verba & ſententiæ dicenti ſe ſponte offerunt, in movendis etiam affectibus piis, non ſegnis, nec inefficax, ſimul tamen feſtivus & jucundus eſt, ut *Melliflui* cognomen non immeritò ipſi tributum videatur; cum plerique alii, illi σύγχρονοι & recentiores ſcholaſticæ Theologiæ Scriptores, frigidi & ἀπαθεῖς in dicendo, unum hoc agant, ut lectorem doceant. *David Chytræus* in Orat. de *Ph. Melancthone*, p. 509.

Vir planè ſinceræ atque infucatæ pietatis, inſigni in Deum amore, ingenti adverſus corruptos Chriſtianorum mores zelo flagrans, multò melior futurus, ſi tempora, in quibus ſors ipſi vivendi contigit, non prohibuiſſent. Literis humanioribus non leviter tinctus, Scientiâ Theologicâ inſtructiſſimus, longè ſupra captum ſeculi, quô vixit, elegans ac eruditus. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Bernardus vir mélleæ eloquentiæ, admirandæ doctrinæ, piique & ſani ſenſûs ſcriptor. In quo ita ſumma Religio & probitas cum ſummâ eruditione & eloquentia conjuncta fuit, ut à nonnullis *Apoſtolus* XIII. appellatus ſit. *Quenſtedt.*

Nullos habuit Præceptores præter quercus & fagos. Hinc Proverbium; *Neque enim Bernardus vidit omnia.* Nec mirum, cum incidit in fatalia illa tempora, quibus literis omnibus ferè bonis ſpiſſa nox incubuit. *Hofman.* in Lexic. ſuo.

Vir digniſſimus meliori ævo, qui vel in tantis tenebris veritatis lucem ſalutarem aſpexit, viceſque ſuas ſæpè deplorabat. *Morton.* cauſa Reg. c. 3.

B. *Lutherus* nullus dubitat illum omnibus *Patribus* anteponere, in *Coll. Menſ* cap. 30.

Inter Latinos, *Bernardus* me capit; & uſum habet excitandi, ob acrimoniam ubique & calorem: tum etiam docendi atque imprimendi, ob ſententiarum acumen, quas crebrò & ſalubriter miſcet. *Lipſ.* Epiſt. Cent. III. ad *Belgas* Epiſt. 49.

Utinam tales *Papiſtas* multos, imò vel unum talem hodiè haberemus in toto regno *Pontificio*, qualem *Bernardum* fuiſſe conſtat. Ita ſanè, ita ſolidè diſputat ille de ſummis fidei capitibus, de Scripturis, de Eccleſiâ, de Hominis miſeriâ, de

Digitized by Google

Epitaphium S. *Bernardi Clarevallis* Ab. per *Philippum Bonæ Spei* Abbatem Ord. Præm.

Claræ *ſunt* Valles, *ſed claris vallibus* Abbas
Clarior, his Clarum nomen in orbe dedit.
Clarus Avis, Clarus meritis & Clarus honore
Claruit ingenio, Religione magis.
Mors eſt Clara, cinis Clarus, Clarumque Sepulchrum,
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

ANNA COMNENA.

ALexii Comneni Imp. filia, *Nicephori Bryennii Cæſaris* uxor, claruit Anno 1118. ſcripſit an. 1148. *Libros* 15. de rebus geſtis Patris ſui, quos *Alexiada* vocavit. Horum octo primos ex *Auguſtanâ* Bibliothecâ edidit *David Hæſchelius* Anno 1610. in 4°. omnes quindecim *Græcè* & *Latinè* prodierunt cum *Hæſchelii* notis & *Petri Poſſini Gloſſario, Pariſiis* 1651. fol. Notas Hiſtoricas & Philologicas addidit *Carolus Dufreſnius, Pariſ.* 1670. fol. *Joannes Bodinus* falsò affirmat hoc opus *Comnena* conſtitiſſe libris 20. Clar. A. D. MCXVIII.

Erat autem & ipſe (*Bryennius*) ſtudiis doctrinarum deditus, & *uxor* ejus in iiſdem operam nihilo minorem, ac potiùs majorem ponebat, exquiſitè *Atticiſſans*, ingenioque prædita acutiſſimo abſtruſiſſimas contemplationes, eam facultatem partim naturæ bonitate, partim induſtriâ conſecuta. Affixa etiam erat libris, & eruditorum conſuetudine haud obiter utebatur. *Joan. Zonaras.* Annal. Tom. 3. Interp. *Hieron. Wolf.*

Annam Cæſariſſam ſororem Imperatoris (*Joannis Comneni*) *Nicephorus Briennius* in matrimonio habebat, omnium diſciplinarum parenti Philoſophiæ deditam, & omnibus artibus eruditam. *Nicet. Acominat. Choniates* in Hiſt. de *Ioan. Comneno*, c. 3.

Anna, Alexii illius filia, fœmina erudititiſſima, tanti dux fœmina facti, libris 20. ſuæ *Alexiados* paternam Hiſtoriam ita deſcribit atque illuſtrat, ut ejus ætatis, & Imperii, & Orientis ſtatum liquidò etiamnum conſpiciamus. *Franc. Patrit.* de Hiſt. Inſtitut. l. 1.

Annam paulò pluris æſtimamus, quàm *Aventinum* aut *Illyricum*, cui quanta fuerit mentiendi facultas, docet ejus *Alexias* nuper *Græcè* publicata, de cujus dubiâ & ſuſpectâ fide editor ipſe ſtatim in limine luculentum teſtimonium dedit. Et lectio ipſa docet, quot falſis narrationibus & pſeudologiis liber ille refertus ſit, præſertim ubi de *Latinorum* rebus & *Gregorii* VII. *Robertique Guiſcardi* Sermo. *Iac. Gretſer.* adverſ. *Melch. Goldaſt.* l. 2. c. 19.

Hæc ipſa prænobilis fœmina ad miraculum docta, in hac ſuâ Hiſtoriâ, ne amori erga ſuum parentem nimium aliquando indulſerit, nonnulli haud leviter ſuſpicantur.

Digitized by Google

ſuſpicantur. *Degor. Whear.* in Method. leg. Hiſt. Civil. Sect. 38.

Multa verò de parente ſuo longè aliter narrat quàm *Latini* ſolent: qui omnes propè, ſi unum excipias *Albertum*, Canonicum *Aquenſem*, *Cæſarem* eum deſcribunt, tanquam hominem fraudulentum, ac perfidum. Sed ſatis veriſimile eſt, tum *Latinos* ſuo erga *Græcum Imperatorem* odio, tum filiam *Commenam* amori erga patrem ſuo, aliquanto amplius indulſiſſe, quàm per leges *Hiſtoriæ* liceret. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. l. 2. c. 27.

Comnena Alexiade ſuâ, ſive quindecim libris de geſtis *Alexii Comneni* patris ſui, doctrinam & facundiam pariter comprobavit. *Voſſ.* de Philolog.

Quos quidem (*Alexiados* libros) *Anna Comnena* acri profectò ſupra ſexum judicio ac ſingulari elegantiâ conſcripſit. *Car. Dufreſn.* in liter. ad Lect. quas hiſt. libr. *Joan. Cinnami* præmiſit.

Anna ea eſt *Comnena* decima *Muſarum* & *Pallas* quædam *Byzantiæ Græciæ*; cujus *Porphyrogenita* licèt ac primogenitæ moderantis orbem Principis; ſi quis ingenii opes æſtimet, *Auguſtos* natales, atque illam Cunarum purpuram in minimis ornamentis numerabit. *Petr. Poſſin.* in lit. ad *Petr. Seguierium*, quas *Anna Comnena* præmiſit.

Concinnitas qua libris quindecim Paternæ vitæ Geſta deſcribit *Anna Comnena*, & eloquium quo eadem extollit, muliebre ingenium uſque adeo ſuperare viſa ſunt, ut an ipſa hiſtoriam ſuam contexuerit dubitatum ſit. Verum eſt ibi non poſſe legi deſcriptiones regionum, fluviorum, montium, urbium, obſidionum, præliorum; ejus in eventus quoſdam animadverſiones, judicium quod de humanis actionibus ab ipſa fertur, ejus in plura argumenta digreſſiones, quin fateamur illam fuiſſe peritiſſimam Grammaticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ ſcientiarum Mathematicarum; imo nec Medicinæ, nec Juriſprudentiæ, nec Theologiæ Sacrarumque Scripturarum prorſus ignaram: Quod ejus Sexui non eſt valde uſitatum. *Ephemerides* Eruditorum diei Lunæ 26. Auguſti, 1675. Gall.

JOANNES ZONARAS.

Chr. A. D. MXCVIII.

EX Magno *Drungario* Biglæ, & Protoaſecretis, Monachus ord. S. *Baſilii*, ſunt qui CP. fuiſſe velint, floruit ſæculo *Chriſti* XII. circa annum 1120. quo autem anno obierit, non liquet. *Phil. Labbe.*

Scripſit Annales ab Orbe condito ad Ann. 1118.---Commentarios in Canones SS. Apoſtolorum & Sacrorum Conciliorum, tam Oecumenicorum, quàm Provincialium----Expoſitionem Epiſtolarum Canonicarum SS. Patrum, *Dionyſii Alexandrini*, *Petri Alexandrini*, *Gregorii Thaumaturgi*, *Athanaſii Alexandrini* & *Baſilii Cæſarienſis*------Epiſtolas------Vitam *Alexandri Magni*------Orationem de immunditie ob gonorrhœam------De nuptiis conſobrinorum---Poëma adverſus omnes propemodum Hæreſes.------

De Stylo quo in condendis Annalibus uſus eſt, ipſe ita pronunciat, vel potiùs

Digitized by Google

potiùs excuſat, εἰ δ' ὁ χαρακτὴρ τοῦ λόγου ποικίλλεται, &c. " Dictionem eſſe variam,
" nec per omnia ſui ſimilem, nemo miretur, aut culpet orationem, aut me au-
" torem illius. Cùm enim hiſtoriam ex variis Scriptoribus veluti ſtipem colli-
" gere neceſſe habeam, in multis illorum & dictione & compoſitione utendum
" erit. Sicubi tamen ipſe de meo aliquid interjececero, ac inſeruero, ſtylus ad il-
" lius, quem ſequar auctoris formam accommodabitur, ne Scriptura à ſeſe diſ-
" ſidere videatur. *Annal.* Tom. 1. p. 3.

Extremis *Alexii* temporibus, item ſub *Ioanne Comneno*, floruit *Ioannes Zonaras*, qui juſtiùs inter Hiſtoricos ſibi locum depoſcit. Hic priùs maximos in *Conſtantinopolitano* imperio honores geſſit. Nam magnus in eo *Drungarius*, & Protoſecretarius, fuit Poſtea, monachus factus, ſcripſit Hiſtoriam Καθολικὴν ab initio Mundi uſque ad ſui ævi Imperatoris *Alexii Comneni* obitum: qui incidit in annum *Chr.* 1118. Paſſim autem *Dionem* vel ſequitur, vel exſcribit: ita ut ſæpè quid *Dio* in libris deperditis ſenſerit, & ſcripſerit, ex *Zonara* liceat cognoſcere. Sinceræ fidei hiſtoricum appellat *Alexander Braſſicanus* Juriſconſultus, Vir Cl. præfatione in *Salvianum*. Majorem tamen curam atque induſtriam, meritò in eo deſideramus. Sed illud maximè mirándum, virum uſque adeo experientem, etiam in ſui temporis rebus, pleraque perfunctoriè tantum dicere: cum multa, magnaque iis temporibus geſta ſunt, orientali orbe cum occidentali quaſi concurrente. Sanè pauca ſunt, quibus *Alexii Comneni* vitam perſtrinxit. Sed bene eſt, quod hunc *Zonaræ* defectum ſupplevit *Alexii* Imp. filia, *Anna Comnena*. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

Quinquaginta & amplius annis poſt *Cedrenum* floruit *Ioannes Zonaras*, nimirum circa annum 1120. Is *Univerſalem* ſcripſit *Hiſtoriam*, quam in tres tomos partivit: quorum hoc in loco tertium præſertim *Lectori* noſtro commendare placet. Siquidem eo tomo, quæ in *Oriente* à *Conſtantino* Magno, ejuſque in regno ſucceſſoribus, uſque ad ſua tempora geſta fuerint, exactius deſcribere laboravit, utpote paucis aliis tentata. Singulis Tomis rerum aliis indictarum ſæpè fit mentio (inquit vir quidam doctus) tertiâ verò Hiſtoriæ ſuæ parte, ea pleraque tradit de rebus *Byzantinis*, quæ præter ipſum nemo alius, & ſine quibus, nos bonam partem eorum, quæ à poſterioribus Imperatoribus *Orientis* geſta ſunt, ignoraremus. *Whear*, in Method. leg. *Hiſt. Civil.* Sect. 36.

Opus hoc Hiſtoriarum *Joannis Zonaræ*, viri ſua ætate in *Conſtantinopolitano Imperio* clariſſimi, longo jam tempore à multis viris doctiſſimis deſideratum, duplici potiſſimùm nomine commendandum eſſe videtur: tum propter amplitudinem & varietatem rerum, quæ in eo continentur: tum ob brevitatem, hominibus vel in Republicâ, vel domeſticis negotiis, vel ſtudiis gravioribus occupatis, vel iis quorum infirmior eſt memoria, gratam atque acceptiſſimam. *Hieron. Wolf.* in Præfat. *Ioan. Zonar.* Annal.

Hunc Autorem adeo nihil fecit *Iſaac Caſaubonus*, ut ignominiæ causâ appellarit *Legitimæ Hiſtoriæ dehoneſtamentum.*

In Bibliothecâ *Baſilienſi* Codex habetur Canonum omnium Concil. & SS.

Digitized by Google

PP. cum Nomocanone *Photii* & duplici Commentario *Zonaræ* ac *Balſamonis*, ubi longè plura, quàm in editione *Pariſ.* quo Codice editionem nuperam *Canonum* omnium *Conciliorum Oxonii* in *Angliâ* accuratam, plurimùm juvit *Clariſſimus Weiſtenius* jun. Oratoriæ in Acad. *Baſil.* Profeſſor. *Hofman.*

Canonum porrò, & reliquarum Epiſtolarum Expoſitio, quæ apud *Zonaram* occurrit, eadem eſt cum illâ quam *Theodorus Balſamon* affert; eamque à *Zonarâ* mutuatus cenſetur. *Aub. Miræus* in Auctar. de Script. Eccleſ.

Ioannes Zonaras in Tom. 2. & 3. Annal. res geſtas ab *Auguſto* ad annum Chr. 1117. recenſet, ex quibus *Cuſpinianus*, & *Nicetas*, aliique rerum illarum deſcriptiones ſunt mutuati. *Euſeb. Bohem.* in Epitom. Hiſt. Eccleſ. p. 64.

In *Scholiis* in *Canones* componendis, *Zonaræ* aliud atque *Balſamoni* propoſitum fuit. Hic enim *Civilis* æquè ac *Canonici* juris Conſultiſſimus, utriuſque concordiam perſequitur apparentes diſcrepantias componit, & *Canonicas* Quæſtiones à ſe motas multoties ſolvit. At *Zonaras* è contra ipſis Canonum verbis & ſenſui interpretandis ſtrictè adhæret, raro admodum ad *Civiles* leges digrediens. Hinc fit, quòd *Balſamon* totum *Zonaræ* Commentarium totidem nonnunquam verbis tranſcribat; ſuperfluum nimirum judicans, alia *Zonaræ* dictis addere, cùm nihil in tali *Canone* occurrat, de quo ex legibus Politicis & Imperialibus conſtitutionibus diſputatio inſtituatur, hoc eſt, nihil quod ad ſuum propoſitum pertineat. Subinde etiam *Zonaræ* interpretationem celato nomine perſtringit; neque ullibi ejus mentionem facit, præterquam in Commentariis ad Epiſtolam Canonicam S. *Athanaſii* ad *Ammum*, ubi eum vocat ὑπερφυέστατον ἐκεῖνον Ζωναρᾶν, *ſummè excellentiſſimum illum Zonaram*, eumque dictam *Epiſtolam*, σοφῶς καὶ ὑπερδεξίως καὶ ὡς οὐκ ἄν τις κρειττόνως, *ſapienter, & peraptiſſimè, atque ita ut nemo melius*, interpretatum eſſe affirmat. *Gul. Bevereg.* Prolegom. ad *Canones.*

Extat Hiſtoria Catholica ab initio Mundi uſque ad *Alexii Comneni* obitum ſive ann. 1118. Græcè cum Interp. *Hieron. Wolfii* fol. *Baſil.* apud *Ioannem Oporinum* ann. 1557.

Extat etiam in Hiſtoria *Byzantinâ.*

Extant Commentarii in *Canones Apoſtolorum* & Conciliorum, & in Epiſtolas Canonicas SS. PP. *Pariſ.* 1618. in fol. Et cum *Beveregii* Annotationibus in Pandect. Canon. *Oxon.* 1672. in fol.

Extat Oratio de immunditie ob Gonorrhœam. Jur. Gr. Rom. lib. 5. pag. 351.

Extat de Nuptiis Conſobrinorum liber, apud *Coteler.* Monument. Tom. II. pag. 433.

GUILIELMUS MALMESBURIENSIS.

Clar. A. D. MCXXX.

SIve, ut ſæpiùs more antiquo ſcribi ſolet, *Willelmus Somerſet*, *Malmesburienſis* in *Angliâ* Cœnobii Monachus, & Bibliothecarius, novellam ſuam,

ut

Digitized by Google

ut vocat, Hiſtoriam anno 1142. terminavit: An ultrà vivendo progreſſus ſit, prorſus ignoro. Sunt qui hoc ipſo anno 1142. mortuum memorent. *Philipp. Labbe.*

Scripſit libros 5. de Rebus Geſtis Regum Anglorum----Libros duos Hiſtoriæ Novellæ-- -Libros 4. de Rebus Geſtis Pontificum Anglorum---Vitam *Dunſtani* Archiepiſcopi--- Antiquitates *Glaſconiæ*--- Antiquitates *Malmesberiæ*---De Gente *Wydenorum*--Vitam S. *Aldhelmi* Epiſcopi *Schireburgenſis* primi.

Hujus opera dum volvo, & ex iis utilitatem cum voluptate percipio, nec hominis diligentiam pro merito laudare, nec ingentes labores ſatis mirari poſſum. Nam adeò accuratè noſtras Hiſtorias tractavit, ut vix quiſquam in eo genere ſit illi conferendus, nemo anteferendus. *Piſeus* de Illuſtribus *Angl.* Script.

Vir erat ſuo ſeculo in omni genere bonarum literarum planè eruditiſſimus,& in eruendis Antiquitatibus ingenio, diligentiâ, & induſtriâ ſingularis. *Anglicæ* noſtræ nationis ſtudioſiſſimus illuſtrator, à Primo *Anglo Saxonum* adventu in *Britanniam*, per *Pontificum* ac *Regum* feriem *Hiſtorias* ad ſua tempora perduxit, elegantes ac pulcherrimas, ni quòd ex *Chriſtianæ Prudentiæ* defectu, immoderatè extulerit execrabiles quaſdam ſuperſtitiones. Veruntamen in hoc nobis plurimùm profuiſſe cum aliis multis creditur, quòd ejus ætatis naturam & iniquos mores tam graphicè ac genuinè nobis depinxerit. *Baleus* de Script. *Britan.*

Inter rerum *Anglicarum* Scriptores,& narrationis fide,& judicii maturitate, principem locum teneat *Gulielmus Malmesburienſis*,homo,ut erant illa tempora, literatè doctus; qui Septingentorum plus minus annorum res tantâ fide, & diligentiâ pertexuit ut è noſtris propè ſolus *Hiſtorici* munus explêſſe videatur. *Henr. Savil.* Præfat. in *Rer. Angl.* Scriptores.

Cujus eruditæ induſtriæ & *Eccleſiaſtica* & Politica *Angliæ* Hiſtoriæ plurimum debet. *Camden.* in *Britan.*

Matthæus Paris, vir omnium citimæ ætatis *Hiſtoricorum Anglorum* (niſi cui placeat *Willelmum Malmesburienſem* excipere) eruditiſſimus. *Caſaub.* in Epiſt. 624. ad *Fronton. Ducæum*, p. 741.

In *Anglorum* Hiſtoriâ *Gulielmus Malmesburienſis* ſcriptor minimè ineptus. *Barth.* in Adverſ. p. 68.

Noſtrorum Hiſtoricorum poſt *Bedam* præcipuus *Gulielmus Malmesburienſis* Bibliothecarius. *Iac. Usher.* in Epiſt. Dedic. ad Brit. Eccl. Primord.

Gulielmum Malmesburienſem ante alios admittendum duco, idque meritiſſimo ſuo: cùm inter Hiſtoricos noſtros, & narrationis fide, & judicii maturitate principem locum teneat. *Whear.* in Meth. legendi Hiſtor. Civ. Sect. 28.

Magnam Hiſtorici ſui Speculi partem ex *Gulielmo* hoc exſcripſit *Vincentius Belluvacenſis*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Extant libri 5. de Rebus Geſtis Regum *Anglorum* & Hiſtoriæ *Novellæ* libri

Digitized by Google

duo, inter Scriptores Rerum *Anglicarum* ab *Henrico Savilio* editos annis 1596. 1597. *Londini*, 1601. *Francofurti*.

Vitam *Aldhelmi* Epiſcopi *Schireburgenſis* primi edidit *Ioan. Mabillon*. ſeculo 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti Tom. 1. p. 726. & ſequentibus. Ejuſdem opus de Antiquitate *Glaſconiæ* habetur MS. in Bibliothecâ Collegii S. *Benedicti Cantabrigid.* Cod. 373. Item Abbreviatio *Guillelmi Malmesburienſis* ex Geſtis Haymonis de Imperatoribus MS. in Bibliothecâ Collegii *Balliolenſis Oxoniæ* Cod. 108.

GRATIANUS.

Clar. A. D. MCXXXI.

PAtriâ *Etruſcus*, *Cluſii* natus, Monachus *Bononienſis*. Ordinis *Benedictini*, claruit ab anno 1131. in vivis adhuc ann. 1151. *Gul. Cave.*

Decreta Pontificum in unum opus redegit, juxta materiarum diverſitatem digeſſit. Hoc opus authoritate *Gregorii* XIII. ann. 1580. à mendis purgatum, & ſuæ integritati reſtitutum eſt.

Scripſit Decretum, ſive Concordiam Diſcordantium *Canonum*: Opus valdè laborioſum, in quo *Canones* plurimos collegit ex Reſponſis Pontificum ex Conciliis, & ex Patribus. Et quamvis multi alii viri docti in hoc genere Scriptionis laboraverint, ut *Dionyſius* exiguus, *Iſidorus*, *Creſconius*, *Barchardus*, *Ivo*, & ſi qui alii ſunt: ipſe tamen ſolus obtinuit, ut publicè Gymnaſiis prælegeretur, & multorum doctiſſimorum virorum Commentariis illuſtraretur. *Gratianus* id unum habet, quod reprehendi poſſe videtur, quòd non habuit delectum Auctorum, ex quibus *Decreta* collegit. *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Circa annum 1157. ſub Eugenio tertio *Gratianus* Monachus *Bononienſis*, *Iuris* valdè peritus, compoſuit librum *Decreti* præſertim ex Canonibus Conciliorum, ſcriptis Patrum Latinorum Græcorumque, & conſtitutionibus Pontificum, quas vel ſoli, vel cum Conſilio Cardinalium edebant, quibus & aliquas leges *Cæſareas* adjiciebat; & præter hæc ipſe *Rubricas* addidit, multaque dicta ſua interſeruit. Horum omnium Authoritas adhuc controverſa eſt, cùm *Gratianus* ſæpè errare deprehendatur, in recitandis Canonibus Conciliorum, Dictis *Patrum* & *Pontificum* conſtitutionibus, aliterq; ſe habere plurima reperiuntur in ipſis fontibus è quibus *Gratianus* hæc deſumpſit: De *Rubricarum* verò fide & dictorum *Gratiani* omnes derogant, quod *Gratianus* homo privatus legis ferendæ poteſtatem habere non potuit. De *Rubricis* & dictis ipſius *Gratiani* non aliter judicant *Interpretes*, quàm de unius *Doctoris* & *Magiſtri* ſententiâ, ideoque in his ſæpè diſſentiunt à *Gratiano*, & profitentur *Gratianum* erraſſe, eique *Juris* interpretandi tantum, non condendi poteſtatem tribuunt. Prætereà aliqua ſunt in *Decreto* quæ *Paleæ* dicuntur, nullamque *Iuris* authoritatem habent, ſive fuerint ipſius *Gratiani*, ſive alterius; de quo varia tradunt *Interpretes*, eaſque paulatim irrepſiſſe in Codicem *Decreti*, & pauciſſimas in libris antiquioribus reperiri. *Duck.* de Authoritat. *Iuris Civ.*

Anno

Anno 1140. *Gratianus* compilat *Decreta*, & *Lombardus Sententias*: quæ duo ſcripta Pontificiam omnipotentiam valdè promovent. Hinc *Gratianus Lombardus*, *Franciſcus*, & *Dominicus*, quatuor *Evangeliſtæ Antichriſti* vocantur. *Alſted.* in Chronol. ſuâ.

Gratianus totos ferè viginti quatuor annos in Opere ſuo conſarcinando inſumſiſſe putatur, id eſt ab anno circiter 1127. uſque ad 1151. cùm id in lucem emiſit, ut vulgò creditur. *Morer.* in Majori Dictionario Gall.

Per idem etiam tempus *Gratianus Decretum* conſarcinat, non feliciùs quàm *Pandectas Juſtinianus*; ex Canonibus & Decretis antiquis quæ quidem ipſe pluribus locis ad temporis corruptelam accommodat, *Romanæ* ambitioni præſertim ſervire cogit: quanquam multa nobis veſtigia relinquit, quorum ope, antiquam *Eccleſiæ* & Doctrinam & praxim inveſtigare ſedulò quærentibus datur. *Phil. Mornæus* in Hiſt. Papat. p. 285.

Multa ſunt in libro, quem *Decretorum Gratiani* vocant, præclara ex Patribus collecta, in quibus cernere, eſt, utcunque ſtatum Veteris ſeu Primitivæ Eccleſiæ, longiſſimè diverſum à ſtatu ſequentis, præſertim Romanæ, quæ ſibi poſt per Schiſmaticos Pontifices *Univerſalis Eccleſiæ* nomen arrogavit; ſi tamen *Eccleſiam* licet appellare, quæ hoc ſacrilegum Idolum auſa eſt ſtatuere impudentiſſimâ facie. Sed *Gratianus* Pontificibus, jam tunc tyrannidem in Eccleſiâ Chriſti ſibi vendicantibus, adulantior vel obſequentior, quàm oportuit, optima dicta & decreta Patrum vel antiquat, vel ad arbitrium Romanorum Pontificum depravat, piâ (ut apparet) intentione, ſed peſtilentiſſimo exemplô. Nam inde Papa ita ſuperbivit, ut jura negarit ſibi nata. *Luther.* Præfat. in epiſt. *Hieron.* ad *Evagrian* tom. 4. *Ien.* pag. 408.

Canonum concinnavit *Decretum*, ipſe *concordiam diſcordantium canonum* vocat, ſed cujus maximam partem ex *Iſidori* quodam libro congeſſiſſe fertur. *Thomaſ.* de Pelagio.

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & mirabili ſtudio flagrans, ingenio promptus, & clarus eloquio, vitâ quoque & converſatione inſignis. *Trithem.*

In *Epitaphio* audit *Gratianus Iuris Cæſarei Pontificii enucleator propè Divinus.*

Gratiani Decretum extat infinitis vicibus editum, in omni juris Canonici editione, præcipuè *Rom.* 1580. *Par.* 1.12. fol. *Lugd.* 1661. 2. vol. 4.

PETRUS LOMBARDUS.

Natione *Lombardus*, patriâ *Novarienſis*, ab oppido urbi illi vicino, quod vulgò *Lumen omnium* dicitur, Magiſter Sententiarum vulgo dictus, ex Theologicæ Scholæ Præſidente, qui per ea tempora *Scholaſticus* vocabatur, *Pariſienſis*, non Archiepiſcopus, ut alicubi ſcripſit minus circumſpectè *Blondellus*, ſed Epiſcopus ab Anno *Chriſti* 1159. aut ſequenti, quo ei eminentem doctrinam ceſſit *Philippus* Archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ *Ludovici* VII. Regis *Franciæ* filius & *Ludovici* VII. frater, uſque ad diem 20. Julii anni 1164. quo vi- Clar. A. D. MCXLI.

Digitized by Google

tam finiit & in ſuburbana S. *Marcelli* Eccleſia conditus eſt-----Quanquam *Petrus* noſter ſuos nævos habere dicatur, rectè tamen *Stancarus* libros de *Trinitate* dixit unum *Lombardum* pluris ſe facere quàm centum *Lutheros*, ducentos *Melancthones*, trecentos *Bullingeros*, quadringentos *Petros Martyres*, quingentos *Calvinos*, ex quibus ſi in mortario contundantur, utpote Hæreticis & Hæreticorum Ductoribus Doctoribuſque, exprimi non poſſit una uncia veræ Theologiæ. *Labbeus* de Script. Eccleſ.

Hunc omnes Theologorum Scholæ ſingulari quadam venerationis excellentiâ *Magiſtrum Sententiarum* appellant, & in cujus Theologiæ compendium innumerabilia diſputationum volumina eruditiſſimi clariſſimarum toto Chriſtiano orbe Academiarum Theologi elaborarunt. Collegit in omnes *Pſalmos Davidicos*, & in omnes *Pauli Epiſtolas* ex ſententiis *Ambroſii*, *Hilarii*, *Auguſtini*, *Caſſiodori* & *Remigii*, ſuppreſſis eorum nominibus, *Commentarios* omni eruditione refertiſſimos, in quibus etiam de ſuo aliqua non prorſus abjicienda interpoſuit. *Sixtus Senenſ.* l. 4. Bibl. Sanct.

Petrus Lombardus, Epiſcopus *Pariſienſis* ex Scholaſtico: vir in divinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & nobiliter doctus: ingenio ſubtilis & clarus eloquio nomen ſuum ſcribendo cum tantâ gloriâ tranſmiſit ad poſteros, ut uſque in hodiernum diem ſuis opuſculis Theologorum *Schola* ubique exercitata, ſingulari veneratione *Magiſtrum* eum nominet & habeat. *Scripſit* ſagaci ſtudio ex *Dictis Sanctorum Patrum* commendabile opus *Sententiarum* libros quatuor. *Trithem.*

Quamvis *Petrus Lombardus Magiſter* appelletur, tamen Diſcipuli ejus *Scholaſtici Doctores*, viri acuti, & docti non omnia probant, quæ *Magiſter* docuit: notantur enim Articuli viginti ſex, in quibus *Magiſter* rejicitur. Nec ſolùm opiniones ejus aliquando refelluntur: ſed etiam non defuerunt, qui eum ad *Alexandrum* tertium *Pontificem* detulerint, Hæreſis nomine, quod docuiſſet, *Chriſtum*, ut hominem non eſſe aliquid. Quam ejus ſententiam damnatam fuiſſe in *Concilio* quodam *Pariſienſi*, jubente *Alexandro Pontifice*, teſtatur *Matthæus Paris* in *Hiſtoriâ Anglicanâ*, in *Henrico* II. quæ damnatio contigit annis novemdecim poſt obitum ejuſdem *Petri*. Non diu poſtea accuſatus fuit à *Joachimo* Abbate quòd docuiſſet, unam ſummam rem eſſe *Patrem* & *Filium* & *Spiritum Sanctum*. Sed *Concilium Lateranenſe* ſub *Innocentio* tertio, *Petri Lombardi* ſententiam approbavit, & contrariam *Ioachimi Abbatis* reprobavit, *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Eſt & alius ſcriptor preſſis veſtigiis *Ariſtotelem* ſequens, illique tanquam fundamento innitens, qui non pauciores, opinor, enarratores habuit, *Petrus Lombardus*, ob hoc nobilitatus, quòd primus *Theologiam* antea inordinatam & indigeſtam, in Methodum redegit, & ad certa capita revocavit, *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 2. Epiſt. 57.

De *Lombardo Lambertus Danæus* judicat, eum, ſi in feliciora tempora incidiſſet, minuſque corruptam fidei *Chriſtianæ* doctrinam didiciſſet, potuiſſe multùm prodeſſe Eccleſiæ *Dei*.

Lombardus

Lombardus inter omnes *Papiſtas* optimus & doctiſſimus *Rog. Aſcham* in Apolog. pro Cœn. Dom.

Gratianus, Lombardus, Franciſcus & *Dominicus*, quatuor *Evangeliſtæ Antichriſti* vocantur *Alſtedio* in Chron. ſuâ.

Quamvis in libro *Sententiarum* Papatum confirmet pro virili, multa tamen exciderunt, quæ Pontificios errores oppugnant. *Illyric.* Catal. Teſt. Veritat.

Eadem methodus *Petri Lombardi* (is *Gratiani* frater) in 4. *Sententiarum* libris, quas ex *Patrum* locis hinc inde collectis, in certum ordinem compingit, quos & ipſe immutato, omiſſo, addito interdum aliquo verbo, ſcenæ ſervire cogit, ad corruptam ævi ſui Theologiam inflectit. *Mornæus* in Hiſt. Papat. pagin. 285.

Lombardus ſacroſanctæ Philoſophiæ veritatem, fontemque puriſſimum (ſicut plus millies à *Iacobo Fabro*, & *Iodoco Clitoveo* Præceptoribus meis accepi, atque audivi) cœno Quæſtionum, rivulis opinionum conturbavit. *Ioan. Aventin.* Annal. l. 6.

Certè ab hoc tempore, ut loquitur *Trithemius*, Philoſophia ſecularis, S. Theologiam inutili ſuâ curioſitate fœdare cœpit, & in diverſas ſectas abiit.

Scholaſticorum Pater, fons & *Iovis* ſtatua *Petrus* fuit *Lombardus*, Epiſcopus *Pariſienſis*, qui circa A. C. 1160. *Theologiâ* argutis & otioſis quæſtionibus obſcuratâ, aut per Philoſophiam ſecularem curioſitate inutili fœdatâ, vim *Scripturæ* eliſit & labefactavit, atque à *Chriſto*, à fide, à *Dei* cultu vero, ad tricas inutiles *Eccleſiam* abduxit, ſermonemque purum & proprium horrenda barbarie deformavit. *Henn. Witten* præfat. Memor. Philoſoph.

Petrus Longobardus, Scholaſticus *Pariſienſis*, poſteà ejuſdem civitatis Epiſcopus, magiſtris ſui temporis & Scripturarum expoſitoribus eò maximè præferendus judicatur, quod ingenio ſagaci & uſu aſſiduo tantâ in exponendis Scripturis luce claruit, ut penè magiſterio doctoris non egeat, qui gloſſarum ipſius lectioni animum intendere voluerit. Scripſit inter cætera magnum de Sacramentis Volumen, ubi præcedentium Patrum ſententias eum ſanè intellexiſſe, planè expoſuiſſe manifeſtum eſt. *Henr. Gandavenſ.*

In condendo hoc *Sententiarum* opere non leviter adjutum eſſe *Lombardum Petri Abailardi Sententiarum* libris, nobis auctor eſt *Ioannes Cornubienſis*, ipſius *Lombardi* diſcipulus. Addunt alii. *Lombardum* magiſtri cujuſdam *Bandini*, obſcuri & penè ignoti Theologi, ſcrinia inſigniter compilaſſe. Scripſit *Bandinus Sententiarum Theologicarum* libros 4. qui curâ Bened. Chelidonii prodierunt *Viennæ* 1519. Non ovum ovo ſimilius, quàm *Bandiniano* operi *Lombardi Sententiæ*, niſi quòd prolixior multò *Lombardus* ſit. Uter alterum exſcripſerit, incertum, nec lis eſt facilè dirimenda, etſi non deſint, quæ *Lombardum* ſua ex *Bandino* deprompſiſſe ſuadeant *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script, Eccleſ.

Libri *Sententiarum* IV. prodierunt *Rothomagi*, an. 1653. in 4.

Extant Commentarii in Pſalmos, *Pariſiis* an. 1541. 1561. in fol.

Extant in Epiſtolas D. *Pauli* collectanea, *Pariſiis* an. 1535. 1537. 1555. in fol.

ABEN.

ABEN EZRA.

Clar. A. D. MCXLV.

SIve *Abraham Eſdræ* filius natione *Hiſpanus*, inſignis fuit Grammaticus, Philoſophus, Aſtrologus & Theologus, qui Commentaria præclara in tota Biblia conſcripſit. Commentarium ſuum in 12. Prophetas minores abſolvit in urbe *Rhodo*, an. *Dom*. 1145. Mortuus anno 75. ob inſignem doctrinam & ſapientiam fuit κατ' ἐξοχὴν dictus *Sapiens*. Unde *Mayerus* in Philologiâ ſacrâ inquit, *Meritò audit Sapientiſſimus Hebræorum. Car. Steph.*

In Commentariis ſuis Aſtrologiam & quæ inde pendent, Divinis haud ſatis piè miſcere ſolet. *Selden.* de Diis *Syris* ſyntagm. 1. c. 3.

Aben Ezra Judæorum Rabbinorum eruditiſſimus. Stylus ejus ſat conciſus; unde interdum obſcurus. *Rich. Simon.* in Catal. Auth. *Judæor.*

Longè doctiſſimus *Hebræorum Rabbi Aben Ezra. Joſ. Scalig.* de emend. Temp. p. 271.

Aben Ezra, haud ex infimo Doctorum ſubſellio vir. *Spencer* de Ur. & Thum. p. 102.

Schikardus in libro ſuo cui titulus *Bechinath Happeruſchim*, tractans quali honore Rabbi *Salomonem Jarchi* proſequantur *Judæi*, addit, "At ſi, me arbitro, res "iſta diſceptaretur, palmam ego deferrem ſequenti *Aben Ezræ*, quia non tantùm "magis perſpicuus eſt, methodicus & in ſtylo multùm elegantior; ſcripturæque "idiotiſſimorum tenax, ſed etiam prudentior, cautior, & nugarum parcior: cùm "viciſſim ille à fabulis abſtineat minùs, obſcurior ſit, & in orthographiam ali- "cubi impingit, ut cum *Kimchæo* interdum non agat mitius, quàm noſtrates "pueri cum *Priſciano*.

Aben Ezra, ſeu potius *Abraham Ben Ezra* inter eos qui apud Judæos, Doctiſſimi Rabbini fuerunt, eminet. In majorem Scripturæ partem Commentarios ſcripſit qui in magnis *Venetis* & *Baſilienſibus* Bibliis excuſi reperiuntur. Stylum habet ſatis conciſum, quæ cauſa eſt cur obſcurus interdum ſit, præterquàm quòd impreſſa exemplaria mendorum typographicorum haud omninò pura ſint. Extat Bibliotheca Patrum Oratorii *Pariſienſium* Exemplar, manuſcriptum Commentariorum ejus in Pentateuchum. Præter ſuos in Scripturarum Commentarios, plures Grammaticos libros elaboravit. Jeſ. *Rich. Simon.*

Quintus denique Scripturas interpretandi modus inter Judæos, eſt ſedulò perveſtigare propriam cujuſque vocis ſignificationem, & locos ad literam quoad ejus maximè fieri poteſt explicare, non tamen ſcrupuloſè nimis adhærendo *Maſſoræ*, quia variæ lectiones Exſcriptoribus plerumque ſunt aſcribendæ, non verò *Maſſoretis. Aben Ezra* hanc methodum ſe ſuis in Scripturam Commentariis ſecutum eſſe profitetur. Et ſanè nullus author Judæus à nobis legitur qui magis ad literam & meliori judicio Scripturam explicaverit, Grammatica tamen aliquanto plura quàm par eſt interdum admiſcet, & optandum eſſet ut ejus ſtylus adeo interciſus non eſſet. Quod *Judæos* alios impulit ad Biurim ſeu Commentariorum ejus elucidationes ſcribendas---Ecce in genere

Digitized by Google

nere regulas quas *Aben Ezra* proponit ad Scripturam ritè explanandam, & eâdem operâ Judæorum Authorum qui in Biblia ſcripſerunt Criticen. Nihil meo quidem judicio, rationi magis conſentaneum eſt quàm regulæ ab eo præſcriptæ, nec dubito quin à Chriſtianis admittatur ejus methodus. Quamvis Patrum ſuorum Traditioni plurimum tribuat, non tamen approbat innumera deliramenta quibus omnes eorum libri perſperſi ſunt;& in ſuis Commentariis ſenſum maxime literalem & genuinum quantum poteſt,exquirit. Jeſ. *Richard. Simon*. Hiſt. Critic. V. T. lib. 3. c. 6.

Et ſanè,ut dicis, multa in *Rabbinorum* Scriptis occurrunt quæ oſtendunt judicii tenuitatem. Sed ſunt & alii, qui lectis Philoſophorum *Græcorum* & *Arabum* libris nonnullis & *Chriſtianorum*, accedente ingenii quadam bonitate, interpretationes adferunt non improbabiles, quos inter excellunt *Aben Eſra* & *Maimonides*. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Samſon. Iohnſonum*, *Lutet* $\frac{1^{o}}{21}$. Septemb. 1638.

AVERROES, vel AVEN ROES.

ARabs, in *Africa* educatus, naturali ſcientiâ vir præſtantiſſimus, omniumque bonarum diſciplinarum encyclopædiam adeptus, ſectâ Mahometanus, tempore *Miramolini* Regis apud *Cordubam*, *Hiſpaniæ* urbem vetuſtiſſimam, floruit anno *Dom.* 1149. Multa ac varia compoſuit. Librum (*Colliget*) dictum, totam ferè Medicinam complectentem,edidit. *Avicennæ* æmulus & inimiciſſimus fuit *Symphor. Campeg.* libro de claris Medic. Cla. A. D. MCL.

Inter primos *Arabum* non immeritò numeratur *Averroes Erpen.* orat. ſecund. de Ling. Arabicâ.

Fuit is Medicus celebris, ac Philoſophus acutiſſimus, *Maroccanæ* Academiæ Profeſſor, religione *Muhammedanus*. Magnus *Ariſtotelis Zelotes*, utpote quem ut infallibilem propugnat, & tanquam *Deum* veneratur. Medicorum ſtimulus à nonnullis dicitur *Averroes*, quòd *Galeno* non paucis in locis contradicat, & *Avicennæ* æmulus implacabilis fuerit. Locum ſibi primum inter expoſitores *Ariſtotelis* arrogavit, *Commentatoriſque* vocabulo ſolus ferè nuncupatur. Scripſit enim ſuper univerſum *Ariſtotelem*. *Quenſtedt.*

Averroes Philoſophorum *Accurſius*; ut enim iſte apud Juriſconſultos,ita hic in Scholis Peripateticorum κατ' ἐξοχὴν *Commentatoris* titulo ſalutatur:Sed obſcuriſſimus eſt hic Commentator, ima miſcet ſummis, & ſumma imis. *Scheurl.* Bibliograph. Morali, num. 63.

Inter *Arabas Ariſtotelis* Interpretes princeps locus debetur *Avenroi*,unde & κατ' ἐξοχὴν dictus *Commentator*. Qui græcè neſcius feliciter adeò Mentem *Ariſtotelis* perſpexit,quid non feciſſet,ſi linguam ſciſſet *Græcam*? Nomen ei ſit *Latinè Roiſius*. Hinc *Aven-Rois* dictus, quaſi *Rois* filius. *Cordubæ* floruit in *Hiſpaniâ* anno à nato Chriſto 1150. Teſtis *Conciliator*, ac *Ægidius Romanus*, qui & auctor eſt filios *Averrois* fuiſſe in Aulâ *Frederici Barbaroſſæ*. Nec Philoſophus

 modò;

modò, ſed Medicinæ intelligentiſſimus fuit, de quâ reliquit libros 7. *Colliget* inſcriptos, quia univerſalia pertractat. Quàm parum viderit tantus Philoſophus in verâ & unicâ ſalutis viâ, arguit illud, quod diceret, *malle ſe animam ſuam eſſe cum Philoſophis, quàm cum Chriſtianis. Voſſ.* de Philoſoph. Sectis, pag. 90. 91.

Averroës Philoſophorum inter *Arabes* princeps, magni *Commentatoris* nomine ſuperbus (quem, ſi per Latinæ linguæ liceret genium, *Commentorem* aut *Commentitorem* veriùs quis dixerit, tot nobis *Commenta* reliquit) ſingula *Ariſtotelis* verba divina eſſe oracula arbitratus eſt. *Adr. Herebord.* epiſt. Dedicat. ad Select. in Philoſ. Diſput.

Averroem Philoſophi de noſtrâ Scholâ, qui poſt eum ſcripſere, ita ſunt amplexati ut penè authoritate *Ariſtotelis* adæquarint, nec ſolùm qui longo poſt intervallo vixerunt, ſed qui illius quoque ætate: quod factum eſt & ignorantiâ meliorum & admiratione mercimonii linguâ & ſensûs peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos novitas, apud poſteros vetuſtas, nomen eſt *Commentatoris* nactus, homo qui in *Ariſtotele* enarrando nihil minus explicat, quàm eum ipſum quem ſuſcepit declarandum. Sed nec potuiſſet explicare etiamſi divino fuiſſet ingenio, quum eſſet humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quo in *Ariſtotele* enarrando poſſet eſſe probè inſtructus; non cognitionem veteris memoriæ, non ſcientiam placitorum priſcæ diſciplinæ & intelligentiam ſectarum, quibus *Ariſtoteles* paſſim ſcatet. Itaque videas eum peſſimè Philoſophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit ignarus Græcitatis ac Latinitatis. *Lud. Viv.* de Cauſ. Corrupt. Art. l. 5. pag. 296. 297.

Cur autem *Commentator* (*Averroes*) tam ſæpè ab *Ariſtotelis* ſui ſententiâ videatur devius, inde factum volunt, quòd is in *Hiſpaniâ* natus, & *Arabum* idiomate imbutus, quum *Græcæ* literaturæ ne apices quidem imbibiſſet. *Ariſtotelis* libros in barbarum ſonum non tranſlatos quidem, ſed mutilatos, decurtatos perverſoſq; quum lectitaret, in iis quæ altioris ſunt ſcientiæ, & interioris ſensûs, auctorem eminentiſſimum ſtudio brevitatis ita ſæpe conciſum, ut ſenſuum acumine ſudantes Philoſophos diſtineant diu multumque, minus minuſque conſequi valuit. Quod ita eſſe comprobat *Plethon*, & inde argumentum evidens, quòd Græca *Ariſtotelis* verba interpretem quandoque confodiunt. *Cæl. Rhodigin.* l. 4. c. 2. Lect. Antiq.

Averroës vir impius & Auctor execrabilis vocatur *Eraſmo* Epiſt. lib. 10. Epiſt. 29.

Ariſtoteles vulgò habetur parum religioſus: *Averroës* verò ejus Interpres, impius planè *Phil. Mornæus* de verit. Rel. Chriſt. c. 20.

Averroës velut lymphatur in *Ariſtotelis* laudes *Lipſ.* manuduct. ad *Stoic.* Philoſ. Diſſertat. 4.

Inter *Ariſtotelis* mancipia facilè primum oqtinet locum *Averroës*, qui, dum nunquam eum erràſſe dicit, in errores ipſe manifeſtos labitur, *Henr. Ernſt.* de verâ Philoſoph. n. 85.

Digitized by Google

Magnus ille *Ariſtotelis* Commentator. *Conring.* de Antiquitat. Acad. Diſſert. 1.

Piloſophus & Medicus non contemnendus. *Tiraquell.* de LL. connub.

Varia ejus opera Manuſcripta recenſet *Petrus Lambecius* lib. 1. Commentar. de auguſtiſſ. Biblioth. Cæſar. pag. 177. & ſeqq.

HENRICUS HUNTINGTONENSIS.

NIcolai filius, priùs *Lincolnienſis* Eccleſiæ Canonicus, & poſt *Huntingdonenſis* Archidiaconus, ſub *Stephano Anglorum* Rege claruit anno 1158. edidit ad *Alexandrum, Lincolnienſem* Epiſcopum, *Hiſtoriam rerum Anglicarum* libris 10. qui *MS. Cantabrigiæ* ſuperſunt in Bibliothecâ publicâ, & privatâ *Lumleianâ, Gualteri Copi.* Adhæc *Chronicon* fecit, quod *Cantabrigiæ* Manuſcriptum reperitur in Collegio S. *Benedicti. Hiſtoriam* quoque *breviorem* uno libro comprehendit. Item contexuit *Seriem Regum Orbis.* Adhæc *Seriem Regum Britanniæ:* quæ *Cantabrigiæ* Manuſcripta cuſtoditur in publicâ Bibliothecâ: apud *Th. James* lego, eâ in Bibliothecâ ſupereſſe *Epiſtolam manuſcriptam, Huntingtonenſis* ad *VVarinum* de Regibus *Britonum.* Poſteaque leges apud eundem, apud *Cantabrigienſes* etiam in Collegio S. *Benedicti* eandem *Epiſtolam* extare. Idem opus videtur, ac quod vocabam *Seriem Regum Britannicorum.* Item egit de *Sanctis Angliæ:* quod opus Manuſcriptum *Antverpiæ* extare fertur in Bibliothecâ *Societatis Jeſu.* Etiam expoſuit *Originem rerum Britannicarum. Bedam* quoq; proſecutus eſt, aliaq; nonnulla ingenii & doctrinæ ſuæ reliquit documenta. *Voſſ.* de Hiſt Lat. Clar. A. D. MCL.

Henricus Huntingdonenſis patre *Nicolao* in *Angliâ* genitus, *Lincolnienſis* Eccleſiæ Canonicus, & *Alexandro* magnifico illius ſedis Epiſcopo mirè charus à quo etiam propter virtutes & multiplicem eruditionem, & quia *Romam* cum eo profectus, in omnibus negotiis ei fideliter adhæſit, factus eſt Archidiaconus *Huntingdonenſis.* Erat autem *Henricus* à juventute poëta elegans, orator facundus, Hiſtoriarum diligens ſcrutator, & antiquitatum ſtrenuus inveſtigator. Quibus nominibus à *Polydoro Virgilio* & *Joanne Lelando* multùm laudatur. *Albinum Andegavenſem Lincolnienſis* etiam Eccleſiæ Canonicum virum doctum, amicum & familiarem habuit, cui propter eximiam eruditionem, & ætatem nonnihil provectiorem defert hunc honorem, ut eum in ſcriptis ſuis *Præceptoris* nomine compellet. Porrò accedente ad elegantem doctrinam experientiâ rerum, ſimulq; creſcente maturitate tum ætatis, tum judicii, ad ſcribendum ſe contulit, & maximè in Antiquitatibus perveſtigandis, & poſteritati mandandis ſuam operam poſuit. *Hiſtorias* edidit æternâ laude dignas, in quibus & ſibi & patriæ famam acquiſivit, quam nulla ætas conticeſcet, nulla obſcurabit oblivio. Hanc igitur ſaltem laboris mercedem accepit, ut dum aliorum res geſtas à tenebris vindicavit, ſuum ipſius nomen immortalitati conſecrarit. *Joan. Piſeus.*

Cùm jam eſſet experientiæ plenus, ad *Hiſtoriam* perſcribendam totum ſe contulit. In quo officio ſuæ gentis res geſtas à *Saxonum* adventu in *Britanniam,* membranis non infeliciter commendavit, ne ullâ unquam temporis injuriâ in

oblivionem irent. Cenſuit ad vitæ inſtitutionem, poſt *Scripturarum Sacrarum* ſtudia utiliſſimas eſſe Hiſtorias: quòd rerum variarum exemplis bonos ad virtutes accendant, & malos à vitiis infamiæ metu deterreant. Interim ſi quid addiderit *nugalium fabularum*, tempori imputandum eſt. Scripſit reverâ *Henricus* eleganter & doctè *Joan. Balæus*.

Henricus Huntingtonenſis, Archidiaconus in *Angliâ*, vir eruditus, ac celebris ſuæ ætatis Hiſtoricus vivebat anno 1148. *Ant. Poſſev.* Appar. Sac.

Præclarè de hôc Autore ſenſit doctiſſimus *Henricus Savill.* qui Præfatione in *rerum Anglicarum* Scriptores, eum, atque item *Hovedenum*, vocat, *Auctores cumprimis bonos & diligentes, veriſſimoſque ſuperiorum temporum indices*.

Ex libris decem *Henrici Huntingtonenſis*, omiſſus eſt nonus in Collectione Veteri, quem quis invenire poteſt in MS. Codice optimæ notæ Bibliothecæ *Thuanea*, quam jam *Colbertus* comparavit, ſuæque adjunxit--Opus inſcriptum *Imago Mundi* MS. *Oxonii* in Bibliothecâ S. *Trinitatis* Cod. 7. in *Magdalenenſi* Cod. 17. *Cantabrigiæ* in Bibliothecâ Collegii S. *Benedicti* Cod. 367. *Oudin.* in Supplem. ad *Bellarm.*

Oppidum *Huntingtonia* ab ipſo plus honoris adeptum eſt quàm ipſi retribuere unquam valeat: Quandoquidem tot Exterorum nec ore tam celebrata *Huntingtonia*, nec calamo notata unquam fuit quàm ob *Saxonum Regum* præclaram Hiſtoriam ab hoc *Henrico* conſcriptam. Addamus quòd ſi ſtolida Superſtitio ſeculi quo vixit attendatur, eâ minus quàm ullus coævorum ſuorum inquinatus ſit; & cum eſſet Sacerdos Secularis, præſumtæ Monaſticæ perfectionis faſtum paſſim deprimat. Regnante *Stephano* floruit, anno Domini 1148. & probabile eſt eum anno circiter 1160. diem obiiſſe. *Thomas Fuller.* in *Præclaris Angliæ rebus*. Anglicè.

Extant libri IX. *Hiſtoriæ Anglorum* cum aliis *Anglicanarum* rerum Scriptoribus, *Londini* in fol. anno 1596. publicatis per *Henricum Savillium*, & anno 1601 *Francofurti* in *Germaniâ*.

Extat Epiſtola de Contemptu Mundi apud *Dacher*. Tom. VIII.

GALFRIDUS MONUMOTENSIS.

Clar. An. D. MCLI.

REgnante *Henrico* II. vixit *Gaufridus*, ſeu *Galfridus*, *Monemutenſis* Archidiaconus, ac poſt *Aſaphenſis* Epiſcopus. Nec ignoro *Centuriatores Magdeburgenſes* æqualem putare *Bedæ*, atque etiam *Cardinalem* ſtatui ab iiſdem. Verùm *Lelandro*, *Balæo*, *Anglorumque* aliis, de *Britannicis Scriptoribus* magis credendum. Edidit inter alia *Hiſtoriam Britannicam*. Item *Vitam Merlini Caledonii*, & *Geſta Arturi Regis*. Sed fides ejus à multis damnatur. Eoſque inter à *Polydoro Virgilio* (qui tamen crebrò ejus auctoritatem advocat in *Hiſtoriâ* ſuâ) item *Alano Copo*, *Joanne Molano*, *Baronio*, *Antonio Poſſevino*, & *Gulielmo Neubrigenſi*. Adverſus *Gulielmum Neubrigenſem*, & *Polydorum Virgilium*, *Galfridum* tuetur *Joannes Lelandus*. Hujus *Galfredi* pleraque Manuſcripta ſuperſunt in *Angliâ*: uti *Cantabrigiæ* in Bibliothecâ publicâ, & in Collegio S. *Benedicti*, &

in

Digitized by Google

in privatâ Bibliothecâ *Gualteri Copi. Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Galfridus Arthurius, Monemuthenſis Archidiaconus, genere *Britannus*, vir tam carmine quàm proſâ eruditus, quòd de clariſſimo *Britannorum* Rege *Arthurio* multa conſcripſerit, ab illius nomine cognomentum acceperit. Sunt qui iſtum plus juſto redarguant, potiſſimum *Guilhelmus Parvus Novoburgenſis*, & poſt eum *Polydorus Virgilius*, quòd, ut ipſis videbatur, importunè *Britannos* extulerit. Solus tamen fuit, qui ſuâ diligentiâ nunquam ſatis laudatâ, bonam *Britannicæ Antiquitatis* partem ab interitu planè vindicaverit. Illi certè non advertebant, communem eſſe Antiquis Scriptoribus, tàm Latinis quàm Græcis, nimium laudandæ Patriæ morem: imò nunc Adverſariis ipſis, etiam in meris adverſus *Deum* blaſphemiis. Interpres tantum *Galfridus* erat non fictor Hiſtoriæ, & vir per ſuam ætatem in omni ſpeculatione doctiſſimus. Benè igitur habet, quòd ejus defendendam ſuſceperit cauſam *Ponticus Virumnius, Italus* eruditus, qui in gratiam *Badoeræ* clariſſimæ *Venetorum* familiæ, quæ ex *Britannis* olim fuerat, Hiſtoriam ejus *Britannicam* epitomavit, hoc teſtimonium ferens: *Galfridus* (inquit) *Hiſtoricus egregius & Cardinalis, magnæ vir authoritatis apud Robertum Claudioceſtriæ Ducem Henrici Regis filium, ac patriæ ſuæ curioſiſſimus fautor, ex ſummâ Philoſophiâ atque Archivis Regalibus, Hiſtoriam antiquiſſimam continuâ ſerie ab ipſis Trojanis collectam tranſtulit. Veriſſimas eſſe Britannorum Hiſtorias, arguit Regum Occidentalium conſuetudo: quæ erat, ſecum ſemper habere eos qui veritate præcipua eorum geſta notarent.* Hæc ille. Sunt *Galfridi* ſcripta ab æmulis frequentiùs uſurpata, etiam ab ipſo *Polydoro*, nec habent in *Britannorum* Hiſtoriis explicandis teſtimonium majus. Si in annorum ſupputatione quibuſdam aliis non reſponderit, quòd commune id ſit *Hiſtoricorum* malum, facilè condonabitur. *Joan. Balæus.*

Vir in *Eccleſiaſticis* diſciplinis inſigniter inſtructus, doctus etiam maximè in omni genere humanioris literaturæ *Chronographus* etiam non contemnendus. Quòd ſi in *Hiſtoriâ Britonum* ficta nonnunquam factis, falſa veris, fabuloſa ſinceris miſcuiſſe videatur, id ei vitio vertendum non eſt. Nam Hiſtoriam illam ipſe non compoſuit, ſed ex *Britannico* in *Latinum* ſermonem tranſtulit *Interpres fidus*, ut ſcribit *Matthæus Paris* ad annum 1151. Hæc autem talia *Britannica Adverſaria* ope & operâ *Gualteri* Archidiaconi *Oxonienſis* accepit *Galfredus*, & ſimpliciter vertit veritatem vel falſitatem, quæ penes auctorem eſſe debet, nequaquam examinans. Certè ego homini multum tribuo. Neque enim in *Britannicis* Hiſtoriis hôc teſtimonio ejus, vix aut ne vix quidem aliquid antiquius, gravius, veriſimilius habemus. Si talis fabulator eſſet *Galfredus*, qualem apud ſeſe fingunt eum quidam obtrectatores, ſanè nunquam intuitu meritorum ſuorum, & inprimis laudatæ doctrinæ, ad *Epiſcopatum Aſſaphenſem* aſſumptus fuiſſet. *Joan. Pitſæus.*

Joannes Tvvinus eum *Homerum Britannicum* & *Mendaciorum* patrem appellat.

Sanè multa quidem fabuloſa in eo reperias: ſed non tanta hîc *Galfredi* eſt culpa, quantam arbitrantur. Nec enim ipſe ea confinxit; ſed ab aliis conficta, ex adverſariis, quæ à *Gualtero*, Archidiacono *Oxenofordienſi*, hoc eſt, *Oxonienſi*, acceperat.

ceperat, de *Britannico* ſermone Latinè vertit; ut ipſe extremo Operis ſui refert. Eaque in re fuit *Interpres fidus*: ut vocatur à *Matthæo Pariſio* ad ann. 1151. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

De certo mortis ejus tempore non conſtat. *Galfridi* fidem in Hiſtoricis vellicârunt plures tum veteres tum recentiores, & cenſurâ ſatis iniquâ premunt. Multa nobis incredibilia videntur, utpote à noſtris temporibus longiſſimè remota, & à ſeculi gentiſque noſtræ moribus aliena; multa, quæ etſi fabuloſa eſſe concedantur, non ſtatim ipſe tamen ex proprio ingenio confinxit, ſed ex vetuſtioribus rerum *Britannicarum* monumentis hauſit.

Extat *Hiſtoria Britanniæ, Pariſ.* 1517. 4o. & inter Scriptores *Britan. Heidelb.* 1587. fol. alia latent MSS.

Rabbi MOSES MAIMONIDES.

Clar. An. D. MCLX.

NAtus *Cordubæ* Ann. Chriſti, 1135. Septuagenarius obiit. *Ioan. Marſh.* in Canon. Chron.

In *Ægypto* Scholam erexit: unde à nonnullis *Moſes Ægyptius* dictus eſt: calluit linguam *Hebraicam, Chaldaicam, Arabicam, Turcicam, Græcam*, Philoſophiæ etiam, Theologiæ, Juriſprudentiæ & Medicinæ peritiſſimus fuit: à *Iudæis* magnis laudibus afficitur. Quidam eum *lucernam Iſraëlis* appellant: alii *lumen Orientis & Occidentis*: à nonnullis, ſapiens *Hebræorum Arabum* nuncupatur. *Elias* in *Thisbi* ita de eo ſcribit: *à Moſe Prophetâ uſque ad hunc Moſen non ſurrexit ſicut Moſes. Konig.* in Biblioth.

Circa ann. 1160. effulſit inclytus ille Rabbi *Moſes Ben Maimon*, qui ab initialibus nominis ſui literis, *Rambam* ſolet nuncupari. Fuit ille *Maimonides* in *Hebræorum* literaturâ, ac *Iure, Matheſi* etiam, & *Medicinâ*, præcellens. *Voſſ.* de Mathem. p. 370.

Doctiſſimus fuit inter *Hebræorum* Magiſtros, unde Maximus Doctor dicitur ab *Heinſio* in *Ariſtarcho*, p. 415. à ſuis ob eruditionem quâ polluit *Aquila* magna audit. *Quenſtedt.*

Maimonides Aquinas Rabbinorum à nonnullis vocatur.

Rabbi *Moſes Maimonides* omnium *Iudæorum* doctiſſimus & acutiſſimus. *Scalig.* Canon. Iſagog. l. 3.

Inter *Hebræos* celebratiſſimus *Mercer.* Præfat. in *Iob.*

Judæorum juris, quod tum temporis in uſu erat, ſcientiſſimus. *Selden.* de Syned. Hebr. l. 3. c. 3.

Fuit autor iſte candidus minimeque ſuperſtitioſus. Plus certè veritati addictus erat, quàm næniis importunis Neotericorum *Judæorum Druſ.* in Tetragramm.

Rabbi *Moſes Ben Maimon Talmudicam* doctrinam ſepoſitis nugamentis feliciter complexus eſt. Nunquam ita magnificè quidquam de illo Autore dicemus, quin id virtus ſuperet ejus. Fato enim quodam & ſorte naſcendi primus

ſoluſque

Digitized by Google

ſoluſque in illà gente rectè intellexit, quid hoc ſit *non ineptire*. *Petr. Cunæus* de Rep. Hebr. p. 9.

Moſes Maimonides(qui & *Moſes Ægyptius* dicitur) ſolidæ atque ingentis doctrinæ vir, de quo videor mihi poſſe id verè dicere, quod *Plinius* olim de *Diodoro Siculo*, primum illum inter ſuos deſiiſſe nugari. *Caſaub.* 16. Exercit. 16. ad *Baron.* Annal. p. 538.

Maimonides admirandæ doctrinæ Scriptor. *Idem* p. 538.

Ex *Judæis Maimonides* præſtat & *Kimchius*, quorum ille in ſuo More *Hannevochim*, hic in *Michlol* & *Schoraſchim Criticæ Sacræ*, tum ad linguæ Sanctæ, tum ad *rituum* & *ceremoniarum* notitiam tantum confert, ut à Bibliothecâ Theologicâ non facile poſſint abeſſe. *Hotting.* Bibliothecar. Quadripart. p. 175.

His addendus inter *Judæos*, quotquot à *Moſis* ætate floruerunt, doctrinæ & ingenii gloriâ longè præſtantiſſimus Rabbi *Moſes Ben Maimon*; cujus patrocinium ſi quis meruerit, idem ſe *Judæorum* omnium, qui illius *effata*, haud ſecus quàm *Dictata* de *Cœlo Oracula* audiunt tuliſſe ſuffragia glorietur. *Huet.* de Opt. gen. Interpretandi.

Eximium doctiſſimi *Maimonidæ* Opus *Doctor perplexorum*.—*Huet.* de Clar. Interp.

Et ſanè, ut dicis, multa in Rabbinorum Scriptis occurrunt quæ oſtendunt judicii tenuitatem. Sed ſunt & alii, qui lectis Philoſophorum *Græcorum* & *Arabum* libris nonnullis & *Chriſtianorum*, accedente ingenii quadam bonitate, interpretationes adferunt non improbabiles, quos inter excellunt *Aben Ezra* & *Maimonides*. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Samſ. Iohnſonum*, *Lutet.* 2. Septembr. 1638.

Ex quo literæ inter *Iudæos Occidentales*, *Chriſtianorum* æmulos, explendeſcere cœperunt, duo præcipua in iſtâ caligine effulſere lumina, *Maimonides* atque *Abarbanel*, *Hiſpani*. Neutri rara defuit doctrina, excellens ingenium, gravis prudentia, nobiliſſima literarum præſidia. *Acta Erudit.* ann. 1686. p. 527.

Sicuti Rabbi *Moſes Majemonides* apud cives ſuos tantam dudum adeptus eſt laudem, ut de eo pronunciarint: à *Moſe*, Prophetâ ſcilicet, ad *Moſen*, *Ægyptium* nimirum ſeu *Majemonidem* non ſurrexit *Moſi* ſimilis, ita non minoris eſt dignationis apud *Chriſtianos*, quippe qui ſolidæ atque ingentis doctrinæ virum fuiſſe unanimes affirmant. Hinc Philologi ſummi magno numero ſcripta ejus in linguam Latinam tranſtulerunt. *Acta Erudit.* Januarii 1684. p. 10.

More Nevochim Arabicè à R. *Moſe Ben Majemon* conſcriptus, literâ *Iudaicâ* nondum editus, cujus *Hebraicam* quoque Interpretationem habemus, liber plenus bonæ frugis, abſtruſæ eruditionis, & Theologis Chriſtianis apprimè neceſſarius. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. ad *Stephan. Ubertum.*

Rabbi Moſes cognomine *Maimonides* ſeu Maimonis filius magna mexiſtimationem ſibi peperit, nedum apud *Iudæos*, ſed & apud *Chriſtianos*, qui in ſuis Operibus unum ex ejus libris, cui titulus *More Nevochim* frequenter citant. Hujus Authoris præcipuus ſcopus eſt quæ in Scripturis difficillima inſunt elucidare, omniaque æquivoca in iiſdem occurrentia tollere. Plurimi Judæi in Methodum ejus illicò inſurrexerunt, & hoc Scriptum damnaverunt, quia

ſup

ſuo ratiocinandi more Gentis ſuæ Patrum traditionem evertere videbatur. Ac ſanè R. *Moſes* Philoſophum cenſeri nimis affectavit, & quoddam ex *Ariſtotelis* ac *Scripturæ* Principiis miſcellaneum ferculum paravit, quod omnium palatō ſapere non poteſt. Ejus Metaphyſica nimium ſubtilis eſt, & in ſua plurimarum *Hebraicarum* vocum genuinæ ſignificationis inveſtigatione ſatis peritus Grammaticus non videtur. Præterea fere ſemper quæſtiones decidit ex propriis præjudiciis quæ quidem Religionis quam profitebatur Axiomatibus quandoque conformia ſunt; ſed ſæpius etiam accidit, ut *Arabum* Philoſophorum, quorum libros evolverat, opinionibus mens ejus imbuta ſit. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſtor. Critic. V. T. l. 3. c. 6.

R. *Moſes* omnibus deliramentis omninò vacuus non eſt, licet aſſeveraverint quidam eum eſſe inter Judæos unicum qui deliria nulla ſcripſerit *Solus inter Judæos neſcit delirare Rabi Moyſes.* Verum eſt pauciora apud ipſum ea occurrere quam apud alios *Rabbinos*, ſed eorum prorſus expers non eſt, aliàs genuinus *Judæus* non eſſet. *Idem* Supplemento ad Judaicos Ritus. Gall.

Extat *Porta Moyſis* Arabicè cum Verſione Latinâ & notis cura *Edvardi Pocockii* LL. Orientalium in Acad. *Oxonienſi* Profeſſoris. *Oxoniæ* 1655. in 4°.

Extat de Idololatriâ Tractatus Hebraicè cum Verſione ac Notis *Dionyſii Voſſii. Amſtelodami* 4°. 1641.

Librum, cui Titulus eſt, *Doctor Perplexorum*, ex Hebræo tranſtulit *Joan. Buxtorffius. Baſileæ* 4°. ann. 1629.

Extat de *Pœnitentia* tractatus cum verſione *Joan. Hilperti. Helmſt.* 4°. an. 1651.

Extat opus *Manus Fortis* inſcriptum, Latinè redditum à *Ludovico* de *Compiegne* natione *Judæo. Pariſ.* apud *Petrum* le *Mounier* in 12°. ann. 1667.

Extat *de Conſecratione Calendarum* Tractatus. *Pariſ.* 1669. in 12°.

Extat liber cui titulus *Sepher Hammizvos Amſtelodami* 1660.

Extant *Canones Ethici* Ebraicè & Latinè cum Interpretatione & Notis *Georgii Gentii* 4°. *Amſtel.* 1640.

PETRUS BLESENSIS.

Clar. An. D. MCLX.

A Natali *Galliæ* ad *Ligerim* oppido cognominatus, ex Canonico *Bituricenſis* Eccleſiæ, *Bathonienſis* in *Angliâ* Archidiaconus, ac poſtea etiam *Londinenſis*, & *Cantuarienſis* Archiepiſcopi Cancellarius: obiiſſe videtur (inquit *Labbe*) circa annum 1200. aut paulò poſt. Scripſit multa, quæ undique conquiſita evulgavit *Pariſiis* in folio apud *Simeonem Piget* anno 1667. viâ *Iacobæâ* ſub ſigno *Prudentiæ*, *Petrus* de *Guſſanvillâ Carnotenſis* Presbyter doctiſſimus, cum Notis & variantibus Lectionibus.

Vir in divinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſæcularibus literis egregiè doctus; ingenio acutus & vehemens, quia vitia Principum & Prælatorum non palpare, ſed arguere noverat: propter eruditionem & vitæ honeſtatem apud Reges, Principes, & Epiſcopos in precio habitus. *Trithem.*

Vir linguâ diſertus & eloquens, omnigeno nitidioris doctrinæ honeſtamento nobilitabatur. Non aſſentator *Gnatonicus*, palpare, ſed teſtis & præco veridicus.

Digitized by Google

veridicus, Prælatorum ac Principum vitia modeſtè redarguere non metuens, in Gratiam ita venit coram *Henrico* II. *Anglorum* Rege, ut primùm archidiaconatu *Bathonienſi*, poſteà *Londinenſi*, demumque *Cantuarienſi*, per illum donaretur. *Thomæ Becketi Cantuariorum* Archipræſulis, quem pro raro *numine* tunc *Clerus* habebat, tumentem arrogantiam, in Epiſtolis ad Amicos & in familiaribus colloquiis ſolerter, ſed religiosè, ſtringebat. *Clerumque* ipſum à vero diſſentientem, quaſi impetu quodam, ſæpiuſculè vocabat *Syriam*, *Edom*, *Vitulos*, *Bethel*, *Idola Ægypti*, *pingues Samariæ*, *Sacerdotes Baal*, *Iudices qui condunt leges iniquas*, & plura ſimilia. *Ioan. Buleus.*

Inter dotes animi, quibus *Bleſenſis* excelluit, principem pono inſignem *Sacrarum Scripturarum* ſcientiam & memoriam, quarum ſententiis & Phraſibus ſic omnia ſcripta ſua condivit & reſperſit, ut haud ſecùs, quàm olim *Eliſeus* Propheta ab *Heliâ* ſpiritum duplicem, ſic ille à B. *Bernardo*, cui proximè ſucceſſit, Spiritum eructandi *Scripturas* hauſiſſe videatur. Deinde Summam in dictandis Epiſtolis facultatem & celeritatem. *Ioan. Buſæus* in vit. *Petr. Bleſenſ.*

Petrus Bleſenſis, Archidiaconus *Bathonienſis*: vixit tempore *Alexandri* tertii *Pontificis* & *Henrici* ſecundi Regis *Anglorum*, cui diu familiaris, & adminiſter fuit. Scripſit multa ſapienter, & eloquenter. *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Petrus Bleſenſis Archidiaconus *Bathonienſis*, libertate ſpiritûs in ſcribendo eximius, & normam vivendi *Eccleſiaſticis* præſcribens. *Ioan.* Card. *Bona.*

Primus fuit *Petrus* ille *Bleſenſis*, qui vocem *Tranſubſtantiationis* adhibuit, obſervante *Calixto*, tract. de *Tranſubſt.* th. 13.

Quæ ex ejus Epiſtolis nobis ſuperſunt, totidem pro *Eccleſia* doctrina & pro pietate ſunt Regulæ. *Moreri* Diction. Gall.

Ut *Petri Bleſenſis* meritum innoteſcat, ſatis eſt dicere eum fuiſſe delectum, ut unum è præclariſſimis ævi ſui *Politicis* à Gulielmo II. *Siciliæ* Rege, ad *Sigillorum Cuſtodis* munus; plurimos illuſtres Viros ejus operam quæſiviſſe tanquam eloquentiſſimi in ejus ſeculo, ad maximi momenti Epiſtolas ſuas ſcribendas; & Alexandrum III. Pontificem ejuſdem calamo uſum eſſe ad librum illum adornandum quem miſit ad potentem quendam *Orientis Principem* qui *Religionis* noſtræ *Myſteriis* initiari cupiebat. Magni illius Viri Opera bis jam ſub prelo ſudaverant. Sed nova hæc Editio duabus cæteris multò abſolutior eſt. Nedum enim ad plurium *Manuſcriptorum* trutinam iterum examinata fuit, ſed etiam Tractatibus aliquot hactenus ineditis locupletata. Conciones, quas P. *Buſæus* ex ſocietate *Ieſu* ſub *Petri Bleſenſis* nomine typis mandari curavit, illi non ſunt inſertæ, quia *Petrus Comeſtor* earum genuinus *Author* nuper deprehenſus eſt. *Eruditorum Ephemerides* Gallicæ, diei Lunæ 16. Maii 1667.

Petri Bleſenſis Continuatio ad *Hiſtoriam Ingulphi* primùm edita cum *Ingulpho*, *Oxon.* 1684. *fol.* p. 108.

JOANNES CINNAMUS.

Clar. A. D. MCLIX.

GRammaticus, ſeu *Notarius Imperatorius* claruit anno 1160. in vivis adhuc anno 1183. *Gul. Cave.*

Scripſit Hiſtoriam, quâ compendio *Ioannis Comneni*, diffuſè verò *Emanuelis Comneni* filii res geſtas depingit. Prodiit *Gracè* & *Latinè Ultrajecti* in 4. anno 1652. cum Notis *Cornelii Tollii*, itemque *Pariſiis* in fol. anno 1670. cum verſione, notiſque Hiſtoricis & Philologicis *Caroli* du *Freſn.*

Satis mihi erit pro hac re ſtabiliendâ elegantiſſimi item ac prudentiſſimi, licèt ſequioris ſeculi ſcriptoris, *Ioannis Cinnami* teſtimonium, in quo vertendo illuſtrandoque diu me exerceo ſperoque laborem hunc meum, propter pulcherrimam Hiſtoriam, ad hunc diem cum vetuſtate luctantem, meis vigiliis & amicorum operâ, è ſcopulo in tranquillitatem illatam, *Hiſtoricæ* veritatis ſtudioſis non ingratum futurum. *Leo Allat.* in Diſſertat. De *Pſellis.*

Autor elegans eſt, ſi quis alius. Formulis dicendi peregrinis ſæpiùs utitur, figuris ex ſophiſtarum penu. Periodi illi conciſæ, plenæ, niſi cum compoſitionis novitate aſperantur & obſcurantur. Totum ſe, ut verbo extricem, ad Procopium componit. Et mirum eſt, inter tot alios poſterioris ſæculi ſcriptores, tumultuariè in dicendo ſcribendoque delirantes, hunc tantùm ſapuiſſe. Non nemo dixerit, eum nimium ſibi indulſiſſe in enarrandis rebus *Græcorum*, quas majores, quàm erant, fecerit. His tamen reſpondebit *Thucydides*; eatenus ſunt tolerabiles alienæ laudes, quatenus ſeipſum quoque parem arbitrantur alicui illarum aſſequendæ: in quibus verò imparem, iis invident, fidemque non habent. In *Pontifices Romanos*, cùm ſeſe tulerit occaſio, ſemper & acriter intemperans eſt. *Idem* in Diatrib. de *Simeonibus.*

Sed omninò modum exceſſit in ſuo laudando Principe (*Manuele Comneno*) quem etiam, ubi vincitur, ut victorem nobis deſcribit. Sed illud quàm vanum, quod eum ſolum inducit pugnantem adverſus totum *Saracenorum* exercitum! Dictio ejus purior terſiorque, quam aliorum eſſe *Græculorum* ſolet. Imò *Xenophontis* ipſius, quem in Præfatione laudat, æmulus eſt. *Voſſ.* l. 4. de *Hiſt. Græc.* c. 19.

Vitio ipſi vertitur, quòd in laudando *Manuele* modum exceſſerit. Laudat quidem, ſed intra modeſtiæ limites, nec adulatur; certè adulationis ſuſpicionem à ſe longiſſimè ſe movet, dum ex inſitâ animi indole, atque ipſo naturæ ductu ſe ne verbum quidem ultrò aut ſcientem, niſi verè perinde ac liberè proferre poſſe profiteatur. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Veſtro dignum præſidio & tutelâ habeatis maximis quondam Imperatoribus earum *Ioannem* hunc *Cinnamum*, Scriptorem induſtrium, elegantem, magni *Xenophontis* æmulum, ſatis ingenio ſuo indulgentem, ſatis temperantem; laudantem *Comnenos* Principes ſuos, ubi ratio, & locus, & merita poſtulant, non res & fortunas eorum immodicè adulantem, omnibus denique, quæcunque illo ſæculo viguerunt ingenia, lumine ac claritate ſuâ tenebras obducentem.

Cornel.

Digitized by Google

Cornel. Tollius in Litt. ad Provinc. *Ultrajeċt.* ord. quas *Cinnamo* ſuo præmiſit.

Fatendum eſt, neminem fere alium junioris *Græciæ* Scriptorem aut totâ *Hiſtoriæ* ſerie verbis tam elegantem, aut in *Orationibus* tam bellum, tam argutum eſſe, atque hunc noſtrum. *Idem* in Not. ad *Cinnami* l. 3. c. 14.

Certè in iſto Opere, ut in enarrandis *Græcorum* geſtis nimium ſibi videtur indulſiſſe, dum ea longè majora, quàm erant, facit; ita in *Pontifices Romanos, Imperatores Germanicos*, atque adeo in *Latinos* omnes, ex innato *Græcanicis* ingeniis odio, ſeu potius invidiâ, parum æquus, imò ſemper & acriter intemperans eſt. *Carol. Dufreſn.* in Prolegom. de *Cinnamo.*

JOANNES SARISBERIENSIS.

IOannes de *Sariſberiâ*, ſeu *Salisbury*, natione *Anglus* patriâ *Wiltunenſis*, *Theobaldi Cantuarienſis* Archiepiſcopi, ejuſque ſucceſſoris S. *Thomæ Becket* Martyris primùm Clericus, tum anno 1172. creatus Epiſcopus *Carnotenſis* ceſſione *Willelmi* dicti ad Albas Manus, filii *Theobaldi* Comitis *Campaniæ*, qui ad *Senonenſem*, ac deinde *Rhemenſem* Cathedram promotus, per biennium *Carnotenſem* Epiſcopatum conceſſu *Alexandri* III. Papæ retinuerat. Interfuit Concilio *Lateranenſi* anno 1179. unde reverſus obiit anno 1182. ſepultus in Abbatiâ Sanctæ *Mariæ* vulgò de *Ioſaphat* appellatâ *Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A.D. MCLXXII.

Joannes Sarisburienſis, natus in Provinciâ *Wilcheriæ* quæ alio nomine Vilugia dicitur, ex primis unus fuit, qui noſtræ *Britanniæ* poſt *Theodori* tempora, *Græcam* & *Latinam* Linguam, ſuæ puritati ac dignitati reſtituere laboravit. Avidus bonarum literarum explorator, perceptis *Artium* præceptiunculis primis, trajectoque mari, celebriora *Gallorum, Italorum* & *Apulorum* frequentabat ſtudia. Dulce nimirum ſemper habuit, in liberalium *Muſarum* Campis exercere ludum, ingenio ad id dextertimo præditus. Singulari per hos labores linguæ beneficio atque eruditione præſtans, *Eugenio* tertio, & *Hadriano* IV. *Rom. Pontificibus*, ac tandem *Cantuariorum* Archipræſuli *Theobaldo*, eximiè charus fuit. Telis tamen acerbiſſimis nonnunquam inſectabatur *Cleri* abuſus Scriptor ſuæ ætatis longè eloquentiſſimus, *Carmine* ac *Proſâ* excellens. *Ioan. Balæus.*

Ioannes Sarisburienſis Natione *Anglus*, patriâ *Wiltunenſis*. Vir ad bonas artes capeſſendas à naturâ formatus Copioſi, grandis, ſublimis ingenii. Inſignis Poëta, Orator eloquens, omnes liberales, omnes Mathematicas artes ad unguem calluit. In Philoſophiâ tum Morali, tum Naturali profundè eruditus. *Græcæ* Linguæ peritiſſimus, *Hebraicæ* non ignarus. Denique in *Sacris Scripturis* omnique *Theologiæ* genere verſatiſſimus. Anno Dom. 1177. factus eſt in *Galliâ Senonenſi Carnotenſis* Epiſcopus. *Carnoti* obiit an. Dom. 1182. dum in *Angliâ* regnavit *Henricus* II. *Pitſæus.*

Ejus *Policraticon* magni æſtimatur apud Eruditos.

Joannes Sariſberienſis Epiſcopus *Carnotenſis* tempore *Alexandri* III. ſupra

Digitized by Google

ævi illitis morem doctiſſimus, vir gravis etiam cum de nugis ſcribit. *Joan. Bona.*

Fuit vir *Gracè Latinè* que doctiſſimus, ac proſâ idem ac carmine pollens. Imò ut optimè *Dempſterus* cenſet, *in eo multiplex lectio, acre judicium, & ,ut illa ferebant tempora, eloquentia ſatis Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Joannes Sarisburienſis,vir,ſupra quam barbaries ſeculi ferebat, in omni literarum genere verſatiſſimus, unde & *Incomparabilis* pro eâ ætate *Scriptor* dicitur *Roſino* in *Antiq.* Inſignis *Græcus* & *Latinus*, ita ut utramque linguam in *Angliâ* priſtinæ puritati reſtituerit. *Quenſtedt.* de Viris Doctis.

Dignus ille auctor, qui multorum manibus teratur. Nævi aliqui, ſed illius ævi ſunt: qui doctam ſcripti majeſtatem non impediunt. Atque *mores* noſtri ejuſmodi quoque *Cenſorem* merentur. *Eryc. Putean.* cent. 2. Epiſt. 84. ad *Palthemium.*

Magnum ingenium,ſumma prudentia, ſingularis eruditio fuere ævo ultimo, in *Joanne Saresburienſi Anglo, Carnotenſium* Epiſcopo. *Epiſtolæ* tanti *Præſulis* magno bono literario nuper memoriæ reſtitutæ ſunt. *Barth.* l. 13. adv. c. 12.

Quô neſcio an ullum ex ſequioribus ſeculis literatiorem Scriptorem habuerit. *Idem* ibid. l. 16. c. 31.

Meritò *Joannem Saresburienſem*, *Carnotenſium* ante annos ferè quingentos Præſulem tanti faciunt ſummi hujus ævi viri, ut penè *Romanis Scriptoribus* adæquent. Habuit ille ſanè *Scriptores*,iiſque dextrè ad *res* & *verba* uſus eſt,quos nobis *fata* inviderunt. *Idem* ibid. l. 17. c. 8.

In quo Centone (viz. *Policratico Joannis Sarisburienſis*) multos pannos purpuræ agnoſco,& fragmenta ævi melioris. *Lipſ.* Not. in *Tacit.*

Quamvis ſæpiuſculè purpuræ huic pannum aſſutum videas, non illicò tamen ex bonæ notæ Auctorum cenſu exauctorari omninò merebatur. *Euſthaſ. Svvart.* l. 1. Analect. c. 3.

Joannes Saresberienſis, *Cornicula* vocatur à *Jano Douſâ* nomine parum honeſto, quodque ſaltem eô locô non merebatur, Scriptor alioqui non malignus, & vel ex ævi barbari moribus,ſi non ubique autores citat, excuſandus, neque tam aſperè habendus. *Thomas*, de *Plagio*, num. 535.

Ioannes Saresburienſis multa ex *Apuleio* deſumpſit. *Colvius* in Notis ad lib. de Dogm. Platon.

Videor mihi videre in hoc homine,præter raram quandam facundiam omnis ſcientiæ orbem. *Ioan. Leland.*

Vir *Gracè* & *Latinè* doctiſſimus, in quo *matutinam ſtellam* de ſuis theſauris *Deum* produxiſſe ait *Petrus Abbas Cellenſis*, lib. 7. ep. 8. *Olear.* in Abac. Patrum.

Vir ætatis ſuæ eloquentiſſimus, & reconditioris cujuſvis Scientiæ genere inſtructiſſimus. Morum ſeveriſſimus Cenſor, & ſi quis alius, rigidi ſervator Honeſti: in carpendis aliorum,etiamſi Regum vel Pontificum vitiis parem adhibuit facundiam & libertatem. Nec amicis pepercit,nec inimicis. Quin nec ipſi *Thomæ*, domino ſuo & familiari,obſtinatum & pervicacem in Regem clementiſſimum animum ſæpius objicere dubitavit. *Gul. Cave.* in Hiſt. Literar.

Hic

Digitized by Google

Hic ut prophanis Scriptis autoritatem conciliaret, impudenter mentitus eſt. *Ernſt.* de verâ Philoſ.

Plura de hôc Autore memoratu ſanè digniſſima, ex Epiſtolarum *Thomæ Becketi* collectione, non ſine lectoris commodo peti poſſunt.

Extat *Polycraticus* Lugd. Bat. 1639. 8°. & in Biblioth. Patr. Tom. 23.

Extant Epiſtolæ 303. in Bibliothecâ Patr. Tom. 23.

Epiſtolarum aliarum prodiit Pariſiis. 1611. 4.

THEODORUS BALSAMON.

Diaconus, dein Nomophylax, & Chartophylax, tandem Patriarcha *Antiochenus*, eruditiſſimus ſui ſeculi. Spe ſedis *Conſtantinopolitanæ*, ab *Iſaaco Angelo* Imp. lactatus, in *Præſulum* cœtu, tranſlationem ex unâ ſede in aliam *Canonibus* non eſſe contrariam obtinuit, ſed *Doſitheo*, qui Patriarcha *Hieroſolymitanus* fuerat, ab Imperatore promoto, deceptus eſt. *Scripſit* notas in *Nomocanonem Photii*: & *Syllogen Conſtitutionum Eccleſiaſticarum*; quorum ille in Bibl. *Iuris Canonici Iuſtelli*, hæc cum notis *Caroli Annibalis Fabrotti* prodierunt. Sed Commentarius ejus in *Nomocanonem* in Bibl. *Baſilienſi*, longe amplior extat, quàm qui *Pariſiis* habetur: *Scripſit* porrò Meditationes in privilegia *Patriarcharum*, Reſponſiones ad *Marcum* Patr. *Alexandriæ*: ubique acris contra *Latinos*, qui tum *Antiochiam* tenebant. Obiit anno 1203. *Hofman.* Clar. A. D. MCLXXX.

A *Spondano* in Epitom. *Annalium Baron.* ad annum 1193. num. 4. vocatur *Iuriſconſultiſſimus*, item *legum* & *Canonum* peritiſſimus.

Theodorus verò peſſimè affectus in *Latinos*, à quibus ſuâ Eccleſiâ pelleretur: toto opere illo (notis in *Nomocanonem Photii*) ſummâ animi amaritudine à ſe conſcripto, nihil magis elaboravit, quàm ut infamaret *Latinorum* Eccleſiam principalem, *Romanam Sedem*, cujus auctoritate ab *Antiochena Eccleſiâ* ſe excludi cognoſceret. At quàm calumnioſè, aſtutè, vafroque conſilio id egerit, videndum eſt: In primis vero homo vaferrimus conſuetâ arte *Pelaſga* apocrypha in ſua collectione miſcuit cum *authenticis* atq; *probatis*, nempè *Canones Apoſtolorum* dictos, ab Eccleſiâ Catholicâ nunquam receptos & probatos; itemq; rejectos alios, appoſitoſque mentitos *Canones* ad ſextam *Synodum*, ex quibus tanquam è Pharetris Sagittas ſumit contra *Cœlibatum Eccleſiæ Occidentalis*, *jejunium Sabbati*, & alia id genus. Itemque, quod nemo alius *Græcorum* anteà fecerat, ex *Actis Sylveſtri Papæ*, ſub *Euſebii Cæſarienſis* nomine falsò *Græcè* ſcriptis edidit edictum *Conſtantini* de *Donatione*, non ut rem gratam faceret *Romanæ Eccleſiæ*, ſed ut *Conſtantinopolitanum Patriarcharum* oſtenderet antiquiſſimum. *Baron.* ad ann. 1191.

Neque hîc omittenda cautio *Ioannis Mariæ Braſichellani* in expurgatione Bibliothecæ *Bigneanæ* veterum *Patrum*: *Memineris Lector Theodorum Balſamonem Græcum eſſe Schiſmaticum, Eccleſiæ Romanæ Hoſtem, erroribus non paucis defœdatum, ut notavit Genebrardus in Chronologiâ, p. 616. & 622. Ideoque Scholia ejus ac Commentaria cautè legenda, nec eis multum fidendum. Phil. Labbe de* Script. Eccleſ.

Hunc *Theodorum Balſamonem* jure *Canonico* pariter ac *Civili* inſtructiſſimum fuiſſe, non tam ex aliorum teſtimoniis, quàm ex ſuis ipſius Operibus conſtat. Multa ſiquidem compoſuit, quæ omnia ad *juriſprudentiam* ſpectant——Inter omnia autem Opera, quæ illuſtris hic in utroque *Iure* princeps elaboravit, primum illud jure merito habetur, quo antiquos *Conciliorum Patrumque Canones* interpretatus eſt *Gul. Bevereg.* Prolegom. ad *Canones.*

ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ, &c. Divinus ille vir, *Antiochiæ* Patriarcha, accuratè percallebat *Civiles* & *Canonicas* Conſtitutiones,& ab omnibus in hiſce rebus celebratus fuit.Ejus autem ſcripta, quæ ad *Canonica* & *Civilia* lemmata edita ſunt, non in omnibus, quod mirum eſt accurationem habere cernuntur, ſed velut ex oblivione maximè & inconſiderantiâ procedentia, alibi etiam in ſeipſis diviſa.Nec de eo dubitat qui diligenter conſiderârit,inveniens ejus ſcripta ſubtilitati viri non reſpondentia. Ego autem etiam illo vivo multos audivi *Conſtantinopoli* legiſperitos,qui quaſdam viri illius ſententias reprehenderent, quòd non eſſent rectè prolatæ in *Canonum* & *Legum* interpretationibus,& aliis hujuſmodi voluminibus.*Ioan.* Epiſc.*Citri* in Epiſt.ad*Conſtantinum Cabaſilum* Archiepiſc. *Dyrrachii.* Vide *Gul. Bevereg.* ibid.

Vixit uſque ad annum 1203.quo capta eſt à Latinis *Conſtantinopolis.*De obitu verò ejus nihil conſtat. Græcorum ſui temporis citra invidiam doctiſſimus, Juris Orientalis Canonumque Eccleſiaſticorum, omnium quos unquam tulit ferax Græcia, peritiſſimus. Erat præterea Eccleſiarum Orientalium adversùs Latinos acerrimus propugnator, quo nomine convitia in illum pleno ore effundunt *Baronius*, aliique cauſæ Pontificiæ Sectarii. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ.

Extant Græc. Lat. Commentarii in Canones Apoſt. & Conciliorum, Epiſtolæ SS. Patrum, *Pariſ.* 1620. fol. & cum Notis *Beveregii* in Pandect. Canon. *Oxon.* 1672. fol.

Verſio Latina Expoſitionum *Balſamonis* in *Photii* Nomocanonem, *Gentiano Herveto Gallo* auctore, primùm prodiit *Pariſiis* 1561. eodemque anno altera, è librariâ *Bonifacii Amerbachii*, auſpiciis *Henrici Agylai*, *Belgæ*, qui itidem latinitate donavit, *Baſileæ* editâ, per *Ioan. Oporinum.*

Rabbi DAVID KIMCHI.

Clar. A. D. MCXV.

Iſpanus, Filius Rabbi *Joſephi Kimchi*, Grammaticus doctiſſimus, floruit Anno Dom. 1190. *Alſted.*

Scripta ejus hæc ſunt: *Michol*, id eſt, ſummæ partes duæ;altera Grammaticas Regulas complectitur, altera Dictionarium Talmudicum----Commentarii in libros *Joſue*, *Iudicum*, *Samuelis*, Hiſtoriam Regum, in *Prophetas*, *Iſaiam*, *Jeremiam*, *Ezekielem:* & in duodecim minores Prophetas : in Pſalterium——Liber Radicum.

Nomen eſt familiæ quæ tres viros inſignes habuit; viz. *Ioſephum* Patrem, & *Davidem*, *Moſem*que Filios : quorum uterque *Grammaticam* edidit, ſed ille pleniſſimè

Digitized by Google

pleniſſimè ſcripſit de hac arte, quem *Chriſtiani Doctores* plurimùm ſequuntur. *Druſ.* Not. in Tetragram.

Vir talis, qui quod literam, quod Hiſtoriam, quod denique Idiomata vocum attinet, plurimum lucis ac utilitatis *Veteri Teſtamento* adferat. Nonne ex ſolo ipſius libro. *Radicum* ſole clarius ipſius *Ebraica* eruditio ſolidiſſima refulget? certè ſuo *Michol*, omnem laudem eſt ſupergreſſus. *Dilberi* Diſputat. Academic.

David Kimchius, author, ut doctus, ita (niſi ubi nimio in *Chriſtianos* zelo præceps rapitur) ſobrius & gravis. *Pocock* Not. Miſcel. in Port. Moſ. c. 4.

Magnus *Chriſtianorum* adverſator, vocatur *Grotio* in 5. l. *Verit. Rel. Chriſt.* ſect. 22.

Ex *Judæis Maimonides* præſtat & *Kimchius*, quorum ille in ſuo *More Hannevochim*, hic in *Michlol* & *Schoraſchim* Criticæ Sacræ, tùm ad Linguæ Sanctæ, tum ad Rituum & Ceremoniarum notitiam tantum confert, ut à Bibliothecâ Theologicâ non facilè poſſint abeſſe. *Hottinger.* Bibliothecar. Quadripart. p. 175.

Multùm laudat *Kimchi* librum *Radicum Paulus Fagius*: Neſcio (inquit) an unquam liber in *Hebræâ Linguâ* à quoquam mortalium ſcriptus ſit, qui eo plus prodeſſe poſſit omnibus ſolidè Hebraicari cupientibus. *Paul. Fag.* Præfat. præfix. *Thisbiti*.

Ut ex *Rabbinis Hebræorum* in *Vetus Teſtamentum* noviſſimus eſt, præter Rabbi *Levi Ben Gerſon*, ſic etiam doctiſſimus, minimè ſuperſtitioſus, & Chriſtianorum lectioni aptiſſimus judicatur. *Geſner.* in Biblioth.

R. *Davidi Kimchi* honorificum viſum fuit à ſuperioribus diſſidere, ut famam apud poſteros ſibi conciliaret. Atqui hic ſæpè dormit, magiſque eſt Grammaticus quàm Theologus, qui proinde à *Iudæis* negligitur, & tantùm habetur pro Grammatico. *Poſſevin.*

R. *David Kimchium*, qui eſt *Hiſpanus* æquè ac *Aben Ezra* præ omnibus Judæis Grammaticis ſequuti ſunt Theologi, tum propter ejus methodum, tum propter Styli puritatem. Ab illa familia prognati multum in Hebraicam linguam laboraverunt. *Moſis Kimchi* fratris *Davidis* Grammaticam habemus quæ in *Latinum* verſa fuit. Prætereaque *Ioſephi Kimchi* patris eorum Libri à Rabbinis quandoque citantur. Sed quia *R. D. Kimchi* omnes alios antecelluit, ejus ferè ſolius opera poſterioribus his ſeculis lecta ſunt. Chriſtiani ea tranſtulerunt prout ea ſibi neceſſaria deprehenderunt, imo ipſa tamquam ſuarum Verſionum normam ſibi propoſuerunt. Recentiores Judæi cæteris omnibus Grammaticis illos etiam anteponunt: Et *Aben Melech* qui Grammaticalium interpretationum Rabbinicarum in totam Scripturam Synopſin conſarcinavit, huic Authori præſertim adhæret. De illo dicit neminem inter Judæos ei comparari poſſe, tum quoad *Maſſoræ* ſtudium, tum quoad bonorum Exemplarium Biblicorum quæ in *Hiſpania* extabant perquiſitionem. Interea tamen utcumque ſatis exactè *Maſſoram* ſequatur Kimchi, ab illa nihilominus quandoque recedit, literaſque invicem permutat ut meliorem ſenſum eruat. *Jeſ. Rich. Simon.* Hiſt. Crit. Ut. l. 1. c. 31.

R. D

R. D. *Kimchi ad* Scripturarum ſenſum literalem animum etiam appulit;Ejuſque Commentaria minùs tædioſa forent, ſi tot Grammaticis ſubtilitatibus non ſcaterent. Idem ibid. lib. 3. c. 6.

Inter *Rabbinos* qui excelluerunt in explicatione ſenſus literalis Scripturæ Sacræ, D. *Kimchi* præ cæteris æſtimatur. Ille eſt qui graviores *Grammaticæ* difficultates explanavit. Ab illo *Pagninus* & plerique omnes cæteri *Authores* qui *Lexicis* condendis operum navarunt Verborum ſignificationem didicerunt.Illi præſertim Recentiores *Hebraicæ Linguæ Idiotiſmorum*, notitiam acceptam ferre tenentur. *Ephemerid. Erudit.* Gall. diei Lunæ 6. Decemb. 1666.

Seculo 13. vivebat,& in *Hiſpania* natus erat, ex familia inter populares ſuos illuſtri, cum & ejus Pater & Frater ejus duo celeberrimi *Rabbini* fuerint. In maximam Scripturæ Sacræ partem Commentarios elucubravit, qui apud Judæos in magno pretio habentur, ſed quorum Chriſtiani ſufficienti notitia carent, quia pauci reperiuntur inter hos qui Hebraicum Idioma ſatis perfectè calleant ad Rabbinorum claram intelligentiam. Idem ibid.

Pſalmos IV. cum interpretatione ejus Hebraicâ, edidit Hebraicè cum verſione ſuâ Latinâ *Ioannes Bourdelotius Senonenſis*, advocatus *Conſiſtorii* aulici. *Lutetiæ Pariſ.* in 4. ann. 1619.

Commentarii in omnes Pſalmos *Davidis* ex Hebræo Latinè redditi à Domino *Ambroſio Janvier* Congreg. S. *Mauri* Monacho *Benedictino*. *Pariſ.* in 4. apud *Lud. Billaine* ann. 1666.

ROGERUS HOVEDENUS.

Clar. A. D. MCXCIX.

EBoraci in *Angliâ* nobilibus parentibus ortus,ac primarius quondam *Theologiæ* in Academiâ *Oxonienſi* Profeſſor, vixit uſque ad annum 1200. Quo autem anno defunctus ſit,incertum eſt. Inter domeſticos *Henrici* II. *Angliæ* Regis aliquando fuit, quo defuncto, *Hiſtoriam* ſive *Annales Gentis ſuæ*, duobus elaboravit libris,eos auſpicatus ubi *Beda* deſiit, ab anno ſcilicet *Chriſti* 731. perduxit autem uſque ad *Iohannem* Regem, qui anno 1199. regnare cœpit.Extant *Annales* inter Autores *Rerum Anglicarum* ab *Henrico Savilio* editos, anno 1596. *Londini*, iterumque *Wechelrianis* Typis *Francofurti* Anno 1601.

Dum egit in *Aula*, ſolebant aliquid nonnunquam ab eo conſilium petere in Juris controverſiis difficilioribus, unde vidit è re ſua fore, ſi ſtudiis *Cæſarii* vel *Civilis Iuris* ſe dederet, ad aliquot igitur annos illi ſcientiæ navavit operam. Deinde etiam ad *Ius Pontificium* vel *Canonicum* animum adjecit, & in utroque non contemnendos fecit progreſſus. Hâc igitur doctrinâ & in rebus agendis dexteritate, aucta eſt apud Regem viri auctoritas, aucta gratia, auctæ denique facultates. Verùm *Henrico* Rege mortuo,reliquit *aulam*, mutavit animum,& ad *Hiſtorias* tum legendas, tum etiam ſcribendas ſe contulit, ſcripſitque *Annales* gentis noſtræ longè accuratiſſimos, non ſolùm annos,ſed etiam menſes, dies, & nonnunquam Horas diligenter annotans----Has Hiſtorias Ann. Dom. 1291. omni diligentiâ, donec invenirentur, per Bibliothecas *Angliæ* perquiri fecit

Edvardus

Digitized by Google

Edvardus Primus *Angliæ* Rex, eo tempore quo dubitari cœpit de *Supremo Dominio* Regum *Angliæ* in Regnum *Scotiæ*: de quâ controverſiâ ſcribit *Ranulphus* in *Polychronico* libro ſeptimo, capite 39. Sed apud hunc & alios plurimos Auctores res adeò clara inventa eſt, ut poſteà nullus relictus fuerit dubitandi locus, quin *Rex Scotiæ* ſemper fuerit Regis *Angliæ* Vaſſallus, tenueritque Regnum ſuum tanquam *Anglicani* Regni verum & legitimum *feudum*. Porrò *Rogerus* ſuis Hiſtoriis & aliis Scriptis laudatiſſimis nomen omni poſteritati, imò potiùs immortalitati commendavit. *Joan. Pitſeus.*

Rogerus Hoveden, vel *Hovedenus*, *Chronographus* inſignis, in *Eboracenſi* provinciâ, ex illuſtri *Hovedenorum* familiâ natus, plurimum apud ſuos *Anglos* ingenii dexteritate valuit. *Joan. Balæus.*

Rogerus de *Hoveden*, inſignis Hiſtoricus, ſcripſit libros duos *Annalium Anglicanorum* valdè diligenter, & pervenit uſque ad *Johannem* Regem, qui regnare cœpit Anno Dom. 1199. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Vir clariſſimus *Henricus Savill*, præfatione in *Scriptores Angliæ* à ſe editos *Londini*, vocat eum *Auctorem cum primis bonum & diligentem, veriſſimumque ſuperiorum temporum Indicem.*

Tantùm interim Lectorem admonitum volo, fuiſſe quendam *Rogerium Hovedenum*, hominem non indoctum, qui eâdem quâ ille (*Simeon Dunelmenſis*) ſerie, *Hiſtoriam* deduxit à *Bedâ* ad *Johannis* Regis Imperium, quem ob Hiſtoriam avitam ut meritò probandum putem, ita improbandum, quòd, picta *Simeonis* prata, nulla ejus nominis mentione prorſus habitâ, compilaverit. *Joan. Leland.* MS. de vitis Script. *Anglic.*

Hic mihi non placet *Rogerius Hovedenius*, vir alioquin laudandus, qui Scrinia *Simeonis*, ſuppreſſo ejus nomine, ſtrenuè compilavit, & aliena pro ſuis, gloriæ avidulus, ſuppoſuit. *Joan. Leland.* Comment. in *Cygn. Cant.*

Manuſcriptum hoc opus *Cantabrigiæ* adſervat Bibliotheca, quæ eſt in Collegio S. *Benedicti. Thomas James* in Bibliothecâ eâ S. *Benedicti* exſtare ait *excerptiones* de *Chronicis Roberti de Hoveden.* Uti quoque privatâ Baronis *Lumleyani*, atque alia *Gualteri Copi. Voſſ.*

GULIELMUS NEUBRIGENSIS.

GUlielmus cognomine *Parvus*, *Anglus*, *Bridlingtonæ* in agro *Eboracenſi* natus, Cœnobii *Neuburgenſis* (inde illi *Neuburgenſis* nomen) ordinis *Auguſtiniani* Canonicus, claruit anno 1200. etiam ante plures annos clarus, quippe qui natus eſt anno 1136. Obiiſſe volunt anno 1208. *Gul. Cave* Chartophyl. Clar. An. D. M C C.

Sub *Richardo* Rege, ac *Joanne*, claruit *Gulielmus Little*, qui & *Parvus*, ſive *Gallico* cognomento *Petit.* Imò nec alius eſt *Gulielmus Neubrigenſis*, quomodo vocatus, quia *Novoburgenſis* Monaſterii propè *Sylvam Cuculinam* Canonicus, ac Doctor Theologus fuerit. Hic, præter alia; edolavit libros duos de *Regibus Anglorum*: Item Hiſtoriam de *Geſtis Anglorum* libris quinque: qui Manuſcripti ſuperſunt *Cantabrigiæ* in Collegio S. *Benedicti. Thomas James* ait, eos manu recen-

 tioris

Digitized by Google

tioris ſcriptos quibuſdam in locis eſſe reſtitutos & perfectos. At primus eos in lucem protulit *Guilielmus Sylvius*. Orditur ab anno 1066. quo *Guilielmus* cognomento *Nothus*, *Dux Normanniæ*, *Haraldo* Regi *Anglorum*, bellum intulit: Hinc autem paucis omnia perſtringit, uſque ad annum 1135. quo ſe natum fuiſſe ſcribit: inde verò fusè omnia perſequitur, uſque ad annum 1197. *Polydoro Virgilio Veridicus Auctor* nuncupatur. At à *Guilielmo Lelando* non injuriâ reprehenditur, quòd modum non tenuerit in culpando *Galfredo Monemutenſi*. Nam etſi multa fabuloſa in eo ſint; tamen non tam multa, quàm ille videri vult. Nec ipſe effugere potuit *Neubrigenſis*, quin fabulas multas Hiſtoriæ ſuæ inferciret. Interea diſſimulare non poſſumus, longè majori judicio, ac delectu, in ſcribendâ Hiſtoriâ *Neubrigenſem* uſum eſſe, quàm *Galfredum Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Is humanis juxtà ac Divinis Studiis tantoperè adhærebat, ut nullam ferè horam rectè collocatam putaret, niſi in doctorum librorum lectione. A *Polydoro Virgilio*, *Veridicus Author* pronunciatur, quòd *Britannica Hiſtoria* fidem non læſerit. A *Lelando* æquiore rerum noſtrarum cenſore, è contrà juſtiſſimè reprehenditur, quòd *Britannicarum* Antiquitatum ignarus, tam calumnioſè cum *Galfrido Monemutenſi*, homine erudito, & mortuo, tam acriter in *Chronicorum* ſuorum Proœmio decertaverit. *Arthurum*que fortiorem eſſe, *Lelandus* dicit, quàm qui ſupprimeretur à deſide *Monacho* ac alium fuiſſe *Merlinum*, quàm putaret ſubjiciendum alicujus cucullati judicio: quum eorum nomina de medio tollere niteretur. Erat tamen *Guilhelmus* (inquit) ne quem juſtâ defraudem gloriâ, vir ſuâ ætate, rerum temporibus recentioribus geſtarum non ignarus; ſed multò in *Scripturarum* Interpretatione, ut ex ejus facilè apparet libris, fœlicior. Scripſit ab An. *Dom.* 1066. ad an. 1197. ſtylo ſatis nitido. *Ioan. Balæus*.

Natione *Anglus*, patriâ *Eboracenſis*, ex Oppido *Bridlingtono*, & in *Cœnobio Neuburgenſi* juxta Sylvam quæ dicitur *Cuculina*, ſecundùm inſtitutum S. *Auguſtini Hipponenſis* Epiſcopi Canonicus regularis. *S. Theologiæ Doctor*, in profanis etiam literis bene verſatus. Vir ingenii, ut videtur, vafri & aſtuti, nonnihil item ambitioſi. Magnatum adulator, & ſæcularis potentiæ nimius fautor. Unde mihi de veritate in Hiſtoricis narrationibus non parum ſuſpectus. A *Lelando* certè nec immeritò reprehenditur, quòd Hiſtoriam *Galfredi Monumetenſis* tam rigidâ cenſurâ notaverit. Erat tamen in Sacris Scientiis eruditus, & in ſuis Scriptis ubique ſatis politus. *Joan. Pitſeus.*

Stylus eſt *Gulielmo* ſatis Latinus, ſatis nitidus, longè purior quàm quo Scriptores noſtri coætanei uti ſolebant. Ad Hiſtoriæ ejus fidem non parùm facit, quod quæ tradit, aut ipſe ſuis vidit oculis, aut à viris fide dignis accepit. *Gul. Cave* in Hiſt. Literar.

Extant *Hiſtoriæ Anglicæ* libri 5. cum Notis *Joannis Picardi*, *Pariſiis* 1610. 89.

STEPHANUS LANGTONUS.

Chr. Ann D. MCCIV. ANglus, primùm Gymnaſii *Pariſienſis* Magiſter fuit in *Theologiâ*, & ſæcularis *Canonicus* ad ædem *B. Mariæ*; exinde à *Papâ Innocentio* III. creatus eſt Presbyter-

Digitized by Google

Preſbyter *Cardinalis* Tit. *S. Chryſogoni*; ac tandem in Patriâ *Archiepiſcopus* factus *Cantuarienſis*: qua in dignitate admodum ſenex obiit anno ſalutis 1228. nono Regis *Henrici* III. anno, Epiſcopatus ſui 21. *Scripſit Commentarios* in omnes & ſingulos *Vet. Teſtamenti* libros, & in Epiſtolas D. *Pauli*; aliaque plura, quæ habentur MSS. in *Bibliothecis Anglicis*, alibique.

Stephanus Langton, Anglus ad literas natus, *Gymnaſii Pariſienſis* Magiſter in *Theologiâ*, & ad fanum *D. Mariæ* Canonicus Secularis, ac tandem ſupremus ejus ſtudii Cancellarius, in Philoſophiâ *Ariſtotelicâ* nulli ſuo tempore habebatur ſecundus. Utramque Theologiam, & *Scholaſticam* & *interpretativam* ingenio callidus, novo *prælegendi* genere per ſubtilitates docuit: *Scripturaſque Sacras* multis annis quàm ſuperſtitiosè per *Allegorizationes* ac *Moralizationes* expoſuit. Qui mos diabolicus, unoquoque ferè pro ſui ipſius interpretante commodo in maximum rei *Chriſtianæ* detrimentum, ad hanc noſtram ætatem ſemper in deterius accrevit. His initiis clarus, & *Romam* à *Pontifice Innocentio* III. accitus, inter *Palatinos*, *Palatinus* & ipſe, *Theologiam* publicè profitebatur: ad S. *Chryſogonum* Preſbyter tandem *Cardinalis* effectus. Mortuo interim *Huberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo, idem Pontifex (inquit *Lelandus*) ad ſolitas artes recurrens cauſabatur neſcio quid, ut *Stephanus* iſte ſubſtitueretur. Satis enim (ait) ſatis ſciebat illum in *Angliâ* magno uſui ſibi futurum, utpote hominem à ſeipſo non ab *Anglo*, honoribus auctum. *Joannes* verò *Rex*, ut erat animo excelſo & planè invicto, tantam injuriam non ferens, *Stephano* ſtatim regno ſuo interdixit. *Joan. Balæus.*

Nemo Scholaſticas ſubtilitates ſive in *Theologiâ* ſive in *Philoſophiâ* clarius illo explicavit. Nemo Sacræ Scripturæ ſenſum, tam allegoricum quàm moralem feliciùs enodavit---Dum eſſet *Archiepiſcopus*, ad reformandum *Clerum*, & *Populum Anglicanum*, inſignes *Eccleſiaſticas* Conſtitutiones numero quadraginta & octo prudentiſſimè compoſuit. Omnes tùm *Veteris* tum *Novi Teſtamenti* libros primus omnium in *Capita*, uti nunc habemus, ad eorum, qui Sacris Literis ſtudent, utilitatem, multo cum judicio diſtribuit & diſtinxit. Quod ante illum fortè vix quiſquam unquam cogitavit, & in iis poſt illum nemo mutandum aliquid judicavit. *Joan. Pitſeus.*

Thomas Waldenſis in *Doctrinali* mentionem honorabilem hujus viri non ſemel facit, & ejus argumentis atque auctoritate nonnunquam utitur.

Stephanus Anglicus, gymnaſii *Pariſienſis* quondam decus & rector, in divinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, atque in Philoſophiâ *Ariſtotelicâ* nulli ſuo tempore ſecundus, theologiam multis annis glorioſè docuit, & primus Scripturam Sacram *moraliter* exponere cœpit. Et hinc mos inolevit, ut Magiſtri Scholaſticæ Theologiæ divinos libros in Scholis lucidiùs & faciliùs aperirent: ſcripſit ergo in ſacras literas multas præclaras expoſitiones, ſed præſertim in Octateuchum Commentariorum libros undecim, & in ſexdecim Prophetas libros ſexdecim, ſtylo & affectibus non ingratos, ſicut ex Fragmentis ejus, nuper à *Tilmanno* Carthuſiano in Tomis Allegoriarum publicatis, apparet. *Sixt. Senenſ.* Biblioth. Sanct. l. 4.

Digitized by Google

Homo egregiè doctus vocatur *Franciſco Godvvino* in lib. de Præſul. Anglic.

Ob eminentiam ſcientiæ morumque probitatem factus eſt Archiepiſcopus *Cantuarienſis. Oudin.* in ſupplem.de Script.Ecclеſ.à *Bellarmin.* omiſſis.

Extat Libellus de *Tranſlatione B.Thomæ Cantuarienſis* ad calcem Epiſtolarum *Thomæ Becket* nuper edit. *Bruxell.* 1682. 4. ad R. *Joannem* ap. *Dacher.* Tom. III. inedita dabunt *Balæus, Pitſæus, Jameſius*, alii.

NICETAS ACOMINATUS.

Clar. An. D. MCCIV.

A Patriâ dictus *Choniates*, vir *Conſtantinopolitano* Imperio illuſtris, floruit initio Seculi decimi tertii. Magnis muneribus ſub *Imperatoribus* defunctus, captâ à *Latinis Conſtantinopoli*, Anno 1204. *Nicæam Bithyniæ* conceſſit, ductâ ibi puellâ, quam hoſtibus eripuerat. Libris 21. complexus eſt *Hiſtoriam* annorum 85. nempe ab obitu *Alexii Comneni*, ubi deſierat *Zonaras*, uſque ad annum 1205. quo *Balduinus* obiit.

Zonaram tuum, vir ampliſſime, *Choniates* ſequitur, homo ſuâ ætate non tantùm magnis dignitatibus ornatus, ſed etiam ingenio & multiplici doctrina præſtans, & veritatis Hiſtoriæ, ut mihi videtur, ubique ſtudioſus---Atque utinam alius *Græcus* extitiſſet qui ab hoc autore & *Chalcocondyla* prætermiſſa, pari facundiâ proſecutus eſſet. Major enim eſt *Choniatæ* copia & diligentia lectioque jucundior, quàm *Zonaræ. Hieronym. Wolph.* in Epiſt. ad *Ant. Fugger.* quam *Nicetæ* præmiſit.

Ex affectatione neſcio cujus inſolentis elegantiæ & Poëticæ dictionis æmulatione, in ſalebras ſæpè incidit: & duris, ne ineptis dicam, utitur Metaphoris, in *Proœmio* præſertim, ubi cumprimis diſertus videri cupit. Quòd ſi totam Hiſtoriam ſimili oratione involviſſet, in *Latomias* ire, quàm moleſtiis *converſionis* conflictari maluiſſem. Sed quia tolerabiliter loqui incipit, cùm ad rem ipſam ventum eſt: Hanc quoque operam ſtudioſis *Hiſtoriarum* dare volui. *Idem* Proœm. Annotat. in *Nicet.*

Nicetas parum adhuc vulgo notus, fateor; ſed digniſſimus notitiâ: putum rectumque ingenium, ſi aliud illo ævo. Stylus ejus operoſus, *Poëtas* & *Homerum* ſæpè reſipiens: at res & narratio ipſa diſtincta, compoſita; ſine vanitate, ſine ineptiis, brevis, quod ſatis ſit, & fida. Crebra apud eum & opportuna Monita: judicia non libera ſolùm, ſed ſana. Ad ſummam, legite vos *Politici*: gratiam mihi aliquis pro indicio habebit, certè debebit. *Juſt. Lipſ.* l. 1. Politic. c. 9.

Quæ (ſimplicitatem & *elegantiam*) cùm polliceatur in exordio ſuarum Hiſtoriarum unà cum perſpicuitate Hiſtoriæ maximè neceſſaria *Acominatus Choniates*, & nihil minus præſtiterit putidus *Scriptor*, verè in illum adnotavit *Alexander* fortaſſe *Chartophylax*: Neſcio quid dicam, ô *Choniata*! Dicis, ſapientiæ eſſe, conſcribere *Hiſtoriam* dilucidè & perſpicuè, deinde ænigmata & obſcuriſſima, ſcilicet tanquam in *Barathro* abdita, ſcribis. *Lal. Biſciola* Tom. 1. Horar. ſubciſiv. l. 5. c. 15.

Diligens

Diligens fuit *Homeri* Lector ac imitator, adeo, ut ob Poëticam atque inſolentem Dictionem quandoque durior fiat: cum primis in *Præfatione*, quæ ſanè ſalebroſa: in cæteris molliùs fluit. Quod & de ſe in *Præfatione* promittit. Ut mihi quidem videatur *Præfatione* eâ oſtentare voluiſſe, quantus *Logodedalus* foret: quod ſi ſimiliter in Hiſtoria feciſſet, næ ille multò etiam minus laudis, quàm nunc habet, meretur. *Voſſ.* de Hiſt. Græc.

In *Nicetæ Theſauro* ſatis feliciter procedebam, quamvis in eo quoque libros aliquot, præſertim priores & poſteriores non paucioribus ſalebris ſcatentes deprehenderim------*Nicæam*, quæ *Bithyniæ* Metropolis eſt, ſe contulerat, ubi, quod ſupererat vitæ, *literario* otio impenderet. Quod quidem quantâ diligentiâ laboreque præſtiterit, teſtantur æternumque teſtabuntur Divinæ Lucubrationes, quas in hoc opus verè aureum congeſſit. *Petr. Morellus* in Epiſt. ad *Joann. Sanctandreatem*, quam *Nicetæ Theſauro* præmiſ.

Hiſtoriarum libros 21. vertit *Hieronymus Wolphius*, ediditque *Baſileæ*, Anno 1557. dein *Genevæ* prodiit, Anno 1593. & Anno 1647. Opus hoc inſertum eſt *Bibliotheca Byzantina*.

Nicetæ Theſaurus Fidei Orthodoxæ prodiit *Græcè* & *Latinè*, interprete *Petro Morello Turonenſi*, in Bibliotheca *Patrum* Magna, tom. 12. *Pariſiis* 1644. in fol. ibid. 1654. folio.

RODERICUS XIMENIUS.

Navarrus fuit. Anno *Domini* 1208. factus eſt Archiepiſcopus *Toletanus*. Inde *Rodericus Toletanus* multis audit. Obiit anno 1245. Clar. An. D. MCCVIII.

Multum gloriæ comparavit libris 9. de rebus *Hiſpaniæ*; quas exorditur ab *Herculis* in eas terras adventu; ac perducit uſque ad tempora *Ferdinandi* III. Id brevi, ſed ſuavi eloquio facere, ſententia eſt *Roderici Sanctii*, Epiſcopi *Palentini*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Martinus Præſul *Toletanus* obiit. Succeſſit *Rodericus Semenus* domo *Vaſco*. Hominem externum, ſpectatæ vitæ probitas eruditioque, ut ea erant tempora, ſingularis ad eum honoris gradum provexit. *Joan. Mariana* l. 11. de reb. *Hiſpan.* c. 21.

Rodericus Ximenius, Archiepiſcopus *Toletanus*, domo *Navarrâ*, literarum humaniorum, potiſſimùm verò antiquarum recentiorumque Hiſtoriarum longè peritiſſimus. Multum huic, ut & *Lucæ Tudenſi* Epiſcopo, meritò omnes debent, quòd res præclare geſtas ſitu ac ſqualore obſitas, peneque ſepultas ab interitu vindicarit ad poſteroſque tranſmiſerit. Plurimarum hic rerum hiſtorias libris 9. itemque *Gothorum*, atque *Hunnorum* res geſtas eſt complexus, reſque quibus & ipſe interfuit, memoriæ fideliter mandavit. *Andr. Schott.* in *Hiſpan.* Biblioth.

Hiſpania (*Roderico Ximenio*) ſummum beneficium debet, quòd res à ſuorum temporum memoriâ, propter vetuſtatem abolitas atque remotas inſigni opere poſteris tradidit. Verè is *Hiſpanos*, *Hiſpaniâ* in terrâ peregrinantes erranteſque, quod de *M. Varrone Cicero* commemorat, tanquam hoſpites, quaſi do-

Digitized by Google

mum deduxit. *Hieron. Surita* l. 2. rerum ab *Aragon.* Reg. geſtarum.

Joannes, *Gerundenſis* Epiſcopus, ſic cenſet initio *Paralipomenorum*: In rebus *Hiſpanicis* laudabiles eſſe, *Trogum Pompejum*, *Oroſium*, & *Iſidorum Hiſpalenſem*: tolerabilem *Rodericum Toletanum*: cæteros ſomnia contexere.

Lambertum etiam *Schafnaburgenſem* haud planè contemno in rebus *Germanicis*: uti nec *Rodericum Toletanum* in *Hiſpanicis*. Uterque bonus, quantum potuit in tali ævo. *Lipſ.* in Not. ad l. 1. Politic. c. 9.

Anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto, peregrinatione ſuſcepta, *Rodericus* noſter *Romam* abiit, & Patrum Concilio, quod menſe Novembri inchoatum eſt in templo *Lateranenſi*, interfuit. In eo conventu orationem ad Patres habuit, *Latinâ* quidem linguâ conceptam, cæterùm aliarum linguarum, quarum expers non erat, *Italica*, *Germanica*, *Anglica*, *Gallica*, floribus ornatam, ſententiiſque diſtinctam: ut miraculi inſtar Patribus eſſet, tantam *Hiſpanum* hominem linguarum facultatem aſſecutum eſſe, quantum ab *Apoſtolorum* ætate ulli homini negabant contigiſſe. *Aub. Miræus* de Script. Eccleſ.

Andreas Schottus in Notis ad illum, *Epitaphium* ejus annotat, unde ſæculi ruditatem agnoſcas: *Mater Navarra, Nutrix Caſtella, Schola Pariſius, Sedes Toletum, Hortus Mauſoleum, Requies Cœlum.*

Semper in *Hiſpaniâ* vivet Auctoritas *Roderici*, memoria vigebit, cujus defuncti manibus in pluribus maximi Templi *Toletani* Sacellis ad hanc diem parentatur; aliquot Sacerdotiis ejus juſſu atque impensâ, eam ob cauſam conſtitutis. *Caſimir. Oudin.* in Supplem. ad *Bellarm.*

Extant de *rebus Hiſpaniæ* libri 9. item *Hiſtoria Oſtragothorum*, *Arabum*, &c. *Hiſpania* illuſtratæ Tom. 2.

FRANCISCUS ACCURSIUS.

Clar. An. D. MCCXXIII. FLorentinus, Juriſconſultus celeberrimus, mortuus eſt *Bononiæ* anno 1229. Juxta quoſdam, Anno ætatis 37. demùm Legum ſtudio vacare cœpit, & nihilominus ſummus Juriſconſultus evaſit. Is primus Jus Gloſſis illuſtrare auſus eſt. *Guid. Pancirol.* & *Konig.* in Bibl.

Vir magni ingenii, & ſingularis induſtriæ, dicitur *Boxhornio* Monumentis Illuſtr. Vir.

Franciſcus Accurſius Florentinus, ferè quadragenarius, ad Jus Civile acceſſit, ſub *Arone* & *Odofredo*, in quo tantum profecit, ut Magiſtros longè ſuperaret, relictaque profeſſione Juris publicâ in ſolitudinem ſe recepit, in quâ per ſeptennium ſcripſit Gloſſas in *Pandectas* & *Novellas*, & per aliud biennium in *Codicem*, ut ipſe de ſe teſtatur, in quibus mirâ brevitate Leges omnes ſimiles addit, diſſentientes conciliat & ex iis tantam induſtriæ, judicii, memoriæque famam eſt aſſecutus, ut nemo poſt eum Juri Gloſſas adjicere tentaverit & Interpretes poſt eum ex ejus admiratione, parem operam in ejus Gloſſis explicandis ac in verbis legum impenderint, quod ſanè in iis meritò reprehendendum eſt; adeoque eum inſecuti aliam viam docendi Juris per *Commentarios* prolixos inierunt contra *Juſtiniani* ſanctionem

Digitized by Google

ſanctionem prohibentis *Commentarios* legibus ſuis aſcribi. *Arth.Duck* de Uſu & Authoritate Jur.Civ.Rom.l.1.c.5.

Tanta eſt *Accurſii* Authoritas,ut ex ejus ſententiâ cauſa judicanda ſit, quoties inſignis aliquis Interpres ei adhæreat. *Idem* l.1.c.8.ſect. 6.

Accurſium verò omnibus Interpretibus *Græcis* & *Latinis* anteponit *Cujacius*, à quo quicquid *Bartolus* aliique aberraverint ſomnia appellat. Vide *Cujac.* l.12. obſervat. 6.

Accurſius noſter, vir plane talis,ut eum,ſi cùm Latialis phraſis, tum præcipuè Antiquitatis magis fuiſſet peritus, omnibus tam Græcis quàm Latinis Interpretibus Juris, ſi mei arbitrii res foret,anteponere non dubitem.Sed hoc lumine deſtitutus,mirum quàm ille ſæpiùs quaſi in *Cimmerios* delatus eſſet,cæcutiat,quàm frequenter ludos faciat equite adeo non plaudente, ut adoleſcentulis etiam ſeſe ridendum præbeat. *Joan.Bernart.* de Utilitat.Legend.Hiſt. l. 1. p. 3.

Magna deliria deliravit magnus ille *Accurſius*, non in expoſitione alicujus loci, ſed totius tituli, *De Origine Juris*: profectò quotieſcunque lego, in ſomniantis hominis commento videor verſari, non vigilantis Commentario. *Idem* l.2.p.141.

Inter antiquos Interpretes *Accurſius* & *Bartolus* principatum tenent, de ſermone non valdè anxii, rerum quas tractant, curam ſolam habuerunt: quas cum noſſent, quantùm in illâ barbarie, & Codicum depravatione noſſe poterant, explicare niſi inconditè, & barbarè nequiverunt.Quod non tam eis, quàm ſæculo illi tribuendum,quô linguæ,& bonæ literæ prorſus jacebant. *Roland.Mareſ.* Epiſt.l.1.p.146.

Accurſius Natione *Italus*,ex *Florentiâ* Civitate oriundus, auditor quondam & diſcipulus *Acaonis*, vir in utroque Jure peritiſſimus, atque in cæteris ſæcularium literarum diſciplinis non infimè doctus ingenio ſubtilis & clarus eloquio, cujus quanta ſit hoc tempore apud Legum profeſſores auctoritas, nemo eſt vel modicè doctus qui neſciat. Scripſit multa præclara opuſcula, & primus totum jus Civile gloſſavit. *Trithem.*

Tantæ auctoritatis fuit,ut omnibus *Interpretibus* auctoritate præſtet, quippe quem *Advocatorum Idolum* appellare *Cinus* non dubitavit. *Guid. Panzirol.* de Clar. Leg.Interpret. l.2.c.29.

Non levi honore proſequendus, ſi ejus temporum incommoda ſpectes. *Lel. Taurell. in Tr. de Milit. ex caſu,* ubi & Budæum *Accurſio* implacabilem dicit.

Gloſſatorum veterum coryphæus homo ingenii prorſus ſtupendi,qui in tantis diſciplinarum tenebris ipſam diſciplinarum diſciplinam accuratiſſimè intellexit. *Caſp.Barth.* ad *Claudian.* lib.2.in *Ruffin.*pag.1201.

Ridicula eſt *Accurſii* gloriatio (*in Gl. ad l.* 10. *ſect.* 2. *ff. de* 1. & 2.) nihil opus eſſe Theologiæ ſtudio, ad cognoſcenda divina, ut quæ ex legum Romanarum libris affatim queat peti. *Conring.* de civ. prud. cap. 3.

Doceo Juris Civilis integrum, quem vocant, textum, omiſſis *Accurſii* deliramentis omnibus, &c. *Braſſican. inter Epiſtolas Hel.Eob.Heſſi pag.* 32.

Apollini cum *Accurſio* ne tantillum quidem convenit. *Ibid.* pag. 35.

Accurſius

Accurſius eſt Juriſconſultus vel quum interpretatur, *que*, id eſt, *& ait*, id eſt, *dixit: ſeu*, id eſt, *aut*. Diligens & accuratus Hiſtoricus, vel quum de Origine 12. tabularum lepidam fabellam comminiſcitur, aut de adoptione *Germanici Caſaris. Lud. Viv.* de Cauſ. Corrupt. Art. l. 1.

Extant *Accurſii* Gloſſæ ad *Juſtiniani* Inſtitutiones, *Lugd.* 1607. 8o.

Extat Commentarius ad Corpus Juris Civilis, cum ſuper commentario *Gothofredi*, *Aurelia* 1625.

ROBERTUS GROSTEST.

Chr. An. D. MCCXXXV LIncolnienſis Epiſcopus. Quidam eum *Teſtam Groſſam*: alii *Robertum Capitonem* vocant: Infimis in *Angliâ* parentibus natus in comitatu *Suffolcenſi*, Diœceſis *Norvvicenſis*. Vir craſſi quidem capitis, ſed ſubtilis ingenii, magni cerebri, majoris judicii. Poſteaquam humaniores literas & omnes ingenuas Artes cum Principiis Philoſophiæ percepiſſet in Patriâ, ſecundùm morem qui tum apud *Anglos* inoleverat, ad perdiſcendas linguas & altiora ſtudia capeſſenda, regiones exteras petiit. Et cùm jam in *Galliis* diù ſtuduiſſet, & in literis uberes progreſſus feciſſet, reverſus in *Angliam*, *Oxoniæ* ſupremam in *Sacrâ Theologiâ* lauream accepit. Nec immeritò. Erat enim *Latinè, Græcè* & *Hebraicè* inſigniter eruditus, Philoſophorum etiam & Theologorum ſui temporis facile princeps; denique, ut quidam ſcribit, in ſeptem Artibus liberalibus vir præſtantiſſimus, & verè Monarcha. Ad quam eminentem doctrinam acceſſit pietas, modeſtia, prudentia, ſobrietas, temperantia, omneſque virtutes quæ viros magnos & decent & faciunt. Quorum omnium intuitu, accedente *Sacerdotali* ordine, primùm ad *Archidiaconatum Leiceſtrenſem*, deinde ad Epiſcopatum *Lincolnienſem* aſſumptus eſt. *Joan. Pitſeus.*

Ipſis temporibus Epiſcopus *Lincolnienſis, Robertus*, vir in *Latino* & *Græco* peritiſſimus, *Teſtamenta* XII. *Patriarcharum* de *Græco* fideli Interpretatione tranſtulit in *Latinum*. Quæ per multa tempora incognita ac abſcondita fuerant per invidiam *Judæorum*, propter Prophetias de *Salvatore* in eis contentas. Sed *Græci*, omnium Scriptorum diligentiſſimi Inveſtigatores, primùm in notitiam illius Scripti devenientes, illud de *Hebræo* in *Græcum* tranſtulerunt, & penes ſe uſque in noſtra tempora reſervarunt. Nec tempore B. *Hieronymi* vel alicujus *S. Interpretis* ad notitiam *Chriſtianorum*, machinante *Judæorum* antiquorum malitiâ, potuit quomodolibet pervenire. Illum igitur glorioſum *Tractatum* ad robur fidei *Chriſtianæ*, & ad majorem *Judæorum* confuſionem, tranſtulit plenè & evidenter *Epiſcopus* memoratus de *Græco*, verbo ad verbum, in *Latinum*, coadjuvante Magiſtro *Nicolao Græco*, clerico Abbatis S. *Albani*. *Matth. Paris* in vitâ *Henr.* Tertii.

Hoc anno 1253. obiit S. *Robertus* dictus *Groſteſt*, Epiſcopus *Lincolnienſis* 7. Idus Octobris. Qui in cunctis liberalibus Artibus excellenter erat eruditus, præcipuè in *Logicâ* & *Aſtrologiâ* plurima commentatus eſt. Ad *Innocentium Papam* miſit Epiſtolam ſatis tonantem, pro eo, quòd *Eccleſias Anglicanas* indebitis, & inſolitis exactionibus gravare videretur, & quia *Nepotulo* ſuo puero *Papa* contuliſſet

Canonicatum

Canonicatum cum proximâ *Præbenda* vacaturâ, in Eccleſiâ *Lincolnienſi*; Quem tamen *Robertus* admittere noluit, reſcribens *Papæ*, ſe nec velle, nec debere tales ad *Curas Animarum* admittere, qui ſe neſcirent, nec poſſint regere: Quâ de causâ ad *Curiam* vocatus, & excommunicatus, appellavit à *Curia Innocentii* ad *Tribunal Chriſti*, unde contigit, ut poſt *biennium* mortis *Roberti* apparuit *Papæ* noctu quieſcenti, quidam Epiſcopus Pontificalibus indutus; ſic inquiens, *Surge, Miſer, & veni ad judicium*; & ſtatim cum baculo paſtorali pupugit *Papam* in latere ſiniſtro, uſque ad Cor. Unde & lectiſternium *Papæ* inventum eſt manè ſanguinolentum; & ipſe defunctus. Hàc de causâ, quamvis *Robertus* perſpicuis effulgeret miraculis, non eſt permiſſus à *Curia Canonizari*. *Henr.* de *Knygton*, de *Event. Angl.* in *Henrico* III. ad ann.1253.

Hugo Wallis vitam produxit ad Annum *Chriſti* 1235. Quô *Robertus Groſtedius* (quem *Capitonem* appellare *Latinè* poſſumus) illi ſurrogatur, qui licet eſſet *Capito*, non tamen fuit *Capitoſus*, id eſt, duro & obtuſo, ſed acri, acuto, & ſubtili ingenio. Quanquam in nonnullis viſus & quibuſdam *Capito* fuiſſe, ſuoque nomini reſpondere; qui eum ut hominem nonnunquam duræ, præfractæ, & præcipitis ſententiæ notarunt. Quod tamen [ſi aliquid id genus in eo fuit] zeli in res honeſtas omnes magnitudo, & ſincera vitæ inculpatæ integritas, (quam nec adverſarii inficiari poterant) obruere facilè viſa eſt. *Nic. Harpsfeld.* Hiſt. Anglic. ſec.13.

Rupertus Lincolnienſis, cognomento *Groſſa Teſta*, inter Philoſophos & Theologos ſui ſæculi primum locum adeptus eſt. Ingenii acumine ſubtiliſſimus, eloquio breviſſimus; & ſententiarum pondere copioſiſſimus. *Sixt. Senenſ.* Bibl. ſanct.l.4.

Robertus Groſteſt, vir in literis, & linguis, ſupra quam credi poteſt in illa ætate eruditus, terrificus *Papæ* redargutor, *Regis* ſui monitor & veritatis amator. *Camden.* in *Britan.*

Vir planè erat, [ut pietatem, vitæ ſanctimoniam, reliquaſque virtutes Chriſtiano Præſule dignas prætermittam] ingentis animi, acris ingenii, in re literariâ, quantum ea ferebant tempora, ad ſummum penè apicem evectus, totum encyclopediæ circulum emenſus in literis ſacris pariter ac prophanis, in linguarum Hebrææ, Græcæ, Latinæ ſcientiâ, in Aſtronomiâ, & Universâ Philoſophiâ adeò ſupra communem Doctorum ſortem eruditus, ut artis Magicæ, & execrandi cum cacodæmone conſortii apud ſciolorum vulgus reus perageretur: quod in tam rudi barbaroque ſæculo minime mirandum eſt. *Franc. Godvvin.* de Præſul. Angliæ in Epiſc. Lincolnienſ. pag.348.

Robertus Capito, Anglicè Groſtheads, Gallicè *Groſſe teſte*, præſtantiſſimus, ſæculi ſui *Theologus* ac nobilis Scriptor, dudum in *Academia Pariſienſi* operam literis dedit, in quâ inſignis *Philoſophus* ac *Theologus* extitit. Scripſit plurima *Robertus*, quorum pauca ſatis In Comparatione MSS. reſtantium in Bibliothecis *Anglicis* impreſſa ſunt. Obiit *Robertus Capito* anno 1253. in nocte Sancti *Dionyſii*, apud *Bugedonum* Manerium ſuum. *Oudin.* in Supplem. ad *Bellar.*

Scripſit non pauciores quàm trecentos Tractatus, quorum plerique omnes

extant Manuſcripti in Bibliotheca *Weſtmonaſterienſi*, quoſque Doctor *Willielmus* ejus in Sede *Lincolnienſi* ſucceſſor, Tribus voluminibus in *Folio* evulgare in animum induxerat, niſi nupera turbida tempora ab incœpto ipſum deterruiſſent. Iſta nimirum *Civilia* noſtra *Bella* non modò *Legionibus Mendacium Libellorum* nos repleverunt, ſed etiam tantis Veritatis Theſauris nos defraudarunt, quantis omnem Poſteritatem ditaſſent Præclari hujus viri opera. *Thom. Fuller*. Libro de reb. præclaris *Angliæ*.

Extat ejus commentarius in Libros Poſteriorum *Ariſtotelis*, editus *Venetiis*, anno 1504. & 1537. ibid. ex editione *Pamphili Montis*.

Extat *Compendium Sphere Mundi*, *Venetiis*, anno 1508.

Extant Opuſcula plura *Venetiis* edita anno 1514.

MATTHÆUS PARIS, ſive PARISIUS.

Clar. An. D. MCCXL. ANglus, Sancti *Albani* Monachus, Ordinis *Benedictini*, claruit anno 1240. obiit anno 1259. vel ſequenti. Extat *Hiſtoria Angliæ*, vitæ duorum *Offarum*, Regum *Merciorum*; & XXIII. *Abbatum S. Albani*, unà cum additamentis & *Gloſſario Will. Watſii*, *Lond.* 1640. & ſecunda vice 1684. fol. prior verò editio non parum præſtat. *Gul. Cave* Chartophyl. Eccleſ.

Pariſiorum cognomen, olim apud *Anglos* erat, quemadmodum & nunc celebre. Niſi quis ſentiat illum à vulgo *Pariſienſem* nominatum, quòd aliquando *Lutetiæ Pariſiorum* ſtuduerit: Sed in hac re utpote incertâ nihil volo ſtatuere. *Ioan. Leland.* Tom. 4. Collectaneorum.

Matthæus Paris, ſive *Pariſius* (familiæ id cognomentum eſt) patriâ *Anglus*, cœnobii *Albanenſis* Monachus, congregationis *Cluniacenſis*, cùm aliquantò antè, tum in primis in pretio erat poſt 1245 uſque ad annum 1259. quo migravit è vita. Hic ab oblivione nomen ſuum abundè vindicavit hiſtoriâ majori: quam ferè omnes cenſent fuiſſe olim bipartitam. Prior pars, ut aiunt, ab *Adamo* erat, uſque ad *Guilielmum, Normanniæ* ducem, *Angliæ* regem, cognomine *Conquæſtorem*. Addunt, eandem extare in Bibliothecâ *Sidneiana*. Verùm pars iſta, utrum fuerit *Matthæi Paris*, an alterius, viderint, qui viderunt. Altera autem pars, quam hujus eſſe *Matthæi*, certò conſtat, *Cantabrigiæ* adſervatur in Collegio S. *Benedicti*: uti & in Bibliothecâ Baronius de *Lumleio*; ac primùm *Londini*, poſt *Tiguri*, typis divulgata fuit: atque id fide bonâ ut MSS. quos dixi, codices cuivis fidem fecerint. Quanquam ſcrupulum injicere videatur *Bryanus Twynus* l. 3. de Antiquit. Acad. *Oxon.* ubi aliquot ſibi locos in editione hujus *Matthæi* à *Matthæo Cantuarienſi*, viro non Doctrinæ minoris, quàm dignitatis, procuratâ, plurimùm ſuſpectos eſſe ait: nec ſtatuere aliquid de illis velle, priuſquam ſecundùm optimorum exemplarium Manuſcriptorum fidem eos examinaverit. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Virtutis & doctrinæ titulis *Principibus* & Proceribus *Regni*, ipſique *Regi Henrico* tertio mirè charus erat. Rex eum ad maximas quaſque ſolennitates, quæ in *Aula* frequenter habebantur, advocavit, ut omnia præſens oculis contemplaretur.

Digitized by Google

plaretur, & poſteà ſecuriùs, atque fideliùs ſcriptis mandaret ſingula. Erat enim ad *Hiſtorias* ſcribendas ingenio ſatis accommodato. Quo nomine à ſuis multùm laudatur, & inter ſui *Cœnobii* Benefactores non ultimo loco numeratur. Sanè in ejus *Scriptis* immenſos labores & incredibilem ſedulitatem videre eſt, quibus etiam accedunt ingenium & judicium. *Joan. Piſeus* de Illuſtr. *Angl.* Scriptor.

Ob eximias corporis, & animi dotes, multis erat acceptus, *Regi Henrico* præcipuè, qui juſſit ut ſui temporis geſta conſcriberet, quod & fecit. In quibus quorundam *Romanorum* Pontificum avaritias, fraudes, mendacia, dolos, pompas, impudentias, tyrannides, & artes peſſimas ita depinxit, ut nullus unquam *Apelles* melius. *Ioan. Balaus.*

Matthæus Pariſius, vir inprimis eruditus fuit, qui & ſingulari fide & dexteritate *Hiſtoriam Anglorum* conſcripſit *Magdeburg. Centuriator.*

Vir omnium citimæ ætatis *Hiſtoricorum Anglorum* (niſi cui placeat *Willielmum Malmesburienſem* excipere) eruditiſſimus, & *Romanæ Sedis* acerrimus defenſor. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. 624. p.741.

Quò nemo vixit unquam neque *Papiſmi* ſuperſtitionibus addictior, neque rapinarum horribilium, quas *Papæ* in *Anglia* exercuerunt, fidelior teſtis & expoſitor. *Idem* in Prolegom. ad Exercitat. ſuas *Baron.*

Matthæus Pariſienſis Hiſtoriam *Anglicam* ſcripſit, induſtriè & inquiſitè ſi non eleganter aut ſcitè. Sed multa in eo bona & libera judicia: mireris ſi legas. *Lipſ.* in Epiſt.83. ad *Woeverium*. Cent.5. *Miſcell.*

Legi multa in veſtro Monacho *Matthæo Paris*, qui quamvis ſæpenumero ſit ineptus, tamen aliud agens pulchrè depingit tyrannidem, quàm *Pontifices Romani* in *Principes* illius ætatis exercuerunt. Non minus ſuperbè vobis tunc imperabant, nec minus avarè vos compilabant, quàm ſi ab ipſis bello ſubacti fuiſſetis. *Hubert. Languetus* in Epiſt.18. ad D. *Phil. Sydnæum.*

De hoc *auctore* tale eſt judicium *Baronii* ad Annum 996. Quàm fuerit animo infenſiſſimo (inquit) in *Apoſtolicam* Sedem, quivis facilè poteſt intelligere: niſi probra illa fuerint additamenta ejus, qui edidit. Quæ ſi quis demat, *aureum* ſanè dixeris *Commentarium*: utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum, & coagmentatum inveniatur.

Magna prudentia & uſu rerum prævalens Scriptor Anglicus. *Conring.* lib. 1. de F.1.cap.10.

Majorem ævo illo prudentiam obſervare eſt in *Matth. Pariſii* Anglicanarum rerum hiſtoriâ. *Conring.* de Civ. prud. cap.14.

Monachus Benedictinus, Auctor ſummâ fide & diligentiâ. *Pet. Molinæus* cap.5. de Monarch. Pontif. &c. p.75.

VINCENTIUS, vulgò BELLOVACENSIS.

BUrgundus, Epiſcopus [ut volunt nonnulli] *Bellovacenſis*, claruit anno 1244. Clar. An. D. MCCXLIV.
Obiit anno 1256, vel, ut alii, rectiùs forſan, 1244. *Gul. Cave.*

Digitized by Google

Hic temporibus Papæ *Innocentii* IV. longè lateque nomen ſuum diffundebat ---*Vincentius* hic, ſumptus ſuppeditante *Francorum* Rege, B. *Ludovico*, ſpeculum quadruplex concinnavit. *Doctrinale*, quod de omnibus Scientiis tractat, à Grammaticâ ordiens, ac in Theologiâ deſinens: *Hiſtoriale*, quod Hiſtorias complectitur, ab Orbe condito uſque ad annum 1241. *Naturale*, quod eſt de naturâ rerum, ſitu locorum, & ratione Temporum: *Morale*, quod eſt de Affectibus, de Lege & Gratiâ, & de Virtutibus ac vitiis. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Vincentius Gallus Natione *Burgundus*, Ordinis *Prædicatorum*, dictus *Belvacenſis*, vir in divinis *Scripturis* ſtudioſus, & exercitatus, ac *Veterum* lectione dives, ingenio ſubtilis, & ſermone compoſitus; tantum literis ſtudium adhibuit, ut nullis unquam laboribus, vigiliis vel occupationibus ab earum culturâ potuerit evocari, quin ſemper aut legeret, ſcriberet vel prædicaret. Tantus itaque fuit, ut poſt ſe necdum habuerit parem, ſi ardua quæ ſcripſit *Opuſcula* ex multis laborioſè collecta æquâ lance cum cæteris ponderemus. *Trithem.*

Vincentius ejuſdem *Ordinis* (*Fratrum Prædicatorum*) dicitur ſcripſiſſe quoddam *Opus* magni ingenii, & laboris, quod prætitulavit *Triplex Speculum*, *Hiſtoriale*, *Allegoricum*, & *Morale*. Ipſum *Hiſtoriale* non ſolùm per *Sanctarum Scripturarum* ſeriem, ſed etiam per *Secularium Hiſtoriarum* ordinem, uſque ad ſua deducens tempora, multaque hinc inde inſerens ſtudioſis lectoribus profutura. *Henricus à Gandavo* c. 42. Catal.

Vincentius Belvacenſis, vir omniſcius, ac plurimæ lectionis, ut ex ejus quadruplici *Speculo* conſtat. *Ioan.* Card. *Bona*.

Qui longè lateque nomen ſuum diffudit vaſto illo & laborioſo opere quadruplicis *Speculi*. *Quenſtedt.*

Vincentium Belvacenſem virum laborioſiſſimæ diligentiæ appellat *Spondan.* ad annum 1248.

Vincentius Bellovacenſis Epiſcopus, primus è luto aliquantulum emerſit. Fuit ille ordinis Dominicani, natione *Burgundus*. Ejus extant quatuor *Specula*, viz. *Doctrinale*, *Naturale*, *Morale*, & *Hiſtoriale*. Vaſti illi libri ſunt, & non contemnendâ diligentia congeſti; ſed ubique perlucet iſtius ſeculi ruditas---Ejus in Hiſtoriâ non magna fides eſt; nota enim eſt *Monachorum* in illo genere induſtria. Eſt tamen nonnunquam, ubi in ſterquilinio hôc auri aliquid apparet. Habuere illi nonnunquam libros, aut deſcripſere, qui ad noſtras manus non pervenerunt. *In Speculo Morali* habentur omnes illæ Materiæ, quæ ad Philoſophiam moralem & civilem ſpectant. Variæ Quæſtiones circa hoc negotium, quaſi per lancem ſaturam, è Scholaſticis congeſtæ, aliquo tamen ordine: Sed de omnibus illis libris hoc pronunciandum, quod *Horatius* de cujuſdam Poetæ carminibus:

Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

Profuerunt tamen hi labores illis, qui poſtea libros ejus generis ediderunt. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. pag. 242. 243.

Vincentii

Vincentii Speculum Hiſtoriale multa continet alibi nuſquam obvia: Prima ejus Impreſſio poſteriore præſtantior eſt; quia in *Venetâ* plurima demta ſunt atque immutata. *Scaligerana* 2.

Trithemius in prædicandis *Vincentii* laudibus fortaſſe nimius, cum ait poſt ſe nondum habuiſſe parem-----expectabit hic fortaſſe Lector, ut vexatam toties ab eruditis controverſiam, ipſe quoque pertractem, an à *Vincentio Bellovacenſi S. Thomas*, an viceverſâ à *S. Thoma Vincentius* Quæſtiones de moribus, quæ in primâ ac ſecundâ ſecundæ, & in *Speculo Morali* agitantur, mutuatus ſit. Ego ſanè nullus dubito, quin ex *Angelici Doctoris* fontibus ſua hauſerit *Vincentius*. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſiaſt.

Magnam *Hiſtorici* ſui *Speculi* partem ex *Gulielmo Malmesburienſi* exſcripſit *Vincentius Bellovacenſis*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Ergo *Vincentium Plagii* damnabimus? Ne hoc quidem: *Plagii* enim culpa ſolet ex eo depelli, quia ipſe in Operis totius prologo apertè ſe profiteatur non *tractatorem*, ſed *excerptorem*. Quam excuſationem & nos utcunque admittimus, *Thomas* de Plag. ſect. 562. 575.

Vincentius Bellovacenſis, uſque ad Ann. Chriſt. 1244. deduxit *Speculum Hiſtoriale*, in quo multæ nugæ. *Io. Henr. Boecler.* in Diſſert. de utilit. capiend. ex compoſ. *Hiſt. Univerſ.*

Extat *Speculum Quadruplex Venetiis* 1591. *Baſileæ* 1481. *Duaci* 1624. *in fol.*

S. THOMAS AQUINAS.

THeologorum *Aquila*, & verè Doctor *Angelicus*, vitâ, doctrinâ ac miraculis Illuſtriſſimus, natus è nobili Comitum *Aquinatum* ſtirpe anno 1224. in caſtro *Latii Aquino*, ingreſſus eſt Ordinem Sancti *Dominici*, miſſuſque *Pariſios* & *Coloniam*, Philoſophicis Theologiciſque ſtudiis operam dedit, Magiſtris præſtantibus uſus *Alexandro* de *Hales Anglo*, & *Alberto* Magno *Suevo*. Inde ipſe eadem die cum Sancto *Bonaventurâ* anno 1255. creatus in facultate *Pariſienſi* Doctor Theologus, & ibidem per plures annos eaſdem diſciplinas profeſſus ſcriptis in *Ariſtotelem*, *Scripturam Sacram*, ac *Theologica Dogmata* quamplurimis doctiſſimiſque voluminibus, ſanctiſſimè obiit die 7. Martii Ann. Chriſt. 1274. ætatis 50. in Cœnobio *Foſſanova* Ordinis *Ciſtercienſis* prope *Amaſenum Campaniæ* fluvium, cùm evocatus à *Gregorio X. Romano* Pontifice ad Concilium *Lugdunenſe* II. iter in *Galliam* meditaretur. Sanctorum Catalogo adſcriptus eſt die 18. Julii anno 1323. à *Joanne* Papa XXII. ejus corpus *Urbano* VI. *Romano* Pontifice anno 1368. *Toloſam delatum*. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. An. D. MCCLV.

Thomas Aquinas ordinis *Prædicatorum*, ex illuſtri Comitum *Aquini* familiâ, in finibus *Campaniæ* ſplendidiſſimis parentibus ortus, *Alberti Ratiſponenſis* Archiepiſcopi doctoris cognomento *Magni* major ipſe diſcipulus, maximo & altiſſimo ingenio vir, cui ad plenam abſolutamque totius tam divinæ quàm humanæ eruditionis gloriam, ſolus defuit linguarum & eloquentiæ uſus, quem eruditi illius ſeculi, utpote ſublimioribus ſtudiis intenti, neglexere: Theologo-

rum fuit, ac Philoſophorum omnium, quos in hanc uſque diem Scholaſticorum Academia protulit, ſine ullâ controverſiâ princeps quippe qui primus omnium *Latinorum* Philoſophorum non minus incredibili, quàm felici uſu omnem *Ariſtotelis*. Philoſophiam Commentariis luciciſſimis illuſtravit. In ſacris verò ſincerioris Theologiæ ſtudiis ita ſapientiſſimo *Auguſtino* proximus inceſſit, atque ita mentem ejus, & omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, ut juxta *Pythagoræ μετεμψύχωσιν* communi doctiſſimorum omnium adagio jactatum ſit, *Auguſtini* animam migraſſe in *Thom*. In Scholaſticis quoque myſticæ Theologiæ diſputationibus ita cæteris Academiarum ducibus antecelluit, ut univerſali ſcholarum omnium conſenſu receptum ſit, *Thomam*, Scholaſticæ Theologiæ inſtauratorem, quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubili pacis fœdere conjunxiſſe, videlicet *Copiam*, *Brevitatem*, *Facilitatem*, & *Securitatem*; quas nulli unquam literarum profeſſori, vel ante, vel poſt eum contigit ſimul potuiſſe connectere. *Sixt. Senenſ*. Biblioth. Sanct. l.4.

Thomas Aquinas Theologiam omnem in eum deduxit ordinem, eâ perfudit luce, iis locupletavit incrementis, ut univerſa poſteritas illi quamplurimùm debeat. Compendio utendum eſt in hujus viri elogiis, alioqui ea ad diei finem non finiemus. *Aquinas* ſapientiæ ac ſanctitatis magnum jubar, tametſi opem divinam ſuis ſcriptionibus faventem habuerit, humanam tamen induſtriam in ſe deſiderari neutiquam paſſus eſt. Legit plurima, & excerpſit. Conſidera ſeptemdecim tomos editionis *Romanæ*, quos *Thomas* poſteris reliquit: imò vel tres ſolùm Tomos inſpice, decimum, undecimum, duodecimum, quibus tres partes ſummæ Theologiæ complexus eſt. Quanta, *Deus*! in his Scripturis, quàm varia, quàm ſublimis eruditio, quot à priſcis Patribus aliiſque Scriptoribus teſtimonia! Hæc profectò Notas & excerpta poſtulant quammaximè. Itaque non ſolùm innumera legit beatus *Thomas*, ſed & excerpſit, & ſua fecit. *Drexel*. in *Aurifodin*. c.7.

Thomæ quidem *Aquinati*, qui ſumma vi ingenii, & ſingulari doctrinâ præditus fuit, quòd linguas, politioreſque literas ignoraverit, condonandum eſt, & illius ſeculi, quod profunda *Barbaries* occupaverat, infelicitati tribuendum. *Roland. Mareſ*. l.2. Epiſt. Ep.41.

Thomas Aquinas, vir non ſuo tantùm ſeculo magnus: Nam meo quidem animo nullus recentium Theologorum, cui par ſit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio, planéque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum literarum ſuppellex contingeret, qui iis quæ per eam tempeſtatem dabantur, tam dextrè ſit uſus. *Eraſm*. in 1. *Rom*. p.244.

In eo culpandus maximè *Thomas* eſt, quòd non tantùm Philoſophica principia, ſed etiam Philoſophorum verba & Placita ad concluſiones Theologicas audacter applicat, quod vel ipſi *Pariſienſes* Magiſtri in illo improbant. *Quenſtedt*. de Vir. Illuſtr. p.389.

Scriptor de Scholâ omnium ſaniſſimus ac minime ineptus. *Lud. Viv*. de Trad. Diſcipl. l.5.

Thomas nimis eſt *Ariſtotelicus*, & res omnem naturæ vim, captumque excedentes cogit naturalibus parere legibus. *Lud.Viv.* in *Auguſtin.* lib.XI.de Civ.Dei cap.34.

Papiſtarum *Homerus* vocatur *Raynoldo.*

Illum inprimis *Papiſtæ* ob ſuam quandam ſanctitatem & eruditionem, venerantur & prædicant. *Illyric.* Catal. Teſt. Verit.

Dici poteſt quòd Scholaſticæ Philoſophiæ ſubtilitas, in ſcientias ferè omnes illo tempore introducta, Scripturarum ſtudio non parvum attulerit detrimentum. Sunt tamen Theologi quidam, & inter alios D. *Thomas* & *Thomas* quidam *Anglicus*, cujus operâ quædam in Scripturam authores confuderunt cum operibus S. Thomæ, qui ſoliditate & judicio ſuis in Biblia Commentariis admodum pollent. Sed præclara illa Ingenia inauſpicatò nati ſunt temporibus illis quibus ferè nulla Humaniorum literarum notitia fuit, *Jeſ. Rich. Simon.* Hiſtor. Critic.V.T.l.3.cap.10.

Thomas Aquinas Dominicanus, fuit doctus, ingenio utcumque tardus. *Scaligerana* 2.

Ejus *Lectiones Ethicæ* Opus auro contra æſtimandum, & quo vix ullum (ſi paucas hallucinationes circa nomina propria & derivationes Græcarum vocum excipias) hoc tempore abſolutius extare nobis perſuademus. *Henr. Iul. Scheurl.* Bibliogr.*Moral.* Impreſſ.in 8. *Helmſtad.* 1686.

Lutulentiùs fluunt, & *Romanas* aures neglectâ dictione tradunt, viri duo præclariſſimi, *Divus Thomas* & *Ægidius Romanus*, in operibus quæ de *Regimine Principum* nobis reliquerunt. Sed in illis tamen minimè, ut erat ſeculi fatum, ſomniorum monſtra aut nebulas pictas ſequuti ſunt. Imò lectionis diuturnâ ac ſedulâ meditatione, ingenii rerum optimarum & politicarum copiâ luxuriantis argumentum exhibuere; quo in concipiendo, non magis indulſerunt *Genio* potenti, & ad grandia quæque & difficillima nato, quàm *Principum* Imperio. *Gabr. Naud.* Bibl. Politic.

Ut, quod ſentio, dicam, is ferè fuit mos *Antiquitatis* eruditæ, ut librorum locorumve citationes prætermiſerint, quod & in Scriptis B. *Thomæ Aquinatis*, qui *Vitriaco* noſtro poſterior fuit, videre licet bene ocularis. Quamvis enim eos, à quibus aliquid promit, ſæpe laudat *Auctores*; multa tamen in *Argumentorum* ſolutionibus aliiſque locis effert non ſua, ſed aliunde ſumpta, ſuppreſſis *Auctorum* nominibus. *Franc.Moſchus* præf.ad Lect.Hiſt. Orient.& Occident.de *Iac.Vitriato.*

Franciſcus Garcia tradidit, *Moralia Aquinatem* ſua, quæ in illius ſummâ *Theologia* habentur, ex *Vincentio Bellovacenſi* accepiſſe, hoc eſt, tantùm non integrum *Vincentii Speculum Morale* ſibi ſumpſiſſe. Verùm probabilius eſt, *Vincentiumvè Thoma*, è quo alia multa in *Speculo Naturali* nominatim tranſcribit, quàm hunc ex illo hauſiſſe, licet, in quo *Garcia* quærit ſuæ cauſæ robur, annis aliquot ante *Thomam* obierit *Vincentius.* Nam hunc, ſi ipſe *Speculi Moralis* autor eſt, à vivo, quibus uteretur, accepiſſe dicemus, præſertim cum per quindecim annos integros ante obitum *Vincentii Thomas* primariam *Cathedram* rexerit

Pariſiis.

Pariſiis. Bellarminus certè negat ullo modo credibile eſſe, ſanctum *Thomam ſummæ* ſuæ partem ſecundam, eamque nobiliſſimam ex alio hauſiſſe. *Thomaſ.* de Plagio, ſect. 560. 561.

Librum de *Regimine Principum* genuinum eſſe negat *Bellarminus.*

Iſte auctor ſtylum habet à ſtylo Sancti *Thomæ* valdè diverſum: hic enim preſsè & breviter ſcribit, & multa paucis complectitur; ille contrà verbis abundat, & pauca multis explicat. Adde, quòd hic Auctor non pauca levia profert, de nominibus magiſtratuum libro 3. cap. 22. & lib. 4. cap. 26. quæ Sancto *Thomæ* nunquam excidiſſent, quæ cauſæ fortaſſe fuerunt, ut in editione *Lovanienſi* anni 1652. libri iſti de *Regimine Principum* inter opuſcula *S. Thomæ* adſcripta non inveniantur. Adde ultimo, cùm Sanctus *Thomas* ſcripſerit ſeptem libros de *eruditione Principum*, planè utiliſſimos, qui habentur inter opuſcula *Romæ* edita, non videbatur neceſſarium, ut ſcriberet etiam de regimine Principum. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Extant vita & opera ejus omnia 18. Tomis in fol. cum Commentariis partim *Thomæ* de *Vio Cajetani*, & partim *Franciſci Ferrarienſis. Venetiis* 1594.

Sub ejus nomine circumfertur Opuſculum de *Symbolo*, eruditum quidem & pium, ſed non videtur eſſe *Thomæ Aquinatis. Eraſm.*

Epitaphium S. *Thomæ Aquinatis*, in Monaſterio *Foſſanova* defuncti.

Occidit hic Thomas, *lux ut foret amplior Orbi,*
Et candelabrum ſic Nova Foſſa *foret.*
Editus ardenti locus eſt, non foſſa, lucernæ.
Hanc igitur Foſſam *quis neget eſſe* Novam?

Phil. Labbe in Theſ. Epitaph.

ALBERTUS MAGNUS.

Clar. An. D. MCCLX. *LAvingæ* apud *Suevos* ex nobiliſſimâ *Dynaſtarum Bolſtatenſium* familiâ natus, in *Prædicatorum* ordinem adſcriptus anno 1221. diſcipulos inter alios habuit *S. Thomam Aquinatem* & *Thomam Cantipratenſem.* Dein creatus ab *Urbano IV.* Papâ, *Ratisbonenſis* ad *Danubium* in *Germaniâ* Epiſcopus anno 1260. prioris otii ſtudio & literarum amore dilectam ſibi *Coloniam Agrippinam* rediit, ubi ætatis anno 87. (qui anno 1205. non 1193. natum volunt annos duntaxat 75. vixiſſe fatebuntur) *Chriſti* 1280. 15. Novembris obiit eruditione ac pietate præſtantiſſimus, ibidemque ſepultus eſt. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ.

Vir eruditionis admirandæ, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortaſſe nulla latuerunt, ſublimibus ingenii ac memoriæ viribus uſque ad miraculum præſtans, in divinis ſtudiis longè erudítiſſimus, & Philoſophorum omnium, quos vel ante, vel poſt eum univerſa *Germania* protulit, princeps: ob ſcientiarum ejus multitudinem, magnitudinemque, *Magni* cognomen, quod nulli

Digitized by Google

nulli unquam eruditorum contigit,ante mortem adeptus. *Sixt. Senenſ.* in Bibl. l. 4.

Non ſurrexit poſt eum [*Albertum*] vir ſimilis ei: qui in omnibus literis, ſcientiis, & rebus, tam doctus, eruditus, & expertus fuerit. Quòd autem de *Necromantiâ* accuſatur, injuriam patitur vir Deo dilectus. *Trithem.*

Albertus poſt *Ariſtotelem* & *Theophraſtum* in Philoſophiâ, & in eâ maximè, quæ rerum naturam ſcrutatur, & interpretatur, non habuiſſe creditur parem. *Quenſtedt.* de Script. Illuſtr. ---- & Spondanus ad Annum 1259.

Primus *Latinorum*, inquiunt *Centuriatores Magdeburgenſes*, quicquid in *Græcis*, *Latinis*, *Arabibus*, *Ebræis*, Philoſophis egregium fuit, perſcrutatus eſt *Albertus Magnus.*

Laudat *Albertum* impenſiſſimè *Aventinus*: *Germanum* eum *Varronem* appellans, etiamque longè *Varrone* doctiorem aſſerens, quem nihil penitùs fugerit, omnia perfectè noverit, Naturæ ſecundum *Ariſtotelem* veriſſimus Interpres extiterit; adeoque ſingula, quæ de omnibus ſcientiis & facultatibus ſcripſit, in ſuo genere abſoluta eſſe, ac ſi uni duntaxat operam navaſſet, cætera ne attigiſſet quidem. *Ioan. Aventin.* l. 7. Annal.

Albertus ille *Magnus*, profundâ rerum omnium divinarum & humanarum contemplatione, & curioſâ latentium reconditarumque in naturâ poteſtatum indagine hoc conſecutus eſt, ut verè magiæ miniſterio, inferiora ſuperiorum dotibus copulando, artemque ad naturæ commercium flectendo, ſtupenda ſæpè miracula ediderit: à prophanis cæteroquin Diabolicæ magiæ impoſturis alieniſſimus. *Thom. Lanſius* in orat. pro *Germaniâ.*

Eodem verò propemodùm tempore, cùm exorta fuiſſet Scholaſtica docendi methodus, multi etiam hoc ſcribendi genere eoſdem Ethicorum libros explicarunt, aut potiùs inquinarunt, ut libenter dicerem, ſi tres mihi ex ipſorum numero excipere liceat, omni laude ac commendatione majores, nempe *Albertum Magnum*, *Divum Thomam* & *Ægidium Romanum* qui minus paulò quàm cæteri inquinatè locuti ſunt, judicio verò, doctrinâ, ſubtilitate, adeò ſupra morem & fatum ſui ſeculi excelluerunt, ut, ſi pauca demas ex *Alberti* libro de *Hiſtoriâ Animalium*, nihil unquam eos ineptè, nihil non doctè ac ſapienter protuliſſe, unicuique in eorum lectione verſato, manifeſtum eſſe poſſit. *Gabr. Naud.* Bibl. Politic.

Anno 1252. longè latèque radios ſui nominis diſpergebat *Albertus Magnus*, Epiſcopus *Ratiſponenſis*, nulli ſuo ævo doctrinâ ſecundus: qui emiſit monumenta ſui ingenii ac doctrinæ permulta. *Voſſ.* de Scient. Mathemat. p. 362.

Primus omnium de *Metallis* ac *Lapidibus* Philoſophiam excolere cœpit ille ipſe *Albertus Magnus* cujus hac de re præclarum opus magno judicio & pari experientiâ conſcriptum extat. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in *Art. Med.* p. 164.

In dicendo *Goticum* ſapit, & barbarum; oratione ſquarroſâ proſsùm, & illepidâ. Inter *Peripateticos* tamen nominis celeberrimi. *Cæl. Rhodigin.* l. 1. Lect. Antiquarum c. 11.

Homo *Græcæ* doctrinæ ignarus, in multis hujus ſcientiæ videtur peccâſſe *Albertus. Idem* in Var. Loc. Lect. Antiq.

Inſcribuntur Libri duo; unus de *Mirabilibus*, & alter de *Secretis Mulierum*, Magno *Alberto*. Sed uterque liber indignus eſt, qui tanto viro tribuatur: nam ſuperſtitioſa quædam continet, & multa vana. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Notam plerique *Magno* inuſſerunt *Alberto*, quod in libris de *Mirabilibus Mundi* plurima congerat, quæ vel doctiſſimorum captum effugiant. Ego verò multa reor opuſcula præfulgidum tanti viri nomen ementiri, ad legentium gratiam, quæ nec ſomniavit *Albertus*; nimia quippe Scriptorum celſitudo & opinionum firmitas, in abditiſſimo rerum omnium examine, quam ab ineptis quorundam commentis, quæ illi vulgus adſcribit, abhorreant, cuilibet, vel oſcitanter legenti perſpicuum ſit. *Ioan. Imperial.* in Muſæo Hiſtorico.

Is *Sectam Albertiſtarum* condidit, & *Ariſtotelis* Philoſophiam S. Scripturæ æquiparavit. *Ferdinandus Caſtillus* & *Ant. Poſſevinus* memorant ipſum quinquennio ante mortem omnium, quæ in Philoſophiâ didicerat, oblitum: à B. *Virgine* autem impetraſſe, ne ſe in Philoſophorum opinionibus, ſed fide Chriſtianâ & charitate mori ſineret. *Konig.* in Biblioth.

* *Alberto Magno* falsò adſcriptus Libellus de *Secretis Mulierum*, prohibetur in *Edicto* 16 Decemb. 1605.

Extant Opera ejus omnia in 21. Tomos digeſta, ſtudiô & labore R. P. Fr. *Petri Iammii* Ordinis Præd. Conventus *Gratianopolitani*. *Lugduni* ſumptibus *Claudii Proſt*, *Petri* & *Claudii Rigaud*, *Hieronym.* de la *Garde*, & *Ioan. Ant. Huguetan.* 1651. fol.

Epitaphium *Alberti Magni*, Auctore *Iano Vitale Panormitano*.

Natura *has violas*, Ratio *hic tibi lilia paſſim*
Ad tumulum ſpargunt Teutone *magne tuum.*
Purpureis quarum tribulos avellis ab hortis,
Et pulchris violis lilia mixta ſeris;
Aviaque abſtruſa pandis penetralia cauſa:
Vere igitur Magni *nomine dignus eras.*

Phil. Labbe in Theſ. Epitaph.

JOANNES DUNS SCOTUS.

Clar. An. D. MCCC.

JOannes Duns, Natione Scotus, natus in vico *Duns*, octo mille paſſibus ab *Angliâ* diſtante [neque enim audiendi qui cum *Cavello*, *Thadæo*, *Wadingo*, *Arturo*, &c. Hibernum aſſerunt *Duni* in *Ultoniâ* natum, aut qui cum *Camdeno*, *Balæo*, & aliis, *Anglum* fuiſſe contendunt ortum *Dunſtona* in Parochiâ *Emildonenſi* in *Northumbriâ*] Ord. *Minorum*, Doctor ſubtilis nuncupatus, obiit *Coloniæ* die 8. Novembris anni 1308. ibidem ſepultus. *Phil. Labb.* de Script. Eccleſ.

Ioannes Duns Scotus, ordinis *Minorum*, vir fuit acutiſſimo ingenio præditus. *Bellarm.* de Scriptor. Eccleſ.

Vir

Digitized by Google

Vir admirandæ eruditionis ſubtilitate præditus. *Sixt. Senenſ.* Bibl. Sanct. l. 4.

Fuit vir mediocri fortunâ, ingenio ad literas planè facto, & ad miraculum ſubtili atque acuto, ut non tam hominem acie mentis ſtupendum, quàm inter argutos Philoſophos quemdam dixeris *Deum*----Nihil erat tam obſcurum, denſâque caligine involutum, quod ille ſibi ſaltem non reddiderit perſpicuum & clarum; nihil tam occultum & abſtruſum, quod perſpicax ejus ingenium non penetraverit, & è tenebris eruerit: nihil denique tam nodoſum, quod ille, quaſi quidam *Oedipus*, non diſſolverit. *Pitſeus* de Script. *Britan.*

Joannes Scotus titulum *Subtilis Doctoris*, ob doctrinam, parque ubique acumen meruit. *Cardan.* de ſubtilitate, p. 802.

Ioannem Scotum limam veritatis appellat *Iul. Cæſ. Scalig.* exercitat. 324. ad *Cardan.* de ſubtilitat.

Ioannes Duns natione *Scotus*, *Doctor ſubtilis* appellatus, portentoſus Artifex, ac litigiorum *Patriarcha*, impoſturarum *Labyrinthos* ingenio *Dædalino* excogitavit, contendendi formulas novas verbis intricatis ſubtiliter adinvenit & monſtrifica conflictationum vocabula formavit, de *Suppoſitionibus*, *Obligatoriis*, *Inſolubilibus*, *Hæcceitatibus*, *Formalitatibus*, *Modis Intrinſecis*, atque aliis *Sophiſtarum* Chimæris, ut *Chriſtus* in contentione prædicaretur, ac innumeris ſuperſtitionibus in *Eccleſiâ* veſtiretur. Stultior enim eſt ea *Sententiariorum Papiſticorum* Theologia ſacra, ex *Centaurorum* biformi conflata genere, quàm ſunt Scripta fabuloſa *Heſiodi* & *Orphei* Theologorum Gentilium. *Ioan. Balæus* de Script. *Britan.*

Mirum quo ſupercilio, *Thomæ*, *Scoti*, *Durandi* ſimiliumque barbariem execrentur: & tamen, ſi res vocetur ad exactum judicium, illi quum ſe nec eloquentes, nec *Ciceronianos* jactitent, magis *Ciceroniani* ſunt, quàm iſti qui poſtulant haberi non jam *Ciceroniani*, ſed ipſi *Cicerones*. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 94.

Scotus item σκοτινὸς verè ut *Heraclides* olim appellandus, non in *Dialecticâ* tantùm, ſed in *Philoſophiâ* & *Theologiâ*, in novis Quæſtionibus non modò non neceſſariis, ſed inutiliſſimis agitandis ita delectatus eſt, ut in eum illud ſeptimi cap. *Eccleſiaſt.* meritò dici poſſit: *Creavit Deus hominem rectum; ille autem immiſcuit ſe quæſtionibus infinitis Claud. Verder.* Cenſ. in Auctores.

Ioannes Scotus in *Dialecticâ* & ſpinoſâ *Theologiâ* ad miraculum doctiſſimus, *Subtilis Doctoris* titulum promeruit, & novam *Scotiſtarum* ſectam condidit; *Homero* major, ut pote cùm de eo non *Civitates*, ſed *Regna* contendant; *Anglis* verè ſuum, *Hibernis* ſuum, *Scotis* ſuum, ſuum quoque civem *Gallis* & *Italis* adſeverantibus. Sed vitæ exitu infelix, quippe Apoplexiâ correptus, & nimis feſtinato funere elatus, cùm redeunte vitâ ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra miſerabili mugitu opem petens, & diu Sepulchri Lapidem pulſans, tandem in ipſo ſepulchro feſſam animam eliſit. *Thom. Lanſius* in orat. pro *Britan.* p. 471

Extant opera ejus omnia 12. Tomis, *Lugduni* 1639. in fol.

Epitaphium *Ioannis Scoti*, Auct. *Iano Vitale Panormitano*.

Quod nulli ante hominum accidit. Viator,
Hic Scotus *jaceo ſemel ſepultus.*

 Et

Et bis mortuus; omnibus Sophiſtis
Argutus magis atque captioſus.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

RAYMUNDUS LULLIUS.

clar. A. D. MCCC.

DE hoc ingens inter Scriptores rixa: aliis eum inter Hæreticos recenſentibus; aliis ſuſpectum de fide multiſque implicatum erroribus, atque hiſtrionem, perditæque memoriæ virum infamantibus; aliis denique, non tantùm ejus abſolutioni ſubſcribentibus ſed etiam ut *Martyrem Doctoremque Illuminatum* deprædicantibus. Obiiſſe dicitur in ora *Mauritaniæ* lapidibus appetitus anno ætatis 80. die 26. Martii anni 1315. unde poſtea delatus in *Balearium* primariam Inſulam *Majoricam*, ut *Sanctus*, & pro fide *Martyr* colitur ab incolis. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſiaſt.

R*aymundus Lullius*, eremita, natione *Hiſpanus*, patriâ *Majoricenſis*, in civitate *Palmâ* natus, nobilique *Barcinonenſium* ſtirpe ortus, ſeculo XIV. clarus, verè *Protheus* ingenio, *Dædalus* arte, & *Polycletus* normâ judicii, ut de eo loquitur *Mich. Majer*. Symbol. aur. menſæ l. 9. f. 405.

In icone quodam vocatur *Philoſophus*, cum inſcriptione Schedæ in ore: *Lex mea eſt ipſe Dominus*; cumque diſticho:

Doctrinam pandit Raymundus Lullius *omnem*.
Cui Deus infudit ſcibile quicquid erat.

Plura, quàm quatuor voluminum millia compoſuiſſe refertur *Ephemerid. Gall. Erud.* T. 1. *Olear.* in Abac. PP.

Elucubravit multa & varia in Philoſophiâ, Medicinâ & Theologiâ, quæ apud multos in admiratione ſunt. Ab hominibus ſui ævi valdè celebratur. *Rabbini* dicebant, ei tantam ſapientiam contigiſſe, quantam *Deus Salomoni* conceſſerat. Apud Cives ſuos *Majoricanos* tanta ejus eſt exiſtimatio, ut Philoſophia *Lulliana* ibi magno ſtipendio loco *Ariſtotelicæ* doceatur. Condidit peculiarem *Sectam* quæ *Lulliſtarum* dicitur. *Eimericus* memorat, *Lullium* de pluſquam trecentis erroribus apud *Gregorium* XI. fuiſſe accuſatum: & *Bernhardus* à *Lutzemburgo* in Catalogo *Hæreticorum* eum collocat. Contra alii ipſum vehementer defendunt, & tanquam *Martyrem* ac *Sanctum* extollunt. *Konig.* in Biblioth.

Raimundus Lullius, homo mirifici planè ingenii. Huic debetur *Ars Alchymiſtica* & inventio Spiritûs vini, ſeu vini aduſti. Quanquam autem ejus doctrina inepta ſit, nihilominus tamen ſuos habuit Sectatores. Hinc in Scholâ *Majoricenſi* hodiè illius Philoſophia docetur. *Herman. Conring.*

Hoc autem admonere vos oportet, hanc *Lullii* artem ad pompam ingenii & doctrinæ oſtentationem potiùs, quàm ad comparandam eruditionem valere ac longè plus habere audaciæ, quàm efficaciæ. *Henr. Corn. Agrip.* de vanitat. Scient.

Neque

Digitized by Google

Neque tamen illud prætermittendum, quòd nonnulli viri magis tumidi, quàm docti, inſudarunt circa *Methodum* quandam, legitimæ *Methodi* nomine haud dignam, cùm potius ſit *Methodus* impoſturæ; quæ tamen quibuſdam *ardelionibus* acceptiſſima procul dubio fuerit. Hæc *Methodus* ita ſcientiæ alicujus guttulas aſpergit, ut quis ſciolus ſpecie nonnullâ eruditionis ad oſtentationem poſſit abuti. Talis fuit *ars Lullii*, talis *Typocoſmia* à nonnullis exarata; quæ nihil aliud fuerunt, quàm vocabulorum artis cujuſque *maſſa*, & *acervus*; ad hoc, ut qui voces *artis* habeant in promptu, etiam *artes* ipſas perdidiciſſe exiſtimentur. *Baco* de Augment. Scien. l. 6. c. 2.

Miror autem, quid tibi, *Magne Dux*, Princeps ſagaciſſime, venerit in mentem, ut *Raymundum Lullum* catalogo *Doctorum*, & eorum maximè, qui duces ac principes *ordinum* eſſe poſſint, non dubitaveris inſerere; hominem ſtultiſſimè ſubtilem; qui cum omnium bonarum literarum eſſet expers, ac ne *Latinè* ſciret quidem, multa tamen auſus eſt patrio ſermone evulgare, & tali obſcuritate permiſcere, ut doctiſſimi licèt, pauci admodum ea capiant: quod ineptiſſimæ Scientiæ certum exiſtimo eſſe argumentum. Ego *Lulli Lapidem* & *Doctrinam* pari dignor pretio: & cum *Poëta* ſic ſtatuo.

> *Qui* Lulli Lapidem *quærit, quem quærere* nulli
> *Profuit; haud* Lullus, *ſed mihi* Nullus *erit.*

Lanſius in orat. contra *Hiſpaniam*, p. 377.

Raymundus Lullius ſuo cum *Arabibus* commercio in *Medicina* in *Phyſica*, in *Aſtronomia* doctiſſimus evaſit. Ex illis verò tribus ſcientiis quartam quandam *Chymiæ* ſibi conflavit, quam Scientiam cenſeri voluit, cujus in *Hiſpania* & in Italia Reſtaurator fuit. Ordinem in Schola ſtatutum evertere molitus eſt, Philoſophiam, cæteraſque Scientias redigens in *Methodum* quandam cui nihil ineſt ſolidi, quæque tantum abeſt ut Eruditos faciat, quin potius Homines ratione rectè utentes nunquam efformare potuerit. *Rapin.* Reflex. in Philoſ. Sect. 17.

Hunc ego inquirendo comperio, apud *Anglos* re quidem verâ præſtitiſſe, quod ſuis libris pollicetur. Et in Arce *Londini* juſſu *Regis* probatiſſimum aurum confeciſſe, mihique genus *nummi* oſtenſum eſt, quod adhuc appellant nobile *Raymundi auri*, viz. puri, & obryzi, ſummæque judicaturæ. *Robert. Conſtantin.* in Nomenclat.

Extant ejus Experimenta Chemica, unà, cum *Georg. Hieronym. Velſchii* exot. c. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. *Ulmæ*, apud *Chriſtian. Balthaſar. Kuenium*, 1676. in 4.

DANTES ALIGERUS.

ITalus natione, patriâ *Florentinus*, natus eſt Anno 1265. obiit *Ravennæ* anno Dom. 1321. Clar. A. D. MCCCX.

Scripta ejus ſunt: Comœdiarum liber 1. ---- De Monarchiâ Mundi lib. 1.--- Epiſtoæ plures----Diſputatio de aquâ & terrâ----Carmina de Inferno, Purgatorio, Paradiſo, Italicè conſcripta----Libellus de amore----Cantica viginti, Italico ſermone compoſita----Libellus de Officio Pontificis & *Cæſaris Romani*----De vulgari eloquentiâ libri duo, cùm tamen quatuor ſed aturum polliceatur, ſed hoc conſilium mors ejus interrupit.

Dantes ab initio vocatus, interciſo deinde, ut fit in pueris, vocabulo, *Dantes*. Liberalibus Artibus in *Patriâ* legitimè eruditus, poëticæ deditus ab ipsâ pueritiâ fuit. Scripſit opuſculum de *Monarchiâ*, ubi ejus fuit opinio quod *Imperium* ab *Eccleſiâ* minimè dependeret. Cujus rei gratiâ tanquam Hæreticus poſt ejus exitum damnatus eſt, cùm aliorum, tum *Bartoli* Juriſperiti Sententiâ. *Volaterran.* Anthropolog.

Petrarchæ & *Dantis* Poëmata illa *Italica*, quæ ſtatum *Eccleſiæ* ſubinde attingunt, præ aliis Poëtis potiſſimùm leguntur à *Theologis*. *Gisbert. Voet.* Bibl. l. 2. ſect. prior. cap. 9.

Fuit vir pius & doctus, ut multi Scriptores, & præſertim ipſius ſcripta teſtantur. *Illyric.* in Catal. Teſt. Verit.

Maximâ vir laude & autoritate, eruditioneque omnibus cariſſimus, veritatem magnâ ex parte agnoſcens, regni Papiſtici fraudes non ignoravit. *Olear.* in Abac. PP.

Dantes Aligerus Poëta ſui ſeculi nulli ſecundus. Erat non tantùm *Græcè* & *Latinè* peritus, ſed in linguâ *Hetruſcâ* facundiſſimus: propterea quoties ad colloquia Principum admittebatur; tantâ ſermonis elegantiâ, tantâ ubertate, & eloquentiæ floribus omnium in ſe animos convertebat, ut nemo illum non diligeret & admiraretur. *Boiſſard.* Icon.

In eo quidem eruditionem, & multarum rerum cognitionem offenderis, & inprimis ejus Theologiæ, quæ *Pariſienſibus* attribuitur. In eo ſalis & mordacitatis ad faſtidium interdum uſque. Certe in eo Poeticam diſpoſitionem majoremque diligentiam pleroſque deſiderare video, ejuſque linguæ nitorem: quos *Ioannes Stephanus* eremita, & amicus chariſſimus, & municeps noſter, qua eſt eruditione, & quo à teneris erga *Dantem* fuit ſtudio, mirabiliter ſolitus eſt refellere. *Lil. Gyrald.*

Dantes Aligherius & ipſe concivis nuper meus, vir vulgari eloquio clariſſimus fuit, ſed moribus parùm per contumaciam, & oratione liberior, quàm delicatis ac ſtudioſis ætatis noſtræ principum auribus atque oculis acceptum foret. *Franciſc. Petrarch.*

Boccacius Dantem Aligherium Poëtam inſignem fuiſſe dicit in libris de caſibus virorum illuſtrium.

Dantes verò Poëta non aſpernabilis: *Cæl. Rhodigin.* l. 15. c. 20. Lect. Antiq.

Dantes Aligerius, vir æternâ dignus memoriâ, & in Poëſi vernaculâ excellentiſſimus. *Boxhorn.* in Monument. vir. Illuſtrium.

Habitus eſt *Dantes Aldegerius* vir doctiſſimus, & ſuâ vernaculâ linguâ Poëta inſignis. *Platina* in vit. *Boniſac.* VIII.

Dantes

Digitized by Google

Dantes Algierius & *Franciſcus Petrarcha*, primi Philoſophiæ, bonarum Artium, omnis eruditionis reſtauratores, *Iacob. Heerbrand.* Epiſt. Dedicat. ad Diſput. ex Philoſ. ſelect.

Primus *Italorum Dantes Aldigerius*, non inſtituto vetuſtatis ordine tantùm, ſed præcellenti gravis ingenii fœcunditate primum locum inter imagines meritus, optimo jure conſpicitur. Hunc *Florentia*, factioſa eo ſeculo civitas protulit, ab altaque mentis indole cognitum octovirali ſupremæ poteſtatis Magiſtratu inſignem fecit: ut mox fatali converſa turbine & ſummum civem, & *Etruſcæ* linguæ conditorem, tanquam ſæva & ingrata patria proſcriberet. Sed exilium, vel toto *Etruriæ* principatu ei majus, & glorioſius fuit, quum illam ſub amarâ cogitatione excitatam, occulti, divinique ingenii vim exacuerit, & inflammârit. Enata ſiquidem eſt in exilio Comœdia triplex *Platonicæ* eruditionis lumine perilluſtris, ut, abdicatâ patriâ, totius *Italiæ* civitate donaretur. Plenus ideo gloriâ perenni, quum eam quæ piis mortalibus expetitur, cœleſtis auræ fœlicitate tanto ore, tantoque ſpiritu decantatam contemplaretur, nullâ adhuc obortâ canitie, *Ravennæ* morbo interiit, adeò mentis compos, ut ſex verſus ſepulchro incidendos componeret. Nec *Ravennates* in apparatu funeris publico totius *Italiæ* civi defuerunt. Quum enim ſepulchrum è marmore condidiſſent, non obſcurè exprobratâ *Etruſcis* acerbitate, novam ſibi claritatem glorioſâ pietate vendicarunt. *Paul. Iovius* in Elog.

Quis tam ſui inſcius, qui advertens *Dantem Aligerium* ſacræ Theologiæ implicitos perſæpè nexus mirâ demonſtratione ſolventem, non ſentiat eum, non ſolùm Philoſophum, ſed & Theologum inſignem fuiſſe? *Boccacius* l. 14. Gen. Deor.

Iohannes Villani ipſi conterraneus ac ferè contemporaneus, aſſeverat neminem ad illam uſque ætatem, nec nobilius nec magnificentius tum verſibus, tum pedeſtri ſermone ſcripſiſſe: Sed cum pauci ante ipſum ſcripſiſſent facili negotio celebritatem hanc ſibi comparare valuit----Re verâ *Dantes* inter primos extitit, qui, referentibus Eruditis viris *Portûs Regii*, gloriam adeptus eſt poſterioribus his ſeculis aggrediendi Poematum Heroicorum compoſitionem; In quibus tam felix fuit ut etiamnum apud Eruditos eorum reſpectu admirationi ſit. Ita ut nemo haſtenus extiterit, inquit *Eques Salviati*, qui ipſum hoc ſcribendi genere potuerit vincere, uſque adeo vocabulis & elocutionibus ſuis proprius eſt; quamvis inſolens quod ſibi delegerat Argumentum, agendo nimirum de *Inferno*, de *Purgatorio*, & de *Paradiſo*, eum ſæpe coegerit voces atque Phraſes ſic ſatis ſingulares uſurpare. Sed unum eorum quæ apud hunc Poetam majorem merentur exiſtimationem, Præclarorum illorum virorum judicio, eſt quòd ejus Opus quoad mores non minùs quàm quoad ſermonem purum deprehendatur. *Jeſ. Galluci* habuit quod in ejus Allegoriis reprehenderet, quibus dicit illum totum intertextum eſſe; addens nihil ipſi reliquum fore eorum quorum cauſa Poetæ famam ſibi paravit, ſi ex ejus Scriptis eædem eraderentur. In hoc inquit, tota ejus Inventio, tota ejus fictio conſiſtit, qua in re longiſſimè diſtat à genuino Charactere qui in totis *Virgilii* Operibus regnat. *Eruditorum Iudicium* à Domino *Baillet*, Pariſ. 1686. Gall.

Vivens

Vivens ipſe ſibi hoc Epitaphium ſcripſit, cujus primis verbis ſignificat libellum *de Officio Cæſaris* & *Romani Pontificis*, deinde *Cantica* ſua, nomen exilium, patriam, ſepulturæ locum.

Jura Monarchiæ, ſuperos, Phlegethonta, lacuſque
Luſtrando cecini, voluerunt fata quouſque:
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,
Actoremque ſuum petiit felicior aſtris.
Hic claudor Dantes, *patriis extorris ab oris,*
Quem genuit parvi Florentia *mater amoris.*

Eum tumulum *Bembus* civis *Venetus*, *Bembi Cardinalis* pater cum *Ravennæ* Prætor eſſet, refici ac reſtitui curavit inciſis his verſibus.

Exiguâ Tumuli, Dantes, *hic ſorte jacebas,*
Squallenti nulli cognito pene ſitu.
At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu ſplendidiore nites.
Nimirum Bembus *Muſis* incenſus Ethruſcis,
Hoc tibi, quem imprimis hæ coluere, dedit.

Jeſ. *Rapin.* dicit Poeta hujus ſententias adeo ferè ſemper abſtractas & adeo arduas eſſe, ut arte opus ſit ad illius mentem aſſequendam: Dantis ſermonem non eſſe ſatis concitatum: Eum ſatis modeſtum plerumque non eſſe, & in eo nimis audacem fuiſſe quod proprium Animum tanquam Numen ſuum invocaverit.

* *Dantis Aligeri Monarchia* omnino prohibetur.

Extant ejus *Poëmata Italica* cum expoſitione *Chriſtophori Landini* & *Alex. Vellutelli*, editore *Franciſco Sanſovino Florentino*. *Venetiis* apud *Ioan. Baptiſtam Seſſam* & fratres in fol. anno 1564.

NICOLAUS LYRANUS.

Clar. A. D. MCCCXX.

ANglus, aliis rectiùs *Normannus*, ex *Iudæo Chriſtianus*, ordinis *Minorum*, claruit Anno 1320. obiit Anno 1340. *Gul. Cave.*

Scripſit Commentarium, ſive poſtillam in univerſa Biblia---Librum de Corpore Chriſti ----Sermones de Tempore, & de Sanctis--- Librum contra *Iudæos* ----Commentaria in quatuor libros Sententiarum ---- Quæſtiones Veteris & Novi Teſtamenti----Tractatum de Viſione Dei---Expoſitionem decem Præceptorum----Tractatum de idoneo miniſtrante, & ſuſcipiente Sacramentum Altaris.

Scriptis ſuis inclytus, in quibus futuræ *Reformationis* adminiſtris viam egregiè ſtravit. Unde *Proverbium*: *ſi Lyra non liràſſet, tum totus Mundus deliràſſet.* Item *Lyra Luthero equum admovit, & ſtapedes tenuit, quo illum commodiùs conſcenderet. Hofman.* in Lexic.

In *Lyrani Commentariis* multa occurrunt, quæ cum ſuperſtitionibus *Pontificiis* non

non conſentiunt, atque demonſtrant *Lyranum* multa commodiùs exprimere potuiſſe, ſi feliciore ſeculo natus fuiſſet. Symbolicam & Allegoricam illam *Interpretandi* rationem à *Scholaſticis* & *Monachis* invectam minimè probavit: quam etiam *Gloſſario* illo labore refutaſſe videtur. *Illyric.* in Catal. Teſt. Veritat.

Vir in *Scripturis Sanctis* ſtudioſiſſimus, & longâ exercitatione peritus; *Hebraicâ* linguâ ad perfectum inſtructus, ingenio promptus, ſermone *Scholaſticus*, nec minus converſatione quàm ſcientiâ venerandus. Sunt qui eum ob eloquii ſimplicitatem æſtiment contemnendum; qui mihi videntur & vani & imperiti. *Trithem.*

Nicolaus Lyranus, Scholaſticæ Theologiæ Profeſſor, & Sententiarum ejus expoſitor non ignobilis, tanta quoque *Divinarum Scripturarum* vera, purâ; ac germana intelligentiâ præditus, ut in eis exponendis, nullum eruditiſſimorum *Theologorum* ſui temporis habuerit parem: Edidit in ſingula tam *Veteris* quàm *Novi Teſtamenti* volumina *Scholaſticæ Poſtillæ* libros 89. ſtudioſis *Sanctarum Scripturarum* ac præcipuè *Tyronibus* ad majora properantibus non utiles ſolùm, ſed valde etiam neceſſarios. In quorum prioribus quinquaginta libris univerſum Sanctæ Scripturæ corpus abſque orationis lenocinio & verborum involucris brevi, nudo, & aperto ſermone expoſuit, ſumma in ſingulis diligentia aperiens, & elucidans literæ ſenſum cæteris divinæ Scripturæ ſenſibus præſtantiorem, ita difficiliorem, alliatis in id non modò *veterum* Eccleſiæ *patrum* expoſitionibus, ſed *Rabbinorum* quoque ſententiis, quarum apud *Iudæos* præcipua eſt authoritas. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Bibl. Sanct.

Ego *Lyranum* ideò amo, & inter optimos pono, quod ubique diligenter retinet & perſequitur Hiſtoriam, quanquam authoritate Patrum ſe vinci patitur, & nonnunquam eorum exemplo deflectit à proprietate ſententiæ ad ineptas allegorias. *Martin. Luther.* in Annotat. in cap. 1. *Geneſ.*

Bibliorum apud *Pontificios Interpretes* primarius *Lyranus*. *Gomar.* *Anticoſter.* literæ *Hebraicæ* & Hiſtoriæ *Veteris Teſtamenti* doctiſſimus erat *Lyranus*. *Car. Molinæus* Annotat. in Evangel.

Lyranus utrumque *Dei* teſtamentum diligenti examine & elucidatione explanavit. Si in pleriſque, ut ei à multis imponitur, deliraverit, tempori eſt imputandum, in quo ferè omnia erant *Hypocritarum* nebulis obſcurata. Meliorem certè cæteris omnibus per eam ætatem navavit in *Scripturis* operam. De Verborum ſimplicitate non eſt quòd conquerantur homines, cùm à vocabulis æſtimanda non ſit *æterni Patris* veritas. *Balæus* de Scriptor. *Britan.*

Nicolaus de *Lyra*, qui è *Lyra* oppidulo in agro *Perchienſi* nomen traxit, omnium Authorum in hacce Synopſi comprehenſorum doctiſſimus & in Scripturæ ſtylo verſatiſſimus eſt. Plures illum fuiſſe *Iudæum*, deinde *Chriſtianiſmum* amplexum eſſe contendunt. Ut ut res ſit, certum ſaltem eſt illum *Hebraicam* linguam calluiſſe, imo ſatis fuiſſe peritum Rabbinorum Hebraicæ Dia-

lecti, ut *Iudæor.* in *Scripturam*, Commentarios evolvere poſſet, quod difficulter occurrebat temporibus illis in Viris qui in Religione noſtra nati fuiſſen Inſtar omnium Authorum fuit ei *Raſci* ſeu R. *Salomon* Iſaaki, qui ſolet denominari *Iarki*. Eum ſuis Notis ſæpe citat: Et eorum pleriq; qui in ſuos Commentarios aliquid de *Iudaica* eruditione inſtillaverunt, ipſum tantummodò tranſcripſerunt. Feliciorem multò ſucceſſum habuiſſet hic Author ſi Methodum quandam ſecundum Ariſtotelis Principia philoſophandi ejus ævo uſitatam ſecutus non eſſet, licet innumeris Scriptoribus ſibi contemporaneis hac in parte cautiùs admodum proceſſerit. Hoc ornari poteſt elogio quod nemo ante ipſum Scripturæ ſenſum literalem tam bene aſſecutus fuerit. Optandum tamen eſſet ut tot inutilia è Rabbinis deprompta non permiſcuiſſet, & ex eorundem libris ea tantùm retuliſſet quæ ad Bibliorum Sacrorum elucidationem faciebant. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. cap. XI.

Hebraicam linguam is perfectè calluit: fuit ingenio prompto, nec minus converſatione quàm ſcientiâ venerandus. Ejus *Opera* omnibus S. Scripturam diſcere cupientibus, neceſſaria eſſe, nemo melius novit, quàm qui ſe in eorum lectione exercitavit. Sunt qui eum ob verborum ſimplicitatem contemnendum exiſtimant, ſed ſi res ipſas, non verba iſti detrectatores ſpectarint, non dubium eſt quin ab eis maximè laudetur. *Gul. Rovill.* in promptuar. *Icon.* Inſign. Viror

Extant Commentaria in ſacra Biblia *Lugduni.* 1520. 1590. VI. Tom. fol.

Extant itidem *Duaci* 1617. VI. Tom. & *Antverp.* 1634. in Bibliis Maximis *Pariſ.* 1660.

CUALTERUS DE HEMMINGFORD.

Clar. A. D. MCCCXXXV.

ANglus, regularis *Canonicus* Cœnobii *Giſburnenſis*, floruit ſub *Edvardo* III. Ingenii atque induſtriæ ſuæ monumentum nobis dedit, *Chronicon* *Edvvardi* III. itemque *Hiſtoriam Anglorum*, ab *Gulielmo Normanno*, hoc eſt an. 1066. uſque ad tempora *Edvardi* II. hoc eſt, anno 1308. Quod opus Manuſcriptum *Cantabrigiæ* adſervatur in Collegio S. *Benedicti*. Liber eſt Chartaceus, nec valde antiquus. Incipit, *Ne faſtidioſus*. *Giſburnæ* in Cœnobio ſuo defunctus eſt anno 1347. Hunc Autorem exſcribere ſolet Hiſtoricus Monaſterii de *Abbington*, ut obſervat is qui præfatur in *Matthæum Florilegum*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Gualterus de *Hemmingford*, canonicus *Giſburnenſis* Cœnobii, quod eſt prope *Civiam Eboracenſium* Provinciolam, *Theſi* flumini celeberrimo adjacentem, impendio ſtudioſus erat literarum, quo tandem factum eſt, ut in eruditum evaſerit, & non levem apud ſuos gratiam ſibi pepererit. Ejuſmodi enim res *Literaria* virtus eſt, ut auctori gratiam, honorem, gloriam etiam facilè conciliet. Quare virtutis præmio lætior factus, quanquam ipſa *virtus* per ſe ſatis illuſtris aliunde emicantibus ſplendoribus non eget, quâ cœpit, viâ, perrexit, magnis ſa-

Digitized by Google

nè paſſibus ad extremam *Sacræ Theologiæ* metam contendens. In quo ſtudio quum jam non infeliciter curſum longum continuaſſet, ecce cupido quædam ejus occupavit animum, ut *Hiſtoriam Rerum Anglicarum* poſteritati dedicaret. Bonis igitur avibus ab ipſo *Guilielmo Normanno* exordium ſumens ad tempora *Edovardi* ejus appellationis ſecundi, hoc eſt; ab anno *Chriſti* 1066. uſque ad annum ejus 1308. *Anglorum* res geſtas ſummâ curâ perſcripſit. *Leland.* MS. de Vir. Illuſt.

Gualterus de *Hemmingford* res geſtas *Anglorum* ſtylo non inelegante, curâ magnâ & fide pari deſcribit. *Gul. Horman.* in ſuis collectan.

Amor Patriæ eum impulit, ut hiſtorias *Angliæ* legeret, & ex iis notatu digniora ſeligeret, atque accuratâ Methodo poſteritati traderet. *Pitſaus* de Illuſt. *Angliâ* Scriptor.

In *Brigantum* agro eſt *Gisburgh*, nunc exiguum oppidum, cui magnæ gloriæ fuit, dum ſterit, Monaſterium perpulchrum & opulentum, quod *Gualterum* de *Hemmingford*, Hiſtoricum non ineruditum produxit. *Quenſtedt.*

Hujus Hiſtoriæ plura extant *Exemplaria*; duo ſervantur in Collegio SS. *Trinitatis* apud *Cantabrigienſes*; tertium habet *Officium Armorum* ſive *Heraldorum*; quartum *Cottoniana* Bibliotheca, quintum penes me eſt; ſed & alia memini me vidiſſe; quorum tamen domicilia nunc non veniunt mihi in mentem. *Thom. Gale.*

ARNOLDUS VILLANOVANUS.

ARagonenſes, ſat ſcio *Arnoldum Villanovanum Cathaloniæ* aſſerere hodieque conantur, ſed fruſtra, cùm natus ſit in *Galliâ Narbonenſi*, in oppido *Villanovano* ann. *Dom.*1300. In *Galliâ* medicinam docuit, vir *Græcæ* Linguæ peritus, adde & *Hebraicæ*, ut videre eſt in explanatione libelli *Tetragrammaton*: *Arabicæ* etiam haud ignarus. Porrò *Naturæ* ſecreta adeò rimatus eſt, ut altiùs poſt ætatem ſuam nemo fermè penetrarit. *Paul. Colomeſ.* Gallia Oriental. Clar. A. D. MCCLX.

Arnoldus de *Villa-Nova*, rei medicæ eâ tempeſtate peritiſſimus, majori tamen famâ quàm laude, quòd nobile ingenium, eruditionem maximam, pravis ſuperſtitionibus, praviſque de religione opinionibus fœdare viſus ſit. Quo nomine aliquanto poſt ab *Inquiſitoribus* ignominiâ notatus eſt, *libri*que quos magno numero ediderat reprobati. Ex humano ſemine quibuſdam in vaſe medicamentis hominis corpus efformaſſe, qui affirmet authorem habeo. *Io. Mariana* Jeſuit. l. 14. c. 9. *Rer. Hiſp.*

Arnoldus de *Novavilla Hiſpanus*, vir eximiè eruditus, linguarum, *Hebraicæ*, *Græcæ*, *Arabicæ* & *Latinæ*, Philoſophiæ & Theologiæ peritiſſimus, floruit ante annos 300. Recenſetur à *Papâ* ejuſque *Spiritualibus* inter *Hæreticos*, quòd eorum errores reprehendit ---Habuit hic Doctor non paucos Auditores atque Sectatores, etiam poſt mortem, præſertim in *Hiſpaniâ*, quos papiſtæ *Arnoldiſtas*

 vocave,

vocaverunt, & tanquam *Hæreticos* perſecuti ſunt atrociſſimè. *Illyric.* Catalog Teſt. Veritat.

Portentoſo vir ingenio *Veterum Novatorum* maximus, Dogmatum raritate percelebris, quem ſibi civem *Galli* certatim, & *Hiſpani* vendicant. Is licèt humili patriâ, obſcuriſque profectus laribus, tamen arcano impetu, ac excellenti mentis indagine, peritiorum *Naturæ* operum ſcrutator acerrimus, *Europam* ferè omnem ſui nominis majeſtate complevit. Hoc ipſi vel in fatis fuit, *Medicinam* Aſtrologiæ, ac intimiori cuidam Philoſophiæ perpetuò jungere *Io. Imperial.* in *Muſæo Hiſt.*

Ut erat homo multùm deditus *Rabbinorum* & *Alchimiſtarum* deliramentis, ita nonnullorum Sigillorum compoſitionem in ſuâ Medicinæ practicâ docuit. *Naud.* de Stud. Militar. lib. 1.

Nullum eſt Naturæ arcanum quod libera, prudente tamen ſollicitudine curioſitas ejus non ſcrutetur: Illi patent omnia ejus Penetralia, & profundâ ſuî perquiſitione vaſti hujus Orbis theſauros omnes contemplatur. *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum & Artium. Tom. 2.

* *Arnoldi* de *Villanova* Opera, niſi expurgentur, prohibentur, in *Indice Tridentino*, vide Appendicem certorum *Auctorum*.

JOANNES CANTACUZENUS.

clar. An. D. MCCCXLI.

NObilis *Byzantinus*, S. Cubiculi præpoſitus Magnus Domeſticus, *Thraciæ* Præfectus, demum ab anno 1341. Imperator *Conſtantinopol.* tandem purpuram deponere coactus, *Monachus* factus eſt, *Ioaſaphus* dictus, anno 1357. vel paulò poſt, *Gul. Cave* in Chartophyl.

Scripſit *Hiſtoriam Byzantinam*, quàm è *Græco* in *Latinum* ſermonem convertit. *Iacobus Pontanus*, notiſque explicuit, anno 1645. *Pariſ.* fol. Itemque ſcripſit *Orationes* tres; & *Apologias* IV. pro *Religione Chriſtianâ* adverſus *Alcoranum*; quæ prodierunt *Græcè* & *Latinè*, *Baſileæ* 1542. in fol.

Nec præterire fas eſt *Ioannem Cantacuzenum*, qui ex imperatore *Monachus* factus, ac pro *Ioanne Ioſaphus* dictus, ſub nomine *Criſtoduli* luculentam condidit Hiſtoriam de Imperio *Andronici* junioris, & ſuo. Conſtat id opus libris IV. cujus priores duo præcipuè ſunt de rebus *Andronici*: poſteriores de iis, quæ ipſe poſt obitum *Andronici* geſſit. Factus verò *Monachus* fuit anno 1360. eò autem majoris *Hiſtoria* ejus fieri debet, quia ſcripta eſt ab illo, non qui *umbraticam* ſemper vitam egiſſet: ſed qui primùm Magnus fuerit Domeſticus: ac poſt obitum *Andronici* junioris, liberorum ejus tutelam obtinuerit: & mox [ita volente *Senatu*, & *Imperii* rebus exigentibus] Imperator creatus ſit, & in eâ dignitate prudenter & fortiter ſe geſſerit. His illud accedit, quòd non de rebus ſcripſit parum ſibi perſpectis; ſed quibus ipſe interfuit, atque adeò præfuit. Sanè inter recentiores *Græcos* non ei quemquam puto præferri oportere. *Voſſ.* de Hiſt. Græc. lib. 2. cap. 28.

Inter recentiores quidem rerum *Græcarum* ſeu *Byzantinarum* Scriptores, ut ſunt

ſunt *Zonaras*, *Nicetas*, *Cedrenus*, & alii, meo quidem & quorundam benè literatorum judicio hic primas tenet; videturque ſolus didiciſſe quô pactô ad laudem accommodate contexenda ſit *Hiſtoria*. Mira, nova, inaudita, inuſitata, occultorum *Dei* judiciorum plena, grandia, illuſtria multa hic recenſentur. Et, ſi *Hiſtoria* debet eſſe prudens, atque ornata rerum explicatio, neutra virtus in hac deſideratur: quæ mihi ſemper à viro nobiliſſimo, & ingenio excellentiſſimo ſuaviſſimoq; viſa eſt profluxiſſe Prudentia militaris atque civilis tam eximia hic elucet, ut civitatum Provinciarumque Rectoribus ac Belli Ducibus majorem in modum commodaturam putem. *Jac. Pontan.* in Epiſt. ad Lectorem, quam Hiſt. *Cantacuz.* præmiſit.---

Quæ fuerunt inter [*Andronicum Imperatorem*] avum,& [*Andronicum Imperatorem*] nepotem , eorumve occaſione tam ab ipſiſmet, quàm à ſuis amicis , cogitata, deliberata, geſta, profuſiſſimè proſequitur , qui magna eorum pars fuit, *Ioannes Cantacuzenus* , illuſtri proſapiâ ortus, magnus *Imperii* Domeſticus, & *Andronici* junioris amicorum & conſiliorum particeps, & rerum Moderator, in *Hiſtoriâ* , quam de iis ſuiſque rebus luculentiſſimè conſcripſit: ſed ita eas tractans, ut quamvis veritatem & narrationis ſinceritatem continuò prædicare non ceſſet , apertiſſimè tamen nepotis amiciſſimi ſui cauſam adverſus avum agendam ac propugnandam ſuſcepiſſe demonſtret. *Henr. Spondan.* in Annal. Eccleſ. ad Ann. 1321. num. 9.

Hoc loco Lectorem monebimus , *Hiſtoricum* noſtrum [*Ducam*] in enarrandis rebus , quæ ſub *Imperatore Ioanne* [*Palaeologo*] geſta ſunt , donec *Cantacuzenus* Monachus & *Anachoreta* fieret, ab hoc non multùm diſſentire: ex quo non parum auctoritatis ac commendationis ei accedere debet: cum *Cantacuzenus* diligens ac judicio præſtans *Hiſtoricus* ſit. *Iſmael Bulliad.* in Not. ad cap. 5. *Ducæ* Hiſt. *Byzant.*

Septimo volumine continentur libri tres hiſtoriæ ſenioris & junioris *Andronici* à *Cantacuzeno* conſcriptæ, qui & ipſe fuit Imperator & temporis illius rerum præcipua pars fuit. Aliquid heic de mirabilibus iſtius magni Viri facinoribus delibandum eſſet: Sed præterquam quòd in totius hujus Hiſtoriæ corpore ſatis jam prolixi fuimus, paucis dicere poſſumus illum ſolum fuiſſe dignum qui eaſdem promulgaret, & contra quàm plurimis Principibus evenit ut iis honos ab hiſtoria ſua concilietur potius quàm eandem ipſi illuſtrent, *Cantacuzenus* propriam hiſtoriam ipſe illuſtrat , quia non minore polluit eloquentia ad præclarorum ſuorum geſtorum conſcriptionem , quam animo & virtute ad eadem patranda; ſive in privata conditione ac Magni Domeſtici munere , ſive poſtquam thronum conſcendiſſet ubi neceſſitas ſemel adverſus hoſtium violentos impetus tuendi eum velut invitum coegerat oſtendere quid poſſet,ſive denique in Monaſterii ſolitudine in qua ultimos vitæ dies tranſigere voluit. Octavum denique volumen continet librum quartum ejuſdem Hiſtoriæ, ab eodem *Cantacuzeno* conſcriptæ, & hiſtoriam poſtremorum Imperatorum Conſtantinopoleos,cum ejuſdem urbis invaſione funeſta quam deſcripſit *Ducas*,qui *Calchondyla* admodum eſt accuratior & ſolidioris judicii *Erud. Ephemer.* Gall. diei Lunæ 26. Aug. 1675.

THOMAS BRADWARDINUS.

Clar. An. D. MCCCXLVIII.

NAtus fertur *Hatfeldiæ* in Comitatu *Suffolcienſi*, Oxoniæ verò educatus, ubi cùm bonarum literarum ſtudiis aliquot annos incubuiſſet, Academicorum ſuffragiis *Procuratorum* unus creatur ann. 1325. poſteaque *Doctoris* in *Theologia* gradu honeſtatur. Mathematicus fuit inſignis, Philoſophus egregius, in *Theologiæ* verò ſtudiis euuſque verſatus, ut apud Doctos illorum temporum *Doctoris profundi* appellatione innotuerit; eamque non immeritò delatam illi fatebuntur credo, qui libros ab illo conſcriptos perlegerint. Verùm in hoc homine nihil erat quod potiùs laudaveris, quàm morum vitæque ſanctimoniam, ob quam, cæteraſque virtutes à *Strafordo* delectus eſt, ut *Regi* eſſet à confeſſionibus. In quo munere ita ſe geſſit, ut optimi ſimul ac prudentiſſimi viri laudem retulerit. *Regem* ſiquidem à recto deflectentem increpare conſuevit audacter, eâ tamen prudentiâ verborumque lenitate, ut animum *Principis* nunquam offenderit. Non deſunt certè inter Scriptores qui inſignes illas *Edvvardi victorias*, hujus potiùs ſanctitati ac virtutibus acceptas ferendas exiſtiment, quàm cujuſpiam ſeu fortitudini, ſeu prudentiæ. *Godvvin.* de Præſul. *Angl.* comment.

Quo anno natus ſit, quemadmodum nihil pro certo aſſeveraverim, [ut ſunt magnorum ſæpe virorum principia obſcura, quorum ſunt notiſſimi exitus] ita cùm *Procuratorem* fuiſſe conſtet Univerſitatis *Oxonienſis* anno 1325. circa annum *Domini* 1290. natum crediderim, mediis temporibus Regis *Edvvardi* primi —In hoc curriculo *Literario* ſolidam ex *Ariſtotelis* & *Platonis* fontibus hauſit Philoſophiam, ſed in artibus *Mathematicis* ac *Theologiâ* ejus potiſſimum eluxit induſtria; ac in *Mathematicis* quidem ita excelluit, ut parem illa ætas tulerit fortaſſe neminem—*Thomas* noſter cùm ſummus eſſet *Mathematicus*, etiam in *Theologicis* tractandis non receſſit ab arte. Itaque primus, quod ſciam, & ſolus hanc viam tentavit in *Theologicis*, ut filo *Mathematico Theologica* contexeret, ponendo ſcilicet primo loco duas *Hypotheſes*, quaſi *principia*, & ex iis proxima quæque demonſtrando, & *corollaria* deducendo, petitis etiam ex *Euclide* probationibus; deinceps ex *Hypotheſibus*, & prædemonſtratis reliqua omnia perpetuâ ſerie ad finem uſque operis attexendo, quô fit ut *Concluſiones* ejus cuipiam fortaſſe nimis altè petitæ videantur. *Henr. Savil.* in Præfat. *Bradvvardin.* lib. de *causâ Dei* contra *Pelag.* præfix.

Ex *Ariſtotele* & *Averroe* ſedulâ inveſtigatione pleraque hauſit: *Iudæos*, quos in lege peritiores ſciebat, pro *Scripturarum* intellectione familiariter convenit. Unde ad tantum doctrinæ incrementum poſteà perveniebat, ut in *Oxonienſi* Academiâ ſupremæ facultatis Magiſter conſtitueretur: egregiuſque *Raphaelis Volaterani*, ac *Ioannis Pici*, hominum *Italorum*, teſtimoniis, *Theologus* fuerit. Cum *Ioanne Baconthorpio Pariſus* olim reverſo, magnam de *Præſcientiâ* ac *Prædeſtinatione* concertationem habuit, eique tandem in omnibus conſenſit, ut idem *Ioannes* in quarto libro *ſententiarum*, diſt. 1. Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. 4. demonſtrat. Unde ex *Cancellario Londinenſi* tandem Aulicus, atque ab optimo Rege *Edvvardo* tertio ad *confeſſionem* vocatus, *Cantuariorum* Archiepiſcopus *Joanni Offordio* diem obeunti ſubſtitutus eſt. Adverſus Hæreticos arma ſuſcipiens [verùm *Papiſtas Papiſta* non mordet] in magno ſpiritûs fervore ſcripſit, præſertim contra *Pelagianos*. Sed proh dolor! *Thomas* longiori vitâ dignus, exacto tantùm uno in *Pontificatu* anno, mortem obiit planè immaturam, anno ab incarnato *Dei* verbo 1350 ſub prædicto Rege *Edvvardo* tertio. Summa ejus *Romæ* in *Vaticanâ Pontificis* Bibliothecâ extare perhibetur. *Balæus* de Script. Eccleſ.

Floruit hic longè doctiſſimus vir circiter 1330. *Domini* annum, pugnavit acerrimè pro *gratiâ Dei*, contra *Liberum Arbitrium*, & *Pelagianos* ejus patronos, nempe *Scholaſticos* Theologos; idque nec ſine approbatione multorum bonorum, nec ſine multorum ſeductorum graviſſimâ offenſione, ſuoque periculo: tamen exoratus à piis doctiſque viris, quæ de eâ controverſiâ in publicis Diſputationibus diſſeruerat, tribus libris juſtum volumen explentibus complexus eſt, Laudatur hic Scriptor nomine eximiæ eruditionis, etiam ab illuſtribus viris, *Raphaele Volaterano*, & *Joanne Pico. Illyric.* Catal. Teſt. Verit.

Nec minimum quoque auxilii repoſitum eſt in *Libris de Providentiâ Thomæ Bradvvardini*; quoniam in illis pari fermè cum divo *Thomâ* ſubtilitate, & rationum pondere procedit. *Gabr. Naud.* Bibl. Politic.

Thomas de Bradvvardina Anglus, ex ordine *Fratrum Minorum*, clarus ob doctrinam anno 1350. & ſequentibus, ſcripſit *nobile Opus de causâ Dei contra Pelagium, & de veritate Cauſarum,* variâ ſacræ ac prophanæ, antiquæ ac novæ Philoſophiæ ac Theologiæ doctrinâ locuples atque ornatum, quod manuſcriptum aſſervabatur in Bibliothecâ *Vaticanâ*, cujus etiam manuſcriptum codicem habuit olim in *Germaniâ Matthias Flaccus. Illyricus.* Impreſſum eſt ex Manuſcriptis *Anglicanis,* curâ & ſtudio doctiſſimi viri *Henrici Savillii,* anno 1618. *Londini* in fol. ex Officinâ *Northonianâ* : de quo abundè *Ludovicus Cellot* in Hiſtoriâ *Gotteſcalci Prædeſtinatiani* l. 5. c. 19. p. 390. Ejuſdem *Opus de Geometriâ Speculativâ & Arithmeticâ,* impreſſum *Pariſiis* anno 1512. *Tractatus proportionum,* editus *Venetiis* anno 1505. *Antonius Poſſevinus* in Apparatu Sacro mentionem illius habet, ſed [quod mirum] de eo nihil habet *Lucas Wadingus* in Bibliotheca *Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum.* Opus autem *de cauſa Dei contra Pelagium, & de Virtute cauſarum,* MS. *Oxonii* in *Angliâ* in Bibliotheca Collegii *Novi* Cod. 22. in *Orialenſi* cod. 55. *Mertonenſi* cod. 203. *Cantabrigiæ* in Collegio Sancti *Benedicti* cod. 146. Domus Sancti *Petri* cod. 276. & privatim in Bibliotheca *Baronis Lumleii* cod. 267. Appellatur in nonnullis manuſcriptis codicibus *Cancellarius Londinenſis*, quod an conveniat rectè *Franciſcano,* ſeu *Conventuali* ordinis *Minorum,* mihi valdè ſuſpectum eſt. *Oudin*, in Supplem. de Eccleſ. à Bellarm omiſſ.

FRAN.

FRANCISCUS PETRARCHA.

Clar. A. D. MCCCL.

AReti in *Tuſciâ* ex *Florentinis* Parentibus, vel, ut alii quidam cum *Gerardo Ioanne Voſſio*, circa *Anciſam Florentini* agri vicum majorum ſuorum ſedem, patre *Florentino* exule natus die 20. *Iulii*, feriâ ſecundâ anno 1304. Archidiaconus *Parmenſis*, tum Cathedralis Eccleſiæ *Patavinæ* Canonicus fuit. Obiit Apoplexiâ correptus die 19. Julii, Anno *Dom.* 1374.

Scripſit plurima & pedeſtri & ſolutâ oratione.

Hic Ingeniô, eloquentiâ, *Latinæ* patriæque linguæ cultu, ac Poëtica etiam utraque facultate ſui ſæculi Princeps, literas à multo ævo ſepultas, primus à *Gothicis* tenebris excitavit. *Phil. Labbe.*

Vir in divinis Scripturis eruditus, & in ſæcularibus literis omnium ſui temporis longè doctiſſimus, Philoſophus, Rhetor, & Poëta celeberrimus, qui literas *Humanitatis* poſt longa ſilentia mortuas, ut ita dixerim, ab inferis revocavit ad ſuperos, non minus ſanctâ converſatione, quàm Scientiâ clarus emicuit. *Trithem.*

Vir undecunque doctiſſimus, *Latinæ Linguæ* multis jam ſeculis extinctæ primus *Inſtaurator*, *Hetruſcæ* Poëſeos *parens*, & abſque ullâ controverſiâ *princeps*, inter *Latinos* quoque poëtas non ignobilis, & ob egregiam *Latini Carminis* laudem in Capitolio *Romano lauream Coronam* publico totius *Italiæ* favore conſecutus. *Sixt. Senenſ.*

Franciſcus Petrarcha & Ioannis Boccacius, Poëtæ, præter ea quæ multa ſolutâ oratione uterque compoſuit, nonnulla quoque *Carmine Latino* ſcripſere, in quibus non multò præſtat alter alteri. In his licet, quod temporum tamen vitio adſcribendum putarim, judicii minus ſit & limæ, multum tamen poëtici ſpiritus habere videntur. *Lil. Gyrald.*

Refloreſcentis eloquentiæ princeps apud *Italos* videtur fuiſſe *Franciſcus Petrarcha*, ſuâ ætate celebris ac magnus, nunc vix eſt in manibus: ingenium ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis. Atqui eſt, ubi deſideres in eo Linguæ *Latinæ* peritiam, & tota dictio reſipit ſeculi prioris horrorem. *Eraſm.* in *Ciceron.*

Primus omnium *Franciſcus Petrarcha* magno vir ingenio, majoreque diligentiâ, & *Poëſin* & *eloquentiam* excitare cœpit, nec tamen is attigit *Ciceronianæ* eloquentiæ florem. *Blond. Flav.* in *Ital. Illuſtratâ*, de *Romandiola*.

Vir excellenti ingenio & doctrinâ exquiſitâ *Franciſcus Petrarcha*. *Poggius* in Hiſt. diſcept. de avaritiâ.

Franciſcus Petrarcha vir maximæ doctrinæ, & elegantiſſimi (ut ſua tempora ferebant) ſtyli. *Laurent. Pignor.* l. Symbol. Epiſtol. Epiſt. 3.

Circa annum 1340. *Patriarcha* longè latéque diffundere cœpit ingenii divini doctrinæque mirandæ varia monumenta. *Voſſ.* de Poët. Lat. c. 7.

Si inter Mortales unus eſt tanto labori ſufficiens, viribus præclariſſimi viri, *Franciſci Petrarchæ*, cujus jam diu ego auditor ſum. Homo quippe eſt cœleſti ingenio

Digitized by Google

ingenio præditus & perenni memoriâ, at etiam facundiâ admirabili, cui familiariſſimæ quarumcunque gentium Hiſtoriæ ſunt, ſenſus fabularum notiſſimi, & breviter, quicquid Philoſophiæ ſacro jacet in gremio, manifeſtum eſt *Joann. Boccat.* in præfat. Operis de Genealog. Deor.

Franciſcus Petrarcha poëta Sermonis *Italici* hodierni omnium elegantiſſimus, *Latini* veteris haud valdè bonus. *Paul. Manut.* comment. in Ciceron. l. 1. Epiſt. 3.

Cui vix parem inveniremus, ſi *Latina* ejus *Opera*, his, quæ *Tuſco* Sermone conſcripſit, æquari poſſent. *Joan. Gobellin.* de geſt. *Pii* II. Rom. Pontif.

Franciſcus Petrarcha, ſeculi ſui lumen, apud *Pontifices*, ſi adblandiri voluiſſet, nihil non conſecuturus. *Mornæus* in Hiſt. Papat. p. 430.

Franciſcus Petrarcha vir apprimè doctus, dicere ſolitus eſt, *nullum cuiquam majus malum optari poſſe, quam ut fiat Papa. Illyric.* Catal. Teſt. Verit. l. 18.

Franciſcus Petrarcha, *Phœbi* nectar, *Muſarum* corculum, priſcæ eruditionis decus, literarum delicium, omnium ſæculorum memoriâ dignus----Ea ſemper fuit Vatis noſtri celebritas & operum ejus ſublimitas, ut eò eruditorum omnium cohortes, veluti apes ad flores delibandos confluxerint. Quid dulcius, quid candidius hujus noſtri ſermone, qui in *Latinis*, *Græcis*, diſertus, in *Etruſcis* lenior. Utrobique animos jam virtutum diſciplina, jam verborum pigmentis ac lepore ſuaviſſimo attrahit, movet. Viget in ſermone ſoluto nervus: carmen ejus plenum, terſum, laborioſum, omnium genio accommodatiſſimum. Ubique mira rerum ſuavitas ac varietas, ſententiarum lumina, verborum robora, *Jac. Phil. Temaſin.* in *Petrarchâ* redivivo.

Edidit hic cœleſtis vir tam proſâ, quàm metricè plurima opuſcula. Quæ cùm ſint lepôre ſonantium verborum melliflua, & ſententiarum ſucco mirabili ſapida, potiùs artificio cœleſti, quàm humano ingenio judicantur fabricata. *Iac. Phil. Bergomas* in chronic. ſupplem. ad Ann. *Chr.* 1341.

Quod ad doctrinas attinet, multarum rerum prudens doctuſque fuit; imò verò nulla eſt ex doctrinis homine libero digna, in quâ vel audiens, vel per ſe inhians non magnopere profecerit--- Eloquio fuit claro ac potenti, ut ſtylus librorum indicat, atque, ut verè dixerim, unicus fuit, qui per tot ſecula exulantem, & jam penè incognitam dicendi facultatem in noſtra tempora revocaret. Summus vitâ, ſummus doctrinâ, & ſummus eloquio ſcripſit octodecim librorum volumina. *Paul. Verger.* in vit. *Petrarch.*

Stylus ejus copioſus eſt & magnus, in conſolando dulcis, & in admonendo liber. Interdum jocatur ſalibus, ſed ubique reſtrictus, ut ille, qui magis *Senecæ* denſitatem, quàm *Ciceronis* amplitudinem imitatur: unde perſæpe ex hoc recentiorem *Senecam* appellaverim. *Hieron. Squarzaficbus* in *Petrarch.* vit.

At *Io. Boccatius* & *Franciſcus* Petrarcha, quorum præſtantiſſimis ac propè divinis ingeniis ſermo *Etruſcus*, ea verborum elegantia, iis ornamentis auctus ac locupletatus eſt, ut ſupra addi nihil poſſit, propius ab antiquitate aberant; annis enim pluſquam trecentis ante nos fuerunt; & tamen nulla major ab eis opera data fuiſſe videtur, quàm ut omnem priſcorum verborum fæcem à ſuis Scriptis

Digitized by Google

removerent, ne purum ac limpidum ipſorum orationis flumen aliquâ ex parte infuſcarent. Quibus præſertim ob hanc cauſam arbitror primas ab omnibus ſine controverſiâ deferri. Inferunt ſe quidem interdum ipſorum ſermonem verba aliqua paulò antiquiora; ſed ea miram habent venuſtatem;&, quia loco ſunt poſita, adeo omnium intelligentiæ ſunt obvia atque aperta, ut nullâ ferè interpretis cujuſquam ope auxilioque indigeant. Ideo nulla eſt in *Italiâ* civitas, quæ ita barbarè, ita inquinatè loquatur, quin eos legat, intelligat, admiretur, edificat. *Ian. Nic. Erythr.* Pinacoth. p. 219. 220.

Poſtremò nunc tandem ad *Africam* & librum iſtum venio, qui mihi videtur inter præcipuos jure meritoque redigendus. Eſt enim (ut res ipſa indicat) refertus hiſtoriâ, documentis abundans, & plenus poëticæ fictionis. Magna eſt in eo volumine, & vetuſtatis & naturæ cognitio: magna eloquentiæ vis; magna præcipiendi facultas.--Quod ſi ad extremum perduxiſſet ætatem, quanto futurum fuerit excellentius, nemo ambigit. Sed tamen eſt tale, ut de eo gloriari juvenis debeat, & pudere ſenem non poſſit. Conſtat autem eſſe verſus aliquot dimidiatos & imperfectos, ut eſt crebertimè apud *Maronem*, aliquando & ſententiam imperfectam. Sed hos defectus accuſent, qui nihil pati poſſunt diminutum. Sunt & malè menſuratæ ſyllabæ, quæ tamen non præterierunt autorem. *Paul. Verger.* in vit. *Petrarch.*

Scaliger ait illum perſpicuè admodum Latinaque cum elegantia loqui. Eum quod ad Italica Scripta ſpectat intellectu difficilem eſſe, propter voces plurimas è *Provinciali* vicina lingua deſumptas, & ab *Italis* minimè intellectas. *Scaligerana* poſterior. Gall.

Roſtellus quod ad ejus ſtylum & phraſes attinet, ait illum ſæpe interpretibus indigere &c. Quædam ejus *Tetradecaſticha* (*Sonnetos* vocant Galli & Itali Poëmatica 14. verſibus conſtantia) intellectu difficillima eſſe vel peritiſſimis ipſis hominibus. *Roſteau*, Judiciis de quibuſdam libris à ſe lectis. Gall.

Jeſ. *Rapin.* ait *Petrarcham* vernaculo ſuo idiomate ſcripſiſſe; Sed Stylum ejus nimis vaſtum eſſe ut Heroïci Poëtæ nomen mereatur.

Franciſcus Petrarcha in Hiſtoria erraſſe à quibuſdam deprehenditur. Quo ad *Rythmos* vernaculâ linguâ conſcriptos ternariis quaternos inconcinnè minuſque aptè interdum commiſcet. *Claud. Verder.* incenſ. Autorum.

Hieronymus Squarzaficbus in *Petrarcha* vita refert magnum illum Poetam nunquam aſſenſum dare voluiſſe, ut ſua Soror præda fieret Benedicti XII. qui illius amore perditiſſimo captus erat, quique fratri Cardinalitium pileum in favoris remunerationem, pollicebatur. Tam nefarii commercii propoſitionem generosè repulit; Sed in ſalvo tamen non fuit ejus Soror, alius enim erat ei frater qui illam Papæ vili pretio tradidit. *Novellis* Gallic. Reip. *Literaria.* Febr. 1686. pag. 144.

Extant opera ejus omnia *Lugduni* apud *Samuelem Criſpinum*, 1601. fol.

Extat liber de *Vitâ ſolitariâ, Mediolani* in fol. apud *Hulderieum Scinzenzeler. an.* 1498.

Extant

Extant Poemata *Hetruſca* cum expoſitione *M. Ioan. Andreæ Geſualdi Venetiis* apud *Gabrielem Tolittum Ferrarienſem* 4°. 1553.

Extant quædam Poemata *Italica* antea inedita, quæ vulgavit *Frideric. Vbaldinus* ex Auctoris Schedis, unà cum cenſurâ & emendationibus ſuis, *Romæ* anno 1642.

Franciſci Petrarchæ liber de caſibus virorum Illuſtrium MS. in Bibliothecâ *Colbertina*, cod. 840. Itemque ibidem ejuſdem Rerum familiarium Epiſtolarum libri viginti quatuor Manuſcripti cod. 842. quorum novem tantùm ſunt impreſſi. *Oudin.* in Supplem. ad *Bellarm.*

Hoc ejus Epitaphium, in viciniâ *Patavii* in *Arquato* pago marmoreo ſepulchro inciſum.

Frigida Franciſci *lapis hic tenet oſſa* Petrarchæ,
Suſcipe Virgo *parens animam, ſate* Virgine *parce.*
Feſſaque jam terris cœli requieſcat in arce.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

BARTOLUS.

DE *Saxoferrato* [Urbs eſt *Umbriæ*, quæ *Sentinum* olim dicebatur] natus eſt anno 1303. obiit anno 1355. Clar. An. D. MCCCL.

Vir fuit ingenio ſubtili & acuto, facundæ eloquentiæ, & multi conſilii: aſſiduus in ſtudio legum, ſobrius in victu: memoriâ labili, cui defectui ut ſuccurreret, quæcunque meditabatur, ſcripto ſtatim mandavit. Ideo delitias omnes poſtponens, & liberiora corporis exercitia negligens, totum ſe ſtudiis dedebat, nullam ſibi à ſerioribus meditationibus relaxationem concedens. *Boiſſard.* in Icon.

Bartolus ingens illud Juriſconſultorum lumen ac ſtella. Æqui & boni periтiſſimus. Veritatis Magiſter vocatur *Scurfio.* Juriſconſultorum ſignifer *Menochio.* Aliis Juris lucerna & cæcorum Dux, ſpeculum ac veritatis pater. Tantâ celebritate jus civile profeſſus eſt *Bartolus*, ut ad eum ob ſummam eruditionis & ingenii famam ac gloriam undequaque ſtudioſorum turba conflueret. Ipſi omnes faſces porrigunt & ſceptra *Iurium Conſulti* ſequentes. *Quenſtedt.*

Bartolus natus anno 1303. *Ius Civile* profeſſus eſt *Piſis*, poſteaque *Perusii*, quod tanto judicio aperuit in *Commentariis* ſuis immenſis pro ætate ſua (quæ quadraginta ſex annos non exceſſit) ut longè primus *Iuſtiniani* Interpres poſt *Accurſium* adhuc apud omnes celebretur, & in eo fuiſſe præ cæteris admirabilem legum peritiam, ejuſque ingenio nomen adfuiſſe *Interpretes* noſtri teſtentur, *Arth. Duck.* de *Iur. Civ.* l. 1. c. 5. ſect. 15.

In *Iure* primas, comparatus cœteris partes habebit *Bartolus. Andr. Alciat.*

Ejus authoritas magna erat per totam *Italiam* propter ſoliditatem conſiliorum quibus res *Principum* adjuvabat. Erat enim *Caroli* IV. *Rom. Imper.* conſi-

 liarius,

Digitized by Google

liarius, à quo nobilitate donatus eſt. *Boxhorn.* in Monument.

Supremus Doctor, qui veritatem ſemper ante oculos habuit. *Borcholt.* de Tranſact. cap. 1. n. 4.

Juriſconſultorum diu Princeps eſt habitus. *Grot.* l. 2. de J. B. & P. cap. 22. ſect. 13.

Bartolus, non contemnendi ſanè judicii, plurimúmque profuturus Reip. ſi in meliora tempora incidiſſet-- in diſtinguendis factorum ſpeciebus, ut certum Jus colligatur, nulli ſecundus eſt inter Juriſperitos illius ſeculi. *Oldendorp.* tr. de act. de formul. inveſtigandæ Actionis.

Huic plus credendum, ut cenſet *Angelus*, quàm omnibus aliis, tanquam Magiſtro omnium. Et *Caccialupus* refert. Regiô Edictô cautum fuiſſe, ut in Hiſpania & Luſitania in conictu opinionum *Bartoli* obſervaretur ſententia, eò quòd à ſemitâ veritatis & æquitatis raró judicatus fuerit aberrâſſe. *Moller.* 2. *Semeſtr.* 49. *n.* 12.

Bartolus fuit ſubtilis Inveſtigator & fuit Pater Juris, & Juris humani lumen ardentiſſimum, in quo ſolet eſſe ſubſtantia veritatis, nihil boni ignoravit. *Joh. Nevizan.* Sylvæ Nuptial. lib. 5. n. 25.

Bartolus Sentini in *Umbriâ* natus, magno acumine perſpicacis ingenii *Ius Civile* profeſſus, in omnibus *Italiæ* Gymnaſiis exactæ doctrinæ documenta reliquit---- Æquales ſuos doctrinæ firmitate, & mirâ judicii conſtantiâ ſuperavit. ---Defuit ei Latinæ eloquentiæ facultas, ne ſummæ gloriæ faſtigium teneret. Et tamen eſt quod maximè miremur, illum in perpetuo docendi munere occupatum, tot & tanta volumina perſcribere potuiſſe, quum quadrageſimo ſexto ætatis anno fato ereptus fuerit. *Paul. Jov.*

Inter antiquos *Interpretes Accurſius* & *Bartolus* principatum tenent, de ſermone non valdè anxii, rerum quas tractant, curam ſolam habuerunt: quas cùm noſſent, quantum in illâ barbarie, & codicum depravatione noſſe poterant, explicare niſi inconditè, & barbarè nequiverunt; quod non tam eis quàm ſeculo illi tribuendum, quo linguæ, & bonæ literæ prorſus jacebant. *Roland. Mareſ.* Epiſt. lib. 1. Epiſt. xi.

Bartolus de *Saxoferrato* Mathematum & Hebraicarum quoque literarum peritus. *Genebrard.* in Chronolog. ſuâ.

Veruntamen *Voſſius* in libro ſuo de *Philologiâ* affirmat *Bartholum Juriſconſultum* ætate ſenili literis *Hebraicis* immortuum eſſe.

Bartolus hiſtoriarum ignorantiâ denſiſſimis tenebris omnia involvit. *Jo. Bernart.* de Utilit. leg. Hiſt. p. 119.

Id etiam ſupra alios præcipuum habuit, ut in tot & tam variis *Commentariis*, quæ edidit, raró ſibi contrarius reperiatur; mirâ brevitate uſus plus tacendo, quàm loquendo dixiſſe fertur. *Veronæ* ſtatutum eſt, neminem ibi Juriſprudentum collegium poſſe ingredi, qui *Bartoli Commentaria* non habuiſſet, quæ in decidendis *cauſis* maximè neceſſaria eſſe crediderunt *Panzirol.* de Clar. Leg. Interpret. l. 2. c. 67.

Bartolus à *Saxoferrato* non parum à *Franciſci Tigrini Piſani* Commentariis adjutus

adjutus fuiſſe creditur; quæ enim ab eo inordinatè ſcripta fuerant. *Bartholus* digeſta pro ſuis publicavit. *Idem* ibid.

Nicolai quoque *Mattarelli* atque aliorum veterum ſententias quandoque ad verbum deſcriptas ſibi impudenter attribuiſſe dicitur. *Joan. Fichard.* in Vit. Juriſconſultorum, p. 241.

* *Proceſſus Satanæ* contra B. *Virginem*, auctore *Bartolo* de *Saxo-Ferrato*; prohibetur. Vid. *Indic. Madrit.* p. 859.

Hoc ejus Epitaphium, *Petro Myrteo* auctore:

Hic eſt Bartolus, *ille Juris ingens*
Lux, & commodus explicator, hic eſt:
Quem mors ante diem abſtulit maligna,
Heu mors invida, & ævo iniqua noſtro,
Quæ Leges iterum jacere cogis.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

JOHANNES BOCCATIUS.

DE *Certaldo*, patriâ *Florentinus*, anno 1314. natus, & ann. 1372. mortuus, juxta *Berneggerum*, idol. Lauret. pag. 116. aut, ſi *Voſſium* ſequi libet, ann. 1376. vid. lib. 3. *Hiſt. Lat.* cap. 1. *Trithemius*, pag. 147. & *Simlerus* f. 346. ad ann. 1375. collocant. Vir fuit maximâ eruditione ſacrâ & profanâ conſpicuus, quod patet ex ejus quæ reliquit ſcriptis, ut ſunt, lib. de fœminis illuſtribus, quibus *Johannam* quoque *Papiſſam* annumerat, impreſſ. *Bernæ Helvet.* 1539. Liber *Italicus*, *Decameron* ſive *Princeps Galeottus* inſcriptus, in quô fabulis, & hiſtoriis centum *Papale* regnum, *Confeſſionem auricularem*, *Sanctos*, *Lipſanolatriam*, *Purgatorium*, &c. acerrimè perſtrinxit, perverſitatis Papææ non ignarus. Vid. *Beregg.* l. c. p. 128. ſeq. Librum quoque de *Genealogia Deorum* confecit, & alios plures. *Olear.* in Abac. PP. Eccleſiaſt. Clar. An. D. MCCCLXVI.

Vir in ſecularibus literis omnium ſui temporis facilè doctiſſimus, & divinarum Scripturarum non ignarus, Poëta, Philoſophus, & Aſtronomus celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus. *Trithem.*

Boccatius multa reliquit *Scripta*, quæ Autoris doctrinam, & laborioſas lucubrationes ſatis teſtantur. *Joan. Boiſſard.* in Icon.

Non tamen equidem inficias ierim, *Joannem Boccatium* hominem fuiſſe ſtudioſiſſimum, & elegantis ingenii, ut ea ferebant tempora; ingenioſum etiam & eruditum, ſed non in Latinis & eo minus in Græcis is fuit, qui in proprio Idiomate, hoc eſt in *Hetruſcis*, patrio ſcilicet & vernaculo ſermone, in quo ſolutâ oratione omnes ante & poſt eum qui ſcripſerunt, magno poſt ſe intervallo reliquit, *Lil. Gyrald.* in Epiſt. *Herculi Duci Ferrar.* præfix. operibus *Gyraldi*.

Digitized by Google

Magnam eruditionis & induſtriæ laudem retulit Genealogiâ ſua Deorum. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Quamvis non deſint, qui *Genealogiam Deorum* ex alio tranſcriptam affirment, *Konig.* in Biblioth.

Franciſcus Petrarcha, & *Joannes Boccatius*, præter ea quæ multa ſolutâ oratione uterque compoſuit; nonnulla quoque carmine Latino ſcripſere, in quibus non multò præſtat alter alteri. In his licet, quod temporum tamen vitio adſcribendum putarim, judicii minus ſit & limæ, multum tamen Poetici ſpiritûs habere videntur. *Lil. Gyrald.* de Poët.

Boccacius, *Hetruſcorum Cicero*, fabulator jucundus, & eloquens ſermone patrio, ſed Latini parum peritus, *Theogoniæ* non admodum accuratus, & *Mythologiæ* non ſatis idoneus enarrator, in omnibus obſcœnus, impius, & verſificator ineptiſſimus, *Balthaſſ. Boniſac.* l. 15. c. 3. *Ludicr. Hiſt.*

Ioannes Boccacius Deorum *Genealogias* in corpus unum redegit, feliciùs quàm illo erat ſeculo ſperandum; tametſi in Interpretandis fabulis ſæpe eſt nimius & frigidus---- *Ioannes Boccacius Petrarchæ* diſcipulus nullâ ex parte eſt cum Magiſtro conferendus. *Lud. Vives* de tradend. Diſcipl.

Quemadmodum *Petrarcha* eloquentiam in Poëſi *Hetruſcâ* à cive & Magiſtro ſuo, *Dante Aligerio*, inchoatam, perduxit ad maturitatem: ita iiſdem temporibus *Boccacius* pedeſtrem eloquentiam in ſermone patrio (ut *Iovii* de eo judicium eſt) ſimul & inchoavit, & abſolvit. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Blondus ac *Boccacius Franciſco Petrarchâ* inferiores fuere, tum in dicendi viribus, tum in *Romani* ſermonis proprietate. *Eraſm.* in *Ciceroniano.*

Boccacii Oratio dulcis, copioſa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quæ legas, non narrari videantur. *Ioh. de la Caſa* in Vit. Card. *Bembi.*

Author *Biondo* (ſic Italis flavi crinis capita vocantur) ait illum *Italica* linguæ quam Latinæ facundiâ multò excellentiorem fuiſſe. In qua Præclari *Portus Regii* Viri obſervarunt eum cæteris omnibus præſtitiſſe; imò & ſeiſpum ſuperaſſe, juxta *Bembi* Cardinalis ſententiam, cùm eò majori elegantiâ & puritate ſcripſerit, quò ab hujus novæ Linguæ natalibus & infantia jam longiori ſpatio remotus erat. Iudicio etiam Equitis *Salviati* ejus *Proſa* acurata & nativa magis deprehenditur quàm ejus *Carmina.* Addunt Eruditi illi viri advertendum tamen eſſe quædam apud illum Authorem loca clarè oſtendere quod majori ſcrupulo caverit puritatis Linguæ regulas ab hominum arbitrio ac voluntate tantum ortas violare, quàm præcepta de morum puritate ab ipſomet Deo nobis tradita. *Eruditorum judicia*, per Dominum *Baillet.* Gall.

Jeſ. *Rapin.* ait *Boccatium* puriſſimè vernaculo idiomate ſcribere; Sed Characterem ejus nimiùm vulgarem & familiarem eſſe ut Heroici Poetæ nomen mereatur. Idem Rapinus dicit alibi Boccatium aptis admodum verbis mentem ſuam exprimere in Poematis ſuis, ſed hanc non ſatis altè penetrantem eſſe; Eum quoque vanæ gloriæ nimium affectatæ inſimulat, & quod de ſeipſo indeſinenter mentionem faciat.

Maximi

Maximi inter ejus Compoſitiones momenti eſt *Decameron*, quod Opus Italia tota cum applauſu excepit; Hoc pariter extraneæ Gentes adeo favorabiliter amplexæ ſunt, ut ſingulæ idiomate ſuo legere hoc ipſum voluerint; Et eo majori ſollicitudine hoc quilibet exquiſivit quo majori ſtudio ejus ſuppreſſio tentata eſt, & acriori cenſurâ notatum, quod nimis licenter, & in Monachos ſatyricè nimis loqueretur. *Iſaacus Bullart*. Acad. ſcientiarum &c. Gall.

* *Bocatii Decades*, ſive *Novellæ* centum, quamdiu expurgatæ non prodierint, *Indice Romæ* impreſſo, 8°. anno 1681. prohibentur.

Gloriam quoque meruit *Boccacius* compendio *Hiſtoriæ Romanæ*: item libris de illuſtribus viris, de claris mulieribus, de Bellis Imperatorum, de *Florentinorum* Bellis, de captâ *Conſtantinopoli*, atque aliis, commemoratis à *Jacobo Bergomate* ad ann. 1365. Horum pleraque Manuſcripta extant in Bibliothecâ publicâ Academiæ *Lugdunenſis* apud *Batavos*. Libri ejus novem de caſibus illuſtrium virorum Manuſcripti adſervantur *Oxonii* in Bibliothecâ *Collegii Novi*, teſte *Thomâ Iameſio*. Qui & *Oxonii* in Bibliothecâ Collegii S. *Magdalenæ*, tum & *Lincolnienſi*, extare ait *Boccacium* de caſibus illuſtrium virorum: ſed neutro loco, opus illud quot librorum ſit, addit. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Extant Genealogiæ Deorum libri xv. inſcripti Hugoni *Hieroſolymorum* & *Cypri* Regi. *Vincentiæ* 1487. in fol. Et *Italicè* redditæ per *Joſephum Betuſſi*, recognitæ à *Georgio Valentini* in *Venetiâ* per *Valentinos* in 4. anno 1617.

Extat *Decameron*, cum Præfatione & vitâ *Boccacii*, auctore *Franciſco Sanſovino*, *Italicè* in 4°. 1549. Idem liber *Gallicè* redditus per *Laurentium Premier*. *Pariſiis* 1534. in 8°.

Extat opus de claris mulieribus *Bernæ* 1539. in fol.

Extant de caſibus illuſtrium virorum libri ix. in folio *Pariſiis*, apud *Joannem Gormontium*.

Exceſſit è vitâ ſexageſimo ſecundo ætatis anno. Sepulchrum ejus cum marmoreâ effigie inſculptis his carminibus in templo maximo *Certaldi* conſpicitur.

Hac ſub mole jacent cineres, ac oſſa Joannis,
Mens ſedet ante Deum, meritis ornata laborum,
Mortalis vita genitor Boccacius *illi*,
Patria Certaldum, *ſtudium fuit alma Poëſis*.

Paul. Iov. in Elog.

JOHANNES WICLEVIUS.

ANglus, acer *Papiſmi* oppugnator, claruit anno 1370. obiit 1387. *Scripta* ejus penè infinita recenſet *Baleus*; plures ejus Tractatus tum Latinè tum Anglicè ſcriptos adhuc ineditos extare in Bibliothecâ Collegii *Benedicti* apud *Cantabrigienſes*, alibique teſtatur *Thomas Iameſius*. Clar. An. D. MCCCLXX.

Vir

Digitized by Google

Vir magno & excellenti planè ingenio præditus, *Oxonii* in Collegio *Mirionenſi*, omnes eruditas artes tantâ cum fœlicitate perdidicit, quantâ ſui temporis nemo facilè alius. Nam in Philoſophiâ illâ *Scholaſticâ*, acuminis oſtentatrice, principem locum obtinebat. Tum prætereà in *Theologia* receſſus penitiores, & ſacroſanctos quidem illos, tam altè deſcenderat, ut à *Theologorum* vulgo pro *Deo* tantùm non habitus ſit. Quo tandem calculo, ſummis honoribus & inſignibus, quæ in eruditos *Academia* conferre ſolet, donatus eſt. Ille verò ut ſe vidit ejuſmodi auctum titulis, ſuamque tanti in ſcholis eſſe authoritatem, ut omnia quæ doceret tanquàm è *tripode* dicta crederentur, primum *Fraterculorum* mendicitatem cute tenus ſtringere cœpit, nec multò poſt altis plagis vulnerare. Ut tamen bona pars *Scholaſticorum* in hominem adfecta erat, ad hæc præludia connivebat. Deinde *Publicis Prælectionibus* atque aliàs privatim, vellicabat *Pontificis Romani* aſtum, avaritiam, ambitionem, ac tyrannidem, ſic putans futurum, ut *Chriſtiana Eccleſia* cognitis erroribus reſipiſceret. *Io. Leland.*

Præter vitam quam verè *Apoſtolicam Wiclevus* duxit, ingenio, facundiâ, atque eruditione multiplici, omnes in *Angliâ* commilitones longo intervallo ſuperabat. Unde ipſum *æternus Pater*, anno poſt *Servatorem* 1360. per ſuum *Spiritum* ſuſcitavit, ut in mediis errorum tenebris, ac *locuſtarum Tartarearum* ſeu *Hypocritarum* obſcurationibus, pro ſuâ *veritate* ſtaret, magnanimus *Chriſti* pugil fieretque adverſus ejus infenſiſſimos hoſtes, *Antichriſtos*, inſuperabilis Eccleſiæ columna. *Ioan. Balæus.*

Eccleſiam de *Lutterworth* in comitatu *Leiceſtrenſi* rexit ille celeberrimus *Ioannes Wickliff*, vir ingenio ſubacto, & *ſacris literis* verſatiſſimus, qui cum calamum in *Pontificiam* Authoritatem, & *Romanam Eccleſiam* ſtrinxiſſet, non ſolùm graviſſimè exagitatus erat dum viveret: ſed etiam anno poſt mortem quadrageſimo primo in corpus ſævitum fuit, quod *Senenſis Concilii* mandato exhumatum erat & exuſtum. *Camden.* in *Britan.*

Ioannes de *Wickliff* exercitatiſſimus fuit Philoſophus & clariſſimus Theologus; excellentis & planè Divini ingenii, immenſa & penè innumera Doctrinæ monumenta poſt ſe reliquit. *Anton.* à *Wood* Antiquit. *Oxon.*

At hoc ipſo tempore ſub anno 1360. caput exerit *Ioannes Wiclefus* ingentis ingenii vir, in omnibus literis & diſciplinis *Oxonii* educatus, Philoſophus & Theologus inſignis, eoque nomine omnibus facultatibus & charus & venerandus. Hic ſanè Eccleſiam *Romanam* omni ex parte ſtrenuè adoritur. —— Omitto Scriptorum ipſius eruditionem, ſoliditatem penè incomparabilem. Quæ omnia ſiquis ſeriò attenderit, ſeculo aliàs caliginoſo, inter tot fulmina tam formidanda, quibus magni quique Orbis Principes ſuccumbere ſoliti, dubitare non poſſit, quin ejus ſpiritus cœlitùs lucem, robur, fiduciam acciperet, quin *Deus* in eo & per eum ageret, in imbecillitate homuncionis, ſi mundum ſpectes, abjectiſſimi, imperii *Satanæ* ruinam moliretur, plenitudinem illam poteſtatis tantopere jactatam, tanto tempore à *Pontificibus* affectatam jam aggredi occiperet. *Phil. Mornai* Myſt. Iniquit. p. 445. 446.

Ioannes Wiclefus —— Vir erat, quô majorem non tulit poſtremis hiſce ſeculis Chriſtianus

Digitized by Google

Chriſtianus Orbis; quique non minus ſupra laudem quàm invidiam poſitus videtur. Omnifariâ rerum Theologicarum Scientiâ inſtructiſſimus, Legum Municipalium impendio peritus, rarâ morum gravitate prædirus, inprimis verò immenſo erga Deum zelo, erga proximum charitate flagrans. Hinc nata puritatis priſtinæ in Eccleſiam reducendæ cupido; quam tamen limites uſque adeò egredi non permiſit, ut omnia Diſciplinæ Eccleſiaſticæ jura illibata conſervare religioni haberet. Eximiam ejus pietatem ne peſſimi quidem adverſarii in dubium unquam vocare ſunt auſi; præclaram certè doctrinam abundè teſtati ſunt ex iis quamplurimi. Sanè in omnibus ferè, quæ hodienum extant, ſuis ſcriptis accuratam Theologiæ notitiam & elimatum judicium prodit *Wiclefus* Preſsè ubique & acutè diſputat, egregiam ſpirat pietatem, ſacram autem Scripturam ſummâ perſpicuitate ac ſolertiâ interpretari ſolet: Nil in eo puerile aut otioſum (Scriptoribus iſtius ævi ſolenne vitium) deprehendi poteſt; omnia gravia, ſubacta, atque elimata. Is denique eſt, cui nihil ad conſummatam eruditionem defuit, niſi ſeculum fœlicius. Diſſimulari tamen non poteſt, diverſa ſæpè ac contraria nonnunquam dogmata in illius libris reperiri poſſe: quod *Wiclef* adeo non detrahit, ut in laudem illi potiùs cedere debeat. Neque enim præfervido quodam animi impetu abreptus, ſed maturo judicio ac ratione ductus Eccleſiæ *Romanæ* errores oppugnavit; quos unico ictu eum non detexiſſe nil mirum eſt. *Henr. Wharton.* in Append. ad Hiſt. Literar. *Gul. Cave.*

Accuratam Dogmatum *Wiclevianorum* cum hodiernâ Eccleſiæ *Anglicana* doctrina concordiam fusè demonſtravit prolixâ *Wiclefi* Apologiâ *Anglico* Sermone editâ *Oxonii* 1608. 4. Vir doctiſſimus *Th. Iameſius* qui, *Parſoni* aliorumque abſurdas opiniones *Wiclefo* ſummâ injuriâ aſſuentium, calumnias invictè diluit. Poſt clariſſimi Confeſſoris obitum, in ſanctiſſimos ejus manes maxima inſaniâ debacchati ſunt Pontificii. Acriùs tandem in *Wiclefi* memoriam nuper invectus eſt *Varillaſius*, Hiſtoriographus Gallus; qui priſtinas calumnias renovavit, novas ſubinde excogitavit; & utraſque in Hiſtoriâ ſuâ Hæreſis in lucem dedit. Verùm tam inſulsè ut plurimùm calumniatur Hiſtoricus ille mendaciſſimus, adeo omnem rerum geſtarum Chronologiam perturbavit, tam craſſos pariter ac ineptos Errores admiſit; ut putidiſſimum Impoſtorem ubique prodat, & riſu potiùs quàm refutatione excipi mereatur. *Idem* ibidem.

Concluſiones ejus habentur inter Epiſtolas *Gregorii* XI. Conciliorum, Tom. 11. Part.2. p. 2041. *Articuli* ex ejus *Trialogo* excerpti, & in Synodo *Londinenſi* damnati ibid, pag. 2080.

MATTHÆUS WESTMONASTERIENSIS.

A *Floribus* Hiſtoriarum quos accuratè collegit, *Florilegus* cognominatus, Ordinis S. *Benedicti* Monachus *Anglus*, in Cœnobio *Weſtmonaſterienſi*, Vir ſcientiis melioribus benè inſtructus, & ſuo ſeculo Scriptor non vulgaris. In Hiſtoriis præſertim *Britannicis* & *Anglicis* peritiſſimus. Flores *Chronicorum* à creatione Mundi, in ſex ætates diviſos, in unum magnum congeſſit volumen, Clar. A. D. MCCCLXXVII

Digitized by Google

tribus libris diſtinctum. In quorum primo de rebus inſignioribus agit ab orbe condito uſque ad *Chriſtum* natum. In ſecundo à nativitate *Chriſti* uſque ad *Normannorum* in *Angliam* adventum. In tertio agit de Imperio *Normannorum* in *Anglos*, uſque ad initia regni *Edvvardi Secundi*. In quo toto decurſu, ſive diſcurſu, ita veſtigiis *Matthæi Paris* inſtitit, ut parùm ab ejus Methodo deflexerit, niſi quòd in tertio libro multa ex ſuo deprompſerit armario, quæ vel ab aliis acceperit, vel ipſe vidit, quibus Hiſtoriam ſuam non parum auxit, & multùm ornavit. Poſtremò res geſtas ſeptuaginta annorum de ſuo planè adjecit, deduxitque rerum ſeriem uſque ad Regis *Edvvardi tertii* mortem, ad annum videlicet *Dom.* 1377. poſt quem annum nec ipſe diu ſupervixiſſe videtur. Omnia ſua ſcripſit tantâ fide, ut vix unquam vel latum unguem à vero aberraverit, tantâ diligentiâ, ut ferè nihil eorum, quæ illis temporibus notatu digna contigerunt, omiſerit. His adde ſummum judicium in rebus ſeligendis, acumen in inveniendis, ordinem in diſponendis, exactam rationem in temporibus calculandis, annis ſupputandis. Ita ut hâc ſuâ multiplici induſtriâ, tantam attulerit noſtris Hiſtoriis lucem, quantam ante eum vix quiſquam alius. *Pitſæus* de Illuſtr. *Angl.* Scriptor.

Scriptor ætate ſuâ non inelegans. Vir ipſe erat ſuo ſeculo in omni genere bonarum literarum, planè eruditus, & in his quæ ad *Hiſtoriam* pertinent, potiſſimùm in rectâ annorum ſupputatione eximius. *Balæus* de Script. *Britan.* centur. 6.

Scriptor exactus, diligens, & fidelis vocatur *Hofmanno*.

Circa annum 1376. vigere fama cœpit *Matthæi Weſtmonaſterienſis*: qui Hiſtoriarum Flores collegit ab exordio mundi uſque ad annum *Domini* 1307. *Indè* vulgò dictus eſt *Florilegus*. In iis ſequitur inprimis Hiſtoriam, *Matthæi Paris* majorem. Poſteà autem, adjectis 70. annis, laborem hunc perduxit ad annum uſque 1377. Quòd effractis *Bibliothecarum* repagulis, nunc per manus omnium volitat, *Matthæi Parkeri*, *Cantuarienſis* Antiſtitis, beneficium eſt. Nec hic induſtria *Weſtmonaſterienſis Matthæi* ſtetit: ſed prætereà duplici *Chronico* nomen ſuum extulit: uno quidem patrio, ſeu *Weſtmonaſterienſi*: altero autem fani B. *Eadmundi*. Porro *Florilegi* hujus veſtigiis inſtitit *Chronicon Roffenſe*, imò vix quicquam in collegas *Florilego* intactum, ſi exceperis, quæ propriè Monaſterium *Roffenſe* ſpectant. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Cæterumne Hiſtoriarum obruaris multitudine, & hinc ducaris in confuſionem: (*Anglus* cùm ſis, & *Anglorum* geſta ſcire deſideres) *Matthæi Paris* & *Matthæi Weſtmonaſterii* Scriptis, præ cæteris incumbe: horum lectioni ſi operam adhibeas, non ſolùm quæ domi ſuis temporibus gerebantur, ſed quæ tractabantur foris luculenter addiſces, Barbaros eſſe fateor, nec renuo ſi dicas variè corruptos, at pro luminis ſcintillâ, quâ tum fruebantur, utiles *Dei miniſtros* aſſero, quos è profundis tenebris & obſcurâ nocte ſuſcitavit, ad regerendam pluſquam monſtroſam *Romanorum Pontificum* vim & tyrannidem, quâ detinebamur miſerè captivi—-—Hoc jam reſtat, cujus te admonitum eſſe velim, ne ſcribentis barbarie, à lectionis voluptate immaturè avoceris. Neve attonitus admireris, quo animo, tam abſurda interdum deliramenta & inſipida phantaſmata, hic

Author

Author (*Matthæus Weſtmonaſterienſis*) Scriptis ſuis interpoſuerit. Poteris equidem (& lubens fateor) tam incredibilium animadverſione, ab omni, & ſpe boni, & veritatis opinione prorsùs avocari. Sed ſi & temporum iniquitatem (in quibus is vixerat) & rerum omnium tumultuarium ordinem diligenter conſideraveris; nec tantum tibi mirari ſubierit, nec ita multum arguendus ille, quòd pro ſeculi ſui vanitate cum aliis in *Religionis Chriſtianæ* myſteriis aberraverit. iſta ſi non incogitanter præterieris, magnæ commoditatis particeps diſcedes. Vid. *Præfat.* præfix. edit. *Francofurt.* 1601.

* *Flores* Hiſtoriarum, per *Matthæum Weſtmonaſterienſem* editi anno 1573. *Londini*, niſi emendentur, prohibentur in *Indice Tridentino*; vide Appendicem certorum Auctorum.

Extant *Flores Hiſtoriarum*, *Londini* 1567. & *Francof.* 1601. Fol.

GALFRIDUS CHAUCERUS.

APud *Woodſtock* non longè ab *Oxonio* in *Angliâ* claris parentibus natus, patrem habuit Equeſtris Ordinis virum, & ipſe tandem auratus factus eſt eques. Vir belli pacíque artibus mirè florens. Antequam virilem ætatem attigiſſet, erat Poëta elegans, & qui *Poëſim Anglicam* ita illuſtravit, ut *Anglicus Homerus* meritò haberetur. Rhetor etiam diſertus, Mathematicus peritus, Philoſophus acutus, *Theologus* denique non contemnendus. Maximè conatus eſt, ut maternâ excolatur lingua, & in *Anglico* ſermone eloquentiæ *Romanæ* expreſſa appareant veſtigia. Illi duo viri *Joannes Goverus* & *Galfredus Chaucerus* attulerunt certè noſtro Idiomati tantum ſplendoris & ornamenti, quantum ante illos prorſus nemo. Nam ſibi mutuò calcar addiderunt, & uter patriæ plus afferret honoris, uterque vinci & vincere ambiens, amanter contenderunt. *Pitſeus* de Illuſtr. Angl. Script. Clar. A. D. MccclXXX.

Fuere & in *Britannorum* idiomate, & eorum vernaculo ſermone aliqui Poëtæ ab eis ſummo in pretio habiti, inter quos *Galfredus Chaucerus* vetuſtior, qui multa ſcripſit, & *Thomas Viatus*, ambo inſignes equites. *Lil. Gyrald.* de Poëtis.

Galfredus Chaucerus Anglus Poëta, linguam Patriam magnâ ingenii ſolertiâ ac culturâ plurimùm ornavit; interque alia, cùm *Joannis Mone* poema de Arte amandi *Gallicè* tantùm legeretur, *Anglico* illud metro feliciter reddidit. *Voſſius* de Hiſt. Lat.

Oppidum *Woodſtock*, cùm nihil habeat quod oſtentet, *Homerum* noſtrum *Anglicum Galfredum Chaucerum* alumnum ſuum fuiſſe gloriatur. De quo, & noſtris Poëtis Anglicis illud verè aſſeram, quod de *Homero* & *Græcis* ille *Italus* dixit:

——Hic ille eſt cujus de gurgite ſacro
Combibit arcanos vatum omnis turba furores.

Hic enim extra omnem ingenii aleam poſitus, Poëtaſtros noſtros longo poſt ſe intervallo relinquit. *Camden*, in *Britann.*

Galfridus Chaucerus, Poëtarum noſtrorum Princeps, acris judicii, non lepidi

Digitized by Google

tantum ingenii, vir. Is Philoſophicis, Theologiciſque haud mediocriter imbutus fuit. *Henr. Savil.* Præfat. ad *Bradvvardin.* lib. contra *Pelag.*

De *Chaucero Lelandus* inter Epigrammata ſua ſic ſcribit:

Prædicat Algerum *meritò* Florentia Dantem,
Italia *& numeros tota* Petrarcha *tuos.*
Anglia Chaucerum *veneratur noſtra Poëtam,*
Cui veneres debet patria lingua ſuas.

Uſque ad tempus Henrici VIII. vix ullus Author qui Anglicè ſcripſiſſet in aliqua fuit exiſtimatione præter *Chaucerum*, Nec illo idiomate quicquam editum erat quod bis legere dignaretur præter quædam ejus Poemata. Sed hunc aliquatenus caput extollere cœpit & tolerabilem quendam ſonum adipiſci. *Sprati* Hiſtoria Regiæ Societatis. Anglicè.

Dominus Gottefridius *Chaucer* Gentis noſtræ *Homerus*, quique non minùs dulciloquam Muſam nactus eſt in *Wodſtockia* Nemoribus, quàm Veteres in *Heliconis* Collibus. *Baker* in Hiſt. Regni *Edvvardi* Tertii. Angl.

Verſteganus damnat *Chaucerum* in eo quod *Anglicum* Idioma puritate ſua ſpoliaverit, tot *Gallicarum* & *Latinarum* vocum permixtione. Anglicè.

Quædam Lectores monitos cupio; ut, primò quod apud *Chaucerum* occurrant quædam nomina propria quæ à Latinis & à *Græcis* unde deſumuntur procul abeunt; quæ tamen ut errores in ipſo damnari non debent: Nam & ille & alii Poetæ in ejuſmodi vocum tranſlatione ex uno idiomate in alterum ſæpe, ut & ipſi *Græci* atque *Latini* variis utuntur *Metaplaſmis*: verbi gratia *Campaneus* pro *Capaneus*: *Atheon* pro *Acteon*: *Adriane* pro *Ariadne*: Quod in aliis quoque vocibus facit *Chaucerus*: ut *gon* pro *begon*: *leve* pro *beleve*: *peraunter* pro *peradventure*: *loveden* pro *didlove*: *woneden* pro *did vvon*: ſolet etiam *Græcos* imitari duas adhibendo Negativas ad fortiorem Negationem ut *I ne ſaid none ill.* Sic etiam ſæpiſſimè *Verbum* ſub intelligendum omittit, ut *I not vvhat men him call*, pro *I knovv not* &c. Sic denique loco Authoris aliquam Operum ejus partem nominat, ut *Argonauticon* pro *Apollonius Rodius*; idque interdum in *Genitivo Caſu*, *Subſtantivum* præcedens ſubaudiendo; ſi: apud ipſum legere eſt *Æneidos*: *Metamorphoſeos*, vice Authorum ejuſmodi Operum. Vide Præfationem in Opera *Chauceri* typis mandata in Folio. ann. 1602.

Ex hoc malè ſano novitatis pruritu, *Belgæ Gallicas* voces paſſim civitate ſuâ donando patrii ſermonis puritatem nuper non leviter inquinaverunt, & *Chaucerus* Poëta, peſſimo exemplo, integris vocum plauſtris ex eadem *Galliâ* in noſtram linguam invectis, eam, nimis anteà à *Normannorum* victoriâ adulteratam, omni fere nativâ gratiâ & nitore ſpoliavit, pro genuinis coloribus fucum illinens, pro vera facie larvam induens. Vide *Stephan. Skinner.* in Præfat. præfix. etymologico ſuo linguæ *Anglic.*

Londini

Londini ſenex obiit, & apud *Weſtmonaſterium* honorificè ſepultus eſt cum hac *Inſcriptione*.

Qui fuit Anglorum *Vates ter maximus olim*
Galfredus Chaucer, *conditur hoc tumulo.*
Annum ſi quæras Domini, ſi tempora mortis,
Ecce notæ ſubſunt, quæ tibi cuncta notent.

25. *Octobris* 1400.

PETRUS de ALLIACO.

COmpendii ad *Iſaram* ex tenuiſſimæ fortunæ parentibus ortus, Doctor Collegii *Navarrici* in ſtudio *Pariſienſi*, ejuſque Archididaſcalus (ſunt qui Academiæ *Pariſienſis* Cancellarium, S. *Capellæ* in eadem urbe. Theſaurarium & Magnum *Franciæ Eleemoſynarium* præterea vocitent) *Ioannis Gerſonis* præceptor, *Cameracenſem* anno 1398. poſt *Vellavenſem*, ſive *Anicienſem* adeptus Epiſcopatum, anno 1411. die 6. Junii creatus eſt S. R. E. Cardinalis titulo S. *Chryſogoni* à *Joanne* Papâ XXIII. interfuit Concilio. *Conſtantienſi* anno 1415. tum deinde obiit vel in *Germaniâ* anno 1416. vel ut alii plures ſcribunt, anno 1425. *Avenione* die 8. Auguſti tum legatus Apoſtolicus per *Galliam*, dictus *Aquila Galliæ & aberrantium à veritate malleus indefeſſus*; relatumque eſt corpus ejus *Cameracum*, & in Eccleſiâ Cathedrali ſepultum cum Epitaphio. *Philip. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MCCCXCVIII.

En habes inter viros egregios virum literis eruditiſſimum, fide, prudentiâ, probitate, vigilantiâ commendatiſſimum, & zelo *unitatis Eccleſiaſticæ* ardentiſſimum, *Petrum, Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & Regis Francorum* Eleemoſynæ Miniſtrum, virum utique, ut breviter dicam, te tuiſque moribus digniſſimum. Cujus ipſa quoque inſignis virtus multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita, & quem planè *alterum lumen noſtri ævi* dicere non dubitaverim, quicquid de ſuo nomine detorquere maledicta perverſorum lingua ſtuduerit. Hunc in pacis conſiliis adhibe participem, in laboribus conſortem, & in negotiis omnibus adjutorem: Hunc dilige, cole, amplectere, huic a'teri fiducialiter omnia committe, & proculdubio non falleris, nec talem te Miniſtrum elegiſſe pigebit. *Nic. Clameng.* in Epiſt. ſecund. ad *Benedictum*.

Petrus de *Alliaco Cardinalis*, vir doctrinâ & moribus ſpectatiſſimus, non modò *Galliam*, ac univerſum terrarum orbem radiis virtutum ſpecioſiſſimis illuſtravit. *Ioan. Raviſ. Textor* in lib. de Clar. Mulier.

Alliacus dum viveret dici meruit *Aquila Franciæ*, & *malleus à veritate aberrantium indefeſſus*, quod præconium multis quidem explicari poteſt, ſed reliquum ſemper erit aliquid, quod addi meritò poterit. Uno verbo, in *Scholis* & in *Eccleſiâ* ipſum *Petri Alliaci* nomen *elogium* eſt. *Ioan. Launoius* in Acad. *Pariſ.* Illuſtrat. Tom. 2. p. 476.

Digitized by Google

Petrus Alliacus, Epiſcopus *Cameracenſis*, S. R. E. *Card. Pariſienſis Gymnaſii* quondam *Cancellarius*, Præceptor *Joannis Gerſonis*, vir Divinarum Scripturarum peritiſſimus, & in *Peripateticâ* Philoſophiâ & *Aſtronomicis* Diſciplinis abſolutiſſimus, eloquio elegans, & Declamator facundus, aggregavit ex *Auguſtino*, & aliis *Patribus* plurima in *Sacras Literas* volumina. *Sixt. Senenſ.*

Petrus de *Alliaco Compendii* ad *Iſaram* natus anno 1350. ex parentibus ignobilibus quidem, ſed probis, & liberalibus, magnum familiæ ſuæ honorem acquiſivit ob doctrinam ſimul & pietatem. *Oudin.* in Supplem. ad *Bellarm.*

Unum eſt, in quo reprehenditur hic *Auctor*, quòd videlicet ſenſiſſe videatur *Chriſti* nativitatem prænoſci potuiſſe ex *Genethliacis* obſervationibus, atque ad hoc adduxerit apparitionem *Stellæ*, quæ apparuit *Magis. Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Mirum verò tam turpiter hâc parte dediſſe etiam ſe hominem *Chriſtianum*, eumque doctiſſimum: *Petrum* dico *Alliacenſem*, Epiſcopum Cameracenſem: qui in libro ſuo de *Concordiâ Hiſtoriæ*, & *Aſtrologiæ Divinatricis*, etiam diluvium *Noë*, Natalem *Domini*, & Miracula ejuſdem, omniaque Prodigia ex *Aſtrologiâ* præſciri, ac prædici potuiſſe, arbitratur. Valdè etiam futile eſt fundamentum, quod arti iſti ponit. Ait, ab initio Mundi uſque ad Diluvium fluxiſſe annos CIↃCIↃXLII. à Diluvio ad Natalem *Chriſti* CIↃ CICCIↃ CII. His ita conſtitutis, totus eſt in eo, ut oſtendat, quandocunque mirandum aliquid contigit in terris; etiam illuſtrem aliquam *Stellarum* conjunctionem apparuiſſe in *Cœlis*. Atqui falſiſſimum eſt, quod ſibi ſumit de anno, vel diluvii, vel natalis *Domini*: nec levis eſt error, ſed ſpiſſiſſimus, in priori quidem numero annorum penè ſexcentorum; in altero autem paulo pauciorum. Quid mirum omnino *Cameracenſis* fuit *Chronologiæ* imperitiſſimus: ut vel arguit, quòd *Arrianam* Hæreſin cœpiſſe dicat an. *Chriſti* ſeptingenteſimo: quam veriſimiliùs tum penè extinctam dixiſſet; ortam verò conſtat ferè initio ſeculi quarti. *Voſſ.* de Scient. *Mathemat.* p. 214. 215.

Petrus de *Alliaco* Cardinalis, in Concilio *Conſtantienſi*, juſſu *Sigiſmundi* Cæſaris, obtulit articulos, ſecundum quos putabat corruptiſſimum ſtatum Eccleſiæ reformandum eſſe. Primùm autem ac præcipuè curiam *Romanam* corrigendam cenſuit, totque ac tam varias ei corradendæ pecuniæ artes præcidendas. Epiſcoporum Prælatorumque mores ac vitam corrigendam, eoſque ad proprium eorum officium rectè obeundum cogendos. Deinde Pompam Eccleſiaſticam, ſuperflua feſta, jejuniorum abuſum, prolixas battologias boatuſque; & Sanctorum canoniſationem eſſe tollendam. Quin & monachorum ordines minuendos eſſe. Denique & nimiam imaginum templorumque curam & copiam abrogandam. Hæc & ſimilia quædam alia in reformandâ Eccleſiâ agenda putavit, ac ut fierent, in Concilio ſuaſit, ſed nihil profecit. Ipſimet enim qui emendari reformarique debebant, nempe *Curtiſani*, *Cardinales*, *Epiſcopi*, & *Monachi*, in Concilio regnabant, & ad ſuam libidinem jus faſque inflectebant. *Illyric.* Catal. Teſt. veritat. l. 10.

Hic Auctor in *Laudatione Theologiæ*, dictum hoc, *Super hanc Petram* trahit ad *Chriſtum*

Digitized by Google

Chriſtum, & ejus Verbum. In ſuis concluſionibus diſputat, Eccleſiam eſſe alligatam ad Scripturam: item Papam non habere monarchiam temporalem. Item, *Romanam* Eccleſiam errare poſſe. Tranſubſtantiationis Miſſaticæ dogma etiam improbavit, in 4. ſentent. *Idem* ibid.

Scripta quamplurima reliquit, quæ tamen in unum corpus nondum redacta, neque omnia typis hactenus vulgata fuere. Potiſſima, eaque excuſa, enarrant *Bellarminus* atque *Labbeus*. Opera verò Manuſcripta reperies in *Oudino* in Supplem. ad *Bellarm.*

Alliacus anno 1425. *Avenione* moriens bibliothecam ſuam legavit *Navarreo Pariſiis* Collegio, quam ibi magnâ cum voluptate aliquando vidimus. Tumulus ejus *Cameraci* in Baſilicâ majore viſitur, quò corpus extremis tabulis devehi mandarat. *Aubert. Miræus*,

Hoc ejus Epitaphium:

Mors rapuit Petrum, *Petram ſubiit putre corpus*,
Sed Petram Chriſtum *Spiritus ipſe petit.*
Quiſquis ades, precibus fer opem, ſemperque memento,
Quod præter mores *omnia morte cadunt.*
Nam quid amor Regum, *quid opes, quid gloria durent,*
Aſpicis; hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

BALDUS UBALDUS.

PEruſinus, Juriſconſultus, claruit anno 1400. obiit anno 1423. *Gul. Cave.* Clar. A. D. MCD.

Baldus Peruſis natus, ex *Ubaldorum* nobili familia: Is generis ſplendori adjecit doctrinam excellentem in Juriſprudentiæ ſtudio & aliis liberalibus diſciplinis: auditor enim fuit *Bartoli* de *Saxoferrato*: præceptorique non ceſſit ſcientiarum cognitione. In patriâ docuit ſummâ cum laude & auditorum frequentiâ, qui undique *Peruſium* confluebant ad illum audiendum. Sed poſtquam magnus ille *Galeacius* Vicecomes *Mediolanenſis* Academiam *Ticini* erexiſſet, & ſcholas ſtudiis bonarum literarum florentes excitaſſet, accitis undique celeberrimis profeſſoribus, qui juventutem tam in Philoſophiâ, quàm in Juriſprudentiâ inſtituerent, conſtitutis unicuique pro ratione & dignitate profeſſionis, luculentiſſimis ſtipendiis, *Baldum* quoque *Peruſio* evocavit, qui ſummâ auditorum frequentiâ *Papiæ*, quæ eſt *Ticinum*, jus aliquot annis publicè docuit. Pervenit ad annum ætatis ſeptuageſimum ſextum. Deceſſit è vitâ paulò ante *Galeacii* mortem. Sepeliri voluit amictus habitu S. *Franciſci*, ratus id plurimum ad animæ ſalutem conducere. Quod etiam à *Rodulpho Agricolo* factitatum tradunt, & ab aliis multis. *Baldus* florebat Anno 1365. Sepultus anno 1400. *Boiſſard.* in Icon.

Jus

Jus *Civile* profeſſus eſt *Bononiæ* & *Ticini* per 56. annos, tanto cum ingenii acumine judicioque, ut *Baldum* nihil ignorare ſoleret *Jaſon* dicere & *Philippus Decius* teſtetur neminem mortalium authoritate *Baldum* adæquare poſſe. In his ſanè (*Barthelo* & *Baldo*) nihil deſiderari poteſt, quàm ut fœliciore ætate vixiſſent, in iis enim ſeculis barbaries *Gothica* & *Longobardica Latinum* Sermonem & literas ferè omnes extinxerat, & eâ ratione *Antonius Contius* eos *Longobardicos Doctores* appellat; ideoque ſi in iis ſermo *Gothicus*, Hiſtoriarum literarumq; ignorantia reprehendatur, condonanda ſunt illis pro temporis ratione, ac compenſanda purâ exactâque *Iuris Romani* ſcientiâ, quam immenſo labore judicioque Poſteris tradidere. *Arth. Duck.* de Authoritate Jur. Civ. l. 1. c. 5. ſect. 15.

In Academiâ *Perusinâ Baldus Ius Civile* profeſſus eſt tantâ gloriâ, ut ſummus *Iuris* Commentator, & terreſtre quoddam numen vocaretur. *Petr. Bertius* in Deſcript. Tractus *Peruſini*.

Alterum poſt *Barthelum Romanæ* prudentiæ lumen vocat *Quenſtedt*.

Baldus Barthelum præceptorem ſubtilitate ingenii & varietate doctrinæ ſuperavit--Non *humani* modò, ſed *divini* quoque *Iuris* intelligentiâ ſummus— Verùm prææalto ingenio multa convolventi, invertentique ſtabilis ſcientiæ conſtantia deerat. *Paul. Iov.*

In *Baldo* nihil præter *Conſtantiam* deſiderari poteſt, ſæpè enim contraria aſſerit. *Arth. Duck.* de Authorit. Jur. Civ. l. 1. c. 8. Sect. 9.

Cùm parùm ſibi conſtans ſæpenumerò contrarius reperiatur, id tamen non levitate, ſed ingenii ſubtilitate eveniſſe *Paulus Caſtrenſis* autumat.

Bartolo Præceptore acutior, ſed non ita veritatis amator habitus eſt. *Panzirol.* de clar. Leg. Interpret. p. 204.

Ob æmulationem ingratus Præceptori diſcipulus xlv. annis, quibus *Barthelo* ſuperſtes fuit, conatus eſt ipſius nomini tenebras offundere, quem ex profeſſo ſæpe mordet, nec ſine contemptu quandoque nominat, & *Iudices* eum ſequentes *Cæcos* vocat. Idem ibid. p. 202.

Ingenio acutiſſimus duabus tantum horis ſingulis diebus ſtudiis operam dediſſe fertur, præterquam ubi rem difficilem aliquam præ manibus haberet, quod mihi veriſimile non videtur; credendum enim non eſt tantam *legum* peritiam paucis horis comparari potuiſſe. *Idem ibid.*

De hoc Auctore ſic cecinit Poëta.

Qui Baldum *juri negat accendiſſe lucernam,*
Ille poteſt medio ſole negare diem.

Alius:

Nemo (*quod hunc latuit*) *ſcivit, ſi* Jura *monarcham*
Ferre queant, tanto hic nomine dignus erat.

JOANNES

JOANNES GERSON.

CElebris Theologus, à nonnullis *Joannes Charlierius* appellatur: Natus eſt anno 1363. obiit anno 1421. juxta *Trithemium*: juxta *Senenſem* verò Ann. 1429. interfuit Concilio *Conſtantienſi*. *Pariſiis*, Academiæ Cancellarii munere functus eſt. *Doctor Chriſtianiſſimus* audire ſolet. *Wimpelingus* eum vocat *Sempiternam Pariſienſium gloriam*, & *Conſtantienſis Concilii columnam*. Opera ejus 4. Tomis conſtant. *Konig*. Clar. An. D. MCDIV.

Ioannes Gerſon, natione *Gallus*, florentiſſimæ *Pariſiorum* Academiæ Cancellarius, Theologiæ Scholaſticæ peritiſſimus, Poëta & Orator ſuo tempore inſignis, *Caroli Francorum* Regis in Concilio *Conſtantienſi* Legatus, multa nobilia volumina in divinas literas ſtylo quidem Scholaſtico, ſed non prorſus injucundo, conſcripſit: in quibus ita Scholaſticas ſubtilitates dulcibus Myſticæ Theologiæ affectibus miſcuit, temperavitque, ut addubitandum ſit, an eruditione pietatem, vel pietate eruditionem ſuperaverit. *Sixt. Senenſ.* in Biblioth.

Ioannes Gerſon, Cancellarius *Pariſienſis*, & famoſiſſimus ſuâ ætate Theologus. Is *Caroli Septimi* temporibus regius ad *Conſtantienſe Concilium Orator* auctoritate ſuâ & doctrinæ opinione pervicerat, ut multa in eo ſalutaria & memorabilia insererentur, indeque re bene ad *Dei* Gloriam & Decus Regni geſta reverſus, *Doctoris Chriſtianiſſimi* non ſolùm apud nos, ſed inter exteras Nationes ſummo conſenſu nomen meruerat. *Thuan.* hiſt. l. 137.

Fuit omninò, meo quidem judicio, vir pius ac eruditus: qui licet multis Monachorum & ſophiſtarum erroribus fuerit infectus, multos etiam nihilominus errores & abuſus *Papatus* animadvertit, eoſque & taxavit, & tolli ex animo optavit, ut ex ejus ſcriptis non uno in loco apparet. Aliquos tamen proculdubio metu *Phariſæorum* aut penitus diſſimulavit, aut etiam leniùs, quàm tantum virum decuiſſet, & res ipſa poſtulâſſet, reprehendit. *Illyr.* in Catal. Teſt. Veritat.

Joannes Gerſon Gallus, Cancellarius *Pariſienſis*, vir doctus & pius. *Bellar.* de Script. Eccleſ.

Ioannes Gerſon, ſui ſeculi Oraculum. *Hofman.* in Lexic.

In *Gerſonii* operibus nemo ſine inſigni fructu verſari poteſt. *Gul. Cave.*

Ioannes Gerſon, Theologus *Pariſienſis* magni nominis. *Sleidan.* lib. 1. Commentar. de ſtatu Relig.

Vir ſuæ tempeſtatis prudentiâ, pietate & doctrinâ nemini facilè ſecundus. *Conring.* in defenſ. Eccleſ. Proteſtant. adversùs duo Pontific. Sophiſmata.

Vir ſuâ ætate eximius, qui in mediis adulti Papatûs tenebris ſtricturas lucis & veritatis ſæpe vidit & aliis candidè commonſtravit. *Georg. Calixt.* in Apparat. Theolog. pag. 143.

Maximus Theologorum quos unquam habuerimus in Gallia, fuit *Magiſter* Johannes *Gerſon*. Paſquier lib. 3. de Gallicarum rerum Perquiſitionib. Gallicè.

Inter Doctores *Concilii Conſtantienſis* quaſi lumen emicabat vir inſignis *Ioannes Gerſon*, quem propter eruditionem & animi candorem ac fervorem erga

puritatem *Eccleſiæ*, nemo non laudat Adverſariorum. *Claud. Sanctéſ. Ebroicenſ.* Epiſc. in lib. de *Euchariſt*. repet. 10. c. 4.

Joannes Gerſon ſui ſæculi rarum lumen fuit omnium judicio. *Theoph. Reynaud*. in vita ejus.

Joannes de *Gerſon*, natione *Gallus*, Cancellarius *Pariſienſis*, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone *Scholaſticus*, ſcientiâ certus ac ſtabilis, conſilio cautus, & dubiorum clariſſimus interpres; ſcripſit metro & proſâ multa præſtantiſſima opuſcula, quibus nomen ſuum apud poſteros immortalitatem ſemper obtinebit: quorum lectio devotis & religioſis non minus utilis quàm jucunda eſt. *Trithem.*

Ioannes Gerſon non *Galliam* modò, at univerſum Terrarum Orbem radiis virtutum ſpecioſiſſimis illuſtravit. *Ioan. Raviſ. Textor.* in lib. de clar. Mulierib.

Audio *Ioannem Gerſonem* fuiſſe virum ſummum atque eminentiſſimum, quinetiam magnum *Eccleſiæ Latinæ*, nedum *Facultatis Theologiæ Pariſienſis*, & hujus *Regni* decus & ornamentum. *Claud. Eſpencaus* in lib. 4. Apolog. c. 7.

Ioannes Gerſon Cancellarius *Pariſienſis*, quòd in Concilio *Conſtantienſi* emendationem Eccleſiæ *Romanæ* plurimis rationibus propoſuiſſet, diſſoluto Concilio, à Pontifice domo, patriâ, dignitatibus, &c. ſpoliatus, *Lugduni* conſenuit, ibique mortuus eſt duodecimo Julii, Anno Dom. 1429. *Calviſ.* in Chronolog.

Tribui ſolet huic Auctori præclariſſimum opuſculum de *Imitatione Chriſti*, quatuor libris diſtinctum: ſed nullibi inter ejus Opera numeratur, nec in Catalogo, quem ſcripſit frater ipſius *Gerſonis*, nec in Tomis editis *Argentorati* ann. 1488. Et tam planè cognitum eſt, eſſe *Thomæ à Kempis* viri admodum pii. *Bellarm.* de Script. Eccleſiaſt.

Epitaphium *Ioannis Charlieri Gerſonis*, *Lugduni* in Æde D. *Pauli* circa ſepulchrum.

Pœnitemini, & credite Evangelio:

Magnum parva *tenet virtutibus* urna Joannem,
Præcelſum meritis, Gerſon *cognomine dictum*,
Pariſiis *ſacræ Profeſſor* Theologiæ,
Claruit Eccleſiæ qui Cancellarius: *anno*
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit ſuperos Juli *duodenâ*.

Prodierunt *Gerſonis* Opera curâ *Ioannis Geileri Argentinæ* 1488. 3. Tom. 1499. 4. Tom. *Colon.* 1483. vol. 4. fol. *Baſil.* 1518. 4. Tom. *Pariſ.* 1521. auctiora *Pariſ.* 1606. 4. Tom.

JOANNES

Digitized by Google

JOANNES FRANCISCUS POGGIUS.

BRacciolinus, vel *Brandolinus* cognominatus: *Florentinus* fuit, natus in pago *Terranova*, territorii *Aretini*. Fuit à Secretis *Eugenio* IV. & *Nicolao* V. quo officio ſub octo *Pontificibus* ſe defunctum eſſe ipſe ſcribit. Anno ætatis 72. *Florentiam* revocatus eſt, ut Patriæ Reipublicæ eandem operam præſtaret. Eruditione inſigni fuit, *Græcè* inprimis & *Latinè* doctiſſimus, *Emanuelis Chryſoloræ* olim diſcipulus, *Beſſarioni* quoque familiaris extitit. Ob ſales & faciles jocos gratus omnibus, niſi quòd *Satyricus* magis quibuſdam videretur. Invectus in *Laurentium Vallam* eſt acriter. Scripſit varia, ut de *Varietate Fortunæ*; *Epiſtolarum* libros duos, in quorum illa, quam ad *Leonhardum Aretinum* ſcripſerat de *Hieronymo Pragenſi*, cum *Johanne Huſſo*, in *Concilio Conſtantienſi*, uſtulato ob Religionem, magnificè ſentit. Porro Hiſtoriam *Florentinam*, quæ parum laudis habet. Alia quoque quædam etiam minus probata, edidit, plurimoſque auctores è *Græco* tranſtulit. *Conſtantiæ*, Concilio durante, incidit in opera *Quintiliani* & *Aſconii*: ibidem deſcripſit libros *Ciceronis* de *Finibus* & *Legibus*, qui nondum in *Italiâ* prius viſi erant. Obiit anno 1459. ætatis 80. *Hofman.* in Lexic. Clar. An. D. MCDVII.

Erat Conſilio gravis, &, quum luberet, facetiarum ſale perurbanus: ita ut mirâ, & ſæpe ſubitâ varietate ad ciendum riſum modò prætextatis verbis uteretur, modò gravibus & malignis ſcommatibus alienæ famæ nomen perſtringeret. Sed amarulento libello in *Vallam* importunè invectus, ab eodem peſſimè audiendo cumulatas maledicentiæ ſuæ pœnas luit. Quum *Valla* ſuo felle turgidus, & *Facium* & *Panormitam*, & *Raudenſem* probroſis voluminibus jugulaſſet. Erat quoque *Poggius* adeò intemperans objurgator, ut quum in Theatro *Pompei*, loco & die celebri, ubi bullatorum diplomatum cenſura habebatur, *Georgio Trapezuntio* malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæderetur. Tranſtulit demùm è *Græco Diodorum Siculum*: Sed & nobiles aliquot libellos de *infelicitate Principum*, *varietateque Fortunæ*, & de *avaritia peſte*. Orationes item plures compoſuit tantâ ingenii fœcunditate, ut facetias etiam ad excitandam hilaritatem ægris animis expetendas conſcriberet. Sed quod gratum & utile poſteris fuit, *Ciceronis* libros de *Finibus*, & de *Legibus* à ſe in *Germania* deſcriptos, in *Italiam* primus attulit: ita ut & ei quoque *Quintilianum* in ſalſamentarii tabernâ repertum debere fateamur. *Paul. Jov.* in Elog.

Poggius, *Florentinus*, Philoſophus & Rhetor facundus, Græco & Latino ſermone ad perfectum inſtructus, literarum Apoſtolicarum multis annis ſcriptor diſertiſſimus. Spurcitiarum opus, quod *facetias* prænotavit, ab hoc illuſtrium virorum catalogo meritò cenſuimus repellendum, quoniam ejus lectio devotos offendit, incautis nocet, carnales inficit. *Trithem.*

Hiſtoriam ſcripſit *Florentinam*: in quâ hoc à *Machiavello* meritò culpatur, quòd pleraque ea omiſerit, quæ ad civiles diſcordias pertinerent. Nimis & *Patriæ* favet: quô reſpexit *Actius Sincerus* epigrammate iſthoc.

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius *hoſtem:*
Nec malus eſt Civis, nec bonus Hiſtoricus.

Voſſ. de Hiſt. Lat.

Scripſit etiam *facetias Spurcitiarum*, opus turpiſſimum, & aquis incendioque dignum. *Geſner.* in Bibl.

Sed quòd hic (*Bergomas*) *facetiarum* ejus librum vocat pulcherrimum, qui non inficetiſſimus modò, ſed etiam impuriſſimus, & planè flammis dignus eſt, ſanè rem facit ordine ſuo *eremitico*, quem profitebatur, indignam. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Cæterùm copiâ, venuſtate, facilitate naturali, & ſponte naſcenti eloquentiâ jucunditateque inaffectatâ longiſſimè præcellere *Valla Poggium*, non eſt ambiguum. *Poggii* itaque eloquentiam probo: quamque negligendam exiſtimo minime. *Henr. Bebelius* in Lit. ad *Leonard. Durrum* ann. 1513. *Tubingæ* ſcriptis.

Poggius fabula adeò indoctus, ut etiamſi vacaret obſcœnitate, tamen indignus eſſet qui legeretur; adeò autem obſcœnus, ut etiamſi doctiſſimus fuiſſet, tamen eſſet à bonis viris rejiciendus. *Eraſm.* l. 4. Epiſt. Epiſt. 7.

Eraſmus in *Ciceroniano* p. 157. *Poggius* (inquit) *Florentinus, vividæ cujuſdam eloquentiæ vir---Natura ſatis erat, artis & eruditionis non ita multum: interim impuro ſermonis fluxu, ſi* Laurentio Vallæ *credimus.*

* *Poggii Florentini* Facetiæ prohibentur in Indice *Tridentino.*

Joannes Franciſcus Poggius, homo doctus & admirandæ facundiæ vocatur *Boiſſardo* in Icon. Idemque *Boiſſardus* hoc diſtichon compoſuit.

Felle armata tibi manus eſt; multoque cachinno
Tinxiſti & nudo ſcripta proterva ſale.

Sepultus eſt *Romæ*, in Templo S. *Gregorii* Ejus Epitaphium tale eſt:

Deo Opt. Max.

Joanni Franciſco Poggio Florentino, cum virtute ac conſtantiâ, morum gravitate, vita integerrimè acta, paterna ſuaque laude eloquentiæ, ac literarum, Juris quoque civilis, ac Pontificii, divinæque Scripturæ cumulata doctrina, religiosè viventi, religioſius ſupremo die functo *Vicentius Luca Maretinus*, fratris ejus gener, parentis apud ſe locum ſemper adſequuto optim. meren. poſuit. *Boiſſard.* in Icon.

Varia ejus opera variis locis atque temporibus excuſa ſunt.

LEONAR-

Digitized by Google

LEONARDUS BRUNUS ARETINUS.

AB *Aretio*, *Tuſciæ* oppido, ubi natus eſt, *Aretinus* cognominatus. *Innocentii* VII. *Gregorii* XII. *Alexandri* V. *Joannis* XXIII. Pontificum, uſque ad *Conſtantienſe* Concilium, Secretarius; poſtea Reipublicæ *Florentinæ* Cancellarius, per reliquum vitæ ſpatium, fuit. Clar. An. D. MCCCCX.

Leonardus Brunus Aretinus. Hiſtoricus, Orator, & Philoſophus doctiſſimus: Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimus quarum nitorem retroactis ſeculis offuſcatum priſtino ſplendori reſtituit---- Scripſit plurima eruditione plena. Inter ejus opera hæc præcipua recenſentur. Hiſtoria ſui temporis de geſtis *Florentinorum* l. 12. Hiſtoria *Gothorum* l. 4. Hiſtoria primi belli *Punici* l. 14. Vita *Ariſtotelis*. Vita *Gracchorum*, *Pauli Æmilii*, *Catonis* Poſterioris, *Sertorii*, *Ciceronis*. Dialogum de Moribus conſcripſit, & librum contra Hypocritas. Commentarios in Oeconomica *Ariſtotelis*, Epiſtolarum Volumen. Et ex *Græcis* tranſtulit multa in Latinum ſermonem. *Boiſſard.* in Icon.

Leonardus Aretinus felici quadam & fœcundiſſimâ ingenii vi atque bonitate, eloquentiâque pollebat. *Franc. Philelph.* l. 1. Conviviorum.

Idem *Philelphus* in Epiſtolâ ad eum ſcriptâ anno 1436. vocat eruditiſſimum, & optimum virum, atque ejus causâ ait libenter ſe *Clarentiæ* vixiſſe.

Vir doctiſſimus atque omnium eloquentiſſimus dicitur *Poggio Florentino*, ſecundâ in Philelphum invectivâ.

Idem *Poggius* invectivâ prima in *Vallam* refert, à *Vallâ* habitum ſuæ ætatis doctiſſimum, proximum locum tribuiſſe *Guarino Veronenſi*, uti tertium ſibi.

Leonardus Aretinus, multis nominibus commendandus, vir in Philoſophicis rebus non infeliciter verſatus, in hiſtoricis pro temporum ratione minimè aſpernandus, & facilis cujuſdam naturæ ſcriptor; pluribus tamen rebus interim deſtituitur, & quandoque eum parum Latinè locutum contendas: quod ſanè non eſt mirandum. Namque ut nihil ſimul & repertum & abſolutum; ita unius Operâ *Latinitas* & reſtitui, & exactè excoli non potuit. *Florid. Sabin.* in Apol. adv. calumniat. Ling. Latin.

Leonardus Aretinus Philoſophus, Hiſtoricus & Orator elegantiſſimus probatuſque---- Certè inter viros diſciplinis excellentes ob virtutem permaximam ac dicendi elegantiam omnibus præferendum eſſe putamus. *Jac. Phil. Bergomenſis* in Chronic. Supplem. ad Ann. Chr. 1416.

Leonardus Aretinus, Philoſophus, Orator & Hiſtoricus inſignis, ac vir undecunque doctiſſimus, Græci & Latini ſermonis peritus. *Trithem.*

Edidit *Aretinum* prætereà *Leonardum Brunum*, Græcè Latinéque doctiſſimum, ut opera, quæ vel ipſe fecit, vel è Græco in Latinum vertit, abundè probant. *Leand. Albert.* in *Ital.*

Leonardum Aretinum ex te primùm ſenſi obiiſſe: qui Latium ornavit literis; quô nemo poſt *Lactantium Ciceroni* proximior fuit. Gaudeo *Poggium* ejus locum apud *Florentinos* tenere. Sed maluiſſem potiùs locum non vacaſſe, ne tanto

ſplendore caruiſſet *Hetruria*. Multos adhuc Græcos nobis Latinos dare potuiſſet. *Æneas Syl.* in Epiſt. 51.

Legimus Leonardum Aretinum Plutarchi celeberrimum interpretem, & virum magnâ doctrinâ. *Lucius Joan. Scoppa* l. 1. c. 5. Collectan.

Andronici Theſſalonicenſis de *Aretino* judicium fuit: *Aretinus adeò feliciter Græca transfert, ut unus ſit verus & fideliſſimus interpres: cæteri potiùs Paraphraſtæ.*

De ſtylo ejus ſic *Eraſmus* in *Ciceroniano*: Facilitate dictionis, ac perſpicuitate ſatis accedit ad *Ciceronem*: Sed nervis, aliiſque virtutibus aliquot deſtituitur: alicubi vix tuetur *Romani* ſermonis caſtimoniam: alioqui vir doctus juxta ac probus.

Idem aiunt, Græcè libellum ſcripſiſſe (*Aretinum*) de Republica *Florentinum*; ut Latini Hominis, non admodum inelegantem. Compoſuit quoque de bello *Punico*, libros 3. quorum primus, ac ſecundus eſt de bello *Punico* primo, quod apud *Livium* deſideratur: tertius verò eſt de ſeditione militis conductitii, & populorum *Africæ* à *Carthaginenſibus* defectione; item bello *Illyrico*, & *Gallico*: quæ ipſa etiam in *Livio* perierunt. Ferè autem, quicquid habet, *Polybio* debet: unde eſt, quod in editione *Pariſienſi*, quam ante ſeculum *Badius Aſcenſius* dedit, *Polybii* nomen in titulo exprimatur: utcunque in præfatione ipſe neget, merum ſe interpretem egiſſe. Præterea contexuit hiſtoriam *Gothorum*: ſed in quâ nihil adferat, quod non è *Procopio* deſumſerit: ut ejus veriùs Paraphraſtes videatur. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Sed ambo (*Leonardus Aretinus* & *Poggius Florentinus*) in illis, quæ *Florentini* foris geſſere, ita ſilentio prætereunt magnam eorum partem, quæ pertinent ad inteſtina odia, civileſque diſcordias & mala, quæ inde ſunt conſecuta. Nempe, uti videtur, quia offenſam meruerent eorum, quorum majores reprehendere cogerentur. In quo neglexere Hiſtorici boni officium. *Voſſ.* ibidem.

Primus in *Italiâ Leonardus Aretii* natus, *Græcarum* literarum decus à multis ſæculis Barbarorum immani tyrannide proculcatum erexit, atque reſtituit. Ejus enim incomparabili beneficio morales *Ariſtotelis* Libros optimâ fide traductos legimus. *Hiſtoriæ* quoque ab eo eleganter conſcriptæ, in manibus habentur. Hâc ingenii fœcunditate florentem, *Innocentius* VII. quanquam planè juvenem, graviſſimo muneri parem, epiſtolarum Magiſtrum fecit: ita demum eruditè, atque integrè officio functus, ut ſuccedentibus quatuor Pontificibus amplificatâ dignitate operam præſtiterit. Seneſcenti opes creverunt cum aliena libertate, tum ſua triſti parſimoniâ cumulatæ, adeò ut *Arlottus*, mordaci ſale perurbanus in *Fabellis* ejus genium relicto corpore in fuga ſitientem ridenter expreſſerit. Mortuus, quod ei nullo pudori fuit, furti damnatus eſt, quòd *Gothicam* Hiſtoriam ſuppreſſo *Procopii* nomine publicaſſet, accuſante *Chriſtophero Perſonâ*, qui aliud exemplar nactus, & *Gothicam* & *Perſicam*, ſimul atque *Vandalicam*, & *Græci* authoris titulum ingenuè profitendo tranſtulerit. *Paul. Jov.* Elog.

Obiit ſenex *Florentiæ*, divitiis & gloriâ plenus, ann. *Dom.* 1443. ætatis 74. ſepulchrum marmoreum in Æde Sanctæ Crucis ſpectatur, cum Inſcriptione:

Poſtquam

Poſtquam Leonardus *è vitâ migravit, Hiſtoria luget, Eloquentia muta eſt: Ferturque Muſas cùm* Græcas *tum* Latinas *Lachrymas tenere non potuiſſe.*

Oudin. in Supplem. *ad Bellarm.*

Aliud *Leonardi Aretini* Epitaphium:

Amarus jacet hic, viator, hoſtis
Vivorum ſimul atque mortuorum.
Diis convicia nulla dixit, & ſe
Excuſans, ſibi cognitos negavit.

Extant libri IV. de Bello *Italico* adverſus *Gothos*, *Pariſiis* an. 1534. excuſi.

Extant Dialogus de Moribus, & Epiſtolarum libri VIII. *Baſileæ* an. 1535.

Vitæ *Ariſtotelis* & *Ciceronis* MSS. adſervantur in Bibliothecâ Regiâ *Pariſ.* num. 2156. teſte *Jonſio*, p. 309. Hiſt. Philoſ.

Tractatus de Republicâ *Florentinorum* MS. apud *Leonem Allatium.*

GULIELMUS LYNWOOD.

Legum Doctor *Oxonienſis* (qui tamen in Aulâ *Gonvilenſi Cantabrigiæ* ad tempus victitavit) Archiepiſcopi *Cantuarienſis* primùm fuit *Cancellarius*, tum Privati Sigilli *Regii* Cuſtos, poſtquam Legationibus fuiſſet perfunctus ad *Hiſpanum*, *Luſitanum*, alioſque *Principes* non paucos: Inter multa quæ ſcripſit, opus præcipuè celebratur, cui titulum fecit, *Provinciale*, ſeu *Conſtitutiones Angliæ*, in quo redegit in ordinem omnium *Synodorum Canones* à *Stephano Langton* ad *Henricum Chichleium*, *Cantuarienſem* Archiepiſcopum. Obiit an. *Dom.* 1446. *Henrici* VI. 25. & in Eccleſiâ Collegiatâ S. *Stephani Weſtmonaſterii* jacet tumulatus *Franciſc. Godwin.* in Comment. de Præſul. *Angliæ.* Clar. An. D. MCDXXII.

Gulielmus Lindwood, imperante *Henrico* quinto, *Menevenſi* ſede potitus eſt. Fuit ille quidem vir *Cæſarei* & *Pontificii Juris* conſultiſſimus, qui Pontificias *Cantuarienſium* Sanctiones temerè disjectas & diſperſas, & in aptum ordinem digeſſit, & Commentariis etiam illuſtravit. Quo legato uſus eſt *Henricus* V. in rebus maximi momenti ad *Hiſpanum*, & *Luſitanum*; cui Regi fuit à *Secreto Sigillo*: qui à loco ubi natus eſt in *Diœceſi Lincolnienſi*, *Lindwood*, ni fallor, dictus eſt. *Nic. Harpsfeild.* in Hiſt. *Anglic.* Eccleſiaſt.

Poſt *Jus Canonicum* ſunt *Conſtitutiones* Archiepiſcoporum *Cantuarienſium* in *Conciliis Provincialibus* editæ: è quibus eas, quæ à *Stephano Langtono* ad *Henricum Chichley* ſunt latæ, eruditis Commentariis illuſtravit *Gulielmus Lindwood*, legum Doctor, *Officialis* curiæ *Cantuarienſis* conſtitutus à *Chichleio* Archiepiſcopo; (qui etiam *Legum* fuit peritiſſimus) & ſingulariter eſt commemorandus, cum ſit primarius inter paucos *Anglos*, qui *Juris Romani* ſcientiam in Scriptis prodiderunt. Ille verò cùm eſſet *Officialis Cantuarienſis* à *Rege Henrico* V. Legatus miſſus

ſus eſt ad Reges *Hiſpaniæ* & *Luſitaniæ*; quibus Legationibus defunctus poſt *Henrici* Regis mortem redit ad munus *Officialis*, & deinceps *Cuſtos Privati Sigilli* & Epiſcopus *Menevenſis* factus eſt. *Arthur Duck* de Authoritat. Jur. Civil. Rom. l. 2. c. 8.

Guilhelmus Lyndvvode, floridiora ſtudiorum ſuorum tempora in lectione juris *Cæſaris* & *Pontificii* collocavit, doctuſque non vulgariter in utroque evaſit. Hinc famam, hinc opes, hinc honorem, *Officialis* ac *Doctor*, in foro *Cantiano* ſibi comparavit. Sed ut fortuna ampla arridere cœpit, relictis Clientibus, à foro illo utili quidem, at laborioſo, ad *Aulam* ſe contulit. *Ioan. Balaus* de Scriptor. *Britan.*

Guilhelmus Lindvvodus, Juriſconſultus *Anglus*. Vir in omni politioris literaturæ genere ornatiſſimus, utpote qui felicis ingenii ſui nervos in iis exercitiis per totam adoleſcentiam induſtriæ intenderit. Cùm autem jam ad annos juveniles perveniſſet, omnem ſuam florentem ætatem non minore cum ſedulitate, & longè majore cum fructu, in *juris* tum *Canonici*, tum *Civilis* ſtudiis fœliciſſimè collocavit. Hac enim ratione magnam doctrinam, celebre nomen acquiſivit, & ſibi ad ſummos honores viam compendioſiſſimam munivit. *Pitſeus* de Illuſtribus *Angl.* Scriptor.

Cæterùm taceri non debet *Lindvvodum* ad Concilium *Baſileenſe* ab *Henrico* VI. Rege legatum, inſignem Regio nomine Concilii Patribus obtuliſſe *Appellationem* contra Pontificum Romanorum faſtum & arrogantiam, Regemque nullum in terris ſibi in temporalibus ſuperiorem agnoſcere prædicâſſe. *Appellationem* illam ab omnibus Conciliorum Editoribus hucuſque ſummâ fraude omiſſam conqueritur *Jameſius* Tractatu de Corruptione Patrum, pag. 201. *Henr. Wharton.* in Append. ad Hiſt. Literar. *Gul. Cave.*

Hujus *Lindvvodii* Opera (etiamſi nunc conſiderentur ut Almanachus antiquatus) apud eos qui judicio pollent in pretio erit, quamdiu viguerint *Eruditio* & *Urbanitas*. *Thom. Fuller.* in ejus Hiſt. Eccleſ. Anglicè.

Extat *Provinciale Oxonii* 1679. in fol.

Extat catalogus quorundam Archiepiſcoporum *Cantuarienſium*, *Londini* 1557. Collectiones Conſtitutionum Provincialium quatuordecim Archiepiſcoporum *Cantuarienſium*, viz. à *Stephano Langtono* ad *Henricum Chichleium*, adſervantur Manuſcriptæ *Oxonii* in publicâ, & in Collegio *Corp. Chriſti* Bibliothecis. *Cantabrigiæ* in Coll. *Caii*, Gonelli, S. Petri.

JOANNES WHETHAMSTEDUS.

Flat. Ann. D. MCDXXX.

ALiàs *Frumentarius* à loco ubi natus eſt, ſic cognominatus, ordinis S. *Benedicti* Monachus *Anglus* ad S. *Albanum* aliis *Glocestriæ*, Congregationis *Cluniacenſis*, qui etiam tandem factus eſt *Abbas*. Vir propter multiplicem doctrinam, & ſingularem linguarū peritiam, ſuo tempore celeberrimus. Erat etiam induſtriæ mirabilis, acerrimi ingenii, ſolidiſſimi judicii, & incredibilis in rebus agendis prudentiæ. Propter quas inſignes animi dotes, dici vix poteſt quanto fuerit in pretio apud viros principes & magnates. *Humfredus Gloceſtriæ* Dux ſingularis bonarum literarum & litteratorum hominum fautor, illum in deliciis habuit, & ad

cum

Digitized by Google

non rarò divertens de rebus variis familiariter cum eo contulit, ejuſque conſilio & hortatu multa tanto Principe digna fecit. In ejus denique gratiam *Cœnobii* Bibliothecam, coemptis variis, iiſque ſelectiſſimis libris liberaliter auxit & ornavit. Abbas etiam bono Principi viciſſim quoſdam libros donavit, ſuumque de *viris illuſtribus* elaboratum *Opus* ei dedicavit, & *exemplar* unum ſuâ manu pulchrè deſcriptum ipſe tradidit. Hæc mihi *Lelandus* in ſuo *Catalogo* ſubminiſtravit. *Joan. Pitſeus.*

Joannes Whethampſtede, aliàs *Frumentarius*, in *Albani* fano Monachus, vir ad variarum Artium potiùs cognitionem, & Antiquitatem è tenebris eruendam, quàm ad eloquentiam compoſitus. *Joan. Balæus.*

Dicitur in tantum ſtudiis delectatus, tam impensè libris legendis atque etiam ſcribendis intendiſſe, ut œconomiam & res ſui Cœnobii penè neglexerit, ideoque tandem gravem *Monachorum* ſuorum indignationem in ſe concitaſſe, & ab iis (quod olim *Heſiodo*, ob rem familiarem *ſtudiorum* causâ neglectam, filios feciſſe ferunt) in *jus* vocatum fuiſſe.

Joannes *Whetamſtead* natus eſt in loco cognomine Comitatûs *Hatfordiæ*, non tam celebri ob *Frumentum* optimum à quo nomen mutuatur locus natalis, quàm ob *Ioannem* iſtum *Whetamſtead* qui à Loco denominatus eſt. Educatus fuerat in *Prioratu Tinmouth* provinciæ *Northumbriæ*, quem *Aureo Calice Sacro* donavit. Fuit poſtmodum *Abbas S. Albani*, atque ſextus *Chriſtiani* hujus Nominis. Vaſtis impenſis hanc *Eccleſiam* adornavit, cùm ſex millia Librarum excelſerint. Duos Criticiſmos omittere non poſſum circa ejus Ædificia: *Unum* quod ad Septentrionalem partem *Eccleſiæ* (cui novis feneſtris majorem lucem conciliavit) *Statuas* potuerit *Ethnicorum Philoſophorum* qui de *Chriſti Incarnatione* teſtimonium tulerunt. Alter eſt quod in exiguo *Sacello* (huic nomen *Tittenbanger*) *Imagines* erexerit omnium Sanctorum quorum *Chriſtiana* Nomina fuerant *Joannes*, cum ſui ipſius *Pictura* & hac *Precatiuncula Diſticho* comprehenſa, *Ut quamvis indignus propter nomen ſuum in Cœlis locum habere poſſet.* Propterea procuravit ab *Humfredo Gloceſtriæ* bono Duce, magno ſuo *Mecœnate*, qui apud S. Albanum ſepultus fuit, veſtimentorum Syntheſin pretii ter mille Marcarum, & *Pembrokii* Dominium in *South-Valliâ*. Plurimi ſunt Libri quos Poſteritati reliquit, cùm non pauciores quàm octoginta & ultra numerentur *Tractatus*. Diem verò obiit circiter anno 1440. *Thom. Fuller.* libro de Viris Præclaris *Angliæ.* Anglicè.

Hoc ejus Epitaphium, quodam Monacho S. *Albani* Auctore.

Contegit iſte Lapis venerabilis oſſa Joannis
Whethamſtede, *Abbas hic qui fuit ejus in annis.*
Ter doctus, doctos & amans, & eis miſeratus.
Nec fraudes patiens curarum Presbyteratus.
In lubricos Phinees, *in adulteriiſque* Joannes
Extitit; Symo Petrus, *in omnes* Symonianos.

Inſuper in laceris domibus manſiſque vetuſtis,
Sic reparator erat, ſic reparando novabat:
Quod ſibi prateritus non ſit compar Pater ullus,
Sive coæqualis manet impar rebus in iſtis.
Marcas Millenas decies numero repetitas
Scripta ferunt poſt ſe quæ liquerat expoſuiſſe:
Pro dilectoris anima tui dulciter ora,
Albani *Sancti conventus, qualibet hora.*

Weaver's Funeral Monuments, p. 567.

ALPHONSUS TOSTATUS.

Clar. A. D. MCDXL.

Hiſpanus, in oppido *Madrigali* natus, floruit ſæculo Eccleſiæ XV. atque ex Doctore & Presbytero *Salmanticenſi Abulenſis* in *Hiſpania* Epiſcopus, & Conſiliarius Regius, Majorque, ut vocant, Referendarius, obiiſſe dicitur anno *Chr.* 1454. annos tantùm 40. natus. Concilio *Baſileenſi* interfuerat cum *Joanne Capreolo* pluribuſque aliis viris doctis. *Opera* ejus voluminibus XXVII. *Venetiis* edita, Anno 1596. *Philip. Labbe.*

Alphonſus Toſtatus, Hiſpanus, ex oppido *Madrigali*, propemodum puer *Salmantica* liberalibus Diſciplinis operam dedit. In Collegium S. *Bartolomæi* ad *Laurum* adſcitus, ſacris Ordinibus primò initiatus, deinde creatus Epiſcopus *Abulenſis*. Cùm duo & viginti annos explevitſet, ſcientias, diſciplinaſque penè omnes eſt aſſecutus, ut præter *Philoſophiam* & *Theologiam, Pontificiumque* & *Cæſareum* jus, in *Græcâ, Hebraicâ*que linguâ, in *Mathematicis* item, atque *Geographiâ*, ſed, & in *Hiſtoriis* excelluerit. Vir memoriâ mirabili, peracri in rebus publicis explicandis judicio, & (quod caput eſt) magnâ ſanctitate, quam jejuniis vigiliis, orationibus, admodum fovit & auxit; virgo natus, virgo quoque (ut conſtans eſt fama) deceſſit. Quamobrem quia in *Eccleſiâ* humatus eſt, ibidem eximiâ veneratione colitur. Quadraginta duntaxat annos vixit, quibus & *Salmantica* publicè docuit, triplici ſtipendio conductus è publico, id quod ſive antea, ſive poſt illum nemini contigit: *Regis Conſiliarius, Hiſpaniarum*que Major *Referendarius*: deinde *Epiſcopatûs* quoque munere fungens, tot, ac tanta duodeviginti annorum ſpatio ſcripſit, quot ne attentè quidem perlegere aliquis poſſit. *Sacrarum Literarum* minutiſſima quæque, *Novum* autem *Teſtamentum* admirandis Commentariis explicuit. *Ant. Poſſevin.* in Appar. Sac.

Vir ſanctitate & doctrinâ celeberrimus---de quo meritò ſcriptum eſt.

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

Et quod magis eſt admirandum, tanta ſcripſit breviſſimo tempore, cùm non vixerit niſi annos quadraginta. *Bellarmin.* de Script. Eccleſ.

Ex

Digitized by Google

Ex tam infinitâ doctorum hominum multitudine, quantam hæc ætas habuit, nemo citra controverſiam ad *Alphonſi Toſtati*, Epiſcopi *Abulenſis*, laudem adſpiravit: cui ſi alio, quàm ſuo ſeculo, vivere contigiſſet, neque *Hipponi Auguſtinum*, neque *Stridoni Hieronymum*, nec alium quempiam ex illis proceribus Eccleſiæ antiquis, nunc invideremus. Excellentis vir ingenii fuit, & admirandæ memoriæ; divinæ etiam ſapientiæ, & antiquitatis peritiſſimus: dignus fortaſſe, qui poſt quatuor Eccleſiæ Doctores, cum *Iſidoro*, & *Thomâ*, de quinto loco certaret. Quòd ſi purior quædam, ſplendidiorque conſuetudo loquendi ſuis temporibus fuiſſet non dubito, quin poſteriores omnes in ſui admirationem converſurus eſſet. *Alphonſ. Garſias Metamor.* libro de *Hiſpan.* claris viris.

Alphonſus Toſtatus, Scriptorum mole, antiquitatis cognitione, eruditione multiplici ad miraculum clarus audit. *Olear.* in Abac.

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus *Abulenſis*, vir ingenio, judicio, ac pietate eximius. *Joan.* Card. *Bona.*

Toſtati acumen placet, viri, ſi in meliora ſecula incidiſſet, longè maximi *Caſaub.* exercitat. ad *Baron.* p. 325.

Tanta rerum ſacrarum cognitione excelluit, ut eo ſeculo doctior, aut ſapientior ſit inventus nemo, ſolusque illuſtrare *Hiſpaniam* doctrinâ nominiſque celebritate poſſet. Memoriam quoque eam habuiſſe fertur, quâ lecta à ſe cuncta veluti Theſauro contineret. Laboris verò patientia uſque eo enituit, ut quod de *Didymo Alexandrino* jactatum ferunt, *ænea habuiſſe inteſtina putaretur*. *Hiſpan. Bibliothec.*

Alphonſus Toſtatus—Vir ſanè ſtupendæ memoriæ, incredibilis diligentiæ ac rari planè judicii; qui non modò intima Theologiæ Adyta penetrârat; ſed & reconditiorem exterarum diſciplinarum, Philoſophiæ Mathematicæ, Geographiæ, Hiſtoriæ ac Juris utriuſque ſcientiam toto, quod aiunt pectore exceperat. Nec tamen pietate minùs ac religionis zelo, quàm doctrinâ inſignis; jejuniis, vigiliis, & orationibus perquam deditus; adeò ut defuncti memoria apud populares ſuos eximiâ veneratione coleretur. Diligentiam verò quod attinet, & indefeſſum legendi ſcribendique ſtudium; certè omnium non ſui modo, ſed cunctorum ſæculorum πολυγραφώτατος fuit: qui 22. annorum ſpatio plura ſcripſit, quàm integrâ ferè ætate aliquis attentè perlegere poſſit; ut in hoc decantato illi *Didymo* Alexandrino conferri ſoleat: quem admirandâ etiam memoriæ fœlicitate ita exæquavit, ut nil unquam ſemel perlectum oblitus feratur. Sanè ut immenſa, quæ typis excuſa circumferuntur, taceam Volumina, quadringenti illius libri, dum ex *Hiſpaniis* in *Italiam* prælo deſtinati adveherentur, naufragio interiiſſe dicuntur. Ne tantas tamen dotes labe aliquâ immunes cenſeamus, nonnulli in eo debitam erga *SS. Trinitatis* myſterium venerationem, plures majorem erga Patres reverentiam, omnes Styli nitorem atque elegantiam deſiderant; ut Pontificiorum criminationes mittam, qui illum nimio placita ſua à Card. *Turrecrematâ* impugnata, & ab *Eugenio* Pontifice notata, defendendi ſtudio abreptum ipſam Papalem Authoritatem haud obſcurè impugnaſſe conqueruntur. *Henr. Wharton.* in

Append. ad Hiſt. Literar. *Gul. Cave.*

Quamvis *Alphonſus Toſtatus Hiſpanus* Commentariis ſuis in Scripturam valde etiam diffuſus ſit, & de illo dici ſoleat *Qui ſcibile diſcutit omne*, felix tamen eſt in ſuis digreſſionibus; adeo ut ejus lectio utilis eſſe poſſit, quia Doctus eſt ac in ſtylo Bibliorum exercitatus. Quæſtionum ferax eſt, quas Textus ſui occaſione movet. Sed Argumentum ſæpè longè nimis protrahit, bonaque interdum pars Commentariorum ejus præſcindi poſſet, licet idcircò minus accurati non eſſent remanſuri, quia nimium multis inutilibus referti ſunt. Jeſ. Richard. Simon. Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 9. Gall.

Tot, tantaque ſunt ejus in *Sacram Scripturam Commentaria*, ut ſi vel à primo natali dies numerando, terna cuique folia attribuas, plura ſcripſiſſe comperias. *Aubert. Miraus* de Script. Eccleſ.

De *Toſtati* in Hebraicis ignorantiâ evolve *Michaelem Havemanum*, Theognoſ. p. 81.

In eodem majorem quoque erga *Patres* reverentiam deſiderat *Joannes Lorinus* Commentariis ad Pſalmos, p. 83.

* Opera hujus Auctoris cautè legenda ſunt. Vide *Indic. Madrit.* edit. 1667.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS.

Clar. An. D. MCDXL.

C*Rotenſis*, natus eſt anno 1396. obiit an. 1486. *Eugenii* Pontificis temporibus *Romam* venit, poſteà à *Nicolao* V. Scriba Pontificius factus eſt. Multa è *Græcis* tranſtulit. Nec pauca ipſe *Latinè* compoſuit. Scripſit etiam Commentariolum, in quo aſſerebat, *Joannem Evangeliſtam* nondum eſſe mortuum. *Platoni* iniquior fuit, nec laudem ejus ferre potuit, Ariſtoteli unicè deditus. *Platonis* tamen partes Card. *Beſſarion* tuendas ſuſcepit. Ad extremum *Trapezuntius* literarum prorſus oblitus eſt. *Konig.* in Biblioth.

Is *Græcorum* ferè primus *Romæ* eo tum ſeculo renaſcentibus *literis*, qui *Græca* feliciore ſtylo in *Latinum* verterit exiſtimatus eſt, uti liquidiſſimè conſtat ex *Ariſtotelis*, ſacriſque *Euſebii Cæſarienſis* operibus, & ex Rhetoricis præceptis *Hermogenis*. Erat enim ingenio ad lucubrandum maximè valido, vehementique, ſed uti mox apparuit, tetrici livoris pleno: nam cùm ſe *Peripateticum* profiteretur, unumque *Ariſtotelem* extollendo celebraret, uſque adeo ſuperbâ aure fuit, ut nec *divini* quidem *Platonis* ingenium laudari pateretur: cujus etiam dogmata & mores peracerbè ac inſolenter edito famoſo volumine laceraret. *Paul. Jov.* in Elog.

Virum egregiè doctum, deque re *literariâ* pulchrè meritum, vocat eum *Eraſmus* in *Ciceroniano*; ſed addit, abſolutiorem hòc fuiſſe *Theodorum Gazam*.

Profectò juſtam laudem non ibo *Trapezuntio* ereptum. Attamen nec tanta ejus eſt apud me auctoritas, ut ejus ſententia apud me ſit *Minervæ* quidam calculus. Minimè profectò conferri meruit cum *Theodoro Gazâ*, cui eum æquiparavit *Angelus Politianus*: itaque jure politiſſimi ingenii virum hoc nomine reprehendit *Parraſius* in Epiſtolis *Voſſ.* Inſtit. Oratoriar. l. 4. c. 3.

Neque

Digitized by Google

Neque ignoro, *Trapezuntium* errores aliquot obſervaſſe in *tranſlationibus Gazæ*, quos hic monitus correxit, uti & memoriæ prodidit *Eraſmus*: verùm & illud ſcio, longè plura eſſe in *Trapezuntianis*, quæ *Gaza* potuerit culpare. Nam & in eo deſiderare potuit fidei plus in transferendis è *Græco* auctoribus, & majorem *Linguæ Latinæ* peritiam. *Voſſ.* ibid.

Sæpe labitur, & haud fidelem ſe præſtitit in transferendis è *Græco* auctoribus. *Dallæus* & *Perroniana*.

Nonnunquam *Auctorem* ſuum intra eas concludit anguſtias, ut tota ejus membra recidat; quorum & ordinem quandoque audet pervertere. Nativos prætereà ſenſus neque rimatur feliciter, neque politè reddit; & quibus ſolis excuſari poteſt *interpretationis* licentia, vel aſpernatus eſt elegantias, vel aſſequi ſe poſſe deſperavit. *Huet.* Clar. Interpr.

Georgius Trapezuntius juſſu *Nicolai* V. ita in *Latinum* vertit *Euſebii* libros *De Preparatione Evangelicâ*, ut ſentibus *Arianorum* amputatis, roſas tantùm hominibus *Latinis* obtulerit. *Chriſtoph. Chriſtophori Sand.* Nucleus Hiſt. Eccleſ.

In hoc omnes eruditi conſentiunt quòd *Trapezuntius Euſebii* Contextum abſque ſcrupulo mutilaverit atque truncaverit, ejus ſenſum perverterit, & phraſes labefactaverit, plura ejus capita paſſim prætererit, totumque decimumquintum librum intactum deſeruerit: Adeo ut vel ipſi Euſebio, ſi reviviſceret, fas non eſſet ſe ipſum apud *Trapezuntium* reviſere & agnoſcere. Eruditorum *Judicia*, per Dominum *Baillet.* Pariſ. 1685. Gall.

Arrogantia ſtultitia quædam eſt, quæ ultra modum imaginationem inflat, quæque arrogantem ſupra vires ingenii ejus ipſum impellit ad temere judicandum de aliorum agendi ratione, & ſæpè damnanda quæ laudet & applauſu digna ſunt. *Georgii Trapezuntii* plenior fuiſſet fama, ejuſque Doctrinæ de ſplendore ſuo nihil deceſſiſſet, ſi in hanc mentis ineptiam non incidiſſet, quæ vergente ejus ætate in veram ſtultitiam degeneravit, *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum &c. Gallicè.

De *Trapezuntio* quidam memoriæ tradiderunt, extremo ſenio preſſum & morbo gravi detentum, poſtquam ad valetudinem rediiſſet, *litterarum* omnium fuiſſe oblitum, neque legere aut ſcribere potuiſſe; quod ex dolore illi eveniſſe ferunt: propterea quòd ejus opera *Pontifici Maximo* oblata centum, ducatis tantùm compenſata fuiſſent. Is autem è *Vaticano Palatio* domum ſe conferens, indignatione percitus ex ponte *Ælio* pecuniam ab ingrato acceptam in *Tiberim* abjecit, additâ exclamatione, *Periere labores, pereat & eorum ingrata merces.* *Boiſſard.* Icon.

Quem ego ſenem puer docentem audivi. In extremâ ſenectute oblitus erat omninò literarum, ſoluſque per *urbem* baculo nixus incedere malebat. *Raphael Volaterran.* L. 21.

Multa in gratiam Aulæ *Romanæ* peſſimè corrupit. *Scultet.* Medul. Patr. p. 856.

Extat *Græcè* & *Latinè* Epiſtola ad *Joannem Palæologum* Imp. cum *Simocattâ*, &c. edita *Ingolſt.*

Extat liber de *Proceſſione Spiritus S.* ad *Ioannem Cuboclesium*, & Epiſtola ad *Cretenſes* de eadem re, & de una, Sanctâ, Catholicâ Eccleſiâ apud *L. Allat.* Græc. Orthod. Tom 1. p. 469.

Extat expoſitio in illud, *Si volo eum manere*, &c. Lat. *Baſ.* 1543. 8°. & in Orthodoxogr. p. 1231. *Lat.*

Extat *Martyrium Andreæ Chienſis* apud *Sur.* Maii 22.

Hoc ejus Epitaphium.

Hac urna Trapezuntii *quieſcunt*
Georgii *oſſa, parum Deis amici*,
Quod acri, & nimium procace lingua
Platonem, *ſuperis parem, petivit.*

LAURENTIUS VALLA.

Clar. A. D. MCDXL.

PAtricius *Romanus* & Canonicus S. *Joannis Laterani*, Grammaticus, Rhetor & Philoſophus clariſſimus, Theologiæ Doctor, *Græcæ* & *Latinæ* Linguæ peritiſſimus. Inimiciſſimus fuit *Poggio*, qui in oppidô ditionis *Florentinorum* natus, *Romæ* ſummâ in authoritate vivebat in aulâ Pontificia literarum Apoſtolicarum ſcriptor, vir quidem facetus, & dicteriis clarus, pauloque amarior quàm par fuit. Is in *Vallam* multa ſcripſit acerbiore ſtylo, cui & *Valla* reſpondit non leniori ſcripto. Scripſit præterea plurima alia eruditione plena: ut ſunt *Elegantiarum Linguæ Latinæ* libb. 6. de reciprocatione *ſui & ſuus*, in *Antonium Raudenſem* annotationum lib. ad *Alphonſum* Regem *Arragonum* Epiſtola Apologetica, quæ inſcribitur *Duo Tarquinii*. In Benedictum *Morandum Bononienſem* libr. 2. In *Bartolomæum Facium Ligurem*, & *Antonium Panhormitam* recriminationem lib. 4. Ad Candidum Decembrem in *Bartoli* de armis & inſigniis. De Dialectica, lib. 3. Apologia ad *Eugenium* Pontificem contra calumniatores. Annotationes in Novum Teſtamentum. De Voluptate & vero bono lib. 3. De Libero Arbitrio ad *Garſiam* Epiſcopum *Illerdenſem*. De geſtis *Ferrandi Arragonum* Regis. In inſtitutiones oratorias *Quintiliani* lib. 12. Tranſlationem *Iliadis Homericæ*, *Herodoti Halicarnaſſei* libros novem *Hiſtoriarum* Latinitate donatos: & *Æſopi* fabulas. Scripſit & libellum peculiarem contra Privilegium donationis *Conſtantini* Magni, quam falſam aſſerit, & ementitam. *Boiſſard.* in Icon.

Laurentius Valla, Patritius *Romanus*, *Grammaticorum* hujus ætatis longè princeps, Philoſophus, Rhetor, & *Theologus* præſtantiſſimus, ingenio ſubtilis, acer & vehemens, *Latinam* eloquentiam *Græcæ* præferens, multa ad ejus ornatum compoſuit, *Græci* & *Latini* Sermonis peritiſſimus, edidit non ſpernendæ lectionis *Opuſcula*, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis cum laude tranſmiſit. *Trithem.*

Vir

Digitized by Google

Vir de Linguâ *Latinâ* præclarè meritus; etſi eum, vir eruditus, *Ramirezius* de *Prado Hiſpanus*, ſuis in *Martialem* notis, audaciùs paulò *Audacem Grammaticum*, uti & ejus libros *in inelegantes elegantias* appellat. Omninò enim illis temporibus Magnus fuit, & acutus *Romani Sermonis* cenſor; qui tamen non rarò à *veritatis* via deflectat; idque inprimis contradicendi morbo, quo vehementer laborabat: ut non temerè omninò in eum jam olim dictum ſit.

> *Carpis majores & te quoque*, Valla, *minores.*
> *Carperis, & Carpis. Sic tua fata ferunt.*

Voſſ. de Conſtructione, c. 16.

Unius *Laurentii* mordacitas(ſiquidem ita malunt appellare)non paulò plus conduxit rei literariæ, quàm plurimorum ineptus candor , omnia omnium ſine delectu mirantium, ſibique invicem plaudentium, ac *mutuum*, quod aiunt *ſcabentium*. *Eraſm.* l. 4. Epiſt. 7.

Verùm eſto, mordacior æquo fuerit: num ideo falſum dixit, quia verum mordaciùs dixit? uſque adeo nobis odio eſt iſta mordacitas, ut ejus odio, tam multa ſcitu digna, neceſſariaque deteſtemur? Adeo nihil ignoſcendum putamus ei qui tot modis profuit?—Quis tam exigui animi eſt, cujus pectus tantis invidiæ anguſtiis concluditur, ut *Vallam* non & magnificè laudet, & amet quàm maximè, qui tantâ induſtriâ, tanto ſtudio, tantis ſudoribus, *Barbarorum* ineptias refellit, literas penè ſepultas ab interitu vindicavit, priſco *eloquentiæ* ſplendori reddidit *Italiam*: doctis etiam id præſtitit , ut poſthac circumſpectiùs loqui cogantur. *Eraſm.* l. 7. Epiſt. 3.

Quòd verò *Eraſmum* & *Vallam* ſciolos dixit *Bellarminus*; id convitium eſſe, & quidem impudens, omnes ſciunt, quibus duo illi viri vel ex ungue noti ſunt; optimè ſuo ſeculo de *literis ſacris, prophaniſque* meriti: & ſi *Bellarmini* libri perennaverint, omnes poſteri os hominis mirabuntur; qui *Sciolos* eos vocare auſus eſt, quorum & ingenium planè eximium fuiſſe, & animum in inſtaurandis *literis* maximum, & labores feliciſſimos , & rerum denique *Divinarum* atque *Humanarum* ſtupendam, pro illius præſertim temporis captu, cognitionem, quæ diutiſſimè(ſi quid conjicere liceat)ſupererunt, ipſorum *Opera* loquentur. Sed viros egregios hâc contumeliâ affici, à quoquam quidem indignum eſt; à *Bellarmino* verò indigniſſimum ; quem nemo opinor eruditus negaverit *Scioli* nomine multò eſſe, quàm *Eraſmum*, & *Vallam* digniorem *Jo. Dall.* de libr. ſuppoſ. *Dionyſ.* Areop. & *Ignat.* l. 1. c. 36.

Propiùs accedit ad curam ac ſubtilitatem *Quintiliani* , quàm ad illaboratam *Ciceronis* facilitatem , quanquam cæteris(*Leonardo Aretino* , *Poggio Florentino*, & aliis) elimatior & purior. *Eraſm.* in Ciceroniano, p. 157.

Laurentio Vallenſi quemnam in hâc arenâ præponamus , non video. Nemo meliùs conſtantiuſque graſſantem extinxit barbariem. Atque ut aliqui illum ſtyli elegantiâ

Digitized by Google

elegantiâ vicerint, qui tamen *Latinam* Linguam æquè juverit, ad hæc tempora non extitit. *Franc. Florid. Sabin.* in Apolog. Ling. Latin.

De *Pandectis* verò quid ſentiam, malo alienis verbis, quàm meis dicere: Prodeat igitur aliquis *Latinorum operum* æſtimator idoneus. Is erit *Laurentius Vallenſis*, vir certè cùm *Latinè* doctiſſimus, tum verò alienorum *Scriptorum* judex, ut optimus, ſic minimè ambitioſus, id quod invidioſum nomen ejus vulgò reddidit, ut jam publico conſenſu, *Latinè* ignorantium, tanquam iniquus Judex, ferè rejiciatur *Gul. Budaus* Annot. in *Pandect.* prioribus.

Laurentius Vallenſis vir non minùs de *Rep. Literariâ* meritus, quàm *Camillus* olim de *Romanâ*, *Voſſ.* de Rhetoricâ, p. 48.

Proprietatis *Latini* Sermonis intelligentiſſimus. *Scriver.* in *Martial.*

Laurentius Valla aggreſſus eſt reconcinnationem facere *Dialectica* in qua diſſentit ab *Ariſtotele*, & *Peripateticis* veteribus, ac novis. Monet in quibuſdam neutiquam pravè, etſi ea ſunt perpauca; in pleriſque labitur, ut fuit vir ille vehemens, & ad faciendum judicium præcipitatus. Nec ſolùm in re *Dialecticâ* falſus eſt, sed in *Philoſophiâ*; nam hanc quoque attingit, & quòd magis mirere, in præceptis *Latina* Linguæ. *Lud. Viv.* de Cauſ. Corrupt. Art. l. 3. p 231.

Verbis cùm puris tum etiam propriis utitur: quæ ante *Elegantias* ſcripſit, ut de *voluptate*, minus ſunt accurata, quàm quæ poſt eas. *Idem* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Annis abhinc ducentis *Herodotum* & *Thucydidem Latinis* literis exponebat *Laurentius Valla*, in eâ bene & eleganter dicendi copiâ, quam totis voluminibus explicavit, inelegans tamen, & penè barbarus; Græcis ad hoc literis leviter tinctus, ad *auctorum* ſententias parùm attentus, oſcitans ſæpè, & alias res agens, fidem apud eruditos decoxit. *Huet.* de Claris Interpret.

Paulus Iovius hoc judicium tulit de libris *Laurentii Valla* de rebus geſtis à *Ferdinando*, *Arragonum* Rege: "Opus hoc eo ſtyli charactere perſcri- "pſit, ut ejus minimè videri poſſit, qui cæteris *elegantiarum* præcepta tradiderit.

* *Laurentii Valla* Annotationes in *Novum Teſtamentum*; & liber de *Perſonâ* contra *Boethium*, prohibentur, niſi corrigantur: Ejuſdem verò Libri de Falsâ Donatione *Conſtantini*; de Libero Arbitrio, de Voluptate, omninò prohibentur. *Index Roma* impreſſus Anno 1681. juſſu *Innocentii* XI. P. M.

Extant ejus Annotationes in *Novum Teſtamentum*, *Baſilea* 1540. & 1545.
Extat liber *de fictâ Conſtantini donatione*, *Baſilea* 1566. fol.
Extant libri 3. de Rebus geſtis à *Ferdinando Arragonum* Rege Franc. 1603.
Extant Libri 6. de *Elegantiis Lingua Latina*, *Lugd.* 1544. 8°.

Hoc *Laurentii Valla* Epitaphium.

Ohe! ut Valla *ſilet! ſolitus qui parcere nulli eſt.*
Si quæris quid agat, nunc quoque mordet humum.

Aliud

Digitized by Google

Aliud.

Nunc poſtquam Manes *defunctus* Valla *petivit*,
Non audet Pluto *verba* Latina *loqui.*
Juppiter *hunc cœli dignatus parte fuiſſet*,
Cenſorem linguæ, ſed timet ipſe ſuæ.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

FLAVIUS BLONDUS

I*Talus*, *Forolivii* natus eſt anno *Dom.* 1388. *Eugenii* IV. Pontificis *Romani* Secretarius: aliorum quoque Romanorum Pontificum, in iis *Pii* Secundi, Secretarius fuit. Obiit *Romæ* die 4. Junii, Anno 1463. ætatis 75. Claruit A. D. MCCXL.

Blondus Flavius Foroliviensis, homo multæ eruditionis, *Romam veniens* propter inſignem quâ pollebat doctrinam, ſtatim omnibus innotuit: Et ut illo ſæculo ſcientiæ raræ erant, barbarie occupante omnes ferè *Chriſtiani* Orbis Academias, quotieſcunque ex illo ignorantiæ Barathro emergebat aliquis cognitione bonarum diſciplinarum clarior, ſtatim excipiebatur cum plauſu & admiratione omnium: Idem accidit *Blondo* poſtquam *Romam* venit favore aliquot Cardinalium, qui apud Pontificem gratiâ & authoritate valebant, commendatus eſt *Eugenio* P. M. in cujus aulam receptus, Epiſtolarum Magiſter factuseſt. Uxorem habuit honeſto loco: ex quâ ſuſcepit quinque filios: qui omnes paternæ doctrinæ, & virtutum, ſicuti & facultatum hæredes facti ſunt. Pater licèt gravibus aſſiduiſque negotiis in aulâ Pontificiâ occuparetur, non tamen deſiit multa ſcribere, quæ in lucem emiſſa ſunt magno Reipublicæ Literariæ emolumento. Scripſit enim Decades tres de Geſtis *Romanorum* lib. 31. Vel Decades tres. De *Roma* triumphante libr. 10. De *Româ* inſtaurata lib. 3. De *Italiâ* illuſtratâ lib. 8. Præter hæc extant illius Epiſtolarum ad Diverſos lib. 1. Orationum lib. 1. & alia plurima opuſcula eruditione plena, *Boiſſard.* in Icon.

Flavius Blondus magno auſu, ſingularique induſtriâ, nec infelici eventu, multorum annorum intermorientes res geſtas è tenebris excitare orſus, *Decadas* conſcripſit quibus ab inclinante *Romano Imperio* funeſta tempora, ac ideo veritatis lumine orbata, in lucem proferuntur. De vetuſtate quoque collapſæ urbis ac ejus demum reſurgentis dignitate, erudito operoſoque volumine publicato, quantam nec ambitioſè quæſitam exoptarit, in literis authoritatem adeptus eſt. *Paul. Jov.* in Elog.

Blondus Flavius, vir in omni bonarum Artium diſciplinâ peritus, Philoſophus & Rhetor celeberrimus, & Hiſtoriographus inſignis, ingenio excellens, eloquio diſertus, & dicendi gratiâ nulli ſecundus. *Trithem.*

Digitized by Google

Præ cæteris autem *Flavius Blondus* rari atque ſoliciti ingenii homo, & cùm diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, tum Hiſtoricus urbem hanc ortu illuſtravit ſuo. *Leand. Albert.* in *Ital.* de *Foro Livii.*

Blondus Flavius, Hiſtoriarum ſcriptor egregius —— Procul *Blondus* ab eloquentiâ priſcâ fuit: neque ſatis diligenter, quæ ſcripſit, examinavit: non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet, curam habuit. Si quis aliquando vir doctus, ſcribendi peritus, *Opera* ejus emendare atque ornare decreverit, haud parum utilitatis poſteris afferet, & ſeipſum clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, quæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis. *Jo. Gobellin.* l. 11. Comment. de Reb. *Pii* XI. memorabilib.

Blondi Flavii Forolivienſis hoc in negotio ſummum ſtudium amplectimur, quamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſint qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant: alioqui non paucis etiam lutulentus fluere viſus eſt. *Florid. Sabin.* in Apol. adv. Calumn. LL.

Ad honorem *Blondi* non parum pertinet, quòd ſcripta illius in Epitomen contrahere dignatus ſit *Pius Pontifex.* Dictione eſt non admodum culta: ut etiam *Volateranus* agnoſcit, ſed de Antiquitate tamen, utcunque interdum aliquid humani patiatur, ſanè pro ætate, quâ vixit, optimè meretur. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Blondus plura in Hiſtoriâ ſcripſit; quàm recentiorum quiſquam. Omnia, ut liberè dicam quæ ſentio, meliore fide tradidit, quàm eventu: utpote is, qui nonnulla, quibus ea perquirenda dederat, temerè crediderit. Nam per ſe omnia videre potuiſſe, abſurdum eſt credere: cùm nec ex autore uno, ſed penè innumeris, atque illis ipſis ambiguis & variantibus, multa quærenda eſſent: nec ipſa dicendi figura multum ei favoris conciliat. Nam præterquam, quòd ubique ferè lutulentus fluit, dum nervorum robori ſtudet, præpinguem nimis & obeſum ſe reddidit: ademitque nimia corpulentia venuſtatem hiſtoriæ: ſine quo prodeſſe quidem poteſt, delectare verò minimè: ſed hæc ille accuratâ narratione rerumque varietate compenſat. *Hubert. Gifan.* Obſervat. ſuis in Ling. Lat. p. 396.

Flavius Blondus eſt bonus, ſed omnia quæ ibi ſunt, ſunt & alibi. *Scaligerana* poſterior.

Extant Opera *Blondi Flavii Baſileæ* 1559. & alibi.

Manuſcriptus extat *Cantabrigiæ* in Collegio S. *Benedicti Oxonii* in Bibliothecâ *Balliolenſi* eſt Manuſcriptus *Blondius de Coſmographiâ Italiæ.* *Blondus*, an alius, ſignetur, inquit *Voſſius*, melius dicent qui vidêre.

Obiit *Romæ*, inque Capitolio juxta Deiparæ Templum ſepultus eſt. Nempe in arâ cœli ante introitum Templi, ubi tale ejus Epitaphium, ut eſt in *Fabritii Roma*:

Blondo Flavio Forolivienſi, *hiſtorico celebri, multorum Pontificum Romanorum Secretario*, Blondi *quinque filii patri bene merenti unanimes poſuere. Vixit annos lxxv. obiit prid. Non. Junii, anno ſalutis* Chriſtianæ *MCCCCLXIII. Pio P. M. ſibi, natiſque favente.*

Hoc

Hoc ejus *Epitaphium* à *Jano Vitale* compoſitum eſt.

Eruis è tenebris Romam *dum* Blonde *ſepultam*,
Es novus ingenio Romulus *atque* Remus.
Illi urbem ſtruxere rudem : celeberrima ſurgit
Illa eadem ſtudiis, ingenioſe, tuis.
Barbarus *illam hoſtis ruituram evertit : at iſti*
Nulla unquam poterunt tempora obeſſe tua.
Jure triumphalis tibi facta eſt Roma *Sepulchrum*:
Illi ut tu vivas, vivat ut illa tibi.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

NICOLAUS CUSANUS.

NIcolaus, à vico, ubi in lucem editus eſt in diœceſi *Trevirenſi* ad ripam *Moſellæ* è regione *Urſicaſtri Cuſanus* vulgo, ſive de *Cuſà* dictus, ex *Decano S. Florini Conſtantienſis* & Archidiacono *Leodienſi Brixinenſis* in Comitatu *Tirolenſi* Epiſcopus, & S.R.E. Cardinalis titulo S. *Petri* ad Vincula à *Nicolao* V. Papa creatus 20. Decembris anno 1448. obiit *Tuderti* in *Umbriâ* anno 1464. die 11. Augusti natus annos 63. *Romæ* ſepultus. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MCDXLVIII.

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & Theologorum ſuo tempore facile princeps, atque in ſecularibus literis egregiè doctus : Philoſophus, Rhetor & Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, & eloquio diſertus, trium Linguarum, *Hebraicæ*, *Græcæ* & *Latinæ* peritus, vitâ & converſatione integerrimus, & ſingulariter devotus. Circa *Cuſam* nativitatis ſuæ villam ad ripas *Moſellæ* in oppoſito *Urſicaſtri* hoſpitale celeberrimum in honorem S. *Nicolai* Epiſcopi conſtruxit : quod prædiis & redditibus copioſè ditavit, ac libris in omni Scientiâ pluribus exornavit. *Trithem.*

Vir in omni literarum genere admirandus, Mathematicus, Philoſophus & Theologus, ſuprà quàm cuique credibile ſit, eruditiſſimus, cui docta quædam tam in verbis, quàm in ſententiis amica fuit obſcuritas, edidit in principium *Geneſeos* brevem dialogum tantæ obſcuritatis, ut vix à doctiſſimis viris poſſit intelligi. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Bibl. ſanct.

Nicolaus Cuſanus, *Germanus*, ob eruditionem ferè pro miraculo habitus, eligitur Cardinalis die 20. Decemb. 1448. *Calviſ.* in chronolog.

Nicolaus Cuſanus vir apprimè eruditus fuit. Primùm reprehendit quoſdam errores & crimina Papæ, poſteà factus *Cardinalis*, eundem tueri cœpit. Extant tamen ejus Scripta, quibus non paucorum *Antichriſti* mendaciorum & errorum vanitatem refutavit. In libris de *Concordiâ Catholicâ* refutat vanitatem *Donationis Conſtantini*, quæ eſt in *Decretis*; & affirmat libro 2.c.34. *Univerſale Concilium*

Præ cæteris autem *Flavius Blondus* rari atque ſoliciti ingenii homo, & cùm diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, tum Hiſtoricus urbem hanc ortu illuſtravit ſuo. *Leand. Albert.* in *Ital.* de *Foro Livii.*

Blondus Flavius, Hiſtoriarum ſcriptor egregius —— Procul *Blondus* ab eloquentiâ priſcâ fuit: neque ſatis diligenter, quæ ſcripſit, examinavit: non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet, curam habuit. Si quis aliquando vir doctus, ſcribendi peritus, *Opera* ejus emendare atque ornare decreverit, haud parum utilitatis poſteris afferet, & ſeipſum clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, quæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis. *Jo. Gobellin.* l. 11. Comment. de Reb. *Pii* XI. memorabilib.

Blondi Flavii Foroliviensis hoc in negotio ſummum ſtudium amplectimur, quamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſint qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant: alioqui non paucis etiam lutulentus fluere viſus eſt. *Florid. Sabin.* in Apol. adv. Calumn. LL.

Ad honorem *Blondi* non parum pertinet, quòd ſcripta illius in Epitomen contrahere dignatus ſit *Pius Pontifex.* Dictione eſt non admodum culta: ut etiam *Volaterranus* agnoſcit, ſed de Antiquitate tamen, utcunque interdum aliquid humani patiatur, ſanè pro ætate, quâ vixit, optimè meretur. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Blondus plura in Hiſtoriâ ſcripſit; quàm recentiorum quiſquam. Omnia, ut liberè dicam quæ ſentio, meliore fide tradidit, quàm eventu: utpote is, qui nonnulla, quibus ea perquirenda dederat, temerè crediderit. Nam per ſe omnia videre potuiſſe, abſurdum eſt credere: cùm nec ex autore uno, ſed penè innumeris, atque illis ipſis ambiguis & variantibus, multa quærenda eſſent: nec ipſa dicendi figura multum ei favoris conciliat. Nam præterquam, quòd ubique ferè lutulentus fluit, dum nervorum robori ſtudet, præpinguem nimis & obeſum ſe reddidit: ademitque nimia corpulentia venuſtatem hiſtoriæ: ſine quo prodeſſe quidem poteſt, delectare verò minimè: ſed hæc ille accuratâ narratione rerumque varietate compenſat. *Hubert. Giſan.* Obſervat. ſuis in Ling. Lat. p. 396.

Flavius Blondus eſt bonus, ſed omnia quæ ibi ſunt, ſunt & alibi. *Scaligerana* poſterior.

Extant Opera *Blondi Flavii Baſileæ* 1559. & alibi.

Manuſcriptus extat *Cantabrigiæ* in Collegio S. *Benedicti Oxonii* in Bibliothecâ *Balliolenſi* eſt Manuſcriptus *Blondius de Coſmographiâ Italiæ.* *Blondus*, an alius, ſignetur, inquit *Voſſius*, melius dicent qui vidêre.

Obiit *Romæ*, inque Capitolio juxta Deiparæ Templum ſepultus eſt. Nempe in arâ cœli ante introitum Templi, ubi tale ejus Epitaphium, ut eſt in *Fabritii Roma*:

Blondo Flavio Forolivienſi, *hiſtorico celebri, multorum Pontificum Romanorum Secretario,* Blondi *quinque filii patri bene merenti unanimes poſuere. Vixit annos lxxv. obiit prid. Non. Junii, anno ſalutis* Chriſtianæ *MCCCCLXIII. Pio P. M. ſibi, natiſque favente.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc ejus *Epitaphium* à *Jano Vitale* compoſitum eſt.

Eruis è tenebris Romam *dum* Blonde *ſepultam*,
Es novus ingenio Romulus *atque* Remus.
Illi urbem ſtruxere rudem : celeberrima ſurgit
Illa eadem ſtudiis, ingenioſe, tuis.
Barbarus *illam hoſtis ruituram evertit ; at iſti*
Nulla unquam poterunt tempora obeſſe tuæ.
Jure triumphalis tibi facta eſt Roma *Sepulchrum:*
Illi ut tu vivas, vivat ut illa tibi.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

NICOLAUS CUSANUS.

Nicolaus, à vico, ubi in lucem editus eſt in diœceſi *Trevirenſi* ad ripam *Moſellæ* è regione *Urſicaſtri Cuſanus* vulgo, ſive de *Cuſâ* dictus, ex *Decano S. Florini Conſtantienſis* & Archidiacono *Leodienſi Brixinenſis* in Comitatu *Tirolenſi* Epiſcopus, & S.R.E. Cardinalis titulo S. *Petri* ad Vincula à *Nicolao* V. Papa creatus 20. Decembris anno 1448. obiit *Tuderti* in *Umbriâ* anno 1464. die 11. Auguſti natus annos 63. *Romæ* ſepultus. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MCDXLVIII.

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & Theologorum ſuo tempore facile princeps, atque in ſecularibus literis egregiè doctus : Philoſophus, Rhetor & Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, & eloquio diſertus, trium Linguarum, *Hebraica, Græca* & *Latina* peritus, vitâ & converſatione integerrimus, & ſingulariter devotus. Circa *Cuſam* nativitatis ſuæ villam ad ripas *Moſellæ* in oppoſito *Urſicaſtri* hoſpitale celeberrimum in honorem S. *Nicolai* Epiſcopi conſtruxit : quod prædiis & redditibus copioſè ditavit, ac libris in omni Scientiâ pluribus exornavit. *Trithem.*

Vir in omni literarum genere admirandus, Mathematicus, Philoſophus & Theologus, ſuprà quàm cuique credibile ſit, eruditiſſimus, cui docta quædam tam in verbis, quàm in ſententiis amica fuit obſcuritas, edidit in principium *Geneſeos* brevem dialogum tantæ obſcuritatis, ut vix à doctiſſimis viris poſſit intelligi. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Bibl. ſanct.

Nicolaus Cuſanus, Germanus, ob eruditionem ferè pro miraculo habitus, eligitur Cardinalis die 20. Decemb. 1448. *Calviſ.* in chronolog.

Nicolaus Cuſanus vir apprimè eruditus fuit. Primùm reprehendit quoſdam errores & crimina Papæ, poſteà factus *Cardinalis*, eundem tueri cœpit. Extant tamen ejus Scripta, quibus non paucorum *Antichriſti* mendaciorum & errorum vanitatem refutavit. In libris de *Concordiâ Catholica* refutat vanitatem *Donationis Conſtantini*, quæ eſt in *Decretis*, & affirmat libro 2.c.34. *Univerſale Concilium*

 ſupre-

Præ cæteris autem *Flavius Blondus* rari atque ſoliciti ingenii homo, & cùm diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, tum Hiſtoricus urbem hanc ortu illuſtravit ſuo. *Leand. Albert.* in *Ital.* de *Foro Livii.*

Blondus Flavius, Hiſtoriarum ſcriptor egregius —— Procul *Blondus* ab eloquentiâ priſcâ fuit: neque ſatis diligenter, quæ ſcripſit, examinavit: non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet, curam habuit. Si quis aliquando vir doctus, ſcribendi peritus, *Opera* ejus emendare atque ornare decreverit, haud parum utilitatis poſteris afferet, & ſeipſum clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, quæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis. *Jo. Gobellin.* l. 11. Comment. de Reb. *Pii* XI. memorabilib.

Blondi Flavii Foroliviensis hoc in negotio ſummum ſtudium amplectimur, quamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſint qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant: alioqui non paucis etiam lutulentus fluere viſus eſt. *Florid. Sabin.* in Apol. adv. Calumn. LL.

Ad honorem *Blondi* non parum pertinet, quòd ſcripta illius in Epitomen contrahere dignatus ſit *Pius Pontifex.* Dictione eſt non admodum culta: ut etiam *Volateranus* agnoſcit, ſed de Antiquitate tamen, utcunque interdum aliquid humani patiatur, ſanè pro ætate, quâ vixit, optimè meretur. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Blondus plura in Hiſtoriâ ſcripſit; quàm recentiorum quiſquam. Omnia, ut liberè dicam quæ ſentio, meliore fide tradidit, quàm eventu: utpote is, qui nonnulla, quibus ea perquirenda dederat, temerè crediderit. Nam per ſe omnia videre potuiſſe, abſurdum eſt credere: cùm nec ex autore uno, ſed penè innumeris, atque illis ipſis ambiguis & variantibus, multa quærenda eſſent: nec ipſa dicendi figura multum ei favoris conciliat. Nam præterquam, quòd ubique ferè lutulentus fluit, dum nervorum robori ſtudet, præpinguem nimis & obeſum ſe reddidit: ademitque nimia corpulentia venuſtatem hiſtoriæ: ſine quo prodeſſe quidem poteſt, delectare verò minimè: ſed hæc ille accuratâ narratione rerumque varietate compenſat. *Hubert. Giſan.* Obſervat. ſuis in Ling. Lat. p. 396.

Flavius Blondus eſt bonus, ſed omnia quæ ibi ſunt, ſunt & alibi. *Scaligerana* poſterior.

Extant Opera *Blondi Flavii Baſileæ* 1559. & alibi.

Manuſcriptus extat *Cantabrigiæ* in Collegio *S. Benedicti Oxonii* in Bibliothecâ *Balliolenſi* eſt Manuſcriptus *Blondius de Coſmographiâ Italiæ.* *Blondus*, an alius, ſignetur, inquit *Voſſius*, melius dicent qui vidêre.

Obiit *Romæ*, inque Capitolio juxta Deiparæ Templum ſepultus eſt. Nempe in arâ cœli ante introitum Templi, ubi tale ejus Epitaphium, ut eſt in *Fabritii Roma*:

Blondo Flavio Foroliviensi, *hiſtorico celebri, multorum Pontificum Romanorum Secretario*, Blondi *quinque filii patri bene merenti unanimes poſuere. Vixit annos lxxv. obiit prid. Non. Junii, anno ſalutis* Chriſtianæ *MCCCCLXIII. Pio P. M. ſibi, natiſque favente.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc ejus *Epitaphium* à *Jano Vitale* compoſitum eſt.

Eruis è tenebris Romam *dum* Blonde *ſepultam*,
Es novus ingenio Romulus *atque* Remus.
Illi urbem ſtruxere rudem: celeberrima ſurgit
Illa eadem ſtudiis, ingenioſe, tuis.
Barbarus *illam hoſtis ruituram evertit: at iſti*
Nulla unquam poterunt tempora obeſſe tuæ.
Jure triumphalis tibi facta eſt Roma *Sepulchrum*:
Illi ut tu vivas, vivat ut illa tibi.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

NICOLAUS CUSANUS.

NIcolaus, à vico, ubi in lucem editus eſt in diœceſi *Trevirenſi* ad ripam *Moſellæ* è regione *Urſicaſtri Cuſanus* vulgo, ſive de *Cusâ* dictus, ex *Decano* S. *Florini Conſtantienſis* & Archidiacono *Leodienſi Brixinenſis* in Comitatu *Tirolenſi* Epiſcopus, & S.R.E.Cardinalis titulo S. *Petri* ad Vincula à *Nicolao* V. Papa creatus 20. Decembris anno 1448. obiit *Tuderti* in *Umbriâ* anno 1464. die 11. Auguſti natus annos 63. *Romæ* ſepultus. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. **Chr. A. D. MCDXLVIII.**

Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & Theologorum ſuo tempore facile princeps, atque in ſecularibus literis egregiè doctus: Philoſophus, Rhetor & Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, & eloquio diſertus, trium Linguarum, *Hebraicæ, Græcæ* & *Latinæ* peritus, vitâ & converſatione integerrimus, & ſingulariter devotus. Circa *Cuſam* nativitatis ſuæ villam ad ripas *Moſellæ* in oppoſito *Urſicaſtri* hoſpitale celeberrimum in honorem S. *Nicolai* Epiſcopi conſtruxit: quod prædiis & redditibus copioſè ditavit, ac libris in omni Scientiâ pluribus exornavit. *Trithem.*

Vir in omni literarum genere admirandus, Mathematicus, Philoſophus & Theologus, ſuprà quàm cuique credibile ſit, eruditiſſimus, cui docta quædam tam in verbis, quam in ſententiis amica fuit obſcuritas, edidit in principium *Geneſeos* brevem dialogum tantæ obſcuritatis, ut vix à doctiſſimis viris poſſit intelligi. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Bibl. ſanct.

Nicolaus Cuſanus, *Germanus*, ob eruditionem ferè pro miraculo habitus, eligitur Cardinalis die 20. Decemb. 1448. *Calviſ.* in chronolog.

Nicolaus Cuſanus vir apprimè eruditus fuit. Primùm reprehendit quoſdam errores & crimina Papæ, poſteà factus *Cardinalis*, eundem tueri cœpit. Extant tamen ejus Scripta, quibus non paucorum *Antichriſti* mendaciorum & errorum vanitatem refutavit. In libris de *Concordiâ Catholicâ* refutat vanitatem *Donationis Conſtantini*, quæ eſt in *Decretis*; & aſſerit libro 2.c.34. *Univerſale Concilium* ſupre-

ſupremam poteſtatem in omnibus habere ſuper ipſum *Romanum Pontificem*. In libro de *Pace Fidei* probat, nos ſolâ fide juſtificari, non ex merito, multoque minus per *Traditiones humanas*, quas vehementer extenuat *Illyric*. in Catal. Teſt. verit.

In omni diſciplinarum genere diligentiſſimè verſatus, ſcripſit præclara opuſcula, ſæpiùs typis admota, tribuſque voluminibus diſtincta. *Nomenclat*. Cardin. *Roman*. Eccleſ.

Nicolaus Cuſanus Cardinalis, vir profundæ ſcientiæ, & ſubtiliſſimâ exercitatione limatæ. *Jo*. Card. *Bona*.

Vir fuit æquè pius ac doctus. *Bellarm*. de Script. Eccleſ.

Poſſevinus in *Apparatu Sacro* virum eum vocat, ut Scientiis penè omnibus excultum, ita peritia *Canonum* eximium, ac reliquis vitæ donis ornatum.

Anno 1440. videlicet tempore *Nicolai* V. & *Concilii Baſilienſis*, ac 24. ann. ſequentibus, magno etiam ob *Matheſin* in pretio fuit *Nicolaus* de *Cuſa*, Cardinalis titulo S. *Petri*: vir tantus, ut, quemadmodum de eo cenſet *Faber Stapulenſis*, *Mathematicas diſciplinas nemo profundiùs penetrârit*: quippe, ut ſubdit idem, *quæ ante omne ævum latuerunt, maxima ſacra Matheſeos myſteria aperuerit*. *Voſſius* de Mathem. p. 62. 63.

Nicolaus Cuſanus, Cardin. magni nominis, ex humili loco in id faſtigii evectus, Juriſconſultus & Theologus inſignis. In *Germaniam* miſſus ann. 1451. tuba belli ſacri, Religionis futuram mutationem inſignem prædixit. Obiit in *Umbriâ* ann. 1464. ætat. 63. *Hofman*. in Lexic.

Cuſa Germania Oppidulum, Moſellæ fluminì *Treverenſem* Diœceſim transfluenti proximè ſitum, Patria ſimul & cognomen fuit *Nicolai Canonici* Regularis, & Canonum Sacrorum Doctoris; Qui ſolertiſſimè applicato ingenii ſui excellenti acumine ad ferè omnes optimas ſcientias, ſpeciatim verò ad Theologiam, & deinde ad Leges Canonicas, in illa unus ex eruditiſſimis evaſit qui ſeculo ſuo vixerint, in his verò nulli omnium coætaneorum ceſſit, qui eaſdem profiteretur. Vixit ſexaginta tres annos, dieſque ſuos terminavit ad undecimum Menſis Auguſti Anno 1464. in *Umbria* Italica Civitate *Todi*. Ejus Cadaver Romam tranſlatum ſepulturam adeptum eſt in Eccleſia ejus titulari Sancti *Petri* in Vinculis, ut ipſe Teſtamento caverat, pro perpetua ſua erga glorioſum illum Apoſtolum devotione: Ejus ſepulcro inſculptum legitur ejuſdem Epitaphium Latinis verbis heic ſtatim ſubjunctis, nimirum. Ital.

Nicolas de Cuſa Treverenſis
S. Petri *ad Vincula Cardinalis*
Brixinenſis Epiſcopus
Tuderti *obiit M. CCCCLXIV. xi. Auguſti*
Ob devotionem Catenarum S. Petri *hic ſepeliri voluit.*
Dilexit Deum, timuit, & veneratus eſt,
ac illi ſoli ſervivit.

Pro-

Digitized by Google

Promiſſio retributionis non fefellit eum.
Vixit ann. L XIII.

Ghilini *Theatrum Virorum Literatorum.* Italicè

Extant opera omnia 3. Tom. *Baſ.* 1564.

THOMAS A KEMPIS.

DE *Thomâ* patriâ *Kempenſi*, ſive à *Campis* modico in diœceſi *Colonienſi* oppido ad *Rhenum*, cognomento *Hemerchin*, hoc eſt *Malleolo*, ordinis *Canonicorum Regularium S. Auguſtini* Congregationis *Windeſimenſis* Religioſo in Monte Divæ Martyris & Virginis *Agnetis* prope *Zvollas* in diœceſi *Ultrajectenſi*, vitâ & converſatione devoto, & B. ſemper Virginis *Mariæ* amatore præcipuo, qui obiit ætatis anno 91. *Chr. Domini* 1471. die 8. Kal. Auguſti, tam multa in utramque partem occaſione librorum quatuor de *Imitatione Chriſti* hiſce proximis annis ſcripta ſunt, ut non neceſſe ſit diutius in ejus pangendo elogio immorari. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MCCL.

Varia conſcripſit Orbis terræ judicio, ac teſtimonio comprobata, in quibus illud mirandum, horrido illum cœlo, ac ſolo natum, cùm *Latini Sermonis* mundities neglecta jaceret, tantum eſſe aſſecutum humili illo, quod ſectabatur, dicendi genere. Aureum illum de *Chriſti Imitatione* libellum, & non modò de manibus nunquam deponendum, ſed & ad verbum addiſcendum, tanquam pietatis Myrothecium (ut jure omnium gentium linguis hodiè legatur) *Gallia* aliquando *Joannis Gerſonis* nomine ſibi vindicare conata eſt. *Aubert. Miræus* in Elog. *Belgic.*

Hunc Libellum de *Imitatione Chriſti* quidam *Joanni Gerſoni*, alii Abbati *Geſſeno* Benedictino adſcribunt: *Bellarminus* verò hac de re ſic ſcribit: 'Scriptos & compoſitos eſſe ab eodem *Thomâ* quatuor libros de *Imitatione Chriſti*, 'contrariis conjecturis everſis demonſtrat evidenter in *Vindiciis Kempenſibus P.* '*Heribertus Roſweydus*; cujus mihi & rationes pleniſſimè ſatisfecerunt, & ſententiam penitus amplector, opuſculum ſanè utiliſſimum eſt ac jure in totâ Eccleſiâ ſummo omnium conſenſu receptum, & frequentatum, & in omnes penè 'linguas converſum. Ego certè ab adoleſcentiâ, & uſque in ſenectam, hoc opuſculum ſæpiſſimè volvi & revolvi, & ſemper mihi novum apparuit, & nunc 'etiam mirificè cordi meo ſapit. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

De auctore Librorum de *Imitatione Chriſti* mirè certant hoc præſertim tempore eruditi, ſed memet turbis hiſce non immiſceo; nec certè noſtrum eſt tantas componere lites. Interim vide quæ habent *Theophilus Raynaudus* de Bonis & Malis libris, & *Vincentius Placcius* de Scriptoribus *Pſeudonymis*. *Gul. Cave.* Cartophyl. Eccleſ.

De *Imitatione Chriſti* libri quatuor verè aurei, non *Latinè* ſolùm; ſed *Germanicè*,

nicè, Belgicè, Hiſpanicè, Gallicè, & *Græcè* ſæpiùs excuſi. Nullus poſt *Sacros Codices* tam crebrò fuit excuſus libellus, nullus tam cupidè ab omnibus expetitus & lectitatus, à ſummis, mediis, & infimis. *Franc. Svvert. Belgica. Athenæ.*

Thomæ à *Kempis* exiguum libellum de *Imitatione Chriſti Lutherus* in Præfatione omnium *Antiquorum* præterquam *Auguſtini* Scriptis anteponit.

Comis & affabilis omnibus, atque in primis vitæ innocentiâ ſanctimoniâque conſpicuus erat; adeò ut plurimos ſui viſendi & audiendi causâ ad ſe attraheret. Sermo illi omnis de *Deo* & Sacrâ Scripturâ, cujus lectioni mirè addictus, cellæque ſuæ ita amans fuit, ut hoc *Symbolum* ſæpius uſurparet, libriſque inſcriberet: *In omnibus requiem quæſivi, ſed non inveni niſi in angello cum libello.* Nunquam otioſus, ſemper vel lectitabat aliquid, vel in communem uſum ſcribebat, vel pro inſtructione Fratrum commentabatur. Obiit nonagenario major, 8. Kal. Auguſti, anno partæ per *Chriſtum* ſalutis 1471. Profeſſionis 55.

In umbra Cellulæ fulgidum aſtrum reperio, In ima ſolitudine Virum qui toto orbe innotuit ſublimibus Ingenii ſui fœtibus, qui ut *Prometheus* alter cœleſtem ignem rapuit ad corda noſtra *Chriſtianæ* perfectionis ardenti cupiditate inflammanda. Is eſt eruditus ac pius ille Vir, *Thomas Hamerken, à Kempis* vulgo dictus, urbis natalis in Colonienſi Diœceſi nomine mutuato. In urbis Daventriæ Religioſo quodam Sodalitio ubi Sacrarum literarum Profeſſores erant publici, harum ſtudium amplexus eſt, & ad hoc animum appulit adeo profunda rerum Divinarum meditatione, ut nihil abſtruſum lateat in Myſtica Theologia cujus perfectam intelligentiam non fuerit aſſecutus. In pretio nominatim eſſe debet, parvulus, ſed mirificus ille Libellus de *Imitatione* Jeſu *Chriſti*: uſque adeo puram & ſanctam doctrinam is continet, tam efficaciter movet corda legentium, ut nullo Volumini quantælibet molis non ſit comparabilis; quemadmodum nullum pluries pluribuſque idiomatibus ſub prelo ſudavit: Ejus gloriam *Joanni Gerſoni* erudito *Gallo* quidam tribuere tentarunt, ſed *Pariſienſis* Senatus audacis & temerarii hujus moliminis injuſtis Authoribus cognitis, hos damnatorio Decreto ad deſiſtendum à vano conſilio ſuo, *Gerſonem* verò ad hanc palmam Thomæ à *Kempis* cedendam adegit—Contigit ut Patre quodam è Societate *Jeſu Algerii* peregrinante, ad captivos hinc redimendos, Rex in Bibliothecam ſuam illum deduxerit, & inter magnum Librorum numerum Opera *Thomæ* à *Kempis* lingua ſua ei oſtenderit, ipſi dicens ſe illum præ omnibus ſuæ Legis Authoribus æſtimare. Quæ verba verè pia ſunt, & *Chriſtiano* quam Principe *Barbaro* digniora. *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum.

Scripſit *de Imitatione Chriſti libros* 4. opus non tam mole, quàm uſu & famâ magnum: cujus admirandum, venuſtum tamen, dictionum zelum, ſententiarum pondus, & igneas pietatis ſcintillas multi multis deprædicarunt. *Henr. Wharton.* in Append. ad Hiſt. Literar. *Gul. Cave.*

Multa ſcripſit, totius orbis judicio ac teſtimonio comprobata, uno volumine excuſa, primum *Norimbergæ* 1494. fol. Deinde *Pariſ.* à *Badio* 1520. *Venet.* 1565. & 1569. *Antver.* typis *Nutii*, 1574. & 1580 8°. & noviſſimè ex recenſione *Henric. Sommalii* Societatis Jeſu qui libellos omnes diſtribuit in

in tres Tomos, ibid. 1615. 8°. *Duaci*, typis *Belleri* 1635. 8°. *Valer. Andreas* in Biblioth. Belgic.

FRANCISCUS PHILELPHUS.

NAtione *Italus*, patriâ *Anconitanus*, natus eſt anno 1398. obiit anno 1481. eques auratus, & Poëta Laureatus fuit, *Emanuelis Chryſolora* gener, *Palaogi* Imperatoris *Conſtantinopolitani* ad *Pontificem*, & *Italos Principes* Legatus, *Latinas Græcaſque* literas docuit, *Bononia*, *Roma*, *Mediolani*, *Florentia*, *Patavii*, & *Mantuæ*. *Scripſit* plurima & pedeſtri & ſolutâ oratione: multa etiam *tranſtulit* ex *Græco* in *Latinum* ſermonem. Clar. A. D. MCDL.

Vir adeo ſtudioſus & bonarum artium amator, & cultor indefeſſus, ut veluti alter *Plinius*, inter continuas bellorum occupationes ſemper aliquid aut legeret ſibi, aut dictaret aliis. *Trithem.*

Ad omne genus ſcripti ſeſe accommodavit, ac ut de *Vinicio* dicit *Auguſtus*, ingenium in numerato habebat: Græca, Latina, Lyrica, Heroica, Proſam orationem, ex tempore dictitabat. *Volateran.* l. 21. Anthropol.

Franciſcus Philelphus multa ſcripſit, ut *Orator*, & *Poëta*: de cujus *Epiſtolis*, *Dialogis*, & *Orationibus*, aliiſque *ſolutæ orationis* monumentis diverſæ ſunt doctorum ſententiæ. Plurimi enim judicium ei defuiſſe volunt: alii tumidum eum plerumque; alicubi exilem, perſæpè aridum, jejunumque arbitrantur, licèt ſibi vel maximè placentem; doctus tamen fuit & magna auſus. *Florid. Sabin.* Apolog. in Calumniator. LL.

Franciſcum Philelphum honore cognominis *Ciceroniani* planè dignarer, ſi tam placeret eruditis omnibus quàm placuit ſibi. Et affectavit quidem illo ſeculo *Ciceronis* effigiem, ſed parum feliciter. Nec uſquam illi diſſimilior eſt, quàm ubi maximè oportuit eſſe ſimilem, nimirum in *Orationibus*. Nam in *Epiſtolis* ſatis adumbrat M. *Tullium Eraſm.* in Ciceroniano, p. 156.

Longè plus *Carolo Aretino*, cui valdè infenſus fuit, *Franciſcus Philelphus* præſtitiſſet, ſi in uno vel altero ſcribendi genere maturare, quàm ſibi tantum arrogare maluiſſet. Videris in eo oratorios impetus, poëticum furorem, variam & copioſam tum *Græcarum*, tum *Latinarum* rerum cognitionem, ex quibus omnibus, & illum interdum in *Academiâ* & *Lycio* verſatum, tametſi non altiùs pedum fixiſſe, colligimus. Dignus tamen fuit multâ laude. *Lil. Gyrald.*

In *Franciſci Philelphi* verbis planè nihil deſideres: ejus tamen lectio eſt moleſta, quòd motu omni, & quaſi vitâ caret: & fortaſſe is eſt *genius*, quem in quoque libro victuro *Martialis* requirit. *Lud. Viv.* l. 3. de Trad. Diſcip.

Franciſcus Philelphus religioſus circa verba, in reddendâ Sententiâ & indole defecit: tranſtulit *Xenophontis* multa, cumque videret verborum elegantiam, verbum verbo reddere voluit, cæterùm non potuit ex fide reddere, quæ in *Græco* reperiebat, quod mirum in homine *Græco*. *Petr. Nann.* in *Horat.*

Ignoſcen-

Ignoſcendum ſeculo, quo vixit, quòd crebrò adeò in metrum peccat. *Voſſius* de Poët. Lat. p. 81.

Cùm de modulo ſyllabæ aliquando contentio ei foret cum *Timotheo* Græculo: atque ita conveniſſet, ut, ſi vinceretur, ipſe pecuniâ lueret errorem: ſin vinceret, adverſarius barbam ſibi totam ſineret recidi: Victor uſque adeò fuit inexorabilis, ut barbam pecuniâ redimi minimè pateretur, ſed miſello *Timotheo*, non ſine ludibrio, eam novaculâ abradi totam neceſſe foret. *Konig.* in Biblioth.

Scripſit inter alia duos *Conviviorum* libros, quos *Ludovicus Vives* ab *Hiſtoriæ* & *Antiquitatum* atque item *Philoſophiæ* cognitione impensè laudat.

Franc. Philelphus, eques auratus, circa principia ſeculi decimi quinti clarus, ſcripſit *hecatoſtichorum* libros, 10. & ſingulis decem ſatyras complexus eſt, pro captu temporum eleganter, atque nervosè. Legitur quoque *epos* ejus *Sphorcias*, item *lyria*, & *epigrammata*; in omnibus agnoſcitur poëticus impetus, licet non ſatis ubique expolitus. *Borrich.* de Poëtis, p. 102.

Favêre ei ante alios *Eugenius* Pontifex, Rex *Alfonſus*, & qui ſingularis juſtitiæ & bellicæ virtutis coronam eo ſeculo promeruit *Franciſcus Sfortia*, ab eo heroico poemate celebratus. Ingenio enim in ſtudiis æſtuante, vario, ambitioſo, quum neminem ſibi exæquari literariâ laude pateretur; plura quàm quiſquam alius, in omni dicendi genere volumina publicavit, profitendoque, ſingulis in urbibus eruditæ juventutis academias excitavit, nullam ſpem nobilioris gloriæ *Latinis* æmulis de *Romanâ* facundiâ, nullam denique de *Græcâ*, vel ipſis *Græcis* relicturus, niſi tantus eloquentiæ fluvius, uti nullis moderati judicii ripis caſtigatus, nimis latè exundans, & mutato ſæpè alveo, turbulentus & incertus, dum ſeſe diducit, & abſcedit in paludes, perſpicui profluentis dignitatem amiſiſſet; Inter *Græca* opera Latinitate donata, *Xenophontis Pædia Cyri*, & *Plutarcho* aliquot *horum* vitæ, & demum *Hippocrates*, non ita probantur à *Græcis*, quàm à *Latinis* perleguntur. Vixit ad exactam ætatem nonagenario proximus, periitque *Bononiæ* adeò diſſipatis rei domeſticæ copiis, ut ad efferendum funus & cubiculi & coquinæ inſtrumenta venierint. *Paul. Jov.* in Elog.

Philelphi Epiſtolæ, *bonæ*. *Scaligerana* Poſterior.

Extant Libri 10. *Hecatoſtichorum*, quorum quiſque decem Satyras continet. *Mediolani* per *Chriſtophorum Valdarfer Ratiſponenſem*, ann. 1476.

Extant de Morali Diſciplinâ libri 5. *Venetiis* 1552. 4°.

Extant Epiſtolarum Familiarium libri 16. *Venetiis.* 1498.

Hoc ejus Epitaphium:

Abſtulit inſignis corpus fera Parca Philelphi.
Ingenio graſſans mors nocuiſſe nequit.

Aliud.

Digitized by Google

Aliud Auctore *Hieronymo Balbo* :

Itala Cecropiæ Pallas *conjuncta* Minervæ,
Et ſtetit, & cecidit morte, Philelphe, *tuâ*.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

THEODORUS GAZA.

PAtriâ *Theſſalonicenſis*, vir nobilis, *Græca Latinæque* linguæ peritiſſimus, omnium ſui temporis hominum doctiſſimus habitus eſt. Literas *Latinas* in *Italia* didicit, in quarum cognitione tantum profecit, ut ſummâ felicitate & omnium admiratione *Latina Græcè* & *Græca Latinè* exactiſſimè verterit. Nonnunquam tamen Latina vocabula nova fecit. Stylo uſus eſt non affectato, ſed puro & facili, veteres *Latinos* imitatus. Ejus doctrinam mirificis laudibus extollit *Hermolaus Barbarus*. *Beſſarioni* Patriarchæ *Conſtantinopolitano*; & Cardinali *Niceno* familiaris fuit, & amicus: à quo multis honoribus & beneficiis cumulatus eſt, ejuſque commendatione Sacerdotium in magna *Græciâ* adeptus, ætatem illic tranſegit feliciter, ſtudiis & lectione bonorum autorum incumbens. Opera plurima eruditione plena reliquit. Obiit *Romæ* quò ex *Græciâ* venerat, An. *Christi* 1478. *Friderico* III. *Romanorum* Imperatore, & *Sixto* IV. ſummum Pontificatum tenente. Quidam tradiderunt ejus corpus in *Græciam* fuiſſe tranſportatum, & ibi tumulatum, ubi ſacerdotium obtinebat. *Boiſſard.* in Icon. Clar. Ann. MCDLV.

Theodorus Gaza Theſſalonicæ honeſto loco natus, *Amurathe Græciam* omnem victricibus armis quatiente in *Italiam* venit, acumine, fertilitateque ingenii nemini ſecundus, quum *Græcos* omnes linguæ peritiâ, eruditoque judicio ſuperaret. *Victorino* autem *Feltrenſe* magiſtro uſus, uſque adeò copioſè & diligenter *Latinas* literas didicit, ut longè omnium *Latiſſimè* ſcriberet, nec planè dignoſci poſſet, an exactius, & certius ab eo *Latina Græcè*, an ipſa *Græca Latinè* verterentur; Hiſtorias enim *Ariſtotelis* de *Animalibus*, & *Theophraſti* de *Plantis*, ita *Latinas* fecit, ut *Romana* Linguæ facultatem, quum nova vocabula ſolerter effingeret, audaci, ſed generoſâ translatione locupletarit. Tanti porrò felicitate librum M. *Tullii* de *Senectute Græcum* reddiderit, ut peritiſſimi præter adæquatos ſenſus, ipſam quoque *Ciceronis* eloquentiæ Majeſtatem, ſcitè & graviter repræſentatam admirentur. Tranſtulit etiam Problemata *Ariſtotelis*, & *Hippocratis Aphoriſmos*, ut præſtantiſſimis authoribus ad perſpicuam fidem, nec obſcurè ad ſalutem humani generis ſua dignitas redderetur. *Paul. Iov.* in Elog.

Omnium doctiſſimè hanc artem [Grammaticam] libris quatuor tractavit *Theodorus Gaza*: cujus operam ab ingenio & doctrinâ ſic commendat *Franciſcus Robertelius* commentario de Re Poetica, ut nulli *veterum* poſtponendam

dicat. Nec ei ſe ſimile quicquam legiſſe eo in genere dictitabat *Budæus. Voſſ.* de Arte Grammat. p. 16.

Magnam incomparabilemque jacturam jampridem fecimus (Pontifex Maxime) in *Theodoro Gazâ*, qui vir *Græcus Latinos* omnes in hoc munere ſcribendi interpretandique ſuperavit. Is ſi diutiùs vixiſſet, Linguam *Latinam* hac quoque parte locupletaſſet. Quod & fecit in libris illis abſolutiſſimis de *Animalibus Ariſtotelis*, & *Theophraſti* de *Stirpibus*. Hic unus mihi certare cum vetuſtate ipsâ viſus eſt: hunc mihi quem colerem, quem imitarer propoſui. Ab hujus Scriptis adjutum me & fateor, & prædico: hunc ego non magnopere incurioſiùs legi, quàm *M. Tullium*, *Plinium*, *Columellam Varronem*, *Senecam*, *Apulejum*, & cæteros, quos in hoc genere commentandi diligenter evolvere neceſſarium eſt. *Hermol. Barbarus* in Paraphraſin *Themiſtii* præf. ad *Sixtum* 4. Pont. Max.

Gazam Ciceronianorum verborum obſervatorem atque imitatorem diligentiſſimum appellat *Jovius* l. 1. de Piſcibus, c. 4.

Theodorus Gaza Ariſtotelem, quàm *Ciceronem* exprimere maluit, quo non alius felicior, ſive vertat *Græca Latinè*, ſive *Latina Græcè*: Cùm ſua loquitur, duo quædam obſtrepunt delicato lectori, Philoſophiæ ſtudium, in quo totus erat; & illud γνήσιον *Græci* ſermonis, quod *Latinè* loquentes ſequi ſolet, ac vix unquam dediſcitur. *Eraſm.* in Ciceroniano p. 160.

Inter eos omnes qui bonas literas ſuſcitarunt in *Italiâ*, invideo tantùm tribus his, *Theodoro Gaza*, *Angelo Politiano*, & *Pico Mirandulano*. *Theodorus Gaza*, Magnus certè vir & Doctus, qui tamen in librorum *Ariſtotelis* de *Animalibus* Verſione lapſus eſt aliquibus locis. *Scaligerana* prima. p. 102.

Theodorus Gaza doctiſſimus erat. Bona eſt ejus Grammatica. Inter optimos è Græco in Latinum interpretes annumerandus: id luculenter demonſtravit in Theophraſti verſione: vidit ex *Plinio* debere verti. *Scaligerana* poſterior.

Gerardus Joannes Voſſius. l. 4. Inſtit. Rhet. c. 3. ipſum *Gregorio Trapezuntio* longè præferendum eſſe, contra *Angelum Politianum* ſtatuit.

Mihi verò judicium placet *Pomponii Læti*, qui rogatus ab ornatiſſimo Equite, M. *Antonio Maurocено*, quem ſui ævi doctiſſimum putaret? *Theodorum Gazam* reſpondit. *Voſſius* ibid.

In *Theodori Gazæ* Interpretationibus *Græcis* multa eſſe, quæ meliora fieri poſſint, quædam etiam, quæ omnino mutari debeant, *Joſephi Scaligeri* judicium eſt, à quo quidem non recedimus: at ut meliora optavit ille, nos cupimus certè ne ab aliis interpretibus nobis deteriora contingant, paremque omnes fidem, perſpicuitatem, & nitorem adhibeant. *Huet.* de Claris Interpr.

——Quod in *Theodoro Gazâ* longè diverſum fuit, qui Saturninâ quâdam iniquitate bonam ſuorum fœtuum partem abſumpſit. Tantæ enim ille eruditionis vir, quantæ multis abhinc annis nemo *Græcorum*, dicere auſim, etiam & *Latinorũ* fuit, cum divinas propemodum elucubrationes in *Ariſtotelis animalia*, quam hiſtoriam *Latinè* legendam repræſentarat, *Sixto* IV. Pont. Max. nuncupaſſet ſperans ſcilicet Principis ejus beneficentiâ quæſitum per tot labores vitæ ſubſidium non deparcum ſe conſecuturum: neque tamen plures quàm aureos quinquaginta, quaſi

Digitized by Google

quaſi magnum ab eo, à quo ſe totum inauratum iri ſperaverat, retuliſſet; ſtudiis indignatus ſuis, quòd tàm parca ſibi laborum & vigiliarum ſuarum merces tributa eſſet, nummos eos primùm in *Tyberim* abjecit, mox ipſe hujus indignitate rei exulceratus, inſolabili contabuit ægritudine. *Jo. Pier. Valerian.* de Literator. infelic. l. 2.

Extant Grammaticæ Græcæ libri 4. Græcè *Baſileæ* 1540. 4°.

Extat Liber de Menſibus *Græcè* Pariſiis 1530. 8°.

Idemque *Latinè* per *Perellum*, *Pariſiis* 1535. 8°. & *Græc.* *Lat.* *Pariſiis* 1630. octavo.

Extat de *Origine Turcarum* Libellus apud *Nihuſium* in *Symmiſtis* à pag. 381. Tomum.

Hoc ejus Epitaphium: Ex *Marulli* libro 1. Epigram.

Hic Gazes jacet, & Gazæ Sophia addita mater:
Alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.

Aliud. auctore *Angelo Politiano*:

Heu ſacrum caput occubuit Theodorus, *& horâ*
Unâ obiere omnes reliquiæ generis.
Nec tamen hoc querimur, nimis eſt potuiſſe videri,
Non enim hîc noſtro tempore dignus honos.
Hoc dolet heu! quòd neutra Patri *eſt nunc lingua ſuperſtes.*
Quæ mittat juſtas Manibus inferias.

Phil. Labbe Theſaur. Epitaph.

ÆNEAS SYLVIUS.

Poſtea *Pius* II. Papa dictus, natione *Thuſcus* fuit, patriâ *Senenſis*, ſedit in Pontificatu poſt *Calixtum* III. annis ſex. Vir undecunque doctiſſimus, Philoſophus, Orator, & Poëta inſignis plurima ingenii ſui monumenta poſteris reliquit. Clar. An. D. MCDLVIII. Hic quondam in *Concilio Baſileenſi* cuidam Prælato ſervivit pauper: deinde in *Scribam Cancellariæ Friderici Imperatoris* III. aſſumptus, & Poëta ab eo *Laureâ* receptâ creatus eſt: Primò Epiſcopus *Tergeſtinenſis*, poſteà *Senenſis*, exinde *Cardinalis*, & noviſſimè *Papa* omnium Suffragio electus eſt. Mortuus eſt ſub *Friderico* Imperatore anno *Domini* 1464. Indictione duodecimâ, 19. Kalend. Septemb. ætatis ſuæ anno 64. ſepultus *Romæ* in Eccleſiâ S. *Petri* juxta altare D. *Andreæ*. *Boiſſard.* in Icon.

Philelphus commendat eum ab ingenii acrimoniâ, dicendi lepore, ac moribus urbanis, & cultis. *Philelph.* Epiſt. ad *Nic. Arcimboldum* ſcript. 1451.

In Hiſtoriâ eſt nonnullis ex recentioribus ordine poſtponendus, Orator argutus, vehemens, candidus, poeta itidem non vulgaris. *Florid. Sabin.* in Apolog.

Magna quidem in dicendo *Pii* laus fuit, quòd cum ſæpius iiſdem de rebus loqueretur, diverſa ſemper viſus eſt dicere: tanta erat in homine elegantia & copia. *Platina.*

Æneas Sylvius, patriâ *Senenſis*, vir doctus, prudens, & magni animi. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Mira in eo certè facilitas, & ſatis prompta facultas. *Gil. Gyrald.* de Poet.

Literis, eloquentiâ, dexteritate, & prudentiâ nulli ſecundus. *Spondan.* ad Ann. 1458.

Scientiâ ſanè inſignis, pari utinam & conſcientiâ. Sed *Papalis Cathedræ* vis in eo ſtatim enituit. *Mornæus* in Hiſt. Papatus, p. 525.

Pius autem *Pontifex*, antea dictus *Æneas Sylvius*, interfuit *Concilio Baſileenſi* & rem omnem deſcripſit, & decreta ibi facta magnis laudibus extollit. Sed ad ſummum dignitatis gradum evectus, mutatâ ſententiâ, *Pontifici Concilium* debere ſubeſſe voluit. *Sleidan.* l. 2. Comment. Unde illud, *Quod* Æneas *probavit*, Pius *damnavit*.

Ejus voluptas quando à munere publico vacabat, in lectione & ſcriptione frequenti repoſita erat Libros pluſquam ſapphiros & ſmaragdos charos habuit, quibus chryſolitorum magnam copiam ineſſe dicebat----Homo fuit verus, integer, apertus, nil habuit ficti, nil ſimulati----Adoleſcens, & nondum ſacris initiatus, poemata edidit laſciviæ magis & feſtivitati accommodata, quàm preſſa & gravia. Surgit tamen nonnunquam: & dum jocatur, mordacitate non caret. Extant ejus Epigrammata referta ſalibus. Ad tria millia variorum verſuum ſcripſiſſe dicitur, quorum pars magna *Baſileæ* periit. Orationi ſolutæ reliqua vita ſe totum dedit, magnitudine rerum invitatus, delectatus eſt etiam mixto ſcribendi genere, & ad Philoſophandum aptiore. *Platin.* in vit. *Pii* II.

Vir fuit, ut doctiſſimus, ita amantiſſimus Poetarum; ſic tamen, ut poetas famelicos quandoque eluderet. Exemplo hoc fuerit Diſtichon:

Diſcite pro numeris numeros ſperare Poëtæ.
Mutare eſt animus carmina, non emere.

Sed *Philelphus* ait liberaliſſimum fuiſſe, atque in hunc ſcripſiſſe modum:

Diſcite pro numeris nummos ſperare Poetæ.
Mutare eſt animus Carmina muneribus.

Voſſ. de Mathemat. p. 413.

Ejus *Epiſtolæ familiares in quadruplici Vitæ Statu ad diverſos tranſmiſſæ*, numero 432.

Digitized by Google

ro 432. multâ eruditione & antiquitate refertæ, & eximio autoris præconio inſignitæ, (præ[illegible]ante ſcilicet *Nicolao de Uvile*, Lateran. Palatii conſiſtoriique Imperialis Comite Poëtam quoque *Laurentum Æneam Sylv.* dicit,) impreſſæ primò *Norimberg.* 1148. impenſis *Antonii Koburgeri.*

Sedulus rerum vetuſtate involutarum indagator audit *Hieron. Balb.* Epiſcop. *Gurzens* lib. de *Coronat. ad Carol.* Quint. p. 49. cujus Scriptis *Germani* tantum tribuant, quantum *Palladis* ſuffragio, juxta *Jo. Bapt. Egnat. clar. vir. Epiſt.* 59. *Bellarminus*, ac poſt illum *Moguntini* dicunt, multa eum audaciori prius calamo ſcripſiſſe, quæ Pontifex factus retractaverit. Sed refelluntur à *Crocio*, Tom. 1. vindic. *Anti-Becani* ſui, f. 470. ubi notabiles floſculos promit, ab ejus, cùm jam Pontifex eſſet, ore prolapſos; vagum Monachum, Diaboli mancipium eſſe; fideli animo theſaurum nullum anteponendum; ſacerdotibus magnâ ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri. Confer ejus iconem & elogium, apud *Boiſſard.* icon. illuſtr. Vir. P. 3. p. 11. ſeq. *Olear.* in Abac. PP.

* In Actis *Æneæ Sylvii* prohibentur ea, quæ ipſe in *Bullâ* Retractationis damnavit. *Index Romæ* impreſſus Anno 1681.

Varia ejus Opera variis temporibus atque locis excuſa ſunt.

Hiſtoria *Auſtriaca* ad Ann. Chriſt. 1458. pertingens MS. hactenus inedita ſervatur in Bibliotheca *Vindobonenſi*, unde ejus editionem pollicetur *Petrus Lambecius* in Catalogo propriorum Operum, p. 58.

Omnia ejus Opera edita ſunt *Baſileæ* ann. 1571. ex Officinâ *Henrici Petri.* Fol.

Extat ejus Reſponſio ad Orationem Oratorum *Galliæ* in *Conventu Mantuano*, apud *Dacher. Spicil.* Tom. 8. & Concil. Tom. XIII. p. 1775. confer. p. 1801. &c.

NICOLAUS PEROTTUS.

Sentinum *Umbriæ* oppidum, cui hodiè *Saxoferrato* nomen eſt, *Bartholo* Jureconſulto nobile, ſecundam à *Nicolao Perotto* claritatem accepit. Huic, cùm deeſſent opes, corporis vires municipali frugalitate, atque duritiâ conſtitutæ, perpetuis lucabrationum vigiliis minimè defuerunt. Juvenis in ludo pueros honeſtos docuit tanto concurſu, ut mox *Latinæ* linguæ rudimenta, utili compendio ad normam digeſta, ob idque facilè pueris perdiſcenda publicarit. Exinde *Romæ Græcas* literas pertinaci ſtudio conſectatus, fretuſque *Beſſarione* generoſo *Mecœnate*, adeò exactè, feliciterque profecit, ut ab eo *Polybius* graviſſimus Hiſtoriarum ſcriptor, latinitate donaretur. Non defuere tamen ex æmulis, qui ejus auctoris traductionem antiquiſſimam fuiſſe, furtoque ſurreptam exiſtimarint; quòd *Thucydidem*, *Diodorum*, *Plutarchum*, & *Appianum*, clariſſimo ingeniorum certamine converſos, unus *Polybius* egregiâ fide *Latinus*, æquabili, & prædulci *Romani* ſermonis puritate prorſus antecedat. Compoſuit quoque volumen Commentarii nomine in *Martialem Cornucopiæ*, uſurpato vetere *Græco* lemmate nuncupatum, perutile quidem, ac ob id fortaſſe ſempiternum: ſed auſtero pudore ſuppreſſit editionem, quòd humili, & parum pudico opere quæſita laus dignitati minimè reſponderet: partis enim opibus, Archiepiſcopatum *Sipontinum* Clar. An. D. MDCLX.

adſecutus, ſeipſo major, *Peruſiam Umbriamque* regebat. Exceſſit è vitâ ſenex apud *Sentinum*, in villâ viridariis & fontibus peramœnâ, quam à pingui otio *Fugiceram* appellavit *Paul. Jov.* in Elog.

Nicolaus Perottus, *Sipontinus* Præſul, homo fuit accurato ingenio, & lectione multâ exercitus: cum *Domitius Calderinus*, vir, ut in ea tempeſtate, doctus, & æmulatione doctrinæ, & morum diſſimilitudine, odium habebat: jurgiiſque & conviciis apud ſuos ſectatores plerunque inceſſebat, ſæpiuſque apud ſtudioſos in invidiam illum crimenque vocabat: & ut ſunt ferè ingenia, in explicandis *Auctoribus* ſi quid in controverſiam veniret, uterque potiùs, quo pacto diverſus ab altero diſſentiret, quàm quid verè lectionis eſſet, rimabatur. *Alexand.* ab *Alexan.* lib. 4. c. 21.

Nicolaus Perottus Saxoferratenſis, poſteà *Archiepiſcopus Sipuntinus*, *Polybii Interpres*, Literarum Latinarum, quas perdiu docuit, exquiſitè, ut illa erant tempora, fuit peritus, & cumprimis curioſus; quod ingens ille in *Martialem* Commentarius, ſub titulo *Cornucopiæ*, ab eo editus oſtendit. Erat prætereà in hoc viro non vulgaris induſtria in *Græcis* ita vertendis [quæ quidem intelligeret] ut nullum perſæpè *Græci Idiomatis* in *Latinâ* ejus Verſione veſtigium appareret: quam interdum eſſe opus ἀντιφωνῶς dicas, non alieni *Interpretationem*. Quòd ſi par fides reſponderit, inter excellentiſſimos *Interpretes* poterat ſine dubio *Perottus* recenſeri. Nemo enim illis temporibus *Italorum* erat, qui utique Græcè ſciret, quàm hic *Interpres*: pauci qui tantum, quantum ille. *Nos* verò affirmamus, *Perottum* à fidelis *Interpretis* laude tantum abeſſe, quantum qui longiſſimè. Nullo enim pacto ferendus aut excuſandus eſt hic *Interpres*, homo *Bellicarum rerum* & totius *Tacticæ* adeò rudis & imperitus, ut qui in cæteris partibus *Hiſtoriæ Polybianæ* multa neſciret, in deſcriptionibus *Præliorum* omnia ignoraret, omnia peccaret; atque eâdem operâ tanto *Scriptori*, quod erat ferè præcipuum ejus decus, adimeret. Omninò prælium nullum, facinus militare nullum, à *Polybio* fuerat paulò diligentiùs narratum, in quo graviſſima & momenti maximi peccata ab hoc *Interprete* non ſint admiſſa. *Iſaac. Caſaub.* de *Polyb. Interpret.*

Nicolaus Perottus, natus *Saxoferrati* [quæ & *Bartoli* J. C. patria fuit] Archiepiſcopus *Sipontinus*, vir *Græcis Latiniſque* literis pereruditus; ut de eo judicat *Leander*, & monumenta ejus teſtantur, claruit anno 1460. Diſertiſſimum virum nominat *Philelphus* Epiſtola ad *Albertum Zanzarium* anni 1453.----Quid verò in eo laudabile, quid culpandum ſit, optimè dicet *Caſaubonus* Præfatione ad Lectorem, quam *Polybio* ſuo de prioribus hiſtorici hujus interpretibus præmiſit. Inter alias culpas eſt, quòd ſæpè *Livium* exſcribens dicat, quæ *Polybius* non dicit. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Nicolaus Perottus diligentiſſimus *vocabulorum* perſcrutator: ſi quod undecunque incognitum audiſſet, neque dormitare, neque rerum aliquid gerere ſolebat, priuſquam id inveſtigâſſet. *Raph. Volaterran.* l. 21. Anthropol.

Nicolai Perotti Cornucopiam ſi vacet legere, non pœnitebit collocatæ in eo operæ. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. l. 3.

Perottus,

Digitized by Google

Perottus, qui ſine mentione *Auctorum* exſcribere ſolet aliena. *Martinius* in Lexico in voce *Sarcina*.

Extant *Cornucopiæ* ſive linguæ *Latinæ* Commentarii *Baſileæ* 1521.

RODOLPHUS AGRICOLA

Groninganus, ibique Syndicus, Rector *Heidelbergenſis*, claruit anno 1477. obiit anno 1486. Extant Opera ejus omnia 2. Tom. Col. 1539. fol. *Gal. Gadei*. Clar. An. D. MCDLXXVII.

Quis non te, *Rodulphe Agricola*, inuſitato, & planè portentoſo conſpirantium ſyderum concurſu natum eſſe fateretur, ſi vim cœleſtis tàm variè radiantis luminis, non ſecus ac in aſtris curſum certior diſciplina deprehenderet? Hauſiſti enim *Hebraicas Græcaſque* literas uſque adeo ſtupenda celeritate, ut nequaquam *Gruningiæ* in ultima *Friſiâ*, ſed *Hieroſolymis Atheniſque* natus ac educatus à doctiſſimis crederêre. *Latinas* porrò tanta felicitate didiciſti, docuiſtique, ut exacta puritas, ac illa nobilis ubertas *Romanæ* eloquentiæ, noſtro cum pudore in ſqualenti aſperoque Oceani littore quærenda videatur. Vivent profectò in admirantium manibus tua illa, quæ avidè leguntur in Dialecticis Rhetoricisque præcepta, & divini ingenii carmina, quibus vel illuſtribus Poetis numeros excuſiſti. Nos verò in magno vitæ tuæ deſiderio, aut numinum, certè ſiderum inconſtantiam indignanter uſquequaque mirabimur, quæ tantis cumulatum muneribus terris tantum oſtenderant, gravioſe quidem injuriâ humani generis, cum ille cœleſti aurâ fortaſſe dignior, in fœcundiſſimo fœcunditatis curſu raperetur. Defunctum *Heidelbergâ Germanæ* Urbe Gymnaſio clara, decuriones ſepulchri honore perornarunt. *Paul. Jov.* in Elog.

Vir in ſecularibus literis eruditiſſimus, & divinarum Scripturarum non ignarus, Philoſophus, Rhetor & Poeta omnium ſui temporis celeberrimus: *Græci* & *Latini* ſermonis peritus, & *Hebraicæ* linguæ non ignarus; ingenio excellens, ſermone diſertus; *Joannis Camerarii* de *Dalburg Wormacienſis* Epiſcopi viri æquè doctiſſimi quondam Præceptor. In Gymnaſio *Heidelbergenſi* docendo & ſcribendo principatum, facilè obtinuit inter omnes etiam cujuſcunque facultatis Doctores. *Trithem.*

Quem ego virum totius cum *Germaniæ*, tum *Italiæ* publico, ſummoque honore dignum omnino; illius, quæ genuerit, hujus, quæ literis optimis inſtituerit. Nihil enim unquam hôc *Ciſalpinus* Orbis produxit omnibus literariis dotibus abſolutius, abſit invidia dicto. Nulla erat honeſta diſciplina, in qua vir ille non poterat cum ſummis artificibus contendere. Inter *Græcos* græciſſimus, inter *Latinos* latiniſſimus. In carmine *Maronem* alterum dixiſſes: in Oratione *Politianum* quendam lepôre referebat, majeſtate ſuperabat. Oratio vel extemporalis adeò pura, adeò germana, ut non *Friſium* quendam, ſed Urbis *Romanæ* vernaculum loqui contenderes. Eloquentiæ tam abſolutæ parem adjunxerat eruditionem.

Philoſophiæ

Philoſophiæ Myſteria omnia penetraverat. Nulla pars muſices, quam non exactiſſimè calleret. Extremo vitæ tempore ad literas *Hebraicas* ac Scripturas divinas totum animum appulerat. Atque hæc conantem fatorum invidia virum terris eripuit, nondum annos natum XL. Vide *Eraſm.* Adag. *Quid Cani & Balneo.*

Vix & hâc noſtrâ, & Patrum Memoriâ fuit unus atque alter dignior, qui multùm legeretur, multúmque in manibus haberetur, quàm *Rodolphus Agricola Phryſius*, tantùm eſt in ejus operibus ingenii, artis, judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiæ, eruditionis: at is pauciſſimis noſcitur, vir non minus, qui ut ab hominibus cognoſceretur, dignus quàm *Politianus*, vel *Hermolaus Barbarus*, quos meâ quidem ſententiâ, & majeſtate & ſuavitate dictionis non æquat modò, ſed etiam vincit. *Lud. Viv.* Comment. in cap. 21. l. 2. de Civit. Dei.

Rodolphus Agricola in luminibus tenebroſi hujus ſeculi jure cenſendus. *Mornæus* in Myſter. Iniqu. p. 552.

Rodolphi Agricolæ ſcripta maximè omnium, qui ætate noſtrâ ſcripſerunt, mihi quidem probantur. *Petr. Bemb.* l. 6. Epiſt. ad *Eraſmum.*

Rudolphus Agricola Jacobo Bergomati in Chronicis vocatur *Rodolphus* à *Chroningen*, nempe quia in *Baſlon*, pago juxta Chroningam, principem Friſiæ Urbem, natus fuit: quod contigit circa annum 1442. Puer *Lovanii* in Gymnaſio *Falconenſi* Philoſophiæ operam dedit. Et cum Theologiæ rudimenta degustaſſet, in *Gallias* abiit, indeque in *Italiam*, ubi *Theodorum Gazam* audivit. Poſtquam domum rediit Syndicus factus eſt Reipublicæ *Groningana*, ob cujus negotia miſſus in aulam Cæſaris *Maximiliani*, ubi cùm ſemeſtri hæſiſſet, voti compos *Groningam* reverſus eſt. Exinde à variis, eoſque inter *Antverpienſibus* ad Scholæ præfecturam depoſcebatur. Sed prætulit profeſſionem *Heidelbergæ*, ubi Philoſophiam triennium docuit, ac *Græcas* literas totâ *Germaniâ* excitavit. Vir fuit *Latinè*, *Græcè*, & *Hebraicè* doctiſſimus, philoſophus ſummus, atque idem admodum diſertus, imò, & Muſicæ, Picturæ, aliarumque artium ſtudioſiſſimus. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Rodolphus Agricola Friſius, optimus Magiſter dicendi, imo fortaſſis illorum Princeps. *Scaligerana* Prima.

Petrus Montanus, Philoſophus *Platonicus*, & Poëta Satyricus de *Agricola* dicere ſolebat: *Agricolam* ſolum ex *Germanis* ſcriptoribus inſolenti *Græciæ*, aut procaci *Italiæ* objicere poſſumus. In oratione enim pedeſtri mihi effinxiſſe videtur ſonum *Lactantii*, lenitatem & rotunditatem *Plinii*, lumen *Senecæ*, *Tullianam* quoque redolet ubertatem, & acumen oſtentat *Quintiliani*, vehementiamque & obliquitatem *Cypriani* referre videtur.

Rodolphum agnoſco virum divini pectoris, eruditionis reconditæ, ſtylo minimè vulgari, ſolidum, nervoſum, elaboratum, compoſitum, ſed qui nonnihil ſapiat & *Quintilianum* in eloquendo, & *Iſocratem* in Orationis ſtructurâ, utcumque tamen ſublimior, *Quintiliano* etiam fuſior & dilucidior. Quod voluit, præſtitit; nec dubito, quin *Ciceronis* figuram potuiſſet effingere, ſi huc vertiſſet animi ſtudium. Et huic tamen ad ſummam laudem quum alia quædam

Digitized by Google

dam obſtitere, tum præcipuè regionis ac temporum infelicitas, quibus vix quicquam honoris habebatur literis politioribus, & nationis parum frugalis vita. In *Italia* ſummus eſſe poterat, niſi *Germaniam* prætuliſſet. *Eraſm.* in *Ciceron.* pag. 179.

Rodolphus Agricola primus omnium poſt beata *Græciæ Italiæ*que tempora eximium illum Logicæ facultatis uſum revocavit, ut Juventus à Poëtis & oratoribus diſceret non ſolùm purè loqui & ornatè dicere, ſed de propoſitis rebus acutè cogitare prudenterque judicare. Vide *Rami* Præfat. de conjungendâ Eloquentiâ cum Philoſophia.

Illuſtres quoque interpretandi arte viros *Belgium* tulit, *Rodolphum* in his *Agricolam*, in magnarum rerum ſcientiâ, ut temporibus illis exercitatiſſimum, & ex optimâ *Theodori Gazæ* diſciplinâ exortum: *Latinè* loquitur, ſummo nitore floret, ſed propter plenam & diffluentem orationem, verborum & indolis referendæ laude caruit. *Huet.* de Claris Interp.

Opera ejus omnia impreſſa ſunt *Coloniæ* apud *Gymnicum* Tom. 2. anno 1539. fol.

Extat de *Formando Studio* Epiſtola, ſcripta ann. 1484. *Heidelb.* 621. 8.

Obiit *Heidelbergæ* anno 1485. atque in habitu *Franciſcani* apud *Minoritas* ibidem, ut præceperat, ſepultus fuit. Epitaphium ei hoc condidit *Hermolaus Barbarus*,

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſii *ſpemque decuſque ſoli.*
Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia *quicquid habet.*

BARTHOLOMÆUS PLATINA.

Vel ut alii volunt, *Baptiſta Platina Veronenſis* Patria, humili loco, & obſcuris natus eſt parentibus: ſed qui propter eruditionem à doctis ſummo honore colebatur. Maximè poſtquam veniſſet *Romam*, à *Pio* II. Pont. Maximo ſingulari favore & benevolentia exceptus eſt, & *Sacerdotio* donatus, & multis muneribus locupletatus: Abbreviator enim Apoſtolicus factus eſt, ut erat homo multæ literaturæ, Rhetor, & Philoſophus acutiſſimus. Tandem in odium *Pauli* II. P. M. venit, quòd illius vitia non ex omni parte poſſe ferre, per calumniatores & invidos (qui peſtes ſunt ordinariæ omnium aularum) apud Pontificem redditus odioſus, ab eo primùm beneficio Eccleſiaſtico, boniſque omnibus ſpoliatus eſt: poſtea in carcerem conjectus, & equuleo adplicatus, infinitis tormentis uſque ad mortem cruciatus, & excarnificatus eſt. Clar. A. D. MCDLXXIV

 Extincto

Extincto tandem apoplexiâ poſt convivium *Paulo*, *Sixtus* IV. *Ligur* illi in *Pontificatum* ſucceſſit, Ann. Dom. 1470. Is *Platinam* vinculis liberavit, prioribuſque honoribus, & beneficiis reſtituit, & præter hæc Bibliothecæ *Vaticanæ* præfecit: in quâ adminiſtratione egregiam navavit operam, doctorumque hominum exterorum benevolentiam acquiſivit, omnes ad colloquia familiariſſimè, & humaniſſimè admittens, & ad lectionem librorum, quorum curam gerebat. *Boiſſard.* in Icon.

Scripta ejus ſunt: De Geſtis Romanorum Pontificum---De Naturis Rerum ---Epiſtolæ ad diverſos---De honeſta voluptate & valetudine libri decem---De falſo & vero bono Dialogi tres---Contra Amores Dialog. 1.---Dialogus de Verâ Nobilitate---De Optimo Cive Dialogi 2.---Panegyricum in laudem *Beſſarionis* Cardinalis Niceni---Ad *Paulum* II. P.M. de pace *Italiæ* componenda, atque de *Bello Turcis* indicendo, Oratio---Hiſtoria de Rebus Urbis *Mantuæ*.---De Arte Culinaria.

Platina, Apoſtolicos quondam *Abbreviator*, vir undecunque doctiſſimus, Philoſophus & Rhetor celeberrimus, ingenio ſubtilis & vehemens, eloquio dilertus & mulcens, animo conſtans & validus. *Trithem.*

Platinam ab eloquentiâ, & doctrinâ ſingulari commendat *Albert. Leander* in Deſcript. *Ital.*

Homo doctus & antiquitatum ſtudioſus. *Car. Stephan.*

Platina valde pronus ad notandas *Pontificum* maculas. *Genebrard.* Chronol. lib 4.

Etſi *Platina* turpiter & impudenter *Papis* adulatus ſit: tamen nimia ipſorum turpitudine ac malitiâ coactus aliquando, etiam ſubindicat *Babyloniæ Meretricis* nefanda ſcelera. In *Marcellino* queritur *Paparum* ſcelera eo excreviſſe, ut vix apud *Deum* miſericordiæ locum reliquerint: avaritiam, ſuperbiam, neglectum *Doctrinæ*, & Religionis ſimulationem, mores etiam in prophanis deteſtandos, propalam eſſe, ut inde laudem quærere videantur. In *Pontificibus* poſt milleſimum annum, ſubinde repetit, *Omnem pietatem & ſanctitatem à Papis ad Cæſares migraſſe. Illyric.* l. 19. Catal. Teſt. Verit.

Bartholomæus Platina (id enim prænomen ei indit *Volaterranus*; & argumentis ſatis liquidis probat doctiſſimus *Voſſius*, licèt à pleriſque aliis vocetur *Baptiſta*) de Vitis *Pontificum* uſque ad *Paulum* II. ſcripſit labore quidem ingenuo, & incorruptâ veritate, *Pontificii Principatûs* actiones in lucem proferens. *Whear.* Meth. leg. Hiſt. ſect. 41.

Inter cæteros qui *Pontificum* res geſtas memoriæ tradiderunt, facilè princeps eſt B. *Platina*, non ſolùm ob eruditionem reconditam, & longum rerum Eccleſiaſticarum uſum, ſed etiam ob amplitudinem & plenitudinem ipſius operis quod edidit. *Epiſt.* Dedicat. ad Hiſt. Platin. de Vit. Pontif.

Sacrati præſertim Ordinis, bonique morales primùm *Platinæ* manibus debent, quando ejus ingenuo labore, ad exoptatam obſcuri ſeculi, nec ideo perituram lucem, Pontificii principatus actionum incorrupta veritas nunciatur: quæ procul eloquentiæ illecebris, uti pura & incorrupta fidem præfert, & cæteris elabora-

Digitized by Google

elaboratis operibus auget dignitatem. *Paul. Jov.* in Elog.

Platina inprimis innotuit *Opere de vitis Pontificum* uſque ad *Paulum* II. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Summorum *Pontificum* vitas eleganter ſcripſit, eoque immortalem ſibi gloriam peperit. *Florid. Sabin.* in Apolog.

Platina vir fuit gravis & procul mendacio, eoque admiratione dignior, quòd jam provectâ ætate, ac poſito tyrocinio, quod totum militiæ priùs tradiderat, literas didicit. *Volaterran.* l. 21.

In *Hiſtoriâ* valiturus erat *Platina*, ſi nactus fuiſſet *argumentum* felicius. In *Optimo Cive* & *Panegyrico* nonnihil accedit ad *Ciceronis* imaginem, ſed tanto intervallo, ut hoc *cognomen* non promereatur eruditorum calculis; alioqui vir doctus, facundus, &, ni fallor, bonus. *Eraſm.* in *Ciceron.* p. 161.

Quædam verò de *Arte Culinariâ* ſcripſit *Platina*; quæ tanti viri autoritatem non mediocriter minuerunt: mirum eſt (inquit *Voſſius*) poſt *Pontificum* vitas de re *culinariâ* ſcribere voluiſſe. Quod feſtivè ridet *Actius Syncerus* hôc *Epigrammate*:

Ingenia & mores, vitaſque obituſque notaſſe
Pontificum, *arguta lex fuit hiſtoria*,
Tu tamen hinc lauta tractas pulmenta Culinæ:
Hoc, Platina, *eſt ipſos paſcere* Pontifices.

Extat *Opus de Vitis Pontificum* à Chriſto ad *Paulum* II. cum Annot. & Continuatione *Onuphrii Panvinii* uſque ad *Pium* V. & cum Continuatione *Cicarellæ* inde ad *Clem.* VIII. *Col.* 1600. in 4.

Prodierunt de *Falſo & vero Bono* Dialogi 3. Contra *Amores* Dialogus 1. De *Verâ Nobilitate* Dialogus 1. De *Optimo Cive* Dial. 1.

Panegyricus in Beſſarionem Patriarcham. *Lovanii* 1572.

Extant de ratione victûs & modo vivendi, ſeu de tuendâ Valetudine: item de Naturâ Rerum, & Arte coquendi ſive Popinæ Scientia lib. 10. *Baſil.* 1541. 4°.

Obiit *Romæ* peſte ſublatus anno *Dom.* 1481. ætatis 60. ſepultus eſt in Exquiliis in Templo S. *Mariæ Majoris*, cum hoc Epitaphio:

Quiſquis es (ſi pius) Platinam, *& ſuos ne vexes.*
Anguſtè jacent, & ſoli volunt eſſe Demetrii *alumni.*

JOANNES ANNIUS VITERBIENSIS.

Natione *Italus*, natus eſt anno 1437. Ordinis *Prædicatorum*; Theologiæ Profeſſor, & ſacri Palatii Magiſter fuit. *Romæ* obiit, ſedente *Alexandro* VI. anno 1492. *Scripſit* varia. Inter alia autem reliquit 17. Antiquitatum libros, in quibus ſunt *Fabius Pictor* de aureo ſeculo. *Myrſilus Lesbius* de *Tyrrhenis*, *Catonis Origines*, *Sempronius* de *Italiâ*, *Archilochus* de *Temporibus*, Clar. A. D. MCDLXXV.

Digitized by Google

Metaſthenes, Philo, Beroſus, Manetho: quæ omnia ſuis *Commentariis* illuſtravit.

Fuit homo egregiè non ſolùm *Latinis* literis, ſed etiam *Græcis, Hebrais, Arabicis*, & *Chaldæis* eruditus, prætereà totius *Antiquitatis* ſtudioſiſſimus Inveſtigator, ut *Scriptis* editis abundè eſt teſtatus. *Leand. Albert.* in *Italiâ.*

Ioannes Annius Viterbienſis, homo, ut illa tempora ferebant, & diligens & eruditus. *Auſon. Popma* in Not. ad *Catonis* ex *Origin.* fragmenta.

Ioannes Annius, Natione *Italus*, patriâ *Viterbienſis*, *Prædicatorum* Ordinis Profeſſor, Theologus eximius; hiſtoriarum omnium, quot ſunt, quotque fuerunt, exactiſſimi cognitione celeberrimus, Antiquarius præſtantiſſimus, & vetuſtiſſimarum rerum indagator & inventor admirabilis, cujus in *Beroſum Babylonium, Metaſthenem, Perſam, Manethonem Ægyptium*, alioſque multos antiquiſſimæ vetuſtatis *Hiſtoricos* accurati extant Commentarii *Sixt. Senenſ.* l. 4. Biblioth.

Libellus circumfertur *Beroſi Babylonii* titulo; ſed commentum eſt; quod indoctis & otioſis hominibus mirè allubeſcit: Cujuſmodi ſunt *Xenophontis Æquivoca*, tum *Archilochi, Catonis, Sempronii*, & *Fabii Pictoris* Fragmenta, quæ eodem ſunt libro ab *Annio Viterbienſi* conferruminata, commentiſque reddita magis ridicula: non quin inſint quædam in illis vera, nam alioqui frontem non haberet narratio; ſed ipſum Hiſtoriæ corpus Commentitium eſt, nec illius, cujus titulum mentitur. *Lud. Viv.* de Tradend. Diſcipl. lib. 5. pag. 624.

Iſtis *Originibus* quas pro *Catonianis* obtrudere nobis voluit *Annius Viterbienſis*, nihil profectò inficetius, *Catone*que indignius. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. p. 22.

Annius ille, homo quidem doctus, ſed totus penè ex mendaciis & fraudibus confutus. *Voſſius* de Art. *Grammat.* l. 1. c. 9.

Annius in Commentariis ſuis pleraque omnia impudentiſſimè confinxit. *Petr. Crinit.* de Honeſt. Diſcipl. l. 24. c. 12.

Hucuſque *Nauclerus*, penes quem fides eſto. Nam *Viterbienſis*, quem laudat, fidem non meretur apud me. *Ian. Druſ.* l. de *Henocho*, c. III.

Ut doctior videatur, mendacia ſua auctoritate priſcorum Auctorum firmare conatur. Proptereà commentus eſt *Myrſilos, Xenophontas de Æquivocis*, *Metaſthenes*, & alios neſcio quos, qui aut non fuerunt, aut ea non ſcripſerunt, quæ planus ille eos ſcripſiſſe mentitur. *Scalig.* Elench. Orat. Chronol. *Paræi.*

Quid igitur hic mentis erat *Baronio*? Sed hæc tolerabilia erant; modò ne ſerium & grave opus *Annalium* fabulis *Pſeudophilonis* è cloacâ *Annii Viterbienſis* conſpurcaret. Iſtud omninò ferri non debet, non poteſt. *Caſaub.* ad Annal. *Baron.* Exercit. III. Ann. II.

Joannes Annius Viterbienſis reliquit *Antiquitatum* libros viginti ſeptem, ſæpiùs recuſos, ſed nugis mendacibus plenos. Nam *Beroſus, Manetho* & alii Scriptores Veteres, quos ſe producere dicit, prorſus ſunt ſuppoſititii. Suis porrò nugis *Annius* in errorem traxit *Jo. Nauclerum, Ioannem Driedonem*, *Leandrum*, *Albertum, Valerium Anſelmum, Joannem Lucidum, Michaelem Medinam, Sixt. Senenſem*, & alios. *Aubert. Miræus* de Script. Eccleſ.

Annium Viterbienſem, improbiſſimum fabularum conſarcinatorem, appellat *Iſaac Caſaub.* in exercit. I. in Annal. *Baronii*.

Pr-

Prodiit Patrum ævo cum magno primùm multorum applauſu, ex *Annii Viterbienſis* Monachi Bibliothecâ *Beroſus Chaldæus*; qui ante omnes *Græcos* in patriæ rebus geſtis ſcribendis egregiam operam navavit: unde *Funccius* & alii *Chronologi* multa tanquam veriſſima tranſcripſerunt: ſed poſt propinquiorem oculatiorum inſpectionem ſtatim *Theſaurus Carbones*. Quicquid enim præter antiqua fragmenta *Beroſo* additum erat, id totum ipſius *Annii* putidiſſima & *Monaſticæ* impoſtura comperta, & ut hominis nequam impudens fraus ab omnibus doctis multis ſibilis exploſa eſt. *Rob. Baillius* in oper. hiſtoric. & Chronol.

Non tam miror *Italiam* producere potuiſſe tam impudentem Impoſtorem, qui ſub fictitio *Philonis* nomine infinita commenta *Orbi* auſus fuerit obtrudere, quàm repertos eſſe viros doctiſſimos qui ejuſmodi deliria patulis nimis auribus & credulis animis hauſerunt. Miſeret *Eraſmi* & *Salmeronis Annianas* nugas ex profeſſo ſectantium. Ibidem, l. 2. p. 57.

Erat quidem ad manum Libellus, quem *Beroſi* nomine vendunt Bibliopolæ: erant alia quædam *Joannis Annii*, quæ non dubito quin admiranda fuiſſent viſa, ſi attuliſſem; nempe portentoſa, & vel ſolo auditu horrenda. Sed ab illis prorſus abſtinui, ne de fæce, quod aiunt, viderer haurire, hoc eſt, ex libellis frivolis, & incertorum Autorum, quos ad ſtupefaciendos imperitos lectores Græcia luſit otioſa. Non quòd ſi *Beroſi* ſciiſſem eſſe, non eſſem perquam libenter uſus; ſed quòd mihi fœturam ſubolebant *Græci* hominis, ut etiam *Xenophontis Æquivoca*, & alia multa, quæ illorum non ſunt, quorum titulos præ ſe oſtentant. Quòd ſi quis illis delectatur, non procul ſint petenda, amet, & ſi uatur, ſine me duntaxat rivali. *Lud. Viv.* init. l. 18. de *Civ. Dei*, c. 1.

Hæc *Annii* ſententia de Poteſtate Collegii ſeniorum, tum ex Authore, tum ex ratione, non magnam meretur fidem. Nam is auctor multa ſolet fingere, neque benè audit apud ſapientes & probos rerum ſacrarum, & priſcæ Hiſtoriæ æſtimatores. *Ioan.* de *Pineda* l. 2. c. 1. de Reb. *Salomonis*.

Extant Libri 17. Antiquitatum *Pariſiis* 1512. in fol. *Antvverpiæ* apud *Stelſium* in 8. anno 1552. Apud *Commelinum* 1599. 8. *Witteberg*. ann. 1612. 8.

NICOLAUS LEONICENUS.

Natus *Vicentiæ Ital.* A.C. 1428. Orator, Philoſophus & Medicus eximius: Clar. A. D.
Medicinam amplius 60. per annos *Ferrariæ* publicè profeſſus: primuſque MCDLXXX
Græca Galeni Volumina Latinè interpretatus eſt, & Commentariis illuſtravit. Cum aliquando ex eo quæreretur, quonam arcano Medico uteretur, ut tanto cum corporis & animi vigore, etiam nullo ciborum habito delectu, ſenectutis vitia eluderet: vividum, inquit, ingenium perpetuâ vitæ innocentiâ, ſalubre verò corpus hilari frugalitatis præſidio facilè tuemur. Integris enim adhuc ſenſibus, memoria vegetâ, nec dum incurvâ conſpiciendus cervice obiit *Ferrariæ* A.C. 1524. ætatis ſuæ 96. *Jo. Ant. Vander Linden.* de Script. Medic.

Scripſit varia, hæc verò primum obtinent locum: In *Galeni* opera Commentarii---Notæ in *Dioſcoridem*------Opuſculum in quo omnibus ſalutem &

vitam reſtitui conciliarique poſſe docuit----De *Plinii* & plurium aliorum Medicorum, in Medicinâ erroribus----Epiſtolæ.

Nemo profitentium Medicorum, *Nicolao Leoniceno Vincentino* vera ſalutaris ſcientiæ dogmata puriùs atque nitidiùs explicavit. Nemo errores Sophiſtarum importuna garrulitate cuncta fœdantium eloquentiùs atque validiùs confutavit. Nemo eô demum ad illuſtrem certioris peritiæ fidem longiùs atque ſalubriùs vitam produxit. Primus enim *Græca Galeni* volumina *Latinè* interpretando ſtudioſis perdiſcenda demonſtravit, imperitorum latratibus, publicatis ſummâ eloquentiâ commentariis occurrerat, utpote qui ab ineunte ætate optimis literis deditus, ingentes opes capacis & maximè conſtantis ingenii, ad illuſtrandam medicinam contuliſſet. Cibi enim & vini maximè abſtinens, ſomnique minimi, præſertim verò *Veneris*, continentiſſimus, uſque adeò mollioris vitæ voluptates abdicavit, ut pecunias, luxuriæ inſtrumenta, nec agnita quidem monetæ nota contemneret; oblatum, & nullâ delectum curâ cibum caperet; nec unquam de fortunâ quereretur, quòd unam vir acutus ſtudiorum laudem reſpiceret; nec opportuna mediocris vitæ ſubſidia, benignitate *Ferrarienſium* principum *Herculis*, *Alfonſi*que filii, ſibi defutura proſpiceret. Eum hercle perfectum *Stoicum* putaſſes, niſi honeſto ori liberalis hilaritas affuiſſet. Edidit eruditum & perelegantem librum, qui *Romanus Medicus Antiſophiſta* inſcribitur, quum anteà de ordine trium doctrinarum, & de virtute formativâ perutiles libellos publicaſſet. *Dionis* quoque Hiſtoria, & *Luciani* Dialogi, vernaculâ loquentes linguâ, *Herculi Latinarum* Literarum imperito mirè placuerunt *Paul. Jov.* in Elog.

Leonicenus Medicus, vir ad æternitatem natus, quem ego ultimum *Heroum* & *aurei Seculi* reliquias appellabam. *Eraſm.* l. 20. Epiſt. 54.

Nicolaus Leonicenus vir *Græcè* ac *Latinè* ſcientiſſimus. *Rhodigin.* l. 15. Lect. Antiq. c. 18.

Vir hic *Græcè & Latinè* doctiſſimus, à barbarie illorum temporum purgare *artem Medicam* conatus eſt. *Quenſtedt.*

Leoniceni Epiſtolæ maximam ejus doctrinam præ ſe ferunt, & elegantiam, *Geſne.* in Biblioth.

De *Leoniceno* non niſi honorificè prædicare debemus, vel eo nomine, quòd primus Philoſophiam & Medicinam ipſam cum humanioribus literis conjunxit. Primus enim ille nos docuit, homines, qui ſine bonis literis medicinam tractant, eſſe ſimiles iis, qui in alieno foro litigant. Et mirum præterea accepi de viro. A pueritiâ, imò à cunabulis ipſis ad 30. annum morbo *Comitiali* adeò tentabatur, ut, cùm ad ſe redierat, pertæſus vitæ penè ſibi manus afferret. Sed poſt trigeſimum annum planè eo malo defunctus, omnibus membrorum ac ſenſuum officiis integer, nullâ morbi ſuſpicione ad 94. annum pervenit. Et, ſi benè memini, triduo, antequam decederet è vitâ, operam dederat lectioni. Felicem ſanè ſenectam, quæ prius portum apprehendit, quàm navigationis incommoda ſentiret. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 19.

Erat & *Leonicenus* meritò inter Poëtas collocandus; nam cum ſenex optimos verſus

Digitized by Google

verſus faceret, & interdum è *Græco* in *Latinum* transferret, tum in juvenili ſuâ ætate non modò meditatos argutè, & doctè compoſuit, ſed etiam, ut ſæpè mihi memorare ſolitus fuit, ex tempore, & impræmeditata carmina cecinit, *Lil. Gyrald.*

Leonicenus à Patre ſemper inprimis commendatus, & Medicorum ſui temporis facilè Princeps judicatus. *Scaligerana* prima, p. 97.

Oratione non valdè quidem ſplendidâ & excultâ, ſed perſpicuâ tamen, & ad *Græcum* exemplar affabrè compoſitâ uſus eſt *Nicolaus Leonicenus. Huet.* de Clar. Interpr.

Extat liber de *Plinii* & aliorum Medicorum erroribus de Herbis & Fruticibus, Animalibus, Metallis, Serpentibus, &c. *Baſil.* 1529. 4°.

Extat verſio aliquot Librorum *Galeni* & *Hippocratis*, & Quæſtio de 3. Doctrinis ordinariis ſecundum Sententiam *Galeni. Venetiis* 1523.

Hoc ejus Epitaphium à *Myrteo* confectum.

Cui neque ſat fuit, & terras evolvere, & undas,
Quaque arcana tenent flumina, terra, Mare:
Dum rerum cauſas latè veſtigat, & ægra
Morborum revocat corpora colluvie:
Nunc Leonicenus *tegitur parvo aggere Terræ:*
Cujus utramque volat fama per Heſperiam.

Paul. Iov. in Elog.

HERMOLAUS BARBARUS.

Ex illuſtri *Barbarorum* apud *Venetos* ortus eſt familiâ: cujus nobilitas excellenti doctrinâ, & rerum publicarum uſu æquata eſt. Exiſtimatus enim eſt ſui ſæculi eruditiſſimus, & eloquentiſſimus. Et hanc rerum ſcientiam ornabat corporis vegeti præſtantia, decor & vivacitas in vultu, mores politi, gratia in dictione, & ſuavis facilitas in converſatione, & ſocietate amicorum. Hæ tam inſignes animi corporiſque dotes illum gratum reddebant omnibus potiſſimum ſuis *Venetis*, quorum Rempublicam conſiliis, & prudentiâ plurimum juvit & promovit; primum ſemper locum inter ſuos apud Principem obtinens, qui ejus familiaritate, & conſuetudine familiari mirum in modum delectabatur. Hæ virtutes illum commendarunt *Alexandro* VI. *Borgiæ* P. M. à quo literis invitatus eſt ut *Romam* veniret, & Pontificis amicitiâ frueretur. Eò poſtquam veniſſet, præſentia tanti viri famam de eo ſparſam auxit: charus fuit Pontifici, charus toti Apoſtolico ſenatui, charus omnibus extitit: neque mirum: Gloria enim erat Nobilitatis Venetæ, & ſui ſæculi ſplendor. Ut igitur tantis animi dotibus, dignus tribueretur honos, *Alexander* illum creavit Patriarcham *Aquileienſem*, Clar. A. D. MCDLXXX

adpro-

adprobantibus hanc electionem omnibus Cardinalibus,& Eccleſiæ Præſulibus, apud quos aliquandiu magnâ cum laude, & admiratione verſatus erat. Sed non multò pòſt *Romæ*,contagio peſtis ſæviente,è vita ſublatus eſt,ad collem hortulorum quò ſeceſſerat: Sepultuſque ad portam *Flaminiam* (quæ eſt porta Populi) Ann. Dom. 1494. *Boiſſard.* in Icon.

Hermolaus Barbarus,Patricius *Venetus*, natus fuit anno 1454. 21. Maii. Obiit 12. Kal. Jun.ann.*Chr.*1493. ætatis ſuæ 9. Ab anno ætatis vigeſimo ſecundo ſcribere orſus fuit: cumque alia multa edidit, quæ doctorum manibus verſantur: tum etiam *Plinii Veronenſis* (non *Novocomenſis*,uti apud *Iovium* eſt) Hiſtoriam Naturalem accuratè caſtigavit. Idem Librum reliquit de Conſcribendâ Hiſtoriâ, quem dicavit M. *Antonio Sabellico*,Hiſtoriographo. Alia etiam inedita hactenus parabat, quæ cujuſmodi fuerint, cognoſcere eſt ex præfatione ejus Caſtigationum in *Melam*.Proprietatis vocabulorum in utrâque linguâ curioſus erat, moribus caſtiſſimis, adeoque à faſtu alienus,ut ſæpè, ſicubi dubitatio oborta eſſet, proximos, ac familiares conſuleret, atque adeo à quovis diſcere paratus eſſet: quemadmodum de eo *Volaterranus* teſtatur---Uti & illud *Volaterranus* in eo reprehendit,quòd *Plinium* caſtigandum ſuſceperit opus,ut ait,impar dignitati,& vitæ ſuæ inſtituto: Utinam ſic à multis ejus dignitatis,atque inſtituti, peccaretur. Et ſanè cogitare debuerat *Volaterranus*, jam antequam ad Epiſcopatum provectus eſſet,parata majori ex parte habuiſſe,quæ ad iſtud opus pertinerent. Neque propterea Epiſcopale munus,quod ſeu volens,ſeu invitus ſuſceperat, neglexit. Aliud ſanè inter cætera arguunt *Conciones* ejus, quæ *Patavii* Manuſcriptæ extant apud *Eremitas*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Hermolaus Barbarus amicus meus ſummus,perquam fuit literis homo ornatiſſimus, boniſque diſciplinis & ingenuis artibus excultus, ac præter ingenii amœnitatem, quæ plurima in homine fuit,doctrinâ quoque curioſâ & eleganti. *Alexander* ab *Alexand.* l.3. Genial. Deor. c. 1.

Vir omnium diſciplinarum peritiſſimus. *Nic.Leonicen.*in Epiſt.ad Angel.Politian. lib. 2. Epiſt. 6.

Homo, ut mihi quidem videtur,ex reliquiis aurei ſeculi. *Angel.Politian.*lib. 2. Epiſt. 9.

Erat omninò *Hermolai*,propter ejus ſummam in literarum, atque optimarum artium ſtudiis præſtantiam, magnum apud exteras nationes nomen, apud ſuos quidem certè maximum: nam ad doctrinæ ſingularem opinionem etiam vitæ perpetuam innocentiam adjunxerat----Omnium ex ſua civitate, qui ante illum nati eſſent,*Latinorum* & *Græcorum* literis planè doctiſſimus *Petr. Bemb.* l. 1. Hiſt. ejus *Veneta*.

Habuit noſtra hæc ætas bonarum literarum proceres duos, *Hermolaum Barbarum*, atque *Angelum Politianum*, *Deum* immortalem, quàm felici ingenio, quàm acri judicio, quantâ facundiâ, quantâ linguarum, quantâ diſciplinarum omnium ſcientiâ præditos! Hi *Latinam Linguam* jampridem ſqualentem,& multâ barbariei rubigine exeſam,ad priſtinum revocare nitorem conati ſunt, atque illis ſuus profectò conatus non infeliciter ceſſit, ſuntque illi de *Latinâ* Linguâ tam

Digitized by Google

tam benè meriti quàm qui ante eos optimè meriti fuere. Itaque immortalem ſibi gloriam, immortale decus paraverunt, manebitque ſemper in omnium eruditorum pectoribus conſecrata *Hermolai*, ac *Politiani* memoria, nullo ævo, nullo caſu nullo fato abolendar. *German. Brixius* in Epiſt. ad *Eraſmum*. Vide *Eraſm.* Epiſt. l. 4. Epiſt. 8.

Hermolaus Barbarus----Is vir erat, qui non ſolùm *Italiam* ſuam, verùm etiam omne ſæculum hoc noſtrum illuſtrarit; cujus tanta eſt apud omnes eruditos authoritas, ut impudentiſſimum ſit ab illo diſſentire: tam inſignis in reſtituendis literis utilitas, ut à literis omnibus alieniſſimus, aut certè ingratiſſimus habeatur, apud quem *Hermolai* memoria non ſit ſacroſancta. *Eraſm.* in Adagio. *Quid Cani cum Balneo?*

Barbariæ ſuo tempore Victor, ſolidam ſibi apud eruditos gloriam pepetit, & victurum omni ævo nomen. *Salmaſ.* Præfat. ad *Plinian.* exercitat.

Hermolaus, ille omnium Scientiarum alumnus, idem ac parens. *Iul. Scalig.* [illegible] *Arnold. Perronum.*

[illegible] in *Ciceroniano* eum vocat verè magnum, ac Divinum hominem, ſed [illegible]endo *Ciceroni* diſſimillimum, & ipſo, pene *Fabio*, *Plinio*que elabora[illegible], cujus eloquentiæ nonnihil offecerit Philoſophiæ ſtudium.

[illegible]*molaus Barbarus* de elegantiâ ſollicitus, non tantum verbis, & cha[illegible] quantum ſententiæ tribuit, & ſapori illi vernaculo & αὐτοφυεῖ, ut *Scriptores* ab eo converſi non Interpretis ſermone, ſed nativo loqui videantur. *Huet.* de Claris Interpret.

Ipſe ille *Themiſtius* ab *Hermolao Barbaro*, dum nimium ſtudet elegantiæ, [illegible] converſus eſt libertate, ut ſæpiſſimè longè aliud dicat, quàm ſenſerit *Themiſtius*. Ut omnino optandum ſit, edi tralationem veterem, quam apud *Germanos* alicubi deliteſcere aiunt. *Voſſ.* de Philoſoph. p. 8.

C[illegible] [*Hermolao Barbaro*] *Plinius* plus, quàm reliquis omnibus debet. [illegible] *Mareſ.* in Epiſt. p. 83.

[illegible] *Pliniana* verſioni multum detulit *Paul. Jovius.*

Hermolaus Barbarus, *Venetus* Senator optimus, vir, quod omnes fatentur, [illegible] literatiſſimus, eo ipſo tempore, quo aliquam ſtudiis ſuis quietem [illegible] adſecutum arbitrabatur; dum *Romæ* apud *Alexandrum* ſextum, Po[illegible]em Maximum, *Venetæ* nobilitatis nomine *Oratorem* agit; ſummiſque [illegible]iis intermortuam bonarum literarum, neque non & diſciplinarum glori[illegible] ſuſcitat; ob ſuſceptum, inconſulto Senatu ſuo, *Aquilegienſe* ſacerdotium exul factus, & de poſſeſſione ejectus vitam inopem aliquandiu traxit *Alexandri* Pontificis ſummi ſportulâ quodammodò ſuſtentatus; paucis verò poſt menſibus peſtilentiâ contactus; deſertus ab omnibus, infeliciſſimo mortis genere oppreſſus eſt; quique laudatione, & eloquentiâ ſuâ innumeros ætatis ſuæ homines illuſtraverat, & funere, & honore ſepulchri defraudatus eſt, ut ubi ſepultus, quóve hominis cadaver conjectum fuerit, ignoretur. *Jo. Pier. Valerian.* de Literatorum infelicitate.

Hoc ejus Epitaphium.

Barbariem Hermoleos Latio *qui depulit omnem,*
Barbarus *hic ſitus eſt. Utraque lingua gemit.*
Urbs Venetûm *vitam, mortem dedit inclyta* Roma :
Non potuit naſci clariùs , atque mori.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

Varia ejus Opera variis temporibus atque locis impreſſa ſunt.

Clar. A. D. MCDLXXX

HIERONYMUS SAVANAROLA.

ITalus, patriâ *Ferrarienſis*, Ordinis *Predicatorum*. *Florentia* laqueo ſuffocatus & crematus eſt Anno Dom. 1498. ætatis 46. ob zelum quo in corruptos Eccleſiæ mores invectus eſt. *Gul. Cave.*

Scripta hæc reliquit : Quadrageſimale lib. 1. ſuper Pſalmos & Prophetas. Compendium totius Philoſophiæ tam naturalis, quàm moralis. Opus de diviſione, ordine, & utilitate omnium Scientiarum. Triumphum Crucis : Commentarios in *Alcoranum*, quod omni ratione carere probat. Et Prophetiam, in quâ multa de hoc noſtro ſeculo, & Regnorum commotione prædixit. Expoſitionem Orationis Dominicæ. Idem *Italicè* ſcripſit Libellum contra Aſtrologiam Judiciariam, quem *Thomas Eraſtus* in Germanicam Linguam tranſtulit. Scripſit etiam Sermones varios.

Excellentis ingenii vir, multarumque ſcientiarum copiâ præditus ; Declamator fuit, Sermone quidem ſimplex & incomptus, ſed ſenſu acris, & actione vehemens. Sanctitatis verò opinione ita omnibus admirandus, ut *Florentinæ Urbis* populus [apud quem ſeptem annis in magnâ & aſſiduâ Auditorum frequentiâ *Conciones* habuit] exiſtimaret eum cum *Deo* loqui, & ab eo futurorum eventuum prophetiam accipere, & ob id nollet *Rempublicam*, & Communia totius *Civitatis* Imperia , niſi ejus nutu , adminiſtrari. Quæ cùm aliquibus Primariis *Civibus* non ſatis placerent; datâ operâ, ut Magiſtratus *Urbis* crearentur ex eorum numero, qui minimè eum ſequebantur, *Hieronymus* non ſine tumultu & ſanguine multorum captus, & in Carcerem conjectus, & ad mortem damnatus, paulo poſt *Sacerdotali* honore exauctoratus , medio foro *vivus* exuſtus eſt, cinereſque ejus, ne à ſuis, qui jam eos colligere cœperant, religioſè ſervati colerentur, in profluentem *Arnum* projecti ſunt. *Sixt. Senenſ.* l. 4. Bibl. Sanct.

Prædicator acerrimi ingenii, ſummæ doctrinæ & eruditionis. Vir auſteræ vitæ, & morum Sanctimoniâ omnibus admirandus: vehemens in reprehendendis vitiis, eloquentiſſimus in *Concionibus:* tantâ vi dicendi, & facundiâ pollebat, ut quò

quò vellet animos Auditorum perſuaſos flecteret. Ideo quoties ad Populum verba haberet è ſuggeſtu, tantus ad illum audiendum confluxus erat, ut ampliſſima templa multitudinem capere non poſſent. *Boiſſard.* in Icon.

Vir eruditione ac pietate inſignis. De Articulo gratuitæ *Juſtificationis* per *fidem* in *Chriſtum*, rectè ſenſit, ut apparet ex ejus *Commentariis* in Pſalmum 51. Humanas *Traditiones* elevavit. *Communionem* ſub *utraque ſpecie* defendit. *Indulgentias* damnavit. *Papæ*, *Cardinalium*, omniumque *Spiritualium* turpem ſceleratamque vitam, & officii neglectionem, graviſſime eſt accuſare ſolitus. Negavit quoque *Primatum Papæ*: *Claves* docuit Eccleſiæ *toti*, non *uni Petro* traditas. *Illyric.* in Catal. Teſt. Verit.

Hieronymus Savanarola, Concionator percelebris, pietate, ſanctimoniâ, doctrinâ adeo clarus, ut à pleriſque *Propheta* haberetur. *Mornæus* Hiſt. Papat.

Ioannes Picus Mirandulanus Comes Prophetam appellat, & adverſus *Papam Apologiâ* in eam rem expreſſâ tuetur.

Tribuit ei & *Marſilius Ficinus* in quadam Epiſtolâ *Propheticum Spiritum*, & alioqui eum magnificè celebrat.

Philippus Cominens Gallicus Hiſtoricus, qui cum eo locutus eſt, teſtatur eum fuiſſe virum ſanctum, planéque *Prophetici Spiritûs*: quippe qui multa ſibi prædixerit, quæ eventus comprobarit.

Moribus erat inculpatis, quantum quidem perſpici poterat; & docendo multos ad ſanitatem, vitæque emendationem perduxit. *Comineus* in vita *Car.* VIII.

Hieronymus Savanarola, vitæ puritate, & inſigni doctrinâ fulgens. *Spondan.* in continuat. *Baron.* ad Ann. 1492.

Hieronymus Savanarola, eloquio, pietate, & eruditione nulli ſui ſeculi ſecundus, atque ob has dotes cunctis gratiſſimus. *Hofman.*

Multa varii generis *Latinâ* Linguâ compoſuit; nonnulla quoque *Italico Idiomate*, tam proſâ quàm verſu. Ex omnibus autem quæ unquam cuderit *operibus*, præcipuum id certè fuit quod in probationem *Chriſtianæ Fidei* editum quatuor diſtinctum libris, *Triumphus Crucis* inſcribitur, atque cæteris præponendum, non tantùm ſtylo, qui certè cæteris eruditior eſt, ſed & ipſa, quam tractat, materiâ. *Jo. Franc. Pic. Mirand.* in vit. *Hieron. Savanarol.*

De ſimplicitate *Chriſtianæ* vitæ libri quinque digni qui ab omni *Chriſtiano* homine legantur: *Geſner.* in Biblioth.

In Pſalmum trigeſimum primum & quinquageſimum *Meditationes*, pridie antequam duceretur ad mortem, ſcripſit inter metuendos carceres horrores, & imminentis ſupplicii anguſtias *Latino* ſermone, vivis verbis, animatis ſententiis, & ſpiritûs fervore flagrantiſſimas. *Sixtus Senenſ.* l. 4. Bibl. Sanct.

* *Hieronymi Savanarolæ Ferrarienſis* Sermones, qui olim in *Romano Indice* prohibiti fuere non legantur, donec juxta Cenſuras Patrum Deputatorum emendati prodeant. Ejuſdem liber inſcriptus, *Dialogo* della *Verità* omninò prohibetur. Index *Romæ* impreſſus 1681.

Extat Triumphus Crucis, ſeu de veritate Fidei libri 4. *Lugd. Bat.* 1633. 8.

Extant de Simplicitate *Chriſtianæ* Vitæ libri 5. An. 1615. 8.

Extat Compendium Philoſophiæ Naturalis & Moralis *Witteberg*. 1596. 8°.

Extant Commentarii in Pſalmos 50. 70. 79. *Tubing*. 1621. in 12.

Extat expoſitio in *Orationem Dominicam* unà cum Meditationibus ejus in Pſal. 50. 70. 79. *Lugd. Bat.* 1633. in 12.

Hoc ejus Epitaphium:

Dum fera flamma tuos Hieronyme *paſcitur artus,*
Religio ſanctas dilaniata comas
Flevit, & ô, dixit, crudeles parcite flammæ;
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

MARSILIUS FICINUS.

Clar. An. D. MCDLXXX.

Patriâ *Florentinus*, natus anno 1433. Philoſophiæ *Platonicæ* ſuâ ætate inſtaurator, plurimis Tractatibus tum Theologicis tum Philoſophicis publicam in lucem editis, verſiſque è *Græcâ* Dialecto *Platone*, aliiſque Philoſophis, nomen ſuum poſteritati commendavit. Obiit anno 1499. in patriâ. *Phil. Labbe.* de Script. Eccleſ.

Extant opera ejus omnia fol. *Pariſiis* 1641.

Marſilius Ficinus patriâ *Florentinus*, *Platonicæ* doctrinæ ſummus admirator, & cultor, *Græcæ* & *Latinæ* Linguæ peritiſſimus: homo ingenii acuti, & vigilantis; unicè adamatus à *Coſmo Florentinorum* Principe, propter exquiſitam ſcientiarum omnium, quâ pollebat, cognitionem. Fuerat enim *Marſilius* cum *Angelo Politiano* bonarum literarum ſtudiis excultus, operâ & ſumptu *Laurentii Medices*, qui & ipſe doctus, doctorum omnium *Mecænas* vocatus eſt, tantique autoritate, moderatione, & prudentiâ Rempublicam *Florentinorum* rexit, ut *Pater Patriæ* dici jure mereretur. Poſt cujus mortem, non minore apud *Coſmum* gratiâ valuit, & ab eo divitiis, & honoribus ditatus, otio literario vacans, Principis bene meriti ſuaſu, *Latinos* fecit *Iamblicum*, *Syneſium*, & *Pſellum*, *Platonicos* autores, ipſumque totum *Platonem*. Scripſit & alia inſignia Opuſcula, quæ à doctis cum ſingulari delectatione, & fructu leguntur. *Boiſſard.* in Icon.

Vir in ſecularibus literis eruditiſſimus, & divinarum Scripturarum non ignarus, Philoſophus & Rhetor celeberrimus, utrâque linguâ peritiſſimus; *Platonicæ* Theologiæ unicum decus, Ornamentum & Corona. Scripſit ornato ſermone multa præclara Opuſcula, quibus excellentis ingenii ſui venam poſteris oſtendit. *Trithem.*

Naturæ rerum peritiſſimus. *Tiraq.* de L L. connub. gl. 1. p. 15.

Omnium Academicorum peritiſſimus. *Bodin.* 4. de Rep. 2.

Homo ſummi ingenii & inexhauſti laboris. *Daſſiliand.* in Deſcript. Urb. Ital. pag. 49.

Vir

Digitized by Google

Vir divinus & ſapientiſſimus, quem ſapientiæ & integritatis decus rectiſſimè appellaverim. *Levin.* 1. Conſil. 5. n. 83.

Vir fuit peritus non vulgariter, tum ſacræ Theologiæ, tum etiam *Platonicæ* Philoſophiæ. *Bellarm.* de Scriptor. Ecclef.

Unus *Latinorum Marſilius Ficinus* divinæ Philoſophiæ amore incenſus transferendi *Platonis* negotium ſuſcepit, atque perfecit, uſque adeò feſtinatâ felicis ingenii fœcunditate, ut plerique in puſillo ejus corpore, quod vix ſemihominem æquaret, tantam vim inuſitati ſpiritûs, & tantas utriuſque linguæ facultates vigere mirarentur. *Paul. Jov.* in Elog. Doct. Viror.

Eo ſaltem facto meritus: ut qui tot clarorum virorum memoriam in occulto latere paſſus non eſt, ipſe quoque oblivioni minimè ſit tradendus. *Melch. Adamus* in ejus Vitâ.

Cujus longè felicior quàm *Thracenſis Orphei* Cithara, veram (ni fallor) *Euridicen*, hoc eſt ampliciſſimi judicii *Platonicam Sapientiam*, revocavit ab inferis. *Angel. Politian.* Miſcel. Centur. 1. c. 100.

Anno 1490. longè latéque diffundebatur nomen *Marſilii Ficini*: qui Apologiâ ſuâ comprobat, Aſtrologiam, & Medicinam, ad Sacerdotes pertinere. Etiam tres libros fecit de vitâ: in quibus ex Aſtrologiâ divinatrice multa admiſcuit ſuperſtitioſa. Lecto tamen Opere *Pici Mirandulani* adverſus Aſtrologos, vanitatem ejus ſcientiæ dicitur deprehendiſſe, ac rejeciſſe. Magnus omninò vir erat; præſertim in Philoſophiâ *Platonicâ*. Quare miror, ſummum itidem virum, *Ludovicum Vivem*, cùm locutus eſſet de Epiſtolis *Angeli Politiani, Hermolai Barbari*, atque aliorum, ſubjungere deinde: *Admiſcuit ſe his Philoſophaſter Marſilius Ficinus, ut oloribus gravia, atque Epiſtolas compoſuit, ut de Platonicis Quæſtionibus diſputaret, dictione invenuſtâ & moleſtâ. Voſſ.* de Mathemat. c. 35. ſect. 47.

Marſilium Ficinum religioſum & fidelem interpretem dicit *Nannius*, ſummâque curâ verbis inſtituiſſe, ſententiam quoque reddidiſſe, in indole verò defeciſſe: Nos aliter judicamus; nam verborum curam negligit *Ficinus*, ſententias dilatat nonnunquam, vel contrahit; id quod alibi ſæpè, maximè verò in *Triſmegiſti* Interpretatione deprehendas. *Huet.* de Clar. Interpr.

Marſilius Ficinus Platonis Interpres, *Serrano* quidem fidelior & purior eſt: Sed quanquam à *Platonis* mente diſcedat rariſſimè, ita tamen vertit, ut *Platonem* eſſe non judices. Vides quid *Plato* dicere voluerit, ſed quomodo dixerit, non habes: deeſt Affectuum vis, lepos, venuſtas, elegantia, argutiæ, acrimonia, dignitas, quæ apprimè in *Axiocho* vertendo obſervavit *Rodolph. Agricola. Claud. Verder.* in Auct. Cenſione.

Leonardus Leſſius eum inter *Magos* retulit.

Ejus Opera ſatis evincunt Virum illum laborioſum ad compoſitionem non minus idoneum fuiſſe quàm ad verſionem, nec propriis bonis minus opulentum quàm Antiquitatis ſpoliis. Quando ſtudii contentio ad animi relaxationem aliquam quærendam illum adigebat, ejus oblectamentum erat cum honeſto & jucundo ſodalitio dulce vinum compotare. Tam brevis erat corporis

ejus ſtatura ut ad viros ſolitæ magnitudinis lumbos vix pertingeret; ſed magnus erat illi animus & conſtans; ad lætitiam quàm ad mœrorem propenſior. Sollicitè vitabat quicquid valetudini ſuæ noxium eſſe poterat; Imò regiminis hujus aliis præcepta tradere voluit, libro ſuo *de Triplici Vita*: Septuageſimum tamen annum non exceſſit, Febrique anno 1499. abreptus eſt, in ſua *Caregiana* villa, quo tempore Ludovicus XII. *Galliarum* Rex, Alpes, cum potenti exercitu ſupergreſſus bellum atque terrorem in Italiam inferebat. *Iſ. Bullart.* in Acad. Scientiarum.

Hoc ejus Epitaphium, *Angelo Politiano* Auctore:

Mores, Ingenium, Muſas, Sophiamque ſupremam,
Vis uno dicam nomine? Marſilius.

JOANNES ANDREAS LASCARIS.

Clar. A. D. MCDLXXX.

VIr *Græcus*, *Ryndacenus*, Patriâ pulſus, in *Italiam* ſe contulit, à *Laurentio*que *Medico* liberaliter exceptus eſt. Nonagenarius ferè articulari morbo periit circiter annum 1515. In *Polybio* quædam *Latinè* tranſtulit. Circumferuntur etiam ejus carmina *Græca*.

Laſcaris morum comitate generis nobilitatem præ ſe fert, acri judicio vir, multæ in Epigrammatibus argutiæ: poterat inter *Ciceroniani* cognominis candidatos referri, niſi crebræ legationes & Regum negotia revocaſſent hominem à *Muſis*. *Eraſm.* in *Ciceroniano* p. 159.

Ianum autem *Laſcarim* in converſo *Polybii*, exiguo quidem, at totius operis longè difficillimo fragmento ſæpenumerò demirari ſoleo, ut eorum quæ de eximiâ ipſius lucubratione in *Polybio* noſtro præfati ſumus, minimè nos adhuc pigeat. Quòd ſi hoc non ſpreviſſet *Interpretandi* munus, & excuſſo *Veterno*, quo penè ſepultus vixit, plura ingenii ſui monumenta reliquiſſet, meliùs quippe nomini ſui, & poſterorum utilitati conſuluiſſet; at quantum conceſſit otio ſuo, tantum ex gloria diminuit. *Huet.* de Claris Interp.

Ianum Laſcarim, hominem ἀλλόφυλον [alienigenam] difficillimam partem ſcriptionis *Polybianæ*, facere *Latinam* eſſe auſum, illis præſertim temporibus, magnum fuit; multumque veræ laudis eâ, quamvis brevi Opellâ, præſtantiſſimus ille vir, me judice, meruit. Qui ſi in nonnullis parum videtur caviſſe; non tam eo nomine reprehendendus; homo enim erat; quàm admirandus quòd in pleriſque κατώρθωσε [rem bene geſſit:] *Græcus* enim erat. *Iſaac. Caſaub.* Præfat. de prioribus *Polyb.* Interpr. affixâ *Polyb.* p. 80.

Etſi *Ianus Laſcaris* homo *Græcus* aptè & doctè pleraque jam verterat: tamen reverâ alibi aliter, & quod caput eſt, non ſemper preſsâ & adſtrictè. *Lipſ.* de Milit. Rom. l. 1. Dial. 2.

Non

Digitized by Google

Non aſpernanda ſunt carmina *Ioannis Laſcaris,* ſed quæ tamen non augeant viri nomen. *Voſſ.* de Poët. Græc.

Hic ergo *Laſchares* non ſolùm *Græcè* & *Latinè* doctus, ſed & Regum, ac Principum agendis tractandiſque negotiis fuit idoneus, & niſi *Virgilium* Epigrammate proſcidiſſet, ut artis ignarum, hic cum alio quocunque *Græcè* nationis Poëtâ fuiſſet conferendus. *Lil. Gyrald.* de Poët noſtror. Temporum, Dial. 1.

Valebat *Latinâ* facundiâ, ita ut verſus qui extant perſcriberet; ſed adeò contumaci ſterilitate deſidioſus erat, ut in vertendo *Græca*, vix *Polybii Caſtrametationem* efflagitantibus amicis expreſſerit, quòd id ſtudium recto an maligno judicio, incertum, penitus damnaret. Verùm egregiâ cum laude præſtitit, ut *Latini* haberent emendatiora, quæ minore ipſorum labore verterentur. *Paul. Iov.*

Dominus *Bullart* dicit Doctum hunc virum verſionibus operam navare non fuiſſe delectatum, quamvis *Latini* æquè ac *Græci* ſermonis callentiſſimus eſſet, imo illum hoc ſtudii genus, opinione quadam ſibi peculiari, damnaſſe. Sed defectum hunc penſavit, inquit, ingentibus ſuis laboribus in *Græcis* Authoribus emendandis, & *Latinis* eorum copiam faciendo in *Originali* ſua pulchritudine genuinoque ſuo ſenſu. *Iſ. Bullart*, in Acad. Scientiarum, lib. 4. p. 283.

Hoc ejus Epitaphium, Autore *Angelo Colotio*:

Dilectus Muſis, *& rebus natus agendis,*
Quem gravida Imperiis protulit alta domus;
Tot freta dum curris, totque invia regna pererras,
Auſoniâ *tandem*, Laſcaris, *urbe jaces.*
Sed ſitus in Patriâ *es*, Graio *licèt* Orbe *remotus.*
Virtuti *nulla eſt Terra* aliena *Tua.*

JULIUS POMPONIUS LÆTUS.

Aliàs PETRUS CALABER dictus,

ITalus, extra legitimum torum procreatus, *Amygdalariam* natalem habuit. Religionis *Paganæ* admirator, *Christianæ* contemptor fuit. *Romæ* tanto concurſu docuit, ut, cùm ante auroram docere inciperet, à mediâ nocte in auditorium, ad præoccupanda ſubſellia, concurrerent. Septuagenarius obiit ſub *Alexandro* VI. Pontifice. D. Clar. An. MCDLXXX.

Scripſit librum de *Mahomete*—Compendium *Hiſtoriæ Romanæ*—De Magiſtratibus *Romanis*—De Arte Grammaticâ—Epiſtolas varias.

Sanè puræ erat dictionis amator, & *Hiſtoriæ Veteris* ſcrutator diligens. Idem erat linguæ *Græcæ* planè ignarus. *Antiquitates Urbis Romæ* memoriæ tantùm

causâ

cauſâ conſcribi laſſe videtur; non, ut publici eas juris faceret. Nec enim ea eſt dictionis puritas, quæ in aliis ejus ſcriptis elucet : uſque adeò ut B. *Rhenanus* penè arbitretur *alterius* eſſe *Auctoris*. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Pomponius Lætus Præceptor noſter, omnium, qui noſtrâ ætate fuere, omnis *Vetuſtatis* peritiſſimus. M. *Anton.* *Sabellic.* Schol. in *Suetonii Vitell.* cap. 1.

Pomponius, vir, ut in eâ ætate, veterum literarum impensè doctus. *Alex. ab Alexand.* lib. 3. Genial. Dier. c. 11.

Pomponius Lætus, vir Antiquitatis & literarum & bonarum conſultiſſimus. *Angel. Politian Miſcellan.* c. 73.

Pomponius Lætus, & literarum, & antiquitatis, ut ſcitis, benè peritus. *Gyral.* de Antiq. Poët. Dial. 4.

Pomponius Lætus exiguæ eruditionis. Tota illa ejus celebris diligentia circa verba, & Hiſtorias aliquot, tum ſaxa eruta, & monumenta diruta conſumpta eſt. *Lud. Viv. de* Trad. Diſcipl.

Pomponius Lætus, *Romanæ* puritatis adeo ſtudioſus, ut nec *Græcè* quidem ſcire voluerit, ne quid alienum ſonaret aut admiſceret linguæ illi. Ita & verba habet electa, & dictionem ſatis caſtigatam. *Lud. Viv.* lib. extremo de Conſcribend. Epiſt.

Pomponius Lætus, quamvis *Græcas* literas ignoraſſe dicatur, *Latinè* tamen egregiè doctus fuit, in ſcribendo infra neminem *recentiorum* purus candiduſque. *Franc. Florid. Sabin.* in Apolog.

Plurimum noſtrâ memoriâ illuſtratum eſt *Pomponii Læti* ortu, doctiſſimi viri, diligentiſſimique totius Antiquitatis & Inveſtigatoris & Inſtauratoris, uti Scriptorum ejus monumenta teſtantur, præcipuéque *Cæſares*. *Leand. Albert.* in *Italiâ*.

In hiſce *Cæſaribus* legas, quæ apud *Hiſtoricos* non reperias. Ea verè hauſit magnam partem ex *Panegyricis* veteribus *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Non pauca ejus *Scripta* ſuperſunt magnam *Hiſtoriæ Romanæ* totique *Antiquitati* lucem ferentia. *Jo. Matth. Toſcan.* in *Ital.* peplo. c. 38.

Pomponius Lætus, vir ſummâ eruditione; atque dicendi elegantiâ clarus. M. *Ant. Majorag.* Orat. X. quam de mutat. ſui nominis habuit.

Vir ille (*Pomponius Lætus*) caſtum magis, quam phaleratum & tumidum ſermonem ſemper amavit. *Romanam* vetuſtatem nemo unquàm diligentiùs obſervavit, & veneratus eſt. *Beat. Rhenan.* in lit. ad *Theod. Greſmundum*, quas *Pompon. Læti* Antiq. præmiſit.

In ſuggeſtu ſummam laudem promeruit: quod eo magis mirum videtur, quum in familiari ſermone hæſitante linguâ balbutire ſolitus eſſet, nec orantem demum aut clarâ voce *lectitantem*, ulla omnino *oris* titubantia deformaret. *Paul. Jov.* in Elog.

Pomponius Lætus elegantia *Romani* ſermonis contentus, nihil affectavit ultra. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 161.

Septuagenarius exceſſit è vitâ, quum gelidiſſimo vini potu ventriculi calorem oppreſſiſſet.

Digitized by Google

oppreſſiſſet. Elatus eſt auditorum inſignium piis humeris, honeſtante funus familiâ purpuratâ *Alexandri* Pontificis, & laudante *Marſo* Oratore. Quum variis autem elegiis tumulus ornaretur, hoc Epigramma *Pontani*, conſenſu publico, locum obtinuit.

> Pomponi, *tibi pro tumulo ſit laurea Sylva*:
> *Oſſa, Maris rores, myrteaque umbra tegant*:
> *Teque tegant, artuſque tuos, violæque roſæque*,
> *Ver habeat*, Zephyros *ſpiret*, *& ipſe cinis.*
> *Stillet & ipſe cinis, quas &* Parnaſſus, *& Antra*
> Theſpia, *& ipſa ſuas* Aſcra *miniſtret aquas.*

Paul. Jov. in Elog.

Hoc aliud Epitaphium, *Domitio Palladio*:

> *Hic jacet exiguâ* Lætus Pomponius *Urnâ*,
> *Cujus honor meritò pulſat utrumque Polum.*
> Lætus *erat* Romæ *vatis ſublimis, & idem*
> *Rhetor, nunc campis lætior* Elyſiis.

Prodiit *Julii Pomponii Læti* de Urbis *Romæ* Antiquitatibus libellus, *Tito Livio* ſubjunctus. *Francofurti* ad *Mœnum*, 1628. in fol.

Prodiit ejus Compendium *Hiſtoriæ Romanæ*, in quo de *Cæſaribus* agit, *Venetiis* 1499. in 4°. Tom. 2. Hiſtoriæ *Romanæ* Scriptorum, quos *Fridericus Sylburgius* edidit, *Francofurti* ad *Mœnum* 1588. in fol.

JOANNES PICUS.

Mirandulæ Dominus, & *Concordiæ* Comes ac Princeps, ingeniorum ſui ſæculi *Phœnix* meritò ab eruditis nuncupatus, natus anno 1463. obiit magno omnium mœrore *Florentiæ*, die XV. Kalend. Decembris anni 1494. quo die *Carolus* VIII. *Francorum* Rex eandem urbem ingreſſus eſt. Ætas ejus 32. duntaxat annorum fuit *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Claruit A. D. MCDLXXXIV.

Scripta ejus hæc ſunt: Heptaplus de opere ſex dierum Geneſeos — Nongentæ Concluſiones Philoſophicæ — Apologia — Tractatus de Ente & Uno — Oratio de Hominis dignitate — De Chriſti regno, & vanitate hujus Mundi — Commentaria in Pſalmum 15. — De Phantaſiâ liber — De Vanitate Aſtrologiæ, & de divinationibus quæ per eam fiunt — Regulæ *Chriſtianæ* Vitæ perutiles — In *Convivium Platonis* libri tres. Elegiæ — Epiſtolæ variæ — Explicatio Orationis *Dominicæ*.

Vir fuit omnibus corporis animique dotibus excultiſſimus: Princeps formoſus, comis, facetus, morumque integritate & gratiâ omnes ad amicitiam,

Rrr & ſui

& ſui admirationem pelliciens. Doctrinæ enim erat admirandæ, & eloquentiæ facundiæque primariæ: in diſputationibus ſubtili ingenio, & perſpicaciſſimæ prudentiæ. Exactè tenebat linguas *Græcam, Latinam, Hebræam, Chaldaicam* & *Arabicam*. Utque erat excelſi ſpiritûs, ingenioque ad maxima quæque evecto, ardore juvenili impulſus *Romam* venit, ubi Concluſiones nongentas, in omni ſcientiarum genere diſputandas propoſuit; quarum quingentæ ſunt in Philoſophia *Veterum*, Mathematicâ, Cabbalâ & Magiâ. In quibus invictum ſe, & admirabilem omnibus præſtitit, cùm omnibus tanto ingenii acumine, tantâ facundiâ, tantâ gratiâ reſponderit, ut de omnibus triumphum retulerit. *Boiſſard.* in Icon.

Vir ingenii penè prodigioſi, & in omnium artium, ſcientiarum & linguarum varietate uſque ad miraculum exculti, ſcripſit admodum juvenis, & vix tertium ac vigeſimum annum attingens ad *Laurentium Medicem* in primum *Geneſeos* caput brevem, ſed admirandæ audaciæ, & ſupra adoleſcentiæ vires, *Latinum Commentarium*, *Heptapli* titulo prænotatum — Cæterùm de hoc opere varia ſunt doctorum hominum judicia. Quidam ut eruditum & ſublime admirantur; quidam contemnunt, ut juvenilis audaciæ oſtentamentum, extrinſecus tumidum, intus verò prorſus inane. Memini me proximis annis, cùm *Romæ* eſſem, familiariter interrogaſſe præſtantiſſimum virum *Aloyſium Lippomanum*, *Veronenſem* Epiſcopum, cur inter tot nobiles autores, à ſe Catenæ ſuæ inſertos, *Joannis Pici* egregii viri nullam feciſſet mentionem. Tum ille ad me converſus ſummâ cum vultus ac verborum aſſeveratione inquit: Cùm Catenam explanationum in *Geneſim* contexerem, eos elegi Scriptores, qui mihi viderentur *Moſis* verba & cogitationes expoſitionibus ſuis explicare. Proinde, cùm animadvertiſſem *Picum* in hoc unum tantùm incumbere, ut *Platonicas* cogitationes, vel ſuas potius Phantaſias verbis ac dictis *Moſaicis* exprimeret, nihil me ejus operâ indigere exiſtimavi. *Sixt. Senenſ.* Bibl. Sanct. l. 4.

Phœnix ſæculi ſui, illuſtris vir *Picus Mirandulanus*, delitiæ *Muſarum*, atque *Alumnus* Philoſophiæ. *Scalig.* Comment. in l. 3. *Manil.*

Vir planè portentoſi ingenii, & pro ætate eruditionis laude nulli ſecundus. *Gul. Cave.*

Joannes Picus Mirandulanus, Comes, verè mirandus, ſeu profundam doctrinam, ſeu raram pietatem ſpectes. *Phil. Morn.* in Hiſt. Papat. p. 554.

Anno 1490. magni nominis famâ per *Europam* omnem volitabat *Joannes Picus Mirandulanus*; Doctorum nobiliſſimus, Nobilium doctiſſimus, ac cùm *Picus* diceretur, verè ſæculi ſui *Phœnix* fuit. *Voſſius* de Mathem. c. 63. Sect. 24.

Joannes Picus Mirandula Comes, vir ingenio & doctrina (pro ætate) maximus, vixit annos ſolùm triginta tres: Quid ſi hoc ingenium aliis triginta annis excoli potuiſſet? omninò enim nihil ei defuit niſi maturitas. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Princeps hic nobiliſſimus *Joannes Picus Mirandula*, vir unus, an heros potius omnibus fortunæ, corporis animique dotibus cumulatiſſimus utpote formâ penè divinâ juvenis, & eminenti corporis majeſtate perſpicaciſſimo ingenio, memoriâ

Digitized by Google

memoriâ ſingulari, ſtudio infatigabili, tum luculentâ uberique facundiâ: dubium verò judicio mirabilior, an moribus. Idem totius Philoſophiæ conſultiſſimus, etiamque variâ linguarum literatura & omnibus honeſtis artibus ſupra veri fidem munitus, atque inſtructus: Denique ut ſemel complectar, nullo non præconio major. *Angel. Politian.* centur. 1. Miſcell. c. 100.

Politiano gravior *Joannes Picus*, & ſatis caſtigatus, niſi quo loco altercatur cum Theologis *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 3.

Indoles *Joannis Pici Mirandulæ* Comitis planè divina, ingenium ad omnia factum; ſed hujus quoque dictionem nonnihil vitiavit linguarum ac Philoſophiæ atque etiam Theologiæ cura. *Eraſm.* in Ciceron. p. 158.

Joannes Picus Mirandula meritò cognomine *Phœnix* appellatus eſt; quòd in eum, *Dii ſuperi*, ſupra familiæ claritatem, omnis corporis, ac animi vel rariſſima dona contulerint. Mira enim altitudine ſublimis ingenii, decorâ facie, lectiſſimiſque moribus, & incomparabili quum diſputaret, aut ſcriberet, facundiâ, omnes ejus ſeculi ſapientes in admirationem ſui facilè convertit. Graviſſimo autem opere, nec dum abſoluto, tanta eruditione, atque vehementiâ Aſtrologos totius divinationis vanitate confutatâ perſecutus eſt, ut ſubtilium diſciplinarum profeſſores à ſcribendo deterruiſſe videatur. In *Heptaplo* autem, dum ſacratum literarum myſteria divino ore nobis recludit, & in *Apologetico* graviſſimus diſciplinarum omnium rationibus propoſita ad diſputandum, ingenii ſui decreta defendit, ſeipſum doctrinæ, atque memoriæ felicitate ſupergreſſus eſſe videtur. *Paul. Jov.* in Elog.

— Perluſtratis igitur primariis *Galliæ* & *Italiæ* Academiis, eruditiſſimos utriuſque Philoſophiæ Profeſſores ubivis conquiſivit; Philoſophorum ferè omnium ſcripta pervolvit, remque ſuam tam indefeſſo animi ſtudio agebat; ut Theologus ſimul ac Philoſophus omnibus numeris abſolutus: imberbis adhuc juvenis haberetur. Quòd ad molliores verò literas attinet, is ſanè erat, qui ſermonis elegantia, facetiis, & gratiâ; eloquentiæ viribus, diſputandi ſubtilitate, & diffuſa linguarum ſcientiâ omnibus ſui ſæculi viris palmam præripuit. Accuratæ enim linguarum Græcæ & Latinæ notitiæ Hebræam, Chaldaicam, & Arabicam adjecerat dialecto, *Italiæ* antea, ne fama quidem auditas. *Henr. Wharton.* in Append. ad Hiſt. Literar. *Gul. Cave.*

Itali habuerunt *Picum* Mirandulanum, qui *Miraculum* quoddam fuit: Omnia ſciebat, in omnibus linguarum generibus verſatus erat, quodque inſolitè mirum eſt, adeo juvenis ad tot ſcientias pervenerat, ut anno ætatis trigeſimo fatis ceſſerit. Eximias ſcripſit Epiſtolas, quarum ſtylus non eſt quidem exquiſitus, ſed eloquentiæ corpus illis ineſt. Romæ 900. Theſes evulgavit & per totum Orbem emiſit quæ omnigenas Scientias complectebantur, haſque adverſus quoſvis propugnare volebat: Nequis autem itineris longitudinem cauſaretur, omnes contra ſe diſputatum venturos ab omnibus ſumtibus liberos præſtare pollicebatur. *Perroniana* p. 244. 245. *Gall.*

Picus Mirandula 32. ætatis anno quo obiit, omni diſciplinarum genere non modò tinctus, ſed planè imbutus erat, ut *Encyclopædiam* Scientiarum jure ſibi

 vendicare

potuerit, longiore vitâ planè digniſſimus Princeps. *Scaligerana* prima, pagin. 121.

Omnia *Joannis Pici* opera *Baſileæ* edita ſunt in fol. annis 1573. & 1601. in Officina *Henricpetrianâ*.

Hoc ejus Epitaphium. *Florentiæ* in Æde. S. *Marci*: Auctore *Hercule Strozâ*.

Joannes *jacet hic* Mirandula: *cætera norunt*,
Et Tagus, & Ganges: *forſan* & Antipodes.

Aliud, eodem Authore:

Hic ſitus eſt Picus: *cujus ſi cuncta periſſent*
Virtutum; ſeptem vix ſat erant tumuli.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

Aliud, Auctore *Michaele Marullo*:

Occidis ætatis media quòd Pice *juventa*
Ultima Socraticæ *flenda ruina domus*?
Nec vel Nobilitas, vel opes, vel gratia formæ
Profuit, aut animi tot bona rara tui;
Non hoc, crede mihi, naturæ injuria matris,
Larga vel inprimis quæ fuit una tibi:
Sed vitæ documenta hominum: quàm fluxa ſit ollis
Forma, genus, dotes ingenii, Imperia.

JOANNES JOVIANUS PONTANUS.

Clar. A. D. MCDLXXXV.

CEreti in *Umbria* natus: Obiit anno *Dom.* 1505. ætatis 78.

Vir ad omne genus eloquentiæ natus — Erat auſtero ſupercilio, & toto oris habitu ſubagreſtis: ſed ſtylo, & ſermone perurbanus, quum ſæpiſſimè vel in ſeriis multo cum ſale jocaretur. Habitus tamen eſt in omni cenſura quanquam abſolutè pius, ſupra æquum mordax, vel eo quòd non homines modò ſibi notos, ſed gentium, & urbium quoque omnium mores acerba ſcribendi libertate perſtringeret, ſicuti ex variis Dialogis, Charonteque præſertim intemperanter oſtendit. Sed in pangendo carmine, quàm texenda proſa cultior, atque ſublimior multis videtur: quandoquidem in Hiſtoria non ſemper integra graviſſimi inceſſus dignitate, ab ejus muneris diſciplina deflexiſſe exiſtimari poſſit; quum poſteà ab *Heſperidum* Hortis citriorum ſuaviſſimis odores ſpirans, atque inde divino carmine in altum evectus, ad illa ipſa excelſo ore decantata ſidera propiùs acceſſerit. *Paul. Jov.* in Elog.

Eorum

Digitized by Google

Eorum (*qui proximis ducentis aut trecentis annis vixiſſent*) ſummum eſſe *Joannem Jovianum Pontanum* nemo indignatur: in quò cùm omnia, tum duo præſtantiſſima fuere, quòd talem in dicendo copiam, facilitatem, elegantiam, proprietatemque ſuperioribus annis extinctâ penè *Latina Lingua* reddidit, ut florentiſſimo *Auguſti* ſeculo natum cenſeas: quodque & *carmine* unus, & *ſoluta oratione* tantum veræ gloriæ adeptus eſt, quantum vix in eorum unoquoque ſeparatim non modò recentiores, ſed antiquorum eam pauci ſint aſſecuti. Nam quid eſt ejus *Dialogo* jucundius, doctius, ſuavius? Sed non fugit tantus vir obtrectatores, quum ſint & ii non mediocriter docti, qui eruditionem *Pontano* tribuant, judicium adimant. Miremur, ſi non & *M. Cicero* Romanæ eloquentiæ oceanus, exuccus, languidus, enervis, aridus, jejunus, ac diſſolutus ab hujuſcemodi calumniatoribus dictus eſt. *Franc. Florid. Sabin.* in Apologia, &c.

Urania verò, *Meteora*, *Heſperidum* horti, *ecloga*, *epigrammata*, *elegia* & cætera *Joviani Pontani Umbri* carmina, & quæ plurima *pedeſtri oratione* ſcripſit, faciunt, ut in his tabularum imaginibus illum inter *proceres*: commemorem, quin & cum omni fere *antiquitate* conferam; tametſi non idem, ut quibuſdam videtur, in omnibus præſtat; nonnunquam enim nimis laſcivire & vagari videtur, nec planè ubique ſe legibus aſtringit. Quod iis minus mirum videri poterit, qui illum ſciverint in magnis *Regum* & *Principum* negotiis diu verſatum & modò bellorum, modò pacis conditiones & fœdera tractaſſe, non minùs quàm *Phœbum* & *Muſas* coluiſſe. Quis tamen eo plura? quis doctius? quis denique abſolutius compoſuit? enucleatius? exquiſitius? & licet ejus quidam hoc tempore *gloriæ* parum æqui ſint æſtimatores, non illis tamen ipſe concedam, ni meliora vel ipſi fecerint, vel ab aliis facta attulerint, id quod ad hanc ipſe diem non vidiſſe fateor. *Gyrald.* dialog. 1. de Poët. Noſtror. Temp.

Pontanus, cum illa quatuor complecti ſummâ curâ conatus ſit, *nervum* dico, *numeros*, *candorem*, *venuſtatem*, profectò eſt omnia conſecutus. *Quintum* autem illud quod eſt horum omnium veluti vita quædam, *modum* intelligo, penitus ignoravit. Aiunt *Virgilium* cùm multos verſus matutino calore effudiſſet, pomeridianis horis novo judicio ſolitum ad paucorum numerum revocare. Contra quidem *Pontano* eveniſſe arbitror. Quæ primâ quaque inventione arriſiſſent, iis plura poſtea, dum recognoſceret addita; atque ipſis potius carminibus, quàm ſibi peperciſſe. *Jul. Cæſar. Scal.* l. 6. de Re Poëtic. p. 807.

Pontanum uno ore prædicant omnes; huic *Ciceroniana* dictionis palmam tribuunt eruditorum centuriæ. Non ſum vel tam hebes, vel tam invidus, ut non fatear *Pontanum* multis egregiis ingenii dotibus virum fuiſſe ſummum. Ac me quoque rapit placido quodam *Orationis* lapſu: verborum dulce quiddam reſonantium amœno tinnitu demulcet aures; demum ſplendore quodam perſtringit dignitas ac majeſtas *Orationis*. In *Epigrammatibus* plus tuliſſet laudis, ſi vitaſſet obſcœnitatem; quod nec in *Dialogis* ſatis cavet. In *Meteoris* & *Urania*, quæſivit materiam quæ facile ſplendeſcit, & rem ſanè felicem feliciter tractavit. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 203. 204.

Sebaſtianus Foxius lib. 1. de *Imitatione* ſive *ratione ſtyli*, *Lactantium*, inquit, &

 Jovia-

Jovianum Pontanum ego maxime *Ciceronianos* puto.

Idem *Foxius* lib. 2. p. 43. ait; *Italiam* hoc *Pontano* centum proximis annis non habuiſſe doctiorem.

Jovianus Pontanus, vir memoriâ quidem noſtrâ omnibus bonis artibus, atque omni doctrinâ prædirus: cui præter ingenii manſuetudinem, quæ plurima in homine fuit, munditia verborum, & compoſitus ille ſermo, ad omnem ingenuitatem plurimum acceſſionis faciebant. *Alexand.* ab *Alexandr.* l. 1. c. 1.

Jovianus Pontanus, ſuavis poëta, acutus Criticus. Ethicus, Hiſtoricus, Aſtrologus doctus & diſertus: In quo illud inprimis admirabile, quod à nullo præceptore aut ad *Carmen* componendum, aut ad *Philoſophiam* ediſcendam, aut ad *Cæli* ſignificationes intelligendas inſtitutus fuerit, ſed inſitâ animi vi, lectioneque aſſiduâ ſibi hæc omnia comparaverit. *Balthaſ. Boniſac.* lib. 15. cap. 5. Ludic. Hiſt.

Jo. Jovianus Pontanus, Politiano adhuc politior, quod ex *Urania* ejuſdem, *Meteoris*, *Heſperidum hortis*, *lyricis*, *eclogis*, *Epigrammatis*, & præcipuè *hendecaſyllabis* liquidum eſt: in quibus ad nitorem, decuſque veterum Poëtarum aſcendit proximè; haud dubiè tamen ſeipſo in genere futurus ſuperior, niſi aliò eum evocaſſent *Aulæ* negotia; *Alphonſi* enim *Junioris*, Regis *Neapol.* Præceptor & Magiſter Epiſtolarum eſſe juſſus, alia curare neceſſe habuit. Atque utinam in argumento ſeveriori occupaſſet induſtriam! nunc ad amatoria propenſior, iſtuc ſæpius ſtylum deflectit. Eſt tamen, cùm & ad ſeria divertitur, ut in pulchrâ illâ de *Creatione* elegiâ. *Borrichius* de Poët. p. 103. 104.

Claruit Anno 1495. Inter primores ſæculi Hiſtoricos, Poetas, & Oratores habitus, mordaci tamen ſtylo & ſubagreſti ſupercilio plurimorum odium & invidiam concitavit. Hinc nata forſan calumnia, quæ ipſo adhuc vivente in vulgus ſparſa erat, illum volumina quædam *Ciceronis*, in vetuſtâ Monaſterii *aſſinatis* Bibliothecâ reperta, paulùm immutata nomine ſuo evulgâſſe, Obiit menſe Auguſto, anno 1503. ætatis ſuæ 78. *Henr. Wharton.* in Append. ad Hiſt. Liter. *Gul. Cave.*

Extant libri ejus ſoluto ſermone ſcripti, & in tres tomos diſtincti, *Baſileæ* 1538. 8o.

Poëmata ſeorſim excuſa ſunt.

Vixit annos ſeptuaginta ſeptem. Fato autem functus eodem menſe, quo *Alexander Sextus Pontifex* vita exceſſerat: tumulatus eſt in Sacello ab ſe ſepulchri causâ extructo è regione *Davalorum* domûs, ubi elogium ab ſe compoſitum in marmorea tabula ſpectatur.

Vivus domum hanc mihi paravi;
In qua quieſcerem mortuus.
Noli, obſecro, injuriam mortuo facere;
Vivens quam fecerim nemini.
Sum etenim Jovianus Pontanus,
Quem amaverunt bonæ Muſæ,

Suſpexerunt

Digitized by Google

Suſpexerunt viri probi,
Et mirati ſunt Reges Domini.
Scis jam qui ſim, vel qui potius fuerim:
Ego vero te, hoſpes, in tenebris noſcere nequeo:
Sed teipſum ut noſcas: rogo. Vale.

Paul. Jov. in Elog.

JOANNES TRITHEMIUS.

PRiùs *Abbas Spanheimenſis*, pòſt *Abbas Wirciburgenſis* ad S. *Jacobum*, natus fuit Anno *Dom.* 1462. in pago *Trittenheim* ad *Moſellam*. Obiit anno 1516. in Monaſterio S. *Jacobi Herbipoli*. *Scripſit* plurima, inter quæ eminent: Tractatus de Illuſtribus Scriptoribus Eccleſiaſticis: Item de Viris illuſtribus *Germaniæ*; ut & de viris illuſtribus Ordinis S. *Benedicti*. Scripſit quoque Chronica, Vitas SS. Varios Tractatus *Aſceticos*: de Polygraphia libros 6. Unum de Steganographia; ob quem librum à quibuſdam caſtigatur, præſertim à *Carolo Bovillo*, *Joanne Wiero*, & *Joanne Bodino*; qui *Necromantiæ* & commercii cum *Dæmonibus* eum accuſant: alii aliter ſentiunt, magnoque zelo illum defendunt. Clar. A. D. MXD.

Habuit plurima certamina cum *Monachis*, deſcribitque non rarò luculenter eorum ſcelera. Accuſat Sacerdotes in quadam Epiſtolâ, quòd ſint contemptores *Sacrarum Literarum*. In alia queritur graviter, quòd non tam *Chriſtus* quàm *Ariſtoteles* in ſuggeſtu prædicetur. Dicit, non Philoſophiam, multò minus fabulas, ſed legem & Evangelium *Eccleſiæ* ei proponendum: Sic & *Patres* feciſſe. Omninò fuit & purioris literaturæ & ſincerioris *Theologiæ*, quàm multi ejus coætanei, ſtudioſior. *Illyric.* Catal. Teſt. Veritat. l. 19.

Joannes Trithemius —— Homo quidem impensè eruditus, quique inter ſui ſæculi doctrinâ claros paucos habuit æquales, vix ullum ſuperiorem. Nec vulgares modò trivii ſemitas, ſed & intima reconditioris eruditionis penetralia ſcrutavit, & fortaſſe curioſè nimis rimatus eſt: unde, ipſomet conquerente l. 2. epiſt. 41. vulgò pro Mago habebatur; nec deerant qui ipſum ſuſcitaſſe Mortuos evocaſſe ab Inferis dæmones, prædixiſſe futura, Fures Latroneſque carminibus ligaſſe ſtrenuè mitarent. Ficta quidem hæc, & ementita, ſe tamen libros Magorum plurimos legiſſe non diffitetur, quod & *Steganographia* Opus abundè teſtatur. Nec ſolùm Muſiſque cecinit, ſed & plures diſcipulos in Cœnobio ſuo melioribus literis inſtituit, adeò ut ad illum confluerent, non ſolùm ex *Germaniâ* totâ viri doctiſſimi atque ſpectabiles multi, ſed ex *Italiâ* quoque & tripartitâ Galliâ plures, ut ipſe nos docet lib. 2. epiſt. 3. In Monaſterii *Spanheimenſis* uſum ſimul & ornamentum egregiam planè Bibliothecam pluſquam 2000. melioris notæ Codicum MSS. in quavis facultate, & quavis ferè linguâ, Hebraicâ, Græcâ, Latinâ, Chaldaicâ, Arabicâ, Indianâ, Ruthenicâ, Tartaricâ (ut alias taceam) ingenti ære crexit. *Henr. Wharton.* in Append. ad Hiſt. Literar. *Guil. Cave.*

Joannes

Joannes Trithemius, doctus, & pius Auctor, ſed in Hiſtoria non ſatis accuratus. Card. *Joan. Bona.*

Gaſpar Scioppius plus candoris, quàm judicii *Trithemio* aſcribit. *Sciopp.* de orig. dom. *Auſtriaca.*

Ad *Trithemium* diverti, quem reperi *Magum*, nulla Philoſophiæ parte inſignem. Ejus *Steganographiam* evolvi velitatim nonnullorum capitum perlegens initia. Vix horas duas librum in manibus habui: abjeci enim eum illicò, quod terrere cœperant me tantæ adjurationes, ac tam barbara atque inſolita *Spirituum* (ne fortè dicam *Dæmonum*) nomina. Univerſa verò hujuſmodi nomina [quoad videre viſus ſum] ignotæ linguæ ſunt. Aut enim *Arabica*, aut *Hebraica*, aut *Chaldaica*, aut *Græca*: *Latina*, pauca, aut fermè nulla. Innumeri autem ſunt Characteres, quibus adjurationes ſingulæ notantur. *Carol. Bovillus.*

Quamvis *Trithemius* nec adinvenerit neque conſummaverit arcanum *occultis Characteribus* Scribendi, (Steganographiam vocant) certum tamen eſt quæ *Trithemius* ille de hac *Arte* tradidit non mediocri auxilio fuiſſe ad illam deducendam ad perfectionem quam hodie aſſecuta eſt: Cùm enim maximè curioſa Ingenia ſeſe exercuerint in penetrandis Conjurationibus, & Spirituum nomina quibus librum ſuum implevit totumque myſterium illud velavit, non tantum excogitati ſunt novi modi cùm occultandi tum intelligibile reddendi quicquid libuerit in Epiſtolis, variarum notarum ope, ſed etiam regulas principiaque tradiderunt quidam ad Griphos ejuſmodi enodandos. *Eruditorum Ephemerides* Gallicæ 24. Jan. 1678.

Steganographiæ αὐτόγραφον flammis abſumi curavit *Elector Palatinus Fredericus* II.

Sanè quod ad *Chronicon*, & Hiſtorias attinet, multa tum in Annorum mundi ſupputatione, tum in aliis (ſi cum *Chronographis* melioribus noſtri ævi, atque cum Annalibus *Cæſaris Baronii* Cardin. à ſeipſo recognitis conferantur) cernentur, quæ claudicent — De ſex libris ejus *Polygraphiæ*, qua plures *Scribendi* modos innuit, quos *Itali Cifras*, Agellius *ſcripta furtiva* nominat, cùm in iis mentionem fecerit alterius Operis, quod *Steganographiam*, quam nominat *occultam Scriptionem*, falſi ſunt, qui eam ſuſpexerunt, & tanquam opus admirandum, clavimque *Polygraphiæ* celebrarunt. Superſtitionis enim, & periculi pleniſſimum eſt, *Magiamque* ſapit non naturalem illam, quo tamen nomine plerique ſuas ſordes tegunt: verùm etiam ipſam, quæ cùm à S.R.E. prohibita ſit una cum ejuſmodi libris in *Romano Indice*, haud dubium, quin & iſtud ſit ablegandum. *Ant. Poſſev.* Appar. Sac.

Steganographiam Trithemii (quæ, cum clave, ſeorſim prodiit, *Francof.* 1606.) adverſari ſunt multi, multi etiam benigniùs illam tractarunt. *Adamus Tannerus* S. *Jeſu* Oratione quadam inaugurali, *Ingolſtadii* 1615. edita, tentatis & conquiſitis, quæ habuit, omnibus, tandem p. 20. concludit: ab omni culpa, ob mali ſpeciem, *Trithemium* abſolvere ſe non poſſe. At *Guſtavus Selenus* (h. e. *Sereniſſ. Brunſvicenſium Dux Auguſtus*) illud *Trithemii* opus ab omni *Magica* ſuſpicionis labe purgare auſus fuit. *Olearius* in Abac. PP.

Catalogus

Digitized by Google

Catalogus ejus de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* primùm ad annum 1494. terminabatur; ſed exinde varia incrementa accepit. *Platus* vocat illum accuratum & ſedulum Scriptorem; nec de poſteriori hoc capite quiſquam litigaverit, quod in indefeſſo labore conſiſtit, cùm reverâ laborioſiſſimus fuerit *Trithemius*; ſed in prius non conſentitur quod in diſcernendis & diſcutiendis rebus majorem exigit *ſagacitatem* quàm qua *Trithemius* in omnibus ſcriptis ſuis uſus eſt. Judicium Eruditorum per Dom. *Baillet* Pariſ. 1685. Gall.

Extant *Trithemii* Opera Hiſtorica, duabus partibus edita per *Marq. Freherum Francofurti* 1601.

Polygraphiæ libri 6. excuſi anno 1518. Fol.

Hoc ejus Epitaphium:

Hanc meruit ſtatuam Germanæ *Gloria Terræ*
Abbas Trithemius *quam tegit iſta domus.*
Quàm fuerit literis, ſimul & virtute celebris,
Admiranda ſui dant Monimenta ſtyli.
Arguit hoc etiam multorum Gratia Regum,
Ex quibus in primis Maximus Æmilius.
Maximus Æmilius Romanî Gloria Sceptri,
Qui fuit Auſtriacæ *clara propago domus.*
Hujus Magnificâ fuit acceptiſſimus Aulâ,
Et primum tribuit docta caterva locum.
Abſit ſuſpicio de Dæmonis *arte* Magia,
Contra quam magnum ſcribere cœpit Opus.
Ut vivit fama, ſic vivat mente beatus,
Et videat ſummi Cœlica Regna Dei.

Lorenzo Craſſo.

MARC. ANTON. COCCIUS SABELLICUS.

Tiberii Fabri Ferratii filius, animum à teneris annis ad ſtudia applicuit, juvenis per pagos inſtitutione aliquantillâ pecuniâ collectâ. Dein *Pomponii Læti* Domitii *Veronenſis* diſciplinâ uſus, *Romæ Venetiiſque*, ubi humaniores literas profeſſus eſt, inter literatos inclytum nomen eſt adeptus. Obiit anno 1506. turpi morbo confectus, ætatis 70. relicto filio notho. *Hofman.* Clar. A. D. M cccclxx.

Illius Opera elegantiſſima & eruditione plena hæc extant: Hiſtoria de Geſtis *Venetorum* libris 33.---Rhapſodiæ Hiſtoricæ Enneades undecim---Exemplorum *Ethnicorum & Chriſtianorum* per omnes gentes factis dictiſve inſignium libri 10.---Epiſtolarum Familiarum lib. 12. --- Orationes 12. De ſitu Urbis *Venetæ* lib. 3.--- De Venetis Magiſtratibus lib. 1.--- De Prætoris Officio lib. 1. --- De

S ſſ Officiis

Officiis Scribæ lib. 1. --- Genethliacum Urbis *Venetæ* --- De Apparatu ejuſdem --- De vetuſtate *Aquileiæ* ---- De ortu & vetuſtate *Vincentiæ* ---- De tumultu *Italiæ* ----- De luctu *Coriolani* ----- De Munitione & Cæde *Sontiacâ* ------ De incendio *Carnico* ----- De *Barione* Cymbâ ----- De Origine *Huni* vel *Utini* ----- De rerum Artiumque inventoribus ---- De laudibus Deiparæ Virginis Elegiæ 13. ----- De reparatione Linguæ Latinæ lib. 2. ----- Annotationes in *Plinium*, *Livium*, *Valerium Maximum*, *Lucanum*, *Papinium*, & *Catullum*, quæ priores dicuntur. Item poſteriores in *Plinium*, *Ciceronem*, *Lucanum*, & *Argonautica Flacci*, & interpretatio Paraphraſtica in *Suetonium Tranquillum*.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus ad vicum *Varronis* in viâ *Valeriâ* juxta *Anienem* Fabro Ferrario patre genitus, ingentem & propè ferream vim ingenii ad perdiſcendas literas attulit, tanto proventu, ut planè imberbis apud *Tyburtes* ludum aperiret. Inde verò collectâ mercede, & togulâ cæruleâ excultus nobilioris doctrinæ cupiditate in Urbem ad *Pomponium* ſe contulit, à quo uberrimi ingenii merito, in collegium Sodalium ſolemni ceremoniâ cooptatus, *Sabellici* cognomen tulit. Mutabat enim nomen, qui in *Quirinali* ſacra lauro coronabatur. In ea Schola, quòd cenſura literarum acerrimis judicum ingeniis ageretur, multum ſibi de incondita, & ſubagreſti *Latinæ* Orationis exuberantia detraxiſſe fertur. Nec multò poſt, *Româ* excedens, *Utino* in oppido, non procul ab *Aquileia*, nobiles regionis adoleſcentes docuit. Parta demum inſigni nominis fama, quum regionem vetuſtatis authoritate percelebrem lepidè deſcripſiſſet, decantato etiam verſibus *Carnico* incendio, & deplorata clade *Sontiaca*: idcirco eum *Vicentini* celebritate nominis exciti, ambitiosè duplicato ſtipendio conduxerunt. Nec ibi diu manſit, evocante Senatu *Veneto*, ea conditione ut civitatis res geſtas à fine *Juſtiniani* conſcriberet, & trecentis aureis in gymnaſio profiteretur In hoc munere perutilem juventuti operam præſtitit, quum in altero adulatione parum ſobria rerum veritatem adumbraſſe videretur. Sed in *Enneadibus* omnium Temporum, ab orbe condito memoriam complexus, uti neceſſe fuit, ingenti operis inſtituto feſtinanter indulgenti res illuſtres præclara cognitione digniſſimas perobſcura brevitate adeo vehementer offuſcavit, ut excitatam, uberrimo titulo legentium cupiditatem paſſim eluſerit, quum omnia in acervum anguſtiſſimè coarctata nequaquam certa effigie, ſed exiguis tantum punctis & lineis annotata deſignentur. Id ſuſceptum munus gnaviter ſecutus, ſcribendo ad Septuageſimum ferè annum pervenit, *Gallicâ* tabe ex vaga *Venere* quæſita non obſcure conſumptus. *Paul. Iov.* in Elog.

Marc. Antonius Sabellicus, vir undecunque doctiſſimus. *Trithem.*

Vir valde eruditus. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Fervidæ cujuſdam, uberiſque Eloquentiæ Scriptor vocatur, *Florid. Sabin.* in Apolog.

Petrus Bembus in Epiſtol. ad ipſum Scripta vocat *Doctiſſimum, Eloquentiſſimum, optimè de Republica meritum*: atque addit, *ſeptem Hiſtoriarum Enneadibus*,

Digitized by Google

dibus, quas nuper edidiſti, uberrimum fructum propoſitum video laudis & gloria ſempiternæ.

Antonium Sabellicum agnoſco naturâ facundum, nec artis expertem: Nec infeliciter rethoricatur interdum. In hiſtoriâ ſatis ſplendidè verſatus; ſed in hac tantùm, quæ ſuum dicendi genus deſiderat. *Eraſm.* in *Ciceron.* p. 164.

Antonius Sabellicus fluit quidem plenus, ſed lutulentus quandoque ſimilis ei Auctori, ex quo res deſumit: ut colorem videatur mutare cum *Solo*, per quod omnino tanquam Fluvius decurrit: quod non rarò uſu venit ſolicitis de re magis, quàm de Verbis *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. lib. 3.

Hiſtoriam *Venetorum Italicè* plures deſcripſerunt, *Latinè* pauci. Inter hos primo loco venit M. *Ant. Sabellicus*, qui Latinè ſcripſit. Probavit ſe egregium Hiſtoricum, & qui mereatur comparari cum Antiquitate. Ridet eum quidem *Bodinus*, quòd comparationem inſtituat *rerum Bellicarum Romanorum* cum *Venetorum*, ſed immeritò. Habet enim ſimilitudinem in Bellis cum *Romanis*: in Pacis verò artibus cum *Romanis*. *Corino.* de Rep. *Venet.*

M. *Antonius Sabellicus*, verſus cùm Elegos, tum Heroicos edidit, quos ego adhuc Puer libenter legere ſolebam. Facilis hic ubique, & canorus, nec injucundus, ſed minus omnino caſtigatus, *proſâ* tamen ubi intendit, plus præſtitit. *L. Gyrald*, de Poët. p. 390.

Sabellicus: vir ille Scriptorum copiâ, & elegantiâ multò clarior, quàm meâ ullâ poſſit commendatione creſcere. *Ioan. Pier. Valerian.* de Literator. Infelicitat. vid. plura ibid.

Antonii Sabellici Opera inter libros expurgandos numerantur in *Indice Matritenſi* edit. ann. 1667.

De ſepulchro, vivens & incolumis, tempeſtivè ſibi cavit, ſcilicet degeneri filio diffiſus, quem ex concubinâ ſuſceperat: compoſitumque ab ſe carmen lapidi inſculpſit: inſigne quidem, & meritum elogium, ſed certè honeſtius, ſi aliena ingenii pietas inſcripſiſſet:

Quem non res hominum non omnis cœperat ætas.
Scribentem capit hæc Coccion *Urna brevis.*

Paul. Iov. in Elog.

Opera ejus 4. Tomis *Baſileæ* excuſa ſunt Ann. Dom. 1560. fol.

ANGELUS POLITIANUS.

A Monte *Politiano* [*Hetruriæ* oppido] loco natali, ſic dictus, aliàs *Baſſus*, Canonicus *Florentinus*, *Ioannis Pici Mirandulæ* ſtudiorum comes, à *Laurentio Mediceo* filiorum inſtitutioni præpoſitus. *Græcè Latinèque* plurima fecit. Obiit Anno Chriſti 1494. ætatis 40. Clar. A. D. MCCCCXC.

Sumptu, & promotione Coſmi *Florentinorum* Principis, cum *Marſilio Ficeno*

cino bonis literis inſtitutus eſt in quibus tantâ felicitate profecit, ut brevi temporis intervallo ſui temporis homines doctos eruditione aut æquaret, aut ſuperaret. *Græca Latinaque* linguæ peritiſſimus Grammaticus, Orator, & Poëta inſignis. Dictus enim eſt communi ſui ſeculi conſenſu, Poëta nobilis, propter excellentiam carminis, quo commendabatur, dum illuſtraſſet *Iuliani Medicis* ludos ſolemnes, viciſſetque doctiſſimo Poëmate celebrem illum Poëtam *Lucam Pulcium*. *Græcas* literas *Politianus* docuit *Florentiæ* magno auditorum confluxu. *Boiſſard.* in Icon.

Fateor *Angelum* prorſus *Angelicâ* fuiſſe mente, rarum *Naturæ* miraculum ad quodcunque ſcripti genus applicaret animum. *Eraſm.* in *Ciceron.*

Marullus ridet *Politianum*, virum non ſolùm ſe majorem, ſed & nullo noſtræ ætatis inferiorem. *Scaliger.* in Caſtigat. *Catullianis.*

Huic me puero à multis primæ deferebantur. Mira ejus omninò eruditio, vehemens & paratum ingenium, jugis & frequens lectio: Sed calore potius quàm arte Verſus ſcripſiſſe videtur, judicii utique parum cùm in ſeligendo, tum in caſtigando habuiſſe viſus eſt. *Lil. Gyrald.* de Poët.

Abſit verbo invidia; habuit noſtra hæc ætas bonarum literarum proceres duos, *Hermolaum Barbarum*, atque *Angelum Politianum*, *Deum* Immortalem! quàm felici ingenio, quàm acri judicio, quantâ facundiâ, quantâ linguarum, quantâ diſciplinarum omnium Scientiâ præditos? Hi Latinam linguam jampridem ſqualentem, & multâ *Barbariei* rubigine exeſam, ad priſtinum revocare nitorem conati ſunt, atque illis ſuus profectò conatus non infeliciter ceſſit; ſuntque illi de Latinâ linguâ tam bene meriti quàm qui ante eos optimè meriti fuere. *Brixius* in Epiſt. *Eraſmo.*

Non poſtremo loco inter omnia omnis ævi ingenia fuiſſe *Angelum Politianum* ego ſemper perſuaſus fui. Stylus *Latinitate Romanos* ipſos adit, *Atticas Athenas*, ſi ita fari licet, *Græcitate*. Inventionum verò acumine, lectionis varietate, judicii dexteritate ſingularis illius hominis felicitas fuit; eaque quò rarior in utroque genere Orationis pari laude cui contingere ſolet, eò in iſto gratior. *Barth.* l. 21. adv. c. 16.

Politiani verò literis, quid politius dari poſſit non video, qui quot habet verba, tot illecebris, leporibuſque abundat, & *Latium* illud vetus ita ſapit, & *Atticas Veneres*, ut vel hic unus omnium inſtar eſſe poſſit, ei qui in Commercio hoc literario, ductorem deſiderat. *Iacob. Cruc.* l. 2. Epiſt. *Theod. Bello* p. 142.

Quanta fides, *Dii* Immortales, in *Politiano*? Cuivis intueri licet adhuc *Florentiæ*, in *Mediceâ* & *Martianâ* Bibliothecâ Manuſcriptos libros, ubi publicè aſſervantur, quibus uſus eſt. *Franc. Robertell.* de Art. Critic.

Politianus, vir omni laude major. *Sciopp.* l. 1. Veriſim. c. 14.

Haud ſcio, uter majorem laudem mereatur *Herodianus* ne, quem in linguâ ſuâ ubere venâ fluere non negaverim, an *Politianus*, *Herodiani* ſcripta tantâ felicitate interpretatus eſt, ut non *tranſtuliſſe*, ſed ipſe *compoſuiſſe* videri poſſit. *Wheear.* in Meth. Leg. Hiſt.

Politiani

Digitized by Google

Politiani Elegia pro *Epicedio* valdè bona eſt, ingenioſa, plena, numeroſa, candida, arguta, efficax: planè digna tanto viro: & quam equidem ſcripſiſſe malim, quàm quæ dicitur ab *Ovidio* in morte *Druſi* miſſa ad *Liviam*. *Epigrammata* ſibi quiſque examinet. Nam *Elegidium* ad *Lalagen* optimum eſt. Ipſæ quoque *Violæ* ſuaviſſimæ. *Græcis* verò, quæ puerum ſe conſcripſiſſe dicit ætatem minus prudenter appoſuit ſuam, tam enim bona ſunt, ut ne virum quidem *Latina* æquè bene ſcripſiſſe putem. *Iul. Cæſ. Scalig.* in Hypercrit. p. 802.

Politianus varius in dicendo, ut qui diverſos quandoque voluerit effingere, crebræ tamen in eo, acutæque ſententiæ; multâque lectione & eruditione non vulgari ſua refercit opera. *Anton. Poſſevin. Cicero*, p. 26.

Politianus elaboratus: verba ejus bona, & uſui communi apta, officioſis duntaxat; nam gravitatis minus habet quam vellem: & dum ſelectas quaſdam vel voculas vel dicendi formulas, quaſi gemmas avet oſtentare, longiùs circumducit lectorem, pluribus tum verbis, tum ſenſis Orationem onerans, quàm erat opus. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl.

Ab hoc vitio [*dialectos* commiſcendi] non ſatis *Politianus* caverat, etſi id etiam ingentibus aliis virtutibus redimere fatendum eſt. *Sciopp. Groſipp.* pagina [illegible].

Angelus Politianus mirificè delectabatur *Vocabulis Novis*, ut quoque ſcribit [illegible]. *Voſſ.* l. 4. Inſtitut. Orator. p. 22.

Angelus Politianus, homo non unus è multis, ſed cum paucis potiùs comparandus; in omni penè facultate, quæ virum eruditum deceat, ſuæ princeps ætatis; in ſcribendo verò potiſſimum. Nam quæ vel Oratione vorsâ ludere, vel proſâ commentari libuit, præclaris diſtincta ſunt notis felicis & elegantis ingenii, quod non ad alieni ſtyli exemplum ſerviliter compoſitum, ſed velut jugum imitationis indignans, ſuo ſibi ductu & auſpicio velificatur. Hinc adeo in *Interpretationibus*, cum *Auctore* ſuo non certat modò, ſed eum ſæpè etiam ſuperat. *Huet.* de Clar. *Interpretibus*.

Angelum noſtrum non niſi ſemel *Sacrum Codicem* legiſſe, adeoque dixiſſe nullum tempus ſe unquam pejus collocaſſe, commemorat, ut & *Ludovicus Vives*, & ex eo *Philipp. Mornaus* c. 26. divini libri de veritate *Religionis Chriſtianæ*, qui ἀθεότητα manifeſtam eidem impingunt, nec ullo idoneo teſte, quod dicunt, confirmant; & eo ipſo ſatis liquidò confutantur, quod ipſemet *Politianus* ſe ſcribit, ſeſe Quadrageſimali tempore publicè populo *ſacras literas* enarraſſe. l. 4. Epiſt. x. *Boxhorn.* in Monument. Illuſtr. Viror.

Angelum Politianum excellentem Poëtam vocat *Ioſephus Scaliger*; ſtylum verò in *Epiſtolis* nimis elatum & oratorium minimè probat. *Scaligeranâ* 1. pagina [illegible].

Angelus Politianus, vir undequaque doctiſſimus, ut operibus aliis, ita & *Lyrico*, *Elegiacoque*, ſed inprimis *Epico* illuſtris. Sed & *epigrammata Politiani* plerumque exaſciata. Plus tamen furoris Poetici in illo, quàm artis; plus ingenii, quàm judicii, ut jam olim rectè cenſuit *Gyraldus*. *Borrich.* de Poët. p. 103.

Angelus Politianus uti in Præfatione *Centuriæ*, quam edidit, *Miſcellaneo-*

rum, plagiarios ſuos increpat, vindiciaſque adverſus eos minatur: ſic in fine operis aliorum reſpondet rumori, qui ipſum in illis *Miſcellaneorum* capitibus è *Nicolai Perotti Cornucopiâ* prædam egiſſe diſſeminaverant, factumque negat. Sed quomodocunque ſe res de *Politiani Miſcellaneis* habeat, è *Iovio* diſco, æmulos ejus etiam tranſlationem *Herodiani*, quem ipſe *Latinè* loquentem publicavit, *Gregorio Tiphernati* tribuiſſe; è *Budæo Duareno*, ipſum, quam de *Homero* habuit orationem propè totam ex ejuſdem argumenti libello *Plutarchi* ſurripuiſſe; ex *Heresbachio*, *Panepiſtemone* aliorum non intellecta congeſſiſſe. *Thomaſ. de Plag.* ſect. 525. 526.

Heresbachius præfatione ad Lect. Librorum ſuorum *de Re Ruſticâ*, furaciſſimum vocat *Politianum*.

Opera ejus varia variis in Locis atque Temporibus ſunt impreſſa.

Non ſine gravi *Muſarum* injuriâ, doloreque ſæculi, feſtinante Fato ereptus fuit. Vix enim quadrageſimum quartum ætatis annum attigerat: Sed eo præpropero vitæ exitu profectò felix fuit, quòd imminentem convulſæ *Medicæ* Domûs ruinam effugerit. Tumulo autem hoc carmen *Crinitus* Diſcipulus affixit:

Hic, Hic, Viator, paululum gradum ſiſte,
Vatem potentis Spiritus vides clarum:
Qui mente promptus acri, & arduum ſpirans,
Ac ſumma quaque, & alta conſequi ſuetus.
Is ille ego Angelus Politianus *ſum.*
Fovit benigno me ſinu Flora, *& illic*
In Fata ceſſi, Parthenopœos *Reges,*
Cùm Gallica *arma irruerent minabunda.*
Tu, vale, & hoc ſis meriti memor noſtri.

Paul. Iov. in Elog.

PHILIPPUS COMINEUS.

Clar. An. D. MXD.

EX illuſtri *Cominaâ* apud *Flandros* familiâ natus, eques aurei velleris, dominus *Ruſcuris*. Obiit in *Pictonibus* 1509. 16. Kal. Novemb. ætatis 63.

Ludovico XI. *Franciæ* Regi gratiſſimus erat: cujus & res geſtas celebravit, orſus an. *Chriſti.* 1464. etiam prodidit res geſtas filii ejus, *Karoli* VIII. Etſi autem non uno loco *Mejerus* dicat, in pluribus falli: tamen Hiſtoricus eſt verax, ac prudens. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Scripſit Hiſtoriam ita laudabiliter, ut nihil verear componere eum cum quovis Antiquorum. Incredibile eſt quàm ille omnia videat, penetret, arcana conſiliorum eruat, & ſubinde inſtruat nos ſalutaribus rariſque præceptis, & id diffuſè, *Polybiano* quodam exemplo. Quanquam revera *Polybium* aut talem aliquem

Digitized by Google

quem ille nec vidit: & hoc quoque laudem ejus auget, quòd tanta præſtitit, litterarum omnium rudis, ſolo uſu rerum peritus & naturali quadam judicii bonitate. Ite nunc ſcioli, & linguarum aliquâ cognitiunculâ vobis placete. At *Princeps* noſter hunc legito, & *Enchiridium Cominæus* illi eſto. Dignus *Alexandris* omnibus hic *Philippus. Lipſ.* Not. ad 1. lib. Polit.

Quem [*Philippum Cominæum*] *Polybio* comparavit *Lipſius*, non ſine magnâ ratione: uterque enim, obſervatione acutus, judiciô ſolers, prudentiâ copioſus, &, quod omnibus cæteris laudibus ſublimius, rarò apud alios, deprehenditur, probitatis, conſcientiæ, reverentiæ erga fatum & fatales eventus, perpetuis notis mixtiſſimus. Illud quoque commune habent, quòd, ubi rei dignitas, cogitationis utilitas, uſûs & applicationis dexteritas poſtulare moram videtur, ſubſiſtunt lectoremque ſuum, tanquam in re præſenti, cum cura & fidê inſtruunt. *Boecler.* in hiſtor. Schola Princip. n. 2.

In *Philippo Cominæo* deprehendet Lector dulcem atque jucundam orationem, cum genuina ſimplicitate, narrationem puram, & in qua ſplendet evidenter Authoris bona fides à vanæ gloriæ aucupio cùm de ſe ipſo, & tum ab affectu, tum ab invidia cùm de aliis loquitur, immunis: Ejus ſermones & hortamenta magis comitantur laudabilis *Zelus*, & Veracitas, quam ulla ingenii vis exquiſita, & ubique authoritas & gravitas virum non infimo loco natum, ac in magnis negotiis verſatum arguunt. *Mich.* de *Montagne* Tentaminum lib. 2. c. 10. Gall.

Si quis autem eſt omnium vel noſtræ vel etiam paulò ſuperioris ætatis qui prudentiâ & veritate proximè ad antiquos accedat, is meo quidem judicio eſt hic Auctor, quoniam graviſſimas deliberationes habitas in ipſis Regum penetralibus, antequam in actum venirent, ponit ob oculos & diligenter explicat, quod vix pauci fecerunt, & pauciores multò præſtare poſſunt, & ut poſſent vix tandem audent, ne quid offendant. *Ioan. Sleidan.* præfat. ad *Comin.* Hiſt.

Ludovici XI. Regis *Galliæ* & *Caroli* ejus filii, res bello geſtas, quarum & particeps fuerat, *Angeli Cathi* Pontificis *Viennenſis* hortatu & impulſu deſcribere aggreſſus, luculentam quatuor & triginta annorum hiſtoriam, magnâ quidem ſtyli ſimplicitate, ſed nec minori puritate, & quod in rerum ſcriptore ſummum eſt, ſingulari apud omnes fidei ac veritatis opinione inſignem poſteritati tranſmiſit---Nec eloquentiâ, prudentiâ, cæteriſque virtutibus ad ſummas res tractandas idoneis ulli hominum ætate ſuâ conceſſit. Eò majore omnium admiratione, quòd vix ullo literarum præſidio fretus, penè ſola naturæ bonitate niteretur. *Scævol. Samarthan.* in Elog.

Ludovicus Vives Caroli V. Præceptor *Cominium* reprehendit, quòd ſæpiùs ab Hiſtoriâ propoſitâ digrediatur, deque Principum moribus ac virtutibus, atque omninò de vita beata Philoſophorum in modum diſputet. Is tamen aliter atque *Vives* omne tempus in Republica gerenda, aut in bellis, aut in maximis legationibus obeundis conſumpſerat, ut rectè, ſi quis alius, judicium ferre potuerit. *Ioan. Bodin.* in Meth. Hiſt. c. 4. p. 53.

Cominæus vir lectionis variæ, ſtudii indefeſſi. Unum dolebat maximè, quòd cùm

Gallicam, *Hiſpanicam*, *Germanicam* calleret linguas; *Latinam* ſolam ignoraret. Scripſit *Gallicè*, quâ potiſſimùm linguâ excelluit, & ad veterum Hiſtoricorum gloriam venit. *Valer. Andreas* in Bibl. Belgic.

De *Imperii arcanis* ita planè perſpicuéque ſcripſit *Cominaus*, ut Regina *Catherina* de *Medices* dicere ſoleret, *Cominaum tot Hæreticos in rebus politicis effeciſſe, quot* Lutherus *in Religione*.

Nec me latet plurimos hujus ætatis *Principes*, ipſum in delitiis habere ſolitos, ceu rerum gerendarum, & politicæ negotiationis magiſtrum, ac præterea velut incorruptæ veritatis integerrimum aſſertorem. Hinc iſ æterno literatorum Concilio ſancitum, ut ſicuti *Iovius* in Hiſtorica factorum narratione præſtat, & *Guicciardinus* in detegendis conſiliorum omnium, actionumque cauſis; ita *Philippus* in dirigendis ad civilem prudentiam animis, ſingulari quodam ingenii bono præcellat. Igitur quod ſummè arduum à Phyſicis exiſtimatur, hic intelligendi vigorem cum agendi ſolertiâ conjunxit. *Ioan. Imperialis* in Muſæo Hiſt.

Philippus Cominaus eadem libertate *Ludovicum ſuum* depinxit quâ ipſe vixerat: tantumque ſibi exquiſito judicio veræ gloriæ comparavit, quantum ille triumphis & Imperio. *Gabr. Naudæus* in Bibl. Polit.

Ejus Hiſtoria præſertim nominis illius memoriam commendat. Annorum quatuor & triginta ſpatio maximè inſignia geſta complectitur duorum poſtremorum *Burgundiæ* Ducum *Ludovici* XI. & *Caroli* VIII. Galliæ Regum: quamvis autem ingenii proprii facultatem ad illius conſcriptionem adhibuerit ob ſuam *Latinitatis* ignorantiam, hanc tamen adeo accuratè pertexuit, tam perſpicuum ordinem, tantamque concinnitatem in ea obſervavit, & tam ingenioſè plurib. Politicæ ſententiis illam perſperſit, ut ab omnibus *Europæ* Doctis cum admiratione fuerit excepta, & communibus ſuffragiis gravi huic Authori tributus fuerit elogium *Principis Hiſtoricorum ſibi coætaneorum* --- Poeta *Ronſardus* non dubitat illum *Tito Livio* æquiparare in *Poemate* quod in ejus laudem ſcripſit. *Iſ. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

Cùm præditus eſſet acuto ſublimique ingenio, id omni ſtudio appulit ad liberales diſciplinas, ſpeciatim verò ad lectionem optimorum Hiſtoricorum, quos cum impenſe diligeret ſe quoque in componendo exercuit, ut liquidò conſtat è luculento Hiſtoriæ illius teſtimonio, qua *Gallicè* Regum geſta narrat qui ab an. 1462. uſque ad initium Regni *Ludovici* XII. clavum regni tenuerunt. Hæc Hiſtoria ejuſque in hujus Scriptione prudentia ſingularis ad honorem & celebre nomen veraciſſimi & ſimpliciſſimi ſui temporis Hiſtorici illum extulerunt; Quia tam abundè ſatisfecit eorum muneri qui ſimilem provinciam ſuſcipiunt, ut immortalis futura ſit ejus memoria; cùm in ipſa *Gallia* tum in omnibus *Europæ* regionibus. Scripſit prætetea Commentarios *Caroli VIII. Galliæ Regis*, *belliquæ ab ipſo in Neapolitanum Regnum moti*. *Argentonis* Dynaſta ille fuit, Vir magnorum negotiorum adminiſtrationis capax magnæque dexteritatis, quod etiam eximiè demonſtravit peregregiis ſuis Operibus quæ omni reſpectu *Animata* dici debent, cùm veracitatis *animam* habeant, ob quam ab omnibus rerum publicarum Adminiſtratoribus honore ſummo cultus fuit: Quamobrem illa non citiùs

luçem

lucem viderunt, quin frequentibus impreſſionibus multiplicata & maxima in exiſtimatione apud omnes Gentes fuerint: Idque ſanè meritiſſimo jure; Cùm in admirandis ejus hiſce laboribus facile cernere ſit ipſum omnia perſpicere atque penetrare. Arcana conſilia evolvit; deinde haud vulgaribus, ac ſalutiferis præceptis Lectorem inſtruit. *Hieronymus Ghilini.* Theatro Virorum Literatorum. Italicè.

De hoc Libro perhibetur quod nullus poſt Sacras Paginas frequentius typis mandatus fuerit, nec plures in linguas tranſlatus. *Eruditorum Ephemerides* Gallicæ, Diei Lunæ 13. Decembr. 1683.

In *Cominæo Wallonica* multa ſunt, quæ non intelligimus, *Joſ. Scalig.* in alteris Scaligeranis, pag. 53.

Annos ferè ſexaginta quatuor natus; obiit anno milleſimo quingenteſimo nono *Argentoni Pictonum* oppido, quod uxoriæ dotis nomine poſſidebat; indeque *Lutetiam* delatus apud *Auguſtinianos* in Sacello quod vivus extruendum curârat tumulo marmoreo eſt conditus.

Hoc ejus Epitaphium, *Stephano Paſchaſio* Authore.

Gallorum *& noſtra laus una & gloria Gentis*,
Hic, Cominæe, *jaces, ſi modò fortè jaces.*
Hiſtoriæ *vitam potuiſti reddere vivus*;
Extincto vitam reddidit Hiſtoria.

Opus Cominæi ſæpiùs Linguâ Gallicâ, quâ ab Auctore ſcriptum fuit, editum eſt in *Galliis*: Latinè autem primùm à *Ioanne Sleidano*, ſed fideliùs poſteà à *Caſp. Barthio* converſum, excuſumque *Francofurti* anno 1629. quæ editio reliquis præferenda, præterquam Gallicis, quæ longè utiliùs leguntur.

ROBERTUS GAGUINUS.

ſive,

RUPERTUS GAGUINUS.

NAtione *Belga*, non *Duaci* natus, ſed in Vico *Callinâ*, qui eſt in *Arteſiæ* finibus ad *Liſam* fluvium, Ordinis *Sanctiſſimæ Trinitatis* Monachus, ac deinde Miniſter Generalis Juris Pontificii Doctor, multis pro *Carolo* VIII. & *Ludovico* XII. Franciæ Regibus cum ſumma laude perfunctus legationibus, obiit anno 1501. 11. Kalend. Jun. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MXDV.

Robertus Gaguinus Ludovico XII. in primis carus, qui cùm veterum librorum colligendorum ſtudio teneretur, ingentem ei pecuniæ vim eo nomine appendit, regiæque ſuæ Bibliothecæ præfecit. Vir certè non in Hiſtoriâ modò, ſed in Oratoriâ quoque ac Poëtica facultate, omnique politiore literaturâ, ut illa ferebant tempora, egregiè verſatus. *Aub. Miræus.*

Digitized

Rupertus Gaguinus, natione *Gallus*, Ordinis Sanctæ Trinitatis, Generalis Magiſter, Doctor Decretorum inſignis, & tam in Divinis Scripturis quàm in ſæcularibus literis eruditiſſimus, Poëta clarus & Orator facundiſſimus, qui *Italos* ſæpe ſtupidos ſuâ eloquentiâ reddidit, ingenio excellens, vitâ & converſatione devotus. Scripſit utroque genere multa præclara opuſcula, quibus nomen ſuum longè latéque notificavit. *Trithem.*

Libros 11. de Geſtis *Francorum* ſcripſit: quibus Hiſtoriam complectitur annorum 1200. ac pertingit uſque ad annum 1500. Etſi verò communi multorum Hiſtoricorum vitio laboret, ut in rebus patriis, & inprimis ſuorum temporum, affectui aliquantum indulgeat; quo nomine de eo conqueritur *Ludovicus Vives*: non tamen audiendus eſt *Iacobus Mejerus Balliolanus* libro 17. rerum *Flandricarum*; ubi Scriptorem frivolum appellat. Sed gravius illud, quòd universè de Hiſtoricis *Gallicis* addat, *Res ſuas Galli non majori ſolent ſcribere fide, quàm gerere*, Nempe nimius amor patriæ fecit, ut, dum ſuos à *Francis* Hiſtoricis accuſatos purgare nititur, minùs rectè de præſtantiſſimâ, ſed inimicâ *Francorum* gente judicaret. Unde etiam eſt, quòd idem paullo ante *Ludovicum Galliæ* Regem, non dubitet *diabolicum omnium Diſcordiarum ſatorem* nuncupare. Nec tamen in rebus externis nimium *Gaguino* tribuendum videtur. De quo ita *Iovius* in Elogiis: *De fide* (in rebus *Gallicis*) *illi viderint, quorum intereſt incorruptam rerum memoriam ad poſteros tranſmitti. Nam in his, quæ ad* Italiam *pertinent hujus tempeſtatis uſque adeò inſolenter, & pingui ſtylo, cæcutire ſolet, ut, qui nulla orationis ornamenta in eo conſpiciunt, paſſim in ejus imprudentiam ſtomachentur. Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Dum vulgares ſequitur Commentarios provinciali ſcriptos linguâ, ineptos prorſus & multis locis falſos, ipſis etiam *Gallicis* Scriptoribus atteſtantibus, fides ejus ſubinde vacillat. Ita ferè *Mejerus* Annal. *Flandriæ* lib. 17. ad annum 1473. addens *ſolere Gallos res ſuas non majore ſcribere fide, quàm gerere. Val. Andreas* in Bibl. Belgic.

Robertus Gaguinus non ita pridem habitus fuit magni nominis, dictione tamen, quàm ſcriptis vendibilior: verùm ſuo ſæculo: nunc vix inter *Latinè* loquentes reciperetur. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 167.

Alter *Saluſtius* ac *Livius*, prudentiſſimuſque Hiſtoriographus vocatur *Eraſmo* in Epiſtolâ ad *Gaguinum*, quæ ejus Hiſtoriæ ſubjungitur.

Eruditus *Gaguinus* non modo in probatis Authoribus verſatus erat, ſed etiam Diſciplinarum ſcitu maximè dignatum abſolutiſſima notitia ornatus erat. Hujus teſtes ſunto tres illius libri de *Arte Poetica*: liber de *Conceptione Virginis* quem *Latinè* ſcripſit: deinde verò in *Gallicum tranſtulit*, adverſus *Vincentium* de *Caſtello-novo*; liber de *miſera hominis conditione*, cum tanta multitudine. *Orationum & Epigrammatum* quæ totidem præſtantis ejus ingenii argumenta miniſtrant. Sed dum de inſignibus ingenii ejus fœtibus mentionem facio, ejus *Annales Galliæ* oblivіſci non debeo, quæ eorum ſunt potiſſima pars. In hoc excellenti libro percipitur Hiſtoriæ ſenſus in ſua puritate; In hac relucet *Styli Romani* majeſtas inter ordinem & fidelitatem narrationis, ibique de palma cum celeberrimis Ve-

Digitized by Google

terum operibus certat: Cujus etiam rei Eraſmus hoc teſtimonium ferre voluit. *Gall. bactonus.*

Ille Robertus
Exæquat ſermone ſoluto
Stemmata Francorum, *& decus, & fera prælia Regum.*
Iam nihil eſt quod Gallia *doctos*
Invideat Latio; *ſuus ipſe contigit alter*
Livius,*ac* Saluſtius *alter.*

Iſ. Bullart. dans Acad. des Sciences.

Extant Annales Rerum Gallicarum lib. 11. *Par.* 1577. *Francof.* 1580. alia Opuſcula, *Pariſ.* 1598.

Hoc ejus Epitaphium *Lutetiæ* in Templo *Mathurinorum*, auctore, ut volunt, *Fauſto Andrelino*:

Illuſtris Gallo *nituit qui ſplendor in orbe*,
Hic ſua Robertus *membra* Guaguinus *habet*:
Si tanto non ſæva viro Libitina *pepercit:*
Quid ſperet docti cætera turba chori?
Phil. Labbe in Theſ. Epitaph.

PHILIPPUS BEROALDUS, Senior.

NAtus fuit *Bononiæ* anno 1450. Id. Nov.

Fuit è ſummis, ſui ſeculi viris, Lectionis penè infinitæ; ſed in quo ſubinde judicium deſideres. Indignus tamen, qui *maximè garrulus*, & *verboſiſſimus Interpres* dicatur à *Florido* in Apologiâ adverſus LL. Calumniatores. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. Clar. A. D. M D.

Beroaldum inter nobiles *Grammaticæ* Profeſſores ſummi nominis celebritate, & incredibili Auditorum frequentiâ *Bononiæ* docentem, externa præſertim Juventus effuſè mirabatur, quum ex multâ lectione, feliciqueque memoriâ, abſtruſæ doctrinæ opes venuſto oris geſtu proferret, & interpretando intacta ab aliis avidè ſectaretur. Cupiebat in obſcuris Authoribus lucem dare, & rancidæ vetuſtatis vocabula jam planè repudiata à ſanis Scriptoribus, in uſum *Romanæ Linguæ* revocare, uti apparuit ex *Commentariis* in *Aſinum Aureum Apulei*, cujus familiaritate, horridum eloquentiæ genus, perverſâ quadam libidine induerat, ita ut honeſtæ aures illud aſperum impuræ novitatis mirari primò, & mox admittere cogerentur. *Paul. Iov.* in Elog.

Non adeò moroſus eſt Junior *Philippus Beroaldus*, & longè melior Poëta, quàm *Philippus Beroaldus* Senior, qui & ipſi verſus ſcripſit, qui & paſſim leguntur: Sed de hoc nihil ſanè niſi miram hominis facilitatem penè ingenio & judi-

Digitized by Google

cio deſtitutam afferre poſſum; præſtitiſſet ille aliquid in *Phalaciis*, ſi ſibi temperare, quàm indulgere maluiſſet. At junior *Beroaldus* promptam, ac paratam habet ubique facultatem; Sed *Lyricis* ille magis, quàm alio ſcribendi genere delectatur, ex quibus & laudem aſſequitur, tametſi in his interdum ſibi nonnihil indulgere videatur. *Lil. Gyrald.*

Eraſmus in *Ciceroniano* ſuo cùm *Patrem* dixiſſet hominem de literarum ſtudiis præclarè meritum; *Juniorem* tamen (ut inquit) in *Ciceronianorum* Catalogum citiùs receperit; quanquam is perpauca miſit in literas. Sanè filius non tantus erat Sectator reconditorum verborum.

Beroaldus homo, ut illa tempora ferebant, neque indoctus, & minimè malus. *Lipſ.* l. 3. Var. Lect. c. 23.

Angelo Politiano Philippus Beroaldus, vir doctus & acutus; quod Commentariis in *Apuleium, Propertium, alios*, ſatis oſtendit. Sed parum tamen viri illi, quamvis præſtantiſſimi, ad penitus abolendam barbariem, valuerunt, donec *Germani* tandem aliquot ſuccrevere, quorum auſpicio & ductu plurimi veterum libri à mendis, quibus obſeſſi fuerant, prorſus liberati ſunt. Nec quiſquam, opinor, hanc *Genti* noſtræ laudem ereptum ibit. *Gaſp. Sciop.* 6. de Arte Critic. p. 6.

Picus Mirandulanus ipſum *Bibliothecam vivam*, *ambulans Muſæum* vocare non dubitavit; quo elogio aliàs *Longinum* Rhetorem *Eunapius* dignatus eſt. *Konig.*

Philippus Beroaldus vir Dictionariis quibuſdam addictus fuit, è quibus ſua eruit omnia, ſegniſſimus in *Apuleium* oſcitat. Hujus ſi vellem enarrata omnia perſequi, magni voluminis liber emittendus eſſet. Meras ſcripſit in *Servium* calumnias, non Correctiones. *Claud. Verder.* in Autor. Cenſione.

Philippus Beroaldus Bononienſis, initio ſeculi decimi ſexti clarus, ut variâ omnino eruditione, ita quoque poëticâ, cujus etiam laudes Scripto explanavit---- In *Epicis* minus aſſurgit. *Borrich.* de Poet. p. 95.

* Hic Auctor inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Ind. Madritienſ.* edit. ann. 1667.

Opera ejus partim vinctâ, partim ſolutâ oratione de variis argumentis ſcripta, *Lugduni* & *Pariſiis* 1499. & 1529. fuerunt edita.

Obiit anno 1504. Sepultus *Bononiæ*, ubi hoc ejus Epitaphium:

Philippo Beroaldo, ſeniori, *Civi* Bononienſi, *viro omnium quos ætas ſua tulit eruditiſſimo, atque eloquentiſſimo, eidemque humaniores literas* Parmæ, Lutetiæ, *atque in Patriâ ſummâ cum ingenii laude, atque audientium admiratione profeſſo*, Phil. & Vinc. *filii Heredes ex ipſius teſtam. P. P. vixit annos* LI. *menſes* VIII.

ACCIUS SYNCERUS, ſive JACOB. SANAZARIUS.

Clar. A. D. M D. NEapoli natus, Patre equeſtris ordinis viro claro inter ſuos & luculentarum facultatum. Hic *Accius* prius vocabatur *Iacobus Sannazarius*, quod nomen

nen gentilitium mutavit jam adultior. Is propter doctrinam, facundiam inſignem, morumque facilitatem *Ferrando Arragonum* Regi factus eſt amicus, & inter chariores aulicos & familiares receptus, cujus amicitiam ſingulari fide & conſtantiâ coluit quamdiu vixit. Expulſum enim *Neapoli* Regem in *Galliam* uſque exulem ſecutus eſt: unde reverſus ab eo multis honoribus, & beneficiis affectus eſt. At inter aulica munia, ſeriaſque occupationes, non deſiit bonas ſequi *Muſas*, & doctiſſimis lucubrationibus augere, & promovere Rempublicam Literariam: potiſſimum illo inſigni Poemate *de partu Virginis*: in quo de perfectione Poëſeos videtur cum antiquis decertare. Compoſuit & lamentationem de Morte *Chriſti*, & Eclogas aliquot, & *Epigrammatum* perfectiſſimorum librum *Buſſard.* in Icon.

Accius Syncerus Sannazarius, Neapolitanus, initio ſeculi decimi ſexti clarus, Poeſin *Latinam* ad illud faſtigium evexit ſplendore ingenii, imitatione optimi cujuſque Veterum, aptâ fictionum Poeticarum inventione, & acumine, ut paucis admodum ex eo tempore altius eniti conceſſum ſit. Clauditur tumulo ad *Pauſylypum*, vicinus cineri *Virgiliano*, ut qui arte pares, & ſtudiis, etiam monumentis conjungantur. Docet vel Epos illud illuſtre, quod de *Partu Virginis* libris tribus complexus eſt, nihil fere illius verſibus inveniri caſtigatius ---- Ad ſummam, digna omnia *Sannazarii*, quæ Poeſeos Candidatis attentè legantur, ita ubique in quocunque argumento regnat: cultæ ejus Eclogæ faciles & numeroſi elegi, arguta epigrammata, & libera. *Borrich.* de Poet. p. 105.

Scripſit, tanquam ambi dexter, *Ethruſca* ſimulatque *Latina* carmina, pari lepore ſaleque, arridentibus utrinque Muſis, quum multo felle odii ſubamarus præpilata jacula Jambis intorqueret; aut amorum ſuorum dulcedine reſolutus, tenerrimè laſciviret. Gravi autem & ſacro Poemate, *de Partu Virginis*, viginti Annorum limâ perpolito, ſummum decus fruſtra expectaſſe videri potuit: quum illæ quæ juveni exciderant, *Piſcatoriæ ecloga* publico exceptæ plauſu, reliquorum operum famam oppreſſerint, ita, ut eam publici tanquam iniqui judicii querelam aperto cum pudore, nec tamen ſine tacitâ voluptate devoraret. *Paul. Iov.* in Elog.

A *Pontano* nonnulli profluxere, tum in Poeticâ, tum in Arte Dicendi celebres. Unde & *Pontani* Academia nunc vulgo, ut *Trojanus Equus*, dicitur, in quâ nunc ſeneſcit, ni potius floret, *Accius Syncerus Sanazarius*, cujus ingenii exquiſita quædam monumenta legi, & in primis *Piſcatorias Eclogas* nonnullaſque *elegias* & *epigrammata*, in quibus quæ data ſunt omni laude digna, alia præterea ejus præter vernacula non vidi, & quoſdam *Virginei Partûs*, ut ipſe appellat, Heroicos: In quibus, ut ſic dicam, *ſtatarius* Poëta videri poteſt. Non enim verborum volubilitate fertur, ſed limatius quoddam ſcribendi genus conſectatur, & lima indies atterit, ut de illo non ineleganter dictum illud *Apellis* de *Protogene Pontanus* uſurpare ſolitus eſſet, *eum manum de tabulâ tollere neſcire.* Præter diligentiam curamque *Accii*, acerrimum quoque ejus judicium, & numerorum ſcientiam in poëticâ facultate cognoſcimus, quare ejus reliqua, quæ condidit ſummopere deſideramus, quæ longius ille jam ætate provectus ſupprimit.

Quare non ſatis mirari poſſum virum quendam alioqui eruditum deſiderare in *Pontano*, & ſi diis placet in *Sanazario Chriſtianam* elocutionem, hoc eſt barbaram. Sed hic cum ſuâ cenſurâ quâ homines *Italos* perſtringit, non diutiùs permanebit. *Lil. Greg. Gyrald.*

Pontano ſucceſſit *Accius Syncerus*, qui *Partum Virginis* matris mirè felici carmine deſcripſit, cui ſupra modum applauſum eſt à *Romano* Theatro. Teſtantur hoc abundè *Leonis* & *Clementis* Brevia (ſic enim hodiè vocant) tum *Ægidii Cardinal.* addita præfatio, ne cæteros commemorem: nec ſine causâ tantopere placuit. Mihi certè magnâ cum animi voluptate perlectum eſt opus utrumque Nam & *Eclogas* ſcripſit *Piſcatorias*. Quis autem talem Indolem in Juvene Patricio non exoſculetur? Hoc nomine præferendus eſt *Pontano*, quòd rem ſacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam, nec inamœnè tractavit. Sed meo quidem ſuffragio plus laudis erat laturus, ſi materiam ſacram tractaſſet aliquantò ſacratiùs. *Eraſm.* in Ciceroniano, p. 205.

Sannazarius terſus Poëta, & optimæ inventionis, Lectione digniſſimus. *Scaliger.* 1. p. 131. 132.

Accius Syncerus Sannaz. tantâ elegantiâ atque eruditione, ut cum ipſa antiquitate certare poſſit. *Barth.* ad *Nemeſianum* Eccl. p. 215.

Poëticâ laude floruit præ mortalibus ſui ævi. Sed quid ſui ævi? Quid ſi Neapoli majorem gloriam attulit *Sannazarius*, quàm *Statius Papinius*? Non erit iniquus cenſor qui hoc cenſeat. *Ludov. de la Cerda* in *Zen.*

Parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator. *Thuan.* ad ann. 1533. l. 11. Hiſt. p. 253.

Jeſ. *Rapinus* fatetur miram eſſe puritatem ſtyli Sannazari, ſed ait fabulæ ejus conſtitutionem in *Poemate* de *Puerperio* omni prorſus elegantiâ carere, ejuſque dicendi modum cum argumenti dignitate nullam proportionem ſervare. Alibi dicit ſatis illi Poetæ fuiſſe *Virgilianas* Phraſes exſcribere, ingenii ejus acumen nequaquam exprimendo: Eum quidem elati illius cothurni aliquos habere characteres, ſed non ſatis frequentes; Eum in proprium genium relabi, & inter vanos ſervilis imitationis conatus, nativi ſui ingenii paſſim indicia prodere. *Rapin.* Reflex. peculiar. in Poeticam. 2. parte, Reflex. 13. & 16. Gall.

In Carmine Sacro, ne ſemel quidem *Chriſtum* aut *Jeſum* nominare auſus eſt, offenſus, ut puto, parum Latinis auribus tritis nominibus. Similiter Vaticinia de *Chriſto* prolaturus, non *Eſaiam*, non *Davidem*, ſed *Proteum* ea canentem inducit in antro *Iordanis*. *Scipio Gentil.* in not. ad Epiſt. *Pauli* ad *Philem.* p. 40.

Carmina ejus ex parte habentur Tom. 2. *Delit. Ital.* p. 602.

Sepultus eſt juxta Villam *Mergillinam* in Templo *Deiparæ Virgini* ab ſe dedicato. Marmoreo autem tumulo *Bembus* hoc Carmen inſcripſit:

Da Sacro Cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus, *Muſa, proximus, ut tumulo.*

Paul. Iov. in Elog.

JOAN.

JOANNES LUDOVICUS VIVES.

HIſpanus, *Valentiæ* natus, claruit anno 1500. *Mariæ Henrici* VIII. primogenitæ Præceptor datus eſt: Verùm ob improbatum Regis divortium, iram ejus vix evaſit, in liberâ cuſtodiâ per ſex menſes detentus, poſtea in *Belgium* ſeceſſit; Obiit anno 1536. *Gul. Cave* Cartophyl. Eccleſ. Clar. A. D. M D.

Ioannes Ludovicus Vives, Valentinus, natione *Hiſpanus*, ſapientiæ illius veræ, non humanæ ſolùm, verùm etiam divinæ in omni vitâ ſtudioſiſſimus, quam & ſummâ cum laude eloquentiæ & virtutis plurimum illuſtravit lucubrationibus de eâ editis, & doctè prorſus & accuratè conſcriptis, probatus vir, induſtriâ, patientiâ, labore, animique magnitudine: Cujus immortalis famæ gloria, idque meritò, quod ad ſapientiæ cultum in omne ævum vivet perpetuò, magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto, obiit *Brugis Flandrorum*, an. 1541. *Boiſſard.* in Icon.

Ludovicus Vives, vir ut variæ doctrinæ, ita ſapientiæ propè incomparabilis. *Voſſ.* Epiſt. præfix. Art. Grammat.

Ludovicus Vives, vir longè eruditiſſimus, ac præclariſſimi judicii. *Barthius* in Adv.

Judicium ejus celebratur, quo inter III. viros illos R. P. conſtituendæ *literariæ* ejuſdem tempeſtatis excelluit, ut Budæo ingenium, *Eraſmo* dicendi copia, *Vivi* judicium tribueretur. Teſtantur id libri de *Corruptis diſciplinis*, quibus in *Artium* abuſus egregiè ſtylum ſtrinxit: ut & *Epiſtola* ad *Fortem*, barbaros *Sophiſtas* exagitat. Ita *Theologiæ* ſtudio ſeſe dedidit; ut ſui ſæculi *Theologos* adæquaret. Fidem faciunt docti illi *Commentarii* in *Auguſtinum* de *Civitate Dei*: quæque de *bello Turcico*, De *officio Piæ Matronæ* ſcripſit. In *Senecâ* emendando *Eraſmum* adjuvit, & *Adagiis* colligendis. Doctus certè & eruditus ſæculi ſui *Criticus*, ſcriptis, & eruditionis famâ perpetuò victurus. *Bibliotb. Hiſpan.*

Eſt apud nos *Ludovicus Vives, Valentinus*, nondum opinor vigeſimum ſextum egreſſus annum, ſed in nullâ Philoſophiæ parte non ſupra vulgum eruditus, tum in bonis literis, atque etiam in dicendi ſcribendique facultate eò progreſſus, ut hoc ſeculo vix alium norim quem auſim cum hoc committere. Nullum eſt argumentum in quo non exercuit ſtylum. Nunc *Veterum* exemplum referens declamat; ſed tantâ dexteritate, mihi crede, ut ſi titulum adimas, putes rem non hujus regionis, nec hujus eſſe ſæculi, magis autem feliciſſimis ac illis *Ciceronis* ac *Senecæ* temporibus natam, quibus *Coquis* & *Apiciis* aliquanto plus erat eloquentiæ, quàm nunc eſt iis, qui videri volunt *Orbis* Magiſtri. Artis obſervantiſſimus eſt, ſed ejus affectationem ita diſſimulat, ut neges rem adumbratam agi. *Eraſm.* l. 19. Epiſt. 101.

Equidem nec ingenium nec eruditionem in *Ioh. Lud. Vive* deſidero: adeſt illi parata ſententiarum ac verborum copia, cumque fuerit initio duriuſculus, indies magis ac magis in illo matureſcit eloquentia, quem ſi nec vita nec ſtudium deſtituerit, bona ſpes eſt, fore ut inter *Ciceronianos* numeretur. Sunt enim, quibus

bus ſcribendi conatus juxta *Mandrebuli* morem, ut habet proverbium, ſuccedat. Hic quotidiè vincit ſeipſum, & habet ingenium ad quidvis verſatile, cóque ad declamandi facultatem unicè compoſitus. Aliquot tamen *M. Tullii* virtutes nondum abſolvit, præcipuè jucunditatem dictionis & mollitudinem. *Eraſm.* in *Ciceroniano.* p. 185.

Hac in re (*de defectibus in informanda juventute, & corruptelis ſtudiorum*) laudabilem operam præſtitit *Ludovicus Vives*, qui non ſolùm de Tradendis Diſciplinis, ſed & de cauſis corruptarum Diſciplinarum aureolos planè ſcripſit libellos, plenos bonæ frugis, ac diligentiſſimè omnibus doctis legendos. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. pag. 333.

Joannes Ludovicus Vives multas nobiliſſimas lucubrationes doctè prorſus & accuratè conſcripſit, in quibus ſummam eloquentiam cum abſolutiſſimâ eruditione & *Chriſtianiſſimâ* pietate conjunxit. *Sixt. Senenſ.*

Quantæ *doctrinæ* & *Lectionis* vir fuit, docent, tum alii ejus libri plurimi, tum etiam *commentarii* ejus eruditiſſimi in *Auguſtini* libros *De Civitate Dei*, quos tunc conſcripſit cùm *Eraſmus Auguſtini* Operum omnium emendationem inſtitueret, & libri illi quinque De *Tradendis Diſciplinis*, doctrinâ, eruditione, ſapientiâ rarâ refertiſſimi. *Neander*, part. 1. *Geograph.*

Ludovicus Vives, rarum *Valentiæ* decus propterea quòd & declamator egregius, & Philoſophus magni nominis & multis rebus eminentiſſimus eſt habitus. *Quenſtedt.*

Joannes Ludovicus Vives ſolicitatus à *Cardinali Wolſæo*, *Angliam* viſitavit, ibique *Oxonii Iuris Civilis Doctor* creatus eſt, inque *Collegio Corporis Chriſti* morabatur: Quô decedente doctior nemo (inquit *Paulus Iovius*) in *Hiſpaniâ* ſuperfuit: Doctrinæ columen, decuſque vitæ. *Gul. Crovv.* Elench. Scriptorum in S. Script.

In Re Criticâ ſæpiſſimè lapſus eſt *Joan. Lud. Vives*, teſte *Gerard. Ioan. Voſſio.*

Vives fallitur, dum in libello quodam *Lucanum Virgilio* præfert; ſed librum de *animâ* compoſuit Patri meo *Iul. Scaligero* valde laudatum. *Scaligerana* 1.

Vives, de *Gellio* malo animo judicavit, ſed tamen benè; de *Diodoro Siculo*, idem malè judicavit. *Vives* fuit doctus: quæ ſcripſit in *Auguſtinum* ſunt optima, ſi ſpectemus illud ſæculum; ſed ſi noſtrum, nihil eſt: fuerunt aliqui *Luſitani* docti, pauci *Hiſpani*. *Scaligerana* 2.

Si *Latinæ Linguæ* puritatem excipias, benè literatus *Ludovicus Vives*. *Stephan.* Epiſt. Dedicat. ad *Aul. Gell.* Noct. Attic.

Ludovicus Vives, *Valentinus*, vir quidem doctus, ſed nimiùm ſæpè inſolens & elatus, quippe qui *Auguſtinum* docere præſumit. *Ioan.* Card. *Bona.*

A Natura judicio ſolido ingeniique vi mirifica inſtructus præclaris hiſce dotibus omnem animi contentionem neceſſariam ad felicem in Literarum ſtudio ſucceſſum addidit; quarum tam univerſalem notitiam ſibi comparavit, ut maximos celeberrimarum Academiarum *Europæ* Magiſtros in ſui admirationem rapuerit. Quicquid dicant illi qui in ipſum ſuſpicionem commovent, quod

quibuſ-

Digitized by Google

quibuſdam locis magni illius Eccleſiæ Doctoris (nimirum D. Auguſtini) ſententias alteraverit, diffiteri nequeunt quin illis alibi ſæpius lucem fœneraverit, quæ earum ſanctitatem & profunditatem conſpicuam reddit. *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

* *Ludovici Vivis Valentini* Annotationes in S. *Auguſtinum*, niſi expurgentur, prohibentur in *Indice Tridentino.*

Extant Opera omnia *Brug.* 1555. *Baſ.* 1560. 2. Tom. fol.

In hunc Autorem *Nicolaus Borborinus* hoc *Epigramma* ſtruxit:

Ingenium, corpus, mores, facundia, candor,
Et ſtylus, invicto quo velit enſe, vales:
Hæc pretioſa ut ſint; tamen iſto nomine Vives:
Nil tibi tè dignum fata *dedere magis.*

JACOBUS FABER.

STapulenſis, vixit 101. annos, purus ab omni contagione muliebri. Obiit anno Dom. 1537. Clar. A. D. MCIII.

Erat is ad *Stapulas* maritimum *Picardiæ* pagum ex ignobili familiâ natus, cultumque ingenii, quem illa tempora ferebant, inter aniles ſophiſtarum nugas & ineptias apud *Pariſios* acceperat. Sed hanc fortunæ tenuitatem generosâ planè indole ſuperabat. Cùmque pro ſolerti, quo pollebat, judicio aliquid in literis majus, omninò & præclarius eſſe ſentiret, quàm quod antè à Barbaris illis & imperitis præſtitum eſſet; partim ſuo impulſu, partim eruditorum hominum, qui tum in *Italiâ* florebant, exemplo & æmulatione incenſus, totum ſe in illius boni cognitione & ſcientiâ collocavit; eo eventu, ut & ipſe perfectiſſimè doctus evaderet; & alios aptiſſimâ deinde methodo facilitateque doceret: non voce tantùm & prælectionibus, verùm & ſcriptis, quibus ad univerſam *Ariſtotelis* doctrinam, Matheſeoſque partes omnes planum & facilem poſteris aditum patefacit. *Scævol. Samarthan.* in Elog. *Gallor.*

Ab hoc homunculo genere ſtaturâque perhumili, ſed ab ardenti ingenio cum Optimatibus haud dubiè conferendo, totius *Galliæ* juventus ad cultarum literarum ſtudia alacriter excitata eſt. *Faber* enim *Ingeniorum* appellari volebat: quum in omni ferè doctrinæ genere ad docendum aptiſſimus haberetur. Defuit in eo, dum ſcriberet, illa *Latini* Sermonis puritas, quæ diu, aut neglecta apud externos, aut parum accuratè quæſita, non magnopere fervida ingenia delectabat. Scripſit Commentarios in *Aſtronomicis*, juventuti perutiles, & Scholia in *moralem Philoſophiam* perdiſcentibus opportuna: ætate autem confectus, quum ſacras literas attigiſſet, à *Lutherana* doctrinâ non procul abfuit, ita ut in eâ ſuſpicione ſenex moreretur. *Paul. Jov.* in Elog.

Jacobus Faber, celeberrimus noſtri ſeculi Philoſophus, *Belgicæ*, quinimò totius *Galliæ* unum decus. Primus apud *Gallos* (ut *Cicero* apud *Romanos*) Philoſophiam

Digitized by Google

phiam rudem adhuc & impolitam cum eloquentia junxit. Eſt in dicendo ſublimis, in ſententiis gravis, in attentione exquiſitus, in compoſitione diligens ac curioſus. *Trithem.*

Vir probus eſt *Faber*, eruditus, humanus, denique vetus etiam amicus *Eraſm.* Epiſt. l. 2. Epiſt. 24.

Vir pius & doctus, ſed qui Theologicè dicere maluerit, quàm *Tullianè*. *Idem* in *Ciceroniano* p. 168.

Iacobus Faber, Stapulenſis Sorbonicus Doctor, mole exiguus, ingenio maximus ex ſeipſo natus. Divinarum humanarumque rerum callentiſſimus. *Hofman.*

Fabrum literis renaſcentibus facem prætuliſſe ait *Thuanus* Hiſtor. l. 17.

Jacobus Faber tum in *Ariſtotelem* ſcripſit, tum *Dialecticam* ipſe compoſuit, multaque ex receptis ſuo ævo Opinionibus tanquam ex cœno trahit. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 4.

Anno 1503. magnum in *Matheſi*, in *Philoſophiâ* tamen inprimis, nomen ſuſtinuit *Iacobus Faber Stapulenſis. Voſſ.* de Mathem.

Jacobus Faber Stapulenſis, Celeberrimus Philoſophus, ac literis Divinis & *Humanis* apprimè excultus, ſed nonnullis novitatibus affectus, quarum causâ reſectus fuit à corpore *Sorbona*, &c. *Spondan.* ad ann. 1523. Num. 15.

Hic ille *Faber Stapulenſis* eſt, humili quidem patriâ ortus humili contemptoque corpore homuncio, verùm vir animo excelſo, atque divino: Philoſophus, non, ut illa ætas volebat tenebricoſus, ſed ſincerus, tradens ea, quæ perſpicuitatem lucemque adferunt in explicandis doctiſſimis Philoſophorum Sententiis. Nulla *Philoſophiæ* pars erat, quam ille probè non callebat, promptè & dextrè aliis non tradebat, barbaris illis verbis, ſententiis ac axiomatis, quæ niſi à barbaris intelliguntur, exploſis. In *Metaphyſicis* ea, quæ *Christiana* Philoſophiæ conſona, ſæpè ſuis inculcabat. *Jac. Verheiden.* in Elog. Theol.

Equidem certè Commentarium ejus in *Ethica Ariſtotelis*, *Pariſiis* anno *Chriſti* 1504. h. e. ante hos annos centum & quadraginta duos editum, pro erudito agnoſco: quippe qui optimis è *Plutarcho, Plinio, Herodoto, Halicarnaſſeo, Curtio, Tacito, Iuſtino, Laertioque*, ſententiis ita eſt undique exornatus, & verſus è *Virgilio, Ovidio, Horatio, Juvenali, Heſiodo*, aliiſque Poëtis adeo eleganter atque concinnè huic materiæ accommodatos habet, ut mirum ſit iſto, tam corrupto rei literariæ ſæculo, ejuſmodi ſcriptum potuiſſe naſci. *Henr. Iul. Scheurls*, Bibliograph. Moral. Impreſſ. in 8°. *Helmſtad.* 1686.

* *Iacobi Fabri* Opera ſequentia. Commentaria in Evangelia: In Epiſtolas S. *Pauli*: In Epiſtolas Canonicas: De tribus *Magdalenis*: Item in *Pſalmos*; tamdiu prohibita ſint, quandiu ab alicujus *Univerſitatis Catholicæ* facultate Theologicâ, vel juſſu inquiſitionis Generalis emendata in lucem prodierint. Index. Romæ Impreſſ. anno 1681.

Extant in Epiſtolas Canonicas Commentaria 8. *Baſil.* 1527. 8°. *Antverp* 1540. 1568.

Extant in Epiſtolas Pauli Comment. fol. *Pariſ.* 1515. 1517. 1531.

Extat

Digitized by Google

Extat Pſalterium quintuplex Latinè, continens quinque Verſiones Pſalterii *Davidis, Pariſ.* 1509.

Hoc ejus Epitaphium : *Simone Vallamberto* Autore:

Hâc quicunque urnâ Fabrum *putat eſſe ſepultum,*
Errat; cœleſtem non tegit urna virum.

Aliud *Georg. Buchanano* Auctore:

Qui ſtudiis primus lucem intulit omnibus, artes
Edoctum cunctas hac tegit urna Fabrum.
Heu tenebræ tantum potuere extinguere lumen?
Si non in tenebris lux tamen iſta micet.

RAPHAEL MAFFEUS VOLATERRANUS.

Clar. A. D. MDV.

I*Talus, Volaterris Hetruriæ* Urbe natus eſt. Obiit *Volaterris* Anno Dom. 1521. annos natus pluſquam ſeptuaginta.

Hic *Raphaël* primos ætatis annos ſtudiis bonarum diſciplinarum impendens, in virum doctiſſimum evaſit; quod ejus ſcripta ſatis teſtantur. Vir fuit habitu corporis venuſto, facundiâ elegante, & morum gravitate vitæque ſanctimoniâ clarus. Ejus opera præcipua hæc citantur. Commentariorum Urbanorum libri triginta octo--Oeconomicum *Xenophontis* ab eo interpretatum—De Principis & Ducis Officio lib. 1.—Monodia ſeu funebris Oratio *Gregorii Nazianzeni* latinitate donata-- Inſtituta Monachorum --- *Procopii Cæſarienſis* de Bello *Perſico* & *Vandalico* lib. 2.---De fide *Chriſtianâ* lib. 10. --- *Baſilii* Oratiunculæ decem. Et alia quædam ex Græcis Theologis, quæ in Latinum ſermonem tranſtulit magnâ cum laude,& reconditæ eruditionis adprobatione. Vixit inter ſuos quietè, & præcipuâ admiratione virtutis. *Boiſſard.* in Icon.

Fuit hic Vir infinitæ propè lectionis, quippe qui diſciplinas omnes in acervum conjecerit, utili potiùs in alienâ deſidiâ, quàm ad explicatæ doctrinæ decus nobili opere: non multo enim cum ſale, & ſine ornamento *Latinæ* Orationis, cuncta aſtricto ordine ita digeſſit, ut alibi quærenda legentibus indicare videatur. Ea verò, quæ de *Principibus* ætatis ſuæ ſcripſit tanquam timido ore carptim enarrata, rerum ſuperiorum haud dubie fidem elevant: oſtenduntque ea omninò certâ veritatis luce carere, quæ inter adulationem & metum nec præſentis nec futuræ ſpe laudis, intempeſtive publicantur. Sed multum herclè debemus ingenuo gratuitoque labori, quo hic integritate vitæ vir optimus, delicatis rerum noſcendarum compendia demonſtravit, & *Procopium* de *Perſico*, atque *Vandalico* Bello, ſincerè potiùs quàm ſplendidè convertit. *Paul. Jov.* in Elog.

Vir multæ erat doctrinæ, & induſtriæ: ſed qui tamen non ſatis magnam

Græcæ linguæ notitiam fuerit adeptus: quod multa adeo perperam ab eo verſa oſtendunt: ut omninò aberret *Iovius*, cùm ab eo *Procopium* de Bello *Perſico*, & *Vandalico* ſincerè potiùs, quàm ſplendidè converſum ait. Præterea condidit *Urbanorum Commentariorum* libros 38. quos *Iulio* II. Pontifici inſcripſit, atque *Urbanos* vocat, quia in Urbe *Româ* conſcripſit. Ex mille amplius utriuſque linguæ *Auctoribus* eos ſe congeſſiſſe, ipſe ait. Tribus verò Tomis diſtinxit, quorum primus *Geographiam* veterem continet: alter *Anthropologiam*, ſive Viros illuſtres: tertius *Philologiam*, ſive *Artium* rudimenta. Itaque in Præfatione ad *Iulium*, opus hoc πανδοχεῖον appellat, quaſi quo omnia comprehendantur. *V. ſſ.* de Hiſt. Lat.

Bona eruditorum pars ei defert mediocrem eruditionem, cùm nihil, quàm aliena hinc inde in ſua immenſa volumina tranſtulerit: in *Græcis* vertendis vel pueriliter perſæpè lapſus *Florid. Sabin.* in Apol. adv. LL. Calumniat.

In *Græcis* parum verſatus *Raphaël Vollaterranus* fucatam eruditionem oſtentat, & dum *Interpretem* ſe gerens ſupra ſeipſum aſſurgit, quæſitâ laude cecidit. *Huet.* de Clar. Interpret.

Raphaël Volaterranus, variæ vir eruditionis ac latè patentis---Author magnam ſanè diligentiæ laudem meritus. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl.

Hic Vir quamvis admodum celebris nullius omnino artis valde peritus erat, ſed in Tranſlationibus miſerandus erat, quia Græcæ linguæ ignarus erat, adeo ut perpetuò, totidem illæ ſint indigeſtæ farragines, in quibus tamen animadvertitur oſtentatio, inſulſaque eruditionis ſpecioſitas. Scriptorum peritia vel in ipſorum erroribus agnoſcitur; Sed *Volaterrani* lapſus adeò pueriles ſunt, ut ſimilis ferè cenſeatur pueris qui ſolent loqui neſcientes quid ſibi velint. *Eruditorum Iudicia* per Dominum *Baillet*. Pariſ. 1685. *Gall.*

Bibliographus Anonymus ait in illo Opere (*Commentariis* nimirum) plurimum non eſſe ponendum, ineptiis & quiſquiliis refertum eſſe; In illo tamen plura occurrere circa res *Italicas* quæ Authoris tempore contigerunt, præſertim verò in privatis familiis quæ ſcitu digna ſunt, quæque nuſquam alibi quàm in illis *Volaterrani* noſtri *Commentariis* occurrunt. *Baillet.* ibidem.

Eruditus vir & acerrimi Judicii. *Baudius* libro 2. Epiſt. 8.

Extant ejus Opera *Lugduni* 1599.

Conditus eſt in templo *Sancti Lini* prope ſummum Altare, arcu marmoreo, ubi ejus Imago ſaxea incumbens arcæ, quæ oſſa continet, poſita eſt cum hâc inſcriptione: *Scitur ad aſtra.* Arca marmorea quâ corpus clauditur, lauream in modum coronæ triumphalis implexam habet, ubi ſculptum eſt: ΑΠΝΟΟΣ ΠΝΟΩ. Et infra tale legitur Epitaphium:

Chriſti

Chriſto Servatori

Raphaeli Maffeo Gerardi Maffei *P. Doctrinâ, Pietate ac Sanctitate cum quovis antiquo comparando, ut ejus indicant opera egregia, teſtantur Miracula. Vixit annos* LXX. *menſ.* XI. *di.* VIII. *obiit anno ſalutis* M. D. XXI. VIII. *Kal. Februar.* Marius Maffeus *Epiſcopus* Cavalicenſis, *Fratri ſanctiſſimo P.*

FRANCISCUS XIMENIUS.

C*Iſnerenſis, Hiſpanus*, Ordinis *Minorum*, *Cardinalis*, *Archiepiſcopus Toletanus*, & *Hiſpaniarum Archicancellarius*, claruit ann. 1506. obiit an. 1517. Chr. An. DC MDVI.

Hic univerſum Vetus & Novum Teſtamentum variis linguis in Urbe *Complutenſi* edidit, & *Leoni* X. Pontifici dedicavit. Id opus *Biblia Complutenſia* vulgò appellant. Expreſſum eſſe dicitur ex caſtigatiſſimis & vetuſtiſſimis exemplaribus, ex *Vaticanâ* & *Mediceâ* Bibliothecâ deſumptis, vel a *Venetorum* Senatu tranſmiſſis, aut aliunde, nullâ impenſarum aut laborum habitâ ratione, conquiſitis. Ab hoc *Ximenio Complutenſis* etiam *Univerſitas* fundata eſt. *Konig.*

Hic *Ducatorum* ſexcenties millenis millibus impenſis ſex tomos Anno 1515. emiſit, ita ut in *Veteri Teſtamento* textum *Hebraicum* & paraphraſin *Chaldaicam*, cum duabus Verſionibus *Latinis*, in Novo textum *Græcum*, cum Verſione *Latinâ* collocaret. Hoc opus *Leo* X. magnificis privilegiis munivit, & omnibus magnopere commendavit. Meritò autem numeratur *Opus* inter Inſtrumenta media, quibus *Deus* ſuperiori ſeculo doctrinæ Cœleſtis puritatem in lucem revocare voluit. *Alſted.* l. 32. Encyclop. c. 7.

Franciſcus Ximenes Cardinalis, & *Archiepiſcopus Toletanus*, ſummus omninò vir, & felici ſidere iſtis temporibus *Hiſpaniæ* datus, quibus ſingularis quidam & divinus in conſtituendis *Academiis* ardor agitaverat *Magnatum* animos. *Herman. Conring.* de *Hiſpan.*

Dignus ſanè *Franciſcus Ximenius Ciſnerus*, qui doctos inter *Hiſpanos* recenſeatur; qui ad ſummum dignitatis faſtigium ob inſignem eruditionem meritò eſt à *Regibus Catholicis* evectus. *Hiſpan.* Biblioth.

Franciſcus Ximenius Cardinalis, cujus pietati & animi magnitudini tantum *Hiſpania* debet. *Thuan.* ad an. 1552. l. II.

Illa ad omne ævum duratura *Bibliorum* editio. *Idem* ibid.

Superius Seculum Scripturæ Sacræ verſionibus in Occidentis Eccleſia feraciſſimum fuit. Viri quidam Docti qui *Hebraicam Linguam* didicerant Bibliorum Tranſlationem ad Hebraïcum Textum ſe adornare poſſe rati ſunt accuratiorem veteri Vulgata Latina quam Beato Hieronymo aſcribunt. Hoc fuit in cauſa cur breviſſimo temporis ſpatio ingens viſus fuerit numerus Tranſlationum ab invicem ſatis diverſarum, licet Omnes ſe ad Hebræum idem autographum *Biblia* interpretari contenderent. Jeſ. *Rich. Simon.*

Cardinalis *Ximenius* non fuit omnino tam audax in novis ſuis Alcalenſibus

ſibus ſeu Complutenſibus Bibliis, anno 1515. excuſis,in quibus Textum quidem Hebraïcum concluſit,ſed nullam Textûs ejuſdem aliam Interpretationem adjungere auſus eſt præter *Hieronymianam*, quæ alias *Vulgatæ* nomine venit. Vulgaria tamen Exemplaria pluribus emendavit locis ſecundum alia Latina Exemplaria caſtigatiora, imo & quandoque juxta *Hebraicum* atque *Græcum*. Collocavit inſuper *Vulgatam* Verſionem inter Hebræum Textum & Septuaginta Interpretationem, hac ratione demonſtrare intendens in Eccleſia Occidentali nullam aliam Scripturam, ut normam agnoſci quàm Verſionem illam Latinam inter *Hebræum* atque *Græcum* à ſe collocatam. Conſilium ejus quamvis bonum & juſtum ſiniſtrè tamen Theologi complures interpretati ſunt, cui cenſuræ anſam ipſe dedit, quia hæc Biblia tribus columnis diſpoſita cum *Domino Noſtro* inter duos *Latrones* poſito comparavit; Textu Hebraïco,ex ejus ſententia, perverſum Latronem, Verſione verò Græca probum Latronem referente. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. Teſtam. lib. 2. cap. 20. *Gall.*

Extant *Sacra Biblia*, *Complutenſia* dicta, 6. Vol. *Compluti* 1515. Fol.

Hoc ejus Epitaphium, in Academia *Complutenſi*:

Condideram Muſis Franciſcus *grande Lyceum*,
Condor in exiguo nunc ego Sarcophago.
Prætextam junxi ſacco, galeamque Galero,
Frater, Dux, Præſul, Cardineuſque Pater.
Quin virtute mea junctum eſt Diadema Cucullo,
Cum mihi regnanti paruit Heſperia.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

DESIDERIUS ERASMUS.

Clar. An. D. MDX.

NAtus *Roterodami* Octob. 28. Anno 1467. Obiit *Baſileæ* 1. Julii Anno 1536. Cum anteà *Gerardus Gerardi* diceretur, poſt *Deſiderius Eraſmi* vocari maluit. *Symbolo* uſus eſt: *Cedo Nulli.*

Spiritum & vitam *Eraſmo* debent renaſcentes literæ. Gratus & acceptus ſummis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus. Propenſior naturâ fuit ad Jocos quàm deceret, quàm nonnunquam expediat, ut de ſe ipſe fatetur ad *Botzerum*. Multa vir tantus ſcripſit, quæ in 9. Tomos diſtributa, hodiè cum ſummo omnium ſtupore leguntur. Inter alia plura non poſtremum locum obtinent *Epiſtolæ:* In iis enim tota elucet ejus vita, in iis ejuſdem patet *genius*, ingenium, mores, eruditio, animique dotes. *Suvertii Athenæ Belgicæ.*

Ut erat peregrinationis amans, pleraſque *Chriſtiani* Orbis *Academias*, magna celebritate famæ, quà docendo, quà ſcribendo, obivit; major & apud poſteros futurus, ſi minor eſſe voluiſſet. Nam ſi intra profeſſionis literariæ terminos ſubſtitiſſet,ſéque totum hiſce ſtudiis,quibus in primis videbatur, dediſſet,

Digitized by Google

dediſſet, paria fortaſſe cum primis illis *Latini* Sermonis auctoribus facere potuiſſet. At verò poſtquam Theologum agere voluit, ingenio fiſus nimium ſibi arrogavit, & in tractandis *Sacris Literis* veterumque Patrum monumentis rigidum nimis cenſorem ſe præbuit. *Aubert. Miraus.*

Neque ego video quæ gratia ab ullo digna meritis ipſius haberi poſſit. Cujus diligentiâ, labore, aſſiduitate, & *Conſtantiâ* illius temporibus periculosâ, perfectum eſt ut libros Scriptorum Apoſtolicorum & Evangelicæ Hiſtoriæ integros puroſque habeamus. Neque meâ quidem ſententiâ ullius operæ, quæ corrigendo ultra *Eraſmicas* notationes progrediatur, locus eſt relictus. *Camerar.* in Nov. Fœdus.

Notum enim divinum *Eraſmi Roterodami* ingenium: nota incredibilis illius viri & multiplex eruditio; cum pari induſtria & dexteritate conjuncta. *Gaſp. Sciopp.* de Arte Critic. p. 6.

Eraſmus ingenioſus Scriptorum cenſor. *Lud. Viv.*

Sed acumen *Eraſmianæ* cenſuræ & certitudinem, quam in *Latinis* præſtitit, in *Græcis* prorſus deſidero. *Ioan. Hales* in Not. in *Chryſoſtom.* Homil. in Hebr.

Eraſmi Epiſtolis nihil eſt ſuavius & acutius. Latinitas in illis non mala, non quidem talis, quam ad imitandum aliquis proponere ſibi debeat (hic enim antiqui Scriptores *omne ferunt punctum*) ſed nativi, extemporalis, & interdum aliquem ex rebus colorem trahens, quod accidit interdum Scriptoribus doctiſſimis, *Grotio*, *Salmaſio* ac aliis. Illi enim autores prout res ſunt, quas tractant, prout in Autores ſcribunt, à quorum lectione recentiores diſcedunt, ſtylum ſuum formare ſolent----Vaſtum hoc opus eſt variarum ejus *Epiſtolarum*, non quidem omnium; nam multæ etiamnum ineditæ ſunt, & earum multæ Manuſcriptæ in Bibliothecâ *Gudianâ* aſſervantur. Ipſe *Eraſmus lib. 27. epiſt.* 42. non diffitetur, multas ſibi eſſe Epiſtolas ex tempore ſcriptas & dictatas, quarum nullum ille exemplum ſervaverat; doletque multas ex illis in vulgus emanaſſe. *Cornucopiæ* meritò dixeris variarum rerum. Continentur in illo libro arcana ſtatûs, Civilis, Eccleſiaſtici, Literarii illorum temporum, faceta nonnunquam & jocoſa, ut ipſe fuit ingenio mirè feſtivo, e. g. cùm morem oſculandi in *Britanniâ* deſcribit, *lib. 5. epiſt.* 10. & jurgium ancillæ cum herâ, *lib. 5. epiſt. 6.* Editio Epiſtolarum illarum *Frobeniana* editione *Londinenſi* & cæteris longè melior eſt & correctior: multis enim mendis hæc poſtrema ſcatet, quanquam aliqua parte locupletior. Index huic operi ſubjectus utiliſſimus eſt. Lites in Theologorum palæſtris tum ventilatas, & quicquid in illarum hiſtoriam pertinet, illic deprehendes. Quanquam *Eraſmus* ſe medium ſemper geſſerit, ſtudium tamen partium non rarò deprehendes. Magna fuit ejus viri veneratio, & meritò quidem, ingenium excellens, vaſtum, diffuſum, fœcundum, acre, promptum, ad omnia paratum, in decus & miraculum Seculi natum. Triumphare duobus his civibus *Batavia* poteſt, *Eraſmo* & *Grotio*, quibus pares poſtera ſecula non facilè datura ſunt. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. pag. 281. 283.

Eraſmus Roterodamus primus fuit inter *Adagiorum* Collectores quod opus ipſi

ipſi ſuo tempore profectò fuit difficillimum: Nam credo illum plus laboris operæque huic Scripto impendiſſe, quàm multis aliis. Liticulam illi aliquando movit *Cœlius Rhodiginus*, quaſi ſurripuerit ſibi aliqua circa Adagia meditata; ſed non habet, quo jactet ſe *Rhodiginus*, quod guttulâ unâ vel alterâ hunc fontem auxerit: paucula enim ſunt quæ in opere ipſius *Antiquarum Lectionum* habentur de quibuſdam adagiis. Etiam *Verdierius* nugaciſſimus ille veterum & recentiorum cenſor, pag. 158. ungues ſuos in hoc opere figit, cui ſimilem ille ne paginam quidem ſcribere poterat. Multæ ſunt operis ejus editiones. *Erobeniana* eſt emendatiſſima. Edidit & *Henricus Stephani* è typographeo ſuo. Nova editio omnium eſt corruptiſſima, licèt cæteris locupletior: nam adjecti ſunt *Eraſmi* Chiliadibus *Cognati*, *Iunii*, & aliorum auctorum Adagia. Liber eſt, quô nemo carere poteſt Latinæ Linguæ paululum ſtudioſior. Sufficere tamen tyroni Epitome ejus poteſt, & in *Germania* & *Amſtelodami* nitidior edita. In quâ præterea laudandum eſt, quòd *Adagia* ſuis ſub titulis ponantur, quod non fit in magno opere, ubi Index ſupplet locorum communium titulos. *Idem* ibid. p. 252.

At *Eraſmi* quanquam fere extemporaliter, & ab occupatiſſimo ſcriptæ *Epiſtolæ* mihi ſupra modum placent. Præter eruditionem enim, eloquentiam, & tam in literis, quàm in quibuſvis aliis rebus prudentiam, quam continent. *Lutherana* etiam ſectæ initia, aliaſque res tradunt: quas neſcio cur Auctor ſecundùm temporis ordinem, qui in literis edendis omninò neceſſarius eſt, non digeſſerit, ſed ejus rei cauſas ſe habuiſſe dicit, *Roland. Mareſ.* epiſt. l. 2. epiſt. 1.

Inter recentes, qui multa egregiè ſcripſerunt nemo meâ ſententiâ *Eraſmum* præceſſit, ſive judicium, ſive eruditionem, ſive eloquentiam ſpectes, quem non verear cum quovis antiquorum conferre: qui ſi totâ vitâ cum Theologis quibuſdam & *Monachis* conflictatus non fuiſſet, meliora etiam quàm edidit, Orbi communicare potuiſſet; & ſi tam mordax, aut in quibuſdam tuendis tam pertinax non fuiſſet, nihil in eo viro illa ætas quod deſideraret, habuiſſet. *Roland. Mareſ.* ibid. Epiſt. 26.

Quidam intra *Novi* ſolius *Teſtamenti* cancellos ſuam in interpretando induſtriam explicuerunt, quorum facilè, meo judicio, princeps eſt *Deſiderius Eraſmus*: is eâ felicitate hanc ornavit *Spartam*, ut & verba verbis, & ſententias ſententiis, & ſaporem ſapore exæquaverit; & perſpicuitatem tamen cum dictionis caſtitate, & nativo illo colore obtinuerit, quæ ad integram *Interpretis* laudem unicè requirebamus. Quinetiam ubi propter *Latinæ Linguæ* indolem, quod uno *Græci*, idem pluribus exponere verbis neceſſe habuit, aſcititia verba vario & inſigni charactere depingi curavit, quo fidei ſuæ integritas palàm extaret. *Huet.* de Clar. Interpret.

Eraſmus perſpicaciſſimo vir ingenio, ſeipſo haud dubiè futurus major (quod ſcribit *Iovius Paulus*) ſi *Latinæ Linguæ* conditores imitari, quam petulanti linguæ indulgere maluiſſet. *Eraſmi Chiliades* excellentiſſimum opus. Nimius tamen fuit, & quandoque ſapit *Germanum*, videtur enim magnum numerum affectaſſe, eadem quater repetens. *Scaligerana prima* p. 79.

Potiſſima

Potiſſima ejus opera ſunt ejuſdem *Chiliades*, ejus *Epiſtolæ*, ejuſque *Novum Teſtamentum*, quod bonum eſt: non paucis erroribus laborant quoad Latinitatem ejus Colloquia: Nimio habet in pretio *Latinitatem* Hieronymi qui malè loquebatur — Eraſmus meliùs quàm ille loquebatur ——— Nullus unquam ſive *Papiſta*, ſive *Lutheranus*, ſive *Calviniſta* præſtantiorem elucubravit librum, nec elegantiorem ejus in *Novum Teſtamentum* Paraphraſi. Quamvis Parens meus adverſus Eraſmum calamum ſtrinxerit, magni tamen Eraſmum facio; magnus fuit vir. In quam præclara Epiſtola in ejus Epiſtolarum fronte ſcripta eſt. *Eraſmus magnus Vir* ... *nam edidit paraphraſin.* Eraſmi *Præfatio in* Senecam *eſt præſtantiſſima:* ... *de ea judicavit, melius adhuc quàm* Lipſius. Pœnituit Patrem adverſus illum ... ipſiſſe. Culpam ſuam agnovit, *ſed fuerat irritatus cùm vocaretur ab* Eraſmo Miles, quaſi per contemptum, *ut Amphitheatrum vocat Dominos* Pleſſæum ... Lanovium, Miltes per contemptum. In Italia *Adagia* typis mandari curarunt, ac expunxerunt *Eraſmi* verba & 500. inſeruerunt *Adagia* quæ talia non ſunt. Muretus *illos ridet. Eraſmi Annotationes in Novum Teſtamentum multa habent doctiſſima, & ipſius* Paraphraſis *eſt inſtar optimi Commentarii, quamvis in quibuſdam erret* ——— Oportet Magnos Viros in vita ſemel errare; *& ille in* Dialogo Ciceroniano *nugaciter lapſus.* Scaligerana ſecunda. Gall.

Quibuſdam viſus eſt non ſatis eſſe *Ciceronianus*, ad ſtructuram & verba *Tullianæ Dictionis* omnia ſeverè exigentibus. Sed ipſum ſtylum apertum, extemporalem, purum, facilem, & argutum ſemper amavit, vocabulis quibuſdam uti coactus eſt, *Chriſtianæ* Religionis materiæ quam tractabat ſervientibus. *Beat. Rhenan.* Epiſt. ad *Carol.* V.

Salibus, & iis interdum aculeatis abundant nonnulla ejus *Opera*, in quibus craſſos errores, & aniles quaſdam ſuperſtitiones Orationis Libertate perſtringit, unde orta eſt Opinio contemptarum Religionum: Sed *Norma Chriſtianæ Charitatis* ſuadere debuit humaniorem interpretationem. Videtur autem *Eraſmus* magis habuiſſe quid fugeret, quam quid ſequeretur. Unus omnia pervidere non potuit, & rem haud exiguam præſtitit, quòd in tantis ignorantiæ tenebris oculos attollere potuerit ad inveſtigandam lucem veritatis. Meticuloſior fuit & timens offenſarum, atque hoc unicè in vitâ ſtuduit, ut omnium ordinum & generum benevolentiam colligeret. Id forſan impedimento fuit quo minus cornicum oculos configere auſus fuerit, & omnia iniquitatis myſteria velo levato patefacere. Multum tamen, imò infinitum ei debet poſteritas, & fortè non haberent reprehenſores ejus unde famam conſequi potuiſſent, niſi ipſis dediſſet quod reprehenderent. *Dominic. Baudius* Epiſt. Centur. 2. Epiſt. 27.

... *Eraſmo* admodum infeſti ſunt. *Bellarminus* eum inter *Semichriſtianos* referre non erubuit. *Poſſevinus* nomen ejus ex omnibus Catholicorum Scriptis expungi debere affatur *Stapletonus* murem errantem vocat. *Forerus* in *Araneâ* ... ait, qui ex omnium hominum memoriâ eraſus eſſet. Quidam etiam *Eraſmo Arianiſmum* objicere non verentur: non debuit autem vir optimus venire in tam atrocem ſuſpicionem, à quâ ſatis ſuperque eum liberat explicatio primi capitis *Evangelii* ſecundùm *Joannem*. *Konig.* in Biblioth.

Xxx Vir

Vir hic jure ubique magnus, ſed an tantus fuerit quantus à nonnullis exiſtimatur, haud mihi parum liquet; certè inter *Germanos Latinus*, inter *Latinos* aliquando *Germanus. Lil. Gyrald.*

Eraſmus magnus certè opinator. *Montacut.* Apparat. 1. ſect. 79.

Varro ſui ſeculi, & *Cicero Germaniæ* vocatur *Paulo Jovio.*

Magnum *Bataviæ* lumen vocat *Voſſ.* de Hiſt. Lat. p. 713.

Admirabilem habet facilitatem ad Lucem. *Lud. Viv.* lib. 3. de Tradend. Diſcipl.

Vir magnô ingeniô & eruditione, neque minore judicio & prudentiâ: qui tamen noſter profectò non fuit, neque eſſe vel audire unquam voluit. *G. Calixt.* in Appar. Theolog. pag. 154.

Adagiorum Opus ab *Aldo* impreſſum an videris neſcio: eſt quidem profanum, ſed ad omnem doctrinam utiliſſimum, mihi certè inæſtimabilibus conſtitit vigiliis. *Eraſm.* in Epiſt. ad *Servatium.*

* *Deſiderii Eraſmi Roterodami* libri infraſcripti, Colloquia, Moria, Lingua, Chriſtiani Matrimonii Inſtitutio. De interdicto eſu carnium, paraphraſis in *Matthæum*, quæ à *Bernardino Tomitano* de *Latino* Sermone in *Italicum* converſa eſt, prohibentur. Cætera verò opera ipſius, in quibus de Religione tractat, tamdiu prohibita ſint quamdiu à Facultate *Theologicà Pariſienſi*, vel *Lovanienſi* expurgata non fuerint. *Adagia*, quæ non ſunt ex Editione *Pauli Manutii*, expunctis locis ſuſpectis, judicio alicujus facultatis *Theologicæ*, Univerſitatis Catholicæ, vel Inquiſitionis alicujus Generalis, permittuntur. Ea verò quæ ſunt ex editione *Pauli Manutii* permittuntur. *Index Romæ* Impreſſ. Anno 1681.

Opera ejus, Impreſſionis *Frobenianæ*, 9. Tomis continentur.

Hoc ejus *Epitaphium.*

Fatalis ſeries nobis invidit Eraſmum,
Sed Deſiderium *tollere non potuit.*

Aliud:

Terra Batava *ſuum cùm miraretur* Eraſmum.
Hoc majus potuit dicere, nil genui.

Aliud, Authore *Steph. Paſchaſio*:

Hic jacet Eraſmus, *qui quondam bonus* erat mus.
Rodere *qui ſolitus*, roditur à Vermibus.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

Aliud,

Digitized by Google

Aliud, Auctore *Gilberto Cognato*:

Magnus Roterodamus *ille noſter*,
Hac quò ſecula neminem tulerunt
Majorem, neque priſca clariorem
Norunt tempora, nec cui futura
Parem poſteritas habebit: ecce
Sub hoc marmore mortuus quieſcit.

LUDOV. CÆL. RICCHIERIUS RHODIGINUS.

ITalus, natus eſt Anno 1450. obiit anno 1520. Clar. A. D. MDX.

Maximiliani Imperatoris temporibus, extremis inprimis, non parùm *Hiſtoriæ* commodavit *Lud.Cæl.Ricchierius Rhodiginus*, vir omnigenæ doctrinæ, interiorum autem literarum ſcientiâ nemini ſui ſeculi ſecundus. Nec modò variæ lectionis, ſed virum etiam pium fuiſſe, ait in *Ciceroniano* ſuo *Eraſmus*. Hic *Mediolanum* à *Ludovico* 12. *Galliarum* Rege, ſplendidâ planéque regiâ mercede vocatus fuit: magnâ cum gloriâ ibidem *Latinas* docuit literas, & *Græcas*. Poſtea eodem munere præclarè functus eſt in illuſtri *Gymnaſio Patavino*. Immortale ſibi nomen peperit *Triginta Antiquarum Lectionum Libris*: quo miſcello Opere, abſtruſa utriuſque linguæ vocabula enucleantur, in præſtantiſſimis quibuſque *Scriptoribus* loca obſcura explicantur, corrupta caſtigantur, ad hæc *Hiſtoriæ recondita*, & ritus veteres enarrantur; ex intimâ denique Philoſophiâ, potiſſimùm è *Platonicorum* penu, arcana multa promuntur. Itaque ſæpenumerò miror, imò indignor, non magis hodiè in manibus eſſe *juventutis tanti viri* labores, profectò auro contrà non caros. Quippe & *Philologiæ* ſtudioſus, & amator *Hiſtoriæ*, & *Philoſophiæ* ſectator, hauriet inde, quod juxta proſit, ac delectet *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Rarum erat eo tempore *Philologiæ* ſtudium, ac ſoli penè *Cælio* familiare: unde cùm apud *Aldum Eraſmus Roterodamus* in eum de facie ſibi ignotum incidiſſet, habitis ultrò citróque ſermonibus ille *dicendi* ubertate atque elegantiâ non uſque obviâ, *C. Rhodiginum* ſibi adeſſe ſummâ hilaritate agnovit. *Tomaſin.* in Elog.

Vir infinitæ lectionis, quem apparet nihil quod uſquam *librorum* eſt latuiſſe: De cujus integritate, & in judicando gravitate, eò minus ambigendum, quod paſſim in ſuo *Opere* pium præ ſe fert animum, reverenter de *Chriſto* loquens, quæ ei cum paucis doctis *Italis*, hoc præſertim ævo, communis eſt virtus. *Illyric.* Catal. Teſt. Verit. pag. 4.

Lividus in eum *Delrius*, hac in re delirus; *More ſuo Rhodiginus ſibi aliena*, inquit, *vindicans, veterum errores ſuos facit. Bonifac. Lud. Hiſt.* l. 15. cap. 4.

Cælius Rhodiginus, aſperæ dictionis, reconditæ doctrinæ, admirandæ eruditionis. *Dempſter.*

Magnus ille *Rhodiginus*, doctiſſimus Præceptor noſter. *Jul. Scalig.* l. 3. de Re Poetic. c. ult.

Rhodiginus vir erat pius & variæ lectionis: in eloquentiæ certamen haudquaquam aſciſcendus. *Eraſm.* in *Ciceroniano* p. 167.

Homo inexplebili legendi aviditate per omne genus authorum circumvolitans, & ex retextis aliorum ſertis novas ſubinde corollas concinnare gaudens.----Vir integritatis Chriſtianæ, nullo ſtudiorum labore fatigabilis, cùm ad extremam ſenectutem pervenerit. *Eraſm.* in Adag. pag. 629.

Optimorum Autorum fucus, cujus affectatiſſima eruditionis oſtentatio non poteſt non haberi ſuſpecta. *Eoban in Georg. Virgil.* n. 47.

Ludovicus Cœlius Rhodiginus vir fuit doctiſſimus, rerum Naturalium & humanioris doctrinæ peritiſſimus, &, quod non parum ad laudes ejus facit, *Jul. Cæſaris Scaligeri* Præceptor. Extat ejus liber *Lectionum Antiquarum* titulo, quo continentur multa memorabilia, tam in Naturali Philoſophiâ, quàm in Medicinâ, præcipuè verò in humaniori doctrinâ. Eſt inter præcipuos Bibliothecarum theſauros, & vario modo utilis: Quæ enim per totam ille vitam collegit, vel obſervavit, in hunc unum librum videntur congeſta, ut non immeritò *Cornucopia* vocari debeat. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. pag. 249.

Hujus multa volumina *Lectionum Antiquarum*, quum ingentes *Vigiliarum* opes oſtentent, plerique admirantur: ſed ea farrago, tanquam ex vetere horto laborioſè affectatéque prolata, delicatis lectoribus quoddam *ſubrancidum* olere videtur. Nullus enim compoſiti ac illuſtris *ſtyli* nervus, tantâ in compage conſpicitur. *Paul. Jov.* in Elog.

Cœlii Lectiones Antiquæ interdum vetuſtate horrent, non tam *rerum*, quàm *verborum*. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. p. 533.

Cœlio Rhodigino id vitio datum, quòd paſſim diſſimulet fontes, unde veteres hauſerit narrationes *Voſſ.* de Idololat. l. 3. c. 84.

Utinam ad ea quæ ſcripſit *Rhodiginus*, tantundem judicii & laboris attuliſſet: nam & te minùs offendiſſet, & doctis impenſiùs ſatisfeciſſet. Sanè fuit vir ille bonus & verè *Chriſtianus*, & multâ mihi amicitiâ conjunctus, utpote cui unum etiam ex libris *Antiquarum Lectionum* nuncupatim dicaverit, ſed qui ſe unum haberet in conſilio, & amicorum admonitionibus ægrè manus daret: cæterùm in ſtudia & lucubrationes ad pœnitentiam uſque aſſiduus. *Cal. Calcagnin.* Epiſt. *Eraſmo.*

Cælii quippe unicus ſcopus fuit intimiorem *Veterum* ſapientiam prodere, & abſtruſos *Auctorum* ſenſus eruere, non *verborum* lenociniis auram captare: nec adeo culta fuit, quâ vixit, *Latini Sermonis* ætas, in quam poſteà bonâ ſuâ fortunâ *Jovius* incidit. *Tomaſin.* in Elog.

Celium Rhodiginum optimorum authorum *fucum* conviciantur quidam, nec deſunt, qui eodem crimine traducunt *Macrobium*, cùm tamen illos omnes de bonis literis benè meritos fateri cogamur. *Conrad. Heresbach* præfat. ad Lector. Libror. ſuor. de *Re Ruſticâ*.

Qui (*Cælius Rhodiginus*) licèt ea ſe allaturum de hâc materiâ (de *Paradiſo*) promittat

promittat (l. 1. Lect. Antiq. c. ult.) quæ à nullo antehac ſint animadverſa, pleraque tamen ex Commentario *Lud. Vivis* ad *Auguſt.* de *Civ. Dei* l. 13. c. 21. reperit. *Joan. Gryphiand.* in *Phœnice* H. 1.

Attigit hoc nihil non ſciens *Cælius* l. 1. Antiq. Lect. c. 9. auctoribus non citatis more ſuo. *Lal. Biſciol.* Tom. 1. Horar. ſubciſiv. lib. 17. c. 23.

Hoc in *Rhodigino* aliiſque reprehendit *Voſſius*, quòd, *ſi quos advocet Teſtes*, eos laudat, qui deperierint, non appoſito illius nomine, qui ea apud illos olim legiſſet. *Voſſ.* l. 3. de Orig. Idololat. c. 84.

In *Cælii Rhodigini* Lectionibus antiquis an non omnium ſcientiarum quaſi gemmulæ elucent? *M. Ant. Majoragius* Orat. 20.

Fatendum eſt iſtâ autorum, qui alioqui dubitantibus conſuli poterant, occultatione peccaviſſe *Cælium*, magiſque gloriæ ſuæ, quàm utilitati publicæ ſtuduiſſe. *Thomaſ.* de Plag. num. 533.

In *Cælio Rhodigino*, etiam illud vitium eſt, quòd omnia cùm moveat, nihil unquam ſolvit, contentus ferè aliorum teſtimoniis: nec ſua capita claudit, ſed ſuſpenſos lectores ubique & ipſius penè Lectione confuſos deſerit. *Claud. Verder.* Cenſ. in Auctores.

Cælius Rhodiginus, non ignotus apud eruditos Scriptores, negat *Halloixius* plurimæ lectionis varietate parem ſcire. *Joan Dallæus* de libr. ſuppoſ. *Dionyſ.* Areop. & Ignat. Antioch. l. 1. c. 36.

Extant ejus Lectionum Antiquarum Libri 30. *Francofurti* & *Lipſiæ* 1666. in fol.

Vitam uſque ad Annum 1520. duxit, quo *Patavii* mortalitatem exuit. In patriam tranſlatæ ejus exuviæ in Clauſtro S. *Franciſci* conquieſcunt. Ejus Sepulchrum cùm poſtmodum *Germanus* quidam ſine honore deprehendiſſet, veluti indignabundus, & civibus ignominiam exprobraturus, extracto pugione, ſtrato lateritio inſcripſit:

Hìc jacet Tantus Vir;

Cujus rei famâ, tanquam ingenuo pudore excitatus Jo. Bonifacius *I. C. Aſſeſſor, & Hiſtoricus Clariſſimus Civi ſuo ſtatuam hac inſcriptione erexit.*

Ludovico Cælio Rhodigino.

Ut cujus animi Præclara monimenta
Ubique Mortales ſuſpiciunt.
Illius etiam gratum corporis monumentum
In Patriâ conſpiciant.
Joannes Bonifacius *Jur.* D. Sebaſtiani *F.*
Ære proprio P.
Vixit annos 70. Obiit anno M. D. XX.

Jac. Phil. Tomaſin.

Aliud, Autore *Cælio Calcagnino Ferrarienſi*:

Ludovicus *ille* Cælius, *domi ac foris*
Græcè Latinéque *omnium doctiſſimus*;
Vivet perennis: quodque paucis contigit,
Vixit, ſuæque æternitati interfuit.

Hoc diſtichon tumulo inſcriptum legitur:

A duplici Patriâ nactus cognomina bina,
Cælius *in* Cœlis, *Hic* Rhodiginus *eris.*

THOMAS LINACER.

Clar. A. D. MDX.

A*Nglus*, *Cantuariæ* natus, Medicus erat *Henrici* VII. & VIII. Aliquot annis antequam obiret, ſacerdos factus. Obiit *Londini* Anno Dom. 1524. ætatis 64.

Scripta ejus ſunt: Grammaticæ rudimenta ad Principem *Mariam*--------De Structurâ Latini Sermonis-----Epiſtolæ----Multa *Galeni* Opera in linguam Latinam vertit, &c.

Thomas Linacer, Anglus, Artium ac Medicinæ Profeſſor, utriuſque literaturæ *Latinæ* & *Græcæ* præſtantiſſimus ſimul & doctiſſimus, magnam ſcriptis ſuis laudem & gratiam apud eruditos meruit. *Joan. Balæus* de Script. *Britan.*

Erat tam inſignis politioris literaturæ cultor, & amator, ut in elegantiâ *Latini Sermonis*, & ſtyli puritate, vix illi ſimilem quenquam ſua viderit ætas. Quo nomine penè apud omnes eruditos ſui temporis admirationem concitavit, amorem conciliavit. Grammaticus optimus, elegans Poëta, Rhetor diſertus, Medicorum planè Phœnix, *Græcæ* linguæ peritiſſimus. Omnes quotquot unquam fuerunt *Galeni* interpretes longè ſuperavit, atque ita eleganter ejus opera pleraque *Latina* fecit, ut collatione utriuſque textûs factâ, *Galenus* minus eloquens in *Græco*, quàm *Linacer* in *Latino* videatur ſermone. *Joan. Pitſæus* de Illuſtr. Angl. Scriptor.

A quo (viz. *Linacro*) multa ſunt *Latinæ* linguæ myſteria oſtenſa, ac ſine impietate prodita. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 3.

Magnam famam ſibi peperit ſex libris *de Structurâ Latini Sermonis*. *Konig.* in Biblioth. & *Voſſ.* de Mathem.

Linacer Grammaticorum doctiſſimus. *Beza* in Act. 10. ver. 15.

Linacrum novi, virum undequaque doctiſſimum; ſed ſic affectum erga *Ciceronem*, ut etiamſi potuiſſet utrumlibet, prius habuiſſet eſſe *Quintiliano* ſimilis quam *Ciceroni*; non ita multo in hunc æquior, quàm eſt *Græcorum* vulgus. Urbanitatem nuſquam affectat, ab affectibus abſtinet religioſiùs quàm ullus *Atticus*, breviloquentiam & elegantiam amat, ad docendum intentus. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 83.

Mitto

Mitto tibi duno libros *Galeni*, operâ *Thomæ Linacri* meliùs *Romanè* loquentes, quàm anteà *Græcè* loquebantur. *Eraſm.* Epiſt. l. 10. Epiſt. 27.

Ejuſdem opera ſic *Latinè* loquitur *Ariſtoteles*, ut licèt *Atticus*, vix in ſuo ſermone parem habeat gratiam. *Eraſm.* ibid. l. 15. Epiſt. 17.

Fecit in *Medicina* tantum, quantum alius *Latinus* illius ætatis quiſquam. Et quamdiu in *Medicina* ſe continet, tamdiu laudem ſingularem habet: ſin foràs ſerpat, & *Oratores* carpat, videat ne *ultra crepidam* progrediatur. Nam quanquam, in transferendis *Galeni* libris, laus ejus eſt propè ſingularis: tamen ſi de acumine & celeritate ingenii diſputatur, aut de rebus popularibus graviter & diſertè tractandis, in eo ſi nunc viveret, aliis laudem concederet, *Medicinam* ipſe aſſumeret. Et tamen cur tam faſtidioſus eſſet in audiendo *Cicerone*, neſcio. Illud videmus, omnes quos ille libros *de Latini Sermonis Structurâ* compoſuit, exemplis *Ciceronis* abundare: ut non tam fortaſſe neglexerit, quàm animi quâdam moroſitate videri voluit neglexiſſe. *Joan. Chokus* de Pronunciatione *Græcâ.*

Quæcumque fecit *Linacer* magno in pretio habentur, ſed pauca ſcripſit. Sex ejus Libri de Conſtructione Latinæ Orationis, meræ ſunt animadverſiones, ſed eruditæ & acris judicii in optimos Authores. Magnam illi celebritatem pepererunt & de illis ut refert *Lilius* ab *Eraſmo* & à *Budæo* laudatur. Rudimenta Grammaticæ ejus *Anglica Latinitate* à *Buchanano* donata fuerunt, & ejuſmodi labor ut teſtimonium exiſtimationis Authoris reputatus eſt. *Eruditorum Judicium.* Pariſ. 1684. per *Bailiet.* Gall.

Quo (*Linacro*) nemo majorem Orationis nitorem, caſtitatem & condecentiam ad *Interpretationes* contulit: quarum virtutum integritatem dum diligentiùs tueri ſtudet, fidelem verborum aſſectationem, raró quidem, at aliquandò tamen omiſit. *Huet.* de Clar. Interpret.

Thomas Linacer Medicinæ Doctor, in Oppido *Derbia* natus eſt, *Oxoniæ* educatus: Unde poſtea trans Maria peregrinatus eſt, *Romæ* præſertim & Florentiæ moram trahens. In Angliam redux variis linguis inſtructus, primus Eruditionis apud Gentem noſtram reſtaurator fuit. In dubium vocatur an Latinum, an verò Græcum idioma ejus præſtantius ſit; an peritior *Grammaticus*, an vero *Medicus*; an eruditione, an verò probitate quoad mores inſignior. Ejus operâ *Galenus* elegantius Latinè in *Tranſlatione* loquitur, quam antea in *Autographo* Græcè locutus erat. Doctor. Thom. Fuller, libro de Rebus Præclaris Angliæ. Angl.

Extant *de emendatâ Structurâ Latini Sermonis* libri *6. Pariſ.* 1532. & *Col.* 1543. 8°.

Extant *Rudimenta Grammatices*, ex *Angl.* in *Lat.* per *Georg. Buchananum*, *Pariſ.* 1533. 1543.

Londini Diem obiit die 20. Octobris, 1524. & in Eccleſiâ Divi Pauli Cathedrali propè portam magnam Borealem ſepultus eſt, cujus tumulum monumento dein conſpicuo ornavit *Joannes Caius*, Medicus *Cantabrigienſis*, Anno Dom. 1557.

Hoc

Hoc ejus Epitaphium :

Thomas Linacerus *Regis* Henrici VIII. *Medicus : vir &* Græcè & Latinè *atque in re medicâ longè eruditiſſimus : multos ætate ſuâ languentes, & qui jam animam deſponderant, vitæ reſtituit. Multa* Galeni *Opera in* Latinam *linguam mirâ & ſingulari facundiâ vertit. Egregium Opus* de Emendatâ Structurâ Latini Sermonis, *amicorum rogatu paulò ante mortem edidit.* Medicinæ ſtudioſis Oxoniæ *publicas lectiones duas,* Cantabrigiæ *unam in perpetuum ſtabilivit : In hâc Urbe* Collegium Medicorum *ſuâ induſtriâ fieri curavit. Cujus & Præſidens primus electus eſt, Fraudes doloſque mirè peroſus, fidus amicis, omnibus ordinibus juxta charus : aliquot annos antequam obierit, Presbyter factus : plenus annis ex hâc vitâ migravit, multùm deſideratus, Anno Dom.* 1524. *die* 7. *Octob.*

SANCTES PAGNINUS.

Claruit A. D. MDX.

Natione *Italus*, Patriâ *Lucenſis*, cujus extat *Lexicon Ebraicum*, obiit ann. 1536. ætatis 70. Alii ejus obitum referunt ad annum 1541. Fuit Theologus Ordinis *Prædicatorum*, & *Latinè*, *Græcè*, *Ebraicè*, *Chaldaicè*, & *Arabicè* doctiſſimus, ut *Teſtamenti* utriuſque *Verſio* ex *Græco* & *Hebræo* abundè teſtatur. Item ejus *Iſagoge* ad Myſticos Scripturæ ſenſus : *Grammatica* item *Ebraica* & *Græca*. *Abraham Bucholcer*. Indic. Chronolog.

Sanctes Pagninus, *Lucenſis*, *Prædicatorii* Ordinis, Concionator Apoſtolicus, vir in divinis Scripturis apprimè eruditus, & trium linguarum, ſed *Hebrææ* potiſſimum peritiſſimus, cùm animadvertiſſet celebrem illam *Hieronymi* Verſionem temporum injuriâ & hominum incuriâ vel magnâ ex parte intercidiſſe, vel magnâ ex parte fuiſſe corruptam, tentavit & ipſe novam aggredi totius Scripturæ tranſlationem, *Leone* X. Pont. Max. hortante, & ſumptus operi neceſſarios præbente. Collatis igitur inter ſe multis, iiſdemque probatiſſimis *Hebræorum* exemplaribus, quantâ maximâ valuit diligentiâ ac fide, omne Vetus Teſtamentum ex *Hebraicâ* veritate *Latinitati* donavit, & *Hebraicorum* nominum multitudinem, quàm priores interpretes in *Latinas* voces inflexerant, *Hebraicæ* linguæ prolationi reſtituit. Utque lector haberet rectam rationem pronunciandi *Hebraicè*, accentus *Hebræis* dictionibus ſuperpoſuit, additis quibuſdam in margine totius voluminis numeris, qui indicarent, quot in ſingulis *Hebraicæ* Scripturæ capitulis verſiculi, quos *Peſuchim* appellant *Judæi*, continerentur. Quæ omnia tam ſolerti curâ executus eſt, ut ejus editionem peritiſſimi *Hebræorum Rabbini* omnibus, quæ nunc extant, tranſlationibus præferant multis eam laudibus attollentes. Vertit quoque non minori laude Novum omne Teſtamentum juxta *Græcam* fidem : in quo, ſicut & in Veteri Teſtamento, vulgatæ editionis authoritatem, manente *Græci* contextus ſententiâ ſequi conatus eſt, Opuſque ſuum *Clementi* VII. Pont. Max. dedicavit. *Sixt. Senenſ.* in Bibl. Sanct. l. 4.

Sanctes Pagninus vir linguarum *Orientalium* peritiſſimus, qui in *Galliâ* primus

poſt

Digitized by Google

poſt *Hieronymum* totam *Hebraicam Scripturam Latinè* convertit, magnâ induſtriâ ac fide. *Ioan. Buxtorf.* in Epiſt. Dedicat. ad *Lexic. Hebraic.*

B. *Lutherus Sanctem Pagninum* ampliſſimo celebravit elogio: *Sanctes*, inquiens, & *Munſterus* vertunt *Sacra Biblia* ſtudio incredibili, & diligentiâ inimitabili.

Sanctes Pagninus vir ex D. Dominici familiâ ob inſignem pietatem, ſacræ Theologiæ cognitionem, & ſummam denique linguarum peritiam maximè conſpicuus. Cujus viri *Latina* ex *Hebraica* veritate ſacrorum librorum *Interpretatio*, non parum candidis *Theologis* ad *Sacræ Scripturæ* arcana intelligenda adjumentum attulit. *Ar. Montan.* in Præfat. ad Bibl. Hebr. Interlin.

Sanctes Pagninus Dominicus Lexicon Hebraicum edidit, tantâ eruditione refertum, ut etiam *Rabbinos* in eo argumenti genere vicerit, & reliquos à præſtantiore conficiendo deterruerit. *Gilbert. Genebrard.* l. 4. Chronolog.

In *Verſione Bibliorum* elaborandâ vir ille magnus [hortatu & impenſis *Leonis* X.] 25. plus minus annos ſudavit. Verſionem hanc maximè literalem, cùm commodè fieri potuerit, fidam, ſingulari judicio atque peritiâ concinnatam, Docti ferè omnes conſentiunt. *Matth. Polus* Præfat. Tom. 1. Synopſ. Critic. p. 4.

Gilbertus Genebrardus Pagnini Verſionem hoc modo depingit: " Minus diligens, nimis ambitioſa, nimis curioſa, nimis Grammatica, nimis Grammaticarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum ſubtilitate noxam ſinceritati & ſententiarum & rerum ſæpiuſculè afferebat; unde nec ſatis interdum cohæret cum Veterum *Hebræorum* doctrinâ, nec cum fidei *Catholicæ* Myſteriis. *Gilbert. Genebrard.* Præfat. in Origen. Opera.

Leonis Decimi Pontificis Maximi hortatu & ope *Bibliorum Verſionem* feliciſſimo ſucceſſu tentavit *Santes Pagninus Lucenſis*: *Ebraicæ* quidem Veritatis ubique ad verbum retinens, majoremque ejus quàm Latinitatis rationem habens, *Perfectæ* propemodum, & abſolutæ *Sanctorum Voluminum Interpretationis exemplum* dedit. Attamen ut punctum omne ferre difficile eſt, quidam in eo nimiam diligentiam, ambitionem, ac curam; tum moroſam minutarum quarumque rerum ac levium affectationem, inconcinnitatem etiam, & obſcuritatem culparunt; reclamantibus licèt *Rabbinorum* peritiſſimis, quibus ſummoperè probatur, Interpretatio hæc, ac reliquis anteponitur. *Huet.* de Clar. Interpret. pag. 144.

Scripturæ Interpretandæ rationis utile nobis exemplar propoſuit *Sanctes Pagninus*, vir eximiâ *Ebraicæ* linguæ peritiâ inſignis; ſic enim *Biblia Sacra* tranſtulit, ut verba verbis quaſi demenſa & paria accuratè adſonent: quam ipſius in *Veteri Teſtamento* operam, eruditorum quidem ſtudiis accommodatam, ſed ſi ad *Tyrones* inſtituendos conferre velles, aliquibus laborantem locis. *Idem* de Opt. Gen. Interpret.

Pagnini verſio hoc inſuper defectu laborat, quòd ſæpè obſcura ſit atque barbara, imò & *Solœciſmis* fœta. In hac fuit opinione quòd ad fidelè Scripturæ Tranſlationem elaboranda literam exactè & ex rigore Grammaticæ ſequendum eſſet; quod præſumptæ huic accurationi è diametro repugnat, quia rarum eſt quod

 duæ

duæ linguæ in ſuis loquendi modis conveniant; & ita tantum abeſt ut *Autographum* exprimat eadem puritate qua ſcriptum eſt, quin potius illud deformat omnibuſque ejus ornamentis ſpoliat--Novi tamen plures hanc Interpretationem magni æſtimare, eamque plurimis cæterarum Scripturæ Verſionum anteponere; ſed illam dubio procul non ſatis examinarunt. Hiſt Crit. Veteris Teſtam. lib. 2. cap. 20. à Jeſ. *Richard. Simon.* Gall.

Sanctes Pagninus Biblia primus in *Commata* diſtinxit; quæ ſunt eorum verſiculi. Veteres non diſtinguebant, ſed librum duntaxat citabant. *Hieronymus* meminit. Capitum in verſus diſtinctio recens eſt. Oportet *Pagnini* Bibliorum Verſionem eſſe bonam, quia doctus fuit in lingua Hebraica. *Scaligerana* poſterior. Gall.

Sanctes Pagninus, *Lucenſis*, *Italus*, Ord. Prædicatorum, *Lugduni* ad *Rhodanum* diu vixit, & tandem obiit anno 1541. ibidem in Templo Prædicatorum conditus ante Odeium. Vir fuit, ut Scripta ejus abundè probant, linguæ *Hebraicæ* periſſimus, & laudatiſſimus orator: ut *Symphorianus Champeius*, qui hominem ſæpè dicentem audivit, teſtatur, præfatione in ejus *Iſagogen*. *Pagnini* beneficium eſt, quòd *Thomas Guadagnus*, vir locuples, ad cæteras impenſas in *Dei* honorem, & publicum bonum, quibus *Lugduni*, *Avenione*, *Florentiæ* clarus erat, adjiceret ædificationem Noſocomii *Lugdunenſis* ad excipiendos peſte contactos, quod S. *Laurentii* vulgò dicitur. Scripſit autem in Scripturam Sacram quamplurima, quæ *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, & alii enumerant. Fateor quidem, nonnulla apud eum, præſertim quoad vulgatæ *Bibliorum* editionis immutationem, meritò improbari, quæ *Poſſevinus* annotavit, & quæ in poſterioribus editionibus expunctione damnata ſunt: non tamen omnia, quæ apud *Pagninum* diſplicent, ſunt ab eo profecta. Pleraque enim *Genevenſium* interpolatorum nequitiæ ſunt adſcribenda, tametſi ementito loci nomine in lucem ſint edita, & malâ fide pro *Pagnini* lucubrationibus publicata. *Aub. Miræus.*

* Theſaurus Linguæ Hebraicæ *Sancti Pagnini*, auctus operâ *Ioannis Mercerii*, & *Antonii Cevallerii*, prohibetur, donec expurgetur. Vid. *Indic. Tridentinum*, in Append. Certorum Auctorum.

Extant Hebraicarum Inſtitutionum Grammatices lib. 4. *Par.* 1549. 8°.

Extat Lexicon Hebraico-Latinum, recognitum per *Mercerum* & alios. *Lugd.* 1575.

Epitome Lexici Hebraici *Antuverp.* 1578. 8°.

Extat introductio in ſacras Literas & Myſticum S. Scripturæ intellectum. *Col.* 1563.

JOANNES CUSPINIANUS.

Clar. An. D. MDXV.

GErmanus, natus eſt *Suveinfurti* anno 1473. Obiit anno 1529. Aprilis 19. die, *Viennæ*; quam eodem anno *Solimannus Turcarum* Tyrannus, die 22. Septembris, obſidere cœpit.

Scripſit de Conſulibus, & Romanis Imperatoribus—Hiſtoriam *Auſtriæ*—

Tabulam

Digitized by Google

Tabulam *Hungariæ*----- De rebus *Turcarum*.

Optimus Imperator *Maximilianus* eum in Senatum ſuum adſcivit; eumque in *Hungariam*, *Bohemiam*, *Poloniam*que Oratorem miſit, annis duodecim continuis ejus conſilio & opera in difficillimis rebus ſæpiſſimè uſus. Cùm nominis celebritate & tot peregrinationibus in maximorum Regum & Principum notitiam perveniſſet; ut ab oblivione labores ſuos vindicaret, ad ſcribendam Hiſtoriam ſe applicavit. Et quia in ſummi Imperatoris aulâ diu verſatus fuerat; de *Conſulibus* & *Romanis Imperatoribus* ſcribendi argumentum arripuit: Ad quod inſtitutum multam ſupellectilem ſuppeditavit rariſſimorum librorum copia. Patebant enim ei ex *Cæſaris* liberalitate & beneficentiâ omnes undique vetuſtiores Bibliothecæ: omnia *Ducum Auſtriæ* ſecretiora ſcrinia & ἀρχεῖα ex quibus vir omnium diligentiſſimus, multa, quæ ab aliis prætermiſſa ſunt, accuratiſſimè depromſit. *Melchior Adamus* in vita ejus.

Posteà *Cæſares* & *Imperatores* uſque ad *Divum Maximilianum* perduxit. Quos morte præventus inemendatos, & ob Scriptoris inſcitiam fœdiſſimis erroribus depravatos reliquit. De dicendi genere aut elegantiâ, quibus tanta Hiſtoria ornari & illuſtrari potuiſſet, non admodum eum ſolicitum fuiſſe video. Forſan ſi quid conjecturâ conſequi poſſum, ſatisfacturum ſe ingenuo Lectori arbitratus, ſi quæ ipſe veriſſima comperiſſet, ſimpliciſſimâ oratione mandaret poſteritati. Tolerabiliorem hujus noſtri dictionem faciet ingenuitas & fides, cum incredibili diligentiâ, & ſtudio perquirendæ veritatis conjuncta. Satis enim eſt Hiſtorico, ut præclarè dixit apud *Ciceronem Catullus*, non eſſe mendacem. *Nic. Gerbel.* in Lit. ad Lectorem, quas *Cuſpin.* de Cæſar. operi præmiſit, an. 1540. ſcriptis.

Quod verò laude maximâ dignum eſt, nihil omiſit, quod viſum eſt illi ad ordinem rerum, ad cognitionem antiquitatis, ad temporum rationem & conſequentiam, ad mores, ad ſuſceptæ materiæ explicationem pertinere. Nam illud inprimis admiratione dignum cenſebis; cùm de *Latinis*, *Græcis*, *Francis*, *Germanis*que Imperatoribus, quinetiam de *Turcis* ſcribendum eſſet, adeò bellè, adeò aptè, adde, etiam diligenter ſingulos ſingulis temporibus adaptavit, ut veluti uno in conſpectu, ſimul omnes ſub oculis veniant. Illud verò uno ore fatentur eruditi, nihil unquam plus erroris, plus obſcuritatis attuliſſe ſtudioſis hominibus, quàm ſi quis genealogiarum rudis & ignarus ad ſcribendam Hiſtoriam acceſſerit: quâ in re, ut verè dicam, nullum adhuc ego legi diligentiorem *Cuſpiniano*. *Idem* ibidem.

Miramur quoque diligentiam laboremque viro regiâ in aulâ conſpicuo longè honeſtiſſimum *Cuſpiniani Viennenſis*, à quô civili quâdam facundiâ *Germanorum* & *Byzantinorum Cæſarum* Imperia, propinquitates, ſtemmata, mores, atque exitus referuntur. *Paul. Iov.* in Elog.

Cuſpinianus Vir ſimpliciſſimæ probitatis. *Lipſ.* in excurſu ad l.3. *Taciti* Annal.

Ioannes Cuſpinianus, vir eximiâ fide & eruditione. *Ioſ. Scalig.* de Tempor. Emendat. l. 5.

Ioannes Cuſpinianus Svvinfurtenſis, Medicus & *Maximiliani* Imperatoris

 Orator,

Orator; atque diligentiſſimus inquiſitor Antiquitatis. *Ioan. Gualter.* in Chronic.

Hiſtoriam *Cæſaream* ſcripſit *Ioannes Cuſpinianus*, ſolers Antiquitatis Indagator, à *Iulio Cæſare*, uſque ad *Maximiliani* I. mortem, luculentum ſanè opus, & omnium lectione digniſſimum: utpote quo, dum vitas omnium ordine *Imperatorum* deſcribat, non tantùm, inſignia eorum exempla dicta & facta, quicquid in illis honeſtum eſſet vel ſecus proponit: ſed univerſam etiam temporum ſeriem (ſupra mille quingentos & viginti annos) integram connexamque, non interciſam aut mutilatam, poſteritati reliquit. *Whear.* in Meth. leg. Hiſt. ſect. 25.

Tanta præter eximiam facundiam in eo fuit prudentia & fides, & tenacitas ſilentii circa res arcanas, ut vigilantiſſimus Imperator *Maximilianus* I. fideliſſimo illius pectori reconditiſſima quæque tutò committere potuerit. *Petr. Lambec.* lib. 2. Commentar. de Auguſtiſſ. Biblioth. Cæſar.

Ioannes Cuſpinianus magnum ſuo ævo Hiſtoriæ lumen. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. p. 428.

* *Ioannis Cuſpiniani* Liber inſcriptus, *Imperatorum* & *Cæſarum vita* cum Imaginibus ad vivam effigiem expreſſis, in Indice certorum Auctorum prohibetur, donec corrigatur. *Ind. Trident.*

Extant de *Conſulibus Romanis*, atque item de *Cæſaribus* & *Imperatoribus* Commentarii. Deſcriptio *Auſtriæ*, & alia quædam cum Annotationibus *Wolfgangi Hungeri*. *Francofurti* anno 1601. fol. apud *Claudium Marnium*.

MARTINUS LUTHERUS.

Clar. An. D. MDXVII.

GErmanus *Iſlebii* anno 1483. natus: anno 1504. fit Monachus Ordinis *Auguſtiniani*: anno 1517. factus eſt *Religionis Reformatæ* Dux atque Anteſignanus: obiit demum in oppido natali anno 1546. *Wittembergæ* honorificè ſepultus. *Gul. Cave.*

Martinus Lutherus, Scriptorum Eccleſiaſticorum coryphæus, veritatis cœleſtis entheus planè & imperterritus vindex, *Germaniæque Helias* è cujus unico ſcriptorum folio plus quàm ex omnibus *Thomæ* Scriptis addiſci poſſe, Magnus quondam *Eraſmus* ad *Marinum Caracciolum* Legatum Pontificium veriſſimè faſſus eſt. De quo *Wolfgangus Severus*, Auguſtiſſimi Imperatoris *Ferdinandi* I. quondam Præceptor, parrheſiaſticè cecinit:

Iapeti *de ſtirpe ſatum* Doctore Luthero
Majorem nobis nulla propago dedit.

Et adde judicium *Georgii Fabricii*, ad Scrin. antiq. notatum, p. 211.

Inter Theologos *eſt gloria prima* Lutherus,
Nam merito Chriſti *nemo magis tribuit.*

Olear. in Abac. Patrum.

Quem

Quem (*Lutherum*) non *Cæſares*, non Reges, non fulmina ex Arce *Tarpeiâ* vibrata, non ullæ innumerabilium Sophiſtarum Phalanges, vel tantillum terruerunt. *Theodor. Beza.*

Vir etiam hoſtium judicio magnanimus, talia certè auſus, quæ totus miratur orbis, & unus ferme *Orbi* conjurato obnixus. *Hofman.*

Res & verba *Philippus*, res ſine verbis *Lutherus*, verba ſine re *Eraſmus Edw. Leigh.* de viris doctr. illuſtrib.

Pomeranus eſt *Grammaticus*, & verborum vim explanat: Ego ſum *Logicus*, monſtro contextum rerum & argumenta: *Iuſtus Ionas* eſt *Orator*, copiosè & ornatè differit: Sed *Lutherus* eſt omnia in omnibus, eſt miraculum inter homines; quidquid dicit, quidquid ſcribit, id in animos penetrat, & mirificè relinquit aculeos in cordibus hominum. *Phil. Melancthon.*

Homo nudus omni præſidio, non clam & per cuniculos inſidias ſtruxit [ut fraterculi ſolent vitæ Imperatorum & Principum] ſed aperto Marte *Monarchiam* aggreſſus eſt *Pontificiam*, exercitatiſſimos belli Duces, *Cajetanum, Sylveſtrum, Eckium*, alioſque inſtructiſſimos ab omni apparatûs genere profligavit, & ingenti animo Heroicoque auſu, *turrim* aggreſſus *Babylonicam*, penè jam, quod felix in poſterum fauſtumque ſit, demolitus eſt. *Richard. Montacut.* in Antidiat. 9.

Lutherus Theologus conſummatus, profundus, incomparabilis, ſacram Theologiam ad Fontalem dignitatem, primævamque puritatem, nec non Evangelicam, ſinceram, ſimplicemque ſuam illam innocentiam, omni prorſus ſeculari Philoſophiâ exploſâ, revocare conatur. *Paul. Langius*, Cytic. Monachus, in chron.

Lutherum non novi, nec libros illius unquam legi, niſi fortè decem aut duodecim pagellas, eaſque carptim. Ex his quæ tum deguſtavi, viſus eſt mihi probè compoſitus ad *myſticas* literas veterum more explanandas, quando noſtra hæc ætas immodicè indulgeat argutis magis quàm neceſſariis Quæſtionibus. *Eraſm.* Epiſt. l. 14. Ep. 5.

In *Luthero* demiror duas tam diverſas perſonas: quædam ita ſcribit, ut ſpirare videatur *Apoſtolicum Pectus*: rurſus in dicteriis, in ſannis, conviciis, in ſalibus quem non vincit ſcurram? Magno animo contemnit *Cæſares* & *Pontifices*, & ad leviſſimorum abjectiſſimorumque hominum ſuſurros ſic debacchatur in quemlibet, velut oblitus quam agat fabulam, & quam perſonam induerit. *Eraſm.* Epiſt. l. 18. Epiſt. 24.

Lutherus Græcè nihil penitus noverat, quum ad ſcribendum acceſſit, *Latinè* parum admodum: & quæ tuenda ſuſceperat, dialecticâ, & argumentatiunculis tutatus eſt, non linguis. *Lud. Viv.* de Cauſ. Corrupt. Art. p. 132.

Lutherus *Proteſtantium* primus fuit qui *Biblia* in linguam vulgarem ex *Hebræo* Codice interpretari auſus eſt, quamvis admodum mediocriter tantum Hebraicam idioma calleret. Cum liberi & audacis eſſet ingenii, Beatum *Hieronymum* accuſavit quòd Hebraicum Idioma nunquam perfectè intellexiſſet. Sed fortiori ratione defectûs hujuſce culpabatur ipſe, & quod in hujuſmodi Opere præcipi-

tanter nimium proceſſerit, quod ſpatium exigebat longè diuturnius illo quod ad ipſum inſumſit. Unde etiam Verſionem ſuam ad incudem revocare coactus fuit, ejuſque alteram editionem procudendam curare. Sed hæc reviſio non fecit ut peritiores illius ævi Proteſtantes utramvis approbarent, quinimo plurimi eorum defectus illarum, qui non pauci erant, notare non abſtinuerunt. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Critic. V. T. l. 2. c. 23. Gall.

Sebaſtianus Munſterus abſque dubio *Germanicam Lutheri* Verſionem indicare voluit, cum in una Præfationum ſuarum fronte Bibliorum ſuorum præfixarum, dixit ſe potuiſſe innumeros locos notare, quos perperam tranſtulerint recentiores Interpretes, eo quòd ad Hebraicæ Linguæ ſtudium non ſatis appulerint animum. Prætereaque idem Author ſuis in *Iona* cap. ſecundum, Nons, *Lutherum* nominare non veretur, illumque corripere quod negativè verterit, quod in Hebræo affirmativè enunciatur. Eadem illa *Lutheri* verſio publicè pariter rejecta fuit in *Synodo* Theologorum R. P. R. Dordraci congregatorum, ubi cautum fuit novam *Belgicam* Verſionem totius Scripturæ adornandam eſſe, eo quod vetus *Belgica* Verſio quæ tunc in uſu erat ad *Germanicam* Verſionem *Lutheri* exacta fuiſſet, quam erroribus refertam exiſtimabant. *Zuingliani* pridem antea novam totius Scripturæ Verſionem in ſuum uſum elaboraverant, ob eandem cauſam *Lutheranâ* uti detrectantes, utpote quæ, plurimum *Proteſtantium* judicio, parum accurata erat, quæque ab audaci viro & præconceptis opinionibus turgido facta fuerat. Idem ibid. Gall.

Luthero Germanicorum Proteſtantium Patriarcha, non ſatis fuit integrorum Bibliorum ex Hebraicis Græciſque Codicibus Tranſlationem in vernaculam ſuam linguam exſculpſiſſe, cenſuit inſuper opus eſſe Verbum *Dei* ſuo modo explicare, ut eo arctiùs cohiberet eorum animos quos in partes ſuam pertraxerat. Sed ille Patriarcha feliciorem ſucceſſum ſuis in Biblia *Commentariis* nactus non eſt quàm in Verſione ſua. Utramque præcipitanter nimis præſtitit, & plerumque anticipata judicia, quorum plenus erat tantummodò conſuluit. Ut peritus exiſtimaretur, fruſtra reſpuit aliorum opiniones dum ei ridiculæ videbantur. Commentaria ſua Quæſtionibus Theologicis innumeriſque aliis à ſcopo alienis perſpergit; ita ut illa ſint potius Lectiones Theologicæ vel Diſputationes quàm genuina Commentaria. Id in ſua libri *Geneſeos* expoſitione cernere eſt, in qua digreſſionum ingens numerus deprehenditur, quæ judicium ſolidum parum redolent. Arbitratus eſt, dum Lectiones Morales habebat, & illos qui à ſe diſſentiebant Stentoreis clamoribus impetebat, magnas elucidationes *Dei* Verbo ſe fœnerare; ſed vel ex ipſius libris judicari facilè poteſt illum merum ardelionem & virum animi impotem ſemper fuiſſe, qui ſagacitate quadam ingenii & imaginationis fervore tantùm valebat. Nihil neque ſublime neque doctum occurrit, ejus in Biblia Commentariis, omnia ibi abjecta & ſimplicia; & eo quòd Theologiæ operam navâſſet, Quæſtionum Theologicarum Rhapſodiam potius compoſuit quàm *Commentarium* in Scripturæ contextum. Cui rei addi poteſt, illum craſſiſſima Minerva loqui, ſuoſque ſenſus ſæpius quàm rationem ſuam ſequi. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. Veteris Teſt. lib. 3. cap. 14. Gall.

Lutherus

Lutherus Doctus vir in Hebraicâ Linguâ, ex quâ benè *Biblia* vertit; ſed *Calvino* inferior. *Scaligerana* prima, p. 104.

Nos *Luthero* caput & ſumma pectoris, adde etiam media & ima, denique ventrem & femur, id eſt omnia inquibus vita Religionis conſiſtit, deberi fatemur. *Martin. Ruarus.* in 1. cent. Epiſt. p. 88.

Ingenium nactus eſt [*Martinus Lutherus*] à Naturâ ſagax, acre, præfervidum ad magna quævis aggredienda factum, vir, ſi quis alius, invicti atque imperterriti animi. Quoties veritatis agebatur cauſa, nec amorem cujuſvis curabat, nec odium; Pontificis fulmina, Imperatoris edicta, non minus quàm Plebis convicia inſuper habuit, & fortiter contempſit. Interim haud iverim inficias, *Lutherum* affectibus liberiùs quàm par erat, ſæpiùs indulſiſſe, atque etiam in majorum gentium Principes impotenti animo ſtrinxiſſe calamum. Verùm *quiſque ſuos patimur manes*. In re literariâ non ſegniter deſudavit, ipſe, prout ea ferebant tempora, haud mediocriter eruditus. In indagandis S. Scripturæ ſenſibus ſtudium præcipuè poſuit, ejuſque bene magnam partem Commentariis explicavit. Theologiam à multis retrò ſeculis corruptam ad priſtinam integritatem pro virili revocavit. Quâ quidem in re, ſi minus forſan alicubi Orthodoxus videatur, vitio non tam ipſi, quàm temporis, quô vixit, conditioni vertendum eſt, nec mirum, ſi maculas quaſdam contraheret, qui *Augiæ* ſtabulum repurgare aggreditur. Primævæ Antiquitatis normam ante oculos habuit, & certè [ut in Epiſtola ad Cardinalem *Albertum*, rectè olim notavit *Eraſmus*) multa in libris *Lutheri* damnantur ut Hæretica, quæ in *Bernardi Auguſtini*que libris ut orthodoxa, immò ut pia leguntur; additque, *Lutherum* multa imprudenter magis quàm impiè ſcripſiſſe. Nec præteriri debet quod in *Lutheri* vitâ refert M. Adamus, *Eraſmum*, Pontificis oratoribus ipſum ad *Lutherum* oppugnandum incitantibus, reſpondiſſe, *Major eſt Lutherus, quàm ut in illum ſcribam; imò tantus, ut ex Lutheri unicâ pagellâ perlectâ plus erudiar, quàm ex Thomâ toto.* Stylo uſus eſt ſanè duriuſculo, rari quippe adhuc erant *Eraſmi, Politiani, Longolii, Bembi, Sadoleti*, qui cum *Cicerone*, *Livio*, *Terentio* familiariter verſabantur. Utcumque verò incompta & inelaborata ſit, genuinam certè pietatem, & ingentem ubique zelum ſpirat vivida *Lutheri* dictio, nec tam verba, quàm res fundere videtur. *Henr. Wharton* in Append. ad Hiſt. Literar. *Gul. Cave.*

Rex *Henricus* VIII. ad famam ſibi comparandam, & ut Clerum ſibi ſemper faventem haberent, hunc non modò authoritate ſua juvandum eſſe putavit, ſed etiam eorum propugnator fieri voluit, & adverſus *Lutherum* in Septem Sacramentorum patrocinium ſcribere. Magnificis laudibus librum hunc extulerunt Clerici tanquam eruditiſſimum Opus quod ſub Sole unquam extitiſſet; Regique *Salomoni* omnibuſque omnium ætatum Imperatoribus Chriſtianis illum æquipararunt; Præcipuumque hoc fuit in plures annos adulationis argumentum, præter glorioſum Titulum, *Fidei Defenſoris* quem hac de cauſa Pontifex ipſi retribuit. Fatendum autem eſt, ſi Seculi conſtitutio attendatur, quódque Regis hoc Opus eſſet, aliqua id commendatione dignum fuiſſe. Sed *Lutherus* tunc ne minimo quidem timore perculſus eſt, quin potius gloriam hinc duxit, quod

tantus

tantus Rex in arenam cum ipſo deſcendiſſet, & ad ejus librum reſponſum remiſit. Hoc autem non repoſuit abſque acrimonia copioſè permiſtâ, in quo univerſim culpatus eſt tanquam oblitus magnæ venerationis quæ Supremorum Principum perſonis debetur. *Burnetti* Hiſtoria Reformationis lib. 1. pag. 31. Anglicè.

Lutherus ſanè vir fuit ſublimibus animi dotibus magniſque virtutibus ornatus. Vaſtæ erat intelligentiæ, quæ cum evexit ad cacumen Doctrinæ Seculo quo vivebat incognitæ: Mirifica erat ejus in Scripturis notitia, elocutio ejus erat maſcula, ejuſque ratiocinandi methodum comitabatur tota ſubtilitas quam venerandæ ac perſpicuæ veritates à ſe traditæ ferre poterant. Ejus cogitationes ad magna cœpta ſemper propendebant, ejuſque conſtantia ad eorum executionem ſufficiens erat. Animi ejus fidentia nec concuti, nec ſtupefieri poterat; Ejuſque illa παῤῥησία [nec enim id alio nomine cenſere poſſim] coram frequentibus *Wormatiæ Comitiis* illa non minor fuit qua uſi ſunt olim *Apoſtoli*. Vita ejus ſancta fuit, &, dum ei per otium ſeceſſum petere licebat, ſevera. Ejus virtutes activiſſimæ cum affabilitate, non autem deſidioſæ atque tetricæ quales ſunt Clauſtrales. Nulla ipſum agitabat Ambitio præter ardorem in Dei cultum; quod ad cætera ſpectat, neque poſſedit, neque expetivit unquam niſi quæ ad meram vitæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Temperamenti erat inprimis avaritiam aut abjectum quemvis affectum averſantis; Benignus erat etiam in delinquentes, nulla proprii commodi ratione habita. Si in hanc *Virtutum Congeriem* aliquis defectus irrepſerit, memores eſſe debemus ſummum etiam Apoſtolum non fuiſſe *inculpatum*. Si quandam in ejus Doctrinæ *Corpore Labem* cernere liceat, nec etiam maxima Eccleſiæ lumina, & vel in hujus puriſſima ætate, ut novimus, in omnibus ſuis Opinionibus ſani fuerunt. Omnibus perpenſis meritiſſimè profectò erumpere poſſumus in hoc Prophetæ dictum & exclamare, *Quam ſpecioſi ſunt in montibus pedes ejus qui læta fert nuntia.* *Reſponſio* ad quaſdam *Conſiderationes* in *M. Lutheri Genium*. Oxonii excuſum anno 1687. 4°. Anglicè.

Opera ejus comprehenduntur ſeptem Tomis, fol. *Witteberg.* 1558. *Latinè.*

* *Martinus Lutherus* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Indice Tridentino.*

JOANNES OECOLAMPADIUS,

Aliàs HAUSSCHEIN dictus.

Clar. An. D. MDXX.

GErmanus, natus eſt anno 1482. *Baſileæ* Concionatoris & Theologi munere functus eſt.

Scripſit multa, variis in locis ſeparatim impreſſa, quæ diſtribuuntur in *Exegetica*, *Didaſcalica*. *Apologetica*. Multa quoque è *Græco* & in *Latinum* Sermonem tranſtulit.

Primus Reformator & verus Paſtor Eccleſiæ *Baſileenſis*. *Zuinglius* & ille eruditione, ſtudiis, autoritate, loco, ætate, pares erant: inter quos tanta animorum conjunctio, ut amicitia ſanctior certiorque, quam vera conciliarit pietas, vix

inter

inter ullos unquam fuerit----In diſſidiis Controverſiisque componendis felix admodum habitus. In ſcribendo, commentando, docendo, confutando omnis generis adverſarios, & transferendo plurima, magnum ſibi nomen, Eccleſiæque fructum comparavit. Cujus lucubrationes in *Prophetas* aliquot mirum in modum à viris doctis probantur. *Iac. Verheid.*

Oecolampadius ſatis novit *Græcè, Romani* ſermonis rudior, quanquam ille magis peccat indiligentiâ quàm imperitiâ. *Eraſm.* l. 19. Epiſt. 23.

Oecolampadius, vir ob trilinguem eruditionem, ob doctrinæ ſcientiam & uſum, antiquitatis denique Eccleſiaſticæ exactam cognitionem, ſuâ ætate nulli ſecundus *Melch. Adam* in Vit. *Oecolamp.*

Cùm in publicum prodiiſſet libellus de *Eucharistiâ*; Senatus *Baſilienſis* rei inſolentiâ motus, eum tantiſper apud ſe vendi prohibuit; donec à *Cenſoribus* examinaretur, & certius quippiam decerneretur. Conſuluit itaque *Eraſmum Roterodamum*, *Berum* Præpoſitum, & *Cantiunculam*, Juriſconſultum, quidnam de ſcripto illo ſentirent? *Eraſmus* Senatui reſpondit hiſce verbis: S. P. *Magnifici Domini celſitudinis veſtra hortatu, perlegi librum Ioannis Oecolampadii de Verbis cœnæ Domini, meâ ſententiâ doctum, diſertum, & elaboratum; adderem etiam pium, ſi quid pium eſſe poſſet, quid pugnat cum ſententiâ conſenſuque Eccleſiæ à quâ diſſentire periculoſum eſſe judico.* Ad amicos autem ſcripſit: *Oecolampadium* emiſiſſe libellum, tàm accuratè ſcriptum, tot machinis argumentorum, totque teſtimoniis inſtructum, ut poſſet vel electos in errorem pertrahere. *Melch. Adam.* ibid.

Hic, quia vir erat ſingularis eruditionis, & magnæ autoritatis, plurimos veneno *Zuingliano* per libros ſuos infecit. *Bohem.* Epitom. Hiſt. Eccleſ. pag. 957.

Emicuit dudum perilluſtris eruditio in *Ioanne Oecolampadio*, ſed profectò clariùs & luminoſiùs illuxiſſet, niſi *Christianæ Hoſtiæ* ſacramentum repudiaſſet. *Paul. Iov.* in Elog.

Ioannes Oecolampadius Winſpergenſis, eruditione & pietate præſtantiſſimus Theologus. *Geſner.* in Biblioth.

Ut doctrinâ ſic vitæ ſanctimoniâ colendiſſimus fuit *Boiſſard.* in Icon.

Hunc (*Oecolampadium*) *Eraſmus Roterodamus* in edendis *Novi Teſtamenti* Annotationibus conſuluit, ſibique adhibuit. *Operâ ſubſidiariâ illius, non ſolùm pietate, verùm etiam trium peritiâ linguarum eminentis, adeoque veri Theologi, ſe adjutum eſſe ingenuè ipſemet Eraſmus fatetur.*

Sub finem Novembris anno 1531. *Oecolampadius* è vitâ deceſſit. Ex interitu *Zuinglii* maximum animo perceperat dolorem, eaque res morbum etiam auxiſſe putatur: erant enim conjunctiſſimi. Natus fuit annos 49. Extant ejus in *Prophetas* aliquot lucubrationes, quæ valdè probantur doctis. *Ioan. Sleidan.* Comment. lib. 8.

Oecolampadium extinctum, utinam poſſem dolere jure. Sic enim literæ & doctrina hominis poſtulabant, niſi extitiſſet ille in alio genere pernicioſus. *Sadolet.* l. 4. Epiſt. ad *Eraſm.*

Deplorarunt hujus viri obitum præſtantiſſimi quique: inter quos *Sebaſtianus Munſterus* carmine *Hebræo*, & *Theodorus Beza* Latino Hendecaſyllabo.

PAULUS ÆMILIUS.

Clar. A. D. MDXX.

V*Eronenſis*, *Pariſinus*, in æde *Deiparæ* Canonicus, obiit 1529. III. Non. Quintil.

In *Galliis* ætatis curſum ſub *Ludovico* XII. & *Franciſco* I. agebat *Paulus Æmilius.* Magnum is ſibi nomen paravit Opere inclyto de rebus Geſtis *Francorum:* cui annos 30. impendiſſe dicitur. Ac libros quidem novem perfecit: decimum, morte præventus, reliquit imperfectum. Sed eum propinquus illius, *Daniel Zavariſius Veronenſis*, ex ſchedis diſperſis, multâque liturâ obductis, collegit, ac digeſſit ita, uti nunc legitur. Deſinit *Æmilius* in anno quinto *Caroli* VIII. qui *Chriſti* eſt 1488. *Laconicam* ei brevitatem tribuit *Paulus Iovius.* In hiſtoriâ tamen *belli ſacri*, duce geſti *Godefrido Bullionio*, luculentiùs ſe diffundere, mediamque ait viam inſiſtere. Sed quicquid de cæterorum *Laconiſmo* dicat *Iovius* omninò Scriptor eſt elegans, ac diſertus. *Voſſ.* de Hiſt. Lat.

Paulus Æmilius in *Galliis*, & res quoque *Gallicas* ſcripſit, etſi non *Gallus. Ludovicus* XII. decus hoc *Italiæ* abſtulit, & vindicavit ſibi. Ille, ut rem dicam, penè unus inter novos, veram & veterem Hiſtoriæ viam vidit, eamque firmo pede calcavit. Genus ſcribendi ejus doctum, nervoſum, preſſum; ad ſubtilitatem & argutias inclinans, & relinquens defigenſque aliquid in animo ſerii Lectoris. Sententias & dicta ſæpe miſcet, paria antiquis. Rerum ipſarum ſcrutator, ſeverus judex: nec legi noſtro ævo, qui magis liber ab affectu. Dedecus ævi eſt, quòd minùs ille placeat, quaſi pauci ſint qui capiant hæc bona. In tantis tamen virtutibus etiam hæ labeculæ: quòd ſtilum parum nectit, & ſpargit dividitque eum in minuta quædam membra. Hoc cùm in omni ſerioſâ oratione parum congruum, tum in *Annalibus* minimè. Deinde quòd inæqualis, alibi nimiùm anxius & caſtigatus, ideoque ſubobſcurus; alibi (ſed rarenter) laxus & ſolutus. Vetuſtatis etiam neſcio quid affectat in nominibus hominum, locorum, urbium immutandis, & in veterem formam redigendis: ſæpè eruditè, interdum vanè, ſed, ut ego judico, ſemper indecorè. In quibus, ſi refingere leviter eum nobis fas: (audeo dicere) virum daremus ſupra omnem hanc notitiam, & ad priſcam laudem. *Lipſ.* Not. ad Lib. 1. Politic. c. 9.

Paulus Æmilius, cui de Scriptoribus Gallicis, plurimùm creditur, ſæpe hiſtoriam confundit, ſæpè non ex rerum fide, ſed ex impetu calami interpolat, fingit multa, ut animô concepit, non commemorat, ut memoriis publicis debere potuit.--- Non parùm adulari Pontificiæ curiæ doctus. *Ioh. Henr. Boecler.* in Præfat. Ser. Cæſar. German.

Vir clariſſimus, gravitate, judiciô & eloquentiâ præſtans; obiit Anno Dom. 1529. *Theoph. Daſſilsand.* in Deſcript. Urb. Ital.

Si compendium rerum *Francicarum* legere deſideras, adi Hiſtoriam *Pauli Æmilii Veronenſis Itali*, qui vixit ſub initium ſeculi ſuperioris in *Galliâ*. Quemadmodum

admodum *Polydorus Virgilius, Italus*, proſequitur Res *Anglicanas*; ſic ille *Gallicanas*: deſidero in eo quòd dictio ejus nimis ſit conciſa, & affectatione Antiquitatis vocabula locorum mutet in aliam flexionem, v. gr. *Geldriam Geldnam* vocat. Nec dubium, quin id verè dicat, ſed tamen pro tempore loquendum eſt. *Herman. Conring.* de Regno Gal.

Pauli Æmilii & reconditam eruditionem, & diligentiam, & vitæ ſanctitatem, & ſummam in Hiſtoriâ fidem exoſculor. *Tullianam* dictionem nec affectavit, nec habet. *Eraſm.* in *Ciceroniano*.

Meliori fide Hiſtoriam ſcribere, quàm *Gaguinus* fecit, qui affectus ſuos miſcuit, *Ludovici Vivis* ſententia eſt.

Eloquentiſſimus Vir, & antiquarum originum vindex *Paulus Æmilius Veronenſis*, *Joſ. Scalig.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 1.

Paulus Æmilius tam Sanctus & incorruptus enarrator Hiſtoriæ, ut jure jurando putes obſtrictum tam elegans, ut niſi recentiora reſcriberet, videri poſſit haud infimus *Antiquorum Thom. Morus* in Epiſt. ad *Germanum Brixium*.

Paulus Æmilius Veronenſis, vir eximiè doctus, nunquam ſibi ſatisfaciebat, ſed, quoties recognoſcebat ſua, mutabat pleraque: diceres *Opus* non correctum, ſed aliud: idque ſubinde faciebat. Quæ res in causâ fuit, ut citiùs *Elephanti* pariant, quàm ille quicquam edere poſſet. Nam *Hiſtoriam*, quam edidit, pluſquam 30. annis habuit præ manibus. Et ſuſpicor huc adactum, ut evulgaret. *Eraſm.* in *Apohtegm.* l. 6. p. 582.

Pauli Æmilii Veronenſis malignum ſilentium non ſilebo, qui multorum non meminit quæ ad *Gallorum* gloriam pertinerent. Nec ea ignoraſſe dici poteſt, quæ nullus ante ipſum præteriit, ut *oleum* illud ad *unctionem Regum* cœlitus demiſſum, & *lilia* ſimiliter: quibus ſi fidem non adhibuit, eam ſaltem hominum mentibus opinionem inſitam eſſe dicere oportuit. *Verder.* in Auctor. Cenſione, p. 88.

Claudii Verderi judicium non moramur, qui ut olim *Herodotus Plutarchum*, ita *Æmilium* ipſe maligni animi reum agit. Et quo argumento? nempè quia vulgata illa de *Oleo* ad Reges inungendos cœlitus demiſſo, deque *liliis*, præterire maluerit, quàm ut ſententiam de eo ſuam apponere inſimul cogeretur. *Voſſ.*

Extant de Rebus Geſtis *Francorum* libri 10. *Baſileæ* 1601. apud *Henricum Petri*. Addita eſt continuatio *Arnoldi Ferroni*.

THOMAS de VIO.

A Patriâ dictus vulgò *Cajetanus*, ex Ordinis *Prædicatorum* Generali Magiſtro Epiſcopus *Cajetæ*, & Cardinalis S.R.E. tit. Sancti *Xyſti* à *Leone* X. creatus, vixit uſque ad Annum *Chriſti* 1534. ætatis 66. quo obiit 4. Idus Aug. & conditus eſt ad oſtium templi B. *Mariæ* ſuper *Minervam*. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Clar. A. D. MDXX.

Scripſit Commentaria in totam ſummam S. *Thomæ*. Denique opuſcula permulta, & librum Jentaculorum, & ſummam caſuum conſcientiæ.

* *Scripſit* etiam Commentaria in omnem ſacram Scripturam, præterquam in Prophetas, & in Apocalypſim, &c.

Digitized by Google

Vir tam vitæ ſanctimoniâ, quàm ingenii præſtantiâ illuſtris, ſubtiliſſimus, Dialecticus, admirabilis Philoſophus, Theologus incomparabilis, & inter eruditiſſimos doctiſſimi ſui ſeculi longè eruditiſſimus---Hic in extremâ ſenectute ſuâ, poſt innumeras lucubrationes in *Ariſtotelis* Philoſophiam,& in omnem D. *Thomæ* Theologiam editas, totam Veteris, ac Novi Teſtamenti molem juxta literæ ſenſum omnium difficillimum ex *Hebreâ & Græcâ* veritate nudo breviqúe ſermone expoſuit, exceptis *Cantico Canticorum & Prophetis*, quos moriens inchoatos deſeruit,& *Apocalypſin* quam de induſtriâ intactam reliquit inquiens, in eâ exponendâ non ingenio, ſed divinatione opus eſſe. *Sixtus Senenſ.*

Vir fuit ſummi ingenii, nec minoris pietatis. *Bellarm.* de Scriptor. Eccleſ.

Cajetanus vir meo judicio, quamvis Papiſta, tamen candidus, plurimumque diſtans ab ea pertinaciâ, quam in reliquis deplorare cogimur----Omnes Epiſtolàs *Nov. Teſt.* & *Actorum*, librum recenſuit ad Veritatem *Græcam* & *Annotationibus* illuſtravit infra ſpatium circiter decem menſium. *Dan. Chamier.*

Vir fuit puſillâ ſtaturâ, ſed ingenti animo, feliciſſimâ memoriâ, & ingenio maximo: adeò ut inter omnes ſui temporis *Theologos* princeps haberetur. Adoleſcens togam *Prædicatorum* ſumpſit, in quorum cœtu ſic ad virtutis & doctrinæ ſtudia ſe compoſuit, ut adoleſcens, cùm Generalia Ordinis Comitia *Ferrariæ* celebrarentur, in publicâ certatione, cum *Ioanne Pico Mirandulano* congreſſus, ſpectante *Ferrariæ* Duce, totoque *Ferrarienſi Senatu*, magno omnium applauſu, ipſoque *Pico* poſtulante, palam inſignibus & titulo *Doctoris* ornatus fuerit. *Aubert. Miræus* in Bibl. Eccleſiaſt.

Thomas de Vio, Eccleſiæ *Romanæ* nobiliſſimus *Cardinalis*, acerrimi vir judicii, Theologus in Scholâ *Latinâ* longè celeberrimus. *Ioan. Dall.* de lib. Suppoſ. *Dionyſ. Areop. & Ignat. Antioch.* l. 1. c. 36.

In Theologiâ *Scholaſtica* tam inſigniter doctus, ut nulli ex his, qui ſuo tempore floruerunt, ſecundus fuerit. *Alphonſ.* de *Caſtro* l. 2. adverſ. Hæreſ.

Cajetanus obſcuriùs loquitur more ſuo, ut vix rectè intelligatur. *Bellarm.* lib. de Matrim. c. 10.

Majorne Theologus an Canoniſta, non facilè dicas. *Olear.* in Abac.

Thomam Cardinalem *Cajetanum* malè de Trinitate ſenſiſſe probavit Archiepiſcopus *Compſanus Ambroſius*: inter Hæreticos etiam recenſetur ab *Alfonſo* de *Caſtro*. *Chriſtoph. Sandius* l. 3. Enucleat. Hiſt. ſec. 16

Cardinalis Cajetanus, quamvis in compluribus ſacri Voluminis partibus *Latinè* magnâ fide convertendis facultatem ſuam exercuerit, in obſcuro tamen jacuit ejus labor, nec ſuffragiis doctorum comprobatus eſt. Cùm enim *Ebraicæ* ac *Græcæ* linguæ ignarum ſe profiteretur, viros utriuſque peritos, non ad eruendos ſenſus, quos apertè neglexit, ſed ad verborum ſignificationes cognoſcendas,quas ſpectavit unas,in conſilium adhibuit. Meritò itaque alienæ eruditionis fœtum excluſiſſe creditus eſt. *Huet.* de Clar. Interpret.

Cardinalis Cajetani hæc erat præconcepta opinio quod Bibliorum Translationes merè literales eſſe deberent, perſuaſus neminem nimis ad literam Scripturam Sacram interpretari poſſe, cum hæc Verbum Dei ſit, cui vel addere vel detrahere

vetitum,

Digitized by Google

vetitum. Hic Cardinalis Præfatione in Pſalmos prolixè admodum explicat methodum in hujus Libri verſione à ſe obſervatam; atque profitetur, quamvis *Hebraicæ* linguæ ignarus eſſet, ſe tamen bonam Bibliorum partem verbatim juxta *Hebræam* contextum vertiſſe. Virorum duorum hac in re operam adhibuerat hujus linguæ callentium, quorum alter *Judæus*, alter *Chriſtianus* erat, quibus præſcripſerat, ut voces *Hebræas* merè ad literam & juxta Grammaticæ regulas transferrent, quamvis eorum verſio nullum ſenſum fundere videretur---Interea Tranſlatio ipſius, ea præſertim quam Pſalmorum elaboravit ad illum Grammaticæ rigorem prorſus exacta non eſt, nec æquè barbara ac *Malvendæ* & *Ariæ Montani* Verſiones: & quamvis omni Hebraici Idiomatis notitia deſtitutus, de hoc tamen melius diſſerit quam plures Bibliorum Interpretes, ejus mediocriter tantum callentes. *Iſ. Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib. 2. cap. 20. Gall.

Extant Commentaria ejus in Biblia Tom. 5. Fol. *Lugd.* 1639.

Hoc ejus Epitaphium.

Hâc interiori foſſulâ, quam lector inſpicis, felicis memoriæ *Thomæ* de *Vio*, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis *Cajetani* conſervantur oſſa. Qui dum vixit, ita moribus atque omni doctrinâ humano generi profuit, ut pro tanto beneficio *Deo* gratias agere, ac pro ejus animâ meritò preces fundere teneamur. Hic quorundam aliorum inanem declinans faſtum, humili hoc ſe condi juſſit tumulo. Vixit annos 65. dies 29. obiit Anno Chriſti 1534. *Thomas* de *Vio Cajetanus* Cardinalis S. *Sixti* ſacri Ordinis Prædicatorum.

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA.

Colonienſis, natus eſt ann. 1486. obiit ann. 1534. Non ſolùm Juris Civilis, ſed & Medicinæ Doctor ſalutatus eſt. Scripſit Comment. in Artem *Lullii*: libellum de nobilitate ſexus fœminei: de occultâ Philoſophiâ ſive magiâ: de Scientiarum vanitate: de duplici Coronatione *Caroli* V. &c. Clar. An. D. MDXX.

Quis in *Henrici Cornelii Agrippa* ſedato vultu, portentoſum ingenium latuiſſe crediderit. Hic enim immenſo captu, vaſtâque memoriâ, ſcientiarum artiumque omnium rationes, arcanaque intima & ſummos apices complexus, diſciplinas convellit, religiones in dubium revocat, ſtudiorumque omnium labores feſtivâ declamatione deridet: eoque vehementius, atque validius, quòd tantæ novitatis argumenta ſacrarum literarum auctoritate confirmentur, quaſi feliciore opere illudentis ingenii tantas opes oſtentare nequiverit, niſi vir educatus in literis, & à *Cæſare* eruditionis ergo equeſtris ordinis dignitate honeſtatus importunos arietes inanis eloquentiæ, æternis optimarum literarum arcibus admoviſſet. Sed ad hoc cum plauſu à multis exceptum volumen *de Vanitate Scientiarum*, alium addidit librum *de Occultâ Philoſophiâ*, curioſis admodum peſtilentem, quod opus, ex cenſurâ *Chriſtianâ*, edicto vetitum, apud unos impios reperitur. Sed in utroque ſerio, pariter & joco gravior, atque lepidior, ac ideo forſitan æternus appareret, niſi puriorem eloquentiam non ſecùs ac reliquas faculta-

 tes

tem felicii vel inepto judicio contempſiſſet. Exceſſit è vitâ nondum ſenex apud *Lugdunum*, ignobili & tenebroſo in diverſorio, multis eum tanquam *Necromantiæ* ſuſpicione infamem execrantibus, quod *Cacodæmonem* nigri canis ſpecie circumduceret; ita ut quum propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare loreum magicis per clavorum Emblemata inſcriptum notis exolverit, in hæc ſuprema verba iratè prorumpens, *Abi, perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti*, nec uſquàm familiaris ille canis, ac aſſiduus itinerum omnium comes, & tum morientis Domini deſertor, poſtea conſpectus eſt, quum præcipiti fugæ ſaltu in *Ararim* ſe immerſiſſe, nec enataſſe, ab his qui id vidiſſe aſſerebant, exiſtimetur. *Paul. Iov.* in Elog.

De *Cornelio Agrippa* quidam amici docti ad me ſcripſerunt è *Brabantiâ*, ſed ſic ut nec hominis violentiam probare, & plus illi in colligendo ſtudii, quàm in deligendo judicii tribuere videantur. *Eraſm.* Epiſt. lib. 24. Epiſt. 18.

De Viro [*Cornelio Agrippâ*] de quo quid ſentiam rogas, magnificentius cenſeo quàm ut de ejus ingenio cenſuram ferre poſſim. Ex ejus libri [de *Incertitudine & Vanitate Scientiarum*] qualicunque guſtu deprehendi hominem eſſe ardentis ingenii, variæ lectionis & multæ memoriæ, alicubi tamen majore copiâ quàm delectu, ac dictione, tumultuosâ veriùs quàm compoſitâ. In omni genere rerum vituperat mala, laudat bona. *Eraſm.* in lit. *Abeli Colſtero*, dat. *Friburg.* 25. April. 1533.

Agrippa doctiſſimus Mathematicus à Patre exiſtimatus eſt, virque doctus. *Scaligerana* I.

Cornelii nomen ob multiplicem doctrinam, non modò apud *Germanos*, ſed & apud *exteros* celebre extitit. *Boiſſard.* in Icon.

Venerandum Dominum *Agrippam*, literarum literatorumque omnium miraculum & amorem bonorum, appellat doctiſſimus *Ludovicus Vives*.

De *Cornelio Agrippâ* quid omnino ſentiam, nihil habeo neceſſe, dicere niſi quòd cùm in literas declamitavit, videri voluit egregiè literatus: quanquam tamen non minus apud ſanos videatur aucupio vanitatis delectatus, quàm otiosè ſolers in vanitate Artium inſectandâ. *Claud. Minos* in Not. ad Emblem. *Alciati*, pag. 63.

Teſtem appello non hunc aut illum emunctioris naris *Theologum*; ſed *Cornelium* ipſum *Agrippam*, quem in hiſce Myſteriis [de *Magia*] norunt & agnoſcunt viri docti fuiſſe *Delum Natatorem*. *Ioan. Arrowſmith.* Tact. Sac. p. 87.

Sixtus Senenſis vocat Hæreſeos *Lutheranæ* Sectatorem. Sed quàm hoc ſit à vero abnorme, patet ex capite ſexto de Vanit. Scientiarum, in quo B. *Lutherum* acriter perſtringit. *Quenſtedt.*

Quidam Magum fuiſſe, & canis nigri ſpecie Cacodæmonem circumduxiſſe, tradunt. Sed clariſſimus *Joannes Wierus* de Præſtigiis Dæmonum l. 2. c. 5. id merum Commentum eſſe affirmat.

Quidam Autores judiciis ſuis de ejus fama detraxerunt, eumque *Magiæ* accuſarunt: Alii verò ingenuè profeſſi ſunt eos ignorantiâ & affectibus inimicorum *Agrippa* ſe abripi ſinere qui hunc quem non cognoſcebant accuſarent. Et tam bona

bona fide fatendum eſt eum magnis & præclaris dotibus exornatum fuiſſe; genium ejus inter vaſtiſſimos & luculentiſſimos eminuiſſe; meritoque paſſim nominatum fuiſſe ſui Seculi *Triſmegiſtum*, ob eam qua polluit notitiam eximiarum Theologiæ rerum, arcanorum Medicinæ, & magnificarum Juriſprudentiæ Legum. *Morers* Dictionarium Majus, Gallicum.

* Hic Author *Romano Indice* inter *Hæreticos* primæ Claſſis numeratur. Vid. *Indicem Tridentinum.*

Omnia ejus Opera, in duos Tomos digeſta, prodierunt in lucem *Lugduni* in 8. 1580.

Hoc ejus Epitaphium, *Iacobo Latomo* auctore:

Hunc tumulum haud Charites *ſervant*, *ſed* Erinnyes *atræ*.
Non Muſæ, *at ſparſis anguibus* Eumenides.
Colligit Alecto *cineres*, *miſcetque aconito*,
Grataque dat ſtygio liba voranda cani.
Qui quod erat vivum comitatus, atrociter Orci.
Nunc quoque per cunctas raptat, agitque vias.
Inſultatque adeò & Furias, *quia noverat omneis*,
Salveat injungit nomine quamque ſuo.
O miſeras arteis, *quæ ſola ea commoda præſtant*,
Accedas Stygias *notus ut hoſpes aquas.*

Paul. Iov. in Elog.

FRANCISCUS GUICCIARDINUS.

F*Lorentiæ* natus anno *Dom.* 1480. Obiit 1540.

Scripſit Hiſtoriarum ſui Temporis libros 20. ab ipſo *Italicè* conſcriptos, & in Latinum Sermonem converſos à *Calio Secundo Curione*, *Baſileæ* apud *Pernam*, 1566. in fol. Clar. A. D. MDXX.

In ſcribendâ Hiſtoriâ judicio graviſſimorum virorum ſuos æquales [atque haud ſcio an veteres quoque Hiſtoricos] ſuperavit. Nam ubi quid in deliberationem cadit quod inexplicabile videatur, illic admirabilem in diſſerendo ſubtilitatem oſtentat, & graves ubique ſententias veluti ſal accommodatè perſpergit. Mirum in eo ſtudium veritatis inquirendæ. Nihil enim temerè, ſed omnia neceſſariis argumentis confirmat. Fertur enim Epiſtolas, decreta Fœdera, conciones ex ipſis fontibus hauſiſſe & expreſſiſſe. Itaque frequenter occurrit illud, *locutus eſt in hæc verba.* Denique fuit & rerum & locorum, & perſonarum atque adeò conſiliorum & factorum tam diligens inveſtigator, ut omnes *Italiæ* urbes, municipia, caſtra, fluvios, quodque maximum duco, publica monumenta penitùs inſpexiſſe videatur. *Bodin.* in Meth. Hiſt. p. 70. 71.

Res *Italicas* ſuperioris ætatis triginta ferè ſcriptores literis prodiderunt. Unum tamen

Digitized by

tamen *Guicciardinum*, cujus [omnium opinione] perſpecta fides eſt, omnibus anteferendum putem. *Idem* p. 78. 79.

Franciſcus Guicciardinus, prudens peritusque Scriptor, & qui tales lectores ſuos facit. Liber eſt & verax : ab affectibus immunis, ſi tamen ab odio, quod tegere mihi non ſemel videtur in *Ducem Urbinatem*. Sententias bonas utileſque inſerit, ſed parum aſtrictas. Vitia duo propria hujus ævi non effugit, quòd & juſto longior eſt, & quòd minutiſſima quæque narret, parum ex lege aut dignitate Hiſtoriæ : quæ, ut *Ammianus* ait, *diſcurrere* per negotiorum celſitudines aſſueta, non humilium minutias indagare cauſarum. Sed nec *Orationes* ejus ſatis vegetæ mihi, aut caſtigatæ. Languent ſæpè, aut ſolutè vagantur. Denique uno verbo, inter noſtros, ſummus eſt *Hiſtoricus* : inter veteres, mediocris. *Lipſ.* in Not. ad 1. lib. Politic. cap. 9.

Videtur hic Auctor nulli veterum poſtponendus, nam fide, diligentiâ, prudentiâ, cæteriſque virtutibus excellit : ac in rerum geſtarum memoriâ, in conſiliis explicandis, in hominum naturis notandis, in perſonis deſcribendis, in Concionibus, Orationibuſque referendis, plurima habet, quæ in aliis, quæ eorundem temporum Hiſtoriam ſcripſerunt, deſiderantur. *Geſner.* in Bibliothec.

Viget ipſius nomen ad exteras quaſque gentes Hiſtoricæ induſtriæ commendatione diffuſum : colitur ipſius memoria, ſeu rerum omnium incorruptâ lance integerrimi Aſſertoris. Inerat in homine præſertim elatus, ac reconditus judicii vigor. *Ioan. Imperial.* in Muſæo Hiſtorico, p. 98.

Franciſcus Guicciardinus, Scriptor Hiſtoriarum eximius, & cum *Thucidide* & *Herodoto* conferendus, qui à ſuis annalibus, gravitate prudentiâque pleniſſimis, omnem vetuſtatis rubiginem ſitumque procul eſſe quàm longiſſimè voluit, neque verbum ad eos quodpiam accedere, quod putridam illam ac rancidam antiquitatem redoleret. Cui etiam illi, qui eidem ſunt iniquiſſimi, inprimis quinque libris, quos eruditi cujuſpiam viri limâ perpolitos fuiſſe contendunt, omnem *Florentini* Sermonis elegantiam, concinnitatemque concedunt; in cæteris libris non item, quos, nullius cenſuræ, ut priores quinque, ſubjecerat. Verè, an ſecus, nihil ad hoc tempus. Atque illius potiſſimùm ſcribendi rationem, utpote prudentem, ſeveram, gravem, & ab ineptiis inprimis abhorrentem, mihi videntur, in *Italiâ*, omnium virorum principum aulæ fuiſſe ſecutæ, tum in literis dandis, tum in rebus maximis atque graviſſimis explicandis. *Ian. Nic. Eryth. Pinacoth.* 3. p. 220.

Guicciardinus Eccleſiæ Romanæ vexillarius vocatur *Mornæo* in Hiſtoriâ Papatûs p. 551.

Acris judicii vir, uti & uſus in publicis rebus adminiſtrandis. *Poſſevin.* in Biblioth. ſelect.

Nonne in omnium manibus eſt *Guicciardini* Hiſtoria, nec ſolùm propter res quas continet, ſed etiam propter auctoris eloquentiam, & judicium in pretio habetur, & propè antiquis comparatur ? *Roland. Mareſ.* l. 1. Epiſt. Epiſt. 30.

Franciſcus Petri filius ex antiqua & nobili *Guicciardinorum* proſapia, primum obtinuit locum inter nobiliſſimos omnes *Hiſtoricos* qui unquam ſcripſerint; quia impulſu *Iacobi Nardi* ſibi amiciſſimi *temporum ſuorum Hiſtoriam Italicam contexuit*,

texit, non minori gravitate, ſtylique elegantiâ, quàm integritate & eventuum narratione fideli, quæ impreſſionis ope apud omnes Gentes in ſummo pretio habetur, & cultiſſimo cuilibet ingenio admirationem movet. *Ghilini* Virorum Literatorum Theatro. *Italicè.*

Hiſtoricus præſtantiſſimus & prudentiſſimus, quamvis in Lutherum iniquior. *G. Calixt.* in Apparat. Theolog. p. 155.

Guicciardinus quibuſdam vapulat quòd aliquibus locis *Franciſci Marii à Feltry*, *Ducis Urbini* famam obſcuraverit, quod ſimultati cuidam in ejus corde latenti aſcribitur, ex quo ab illo Duce verbis acribus malè habitus fuerat, in quodam militari Conſilio coacto fœderis illius occaſione, quod *Italiæ* Principes inierant, ad urbem *Mediolanum* invadendam, ubi aderat *Guicciardinus* quatenus Generalis *Papalium* Copiarum Imperator. Et ſanè *Guicciardinus* plus iracundiæ atque ſeveritatis in pectore fovebat quàm vultu prodebat: Feſtivis verbis tam parum delectabatur, ut ne verbulum facetum per totam vitam pronuntiaſſe cenſeatur. Indolis ejus auſteritas in ejus Scriptis etiam deprehenditur. Qui hæc examinarunt ſolos *Geſtonem* Comitem *Fuxenſem* & *Johannem* de *Medicis* ibi obſervant, quorum nævos nullos notaverit; Sed cum duorum horumce Principum ſola juventus calami ejus objectum fuerit, cenſuram ejus effugerunt. Cæterum venerabilis eſt ejus memoria ut ingenui, minimeque fucati Scriptoris, omnia ad æquitatis trutinam ponderantis, cujus lances ab æquilibrio nullus odii vel favoris ventus dimovere poterat. Nihil ſcriptis conſignavit quod vel non viderit ipſe vel ab hominibus fide dignis relatum acceperit; pura & nativa eſt ejus narratio, ſed elegans & cum judicio: Incipit ad annum 1490. ad Gallorum in Italiam irruptionem ſub *Carolo* VIII. & in annum 1535. definit ad Pauli III. Pontificatum. Febris maligna Præclari illius Viri vitam terminavit ætatis ejus anno 60. Sanctæ Fœlicitatis Fanum in majorum ejus Tumulo Florentiæ cineres ejus conſervat; *Angelus* verò *Guicciardinus* ejus Nepos Scriptorum ejus poſt ejus mortem editor fuit, ut in hominum memoria reviviſceret; Tanto etiam cum applauſu excepta fuerunt ut ex *Italico* idiomate tranſlata fuerint in *Gallicum*, *Hiſpanicum*, *Anglicum* & *Belgicum* ut toti *Europæ* eorum copia fieret. *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum Tom. I. Gall.

Guicciardinus ſedulus eſt Hiſtoriographus, à quo, mea quidem ſententia, tam accuratè quàm ab alio quovis Rerum ejus ævi notitia comparari poteſt. Et ſane harum etiam ut plurimum, idque honoratiori loco, pars magna fuit. Nullatenus veriſimile eſt quod vel ex odio, vel ex favore, vel ex vana gloria res narratas alteraverit; cujus fidem faciunt libera judicia de Proceribus ab ipſo lata; iiſque inprimis à quibus honoribus auctus & ad munera adhibitus fuerat, ut de Pontifice *Clemente* VII. Quod ad illud attinet cujus gratia potiſſimum ſibi abblandiri videtur, ejus nimirum digreſſiones & ſermones, horum plures boni ſunt & acutè dictis ornati; ſed his nimium delectatus eſt: Nam ne quid intactum relinquat cum tamen ampliſſimum & pene infinitum argumentum tractet, languidior quodammodo fit ejus oratio & Scholaſticam garrulitatem ſapit. Hoc etiam animadverti, quòd cùm de tot Animis & eventibus, de tam multifariis motibus & con-

ſiliis judicet, ne unum quidem eorum referat ad virtutem, ad Religionem & ad conſcientiam, ac ſi harum nulla in univerſo orbe non jaceret extincta: Omniumque rerum geſtarum, quantumvis in ſe ſpecioſarum, cauſam reiicit ad aliquam occaſionem vitioſam, aut ad aliquod commodum hinc Authori proventurum. Fingi tamen non poteſt quin ex innumeris illis actionibus de quibus ſententiam fert, nulla rationi ſuam originem debeat. Nulla corruptio homines tam univerſum invadere potuit, quin aliquis contagium ejus effugerit. Quapropter metuo ne is ſcribendi character guſtûs ipſius vitio quadantenus ſit tribuendus, imo fieri potuit ut alios ſuo pede metiri voluerit. *Michael* de *Montagne*. Tentaminum lib. 2. cap. 10. Gall.

Ex *Italis* ſupereſt *Guicciardinus*, qui (relinquo quòd in quamplurimis *Hiſtorici* partes ignoravit) tam frigidè, invituſque *Gallorum* victorias & gloriam narrat, quàm accuratè lubenſque, adverſa quæque, quantumvis minima, à fortunæ potentiſſimo *belli* numine ejaculata: quemadmodum Sarcinarum in alicujus fluminis trajectione Submerſionem perſequitur, atque dilatat. Dum videt *Carolo* VIII. totam *Italiam* ab *Alpibus* ad *Neopolin* nemine penitus obſiſtente occupanti, victoriam abſque ſuſpicione falſi adimi non poſſe, in *Gallorum* quorundam militum internecione paucorumque, quâ ſine victoriâ obtineri non potuit, totus eſt, magnam eam appellans ſtragem: *Carolo* tamen agri dominium ſuperſtitiſſe diffiteri non auſus eſt. Sed quæ de victoribus ſtrages fieri potuit? ſi de ſuis Sermonem inſtituit, eis ſemper plus meritis attribuit, & regionis laudes magis, quàm ſuæ gentis res geſtas perſequitur, unde maxima laus ducenda eſt. *Claud. Verder*. in Autor. Cenſion.

* Hic Author rejicitur inter Hæreticos Primæ Claſſis.

In memoriam *Franciſci Guicciardini* hoc Diſtichon compoſuit *Stephanus Paſchaſius*:

A Tito *nullus, ſi quis mihi credat, in Orbe,*
Clarior hôc uno floruit Hiſtoriâ.

PETRUS BEMBUS.

Chr. An. D. MDXX.

P*Atricius Venetus*, præter illuſtrem ſui generis nobilitatem, illi acceſſit & doctrina ſingularis, facundia admiranda, & ſumma vitæ integritas. Quæ virtutes illum patriæ, totique *Italiæ* commendarunt: *Romano* potiſſimùm Pontifici: qui ut ejus nomen gloriæ ſplendidioris titulo ornaret, & auguſtius redderet, *Romanæ* Eccleſiæ, Senatuſque Apoſtolici Cardinalem creavit: ampliſſimiſque beneficiis cumulavit. Is *Ciceronianæ* eloquentiæ ſedulus admirator, & imitator extitit; Orator, Poeta, & Hiſtoricus ſuo tempore nulli ſecundus, antiquis certè conferendus. Is plurimos ingenii felicis partus, monimenta poſteritati reliquit: inter quæ hæc habentur præcipua. De *Imitatione Sermonis* lib. 1. *Epiſtolarum* lib. 1. *Hiſtoriarum Venetarum* lib. 12. Scripſit & *carmine poema venuſtiſſimum Benacum*.

Digitized by Google

Benacum De *Ætnâ*, & de *Calice*. Pervenit uſque ad annum ſeptuageſimum ſeptimum. Morti conceſſit Anno ſalutis 1547. 15. Cal. Februarii. *Boiſſard.* in Icon.

Fuit omnino perpolitum *Bembi* ingenium, perque acre, maximéque perſpicax, acutumque judicium, plurima in alios, in ſe nimium penè multa inquirens, in ſeligendis, collocandiſque verbis, multum ponebat operæ, atque in eâ re magnam cum prudentiam, tum verò etiam diligentiam adhibebat----Sunt præterea ejus verſus *Latini* multi, dulces eleganteſque; ut me quidem æquè propemodum, ac veterum illorum Poëtarum ſcripta, delectent. *Joan. Caſa* in Vit. *Pet. Bembi.*

Petrus Bembus; quem orbis terrarum cantat nec injuriâ: vixit enim, quantus* ei vitæ curſus fuit, in virtute totus: is cum alias coluit Philoſophiæ partes, tum verò Poëticam artem ornavit more quodam ardentiſſimo, ejuſque ſtudium à primâ pueritiâ amplexus, nunquam ne in extremâ quidem ſenectute dimiſit: ſcripſit autem verſus in omni ætate multos, & ſcripſit omnium elegantiſſimè, ſic ut *Apollo* dictaſſe videatur. *Manut.* præfat. ad *Torquat. Bemb. Petr.* filium in *Virgil.*

Uterque (*Petrus Bembus* & *Jacobus Sadoletus* verſu & pedeſtri oratione politiſſimus ſcriptor. Verùm illius multa licentioſiùs (ut temporum nequitia, & *Domini* cui ſerviebat, mores ferebant) ſcripta extant. Hujus contrà ſeria ferè omnia, & digna perſonâ quam ſuſtinebat. Utriuſque in diſpari morum inſtituto, fortuna tamen par fuit. Nam & ambo ſimul à *Leone* X. ut primùm ſummum Sacerdotium inivit, ex omni doctorum numero delecti, quorum in conſcribendis *Epiſtolis* operâ & ingenio uteretur: Dein & in *Collegium Cardinalium* eodem anno à *Paulo* III. allecti ſunt; ſub quo & fatis conceſſere. *Thuan.* ad Ann. 1547.

Petri Bembi mira illa fuit ſemper in imitandis optimis auctoribus tam *Latinis* quàm vernaculis felicitas, ut non *Bembum* plerumque loquentem, ſed quem ille ſibi propoſuerit, vel audire, vel legere videamini-----ejus carmina vel *Latina* vel *Vernacula*, dulcia, mollia, & delicata. *Lil. Greg. Gyrald.*

Petrus Bembus illuſtri dignitate & famâ vir fuit: quam tamen *Hiſtoriâ* ſuâ *Venetâ* apud me non auxit. Jacet in narrationibus, vel friget: in verbis affectatiunculas habet materie aut viro ſerio parùm dignas. Nulla vox niſi ex *Tuciano* aut *Juliano* penu: & quæ ſic dici non poſſunt (quippe nova, vel iis ignota) miro verborum ambitu comprehendit. Ipſa etiam tota ſcriptio & formulæ ſic compoſitæ, quaſi hæc omnia *Romæ* geſta, & Republicâ illâ ſtante. Sunt in quibus rideam; ſunt in quibus indigner. Et cùm tam curioſè à verbis ſibi caverit, reperio alibi, quæ, non dicam *Tulliana* non ſint, ſed vix *Latina*. *Lipſ.* Not. ad lib. 1. Polit. c. 9.

Petrus Bembus in illâ puerili fuit hæreſi, ut religio ipſi eſſet ſcribere aut dicere aliud, quàm à *Cicerone* ſcriptum aut dictum-----Et advertite, Auditores, inepti hominis impietatem cum pari ſtultitiâ conjunctam. Is ſiquidem *Epiſtolas* omnes *Pauli* palam condemnavit, eaſque deflexo in contumeliam vocabulo *Epiſtolaccias* eſt auſus appellare; cum amico auctor eſſet, ne illas attingeret, vel ſi cœpiſſet legere, de manibus abjiceret, ſi elegantiam ſcribendi & eloquentiam adamaret. Atque ut cæteram carminum ejus obſcœnitatem taceam: quid ejus Epiſtolis ineptius, & quidem illis, quas Pontificis maximi nomine, & de rebus maximis ſcripſit, & ad viros maximos? Mentiar ego cum *Scipione Gentili*, & luam gravi

 pœnâ,

pœnâ, ſi vel unam mihi in tot illis voluminibus Epiſtolam oſtendant amatores ejus, quæ non inſigni aliquo vitio Grammatico laboret, aut puerili aliquâ ineptiâ conſpicua ſit & demonſtrabilis. Ne quid de rebus ipſis atque Sententiam dicam ſapientiæ inaniſſimis, & mirè languidis, & (repetendum eſt enim, quod ejus proprium maxime eſt) ineptis. *Thom. Lanſius* in orat. contra *Italiam*, p. 736. 737.

Petri Bembi, nihil extat, quod ſciam, præter aliquot *epiſtolas*; in quibus exoſculor non modò dilucidum quoddam, ſanum, & ut ita dicam, *Atticum* dicendi genus; ſed probitatem, humanitatem, ac ſingularem ingenii candorem in *Oratione*, veluti in *Speculo*, relucentem. *Eraſm.* in Ciceroniano, p. 201.

Bembus & *Sadoletus* boni Poëtæ. *Scaligerana* prim.

Cultiſſimis *Elegiis* amores cecinit, ſed aliquando infra decorum, *ithyphallicis* propior. Nec infeliciter ei ceſſiſſe *Epicum* carmen, teſtis eſt *Benacus* ejus, *Hymnique*, heroo pede magnificè incedentes. *Borrich.* de Poët. p. 94.

Bembus nervis ferè ſemper deſtituitur----Cùm Dominum *Ieſum Heroa* vocat, valdè me commovit. Sanè vox impia & utroque indigna. Ne argutetur quiſpiam *Heroem* è ſemiſſe *Deum*, ex altero ſemiſſe *Hominem*. Non poſſunt monſtrorum figmenta vero Deo noſtro convenire. *Benacus*, cùm ad *Catulli* lucernam vigilatus videatur, profectò illius exhibet tenuitatem: à lepore longè abeſt. Extat & *Ara Corycia*, quam tuetur *Author*, non autorem *ipſa*. *Jul. Caſ. Scalig.* de Re Poetic. p. 800.

Eruditiſſimus *Heinſius* Oratione 19. ait *Bembum* ſolum prope ea tempeſtate *Latinè* ſcripſiſſe; & quod proprium, tum *Italorum* erat, puram ac ingenuam, nec calamiſtris ullis aut pigmentis infuſcatam atque inuſtam excluſiſſe Orationem.

Bembus aut multa in gratiam ſuorum Civium aliter atque geſta ſunt ſcripſit, aut certè *Guicciardinus* ſæpe mentitus eſt. *Bodin.* Meth. Hiſt. p. 72.

Tanti æſtimabat *Latinè* ſcribendi facultatem qua pollebat, ut profiteretur hanc nequidem *Mantuano* Marchionatui permutare voluiſſe.

Obſervatum eſt eum in Hiſtoria ſua *Veneta* quædam nequidem veriſimilia lectori perſuadere tentaviſſe, ut quando narrat in Apulia duodecim plauſtra fuiſſe onerata volucribus prælio in aëre commiſſo ſe invicem interemptis. Ferunt etiam eum in eadem hiſtoria plus amoris erga Patriam quàm erga veritatem demonſtraviſſe *Antonius Teiſſier*. Elogiis Virorum Eruditorum. Gallicè.

Ejus Eruditionem ingentem tam exquiſitum de aliorum operibus judicium ſtipabat, ut ex omni ferè *Italia* ad ipſum varia mitterentur Scripta, ut ſuam de illis ferret ſententiam: cujus rei luculenti teſtes eſſe poſſunt *Sannazarius* & *Fracaſtorius*, ambo inter primarios illius ævi Poetas habiti, qui Poemata ſua prelo ſubjicere noluerunt, priuſquam ab ipſo luſtrata fuiſſent. *Ghilini.* Theatro Literatorum Virorum. Italicè.

Opera ejus 13. Tomis diſtincta, *Argentinæ* prodierunt anno 1609.

Sepultus eſt *Romæ* ad B. *Mariam*, ſupra *Minervam*, poſt aram ſummam, inter *Leonis* X. cui à Secretis fuerat, & *Clementis* VII. Monumenta. Ubi hoc ejus Epitaphium:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

Petro Bembo *Patricio* Veneto, *ob ejus ſingulares virtutes à* Paulo III. *Pont. Max. in Sacrum Collegium cooptato* Torquatus Bembus *poſ. Obiit* 17. *Cal. Feb.* 1547. *vixit annos* 76. *M.* 7. *D.* 28.

Hic Bembus *jacet* Aonidum *laus maxima* Phœbi,
Cum Sole, & Lunâ vix periturus honos.
Hic, & fama jacet, & ſpes, & ſuprema galeri,
Quam non ulla queat reſtituiſſe dies.
Hic jacet exemplar vitæ omni laude carentis:
Summa jacet ſummâ hic cum pietate fides.

Aliud Epitaphium:

O Tuſcæ, *ô* Latiæ *Muſæ decus, optime Vates,*
Et Venetæ *ſcriptor nobilis Hiſtoriæ.*
Flens tibi purpureos flores, ſpargitque recentem
Adriacum *Pelagus,* Tybris, *&* Arnus *aquam:*
Et Nymphæ *inſcribunt Tumulo hoc miſerabile carmen:*
Mors rapuit Bembum, delicias Hominum.

Boiſſard. in Icon.

JOANNES PIERIUS VALERIANUS.

B*Olzanus Beluni* in *Venetiis* oppido natus, anno 1550. vivere deſiit. Clar. An. D. MDXX.
Inter alia *Virgiliana* lectiones & Hieroglyphica ejus maximè commendantur. Extat ejuſdem libellus de infelicitate Literatorum. Poemata ipſius leguntur T. 2. *Delit. Ital.* pag. 1193.

Patavii annum 82. ſupergreſſus deceſſit An. Dom. 1550. ad S. *Antonii* conditus, quò vergente Senio conceſſerat, ut poſt longam veluti peregrinationem in nidulo ſuo, ex quo puer evolaverat, ad quietem æternam ſe componeret. Is *Urbani* patrui *Franciſcani* qui *Leonis* X. præceptor fuit, curâ in literis educatus, inter doctiſſimos ſeculi ſui meruit recenſeri, & *Medicea Familia*, cujus favori ac munificentiæ, ſua incrementa *litera* in *Italiâ* debent, addictus, diu in *aulâ Romanâ* ſtudiis invigilavit, & magna negotia tractavit. Ejus inter alia *Virgiliana Lectiones, & Hieroglyphica* maximè commendantur; quæ virum alioqui *Poeticâ* præſtantem, in omni politioris literaturæ, antiquitatis & ſcientiarum genere totâ vitâ verſatum oſtendunt. *Thuan.* ad Ann. 1550.

Pierius Valerianus vir tum probitate, tum literarum ſtudio mihi chariſſimus——De *Petro Pierium* ſe fecit, juvenis multa *Carminum* volumina edidit, multa ſupprimit, nunc preſſiore pede incedit. Multam certè ubique eruditionem

oſtentat. Suâpte naturâ eſt ſtudioſus, & ad optimas quaſque artes propenſior, &, quod multi faciendum eſt, candidus. *Gyrald.* de Poet.

Pierius, *Hieroglyphicorum* poſt *Orum* ſcriptor præſtantiſſimus. *Boniſac.* Lud. Hiſt. p. 600.

Inprimis vide *Pierii* quinquaginta octo *Hieroglyphicôn* libros, Opus eruditum, ſed in quo illud probare nemo poſſit, quod tàm multa ut *Hieroglyphica* referat, quæ talia olim habita eſſe, nullo adſtruere poſſit auctore. *Voſſ.* in *Etymol.* p. 248.

Multa fides in ſanctiſſimo illo ac doctiſſimo Sene, qui *Virgilium* ex *Romano Codice* emendavit, *Joanne Pierio Valeriano*, viro digniſſimo qui ab omnibus ametur & colatur. *Franc. Robortell.* de Arte Criticâ.

Joannes Pierius Valerianus Virgilium collatis variis Codicibus emendavit labore profectò ad lectionem præcipui Vatis perutili. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl.

Ejus *Scripta* cùm Poetica tum Phyſica, & Hiſtorica, & Oratoria, verſantur jam eruditorum in manibus peracris ingenii adſcitâ laude, cùm verè in ſingulis ſolidæ nervos doctrinæ liceat agnoſcere, vel id ſummo teſtante *Scaligero*, qui *Pierium Poetæ* nomine prorſus dignum, non *verſificatoris* affirmat. Vulgatiſſimum præ cæteris *Hieroglyphicorum* Opus, quod arcanas *Ægyptiorum* refert notas, dum curioſos Antiquitatis reddit abundè ſaturos, præclara *moralis*, ac *politicæ* documenta recolit, ad imitabilem non inſipientis populi normam congeſta. *Joan. Imperial.* in Muſæo Hiſtor.

Valerianus vocabatur *Petrus*, verùm à M. *Antonio Sabellico* nomen ejus mutatum *Pierius* dictus eſt. Patre orbatus anno ætatis nono, in tantam paupertatem ſe redactum vidit ut apud nobiles quoſdam *Venetos* famulari coactus fuerit. Poſtquam aliquandiu in ejuſmodi miſeria languidam egiſſet vitam. *Urbanus Bolzano* ejus Avunculus in domum ſuam illum recepit, & literis humanioribus imbuit: Cùm autem *Pierius* mirifico polleret ingenio, tantos in illis brevi tempore progreſſus fecit, ut inter eruditiſſimos ſibi coævos fama ejus increbruerit. *Antonius Teiſſier*, in Eruditorum Elogio Gallicè.

Tantâ conſtantiâ, tamque felici ſucceſſu literarum ſtudium amplexus eſt, ut tandem ad cognitionem pervenerit rariorum illorum arcanorum quæ Seculis venturis poſteri noſtri adhuc penetrabunt curioſo ſuo libro *Hieroglyphicorum*, quæ corraſit è graviſſimis Antiquitatis Authoribus, qui non minus eſt commendabilis Eloquentiæ Latinæ ornamentis quàm Argumenti luculentiâ----- In tota *Italia* eximio ſuo ingenio, profundaque eruditione tantam celebritatem ſibi peperit ut inter intimos ejus amicos recenſeri poſſent viri illi Doctrinâ ſuâ non minus quam ſplendida conditione inſignes *Andreas Gritti*, *Baptiſta Egnatius*, *Marcus Antonius Sabellicus*, *Romulus Amazeus*, *Cornilius Muſſo*, *Cardinalis Bembus*, aliique complures; qui omnes certatim mortem ejus defleverunt, poſtquam eum totâ ejus vitâ ſinceriſſimo ſuo ſtudio coluiſſent. *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

Pierius Hieroglyphica elaboravit, res eſt haud magni momenti. *Orus* bonus eſt. Scaligerana 2. Gallicè.

Pierius

Pierius Tractatum in Dialogi forma conſcripſit ſuper Eruditorum infortuniis, quem continuavit *Tollius*. Illud Opus *Pierii* vocatur à Voſſio curioſus liber & egregius. Sed ad nobis faſtidium creandum unicè videtur laboraſſe, vel ſaltem ut nos moneret proſperæ fortunæ uſum ei non eſſe ſperandum qui eruditionem ſtudiis ſectabitur. Imò ut infelicium illorum virorum qui Literatorum nomine veniunt numerum multiplicet, eorum calamitates perſperſit variis naturalibus caſibus qui infortuniis minimè ſunt accenſendi. Et ſic optandum eſſet ut majori cum delectu ſolidiorique judicio *Synopſis* illa fuiſſet elucubrata, eique illuſtria tantum exempla fuiſſent inſerta quæ lectionis locum tenere potuiſſent erga illos qui in profanum uſum liberales diſciplinas ſe convertere poſſe putant; id eſt iis non uti ad ſuam probitatem augendam, & ad contendendum ut Eccleſiæ vel Reipublicæ utiles evadant in *Statione* cujus tutelam *Providentia* in hujus vitæ itinere illis demandavit. *Judicium Eruditorum* Tom. 2. Pariſ. 1685. per *Baillet*. Gallicè.

Ex Poeticis ejus Operibus, quæ luculentis argutiis, & ſtylo eleganti ornata ſunt, conjicere licet, quòd, ſi peculiariter eorum ſtudio ſe ſe addixiſſet, unus dubio procul è primariis ævi ſui Poetis evaſiſſet; ſed liberalium Artium varietate impendio delectatus, ad rem unam animum nunquam appulit, ſed mente ſua celeri atque vivida per optimas diſciplinas tranſcurrendo, voluit potius in ſingulis mediocriter eruditus eſſe quàm unica perfectè ornatus. Inter laudanda Opera quæ ejus Ingenii fœtus ſunt & in lucem prodierunt, perelegans & magna laude dignum eſt *Latinum* illud de *Hieroglyphicis*---Liber iſte verè egregius & fructuoſus utiliſſimus eſt quibuslibet Literatis; cum innumera hinc haurire poſſint ad Scripta ſua exornanda. *Ghilini*. Theatro Virorum Literatorum. Italicè.

Extant Hieroglyphica: Pro ſacerdotum Barbis: De Literatorum infelicitate Libri Duo: Antiquitatum *Bellunenſium* ſermones 4. *Francofurti* ad *Mœnum* anno 1678. in 4o.

Hoc ejus Epitaphium:

Pierio Valeriano Bellunenſi, *Poetæ Rhetorique ampliſſimo, cujus pia umbra non pœnitendum hic Tumulum ſortita eſt: nam ut optabilis in Patria, ita ſpecioſus* Patavii, *ſupremi officii decus fato amiſſum, Virtute recuperavit.* Petrus Carrarius, *ac* Joannes Baptiſta Rota, Patavini *unanimes grato hoſpiti poſſ.*

Pieridas *dum* Pierius *ſectatur*, *&* Orci.
Nil timet inſidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem æternæ, oſtentant hæ munera vitæ,
Hinc medius vitæ Pieriuſ*que neci.*
Abſtulit hæc annos triſtes: at præmia laudum
Atque animam hæ ſervant, invida mors moritur.

HULDE

HULDERICUS ZWINGLIUS.

Clar. An. D. MDXXV.

HElvetius, Auctor Sectæ *Zvvinglianorum*, natus eſt anno 1487. Obiit anno 1531. Mortuus eſt in prælio, cui intereſſe neceſſe habuit. *Tigurinorum* enim mos eſt, ut, cùm in hoſtem exitur, Eccleſiæ Miniſter primarius unà procedat. *Cadaver* inventum in quatuor partes diſſectum & combuſtum eſt. Poſt triduum *Cor* illæſum repertum. Docuit *Glaronæ* primùm, dein *Tiguri*. In verbis S. *Cœnæ Metonymiam* eſſe affirmare auſus eſt. *Konig.*

Vir erat *Zuinglius* in omni diſciplinarum genere ſolidè doctus, qui & beneficio trium linguarum principum, quas calluerat, feliciſſimè *Scripturas* ſcrutabatur & tractabat. Idiomate ſuo, id eſt, *Sermone Helvetico*, diſertiſſimus habebatur. *Jacob. Verheiden.* in Vit. ejus.

Vir verè pius, & ſolidè doctus, cùm in omni literarum genere, tum in Sacrâ Philoſophia, & tribus linguis eruditiſſimis, *Latinâ*, inquam, *Græcâ* & *Hebraicâ*, atque in vernaculo, id eſt, *Germanico Sermone* diſertiſſimus, immortali laude apud omnem poſteritatem dignus: quem adoleſcens olim *Vetus Teſtamentum* Latinè *Tiguri* enarrantem, & in *Eccleſiis Germanicè* verbum *Dei* enucleantem, audivi: ſed proh dolor! nimium brevi tempore. *Geſner.* in Biblioth.

O par nobile Synaſpiſtarum *Hulrichum Zuinglium Tigurinæ* & *Joannem Oecolampadium Baſileenſis* Eccleſiarum nobiliſſimarum inſtauratores: utrumque ex Antichriſti faucibus omnipotentis *Dei* manu ad illum verbi *Dei* gladio jugulandum erutum: quorum ſecundùm *Deum* excellenti doctrinæ, ſummæ fidei, laboribus incredibilibus, invictæ denique conſtantiæ, tot ubique animæ, ac præſertim *Alpinarum* Gentium pars longè maxima, aſſertionem ex Antichriſti tyrannide in Chriſtianam libertatem debent: longiùs etiam multò progreſſuris, niſi, ſic merentibus hominum peccatis, opus *Domini* à quibuſdam (proh dolor!) ejus ipſius architectis fuiſſet impeditum. *Theod. Beza* in Icon.

Zvvinglius Sacerdos factus divinis ſe ſtudiis totum devovit. *Ethnica* non magni fecit; præter unum *Valerium Maximum*, quem Exemplorum causâ memoriæ mandavit----Doctrinam & judicium ejus teſtantur *Scripta*, vel ringente invidiâ. Studium veræ pietatis & *Evangelicæ* Religionis ab *Antichriſti* quiſquiliis repurgandæ, omnis loquetur poſteritas; cujus ſincerius judicium erit. *Melch. Adam.* in Vit. *Zuingl.*

Zuinglius qui Sectæ nomine ſuo inſignitæ Coryphæus fuit, ſimplicem admodum ſe exhibet ſuis in Biblia Commentariis, parumque in ſtudio *Critices* exercitatum: Quamvis modeſtior ſit duobus illis aliis *Proteſtantium Patriarchis Luthero* & *Calvino*, iiſdem tamen quibus iſti vitiis laborat, ſuaſque præjudicatas opiniones ſequitur. In hoc inſuper elucet ejus modeſtia quòd veterem *Latinum Interpretem* cujus authoritas in tota Eccleſia Occidentali tam antiqua erat, non omninò deſeruiſſet. Cum itaque novam *Prophetiarum Iſaiæ* Tranſlationem adornaſſet, hanc non evulgavit niſi cum Veteris illius *Interpretis* Verſione quæ

Vulgata

Digitized by Google

Vulgata denominari ſolet. Novæ huic Iſaiæ Verſioni titulum dedit *Complanatio Iſaiæ Prophetæ*. Cùm verò teneretur novæ hujus Tranſlationis Apologiam contexere, in ejuſdem Præfatione notat quos Authores ſecutus fuerit tanquam Directores in Opere tam difficili. *Magiſtros*, inquit, multos habui, *Hebræos*, *Græcos*, & *Latinos*, quaſi veteres & novos interpretes ex æquo ſecutus eſſet: Unde etiam paulò poſt ſubjungit, *inveniebam apud Septuaginta, quæ Hieronymus ignorare videbatur, & contra apud Hieronymum multa quæ iſti ignoraverunt.* Hæc ſanè genuina Methodus erat, ſed Author in Bibliorum Critica non ſatis doctus erat ad cœptum ſuum in tota ejus latitudine exequendum. Jeſ. *Rich. Simon.* Crit. Hiſt. Veteris Teſt. lib. 3. cap. 14. Gall.

Scripſit *Epiſtolas* multas doctrinâ & pietate mirâ refertas. *Boiſſard.* in Icon.

Stando confecit omnia ſua ſtudia, certas eis vendicans horas, quæ etiam non omiſit, niſi ſeriis coactus. A ſummo mane ad horam decimam lectioni, Interpretationi, doctrinæ, ſcriptioni dabat operam prout temporis & rerum poſtulabat ratio. Poſt prandium audiebat vel narrantes, vel conſilia rogitantes, aut confabulabatur, aut deambulabat cum amicis uſque ad horam ſecundam; hinc erat reditus ad labores. Poſt cœnam vbi pauliſper deambulaſſet, ferè literis ſcribendis vacabat, interdum ad mediam uſque noctem nihil agens aliud. Præterea quotieſcunque negotia cogebant, & ſenatui ſerviebat. *Oſwald Myconius* in Vitâ ejus.

* *Ulricus Zwinglius* inter *Hæreticos* primæ Claſſis rejicitur.

Extant ejus Opera in 4. Tomos digeſta, *Tiguri.* 1544. 1581. 1595. in Fol.

THOMAS MORUS.

Londinenſis, Filius *Joannis*, Cancellarius *Angliæ*, primus Miniſter Juſtitiæ, ſub *Henrico* VIII. *Oxonii Thomæ Linacri* auditor fuit, tantumque in liberalibus ſtudiis profecit, ut eruditione & plurimarum Lingg. notitiâ multos ſui ſæculi longo poſt ſe intervallo relinqueret. Ab *Henrico* hoc crebris legationibus adhibitus, *Cameracenſi* pacificationi, inter *Franciſcum* I. & *Carolum* V. Imperatorem interfuit, reverſuſque Magni cancellarii axioma impetravit: Sed quòd Regis divortium approbare nollet, menſes 14. in carcere detentus poſtmodum; cùm conſtanter in propoſito perſeveraret, capite plexus eſt, Ann. 1535. ætat. 62. *Hofman.* in Lexic. Clar. A. D. MDXXV.

Scripta ejus ſunt: *Utopiæ* libri duo, ſive de optimo Reip. Statu---Epigrammata varia---Ex *Luciano* quædam converſa *Latinè*---Declamatio *Thomæ Mori Lucianicæ* reſpondens---Hiſtoria *Richardi* III. Regis *Angliæ* imperfecta---Reſponſio ad convicia *Martini Lutheri* congeſta in *Henricum* VIII. *Angliæ* Regem---Expoſitio Dominicæ Paſſionis imperfecta---Quòd pro fide mors fugienda non eſt---Precatio ex Pſalmis, &c.

Vir perſpicacis & acuti ingenii, acerrimi judicii, memoriæ feliciſſimæ, mul-

ac lectionis ſingularis eruditionis. *Ioan. Pitſaus.*

Fuit vir doctrinâ variâ excultus, & ingenii amœniſſimi, quippe Theologus, Philoſophus, Orator, Poëta, Hiſtoricus, linguæ Græcæ & Latinæ peritus. *Bellarm.* de Script. Eccleſ.

Thomæ Mori ingenio quid unquam finxit *Natura* vel mollius, vel dulcius, vel felicius? *Eraſm.* Epiſt. l. 5. Ep. 2.

Non alium eſſe ſcio in *Angliâ* vel ingenio tali prædituṁ, vel virum incorruptioribus moribus. *Idem* ibid. l. 26. Epiſt. 55.

Non arbitror levioris eſſe operæ *Morum* effingere, quàm *Alexandrum Magnum*, aut *Achillem* nec illi quàm hic noſter immortalitate digniores erant. *Idem* ibid. lib. 10. Epiſt. 30.

Britannorum doctiſſimus vocatur *Scævola Samarthano* in Elog. *Germani Brixii. Anglicus* ille *Socrates* appellatur Julio *Scaligero* in Epiſtolâ.

Thomas Morus, Anglus, circa annum 1513. quo tempore erat Vicecomes civitatis *Londinenſis* conſignavit Hiſtoriam *Richardi* III. *Angliæ* Regis; quæ in operibus ejus *Lovanii* editis reperitur. Sed ut fusè perſequitur, quibus ſceleribus ille ad regnum pervenerit: ita quomodo id geſſerit, non exponit. Nempe omnino opus eſt imperfectum: ac nec eâ parte, quam habemus ultimam manum accepit. Elegantiâ quidem *Latini* ſermonis ab aliis ejuſce viri operibus longè vincitur. Sed *Anglicano* ſermone ab eodem quàm elegantiſſimè exarata integrè in volumine, quod *Anglica* ejus opera continet, invenitur. Vitam præterea *Edvardi* V. ſcripſit, teſte *Baleo*---Profectò vir omnino eruditus fuit; quicquid in ſuo *Antimoro* dicat *Germanus Brixius*, objectat quidem non pauca, quæ cum fugerint, pleraque ſanè minuta. Sed quis ea non condonet lubens viro omni penè vitâ publicis muneribus diſtento, & tandem per varios gradus ad cancellarii munus evecto? *Voſſ.* Hiſt. Lat.

Thomas Morus, vel eo nomine magis laudandus eſt, quòd *Britanniæ* Inſulæ terminos vix unquam egreſſus, eruditionis famâ univerſam *Europam* impleverit *Londini* honeſtâ familiâ natus, nullo magiſtro præeunte ad exactam *Latinarum* literarum cognitionem *Græcas* etiam adjunxit. Ab iis ſtudiis ad forenſes cauſas traductus, tantâ æquitate ac prudentiâ enituit: ut ab *Henrico* VIII. Rege ad primaria Reipub. munia, & demùm ad ſupremum regni Magiſtratum: vulgò *Cancellariatum* appellant) ſolâ virtutis commendatione vocatus fuerit. *Aub. Miræus* de Script. Eccleſiaſt.

Fateor *ingenium* feliciſſimè natum, & quòd nihil non potuiſſet efficere, ſi totum his ſtudiis vacare licuiſſet. Cæterùm iſto puero vix tenuis odor literaturæ melioris demigrarat in *Angliam*. Deinde *Parentum* autoritas, ad *Leges* ejus Gentis diſcendas, quibus nihil illiteratius, adegit: mox in cauſis agendis exercitatus, hinc ad Reip. munia vocatus. Vix ſucciſivis horis reſpicere potuit ad Eloquentiæ ſtudia. Tandem in Regiam pertractus, & Regni Regiorumque negotiorum undis immerſus, magis amare poteſt ſtudia quàm colere. Et tamen *dicendi* genus, quod aſſecutus eſt, magis vergit ad *Iſocraticam* ſtructuram ac Dialecticam ſubtilitatem, quàm ad fuſum illud *Ciceronianæ* dictionis flumen, quanquã urbanitate

tate nihilo *M. Tullio* inferior eſt. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 174.

Acutus *Thomas Morus*, & plenus aculeis, ac ingenii. *Lud. Viv.* de Trad. Diſcipl. l. 3.

De *Republicâ* ſcripſit olim *Plato* primus: ſecundum cujus inſtitutionem tum demum vivent homines, quum aliqua exiſtet *Civitas* ſolis ſapientibus, habitata. Idem *Utopiæ* continget *Thomæ Mori*. Legenda tamen & *Platonis Reſpublica* & ejuſdem leges, atque hæc ipſa *Utopia*, ex quibus non pauca annotabuntur Regimini *Civitatum* perquam utilia. *Idem* ibid. l. 5.

Utopiam Mori, ſi nondum legiſti, fac requiras, ſi quando voles ridere, imò ſi fontes ipſos intueri, unde omnia ferè *Reipublicæ* mala oriuntur. *Eraſm.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 18.

Utopiam hoc conſilio edidit, ut indicaret quibus rebus fiat, ut minus commodè habeant *Reipublicæ*, ſed *Britannicam* potiſſimum effinxit, quam habet penitus perſpectam cognitamque Secundum librum priùs ſcripſerat per otium, mox per occaſionem primum adjecit ex tempore. Atque hinc nonnulla dictionis inæqualitas. *Eraſ.* Epiſt. l. 10. Epiſt. 30.

Primus qui talis imaginariæ Reipublicæ formam ſcriptis conſignârit, fuit doctiſſimus ille, ac omnium calculis ſapientiſſimus habitus *Thomas Morus Præfectus Sacris Scriniis*, ſeu *Princeps Scribarum in Angliâ*. Cujus *Utopia* tamdiu vivet, & habebitur in pretio per manus hominum quamdiu juſtitia ipſa ac modeſtia & pietas non omninò ex ipſorum animis & affectibus exulabunt. *Gabr. Naud.* in Bibliog. Politic.

Sed quid *Thomâ Moro Angliæ* Cancellario, in his etiam ſacris olim grandius, venuſtius? ipſe ſibi præmonſtrator, ipſe ſibi in ævi illius tenebris Dux & Magiſter, irriſit *Leoninos*, qui ubique tum invaluerant, verſus, & ad genium antiquitatis ſe ſuaque, quæ ad plurima compoſuit epigrammata accommodavit, major etiam in hoc genere futurus, niſi ad graviora ſtudia paulatim inclinaſſet. Notum hodieque lectiſſimum epigramma ejus, deſtinatum Epitaphio *Henrici Abingdonii*, quod cum *Batavæ* auris hæredibus diſpliceret, aliud pepigit ridiculè rhytmicum, placuitque ſupra fidem, & ſimul guſtum ſeculi ſui lepidè repræſentavit. Diſplicuit illud:

Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim
Nobilis Henricus, cantor Abyngdonius.
Unus erat nuper mirâ qui voce ſonaret.
Organa qui ſcitè tangeret, unus erat.
Vellenſis primò Templi decus, inde ſacellum
Rex illo voluit nobilitare ſuum;
Nunc illum Regi rapuit Deus, intulit aſtris,
Ipſis ut Nova ſit gloria cœlicolis.

Sed quod palatum excitavit hæredum, ita cœpit:

Hic jacet Henricus, ſemper pietatis amicus.

Reliquias præ nauſeâ non libet attexere. *Borrich.* de Poët. p. 154.

Pauca ſanè, ſed ex quibus de ſingulari ipſius induſtriâ exiſtimari poſſit, convertit *Thomas Morus*, planè optimis interpretibus æquiparandus: ad tenue limata & nativa Oratio, non inflata, non corrupta, quodcunque vult, facilè complectens, *Græca* verò tam exactâ æquilibritate reſpondens, ut, *Qui utramvis rectè norit, ambas noverit*. *Huet.* de Clar. Interpret.

Dominus Thomas Morus Vir fuit raris virtutibus & præclaris dotibus ornatus. Dum juvenis erat liberiùs de rebus ſentiebat & loquebatur, ut ex ejus *Utopia* liquet, ſed poſtea uſque ad ſuperſtitionem Pontificii Cleri partibus & ſtudiis ſeſe devovit. Et ſicut eum juvit, dum Authoritate pollebat, imo eidem in exercenda ejus crudelitate opitulando; ita etiam calamum ſuum ad eandem Cauſam tuendam ſtrinxit; tum adverſus omnes Novas Opiniones in genere ſcribendo, ſpeciatim verò adverſus *Tindalum*, *Frithum*, & *Barnes*; tum etiam adverſus incognitum quemdam Scriptorem, qui à neutris Partibus ſtare videbatur, ſed qui Cleri corruptiones improbabat eorumque crudelem geſtionem damnabat. *Morus* minimè gentium Theologus erat, & unicuique Scripta ejus legenti patet illum in Antiquitate planè hoſpitem fuiſſe, præter citationes quas in *Iure Canonico*, & apud *Magiſtrum Sententiarum* ei occurrebant (legerat tantum quoſdam B. *Auguſtini* Tractatus:) nam in quævis Capita controverſa, nihil laudat niſi quod in hujuſmodi Collectionibus reperiebat. Nec etiam ullatenus in eruditione Critica circa Scripturas Sacras verſatus erat: Sed peculiaris ejus in ſcribendo præſtantia hæc erat, quòd naturâ facilè ſenſa ſua exprimeret, omneſque Papatus Opiniones quoad ſpecioſiorem faciem Lectori repræſentabat, arte callidiſſima lateris oppoſiti deformitatem fucando vel occultando, nec minori ſolertia incommodas omnes conſequentias quæ ex Doctrina Reformatorum elici poterant ob oculos ponendo; & quavis occaſione data facetis abundabat fabellis quas ad propoſitum ſuum ſcitè applicabat. In his itaque ſitum erat totum robur Scriptorum ejus, quorum ſcopus erat. Popellum potius quàm Eruditos movere. Verùm quod attinet ad Juſtitiam, Divitiarum contemptum, modeſtiam ſeu humilitatem, ſinceramque generoſitatem, rarum Seculo quo vixit Exemplum fuit. *Burneti* Hiſtor. Reformat. lib. 3. pag. 355. 356. Fol. Angl.

D. *Thomas Morus* (qui Henrici VIII. litem adverſus Lutherum ſuam fecit, illumque adverſus iſtum defendere voluit) Vir erat, ut perhibent, admodum Chriſtianus, admodum nobilis, & naturâ ſuâ lentiſſimus & candidiſſimus, qui tamen uſque adeo ſui ipſius oblitus eſt in ſuo adverſus *Lutherum Reſponſo*, ut in eodem majorem fœdi ſermonis copiam evomuerit, quàm quis unquam fortaſſis conſcribere potuerit. Liber totus quantus nihil aliud eſt, quàm mera impuritas, ne minimo adhibito ratiocinii granulo quo vitium aliquid haberet, nullamque aliam Authori celebritatem comparavit, niſi quòd nemo in tota Europa majoris fuerit dexteritatis, in pravis vocibus cum bona Latinitate enunciandis. Quamvis tanta quandoque ſit animi ejus impotentia, ut vel amabilem ſuam puritatem affectibus ſuis immolet. *Hæc eſt*, inquit, *Domini Doctoris Poſteriotrica; qui cum ſibi jam prius fas eſſe ſcripſerit Coronam Regiam* *conſper-*

conſpergere & conſpurare, ſtercoribus, an non nobis fas erit, poſterius hujus poſteriotricæ, linguam ſtercoratam pronunciare digniſſimam, ut vel meientis multa poſteriora lingat ſuis prioribus &c.p.72. Ab ulteriori citatione tempero: Si cupiat Lector Debacchationem in ſummo gradu poſitam conſpicere, aliquas hujus libri paginas evolvat, & ad faſtidium explebit deſiderium. *Reſponſione* ad *Conſiderationes* quaſdam in Martini Lutheri Genium, impreſſa Oxonii 1687. 4°. pag. 41.

Omnia ejus Opera uno Volumine in Fol. comprehenſa *Lovanii* apud *Ioannem Bogardum* edita ſunt anno 1566.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Jano Vitale*:

Dum Morus *immeritæ ſubmittit colla ſecuri;*
Et flent occaſum pignora cara patris:
Imò, ait, infandi vitam deflete tyranni:
Non moritur, facinus qui grave morte fugit.

Aliud, Auctore *Jacobo Exericho Hiſpano*:

Henricus Morum *gladio jugulavit iniquo,*
Tam dignum vitâ, quàm fuit ipſe nece:
Mortuus ille tamen vivet per ſecula cuncta,
Poſt mortem virtus vivere ſola facit.

GULIELMUS BUDÆUS.

L*Utetia Pariſiorum* celebri literarum domicilio natus anno 1467. *Græcæ* & *Latinæ* Linguæ cognitione, omnium non modò *Galliæ*, ſed totius etiam *Europæ* longè eruditiſſimus eâ ætate habitus eſt, civilis in primis ſapientiæ, & Juriſprudentiæ laude celeberrimus; Senator Regius ſupplicumque libellorum in Regiâ Magiſter. Is cùm perennem ſpectaret laudem, & rei familiaris fortunas honoreſque aulicos ingenio ſuo & ſperatâ gloriâ multò arbitraretur viliores, ſexaginta amplius annis in ocio literario conſumptis, ita ut ſummæ eruditionis libro de *Aſſe* alteroque in *Pandectas* edito, ac infinitâ demum lectione confectis *Commentariis* utriuſque Linguæ, nulli communicatâ laude, æquales omnes doctrinæ autoritate ſuperaret; Morum præterea ſanctimoniâ & vitæ inculpatæ inſignis innocentiâ, piè tranquilléque vitâ exceſſit, abdicatis teſtamento prius omnibus prorſus funeris & tumuli honoribus; & noctu tumulatus eſt anno 1540. ætatis 73. die 22. Auguſti. *Boiſſard.* in Icon. Clar. A. D. MCDXXX.

Scripſit Orationes & Epiſtolas *Græcas* & *Latinas* quamplurimas: Elegias & Epigrammata varia: Annotationes in Pandectarum ſeu Digeſtorum lib. De *Aſſe* & partibus ejus. Et plurima alia.

Quod ad eruditionem pertinet, non video quâ in re *Budæus Eraſmo* cedare

ſive humaniores, ſive *Chriſtianæ* dignas homine literas æſtimare libeat. Quod verò ad dicendi facultatem attinet, parem, meâ ſententiâ, in tam diverſo dicendi genere laudem merentur. Beatiſſima in ambobus & rerum & verborum copia: ſed ita ut alter altiùs expatietur, alter auguſtiore quidem alveo, verùm altiore ingentem aquarum vim trahat: fluit ille plenior, hic fertur rapidior. In *Budæo* videor mihi agnoſcere plus nervorum, ſanguinis, ſpiritus: in *Eraſmo* plus carnis, cutis coloris. In illo plus diligentiæ, in hoc plus facilitatis: creber ille ſententiis, hic facetiis: Ille omnia utilitati, hic plurimum delectationi tribuit. *Chriſtoph. Longol.* in Epiſt. ad *Iacob. Lucam*, Decan. *Aurelianenſ.*

Gulielmus Budæus, Pariſienſis, omnium qui hoc Patrumque ſeculo vixere, ſine controverſiâ doctiſſimus. Cujus fama in excelſo & illuſtri loco poſita omnes omnium nationum homines in admirationem ſui quotidiè convertit: eóque magis, quòd in urbe ab his ſtudiis id temporis abhorrente inter luxum & opes ortus & educatus, nullo præceptore, nullo rivali, ad ſupremum illud eruditionis faſtigium ſuâ ipſius induſtriâ conſtantiâque penè incredibili provectus eſt. Defuit quidem tanto viro perſpicuus ille venuſtioris eloquentiæ nitor, quem recentiores uni *Ciceroni* addicti majore ſtudio & religione coluerunt. Sed quid ſi exiſtimabat (id quod res erat) ejus auctoritatis homini gravitatem ſtyli magis quàm verborum Lenocinia convenire? Certè voluntatem ei non facultatem defuiſſe argumento eſſe poteſt penitiſſima illa totius Latinitatis cognitio, cujus in *Pandectis* recenſendis & *Romanorum Iure* illuſtrando luculentum & nobile ſpecimen dedit. *Scævola Samarthanus* in Elog. *Gallorum*.

In *Græcis* autem quis non miretur euſque progreſſum, ut (quod nulli dum extra *Græciam* nato contigerat) ipſius *Iani Laſcaris Græcorum* doctiſſimi judicio veterem *Atticorum* facundiam adæquaſſe diceretur. *Idem* ibidem.

Nunquam erit in *Galliâ* alter *Budæus*. *Scaligerana prima*.

Budæus qui dixit *Gallicas* voces à Græcis originem ducere, non paucos errores commiſit. Nihil niſi *imitando* ſcribere poterat, Phraſeωn locos communes ob oculos habens: *Græcæ* Linguæ callentiſſimus in Europa fuit. Perfacilè poteſt hodie quis Græci & Hebraici idiomatis peritus eſſe, omnium enim extant interpretationes; ſed ut quis vim nativam & genium linguarum illarum noverit, diligenti ſtudio opus eſt, & pauci eò perveniunt. *Ioſ. Scaliger.* in alteris *Scaligeranis* Gallicè.

Singulare hujus Urbis [*Lutet.*] ornamentum, cujus ſi quando manum in aliquo loco cognoſcimus, ita veneramur & admiramur, ut quod ludens ſcripſerit, aliorum ſeriis Scriptis anteponere non erubeſcamus. *Turneb.* lib. 9. Adverſar.

Incomparabilis Myſta Græcæ literaturæ ſuo ævo *Gulielmus Budæus*. *C. Barth.* l. 21. Averſar. c. 3.

Græcarum literarum decus immortale. *Meric. Caſaub.* in *Epicteti* Enchir. p. 155.

Tantum honoribus ſuis promerendis impendit ſtudium, ut nunquam ocio, niſi unicâ nuptiarum ſuarum die, quidquam indulſerit, utpote quâ conqueſtus eſt, ſe 4. tantummodò horas literis impendiſſe. *Lyncker* de beneplac. ſect. 2. cap. 1. num. 2.

Utroque

Utroque Opere in *Pandectis* & quinque libris de *Aſſe* plurimùm opitulatus eſt rei Latinæ, elaboratâ illâ ſcrutatione rerum ac verborum linguæ utriuſque. *Lud. Viv.* lib. 3. de Trad. Diſcipl.

Tam abeſt ab omni hæreſi *Budæus*, quàm dulce ab amaro; vivit ne quiſquam hodie utriuſque linguæ callentior. *Lud. Viv.* lib. 2. de cauſ. corrupt. Art.

Quo viro (*Gul. Budæo*) *Gallia* acutiore ingenio, acriore judicio, exactiore diligentiâ, majore eruditione nullùm unquam produxit: hâc verò ætate nec *Italia* quidem. Nihil eſt uſquam vel *Græcorum* vel *Latinorum* Scriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excuſſerit, *Græca* & *Latina* juxta & ſummè callet. Tàm facilè utraque linguâ loquitur, quàm *Gallicâ*, quæ eſt ei vernacula, haud ſcio an etiam facilius. De libro *Græco* quæ ſunt ſcripta, leget *Latinè*: de *Latino Græcè*. Hæc quæ videmus tam elaboratè, tam excultè ab eo conſcripta, extemporali ſunt ei facultate parta. Faciliùs tùm *Græcè* ſcribit, tum *Latinè* quàm etiam earum linguarum peritiſſimi intelligant. Nihil eſt tam reconditum, tam abſtruſum in his linguis, quod non perveſtigarit, adierit, inſpexerit, & velut *Cerberum* è tenebris produxerit in lucem. Infinitæ ſunt ſeu vocum ſignificationes, ſeu loquendi figuræ ac proprietates, quas unius *Budæi* Operâ ſciunt homines ſtudioſi prioribus ſeculis ignoratas. Et hæc quidem omnia tanta & tam admirabilia ipſe per ſe ſine magiſtro ullo perdicit. Fœlix ac fœcundum ingenium, quod in ſe uno invenit & doctorem & diſcipulum, & docendi viam, rationemque. Et cujus decimam partem alii ſub magnis magiſtris vix diſcunt, ipſe id totum à ſe magiſtro edoctus eſt. Nihil dixi de ſcientiâ juris, per ipſum inſtaurari collapſa jam cœpit, nihil de Philoſophia, cujus ipſe in libris de *Aſſe* id ſpecimen edidit, quod edere non quiviſſet, niſi homo, qui in omnium Philoſophorum libris aſſiduò verſatus eſſet, maximoſque in eis progreſſus haberet. *Lud. Viv.* in *Auguſtin.* de C. D. lib. 2. cap. 7.

Eraſmus eum *portentum Galliæ* vocare ſolebat.

Gulielmus Budæus homo *Gallicus*, vir quidem doctiſſimus, & eruditionis non vulgaris, ſed quantum inter Poëtas profecerit neſcio; ex ipſius, quæ adhuc ego viderim, ſcriptis, ille quidem ad quæcunque velitis, ſi non deterſam, paratam tamen & copioſam ſupellectilem habuiſſe videtur. *L. l. Gyrald.* de Poët.

Quod ad binas Linguas ſpectat, eas cum tanta facilitate poſſidebat ut Græcum librum manibus tenens Latinè ipſum legeret; pariterque Latinum Græcè legere poterat. Ea celeritate utroque idiomate ſcribebat, quæ viri *Athenienſis* aut *Romani* potius videretur quàm hominis in Galliæ meditullio nati. Et ſane poſtquam ſalebras illas ſuperaſſet, quæ vulgares animos ſæpè remorantur, duarum hujuſmodi viæ ducum auxilio uſque ad intimas Antiquitatis venerandæ receſſus penetravit. In ea nihil erat tam obſcurum quin id elucidaverit, nihil tam occultum quin hominibus id revelaverit, mediis nemini præter ipſum cognitis. Hujus nullum aliud argumentum afferre volo quàm Epiſtolas ejus *Græcas* & *Latinas*, ejus in Græcam linguam Commentarios, ejuſque Tractatum de Methodo facile addiſcendi Scientias. Illius Ingenii fœtus præſtantes Erudi-

torum

Digitized by

torum manibus quotidie teruntur, iiſque clare oſtendunt quantum debeant huic præſtanti Viro, quod viam priùs inacceſſam & obicibus plenam ipſis aperuerit. Quis Notas ejus in *Pandecta* & *Digeſtum* legens inficias ibit, quin profundiſſima *Themidis Myſteria* ſcrutatus fuerit, eaque eduxerit è tenebris quibus ſub confuſa & informi Legum Romanarum mole obvoluta erant. Quod ad ejus Hiſtoriæ notitiam tanto fulgore conſpicua eſt in ejus libro de Monetis Antiquis, ut ſub illo modeſto titulo de *Aſſe*, apertè nobis ob oculos ponat veterum Romanorum faſtum & Potentiam, nobiſque theſauros à tot Seculis incognitos expromat, qui ſub magni Illius imperii ruderibus forſan adhuc ſepulti jacerent, niſi ab Erudito illo *Budæo* effoſſi fuiſſent ejuſque labore in lucem educti. Præclarum illud opus non modò mirabundos, ſed & invidos reddidit, vel Doctiſſimos in *Italia* & in *Germania*: Imo quidam productionis ejus gloriam Budæo eripere anniſi ſunt: Sed hæc integra ipſi conſervata fuit, quicquid captioſi & ambitioſi homines illi tentaverint. *Iſaac. Bullart*. Acad. Scientiarum, Tom. 1. Gall.

Nullum eſt dubium, quin Doctiſſimus Gullielmus Budæus *Galliæ* ornamentum fuerit, & coætaneorum Literatorum flos. Cùm in illo fuerit concurſus omnium ſcibilium, quibus Homo perfectè ſapiens evadere poteſt. *Laurentius Craſſus*. Italicè.

Gulielmus Budæus vir ad ſeculi ſui gloriam natus, laudibus literariis abundans, magnâque, cùm propter ſingularem rerum omnium ſcientiam hominum admiratione affectus; tum ob id potiſſimum, quòd *Græcas* literas ſuâ ætate inter mortuas exſuſcitârit. *Huet*. de Clar. Interpret. p. 156.

Budæus opus illud ſuum in *Pandectas* eleganter compoſitum aptè non inſcripſit: quippe qui *Legum* quarundam voculas aliquot, cùm ſit interpretatus, in *Pandectas* ſe ſcripſiſſe glorioſè ait, cùm ne illius quidem *Legis*, non dicam tituli, materiam attigerit. *Claud. Verder*. in Auctor. Cenſ.

Hoc Diſtichon compoſuit *Georgius Buchananus*:

Gallia *quòd* Græca *eſt*, *quòd barbara non eſt*,
Utraque Budæo *debet utrumque ſuo*.

* *Gulielmi Budæi* de *Aſſe*, & partibus ejus, libri 5. ejuſdem *Annotationes* in *Pandectas*, cum expurgationibus permittuntur in *Indice Madritienſi* edit. Anno 1667. fol.

Opera ejus omnia tribus Tomis Impreſſa, prodierunt Anno 1557.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Jano Vitale*

Qui ſanctum ſimul, & ſimul diſertum
Exquiris ſapientiæ magiſtrum:
Ultra quid petis? hîc jacet Budæus.

Aliud

Aliud ejus *Epitaphium*:

Budæus *Columen decuſque Graium*:
Budæus *Latiæ corona linguæ*:
Budæus *dubii lucerna Juris*:
Budæus *pater elegantiarum*,
Et fons totius eruditionis:
Budæus *patriæ jubar coruſcum*:
Regis delicium ſui, ſuæque
Tempeſtatis honos, lepor, voluptas,
Hic terræ exuvias reliquit, Orbi
Famam, Aſtris Animam. Viator, ito.

In Librum de: *Aſſe* hoc Diſtichon compoſuit *Theodorus Beza*:

Quod ſibi vix multo multi peperere labore,
Uno Budæus *comparat* Aſſe *ſibi*.

MELCHIOR CANUS.

HIſpanus, inter inſignes *Franciſci Victoriæ* diſcipulos palmam facilè *Melchior Canus* Provinciæ *Caſtellæ* obtinuit. Qui & Magiſtro pòſt in Academiâ *Salmanticenſi* ſuccedens, mox ad *Canarienſem Epiſcopatum*, qui *Fortunatarum* eſt *Inſularum*, evectus, eo ſe paulò poſt abdicavit. *Concilio* quoque *Tridentino* interfuit. Vitâ *Toleti* deceſſit in Cœnobio B. *Petri* Martyris, Anno 1540. Scripſit autem diſerto admodum ſtylo *de Locis Theologicis* libros duodecim, in quibus *Ciceronianæ* dictionis amans prœmia artificiosè adhibet, luxuriarique it lo videtur. *Biblioth. Hiſpan.* Chr. A. D. MDXXX.

Melchior Canus in *Tridentino Concilio* Theologus celeberrimus. Quô nemo ſacras literas plenius & planius docuit. *Quenſtedt.*

Melchior Canus magni fuit nominis apud *Pontificios* (nec immeritò) Theologus. *Whear.* in Method. leg. Hiſt. Civ. ſect. 33.

Ejus Loci *Communes* è fœcundo, erudito, & facundo ingenio prodierunt, eò commendandi magis, quòd ipſe noſtrâ ætate, primus eâ brevitate copiâ, diſpoſitione, ac perſpicuitate de iis perutiliter egerit. *Poſſevin.* in Apparat. Sacr.

Melchioris Cani Scriptum de Locis Theologicis multâ eruditione refertum eſt. *Voet.* Biblioth lib. 2. ſect. poſter. c. 1.

Melchior Canus ſummus Theologus, & moderatiſſimus Vir. *Montacut.* in Antidiat.

Eruditione nulli in Eccleſiâ *Romanâ* ſecundus: & quod rarum eſt in *Papiſtâ*, ſingularis fuit candoris ingenii Dr. *Jackſon* in Symbolum.

Ex omnibus Theologis qui *Concilio Tridentino* interfuerant, hic maximæ

 clariſſimæque

clariſſimæque famæ fuit. Nemo ab illius ætate Myſteria *Sacrarum Scripturarum* meliùs explicuit. *Pererius* (Jeſuita) Tom. in *Daniel.* l. 12. c. 7.

Criticos omnes ſui *Seculi* ſoliditate judicii & audacia ſuperat. Natus videbatur ad perſtringendum omnes aniles fabulas omneſque errores populares qui in libros, præſertim verò in Hiſtorias irrepſerant. Sufficit dicere *Criticam* ejus apud *Voſſium* magno in pretio fuiſſe, & Patrem *Combefiſium* illum vocaſſe *Cenſorum Magiſtrum*, licet ejus *παῤῥησία Baronio* aliquantulum moleſta ſit. Eruditorum Judicium, per *Baillet.* Paris. 1685. Gall.

Utile erit *Caſſandrum* evolvere, qui tot lites [de *Religione*] apertè quidem componere tentavit, licèt majori pietate quàm ingenio; & *Melchiorem Canum*, qui hoc idem, ſed occultè conatus eſt, ingenio majori, quàm pietate, ac propemodum admirabili judicio. Vix enim poteſt imaginatio conſequi, quantum Auctorum ejuſmodi lectione, Politicorum mentes acuantur, excitenturque ad ſaluberrimè de rebus iſtis conſulendum, quibus non unius aut alterius Hominis modò, ſed univerſæ plerumque *Reipublicæ ſalus*, & belli paciſque momenta continentur. *Gabr. Naud.* Bibliog. Politic.

Vir fuit politus & elegans, atque in Hiſtoriâ Sacrâ verſatiſſimus *Aub. Miræus* de Scriptor. Eccleſ.

Multæ doctrinæ *Hiſpanus. H. Conring.* in præfat. ad *Caſſandr. & Wicel.*

Extant ejus Opera *Col. Agrip.* 1605. in 8°.

SIMON GRYNÆUS.

Clar. A. D. MDXXX.

PHiloſophus, & Theologus *Baſileenſis.*

Joannis Sapidi Jambos doctiſſimos de *Simone Grynæo* præmittere libet notationi vitæ ejus, ſunt autem hi:

Quæris Simon Grynæus *ille quis fuit?*
Attende, dicam, magnus ille vir fuit:
Decreta Grammatices nihil novit minùs
Quàm Priſcianus: *tàm prope eloquentiâ*
Ciceronianæ *acceſſit, ut nemo propiùs*
Chryſippon *exæquavit in* Dialecticis:
Non hoc Jopas *melius increpuit Lyram:*
Numeri ſcientiâ ταὐτὸν retulit:
Talis Geometra, qualis Architas *fuit:*
Cognitionem habuit ut Atlas *ſiderum:*
De moribus conſimili Ariſtoteli *modo,*
Diſſeruit, & ſapientia cæleſtium:
Non Plinio *Phyſice priores detulit:*
Non ceſſit Hippocrati *medendi indagine:*
Fuit alter Aurelius *Sacris in Literis,*
Jam quid Sacræ non attigit Poëſeos?
Quid eſt relatu dignum in hiſtoriis novis

Et

Et veteribus ſimulque miſcellaneis
In lucubrationibus, quod neſcit?
Linguis Palæſtinâ, Latinâ & Atticâ,
Non aliter ac ſermone plebeio uſus eſt.
Sed quid opus eſt multis, fuit planè Hippias:
Aut alter: aut vel præferendus Hippiæ:
Grex diſciplinarum cui paruit omnium:
Quem luget extinctum meritò Cyclopædia
Sui colit *Grynæi* quæ tumulum ſacrum:
Ut *Apollini* hujus nominis ſuum nemus.

Etſi verò nihil addi poſſet ad hoc *Grynæi* Encomium, nos tamen proſequemur nunc ſtylum noſtrum: fuit itaque *Simon Grynæus*, *Feringæ Suevio* oppido natus, anno 1493. In quo modeſtia & morum ſuavitas ſingularis, cum pietate & diſciplinarum omnium exactâ cognitione certavit: magni illius *Melancthonis* in Scholâ *Portæ Hercinia* diſcipulus. Philoſophiæ Magiſter *Viennæ Auſtriæ* nuncupatus, modis omnibus vir laude & memoriâ ob linguæ *Latinæ*, *Græcæ* & *Hebraicæ* peritiam, omniſque Philoſophiæ ad miraculum uſque cognitionem; & ob Theologiæ veræ ſcientiam & uſum digniſſimus ſempiternâ. Quas ipſe doctrinas paſſim Academiis, *Vienna*, *Witteberga*, *Heidelberga*, *Baſileæ* multis annis publicè privatimq; profeſſus eſt. Multis egregiè *Latinis* & *Græcis* Authoribus ſuo nitori & lumini reſtitutis. Tandem ſibi ipſi quidem ſatis longævus, licèt vigente adhuc ætate mortuus, utpote cui nihil amplius quod diſceret ſupereſſe videretur: Cæteris verò tempeſtivè nimium ereptus, quos ſcilicet, quò plura didicerat, eò plura docere, vir juvandis aliorum ſtudiis natus, potuiſſet. Obiit autem *Baſileæ* ex peſte, Cal. Auguſti, Anno 1541. ætatis 48. *Boiſſard.* in Icon.

Scripſit Epiſtolas varias---Commentarium in octavum Librum Topicorum *Ariſtotelis*—Tractatum de utilitate legendi Hiſtorias—De ignitis Meteoris, & de Cometarum cauſis ac ſignificationibus -- Præfationes varias-Commentaria in Epiſtolam *Pauli* ad *Romanos* Multa è Græco ſermone in Latinum tranſtulit.

Incomparabilis Vir *Simon Grynæus*, in quo pietatem *Chriſtianam*, & virtutes omnes, & *Muſas* atque *Charites* habuiſſe domicilium exiſtimo. *Bibliand.* de Rat. Com. omn. Ling.

Simon Grynæus eſt homo *Latinè Græcèque* ad unguem doctus, in Philoſophiâ & Mathematicis Diſciplinis diligenter verſatus, nullo ſupercilio, pudore penè immodico. *Eraſm.* Epiſt. l. 26. Epiſt. 39.

Vir in omni literarum genere citra ſupercilium eruditus, ita provehendis liberalibus ſtudiis natus. *Eraſm.* ibid. l. 28. Epiſt. 15.

Vir in liberalibus Diſciplinis atque Linguis cùm optimè verſatus eſſet, multorumque tam *Græcorum*, quàm *Latinorum* Auctorum Lectione multa didiciſſet; contigit ut judicium ſæpiſſimè adhibuerit, quoties illo tempore utriuſque Linguæ *Autores*, quarumcunque *Artium* & Facultatum libri, in lucem ederentur. Cujus & conſilio & judicio ipſi *Typographi* plurimum uſi videntur: qui in pro-

Digitized by Google

trudendis imprimendiſque libris (quos *Baſilea*, ut fœcundiſſima mater innumerabiles edidit) hujus judicium, tanquam *Apollinis Grynæi* Oraculum expetivere, ut ejuſdem indicant *Præfationes* & *Epiſtolæ* omnis ferè generis *Autoribus* præmiſſæ: quæ & hâc ratione clarum apud poſteros nomen *Grynæi* reddiderunt. Qui quidem ſi longiori tempore ſupervixiſſet, labore, induſtriâ, eruditione ac judicio *Rei Literariæ Theologicæque* multùm profuiſſet. *Jac. Verheiden.* in Elog. Theolog.

Erat *Latinè*, *Græcè* & *Hebraicè* doctiſſimus. *Konig.*

De ſtudiorum omni genere præclarè merebatur *Simon Grynæus Voſſ.* de Mathemat.

Vir Scientiarum omnium & Linguarum eruditiſſimus,ac ad promovenda bonarum Artium ac Pietatis ſtudia natus. *Geſner.*

Simon Grynæus princeps ſuæ ætatis Philoſophorum ac Philologorum, addo etiam Theologorum — Fuit vir in tribus linguis & univerſâ Philoſophiâ ſolidè citra ſupercilium eruditus; nec minus in Theologicis exercitatus: ut verbo dicam, veræ pietatis & virtutis priſcæ exemplum ferè ſine exemplo: homo ad promovenda bonarum artium ac pietatis ſtudia natus; multiſque tam *Latinis* quàm *Græcis* Auctoribus ſuo nitori egregiè reſtitutis, memoriam meritus ſempiternam. *Melch. Adam.* in Vit. ejus.

Grynæus cùm videret magnum decus eſſe *Eccleſiæ* eruditionem, magno labore accendere omnium honeſtarum Artium ſtudia conabatur, optimos autores veteres edebat ac enarrabat. Erat ingenium capax omnium bonarum Artium, ſed hæc major laus eſt, quòd non faſtidiit doctrinam Eccleſiæ, ſed ſemper ad Philoſophica ſtudia lectionem adjunxit *Prophetarum* & *Apoſtolorum Phil. Melancthon.* Epiſt. l. 1. ep. 68.

Andreas de *Laguna* redarguit ipſum infidelitatis in ſuis *Verſionibus*, Dominus verò *Huet* ait illum inſignem garrulum fuiſſe, ejuſque characterem Paraphraſtæ potius quàm Tranſlatoris eſſe. Præcipuæ illius Verſiones ſunt quarundam Plutarchi Vitarum & aliquorum ejuſdem Opuſculorum mortalium, Variorum Ariſtotelis Operum, atque Beati *Chryſoſtomi* Homiliarum in priorem ad *Corinthios*. Judicium Eruditorum, per D. *Baillet*. Pariſ. 1685. Gall.

Simon Grynæus Vir elegans fuit, tam egregias concinnavit Præfationes in *Pollucem* alioſque Præſtantes Authores. In *Plinium* majorem valde laboravit. *Scaligerana prima.* Gall.

* *Simon Grynæus* in *Romano Indice* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur.

Opera verò ejus, additâ ſemper Auctoris damnati notâ permittuntur in *Indice Madrit.* edit. ann. 1667.

Extat Tractatus de utilitate legendi Hiſtorias, Livii operibus præfixus *Baſileæ* 1579. in 8o.

Extant Epiſtolæ aliquot, & Comment. in Octavum Librum Topicorum *Ariſtotelis Baſil.* 1556. in 8o.

JACOBUS

Digitized by Google

JACOBUS SADOLETUS.

MUtinæ Urbe *Italiæ* natus eſt, parentibus nobilibus & locupletibus, primâque auctoritate, & gloriâ inter ſuos præditis. Hic cùm inter *Italos* famâ ſingularis doctrinæ quâ pollebat, celebris eſſet, à *Leone* X. Pontifice Maximo *Romam* vocatus, & Epiſcopatu *Carpentoratenſi* in *Galliâ* donatus eſt: in cujus adminiſtratione quum aliquot annis integrè, & fideliter ſeſe geſſiſſet, poſcentibus omnibus *Romani* Senatûs Patribus, à *Clemente* ſeptimo in ordinem *Cardinalium* receptus eſt, magnâ totius Collegii *Apoſtolici* lætitiâ, & congratulatione. Scripta reliquit plurima: librum de pueris rectè ac liberaliter inſtituendis. De laudibus Philoſophiæ. De Regno *Hungariæ* à *Turcis* capto: Homiliam, cum Oratione exhortatoriâ ad bellum contra *Turcas*: Commentaria in Epiſtolam *Pauli* ad *Romanos* lib. 3. Interpretationem aliquot Pſalmorum: Homiliæ aliquot & Epiſtolarum lib. 16. Et duo Poëmatia, *Curtius* & *Laocoon*. Cum annum ætatis ſeptuageſimum attigiſſet, in febrim lapſus, magno omnium bonorum dolore & triſtitiâ, diem poſtremum obiit *Romæ* non ſine dati veneni ſuſpicione. Quatuor enim hi *Cardinales* viri docti & boni, *P. Bembus, Jac. Sadoletus*, *Caſpar Contarenus*, *Campegius*, properatâ morte feruntur occubuiſſe: cauſam ignorant multi, niſi quòd fortè cum iis qui à *Romanâ* Religione diſcordant, aliquam familiaritatem habuiſſe credantur. *Boiſſard.* in Icon.

Claruit A. D. M D X X X.

Commentarios in Epiſtolam ad *Romanos* edidit illud eximium hujus ætatis decus, *Jacobus Sadoletus*, admirabili ſermonis nitore, & copiâ planè *Ciceronianâ*, nec deeſt affectus *Epiſcopo Chriſtiano* dignus. Fieri non poteſt quin tale opus à tali viro profectum, bonorum omnium ſuffragiis approbetur, vereor tamen ne apud complures ipſe *Phraſeos* nitor nonnihil haberet aculeos ad *pietatem*. *Eraſm.* l. 27. Epiſt. 58.

Librum de *Laudibus Philoſophiæ* valdè laudat *Petrus Bembus* in Epiſt. ad *Cardinalem Polum*: " Equidem (inquit) ab illis *Auguſti* temporibus, quæ profectò " maximè omnium ſummis ingeniis & præſtantibus Scriptoribus claruerunt; " nullum legi librum ſcriptum, ut mihi quidem videtur appoſitiùs, ſplendidiùs, " nullum meliùs, nullum *Ciceroniano* mori, ſtilo, facundiæ denique viciniùs.

Vir graviſſimus, omnibuſque virtutibus, omni diſciplinarum genere, omni literarum cultu longè præſtans *Jacobus Sadoletus* Collega meus. *Bemb.* ad *Budæum*.

Petrus Bembus & *Jacobus Sadoletus*, uterque verſu & pedeſtri oratione politiſſimus ſcriptor. Verùm illius multa licentioſiùs (ut temporum nequitia, & Domini, cui ſerviebat, mores ferebant) ſcripta extant: *Hujus* contra ſeria ferè omnia, & digna perſonâ quam ſuſtinebat. *Thuan.* ad Ann. 1547.

Scribendi facultate nemo ætate noſtrâ ad illam *Antiquorum Scriptorum* laudem propiùs accedere exiſtimatus eſt. *Anton. Florebell.* in vit. ejus.

Si poemata ipſius nonnulla, & orationes varias, & Epiſtolarum volumen, & Commentatiunculas in Pſalmos, & D. *Pauli* Epiſtolas, æquus rerum æſtimator advertat,

advertat, ſolidam prorſus eruditi, ſuſpiciendique ingenii laudem attigiſſe fateatur. *Joan. Imperial.* in Muſæo Hiſtorico.

Bembus & *Sadoletus* boni Poëtæ. *Scaligerana* prim. p. 27.

Jacobi Sadoleti Poëmata, *Laocoon*, *Curtius*, nec non *Otii & Tranquillitatis* carmen mirabilem illius gravitatem ac ſingularem modeſtiam declarant, quem in hâc facultate auxerunt, & reliqua bonarum Artium & ſapientiæ ſtudia: quæ ab unguiculis ille pleno pectore hauſit: neque enim in præſentia ejus ſolutam orationem, in qua ſupra cæteros excellit, commemoro. *Gyrald.*

Celebrior (*Fauſto Sabæo Brixiano*) fama *Jacobum Sadoletum*, Epiſcopum *Carpentoractenſem*, ſub initium ſeculi decimiſexti commendat, qui non modò aliis clarus operibus, ſed & inſigni epico carmine de ſtatuâ *Laocoontis*, atq; altero de *Marco Curtio*, utrumq; enim maturi judicii opus. *Borrichius* de Poet. p. 104.

Cardinalis *Sadoletus* vir erat qui eruditionem inſignem virtuti non vulgari conſociaverat; quique *Catholicorum* & *Proteſtantium* æſtimationem ex æquo ſibi demeritus eſt, ſuâ facundiâ, Doctrinâ, modeſtiâ, lenitate & pietate. Per totam enim vitam illi cum pluribus utriuſque Religionis eruditis viris commercium interceſſit, ejuſque excellentes Epiſtolæ ad *Melancthonem* & ad *Eraſmum* ſcriptæ viſuntur, *Antonius Teiſſier* Elog. Viror. Eruditorum Gallicè.

Jeſ. *Rapinus* ſcribit Sadoletum Virgilii phraſes imitatum eſſe, genium tamen ejus non expreſſiſſe, & inter ſervilis imitationis conatus, ingenii proprii criteria ipſi excidiſſe. *Rapin.* Reflex. general. in Poeticam, part. 1. Gall.

Jacobus Sadoletus tametſi ſe ad *Ciceronis* imitationem formare ſtuderet, haud receptas tamen Theologorum voces uſurpat, & *Epiſcopos Provinciarum Præſides* appellat. *Claud. Verder.* Auctor. Cenſion.

Extant ejus Opera *Mog.* 1607. 8°.

Extant Orationes 2. ſive conſilia de Bello movendo contra *Turcas Iſleb.* 1605.

Extant Epiſtolarum Libri 16. & ad *Paulum Sadoletum* lib. 1. cum *Ant. Floribelli* Comment. de vitâ Authoris. *Coloniæ Agr.* 1590. 8°.

Extat de Liberis rectè inſtituendis. *Arg.* 1605. 8°.

Conſolationes & Meditationes in Adverſis. *Franc.* 1577. 8°.

De Laudibus Philoſophiæ. *Ven.* 1539. 8°.

Hoc ejus Epitaphium.

D. O. M. S.

Jacobo Sadoleto *Epiſcopo* Carpentoractis *S. R. E. Presbytero Cardinali*, *Viro morum gravitate, prudentiâ*, *& vitæ integritate præſtantiſſimo, doctrinâ & eloquentiâ cum iis quos mirata eſt antiquitas comparando*, Paulus Sadoletus *Epiſcopus* Carpentoractis, *&* Camillus Sadoletus *Fratrum filii mæſtiſſimi multis cum lacrymis Patruo B. M. pro tempore poſuerunt. Vixit annos* 70. *menſes* 3. *dies* 6.

MAR-

Digitized by Google

MARTINUS BUCERUS.

Ermanus, *Seleſtadii* natus anno 1491. Ordinem Dominicanorum, in quo vixerat annos 15. *Evangelii* doctrinam amplexus, reliquit, anno 1521. cum *Petro Martyre, Pauloque Fagio*, Argentorato, ubi docuerat, ab *Edwardo* Sexto invitatus, in *Angliam* pervenit, anno 1549. ut ibi doctrinæ ſuæ ſementem faceret, *Cantabrigiæ* Profeſſor: ubi obiit Anno 1551. ætatis 61. Ejus *Oſſa*, *Maria* ſæviente, effoſſa & cremata, anno 1555. unà cum *Fagii* oſſibus: Sed ambo, ſub *Elizabethâ*, anno 1560. publicis laudibus ornati, honoribuſque ſuis reſtituti ſunt. *Hofman.* Clar. A. D. MDXXX.

Ingenio & eruditione inclytus: *Hebrææ* Linguæ apprimè peritus fuit. *Hofman.*

Eo erat ingenio ut adverſarios patienter audiret, leniter reſponderet, & veritatis potiùs quàm victoriæ curam haberet. *Melchior. Adam.* in vit. ejus.

Cujus [*Martini Buceri*] & eruditionem ſingularem & zelum pietatis eximium, cum eximia prudentia conjunctum omnibus ſæculis teſtabuntur, tum doctiſſimæ ipſius Lucubrationes, & in publicis comitiis Diſputationes habitæ; tum pro Eccleſiarum pace, quamvis non felici ſemper ſucceſſu, labores exhauſti. *Boiſſard.* in Icon.

A conventu *Ratisbonenſi Joannes Gropperus*, Archiepiſcopi *Colonienſis Legatus*, domum reverſus, *Bucerum* mirificè commendabat, & inter omneis idoneum eſſe dicebat, cui religionis emendatio rectè committi poſſit. Nam eſſe cumprimis doctum & pacis amantem, & integræ vitæ. *Sleidan.* Commentar. l. 14.

Cùm Cardinalis *Contarenus* à *Petro Martyre* interrogatus eſſet de *Doctis Germanorum* Viris; reſpondit ille: *Nihil attinet de Philippo, qui notus, dicere*: *Habent* Germani *&* Martinum Bucerum: *qui ea ubertate doctrinæ Theologicæ & Philoſophicæ, eâ etiam in diſputando ſubtilitate felicitateque eſt inſtructus, ut unus ille omnibus noſtris doctoribus poſſit opponi* Melch. Adam.

De literis hoc unum ſummatim ponam: Quæ in aliis ſingula ſingulis, ea in uno pariter univerſa concidiſſe. *Auguſtini* fuit in illo acumen, *Hieronymi* linguarum varietas & doctrina, diſciplina *Cypriani*, *Ambroſii* Authoritas, *Origenis* ſcientia, *Chryſoſtomi* in docendo perſpicuitas, *Bernardi* integritas in vitâ: vel hæc in illis priſcis *Eccleſiarum Heroibus* uberiora ſi fuerint (uti fuiſſe confiteor) tamen particulas ex omnibus excellentiſſimas noſter *Bucerus* tanto ſtudio arripuit, tot ornamentis perpolivit, ut ſi non unus cum omnibus, tamen ſeparatim cum ſingulis comparari poſſit: aut in illo auguſto veterum choro, ſi non præſideat, in hominibus noſtri ſeculi, omnibus ex partibus inter alios emineat. *Gualt. Haddon.* in Orat. Funebri. vid. vitas *Bateſii* p. 276.

Quàm multiplicem in *Bucero* jacturam fecerit *Dei Eccleſia*; quoties in mentem venit, cor meum propè lacerari ſentio. *Calvin.* Epiſt. ad *Viretum.*

Martinus Bucerus ſummus *Theologus*; qui ut à viro quodam docto verè de illo ſcriptum eſt, præter reconditam eruditionem copioſamque multarum rerum ſcientiam, præter ingenii perſpicaciam, multam lectionem, aliaſque multas ac

varias virtutes, hanc ſibi propriam laudem habuit, quòd vix alius hâc memoriâ exactiore diligentiâ in *Scripturæ* Interpretatione verſatus ſit. *Joſias Simler.* Orat. de Vit. & Obit. *P. Martyris.*

Martinus Bucerus vir fuit impensè Doctus, limati judicii, pius & moderatus. Inferior eruditione nulli forſan Reformatorum fuit: Sed quoad Zelum, veram pietatem, & ſtudium unitatem inter exteras Eccleſias ſervandi, *Melanchtoni* ac *ipſi*, abſque ulla cæterorum injuria, peculiaris locus concedi poteſt. *Cantabrigiæ* moleſtiſſimos habuit adverſarios *Papatûs* Sectatores, qui licet Legi obſequentes loca ſua retinuiſſent, attamen ſive ſub Argumentationis prætextu, & veluti occaſione diſputationis, ſive reſpectu Dogmatum nondum determinatorum, ejus exiſtimationem minuere annitebantur. Nec enim natura ingenii ea promptitudine præditus erat quæ ad Diſputationem requiritur, quo abuti conabantur ad conditionem ſuam mediocrem faciendam. Qua de cauſa *Petrus Martyr.* ad ipſum ſcripſit ut à publicis omnibus Diſputationibus abſtineret. *Burnet.* Hiſt. Reform. pag. 164. vol. 2. Anglicè.

Buceri Commentaria in Pſalmos ſub *Aretii Felini* nomine in publicum emiſſa, Romæ magni æſtimata & avidè quæſita fuerunt à pluribus Epiſcopis & Cardinalibus. Sed ex quo ipſis innotuit eorum Authorem eſſe *Bucerum* illud opus ſupprimendum curaverunt, & tanquam pravum librum vituperarunt. Dominus *Antonius Teiſſier.* Elogiis Eruditorum virorum. Gallicè.

Cuncta *Buceri Latina* & *Germanica* Scripta in unum ſi conjungerentur, quod tanti viri Pietas & eruditio merebatur, efficerent Tomos IX. juſtæ magnitudinis. *Geſner.* in Biblioth.

* Hic Author *Romano Indice* inter *Hæreticos* primæ Claſſis numeratur; vid. *Indicem Tridentinum.*

Hoc ejus Epitaphium, auctore *Joanne Checo*:

Vita gravis miſero, gravior mors: ſed tibi tanto
Mors nec vita poteſt eſſe, Bucere, *gravis.*
Vita fuit Chriſtus, *mors lucrum; vivere ceſſat*
Natura, at Chriſti *vita perennis adeſt.*
Alma fides Chriſti *quam tu ſuper aſtra ferebas;*
Te ſuper aſtra eadem ſuſtulit alma fides.
Cumque tui Mores, Pietas, Doctrina probentur:
Mors tua non gravis eſt, & gravis eſt eadem.
Mors gravis eſt nobis orbatis lumine tanto;
Non gravis eſt tibi, qua vita beata tibi eſt.
Doctrina ſtudium, Vita conſtantia, mortis
Exitus, ô idem ſit mihi, Chriſte, *precor.*

LILIUS

Digitized by Google

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS.

FErrarienſis, natus eſt Anno 1479. Obiit podagræ doloribus attritus anno 1552. Opera ejus Voluminibus duobus *Baſileæ* impreſſa: inter quæ Hiſtoria Deorum Gentilium, libris 17. De Poëtis Græcis & Latinis, libris 10. De Poëtis ſui temporis, libris duobus, *eminent*. Clar. Ann. D. MDXXX.

Vir memoriâ invictâ, ingenio excellenti, eruditione in omni literarum genere eximiâ inclytus, *Varro* ſui temporis dici meruit. *Hofmann.*

Vir ſolidè doctus, & in ſcribendo accuratus. *Caſaub.* Not. ad *Diog. Laert.* l. 8.

Lilius Gregorius Gyraldus, utriuſque linguæ, & omnis politioris literaturæ,& Antiquitatis [quam variis ſcriptis illuſtravit] longè peritiſſimus: qui fortunæ & corporis adverſitatibus, meliore utique fato dignus, totâ vitâ conflictatus eſt. *Thuan.*ad ann.1552.

Vir omnis eruditæ antiquitatis ac literatæ doctrinæ callentiſſimus,qui pleraſque manuſcriptas Bibliothecas *Græcas* in *Italiâ* excuſſit, è quarum lectione conſcripſit libros illos ſuos eruditos, & varios *de Diis Gentium*; Opus admirandum, *Hiſtoriam veterum & recentiorum Poetarum*, & cætera plurima exquiſita ſingula. *Neander.* in Geograph.

Scriptor diligentiſſimus *Gyraldus* vocatur *Montacutio* Apparat.1.ſect.2.

Longè hoc [viz. *Petro Crinito*] doctior, & diligentior *Gyraldus Voſſ.*de Hiſt. Lat.p.736.

Lilius Gyraldus, optimus locorum coacervator & judicioſus. Opera ipſius omnia quàm optima. *Scaligerana* poſterior.

Lilius Gregorius Gyraldus vir totius eruditionis gnarus-----Longo ſtudio & multis vigiliis elaboravit *Hiſtoriam de Diis Gentium*, variam ſanè, & ad totam antiquitatem noſcendam admodum neceſſariam. *Io. Bapt.Gyrald.*in Epiſt. Oper. *Gyrald.*

In diſſertationibus de Poetis tum *Græcis*, tum *Latinis*; longè fuiſſem longior, niſi accuratè de Poetarum ſingulis diſſeruiſſet *Lilius Gyraldus Ferrarienſis.* Cujus extat *Hiſtoria* dialogis decem perſcripta de *Poetis Antiquis*; duobus de ſui temporis Poetis. Opus ſicut magni ingenii, & judicii, ſic ingentis doctrinæ, atque induſtriæ: ita ut expectandum non ſit, nequis deinceps hanc denuò provinciam ſuſcipiat. Eſt ubi hujus, vel illius poetæ Hiſtoriam, accuratiùs aliquis tractare valeat, & ſanè id in paucis: at ab aggrediendo iterum tam vaſto labore non modò eruditorum vulgus, ſed etiam ſanos omnes deterruit. Videlicet poſt meſſem tam luculentam nihil ferè niſi quædam ſpicilegia reliquit.*Voſſ.*de Poet. Lat.pag.

Lilius Gregorius Gyraldus, omnium ſuffragio, unus fuit è præclariſſimis ingeniis quæ poſtremis his ſeculis aluerit *Italia*. Tam mirificum in omnibus Scientiis fecit progreſſum, ut harum nullam ignoraverit. *Moreri.* Diction. Gallico.

Digitized by Google

Gyraldum æſtimo virum eruditiſſimum, & de omni Antiquitatum ſtudio apprimè meritum. *C. Barth.* animadv. *Claudian.* de Bello *Gildon.* p.368.

Vir non minoris judicii, quàm doctrinæ. *Voſſ.* lib.1. Idololatr. c.29.

Vir omnis eruditæ Antiquitatis ac literariæ doctrinæ excellentiſſimus. *Daſſiliand.* in deſcript. Urb. *Ital.*

Magnæ lectionis, acris judicii criticus vocatur *Dempſtero.*

Certè hoc argumentum de *Sibyllis* multò dexteriùs & diligentiùs, quàm *Onuphrius*, vir doctiſſimus *Gyraldus* perſecutus eſt; quamvis ille alter peculiari quodam tractatu rem ſuſceperit perficiendam. *Rich. Montac.* in Analect. Exercit. 4. ſect. 6.

Sed ſupra hos omnes [*Laurentium Gambaram*, *Pomponium Gauricum*, & *Baptiſtam Guarinum*] meritis eminet *Lilius Gyraldus* (*Pico Mirandulano* quondam familiaris) non tantùm quòd varii generis, varii argumenti carmine ſe *Vatibus* inſeruerit, ſed & quòd Hiſtoriam Poëtarum *Græcorum*, & *Latinorum* eruditè, & magno judicio perſcripſerit, adjectâ & de ſui ſeculi Poetis cenſurâ, non minùs liberâ quàm veraci. *Borrich.* de Poetis, p.99.

Summa curâ ſanoque judicio veterum Poetarum Græcorum & Latinorum Hiſtoriam decem Dialogis contexuit, Recentiorum verò, aut ſibi coætaneorum duobus aliis Colloquiis. *Borrichius* ait non minorem libertatem quàm veritatem deprehenſam fuiſſe in Cenſura quam in ſui Sæculi Poetas exercuit, ut illa quam exercet in Veteres eruditione referta eſt, ſolidumque judicium ſpirat. Nihilominus *Joſephus Scaliger* nobis perſuadere tentavit nihil eſſe vilius nec miſerabilius quàm ejus judicia de *Poetis*, quamvis multum lectionis & Doctrinæ in iis agnoſcat. Judicia eruditorum. *Pariſ.* 1685. Gall.

*Ejus Opera, ſi *expurgentur*, permittuntur in *Indice Madrit.* edit. anno 1667.

Anno CIↃIↃXXXV. *Lilius Gregorius Gyraldus* magno in pretio ſtetit apud eruditiſſimum quemque. Hic inter alia librum conſcripſit de annis & menſibus, unà cum Calendario *Romano* & *Græco.* Ac quia *Ferrarienſis* eſſet, opus hoc dicavit *Renatæ*, *Galliarum* Regis *Ludovici* XII. filiæ, *Herculis* II. Ducis *Ferrarienſis*, viduæ. Natus fuit Anno Chriſti 1479. In pueritiâ audivit cùm alios, tum *Baptiſtam Guarinum*, celeberrimum ſui temporis *Grammaticum*. In Felicitatis parte erat, quòd, ad multi jugam eruditionem parandam, poſtea vixerit apud *Albertum Pium Carporum*, & *Joannem Picum Mirandulæ* Principes. Hìc enim ingenti Bibliothecâ frui, perque omne Scriptorum genus capacem diffundere animum datum fuit. *Mediolani* à *Demetrio Chalcondylâ Græcas* didicit literas. Multa *Romæ* perpeſſus eſt, cùm Urbs Anno CIↃIↃXXVII. diriperetur à Milite Imperatoris *Caroli* V. Poſtea, in Patriam reverſus, familiariter uſus eſt *Joanne Manardo* & *Cælio Calcagnino.* Sex ſeptem poſtremis vitæ annis manibus, pedibuſque æger, ut ipſe de ſe loquebatur, ſpirabat potiùs quàm vivebat. Nam, ſine famuli auxilio, ne manum quidem ori poterat admovere. Exceſſit Anno Chriſti 1552. ætatis 74. *Voſſ.* de Mathemat.

Hoc

Hoc ejus Epitaphium, *Ferrariæ* in ſummo Templo:

Quid, Hoſpes, aſtas? Tymbium
Vides Gyraldi Lilii:
Fortunæ utramque paginam
Qui pertulit, ſed peſſimâ,
Eſt uſus alterâ, nihil
Opis ferente Apolline.
Nil ſcire refert amplius,
Tuâ aut ſuâ: in rem tuam abi.

Phil. Labbe Theſaur. Epitaph.

SEBASTIANUS MUNSTERUS.

GErmanus, *Engelhemii* natus Anno 1489. Olim *Tubingæ* in *Franciſcanorum* ſolidatio profeſſus, poſteà abjecto cucullo *Proteſtantium* doctrinam amplexus. *Baſileæ* linguam ſanctam profeſſus eſt. Eruditionis ſuæ plurima & præclara poſteritati reliquit monumenta. Peſte correptus eſt Anno 1552. Clar. An. D. MDXXX.

Munſterus in *Mathematicis* multum profecerat: poſteà verò ſe totum *Hebraicæ* linguæ & ſacris libris addixit, multis editis in utraque ſcientia monumentis. De *Republicâ* optimè meritus, adeo ut *Germanus Eſdras* ac *Strabo Thuan.* appellatus eſt. *Thuan.*

Vir cùm in variis linguis, tum *Hebraicâ* præcipuè doctus; & variis Scientiis, maximè verò *Mathematicis* præclarè imbutus: ingenioſis ac piis lucubrationibus *Germanicè, Latinè & Hebraicè* conſcriptis de bonis literis omnibus linguis, Philoſophiâ & Theologiâ, optimè meritus. *Geſner.* in Biblioth.

Sebaſtianus Munſterus, duabus rebus multum laudis meruit, *Hebrais* literis & Matheſi. *Voſſ.* de Scient. Mathemat. p. 189.

Doctus ſanè vir fuit *Munſterus*, cui multum debent literæ *Hebraicæ. Ioſ. Scalig.* Elench. *Tribæreſ. Serrar.* c. 4.

Hebrææ & Chaldaicæ linguæ accuratâ cognitione, plurimiſque tum in ſacras literas, tum in varias *Matheſeos* partes editis ſcriptis, ac præſertim laborioſiſſimo illo opere *Coſmographico* nobilis, quo duce peregrinari terrarum orbem, domi etiam manendo, licet. *Theod. Bez.* in Icon.

Cùm *Munſterus* ſuam *Germanographiam* inſcripſerit *Coſmographiam*; totus eſt tamen in *Germanorum & Helvetiorum* regionibus, oppidis, ſitu, & populorum origine ac deſcriptione, quibus detractis, nihil ferè *Orbi Terrarum* univerſo reliquum ſit. *Bodin.* Meth. Hiſt. c. 4. p. 76.

Sebaſtianus Munſterus, Bibliorum Interpres ſanè doctus, in *Ebraicâ* ſemper *ſtylum* collineans, ad eaque nunquam non ſe componens; nec ideò tamen *Latini*

coloris negligens,in ejus quamvis linguæ elegantiis parùm ſe torſerit: Quod ſi quando obſcuris explanandis unam alteramve dictionem è proprio penu adjecit, certis illam notis homo religioſus inſignivit: quò adulterinis *lector* Germana ſeponeret. *Huet.* de Claris Interpr. p. 144.

Hebraica non pauca *Latinitate* donavit *Sebaſtianus Munſterus*, bonis literis, & ſanctæ potiſſimum linguæ cognitione ſupra fidem excultus: quamvis autem in *Interpretando* verbum verbo reddere ſtuduerit, *Latinitatis* tamen genio aſſeruit quandoque, & *Ebraiſmi* ſterilitatem uberiori ſermone explet, nec religionem, quam requirimus, ubique curare ſe profitetur, quòd eo diſcentium foveatur negligentia; recto quidem & laudabili conſilio, modò eo in licentiam ſuam *Interpres* non abutatur. *Huet.* de clar. Interpr. p. 187.

Sebaſtianus Munſterus (vir quantus & qualis! in illa præſertim temporum & literarum caligine) præter ipſius *Annotationes*, quas in *Criticis Londinenſib.* habemus, *Verſionem* ex *Hebræo* textu adornavit, doctrinâ non vulgari, & ſummo acumine; in quâ *Hebraica* pleriſque in locis fideliter admodum, nec minus perſpicuè, reddit. *Matth. Polus* Præfat. Tom. 1. Synopſ. Critic. p. 4.

Atque hoc malim ex *Sebaſtiano Munſtero*, optimo viro, Artium *Mathematicarum* & *Hebraicæ* linguæ doctiſſimo, quàm ex me diſcat. *Nic. Fuller.* l. 1. c. 16. Miſcell. Sacr.

Nec pauca, nec contemnenda de variis Rebus publicis *Coſmographiæ* ſuæ inſeruit. *Conring.* de Civ. prud. cap. 14.

Vir diligentiſſimus, ſed in quo paulò plus accurationis deſideres *Becman.* cap. Hiſtor. Orb. Ter. n. 7.

Munſterus omnia ex Pagnino hauſit, qui non amplius reperitur, nec id agnovit. *Scaligerana* poſterior. Gall.

Licèt *Munſteri* Verſio ſatis intelligibilis ſit, aliquid tamen habet aſperi, quia Textûs Hebraici literam preſsè nimis ſectatur, ut c. 1. *Geneſeus* verſ. 22. ubi tranſfert *Fructificate, & augeſcite, & implete aquas in fretis.* Vulgata, ut mihi quidem videtur, eadem verba per hæc feliciùs expreſſit, *Creſcite, & multiplicamini, & implete aquas maris.* Uno verbo perfectior eſſet ejus Interpretatio, ſi à *Latino* Interprete tam longè non abiviſſet. Cæterum *Genebrardus* ſatis moderatus non videtur in Critica quam in hanc Tranſlationem exercuit, quando Authori exprobravit quod parum accuratus fuerit, & *Luthero* nimis adhæſerit. *Munſterus, neglecta vocum propria notatione, ſæpè Luteraniſabat, & à ſuo D. Franciſci inſtituto diſcedebat.* Contra enim aſſeri poteſt, *Munſterum* accuratiſſimum & fideliſſimum inter omnes Proteſtantes in Bibliorum Verſione ſua fuiſſe, imò nec *Lutheri* Traductionem approbare potuit, quia longè nimis à Literali & Grammaticali ſenſu receſſerat. *D. Huetius* juſtius de eo judicium tulit, dum Exacti Interpretis elogio ipſum ornat. Notæ quas Munſterus Tranſlationi ſuæ annexuit eximiæ utilitatis eſſe poſſunt ad Hebraicæ linguæ & Scripturarum Styli cognitionem: multoque utiliores eſſent ſi pleraque minimè neceſſaria non immiſcuiſſet, quæque deſumſit à Rabbinis, quæ ad Textûs ſui elucidationem nihil conferunt. Nimis etiam affectavit famam Viri in eorumdem Rabbinorum lectione verſati. Et

tamen,

amen, ſi excipiantur libri quorundam Grammaticorum Rabbinorum, qui Scripturam commentati ſunt, in hoc ſtudii genere non admodum exercitatus erat. Quod facilè probari poſſet ex Latina Verſione quam elaboravit exigui Compendii Philoſophici Rabbinico Hebræo conſcripti: nulla enim ferè occurrit vox in hac Latina Verſione circa quam hallucinatus non fuerit, imò ne prima quidem verba intellexit Inſcriptionis. Libri hujus. Liber hic aſcribitur R. *Moyſi Maimonis* filio, qui hunc Arabicè compoſuerat; Ille verò contra in ſua Interpretatione hujus Operis Authorem facit R. *Simonem* & exinde has voces *bileſcon aran*, vertit *in lingua ſuavi*, non advertendo quid Arabico idiomate ſignificent. Multò meliùs Grammaticos Rabbinos intellexit, quia his legendis majorem navaverat operam, & hac re ſuper conſuluerat *Eliam Levitam* Judæorum Doctiſſimum Grammaticum qui eodem tempore cum ipſo vixit. Ieſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib. 2. c. 21. Gall.

Ex recentioribus *Munſterus*, & poſt eum *Thuetus*, & *Belleforeſtus*, malè opera ſua *Coſmographiam* inſcripſerunt. Nam quemadmodum Geometria *Platoni* γελοῖον eſt ὄνομα ob nimis arctam ſignificationem, ita Coſmographia, quòd latè pateat, nimis ridiculum item nomen haberi debet. *Claud. Verder.* in Auctor. Cenſ.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa ſunt.

**Sebaſtianus Munſterus* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur.

HIERONYMUS FRACASTORIUS.

PAtriâ *Veronenſis*, vir conſummatiſſimæ doctrinæ: Medicus enim, Poeta, Aſtrologus, & Philoſophus fuit ſuâ ætate doctiſſimus: in quibus ſtudiis tantam acquiſivit laudem, ut uſque ad hodiernum diem antiquis comparandus meritò judicetur. Ejus Poëmata tanti fiunt apud omnes literatos, ut illa conferantur cum *Vergilianis*: tanta in eis eloquentia, tanta dicendi vis, & facultas, ſermoniſque puritas, ut æternâ laude non ſine cauſa ad cœlum evehantur, unde à multis *divinus* vocatur *Fracaſtorius*. Is cùm totam ætatem in arte Medicâ, & in indaganda rerum naturâ ſedulo impendiſſet: in eo omnem movens lapidem, ut literatos juvaret, & omnibus prodeſſe poſſet, *Patavii*, ubi tunc ſummo in honore habebatur, naturæ conceſſit: ann. *Chriſtianæ* ſalutis 1553. ibique ſepultus, funus proſequente publico luctu totâ Academiâ, & Civitate. Omnia ejus opera tantâ perfectione ſcripta ſunt, ut in iis requiri nihil poſſit. *Boiſſard.* in Icon. Clar. An. D. MDXXX.

Scripta ejus hæc ſunt: Siphillis Poema, ideſt libri tres de morbo Gallico —*Joſeph* Comœdia—Homocentrica— de cauſis Criticorum dierum, per ea quæ in nobis ſunt—De Sympathiâ & Antipathiâ—De Contagione, & Contagioſis Morbis, eorumque curatione—Naugerius, ſive de Poetica dialogus—De Anima Dialogus—De Vini temperatura Sententia—Carminum liber unus—

Digitized by Google

Alcon ſive de Curâ Canum Venaticorum---Turrius, ſive de Introductione Dialogus---Carmina ſuper Geneſin.

Ad exactam Philoſophiæ & Mathematicarum Artium, ac præcipuè Aſtronomiæ [quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit] cognitionem, ſummum judicium & admirabile ingenium attulit: quo multa ab antiquis aut ignorata, aut ſecus accepta adinvenit, & explicavit. Et medicinam, ut honeſtiſſimè ac citra lucrum, ita feliciſſimè fecit. Poeticam verò ita excoluit, ut ad *Virgilianam* Majeſtatem proximè acceſſiſſe eum faterentur æmuli: & in iis *Iacobus Sannazarius*, alioqui parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator, qui, viſâ ejus *Syphillide*, non ſolùm *Ioannem Iovianum Pontanum*, ſed ſe quoque ipſum in opere accuratâ xx. annorum limâ perpolito victum exclamavit. Ei certè hujus ſeculi ingens miraculum *Iul. Cæſar Scaliger* tanquam illarum, quas dixi, Scientiarum & Poetices ſummum faſtigium conſecuto, Aras erexit. *Thuan.* ad ann. 1553.

Iulius Cæſar Scaliger l. 6. de *Re Poetica*, vocat præſtantiſſimum poſt *Virgilium* Poetarum. *Syphillidem* vocat divinum Poema: in quo tamen nonnulla caſtigat. Inter alia & id reprehendit, quòd negaverit, cætera animalia, præter hominem, morbo Gallico tentari. Teſtatur *Scaliger*, vidiſſe ſe canem eâ lue captum, cùm Heri ſui emplaſtra linxiſſet.

Hieronymus Fracaſtorius, Veronenſis, de morbo *Gallico* (quem ipſe à Barbarâ voce *Syphillida* vocat) libellos tres ſcripſit, in quibus cùm antiquos conſectatur Poetas, tum præcipuè *Pontanum*, quem celebrat, æmulatur; egregius certè in confingendis fabulis, apta illi carminis ſtructura, in ea tamen quædam prælicenter dicta. Leguntur & alia plura ejuſdem *Fracaſtorii*, quæ à doctis probantur *Lil. Gyrald.* de Poët.

Anno 1530. inter præcipua ſæculi decora erat *Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis*, Poëta idem, & Philoſophus, ac Medicus eximius. Cives ſui *Veronenſes* defuncto, uti ante *Catullo*, ac *Plinio*, ſtatuam marmoream ſtatuerunt Anno 1555. *Voſſ.* de Mathem.

Fracaſtorius qui tam felici ſucceſſu concinnavit Syphillidis ſuæ Poema, Opus ſanè pulcherrimum quod poſtremis his ſeculis elâboratum fuerit, *Latino* carmine in *Italiâ*, quodque ſcriptum eſt ad imitationem Georgicôn Virgilii, non tam auſpicatò compoſuit Poema *Epicum*, quod aggreſſus eſt in *Ioſephum Ægypti* Proregem, cujus fragmentum nobis ſupereſt: Vulgariſſimum enim genium arguit hujuſmodi Poema mediocremque characterem exhibet. *Rapin.* Reflex. in Poeticam. Sect 14. Gall.

Hieronymus Fracaſtorius excellens Poeta in *Syphilli. Scaligerana* prim.

Alconem & *Syphillidem* Epico carmine extulit, doctè ſanè & prudenter, immiſtis etiam fictionibus *poëticis*; licet aliquanto minus numeroſè, quippe docere ſemper ibi maluit, quàm ſemper delectare. *Borrichius* de Poet. p. 98.

Hieronymus Fracaſtorius filius *Pauli Philippi*, *Civitati Veronenſi* natales debet, & vel in ipſa puerili ætate futuræ Claritudinis, & in literis præſtantiæ evidentiſſima ſigna dedit; quandoquidem, matre ipſum brachiis geſtante, fulmen

men è cœlo vibratum, genitricem extinxit illæſum relinquens infantulum: Unde ipſius fortunæ, & futurorum in Diſciplinis ſucceſſum fauſtiſſimè conjectatum eſt. *Felicis Medici* titulum ſibi comparavit, quoniam in Medicinæ exercitio magna utens dexteritate, & egregia curandi methodo, paucos habuit pares, ſeque amabilem atque mirabilem omnibus præſtitit, præſertim verò iis qui ob valetudinem ad ipſum confugiebant. Ad animi vires recreandas in laborioſa ſua profeſſione tam fructuosè omnibus liberalibus Diſciplinis ſeſe addixit, ut harum *Arca locupletiſſima* meritò vocari poſſet; eò uſque ut non modo ſibi arrogaverit quorundam popularium ſuorum Literatorum excellentium gloriam æquare, ſed & omnes contemporaneos in celebrioribus ſcientiis vincere. Poëſeos amantiſſimus fuit; quàm excellenter autem ſucceſſerit ei ſtudium hujuſmodi evidenter evincunt ejus opera, inter quæ celebritatem adeptum eſt illud quod è prelo in publicum prodiit *Latinis* verſibus de morbo qui *Gallicus* vulgo denominatur. Hoc igitur Poema cum Eruditorum ſumma admiratione contexuit: Cúmque hoc ad Cardinalem *Petrum Bembum*, literati ſui ævi gloriam tranſmiſiſſet, cujus conſilio multum fidei tribuebat, ut de eo ſuum judicium ſibi ſignificaret, Eminentiſſimum hoc ingenium ad *Sannazarium Neapoli* reſidentem idem deferri voluit, qui, coram Cardinale *Hippolyto Medico*, ut & *Joanne Baptiſta Montano* ipſius *Fracaſtorii* æmulo, pluribuſque aliis primariis Doctis, confeſſus eſt ſe ab alio nemine in Poeſi ſuperatum fuiſſe quam ab ipſo, licet totos 20. annos inſumpſiſſet in corrigendo, expoliendo & elimando grave ſuum & ſacrum *de Matris Dei partu*. Mathematicus excellens fuit, ſtudioque Coſmographiæ inſuper delectabatur, in qua quantum profeciſſet mirabile ejus ingenium, clariſſimè demonſtrant deſcriptiones, & loca quæ à *Portugallia* in Orientem, ab *Hiſpania* verò ad Occidentem delineavit, in ligneis Sphæris regulariter fabricatis. *Ghilini* Theatro Virorum Literatorum.

Ægrè *Fracaſtorio* veniam conceſſerunt Docti circa Poema quod elaboravit in nefarium morbum quem *Medicè* tantum pertractare debuiſſet. Si magnum feciſſet lucrum in ſanandis luxurioſis, dici potuiſſet illum voluiſſe gratitudinem ſuam conteſtari, totam vim ſuam poeticam in Neapolitanam luem exerendo; & in exemplum fortaſſe citatus fuiſſet quavis data occaſione loquendi de *Chirurgo* illo, qui reprehenſus quod ante *Statuam* Caroli VIII. in genua procumberet, reſpondit ſe optimè ſcire cur id faceret, nullumque Sanctorum eſſe quem magis veneraretur quàm *Principem illum* à quo indirectè ditatus fuerat, morbo nimirum quem *Neapoli* milites ejus contraxerant. Sed Fracaſtorius gratis *Medicinam* exercebat. *Novellæ* Reip. Literariæ. Febr. 1687. p. 191. 192. Gallicè.

Præcipua inter *Fracaſtorii* dotes hæc fuit, quod in ingenium & argumentum ſuum dominium abſolutum exercuerit, Hinc factum eſt ut quantumvis ſublimis foret in uſitato ſuo ſcribendi modo, nullo tamen negotio potuerit deſcendere ſeque deprimere quoties ipſi libuit, ex D. *Balzaci* ſententia. *Judicia Eruditorum* de Poëtis. Pariſ. 1686. per D. *Baillet*. Gall.

Carmina ejus ex parte leguntur Tom. 1. *Delit. Ital.* pag. 1046.

Opera ejus extant in Tomos II. digeſta.

Hoc

Hoc ejus Epitaphium *Jul. Cæſar. Scaligero* auctore:

Hic ſitus eſt Fracaſtorius Hieronymus*: urna*
Quem capit, hic cepit pectore cuncta ſuo.
Sidera digeſſit: revocavit funera, Rerum
Naturæ, imperii conſcius, atque Dei.
Aut Heliconiadum *fontem ſibi ſuſtulit omnem:*
Aut tumulus vertex hic Heliconis *erit.*

HENRICUS LORITUS GLAREANUS.

Clar. An. D. MDXXX.

ANno 1488. natus, *Glaronam, Helvetiæ* pagum, natale ſolum habuit. *Friburgi*, die 28. Martii anno 1563. ætatis 75. naturæ conceſſit.---Erat in omnibus diſciplinis verſatiſſimus. Domum ejus optimarum Artium Officinam dictam fuiſſe memorant, ex quâ in omnes *Germaniæ* angulos viri doctiſſimi prodierint. A *Maximiliano* I. lauro poeticâ & eximio annulo donatus eſt. Quæ ſcivit, libenter & candidè aliis communicavit. *Konig.*

Scripta ejus hæc ſunt: Iſagoge in Arithmeticen---Deſcriptio de ſitu *Helvetiæ*, & vicinis gentibus---De quatuor *Helvetiorum* pagis---Pro juſtiſſimo *Helvetiorum* fœdere Panegyricon, ad *Maximilianum* Auguſtum, omnia verſibus Heroicis. Iſagoge in Muſicam---De Geographia liber---Judicium in *Terentii* Carmina---Annotationes in *Horatium*: in *Ovidii* Metamorphoſes: in *Ciceronis* librum de ſenectute: In *Saluſtium*: *In Cæſaris* Commentaria: in T. *Livium*: In totam *Romanam* Hiſtoriam: In *Dionyſium Halicarnaſſæum*---Elegiarum libri duo---De Arte Muſicâ--- De Ponderibus ac Menſuris---Annotationes in *Valerium Maximum*, in *Suetonium*, & *Lucanum*---Annotationes in *Eutropium*--- Epiſtola ad *Ioannem Hervagium*---Brevis Iſagoge de ratione Syllabarum & de figuris quibus Poëtæ utuntur---De Aſſe libellus.

Eſt apud nos *Henricus Glareanus* Cæſareâ laureâ inſignis, quod equidem decus inter tot juvenis ornamenta multò infimum eſſe duco. In omnibus diſciplinis, quas *Mathematicas* vocant, eximiè doctus, neque vulgariter exercitatus. In omni quæ nunc in Scholis traditur, *Ariſtotelicâ Philoſophiâ* eò progreſſus, ut cum ſummatibus etiam congredi poſſet. Magnam inſuper *Theologicæ* rei partem aſſecutus. In Geographia in Hiſtoricis abſolutus. Denique nullum eſt genus literarum, in quo ille non ſit feliciſſimè verſatus. *Eraſm.* l. 18. Epiſt. 35.

Henricus Glareanus, ſummus olim *Deſid. Eraſmi* amicus, & Muſices ſcientiâ clarus, rem literariam diu voce & ſcriptis (quantum ea tempora ferebant) juvit. *Thuan.*

Multi judicii & variæ eruditionis vir nobis pueris floruit *Henricus Glareanus*. *Lal. Biſciola* Tom. 2. Hor. ſubſec. 2. c. 7.

Vir fuit ingentis ac variæ admodum eruditionis: etiam criticus non paulò melior,

Digitized by Google

melior, quàm multi perſuaſum aliis volunt---Anno 1530. laudem non exiguam meruit *Henricus Glareanus Helvetius* qui permulta ad literas, & Matheſin, pertinentia reliquit: In Arithmeticis, Muſicis, inque Geographis, Aſtrologis, ac Chronographis, nomen eſt conſecutus. Nempe vir fuit undequaque doctiſſimus. *Voſſ.* de ſcient. Mathem. p. 96. 423. 424.

Faciendum mihi eſſe ſtatui, ut ei hoc loco reſponderem, quàm planiſſimè, & quàm leniſſimè poſſem, non, ut *Glareanum*, doctiſſimum virum, quem mihi ſemper, quem omnibus hujus memoriæ hominibus antepoſui, oppugnarem, ſed ut ſententiam meam contra tanti viri opes in *Livianâ* Antiquitate tractandâ, munirem. *Car. Sigon.* l. 1. emendat. c. 5.

Dedi etiam Operam, ut, quod *Glareanus* ante me fecit, ne hac quidem in parte Hiſtoriæ *Livianæ* deeſſem, cujus quidem eruditiſſimi viri labore facile contentus eſſe poteram: niſi ab eo in totâ ipſâ re diſſenſiſſem. Neque enim *Livium* in numerandis ab urbe conditâ annis eadem ratione uſum, quâ cæteros, eſſe reperiebam. Qua ille opinione dum eorum autoritatem ad *Livianam* Chronologiam conſcribendam adhibuit, in eam ſæpe ſe neceſſitatem induxit, ut dum aliorum numeros ſequitur, omninò *Livianos* aut negligere aut immutare coactus fuerit. Quod illi profecto in eâ Chronologiâ committendum non erat, quam ipſe ſe *Livianæ* præſertim Hiſtoriæ comparare profiteretur. Accedit, quod dum ille nimium ſuum voluit in eâ re ſtudium indicare, cognomina multa, atque iteratorum & multiplicatorum honorum notas magiſtratibus ipſis affixit, quæ non ſolum ſtudioſè à *Livio* prætèritæ, ſed ab ipſius etiam *Livii* ſententiâ, atque adeo ab ipſâ Hiſtoriæ veritate remotæ eſſe videntur. *Idem* ad *Bernardinum Lauredanum* Epiſtolâ, quam Oper. *Livii* præmiſit. an. 1555. ſcriptâ.

Henricus Glareanus maluit in Philoſophia ac Mathematicis Diſciplinis conſeneſcere, quàm æmulari Phraſim *Ciceronianam*, cui vix convenit cum ſubtilitatibus Mathematicorum. *Eraſm.* in *Ciceroniano* p. 83.

Glareanus non tam ineptus Cenſor quàm quidam exiſtimant. *Lipſ.* Epiſtol. Quæſt. l. 3. c. 10.

* Hic Author inter *Hæreticos* primæ claſſis rejicitur in *Indice Madritenſi*. edit. ann. *1667*.

Carmina ejus leguntur Tomo 3. *Delit. Germ.* p. 1285.

GEORGIUS AGRICOLA.

GErmanus, Medicus, natus eſt *Claucha*, Miſniæ oppido, viceſimo quarto Martii, Anno 1494. obiit viceſimo primo Novemb. 1555. Clar. A. D. MDXXXV.

Scripſit de re Metallicâ---De Animantibus ſubterraneis---De Menſuris & Ponderibus---De Peſte---De Traditionibus Apoſtolicis---De Bello adverſus Turcam ſuſcipiendo orationem, multaque alia.

Evolvi *Georgii* Dialogum de *Metallicis*: Nec ſatis poſſum dicere, majorene id voluptate fecerim an fructu. Magnoperè delectavit Argumenti novitas, exhilararunt joci liberales obiter inſperſi, nec injucunda fuit dictionis ſimplicitas,

Digitized by Google

Atticum quiddam referens; præcipuè verò me attentum habuit rerum ſub oculos expoſitarum energia. Viſus ſum mihi valles illas, & colles, & fodinas, & machinas non legere, ſed ſpectare. Nec multùm adfuit, quin ex tot venis argentariis & aurariis conceperim aliquam ejuſmodi rerum cupiditatem. Denique feliciter prælufit *Georgius* noſter, nec ab illo ingenio quicquam expectamus mediocre. *Eraſm.* Epiſt. l. 28. epiſt. 22.

Opus quod de Menſuris & ponderibus habes in manibus, cupidiſſimè legam ſimul atque miſeris. Id auguror, mi *Georgi*, tibi magnæ gloriæ futurum. Nec eſt quod invidiam metuas, quum argumentum ſit ejus generis, partim ob vetuſtatem, partim ob regionum varias conſuetudines, partim ob ipſius materiæ ſubtilem obſcuritatem, ne quid interim dicam de libris depravatis, ut nunquam ſit exhauſti ſatis. *Idem* ibid. l. 24. epiſt. 18.

Georgius Agricola de re metallica, foſſilibus, & ſubterraneis Animantibus ita accuratè hoc ſeculo ſcripſit, ut omneis antiquos in eo genere longè ſuperaverit, & exacta non ſolum eorum, quæ à veteribus prodita ſunt, explicatione, ſed & multarum rerum, quas veniens ætas indagavit, veſtigatione, eam Hiſtoriæ Naturalis partem illuſtraverit; additâ poſt *Gulielmum Budæum*, *Leonardum Portium*, & *Andream Alciatum*, de Ponderibus. Menſuris, de pretiis metallorum & monetarum diligentiſſimâ tractatione. *Thuan.* ad Ann. 1555.

Metallicam diſciplinam ita tractavit *Georgius Agricola*, homo *Germanus*, ut *Ariſtoteles* ac *Plinius* in eo genere nihil intellexiſſe videantur. *Jo. Bodin.* in Meth. Hiſt.

Georgius Agricola, diligentiſſimus Naturæ, inprimis rei metallicæ ſcrutator, *Germaniæ* noſtræ *Plinius*, qui meritò palmam refert inter eos, qui de re metallicâ ſcripſerunt. *Quenſtedt.* de Vir. Illuſtr.

Equidem monumentis editis & præclarè ipſe (*Georg. Agricola*) de re literariâ eſt meritus; & nomen ſuum immortalitati conſecravit *Melch. Adam* in Vit. ejus.

In *Pontificiâ* Religione obiit. Ibid.

Ego omninò conſulo, ut legas ſcripta *Georgii Agricolæ* de ortu & cauſis *ſubterraneorum*, & de opificio *Metallico*. Fuit præſtantiſſimus Philoſophus, & longè ſuperavit omnes, qui ante ipſum de iis rebus ſcripſerunt. *Hubert. Languet.* in Epiſt. 62. ad D. *Phil. Sydneum.*

Diligens & eruditus Scriptor *G. J. Voſſio* in Theologiâ Gentili.

Subterraneæ rei omnis Scriptor Incomparabilis. *H. Conring.* de antiquiſſ. ſtat. Helmſt. p. p. 34.

Georgius Agricola, vir eruditione & judiciô præſtans. *Fabric.* lib. 1. Orig. *Saxon.* pag. 3.

Celeberrimæ famæ atque eruditionis Vir, quem in his *Originibus* habemus Ducem ac Principem. *idem* lib. 3. p. 368.

Georgius Agricola non minus eruditus, & in cenſendâ *Metallorum* naturâ curioſus fuit, quàm verè impiùs, nulli addictus Religioni, ut poſt mortem vix ſepeliri meruerit. *Scaligerana* prima, p. 80.

Poſt

Digitized by Google

Poſt *Albertum Magnum* hoc in Argumento (*de Metallis*) nemo aliquid præſtitit, ad uſque *Georgius Agricolam*: cujus de re *Metallicâ* & omnibus *Subterraneis, Foſſilibus*, atque iis quæ ex *terrâ* effluunt, *Opera* tanta induſtria, doctrinâ, facundiâ, & diligentiâ referta ſunt, ut non ſolùm ante ſe natos longiſſimo intervallo ſuperaverit, verùm etiam *exteros* in ſtuporem rapuerit. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in Art. Medic. p. 164.

Georgius Agricola Medicinam admodum glorioſè exercuit, totam induſtriam ſuam omneſque facultates ſuas, in *Naturæ* arcanis ſcrutandis inſumſit, & in hoc tam inſolita fuerunt ejus inventa, ut longiſſimè *Plinium* & *Ariſtotelem* ſuperaverit, quamvis ut poſterior iſte in tanto molimine non adjuvaretur opibus tanti Principis quantus fuerat Alexander. Doctiſſimorum ſeculi ſui Virorum exiſtimationem meruit, inter cæteros autem *Wolfgangi Meureri*, *Georgii Fabricii*, *Valerii Cordi, Eraſmi, Ioannis Driandri* & *Pauli Eberi*. Cùm *Alciatus* adverſus *Agricolam* ſcripſiſſet in Ponderum & Menſurarum argumentum; ei reſpondit *Agricola* ſcripto eruditionis reconditæ pleno. Initio *Reformationis* hanc amplecti velle viſus eſt, hocque adverſus Indulgentias Epigramma compoſuit.

Si nos injecto ſalvabit ciſtula nummo,
Heu nimium infelix, tu mihi pauper eris.
Si nos, Chriſte, tuâ ſervatos morte beaſti,
Iam nihil infelix tu mihi pauper eris.

Sed poſtea Proteſtantium Dogmata ſe averſari profeſſus eſt, diemque in Eccleſiæ *Romanæ* communione obiit. *Antonius Teiſſier.* Elogiis Eruditorum Virorum. Gall.

* *Georgii Agricolæ* opera *de Menſuris*, Ponderibus, pretio Metallorum, *Baſileæ* apud *Frobenium*, 1550. permittuntur appoſita notâ Auctoris, & Operis *Index Madritienſis* edit. Anno 1667.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

ANDREAS ALCIATUS.

ITalus Juriſconſultus, *Mediolanenſis*, nobili genere natus Anno 1492. obiit 1550. *Opera Alciati* omnia 7. Tomis continentur. Primus omnium juris diſciplinam, nimiis diſputationibus & barbaro dicendi genere involutam, priſtino nitori reſtituere, & ad veros fontes revocare conatus eſt. Quod quidem facere haud difficulter potuit, cùm *Græci* & *Latini* Sermonis peritiſſimus eſſet. Fuit ſolus inter Interpretes Juris doctiſſimus, & inter doctiſſimos Jureconſultiſſimus. *Valent. Forſter.* in l. 3. Hiſt. Juris Roman. c. 41. Clar. An. D. MDXXXV.

Andreas Alciatus hoc ſeculo non modò *Iuris Cæſarei*, verum etiam omnium ſtudiorum decus; nec minus ſuſpiciendus ob rarum quendam ingenii candorem, quàm ob exactam omnium liberalium diſciplinarum peritiam. *Eraſm.* in

Digitized by Google

in Adag. *Nihil adverſum.*

Andreas Alciatus, vir emunctæ naris & inſignis eruditionis. *Io. Coraſ.* lib.1. Miſcell. Juris. c. 1. ſect. 5.

Cujuſmodi peritiam an ſummo *Alciato* dubitabimus concedere? *Alciato*, inquam, viro in omne ævum memorabili, & de quo nihil unquam tam magnificè dici poterit, illius adhuc quin longè lateque ſuperet virtus, doctrina, atque induſtria. Nam in Juriſprudentiâ vir quidem ille, ſicuti dicebat *Homerus*, aliis æquandus pluribus unus. *Idem.* l. 7. c. 7. ſect. 2. & 3.

In univerſa literarum doctrina elucet inprimis ea quæ ab humanitate nomen ſibi adſcivit. Quam cùm coluerint multi, qui juris cognitione præſtitere, *Andreas* ille *Alciatus* in primis numerandus eſt. *Ald. Manut.* l. 1. Quæſit. per Epiſt. epiſt. 7.

Imò & *Alciatus*, vir ſanè egregius, non dubitat affirmare, dictionem ejus (*Taciti*) præ illâ *Pauli Jovii*, eſſe ſenticeta. Condonemus tale judicium tanto viro, & cogitemus, ex amore *Jovii* proficiſci. *Voſſ.* l. 1. de Hiſt. Lat. c. 30.

Facundia, ſi ad antiqua tempora comparatur, forſan, quæ vinci poſſet; ſi ad noſtra tempora, ſane incomparabili; nam & nitidiore ſtylo & puriore, tum pleniore, atque ſuaviore fuit, item *Carmine* feliciſſimè luſit— Antecelluit facundiâ, ſcientiâ linguarum, Hiſtoriæ cognitione, Interpretationis ſubtilitate omnes, qui in eâ facultate vixerunt. Quòd ſi volumina ejus, quæ extant, id non apertè teſtarentur, ſuſpicione adulationis carere non poſſem: verùm ipſa res dicto meo major eſt, quapropter id *Horatianum* proferam: *Ornari res ipſa negat, contenta doceri. Hieron. Cardan.* in *Andr. Alciat.* Vit.

Omnes, qui ante ſe *Ius Civile* interpretati ſunt, dicendi ornatu *Andreas Alciatus Mediolanenſis* longè ſuperavit; qui candida *Latini* ſermonis eloquentiâ, ac *Græcis* inſuper literis imbutus primos noſtros Juriſconſultos. *Latinè* loqui docuit, quos ante ſe blateràſſe, non locutos fuiſſe dicebat. In omni denique Diſciplinarum genere ita verſatus eſt, ut abſolutam jurium eruditionem eum obtinuiſſe, mirum videatur. *Guid. Panciról.* l. 2. de Claris leg. Interpr. c. 169.

Alciati præter *Emblemata* nihil mihi videre contigit. Ea verò talia ſunt, ut cum quovis ingenio certare poſſint. Dulcia ſunt, pura ſunt, elegantia ſunt: ſed non ſine nervis. Sententiæ verò tales, ut etiam ad uſus Civilis Vitæ conferant, *Jul. Scalig.* l. 6. de Re Poët.

De hoc illud veriſſimè dici poteſt, quod eſt apud *Ciceronem* de *Scævolâ*, *Juriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium juriſperitiſſimus*, Addam & ego, & *Polyhiſtor, bonusque Poëta. Lil. Gyrald.* de Poët. noſtri Temp. Dialog. 2.

Ejus hodieque leguntur *Emblemata* ingenioſa illa, atque *Elegiis* non pœnitendis expreſſa; niſi quòd *Pentametra* frequentiùs exeant in *polyſillaba*, adeoque gratiæ non parum amittant. *Ol. Borrich.* de Poët.

Andreas Alciatus Mediolani è nobili & antiqua familia natus, eam ſibi famam peperit, qua præclariſſimis ingeniis quæ ejus ætate floruerunt accenſeretur, tum quoad decus omnium Diſciplinarum quibus exornabatur, tum etiam quoad

Digitized by Google

quoad Legum peritiam, in qua ſanè laureâ qua inſignitus eſt digniſſimum ſe præſtitit. Quia verò inſolita ſcientiarum cupidine ardebat, in unica Diſciplina acutiſſimum ingenium ſuum exercere non ſatis ipſi fuit, ſed ſcientias omnes percurrendo, ex unaquaque, magno Literatorum ſtupore, omnimodam laudem, & immortalem celebritatem adeptus eſt. In omnibus quæ ſcitiſſimè ſcripſit luculentiſſimè oſtendit ſplendidum & decorum ingentis eruditionis ſuæ lumen, ſibique apud ſani judicii viros comparavit exiſtimationem optimi politiorum Literarum Profeſſoris & præſtantiſſimi Juriſconſulti temporis ſui. Hiſce aliiſque inſignibus dotibus, quæ in ipſo mirificè refulgebant adeo commotus fuit Senatus *Mediolanenſis* ut ipſum publica Legum in *Ticinenſi* Gymnaſio Lecturâ condecoraverit: quod munus aliquot annos obivit, cum magno concurſu Auditorum, quibus egregia facilique ſua legendi methodo ſummoperè ſatisfaciebat. Haud ita diu poſtea Imperator *Carolus Quintus*, ſolis tanti viri meritis incitatus in *Mediolanenſium* Senatorum album retulit ipſum; In qua Dignitate prudentem ſuam eruditionem vitæ integritati ſemper conſociando honoratiſſimum poſt ſe reliquit nomen meriti ſui & approbationis qua ipſum omnes dignati erant. *Ghilini* Theatrum. Ital.

Alciatus primus fuit qui prelo ſubmitti curaverit *Notitiam Imperii*, præclaramque præfationem huic præmiſit *Scaligerana ſecunda*. Gal.

Stephanus Paquier aſſeverat *Italos* minoris æſtimaſſe *Alciatum* quàm *Bartholomæum Socinum* qui *Bononiæ* Juriſprudentiam docebat, quo tempore *Alciatus Mediolani* Profeſſor erat. Eorum autem hæc erat ratio, quòd *Socinus* ætatem ſuam nunquam conſumpſiſſet, ut *Alciatus*, in humaniorum literarum ſtudio. Vide *Paquerii* Scrutinia lib. 9. c. 29. Gall.

Andreas Alciatus ex *Robertello* & aliis ſua deſumpſiſſe fertur. *Car. Sigon.* c. 68. p. 332. Tom. 2. Lamp. Critic. p. 186. 243.

* *Alciati Emblemata*, cum Commentariis *Claudii Minois*, *Madritenſi Indice* prohibentur, donec corrigantur.

Hoc ejus Epitaphium: *Jul. Cæſar Scaliger* compoſuit.

Quæ fatis fuit invidis ſuperſtes
Pura dictio, nobilis, diſerta,
Compta carmine melleo Poëſis:
Ingens cognitio erudita rerum,
Juris regula juxta, lexque legum
Immortalibus explicata pennis
Virorum beat ora doctiorum.
Nil ſunt cætera quæ capit Sepulchrum
Immenſis meritis uterque utrique
Incumbunt duo, mutueque certant,
Vix totus decus Orbis Alciati,
Totius decus Orbis Alciatus.

Digitized by Google

JOACHIMUS CAMERARIUS.

Clar. An. D. MCXXXV.

GErmanus natus fuit anno 1500. Obiit 17. Aprilis Ann. 1574.
Opera ejus penè infinita.

Profectò vir hic nunquam ſatis laudatus, ſi alius quiſquam, verè *Germaniæ* ſuæ *Phœnix* fuit; non gentis ſuæ judicio ſolùm, ſed etiam exterarum. Quantis enim præconiis eum extollunt *Iovius*, *Turnebus*, *Lipſius*, ac optimus & doctiſſimus quiſque: Uſque adeò, ut qui eum non maximi faciat, is certiſſimo indicio, vel inter indoctos, vel improbos, referri mereatur. *Voſſ.* de Mathem. p. 377.

Cùm vitam otio literario conſecraſſet *Camerarius* poſt perceptam utriuſque linguæ exactam notitiam, non ſolùm ad bonos Auctores interpretandos, tam Poëtas quàm Oratores & Hiſtoricos, ſed etiam in ſolidioribus Philoſophiæ Mathematicarum artium, & poſtremò Theologiæ ſtudiis multa commentatus eſt. Ad quæ omnia (quod pauci ante illum fecerant) politioris literaturæ ornamenta ſemper attulit, variis in omni doctrinæ genere lucubrationibus, aut dum vixit editis, aut poſt ejus mortem à tanto Patre dignis filiis publicatis: quæ ſparſim & diverſis temporibus ac locis per particulas edita (cùm ejuſmodi ſint, ut iis ad rem literariam plurimum emolumenti ſit redundaturum) ſimul omnia aliquando edi Reipublicæ maximè intereſt. *Thuan.* ad ann. 1574.

Studia nunquam remittebat, ne inter peregrinandum quidem; ſed quæ abſente *Bibliothecâ* vel inter vias, dum equitaret, vel de nocte animo concepiſſet, arrepto deinde calamo annotabat. Linguam *Gallicam* & *Italicam* jam ſenex attigit, & *Hebraicam* etiam deguſtavit. In *Græcâ* familiam duxit: in *Latinâ* ceſſit nemini. Hiſtoricos, Poëtas, Oratores; Medicos, Juriſconſultos, Theologos *Græcos* & *Latinos* excuſſit. *Melch. Adam.* in Vit. *Camerar.*

Eò provectus eſt eruditionis, ut communi doctorum omnium conſenſu, peritiorem linguæ *Græcæ* neminem, in *Latinâ* verò linguâ diſertiores perpaucos, exactiorem autem nullum Scriptorem habuerit *Germania*, ſicut plurima ipſius monimenta teſtantur. *Theod. Beza* in Icon. Illuſtr. Vir.

Vir inter eruditos magni nominis. *H. Conring.* de Official. Imp. th. 18.

Utriuſque linguæ hodie Princeps.

Ego oro Deum, ut excitet *Camerarios* in veſtrâ *Germaniâ*, in noſtrâ *Galliâ Scaligeros*. *Iſaac. Caſaub.* in Epiſt. ad *Georg. Remum.*

Vivet viri illius, & ætatem florebit laus intemerata, nec quiſquam erit qui hoc publicum ipſius elogium, *Optimum, & Doctiſſimum ſeculi ſui fuiſſe*, nunquam queat eripere. *Io. Michel. Dilher.* Diſput. Acad. Diſſert 18.

Non ſuæ tantum *Germaniæ*, ſed etiam totius noſtræ *Europæ* decus & ornamentum, *Ioachimus Camerarius. Turneb.* l. 4. adv. c. 1.

Parens veſter æternum illud *Germaniæ* decus. *Lipſ.* in Epiſt. ad *Ioach.* fil.

Grati mihi ſemper *Camerarii*, ob unum illum Virum, quem *Germania* veſtra habuit ſine pari. *Idem* in alterâ Epiſt. ad eundem.

Non

Nota *Ioachimi Camerarii* innumera in rem literariam benè promerita Quemque nequicquam ingrati lucumones rodere conentur. *Sciopp.* de Arte Critic. p. 7.

Eſt in celebri famâ *Joachimus Camerarius*, Græcæ atque Latinæ linguæ ita peritus, ut ſcribendo pernobilis *Ciceronis* imitator evaſerit. *Paul. Iov.* in Elog.

Camerarius vir bonus, qui non malè Authores interpretabatur. *Scaligerana* 1.

Camerarius fuit unus è maximis ætatis ſuæ *Germanis*. *Scaligerana* 2.

A quorum (*Ioachimi Camerarii*, & *Zuingeri*) lectione nemo unquam niſi doctior receſſit----*Camerarius* & *Giphanius* nihil unquam ineptè moliti ſunt. *Gabr. Naud.* in Bibliograph. Polit.

Ioachimus Camerarius reliquis in juventutem *Germanicam* meritis adjunxit & *Carminis* gloriam, præſertim *elegiaci*, quâ paucis adeo cedit, ſive inventionem conſideres, ſive facilitatem, proprietatem, numerum. *Ol. Borrich.* de Poët. pag. 127.

Vir de politiori literaturâ præclarè meritus *Ioachimus Camerarius*, ſuæque adeò *Germaniæ* ſingulare ornamentum. Caſtus ſermo, & perſpicuus, & quem ſi cum *Græcis* contuleris, ſincerum atque ſanum, & nonniſi obſcurioribus declarandis, idque rarò & leviter excurrentem agnoſces. *Huet.* de Clar. Interpret.

Joachimus plus habere videtur *cura* quam *natura*. *Eraſm.* Epiſt. lib. 26. Epiſt. 45.

Ad hanc autem in omnibus bonis diſciplinis eruditionem acceſſerat pietas ſingularis, prudentia longo rerum uſu confirmata, quum etiam magno illi *Philippo Melanchthoni* id ipſum eſſet quod *Atticus* ille *Ciceroni*, tantum denique juvandæ rei literariæ ſtudium, ut, ſpretis dignitatibus omnibus, quas alioqui facile ſuis virtutibus conſequi potuiſſet, in nobiliſſimis Academiis *Wittebergenſi*, *Tubingenſi*, *Heidelbergenſi* docendo conſumptis aliquot annis, *Lipſiæ* tandem poſitis ſedibus, in extremâ ſenectâ fortiter idem munus obiens, lugentibus bonis piiſque omnibus, & mox ſequuturam rerum commutationem præſagientibus, in Domino placidè obdormiverit: hoc quoque beneficium à Deo conſequutus, ut doctiſſimos patrique ſimillimos liberos reliquerit. Nos autem hoc Epigrammate ſumus illum proſecuti:

Extinctis olim, Muſæ *fleviſtis alumnis*,
Et vitam veſtrâ reſtituiſtis ope.
Nos contrà vobis, Joachimi *in funere*, Muſæ,
Has miſeri extinctis ſolvimus exequias.
Namque omnes tecum, tecum, Joachime, Camœnæ
Ut vixere ſimul, ſic periere ſimul.

Beza. in Icon.

Hic

* Hic Author *Romano Indice* inter *Hæreticos* primæ Claſſis numeratur. Omnia ejus Opera variis locis atque temporibus ſunt impreſſa.

ALBERTUS PIGHIUS.

Clar. An. D. MDXXXV.

BElga, *Campenſis*, familiaris erat Papæ *Adriano* VI. quem etiam in Hiſpaniam euntem, comitatus fuit: Ac defuncto Romæ *Adriano*, amantiſſimum ſui ſenſit *Clementem* VII. Varias obiit legationes *Romam*, *Wormatiam*, *Ratisbonam*. In *Matheſi* inſtituit *Paulum* III. à quo donatus eſt duobus *ducatorum* millibus, & *Præpoſiturâ Ultrajectinâ* ad *S. Ioannem*. Quod erat anno 1535. Etiam *Sadoleto* uſus amico fuit: *Ultrajecti* deceſſit anno 1542. *Voſſ.* de Mathemat. p. 73.

Scripta ejus hæc ſunt: De ratione Paſchalis celebrationis: De reſtitutione Kalendarii Eccleſiaſtici---De Æquinoctiorum, Solſtitiorumque Inventione---Apologia adverſus novam *Marci Beneventani Monachi Cæleſtini* Aſtrologiam, atque Apologiæ defenſio---Aſtrologiæ Defenſio, adverſus Prognoſticorum vulgus---Aſſertio Hierarchiæ Eccleſiaſticæ---Apologia indicti à *Paulo* III. Concilii---Ratio Componendorum diſſidiorum, & ſarciendæ in Religione Concordiæ---De libero hominis arbitrio, & divina Gratiâ---Explicatio controverſiarum præcipuarum, quibus hodiè potiſſimùm exagitatur *Chriſti* fides & Religio.

Vir maximus atque doctiſſimus inter *Pontificios* vocatur à *Iuello* Epiſcopo *Sariſbur.*

Pontificiorum *Achilles* adverſus *Lutherum*, qui totus noſter eſt in cauſâ *Juſtificationis. Epiſc. Morton.* Antidot. contra Merita, c. 7. Sect. 1.

Dicunt *Pontificii Pighium*, alioqui *Catholicum Doctorem*, ſeductum ex Lectione librorum *Calvini*. At *Pighius* ipſe teſtatur, ſententiam ſuam ſe è lectione *Scripturarum* hauſiſſe: O *Calvinum* vel adverſariorum teſtimonio beatum, cujus *Scripta* tantum cum *Sacris Scripturis* conſenſum retinent, ut quod *Pontificius Doctor* celeberrimus fatetur ſe ex *Sacra Scriptura* lectione habuiſſe, id alii *Pontificii* lectioni librorum *Calvini* tribuant. Profectò niſi *Scholaſticorum* ſententia cum manifeſtis Scripturis pugnaſſet, nunquam illam deſeruiſſet *Pighius. Epiſc. Carleton.* Conſenſ. Eccleſ. Cathol. contra *Trident.* c. 3.

Albertus Pighius vir multæ ac variæ lectionis, ſcientiæque omnifariæ. *Valer. Andreas* in Biblioth. Belgic.

Albertus Pighius, vir acutiſſimi ingenii, Theologus, Philoſophus, & Mathematicus peritiſſimus: ſed liber ejus de *Eccleſiaſticâ Hierarchiâ* cautè legendus eſt, quòd non ſemper ſolidam tradat doctrinam. *Card. Io. Bona.*

Libros tuos de *Hierarchia Eccleſiaſtica* Principatu cum legerem, plurimaque in illis invenirem, quæ tuâ curâ & diligentiâ in lucem è tenebris quaſi vetuſtatis prolata ſunt; ſcatereque ibidem omnia optimis & ſententiis & autoritatibus cernerem: equidem ingenium, & doctrinam, & notitiam tuam rerum anti-

quarum

quarum ſum admiratus. *Sadolet.* in Epiſt. ad *Albert. Pigh.*

Magna herclè Naturæ illudentis inverecundia, excellentem doctrinam cum illuſtri eloquentiâ conjunctam, ſi *Chriſtiani* Scriptoris decus ſpectetur, multa infaceti Oris truculentia opertam, in *Alberto Pighio* conſpeximus. Is Campo *Batavorum* vico editus, ſecutuſque *Adriani* Pontificis fortunam quæ ex diſciplinis peregrè didicerat, *Latini* ſermonis elegantiâ feliciter exornavit; ita ut ſubtiliſſimarum ſcientiarum placita, & ſi quid durum, atque difficile ex ſacris literis novitate rerum ac nominum ſcribentibus offertur, prudenter ac molliter explicaret. Sed in diſſerendo vultus *Scythico* more contuſus & enormis, & aſpero gutture vox educta, & graviter reſonantis naſi tumultus, totam ferè ſapientiæ gloriam deformabant. Admirabili quoque cum ingenii, tum manuum argutiâ excelluit, utpotè qui ærea inſtrumenta deprehendendis ſiderum curſibus, exactiſſimè fabricaret. Verùm in libro de *Hierarchia*, quo veluti acutiſſimo gladio *Lutheri* cauſam jugulavit, ferè nemini conceſſam pietatis & doctrinæ laudem adeptus eſt. Quum id volumen commentaretur, ut direptam ab impiis ſacro-ſanctæ poteſtatis hæreditatem Romano Pontifici aſſereret, eum è ſummo vitæ periculo certiſſimum *Dei* maximi numen eripuit. *Paul. Jov.* in Elog.

Albertus Pighius felici ac verſatili vir ingenio, qui cum Theologiæ atque Aſtronomiæ cognitione naturalem quoque prudentiam, rerumque publicarum uſum & intelligentiam conjunxit, eximia *Latinæ* dictionis elegantiâ, quæ ſcriberet ageretve comitante. *Aubert. Miræus* in Elog. Belgic.

Immortalitate dignus ſenex: planè alter *Livius*, indefeſſi calami & ſtyli. *Lipſ.* cent. 2. ad Belg. Epiſt. 51.

Obſervet Lector, quædam *Pighii* Theologis Doctoribus diſplicere, ut de *Peccato Originis*, de *Prædeſtinatione Dei*, ac *Gratiâ Chriſti*; in quibus à D. *Auguſtini* doctrinâ, quam *Eccleſia Catholica* ſequitur, videtur receſſiſſe. *Anton. Poſſevin.* Apparat.

* *Alberti Pighii* libri decem de *Libero Arbitrio* contra *Calvinum*, ejuſdemque Controverſia de *Peccato Originali*, prohibentur in *Indice Madritienſi* edit. ann. 1667.

Opera ejus omnia excuſa ſunt *Romæ, Coloniæ, Moguntiæ,* & *Lutetiæ.*

Hoc ejus Epitaphium:

Ne turba Tumulum, Viator, iſtum;
Sed adſta reverenter, & ſaluta
Sacratum cinerem Viri ſacrati.
Ille eſt Pighius, *hoc loco ſepultus,*
Aures qui Batavas *ita expolivit,*
Ut dicas ſapere Atticos *lepores.*
Quarè tam bene dormiat precare,
Quàm doctè, nitidéque, & eleganter.
Defendit. Latiæ *decus Tiara,*

Et morem ſtatuit pium ſacrorum.
Utro ut nomine debeant Latini
Plus illi addubitent : utroque certè
Ingens promeritum Viri fatentur.

BEATUS SIVE BILDIUS RHENANUS.

Clar. An. D. MDXXXV.

G*Ermanus*, natus eſt *Seleſtadii Alſatiæ* Oppido celebri, Anno *Dom.* 1485. mortuus eſt, dum rediret ex Thermis *Martiis*, *Argentinæ*, Anno 1547.

Scripſit Obſervationes in *Plinium.* Rerum *Germanicarum* Libros III. Annotationes in *Livium*, & *Corn. Tacitum. Velleii Paterculi* Librum reſtituit. In *Tertullianum* Argumenta & Annotationes. Præfatus eſt in Opera *Senecæ*, in *Theophraſtum Æneæ*; in omnia ferè Opera *Eraſmi*, cujus Vitam & Mortem deſcripſit. Duas *Gregorii Nazianzeni* Epiſtolas vertit, & alia quædam.

Multum illi ſedulo & pereruditο *Antiquitatis* obſervatori, omnes bonarum literarum ſtudioſi debent, ut qui, etſi non omnia ſit aſſecutus, plurima tamen acutè ac diligenter animadverterit, & aditum ad alia cognoſcenda multis ante tenebris obſitum aperuerit: quod & illi de *Germanicis rebus* libri, & iſti tum *Tertulliani*, tum etiam *Taciti, Plinii, Livii, Senecæ, Paterculi* reconditi abundè demonſtrant. *Beza* in Icon. Vit. Illuſt.

Beati vocabulum tibi non fortuitò, ſed *divini numinis* conſilio contigit. *Eraſm.* l. 29. Epiſt. 31.

Omnes *beatitates* noſtrum *beent Beatum*, qui nobis *Tertullianum* dederit, illum ſic adamatum à *Cypriano*, ſic laudatum ab *Hieronymo*. Sed utinam integrum & emendatum dare potuiſſet. Plurimum tamen debemus illius induſtriæ, qui quod licuit præſtitit. *Idem* l. 17. Epiſt. 22.

Beatus Rhenanus, vir in humanioribus literis, *antiquitate*, & piâ doctrinâ exercitatiſſimus, ingenio miti, ut qui in cogitatione de conſtituendâ ex omnium conſenſu in Religione *concordia* conſenuerit: Summus *Deſiderii Eraſmi* obſervator, qui eandem viam in his turbis inſtitit. *Thuan.* ad an. 1547.

Beatus Rhenanus, homo optimè de multis præclariſſimis *auctoribus* meritus. Barth. l. 55. Adverſ. c. 1.

Magnam laudem debent exteri *Beato Rhenano*, & *Joanni Rivio*; qui, ſi vel hodiè viverent, ubi poſt eos hæ literæ mirificè excultæ ſunt, principibus *Criticis* accenſeri poſſint. Et benè habet, quòd eos, qui juveniliter olim *Rhenani* beatis manibus inſultarant, præcipitatæ dicacitatis publicè pœnituſt. *Gaſp. Sciopp.* de Art. Critic. p. 7.

Uno verbo dicam, fuit vir bonus & doctus; imò optimus & doctiſſimus. *Melch. Adam.* in Vit. *Rhenan.*

Ingenii & induſtriæ laudem *Rhenano* libens do: & ſcio inter *primores* eum ſuæ gentis. *Lipſ.* Not. in l. 3. Hiſt. *Tacit.* Num. 53.

Hiſtoricus & Criticus non contemnendus vocatur *Dempſtero.*

Floret

Digitized by Google

Floret adhuc apud nos prædulcis & grata memoria *Beati Rhenani*: ex ejus ingenii liberalitate, officinaque libraria, optimarum literarum magnas opes ad nos perveniſſe conſpicimus. *Paul. Jov.* in Elog. p. 221.

Beatum Rhenanum ob fidelitatem, judicium, eruditionem, ac diligentiam laudat. *Nic. Rigalt.* Not. ad *Tertull.*

Rhenano Germania & nos omnes plurimum debemus, in Antiquitatis & veterum *Auctorum* reſtitutione. *Scaligerana* prima.

Plurimi facio Argumenta & Notas quas *Rhenanus*, qui fuit in humanioribus literis & in Eccleſiaſtica Vetuſtate doctiſſimus, præfixit fronti omnium ferè *Tertulliani* Scriptorum; nec ullus mihi videtur utiliùs illo laboraſſe ad hujus Authoris intelligentiam, ſapientiſſiméque à Domino *Rigaltio* obſervatum eſſe nihil Rhenano defuiſſe, ad abſolutum Opus faciendum, niſi ſufficientem Manuſcriptorum copiam. Ejus tamen Notæ non effugerunt *Inquiſitionis Hiſpanicæ* virgulam cenſoriam, Romæque in *prohibitorum librorum Indicem* relatæ fuerunt, propter earum quaſdam paulò liberiores in aliquos abuſus qui ejus ſeculo invaluerant: Verùm id nihil de harum merita exiſtimatione detrahere debet. Ell. du Pin. Biblioth. Nova *Authorum Eccleſiaſt.* p. 290. 291. Gall.

Stephanus Paſchaſius de *Rhenano* hoc *diſtichon* compoſuit:

Qui docuit quicquid Rheni *concluditur Orbe,*
Annon Rhenanum *dicere jure potes?*

Beatus Rhenanus filius fuit *Antonii Bildi*, qui poſtquam *Schleſtadium* ſe recepiſſet Rhenani nomen obtinuit à *Rhenaco* nativitatis ſuæ loco. Vir fuit eruditione, modeſtiâ & probitate pariter inſignis. Accuſatus fuit nimii terreſtrium bonorum amoris, quódque illa uſui proprio unicè aſſervaret. Quapropter de illo dici conſuetum erat: *Beatus* eſt, *Beatus attamen ſibi*. *Beza* aſſeverat quòd *Rhenanus* licèt Proteſtantium Religionem approbaviſſet, hanc tamen, ad *Eraſmi* exemplum, apertè nunquam profeſſus fuerit. Alii ſcripſerunt duos præclaros illos Viros dicere ſolitos fuiſſe *Lutheranos* bonam quidem cauſam tueri, ſed illam non bene propugnare, *Lutheranos bonam cauſam malè agere*, *Ant. Teiſſier.* Elogiis Eruditorum Virorum.

Quamvis *Rhenani Euſebius* nihil hodie valeat, ſuo tamen tempore Opus admirabile fuit, poſito, ut ipſe arbitrabatur, quod *Græcum* ejus Autographum reperiri nequiret: quoniam tolerabilem ei ſeriem dederat, prout exiguo exemplarium *Latinorum* auxilio ſubnixus fuerat, reliquumque vel proprio judicio vel lectione propria ſuppleverat. Quibuſdam *Rhenani* fides ſuſpecta fuit, ob ejus aliqualem libertatem ſenſa ſua paulò nimia ſimplicitate promendi, & quia eorum zelo non agebatur qui volebant ut ferro & igne in Sectarios ſæviretur; Sed nullatenus veroſimile eſt eum unquam Patrum ſuorum Religionem deſeruiſſe. Judicium Eruditorum, per *Bailletum* Pariſ. 1685. Gall.

Abſque teſtamento deceſſit, licet opes 8000. aureorum æſtimationis *Argentinenſis* paucis & obſcuris hæredibus reliquiſſet. Bibliotheca tamen ipſius Senatui conceſſa eſt ex famuli *Rudolphi Berzii* teſtimonio, qui Heri eam fuiſſe voluntatem extremam dixit. Cadaver *Argentorato Seleſtadium* aſportatum, ibi ſepulturæ traditum eſt. In Religione probavit Doctrinæ lucem, nec tamen quid ipſe ſentiret, enunciavit, ideò timiditatis à nonnullis accuſatus eſt. Propter nimiam ipſius erga Pauperes tenacitatem de eo quidam dixerunt: Beatus eſt quidem beatus, ſed ſibi ſoli. *D. Paul. Freher.* Theatr. Viror. eruditione Clar.

* *Beati Rhenani* Scholia in *Tertullianum* prohibentur in *Indice Tridentino*; vide Indicem Certorum Auctorum. Ejus Epiſtola de *Primatu Petri*, ubicunque reperiatur, ſive ſeorſim, ſive libro decimo Operis ad *Fridericum Nauſeam*, prohibetur in *Indice Tridentino*, vide Append. Cert. Auctorum.

GABRIEL FALLOPIUS.

Clar. An. D. MDXXXV.

MUtinenſis, honeſtis ortus natalibus, laboribus & vigiliis ſummum gloriæ faſtigium pertingere conatus eſt, accedente ingenii acumine penè divino, [non enim continebatur inter communes intelligentiæ limites] & corporis valido, & admirabili temperamento. Quare, ubi primum ad *Medicam* plenè capeſſendam facultatem, *Simplicium*, *Anatomicaque*, & *Aſtrologica* artis cognitionem accepit; totam ferè *Europam* peragravit, ut, non tam abdita rerum cognoſceret *Natura* florentis arcana, & *Radicum* abſtruſas virtutes: verùm etiam ad *Cœleſtia* penetranda pertingeret. Quorum notitiam aſſecutus, eandem in curandis morbis fortunato eventu adhibuit. His artibus inter *Medicos* ſui ævi principatum facilè obtinuit, communique plauſu in *Lyceo Patavino*, à ſereniſſimâ *Venetorum* Republicâ maximis muneribus donatus, *Anatomicam* Artem explicuit, nec multò poſt defuncto *Bonafide* Anno 1530. lecturam *Simplicium* adeptus eſt; *Viridario*que à tereniſſ. Repub. *Venetâ* aperto ſummo cum honore præfuit. Obiit anno Dom. 1563. Ætatis verò 73. *Jac. Phil. Tomaſin.* in Elog.

Fuit vir in pervolvendis libris diligentiſſimus, & conſcribendis miro lepôre, & elegantia præditus. Teſtes ſunt *Lucubrationes* ejus, quæ in lucem editæ, & ab omnibus probatæ, ſummâ cum Auctoris gloriâ leguntur. *Idem* ibid.

Gabriel Fallopius, vir cùm Philoſophiæ ac cæterarum doctrinarum, tum rei *Anatomica* inprimis, variis obſervationibus locupletatæ, atque adeò utriuſque *Medicina* laude ornatiſſimus, quam & doctiſſimis *Scriptis* illuſtravit. *Thuan.* l. 34.

Idque præter *Nicolaum Monardis*, etiam *Gabriel Fallopius* teſtatur, quem *Melchior Guilandinus* non niſi totius *Italia* publico ſummoque honore à ſe nominari ait. Nullum enim unquam *Chirurgum* hôc ipsô *Italiam* produxiſſe omnibus animi ingeniique dotibus abſolutionem. *Guid. Pancirol.* de Nov. Orbe Tit. 1.

Gabriel

Digitized by Google

Gabriel Fallopius, Anatomicorum ſidus & exemplar, vir admirandi ſanè ingenii ſummique candoris, quique in omnibus *Artis* noſtræ partibus maximâ cum laude fuit verſatus. *Scripſit* autem inter alia *Obſervationes Anatomicas*, præclarum atque inſigne opus; in quibus multa *Veſalio* prætervisa animadvertit; nunquam tamen ſine Præfatione ejus mentione facta, quinetiam *Divini* titulo ſemper eum dignatus. *Seb. Scheffer.* in Artem Medic. p. 103.

Prodit ſub *Fallopii* nomine liber Italicus inſcriptus *Arcana varia & miraculoſa in tres libros diſtincta*, impreſſus *Venet.* 1569. in 8°. cujus author aſſeveratur *Jo. Bonac. Ant. Teiſſ.* Elog. viror. erud. Gall.

Gabriel Fallopius vir medicis ſcriptis multùm celebris. *Vincent. Placc.* in Catal. Pſeudonym.

Gabriel Fallopius Mutinenſis Medicus ac Philoſophus præſtantiſſimus, & rei Medicæ in Academia *Patavinâ* Profeſſor, tractatum pulcherrimum & maximè utilem edidit de *Medicatis Aquis*, atque de *Foſſilibus. Geſner.*

Gabriel Fallopius in *Mutinenſi Civitate* natus eſt ex nobilibus parentibus, acutiſſimique ingenii ſui ope ad multarum ſcientiarum culmen pertigit; Cùm ætatis ſuæ florem Philoſophiæ Medicinæque addixiſſet, in illa Viri ſingulariſſimi nomen ſibi comparavit, hujus verò excellentiſſimus Profeſſor extitit. Animum præterea ad Simplicium cognitionem appulit, ad Aſtrologiam & ad Anatomiam, quarum Scientiarum ope nomen ejus gloriæ famæque æternitatem adeptus eſt. Totam fere luſtravit Europam, non in alium finem quàm ut plura diſceret, tandemque *Patavium* redux reſumſit munus vacandi ægrorum curationi, in qua reſpectu ſui feliciſſimos habebat ſucceſſus, hi verò ſalutare beneficium inde percipiebant. Ideoque ſolertiſſima ejus morbos curandi methodus primarium ipſi locum inter ſui temporis Medicos acquiſivit, & Reipublicæ *Venetæ* opportunam obtulit occaſionem largiſſimis donis ipſum remunerandi, ipſumque Publicâ primùm *Anatomiæ*, deinde *Simplicium* Profeſſione, augendi. Plura *Latina* Scripta poſt ſe reliquit, quæ propter magnæ ipſorum doctrinæ merita typorum beneficio in lucem edita ſunt. *Ghilini*, Theatro Virorum Literatorum. Ital.

Opera genuina omnia tam *Practica*, quàm *Theorica*, prodierunt Anno Dom. 1606. *Francof.* in fol. 3. Vol.

Diem ſuum obiit Anno *Dom.* 563. Ætatis verò 73. honeſtoque funere in Eccleſiâ D. *Antonii* de *Paduâ* ſepultus eſt, hac Inſcriptione Monumento inciſâ:

> Fallopi *hic tumulò ſolus non conderis; unà*
> *Eſt pariter tecum noſtra ſepulta Domus.*

THEOPHRASTUS PARACELSUS.
aliàs BOMBAST dictus.

NAtus eſt in vico *Helvetiorum* [*Hohenheim*] Anno Dom. 1493. obiit Anno 1541. Oratio *Latina* ejus barbara fuit: igitur *Baſileæ* Medicinam in verna- Cir. An. D. MDXXXV.

 cula

cula lingua docere cœpit. Erat *Ariſtotelis*, *Galeni*, & *Avicennæ* maximus contemptor, quem poſtremum etiam *Baſilea* publicè combuſſit. Spiritu familiari uſus fertur, quem capulo enſis incluſum habuiſſe putabatur. *Scripſit* libros 230. in *Philoſophiâ*, & 46. in *Medicinâ*. *Scripta* ejus tanti æſtimata ſunt, ut à non nullis in *Latinum*, *Italicum* & *Gallicum* ſermonem tranſlata fuerint. *Ramdius* etiam *Medicos* libros *Græcè* convertit. *Konig*.

Patris auxilio primùm, deinde propriâ induſtriâ doctiſſimos viros in *Germaniâ*, *Italiâ*, *Galliâ*, *Hiſpaniâ*, aliiſque *Europæ* Regionibus, nactus eſt *præceptores*: quorum liberali doctrinâ, & potiſſimùm propriâ inquiſitione, ut qui eſſet ingeniô acutiſſimo ac ferè divino, tantum profecit, ut multi teſtati ſint, in univerſi *Philoſophiâ* tam ardua, tam arcana & abdita eruiſſe mortalium neminem. *Melch. Adam.* in vita ejus.

Theophraſtum Paracelſum Baſileenſis Academia *Medicinæ* linguâ *Germanicâ* profeſſorem habuit; qui in intima *naturæ* viſcera ſic penitùs introierit, *Metallorum Stirpium*que vires & facultates tam incredibili ingenii acumine exploraverit ac perviderit, ad morbos omnes vel deſperatos & opinione hominum inſanabiles, percurandum; ut cum *Theophraſto* nata primùm *Medicina* perfectaque videatur. *Petr. Ramus* Orat. de *Baſileâ*.

Ad *Paracelſum* verò quod attinet, equidem mihi nequaquam propoſui ipſius *Theologiæ* patrocinium ſuſcipere; neque ipſi in omnibus adſtipulari unquam cogitavi, tanquam in ejus verba juraſſem. Sed præter id teſtimonium, quo *Eraſmus* illum quibuſdam *Epiſtolis* ornavit, auſim ego dicere & tueri multa illum penè divinitùs in re *Medicâ* docere, & quæ nunquam ſatis admirari & prædicare grata poſteritas poſſit. *Joſeph. Quercetan.* in lib. de *Ortu & Cauſis Metallorum*.

Principia rerum ſtatuit *Paracelſus* hæc tria: *Sulphur*, *Salem*, ac *Mercurium*; è quibus omnia corpora componantur, & in quæ tandem etiam reſolvantur.

Nec tantum novæ *Medicinæ*, verùm etiam novæ *Theologiæ* autor eſt *Theophraſtus Paracelſus*; ejus enim *Scripta* tantis erroribus, ſuperſtitionibus, & diabolicis inventionibus ſunt referta (puta in iis quæ fidem concernunt) ut vix cogitari, multò minus inveniri poſſint deteſtabiliora. *Quenſtadt.* de vir. doctrinâ illuſtr.

Negabat *Paracelſus* primos parentes ante lapſum habuiſſe *partes generationi* hominis neceſſarias: poſteà acceſſiſſe, ut *ſtrumam* gutturi. Aiebat *Chriſtum* non ex *Adamo* ortum, ſed *Abrahamo*, cui facta Promiſſio. De *Reſurrectione* etiam mirifica ſomniabat. Negabat enim ſibi placere rationem, quam primi *Eccleſiarum Reformatores* hactenus iniiſſent, ſanè feliciùs ſe fuiſſe *Papam* de ſolio detruſurum. Hic qui longævam aliis vitam pollicebatur; obiit annos ſolùm natus 48. quod ei à pluribus exprobratum. Quid ſi dicamus, voluiſſe *Deum* in eo faſtum retundere humanum. Adhæc poculis (quod veriſſimum eſt) magis indulſiſſe, quàm conduceret longam ſibi vitam promittenti. *Voſſ.* de Philoſoph. p. 71. 72.

Theophraſtum Paracelſum medicamenta multa ex tenebris in lucem produxiſſe,

xiſſe, fatetur *Daniel Sennertus*, negatque ſe de *Bernardo Penotto*; variis, quæ *Paracelſus Joanni Iſaaco Hollando*, *Arnoldo Raimundo Lullio*, *Joanni à Rupe Sciſsâ*, *Trithemio*, *Lanfranco* fuerit ſuffuratus, teſtanti per omnia fidem habere, quòd *Paracelſi* ſcripta, autoribus iſtis collata non ubique reſpondeant: addit tamen, non omnia eſſe de nihilo, atque hoc allegatos authores legenti patere. Mox *Ioannis* quoque *Cratonis* verba ſubjungit ſcribentis, librum ſe vidiſſe, ante ducentos ferè annos à *Monacho* quodam *Ulmæ* ſcriptum, in quo ſparſa fruſtulatim à *Theophraſto* medicamenta perſpicuè deprehenderit. Denique ex *Baſilii Valentini* Scriptis multa ſuppreſſo nomine *Paracelſum* in ſua tranſtuliſſe clariſſimum eſſe ait celeberrimus *Conringius. Thomaſ.* de *Plag.* Literar. ſect. 514.

Paracelſus qui Operatoris potius quàm Philoſophi characterem præ ſe ferebat, *Raymundo* Lullio & *Cardano* abſurdior eſt. Sibi enim in animum induxerat *Philoſophiam* novam, novam Artem *Medicinæ*, novamque *Religionem* condere: Impulſu proprio, per ridiculam neutralitatem, mediatorem ſe gerens inter *Papam* & *Lutherum* ut ambos ad *Axiomata* ſua ſequenda adduceret, *Gohory* primus ejus in *Gallia* Sectator fuit; *Phyſicus* is erat admodum ſuperficiarius, ſed diſtillator inſignis. *Paracelſus* profundi erat ingenii, dictionem habet mœſtam & obſcuram: Omnia ejus verba totidem erant Ænigmata, ejuſq; ſermones Myſteria. *Rullandus Germanicus* Medicus Vocum ejus Lexicon contexuit, cujus ope nedum intelligi poteſt. *Paracelſus* is fuit qui *Chymiam* in *Germania* reſtauravit. *Imperator Carolus Quintus* aures ipſi præbebat; ſed *Delirum* ipſum appellavit ex quo ipſi propoſuit ipſum *Chymiæ* ſuæ opere ditare. *Rapin.* Reflex. in Philoſophiam Sect. 17. Gall.

Audiviſtine *Paracelſum* Genevæ imprimi quatuor Voluminibus folio. Proh pudor! quòd tam ineptus Liber præla & operarios inveniat, quorum eſt inopia ad aliquid optimi faciendum. Mallem *Alcoranum* impreſſum fuiſſe qui non eſt æquè periculoſus, & qui ſaltem homines non æque ſeduceret. *Guido Latin.* Selectioribus Epiſtolis. Epiſt. 58. Gall.

In *Theophraſtum Paracelſum* hæc carmina compoſuit Auctor *Anonymus*:

Si foret Auctori conceſſa facundia Linguæ,
Vidiſſent Phyſicum ſecula nulla parem!
Verba age flore carent: & melle: ſed undique Rerum
Mel redolet, Rerum flore refragrat opus.
Eloquium tulit ipſe Deus, Natura negavit.
Quod non, cur poſcis, Zoile, *Tanus habet.*

Laurentius Craſſus.

Dicitur fuiſſe, animi integritate, pietateque in *Egenos* nulli ſecundus. *Guil. Bovil.* in Prompt. Icon. Illuſtr. Vir.

His

* Hic Author inter Hæreticos primæ Claſſis *Romano Indice* locum habet. Extant Opera ejus *Francofurti* apud *Paltheníos*, 1603. in 4. Vol. 4°.

JULIUS CÆSAR SCALIGER.

Clar. An. D. MDXXXV.

NAtus eſt in *Caſtro Ripâ* ad Lacum *Benacum*, A.C.1484. Patre *Benedicto Scaligero*, Bellatore fortiſſimo, ex antiquiſſimâ *Scaligerorum*, Principum quondam *Veronenſium*, familia oriundo: in adoleſcentiâ *Franciſcanorum* Monachorum cœtui aggregatus, ſed mox ab ipſis iterum abſtractus, juventutis annos in bello tranſegit, inque eo Magiſter Equitis titulum meruit. Tandem etiam militia relictâ, literis ſe totum addixit. Ex *Italia Aginnum* in urbem *Aquitaniæ* ſeceſſit, ibique Medicinam feliciter exercuit, donec ibidem obiit *Grammaticus*, *Criticus*, *Poeta*, *Philoſophus*, & *Medicus* incomparabilis, *Eraſmi Roterodami* adverſarius acerbus, A.C.1558. ætatis ſuæ 74. Vander *Linden* de Script. Med.

Scripta ejus ſunt: Epiſtolæ & Orationes---Commentaria in *Hippocratem* de Inſomniis---Comm. in *Ariſtotelem* de Plantis---Comm. in *Ariſtotelis* Hiſtoriam Animalium---Comm. in *Theophraſti* Hiſtoriam Plantarum---Doctrina vera Alchimiæ atque Artis Metallicæ----De Sapientia, & Beatitudine----Oratio pro *Cicerone* contra *Ciceronianum Eraſmi*---De numeris Comicis, libellus---Poemata varia----Problemata *Ciceronianum Eraſmi*----De numeris Comicis, libellus---Poemata varia----Problemata *Gelliana*-----De Cauſis Linguæ Latinæ---De Re Poeticâ----Exercitationes ad *Cardanum*.

Julius Cæſar Scaliger, Criticus, Grammaticus acerrimus, Poeta excellens, Philoſophus eruditiſſimus, alter in Medicina *Æſculapius*, & quidem (dictu penè incredibile) hæc omnia, quum ætatis juvenilis parte in armis conſumptâ, ſeriùs ſeſe literarum ſtudiis dedidiſſet, tum ingenii extra omnem aleam poſiti præſtantiâ, tum indefatigabili labore, quamvis adverſante valetudine, conſequutus. *Beza* in Icon. vir. Illuſtr.

Quod de *Tullio* dixit vetus Magiſter. *Profeciſſe multùm cui is placeret*: ego veriùs, Magnum eſſe cui *Julius* iſte magnus. *Lipſ.* cent.11. Miſcell. epiſt. 60.

Julius Cæſar Scaliger, vir quô ſuperiorem *Antiquitas* vix habuit, parem certè hæc ætas non vidit. *Thuan.* ad ann.1558.

Illud Naturæ Miraculum *Jul. Scaliger. Voſſ.* Inſtit. Orat. l.1. c.3. Sect.1.

Vir ille nunquam ſine laude dicendus. *Idem* ibid. l.1. c. 5. Sect.2.

Julius Scaliger, vir ad unguem factus. *Idem* ibid. l.4. c.11. Sect.3.

Magnus Naturæ Myſtes, *Cæſar Scaliger*. *Idem* de vitiis ſerm. l.1. c.28.

Julius Scaliger, ſummus profectò *Veterum* cenſor, ac deliciæ omnium, quorum intereſt vacare *Muſis. Voſſ.* Inſtit. Orat. l.5. c.13. Sect. 1.

Divinum Virum *Cæſarem Scaligeranum* qui non mirantur, *Marrucini* ſunt. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. ad *Thuanum*, Momp. 6. Kal. Jan. 1598.

Julius Cæſar Scaliger, vir ſtupendæ eruditionis, & quô ſol doctiorem vix illuxit alterum. *Meibom. Mecenas.* c.4.

Ne vir ſim ego, ſi acutius aut capacius ingenium inter homines fuit ab illo ipſo *Juliano* ævo, *Lipſ.* de rect. pronunciat. Lat. Ling. c.7.

Digitized by Google

Tres ſunt quos admirari unicè ſoleo,& qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, *Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles* : ſed addo hunc quartum (viz. *Julium Scaligerum*) qui natus in miraculum & gloriam noſtri ævi. *Idem* cent. 2. Ep. 44.

Inter noſtros Poëtas *Lotichium* amo : *Ianum Pannonium* æſtimo : *Scaligerum* patrem admiror. Qui ſi felix illud ingenium & inventionum invidendum acumen curâ temperaſſet & limâ, coronari contra omnes Poëtas poſſet ab illo ipſo ævo priſco. *Lipſ.* cent. 2. epiſt. 9.

Jeſ. *Rapin.* ait *Iulium* & *Ioſephum Scaligeros* in Poeſi felices non fuiſſe, eò quòd ſerò nimis ad eam ſeſe accinxerint. Ait utrumque genii ſui pertinaciam vincere non potuiſſe, utpote qui aliò jam ſeſe converterat; & quamvis Filius Patre foret excultior, parum tamen in ſua Poeſi venuſtum fuiſſe. *Rapin.* Reflex. in Poeticam 1. parte Reflex. 40. Gall.

Omnia ejus Poemata doctè & laborioſè compoſita ; ſed in quibus ſubindè horridulum quiddam, & hiulcum, atque à facilitate,& amœnitate Poeticâ alienum offendas. *Borrick.* de Poet. p.106.

Pater meus majoris quàm par eſſet *Muſæum* æſtimavit. Hunc *Homero* anteponit. *Græcorum* Poeſews non ſatis peritus erat. *Scaligerana* 2. Gall.

Pater meus accuratè ſcripſit. O quàm egregius liber ſunt Exercitationes ejus! Pater meus accentu nativo linguas pronunciabat quarum gnarus erat,non tamen ritè pronunciare poterat *è fœmininum*,ut in vocibus *Pere, Mere*.Pater meus quadriennio ante obitum Semi-*Lutheranus* erat : Indies magis & magis abuſus obſervabat : Epigrammata in Monachos ſibi exoſos ſcripſit. Pater meus quando feſtinanter Epiſtolas exarabat, egregiæ erant; ſed quando illas meditabatur Philoſophum redolebant. Pater meus,licet veritatem Religionis planè non cognoviſſet, tamen ſi tempore *Ieſuitarum* ſuperſtes fuiſſet illas odiſſet, qui Hypocritas & mendaces ederat cane pejus & angue, quæ duo vitia Jeſuitis maximè frequentia ſunt. Nullus eſt *Ieſuita* qui eo modo ſcribere valeat quo Parens meus ſcripſit. Egregio pollebat judicio : Omnia legebat, omnia examinabat. *Julius Cæſar Scaliger* ſemper dicebat ſe menſe Octobri moriturum quod factum fuit. *Scaligerana* poſterior Gall.

Dominus *Cardinalis Perronius* ait in genere eum inſignes errores commiſiſſe, eumque multa frivola leviaque ſcripſiſſe. Addit inter primos Gentis noſtræ viros numerandum eſſe *Ioſephum Scaligerum*, quamvis æquè præſtantis ingenii ac Genitor ejus non fuerit, qui, inquiebat, magnus fuit Vir, licet ſerò ſtuduerit: Eumque mirum in modum ſcitè ſcripſiſſe : Julium ingenio magis quàm ſtudio valere; contrariò autem è diametro rem ſe habere quoad ejus filium *Ioſephum* qui ingenio pluſquam ſtudio & labore commendabilis erat: *Iulii* ſtylum fuiſſe elegantiſſimum, qui medium teneret inter *Ciceronianum* & *Senecæ* ſtylum, librum ejus contra *Cardanum* pulchras obſervationes continere, multa verò leviſſima,quæ tamen tolerabilia ſunt,quia elegantibus terminis exornata ſunt.*Perroniana* pag. 294. 295. Gall.

Dominus *Balzacius* ait duos *Scaligeros* duo poſtremorum temporum mira-

cula fuiſſe, eoſque Antiquitati Doctiſſimæ abſque favore opponere fas eſſe, Sed duos illos Heroas non minùs quàm duos eorum Patrueles *Achillem* & *Ajacem* parum anniſos eſſe iram ſuam cohibere, & miris animi impotentiis ſeſe permiſiſſe. Utrumque Heroa plus ſemel levibus admodum occaſionibus *Herculem furentem* egiſſe: Contumelias quas in *Eraſmum* fudit Pater miſerationem movere, & vel leviſſimis halecum venditrices atque bajulos rubore ſuffuſuras fuiſſe; Filiumque Patrem adhuc ſuperaſſe obſcœnitatibus quas modò in hos, modò in alios evomuit. *Balzacius. Colloquiis* pag. 208. Gall.

Homo Hominum μέγα θαῦμα & cum nullo ſui ævi comparabilis Scriptor. *C. Barth.* lib. 43. Adverſar. cap. 5.

De cujus Viri (*Julii Scaligeri*) ingenio ita ſemper apud me judicarim, ut illum dum ſe *Philoſophiæ* pallio continuit, rectè & decentiſſimè, cùm verò *Imperatoris* paludamentum induit, futiliter omnia, & vanè locutum fuiſſe non dubitem aſſerere. *Gabr. Naud.* de ſtud. Militar. 1. p. 183.

Cæſar Scaliger Exercitationes ſuas ſcripſit, non tam eruendæ veritatis ſtudio, quàm ut effræni deſiderio ſuo ſatisfaceret, cum illis omnibus congrediendi, quos ſuo tempore, literarum eruditionumque Principes haberi cognoverat. *Gabr. Naud.* de *Cardan.*

Jul. Cæſaris Scaligeri Epiſtolæ, ut omnia, ſummo ingenio & judicio Scripta. Totus nervoſus eſt & rerum plenus, vehemens ipſi ingenium, audax, acre, judicium penetrans, nonnunquam etiam cavillatorium, ut ſolent viri etiam ſummi aliquâ in re labi. Adverſus *Cardanum* & *Eraſmum* virulentum ſcribendi genus inſtituit; nonnunquam in illos ſummè injuriis. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. pag. 288.

Hoc contradictionis ſtudium, quod ubique in hiſce *exercitationibus* ſe prodit, ſophiſtâ dignius eſt, quàm Philoſopho. Majorem etiam modeſtiam, dum falsè adeò tractat. *Cardanum*, meritò paſſim requiras; præſertim ſi cogites, ſcribere adverſus virum ſummum, ſtudiis quidem *humanitatis* & *Metaphyſices*, non paulò inferiorem: at non ſcientiâ *naturæ Matheſios* autem omnibus diſciplinis, in quibus parùm omninò *Scaliger* videbat, *albis* quod dicitur *equis* prævertentem. *Voſſ.* de idololat. l. 2. c. 80.

Cæſar Scaliger orationem illam adverſus *Eraſmum* doctiùs, quàm modeſtiùs, magiſque ad oſtentationem, & famæ aucupium, ex magnitudine Adverſarii quàm veritatis ſtudio ſcripſit. Sed hanc culpam *heros* ille poſtmodo pœnitudine ductus quodammodo eluit divino *Epigrammate*, quo *Eraſmum* uſque adeo extulit. *Voſſ.* inſtit. Orat. l. 4. c. 2. ſect. 4.

Latina *Julii Cæſaris Scaligeri Poëtica*, ſpiſſum ſane opus, & perſpicaciſſimi ingenii atque ingentis in viro eruditionis argumentum. *Poſſevin.* in Biblioth. ſelect.

Jul. Cæſar Scaliger eruditorum maximus, ſed nimium ſibi tribuens. Card. *Joan. Bona.*

Caſpar Barthius refert *Cæſarem Scaligerum* Operis Poëtices materiem ex *Italiâ*

Italiâ trans *Alpes* tuliſſe *Cœlio Rhodigino* debitam. *Gaſp. Barth.* ad *Claudian.* p. 972. 973.

Multum in *Exercitationibus* ſuis debet *Ioanni Leoni*; utcunque nomen *Scriptoris* ſemper ſuppreſſit *Voſſ.* de *Idololat.* l. 3. c. 59.

Mirum autem, non meminiſſe ejus (*Ioannis Leonis*) *Iul. Caſ. Scaligerum*, in opere *Subtilitatum* adverſus *Cardanum*, ubi tam multa invenias ex hoc Scriptore hauſta. *Idem* de Hiſt. Lat. p. 676.

Jul. Caſar Scaliger Lud. Præceptorem habuit. *Celium* R*hodiginum.* A quo non mirum, ſi artem quoque illam, fontes, unde quid hauſeris diſſimulandi, adeptus eſt---- Utut autem iſta ſe habeant, æquum eſt, ut ſummis in rem literariam meritis Viri, quô nec major Philoſophus ab *Ariſtotele*, nec major Poeta ab ætate *Virgilii*, nec major Medicus ab *Hippocrate* vixiſſe cenſetur, & hic & alii lapſus à nobis condonentur *Thomas* de Plagio.

Æqualis temporum illorum *Iulius Caſar Scaliger*, quem in *Italis* natum apud *Germanos* eductum, ſibi tandem *Gallia* vindicavit: homo diſciplinas penè omnes capaciſſimâ mente complexus, ὀψιμαθὴς licèt, ac in militaribus & campeſtribus ſtudiis toto juventutis decurſu exercitatus; ad id à naturâ factus, ut haberet noſtra ætas quo vetuſtati invidiam faceret. Is cùm artes propemodùm omnes ingenio fuerit pervagatus, tum eam, quæ circa Auctorum interpretationem verſatur, lucubrationibus quoque ſuis concelebravit. At liber à religione verborum, ſenſa ſpectavit ſolummodò, ut hunc ejus interpretandi modum *Iacobus Goupylus* in omnibus non probaret. *Huet.* de Clar. Interpret. Ital.

Inter omnes qui ardentiſſimo deſiderio moti ad nomen ſuum immortale reddendum, maximo affectu, ad Scientias addiſcendas animum appulerunt, memo jucundis bonarum Literarum ſtudiis magis inferbuit, nec harum amore majori captus fuit quàm *Iulius C ſar Scaliger* Eques Auratus; qui poſtea omnium hujus Seculi Doctrinâ inſignium eruditiſſimus evaſit, & cognomentum *Ariſtotelis* ætatis ſui promeruit. *Ghilini*, Theatro. Ital.

* Ejus de *Sapientia* & *Beatitudine* Libri octo prohibentur-----Ejuſdem verò Commentarii in *Theophraſtum* ſunt corrigendi: Ejuſdem Poemata corrigenda. *Index Madrit.* edit. An. 1667.

Opera ejus variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

FRANCISCUS VATABLUS.

NAtione *Gallus* Patriâ *Ambianenſis*, obiit Anno Dom. 1547. Quem *Hebræi* ipſi *Lutetiæ Hebraicas* literas profitentem admirati ſunt, *Chriſtiani* verò maximo cum fructu docentem audiverunt. Is *Græcæ* linguæ peritiſſimus multa ex *Ariſtotele* in *Latinam* tranſtulit: dein relicto Philoſophiæ ſtudio ad *Sacras Literas* ſe totum applicuit; multaque hujus generis ſub ejus nomine circumferuntur, ac *Notationes* imprimis in *Vetus Teſtamentum* ab Auditoribus ex illius prælegentis ore exceptæ. Nam ipſe ſive naturali pigritiâ (quod illi expro- Clar. A. D. MDXXXV.

bratum eſt) ſive morte præventus, nihil omnino ſcripſit: ſatiſque habuit *ſacræ linguæ* Arcana Diſcipulis diligentioribus aperire, illuſtri nominis ſui famâ & alieno præconio contentus. *Thuan.* ad ann. 1547.

Ex *Latinis Franciſcus Vatablus* lector *Regius*, linguam *Hebræam* tam diligenter, docet, ut nil poſſis meritò requirere. *Gul. Poſtel.* in Alphabet. 12. linguarum.

Non vulgaris judicii homo *Fr. Vatablus*, lector *Regius*, quo Præceptore *literarum Heb.* ſum uſus, in quo admireris tam raram tamque exactam omnium diſciplinarum atque trium linguarum peritiam, ut meritò addubites quam puer primum didicerit. *Gul. Poſtell.* in libell. de Affinitat. ling.

Vatablus inſignis doctrinæ vir, & in Veteribus *Hebræorum* monumentis perquirendis diligentiſſimus; cujus felicem & ſanctam recordationem nulla temporis vetuſtas ex hujuſce linguæ candidatorum animis obliterabit. *Ioan. Mercer.* lectori, in Tractat. R. *Iudæ* Hiſpan. de Accentibus.

Franciſcus Vatablus doctiſſimè & elegantiſſimè, ut ferè ſolet, ita annotat, &c. *Fauſt. Socin.* in Tractat. de *Servat.*

Hoc loco non poſſum ſatis mirari *Fr. Vatablum*, hominem *Hebraicè* doctiſſimum, & acerrimo judicio præditum. *Idem* ibid.

Vatablus Sacris ex *Bibliis Hebraicâ* fide longè caſtiùs quàm anteà *Latinè* converſis, nomen æternitati conſecravit ſuum. *Scævol. Samarthan.* in elog.

Vatablus ſeu potius Notæ ſub ejus nomine vulgatæ tertium in hac Criticarum Synopſi locum occupant. Admodum literales atque criticæ ſunt hujuſmodi Notæ, & Author incumbit iis præſertim difficultatibus explanandis quæ Textum intricatum reddere poſſunt. Rabbinorum interpretationem plerumque ſequitur, præcipuè verò R. *Davidis Kimchi*, Ejus Notæ vocari poſſunt perpetuæ in totum Textum Notæ, quia pauca ſunt in illo quæ non explicet, admodum perſpicuè ac ſine digreſſionibus. Imò etiam rebus haud ita difficilibus immoratur, ut Lectoribus quibuſvis prodeſſe valeat. Denique in pretio *habentur* Notæ illæ in Scripturam, quas *Robertus Stephanus* ſub *Vatabli* nomine excudendas curavit, ſive *Vatabli* reverà ſint, ſive variis ex Authoribus excerptæ fuerint, quod veroſimilius videtur. Horum tamen nomina ſuppreſſit, præſertim verò Calvini, ex quo quædam etiam Notis ſuis inſeruit. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. Veteris Teſtam. l. 3. c. 15. Gallicè.

Robertus Stephanus ſumma cura collectis Notis quas *Vatablus* in Scripturam Lectionibus ſuis publicis tradiderat, illas evulgat anno 1545. Non citiùs in publicum prodierunt hujuſmodi Notæ quin *Sorbonæ Theologi* eaſdem tanquam *Hæreticas* infamaverint, omneſque conatus adhibuerint ad Bibliorum *Roberti Stephani* venditionem impediendam. Sed eruditus ille *Typotheta* Notas illas doctiſſimè propugnavit, & doctrinam illis contentam ſanam & orthodoxam eſſe demonſtravit. *Anton. Teiſſier.* Elogiis Eruditor. Viror. Gallicè.

In eo culpandus *Iohannes Ruellius*, quòd obſcurioribus quandoque locis vel perplexis aſcititiam commodet lucem, hoc autem *explanatoris* non *Interpretis*

Digitized by Google

Interpretis eſſe demonſtravimus. Idem peccat aliquando, rariùs licèt, *Franciſcus Vatablus*, diligens cæteroquin *Interpres*, & præ veritatis ſtudio, elegantiæ & caſtæ *locutionis* negligens, nonnunquam & ſubobſcurus. *Huet.* de Clar. Interpret.

Vatablus, Magnus in *Hebraïs*, nec alius *Chriſtianus* in iis eo doctior. *Scaligerana* prima.

At Te, *Vatable*, quem *Hebræa* docentem *Hebræi* quidem ſunt ipſi admirati, Chriſtiani verò plurimi maximo cum fructu audierunt, quo tandem loco habebimus qui quod aliis ſacras literas interpretando impertiebas, uſque adeò neglexeris, ut etiam ejuraris? Age tamen ſumma eruditio, diligentiaque tua, locum tibi quoque in hujus ſacrarii veſtibulo compararint, quamvis quò alios introduxiſti, nunquam ipſe videri poſſis ingreſſus. *Beza* in Icon.

Franciſcus Vatablus, vir ut ſummæ eruditionis, ſic acerrimi judicii. *Petr. Picherel.* in opuſc. Theolog. p. 271.

Vatablus Catholicus fuit, ſed ejus ſcripta ab Hæreticis excuſa & depravata ſunt. Alioqui vir ipſe fuit egregiè doctus tam in *Hebraïs* quàm in *Græcis*. Acutè literam breviterque perſequitur, ſed ſæpè à noſtro interprete diverſus eſt: Habet enim ipſe propriam verſionem vel potiùs verſionem *Tigurinam Leonis Hebræi. Cornel.* à *Lapide* Prolegom. in Epiſtolas *Pauli*.

Ipſe *Vatablus*, quanquam in celeberrimo gymnaſio plenis ſubſeliis ſuperbus, ſuam vel *Hebraicâ* duritie non planè faceti oris effigiem denegavit. *Paul. Iov.* in Elog.

Quidam autumaverunt *Rodolphum Gualterum* Authorem eſſe Verſionis Bibliorum quæ *Vatablo* aſcribitur. Alii dicunt *Bertinum* qui in *Hebraicæ* linguæ Profeſſoris Regii munere illi ſucceſſit, ſibi laborem ſumſiſſe eas ſcripto conſignandi, prout è *Vatablo* in Auditorio ſuo pronunciabantur, eaſque non evulgaſſe, niſi poſtquam eaſdem cum ipſo communicaſſet. Utut res ſit, hæ Notæ in ſummo habentur pretio apud eruditi palati viros, quia pauci ſunt in textu loci quos admodum methodicè non elucident. Anton. *Teiſſier*. Gall.

Leodegarius à *Quercu* ad *Joh. Fournium* de *Vatabli* morte hæc carmina ſcripſit:

Dum florem Proceres linguæ modò morte peremptos,
Fleviſſem Vatablum *ſi modò flere ſatis.*
Nam jactura fuit gravior caruiſſe Vatablo,
Quam doctis quos me flere dolenter ais.
Sed quoties volui flendo deſcribere luctum,
Tum Vatabli *nimius me dolor impediit,*
Sic etenim dolui, ſic fletibus ora rigavi,
Ut minimum abfuerit quin fierem Niobe,
Quapropter feci quod Nobilis ille Thimantes.
Velavi luctum, pingere quem nequii.

GASPAR CONTARENUS.

Clar. A. D. MDXXXV.

VIR Patricii Ordinis, inſigni memoriâ, illuſtrique doctrinâ mirabilis, Reipublicæ *Venetæ* gravis ac prudens Senator, Philoſophus ac Theologus eximius, maximarum legationum perfunctus muneribus, à *Paulo* III. in Senatum Eccleſiæ *Romanæ* lectus, purpuraque 1536. ornatus fuit. Ab eodem ad comitia Imperii *Ratiſponenſia* in *Germaniam* miſſus, ob virtutem ac doctrinam omnibus admirationi fuit. Laudantur ejus libri *de elementis animorumque immortalitate*, adversùs *Pomponatium*, quem præceptorem habuerat; item de *ratione anni*; de *republicâ Venetorum*; de *ſeptem Eccleſiæ Sacramentis*; de *optimi Antiſtitis Officio*; *Scholia in Epiſtolas D. Pauli*; *Catechiſmus*; *Conciliorum magis illuſtrium ſumma*; *Confutatio Articulorum Lutheri*; de *Poteſtate Pontificis*; de *Prædeſtinatione*; de *Iuſtificatione*; de *libero Arbitrio*, aliaque egregiè ſcripta volumina. Legatus, demum *Bononiæ* creatus haud multò poſt ardenti febre correptus, nondum ſexagenarius 1542. vitâ deceſſit; in *Bononienſi* æde D. *Petronii* ſepultus, *Aub. Miræus.*

Gaſpar Contarenus, Patritii Ordinis *Venetus*, ab inſigni memoriâ, illuſtrique doctrinâ, & corporis ac ingenii caſtitate mirabilis, ad Rempublicam ita acceſſit, ut gravitate judicii, conſummatæ prudentiæ Senatoribus æquaretur: atque inde maturata maximarum legationum munera capeſſeret, non ætatis quidem, ſed unâ virtutis prærogativâ commendatus. Juvenis enim, tanquam perfectus *Peripateticus Ariſtotelem* à calumniâ defenderat, quanquam modeſtiæ causâ ſuppreſſo nomine adverſus *Pomponatium* præceptorem, quum ille, ſi non inſano, impio tamen conatu *Animas* noſtras interire cum corpore, ex *Ariſtotelis* ſententiâ perſuadere libro edito contendiſſet. Appulit exinde ingenium ad ſacras literas adeò diligenter, ut ad normam *Chriſtianæ* diſciplinæ librum de *Optimi Antiſtitis Officio* publicaret. In ipſo autem Civilium honorum curſu, honeſtum, decorumque ſibi, & patriæ de *Republicâ Venetorum* volumen edidit. *Paul. Iov.* in Elog.

Memoriâ teneo me *Romam* illis temporibus veniſſe: tantus erat omnium, qui in eâ urbe tunc aderant, de *Contarini* doctrinâ, prudentiâ, continentiâ, pietate, conſenſus, tantaque admiratio, ut non amarent modò eum, qui tunc erant Civitatis principes, ſed etiam venerarentur & colerent. *Ioan. Caſa* in Vita ejus vid. *Bateſii* vitas, p.163.

Gaſpar Contarenus, Nobilis *Venetus*, opibus, prudentiâ literaturâ denique ornatiſſimus. Exemplar ejus de inclyta *Republicâ Venetâ* eſt abſolutum, ex quo ceu *Polycleti* canone quilibet ad ſuæ Reipublicæ commodum aliquid excerpere poteſt. *Herman. Conring.*

Gaſpar Contarenus, Philoſophus ingens, *Græcè* & *Latinè* doctus admodum, Inter illa Opera, quæ in folio edita, eminet ſcriptum de *Republicâ Venetâ*, quo oſtendit, ſc, *Reip.* patriæ non tantùm gnarum eſſe, ſed etiam Philoſophiæ Politicæ admodum peritum & doctum. *Idem.*

Conta-

Digitized by Google

Contarenus erat *Patricius* & *Senator Venetus*, magni nominis propter doctrinam, & præter omnem expectationem dicitur, cùm nihil ambiviſſet, ad hunc fuiſſe gradum erectus. *Iohan. Sleidan.* Comment. l. 2.

Quem virum [*Gaſparem Contarenum*] ingenio; doctrinâ clariſſimum à primis adoleſcentiæ annis aſſiduè colueram. *Joann. Pier. Valerian.* De Literator. Infelicitat.

Is legatione ſuâ non bonam gratiam iniit apud *Pontificem* atque *Collegium Purpuratorum*, quaſi non ſatis acriter ſeſe *Lutheranis* oppoſuiſſet, & quaſi Rempublicam *Romanam* propè in diſcrimen adduxiſſet. Cum abſentem plerique graviter incuſarent, ab uno *Fregoſo Cardinali* fuit defenſus. Mortuus eſt anno 1542. ſub exitum *Auguſti* non ſine veneni ſuſpicione, cùm paulò ante *Fregoſus* quoque mortem obiiſſet. Qui familiariter illum noverunt, de *Iuſtificatione Hominis* rectè ſenſiſſe dicunt. Fuit vir cumprimis doctus, & extat ejus, de Magiſtratibus atque Republicâ *Venetorum* liber. *Sleid.* l. 14.

Extant Opera ejus Omnia *Venetiis* impreſſa, 1589. Fol.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Marc. Ant. Flaminio*:

Contarene *tuo docuiſti Magne libello,*
Extinctis animas vivere corporibus,
Ergo jure tui vivunt monumenta libelli,
Et vivent ſæclis innumerabilibus.

Paul. Iov. in Elog.

FERDINANDUS NONIUS PINTIANUS.

ILluſtri *Guſmannorum* gente oriundus, *Pintia Vaccaorum*, quæ vulgò *Valliſoletum* natus patre nobiliſſ. Præfecto ærarii *Ferdinandi Hiſpan.* Regis. obiit anno *Dom.* 1552. ætatis 80. Clar. A. D. MDXXXV.

Magnum *Hiſpaniæ* lumen *Ferdinandus Nonius Pinciâ Vaccaorum* oppido natus, atque inde nomen vulgò ſortitus: qui cùm ſub *Ælio Antonio Nebriſſenſi* in patriâ, in *Italiâ Bononiæ* ſub *Philippo Beroaldo* literis humanioribus operam dediſſet, & *Græcam* linguam, ad quam eo ſæculo ferè incognitam incredibili ſtudio ferebatur, in *Italiâ* didiciſſet, inde comparatis magno pretio *Exemplaribus Græcis*, domum reverſus, primus linguæ illius (quâ omnis ferè eruditio continetur) uſum in *Hiſpaniam* intulit, & *Ferdinandi Regis* favore ſubnixus, cùm ad honores virtutis viâ graſſari poſſet, ſtudia literarum vitæ civili prætulit; & *Franciſco Ximenio* Cardinali (cujus pietati & animi magnitudini tantum *Hiſpania* debet) operam ſuam & induſtriam in procudendâ illâ ad omne ævum duraturâ *Bibliorũ* editione addixit. *Salmanticæ* literas *Græcas* & *Latinas* profitendo conſenuit, editis *Hermolai Barbari* æmulatione in *Plinium*, *Melam* & *Senecam* populares ſuos, *Commentariis*. Quoad mores, vir pius ac verax, ſed dicax,

& aliorum

Digitized by Google

& aliorum acerrimus *Cenſor*. *Thuan*. ad An. 1552.

Pincianus, vir egregius & doctrinâ minimè ventoſâ. *Lipſ.* l. 1. Elect. c. 16.

Pincianus, vir fidei & judicii bonus. *Idem* Not. ad lib. de *Cruce*, c. 6.

Pincianus, ſelectus mihi *cenſor*, & verbis modicus, re judicioque ingens. *Idem* Comment. in lib. 1. Annal. *Tacit*. Num. 77.

Cui *Seneca* æternùm debebit. *Lipſ.* l. 3. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 9.

Ferdinandus Pincianus, vir, ut verbo dicam, *germana Criticæ exemplar*: cui maximam partem ſanum *Senecam*, meo qui quidem ſuffragio, tranſcribas. Bonis in *Hiſpania* libris & benè eſt uſus: non præceps, non præpes, acutus tamen, & ſagacitate & modeſtiâ pari. Sed ille in ſolo textu emendando fuit: ſenſa non attigit, neque aliter illuſtravit. *Lipſ.* Introduct. Lect. ad *Senecam*.

Fatum hoc eſſe cenſeo *Criticorum*, ut labor eorum fructûs majoris in publicum ſit, quàm famæ. Vide veteres, vide noſtros, paucos reperies quorum nomen aut latè fuſum, aut diu perennârit. Vel in *Ferdinando Pintiano* hodiè quàm indignior? Qui reverâ vir eximius, vix tamen è vulgi tenebris ſe exemit & paucis doctis in occulto laudatus, jacet etiam nunc ignoraturque inter ſuos. At ſi acuminis & judicii aliqua laus eſt, huic eam rectè tribues. Si fidei modeſtiæ, magis. Non alium ego vidi, qui minus adfectatè hoc egerit; & qui *Criticam* iſtam magis puriter coluerit, ſine ambitione, ſine fuco. *Plinius*, *Seneca*, *Mela* teſtes; ſed primus ille inprimis, per cujus ſexcentas ſalebras & æſtuantia vada pervaſit felici quodam ingenii & judicii vento. Quamquam abrupta quædam in eo etiam nunc non nego, quid miremur? aut quis *Æſculapius* ipſe, ſanandis tot plagis unus fuerit? *Lipſ.* l. 2. Elect. c. 8.

Pintiani Obſervationes in *Melam* ac *Plinium*, opus verâ eruditione refertum. *Geſner*. in Biblioth.

Ex iis qui Caſtigationes in hunc edidere Autorem [*Melam*] ſolus nobis profuit *Pintianus*, Vir iſte quantumvis nobili apud ſuos ortus loco, plus tamen literis, quàm natalibus debet *Iſaac. Voſſ.* præfat. Obſervat. ad *Melam*.

Miri acuminis homo *Ferdinandus Pintianus Barth*. in Adverſar. 1604.

Cœlebs & abſtemius ſemper vixit; frigida, jugis potio. Naturâ in omnes dicaciſſimus, vitiorumque cenſor acerrimus; ſummæ tamen fidei: nemo enim vanum deprehendit aut largè promittentem, & poſt tergiverſantem--Objectantibus quibuſdam nobilibus, quod in familiæ tam illuſtris decora peccaret, qui in piſtrinum literarium ſe abdidiſſet: ſuas ſibi res habere juſſit, & fumoſis imaginibus valere: ſe immortalia animo præcipere, & cum *Dionyſio Syracuſarum* tyranno inter diſcipulos tanquam in regno verſari videri---Equidem riſi, cum in *Hieronymum Romanum Hiſpanum* Hiſtoricum nuper incidiſſem, qui Reip. Gentilium lib. 9. cap. 11. affirmat, *Hermaphroditum* ſeu *Androgynum* fuiſſe *Pintianum*; verùm deceptus Monachus eſt, cum juveniles illius in *Io. Menam* poetam *Cordubenſem* commentarios, aliud agens legiſſet. Hic enim de *Luna* orbe carmine 76. agens. *Auſonii* illud Epigramma attulit in medium:

Nolo tamen veteris documenta arceſſere famæ,
Ecce ego ſum factus fœmina de puero.

Conver-

Digitized by Google

Converterat *Hiſpanus Pintianus*: credidit oſcitans lector ille de ſe loqui *Scholiaſten*. Sed quid mirum cùm hujuſmodi ineptiis referta ſint illa chronica, cenſoriâ notatione digna. *Ant. Schott.* in Biblioth. Hiſpan.

Bibliothecam ſuam, quàm inſtructiſſimam habebat, Academiæ *Salmanticenſi* legavit. Quatuor hæc, nec plura verba tumulo adſcribenda curavit: *Maximum Vitæ bonum Mors.*

Hoc ejus Epitaphium, auctore *Andrea Schotto.*

Barbarus Euganeis illuxit lucifer oris,
Barbariem pepulit, Phoſphorus ut tenebras:
Pintia *dives opum merito ſe jactat alumno,*
Attica Muſa *etenim, lumen & Heſperiæ.*
Hic Ferdinande *jaces, totus quem vix capit orbis,*
Salve ergo atque vale: quid mirum: Valliſoletum
Spirant ſuave roſæ, molliter oſſa cubent.
Produxit florem bene olentem, ac inter acanthos
Sternuus? omen adeſt: nares perſtinguit uti flos.

Extant Obſervationes in loca obſcura aut depravata Hiſtoriæ naturalis *Plinii,* cum retractationibus locorum quorundam Geographiæ *Melæ Salmanticæ* apud *Ioan. Giuntam*, 1544. Fol.

NICOLAUS COPERNICUS.

TOrunum in *Boruſſia* patriam nactus, anno 1473. in Mathematicis ſtudiis adeo excelluit, ut in ſuo genere quo nimirum *Ariſtarchi* Paradoxa ſecutus fuit, facilè princeps habendus ſit. *Ariſtarchi* enim *Samii* iſtius Paradoxa amplexus. Terram mobilem, Solem in medio univerſi immobilem non tam re & veritate, quàm ſpecie quadam, & ut ſuam doctrinam ſalvaret, ſolertiſſimus conſtituit. Præter ſtudium Mathematices fuit vir inſigni pietate, virtute ſpectata, & morum humanitate ſummâ præditus. Is dum annum jam ſeptuageſimum ageret, tandem ſatur vitæ laborumque ex hac mundi inſtabilitate, ad immotam illam cœleſtemque æternæ lucis contemplationem volens conceſſit anno 1543. Scripſit Revolutionum libros, quibus terram moveri aſſeritur. Fecit & Canonem triangulorum cum tabulâ, &c. *Boiſſard.* in Icon. Clar. An. D. MDXXXVI.

Anno Chriſti 1536. ac deinceps magnam ſui admirationem concivit *Nicolaus Copernicus Torunienſis Boruſſus*, Canonicus *Varmienſis*; cujus habemus de *Revolutionibus* orbium Cœleſtium libros ſex. Iis docet, quaſdam *Ptolemaicas* Hypotheſes eſſe abſurdas, & *axiomatis Mathematicis* adverſas. Item computationem *Alphonſinam* motibus cœleſtibus non reſpondere. *Hypotheſes* igitur aliter conſtituit: ſed ſic, ut multa repugnent dogmatibus *Ariſtotelicis* per tot ſecula receptis. Quale eſt, quòd ſtatuit Solem in centro univerſi quieſcere: terræ, &

Digitized by Google

& aquæ globum, cum vicino aëre, circa ſolem motu triplici moveri: octavam ſphæram conſiſtere immotam. *Voſſ.* de Mathem. p.187.

Multis modis verò differunt ſphæra *Ptolemaida*, & *Copernicana*, in *Ptolemaica* Sphærâ Orbis ſtellarum fixarum diurno motu circa terram quieſcentem circumvolvitur ſpatio horarum 24. In illâ *Nicolai Copernici* contra quieſcente, ſtelliſque fixis, terræ globus ab Occidente in Orientem periodum abſolvit. In priori Sol, terrâ immotâ, annuo ſpatio permeat *Zodiacum*. In poſteriori terra movetur per Eclipticam, Sole immoto. Denique in *Ptolemaica*, Luna menſtruo ſpatio tranſit *Zodiacum*. In *Copernicana* autem, Luna circumfertur Terræ propriamque abſolvit periodum. Nec tamen *Copernici* opinionem prorſus eſſe novam putandum, cùm illam *Philolai*, & alteram *Heraclidis Pontici*, & *Ecphanti*, compoſuerit ex illis duabus fecerit propriam. *Voſſ.* Mathem.187.188.

Nicolaus Copernicus, vir abſolutæ ſubtilitatis, non ſolum obſervator fuit, ſed etiam *Hypotheſeos Pythagoricæ* antiquæ inſtaurator. Per eum enim ex humanis cogitationibus exemptæ ſunt *Ptolemaicarum Hypotheſeon* tricæ, & circulorum multiplicium involutiones, & ad *Phyſicam* ſimplicitatem revocatæ ſunt hominum mentes. *Iſmael Buliald.* in Prolegom. *Aſtronom. Philolaicæ.*

Hæc *Copernicana Hypotheſis* anſam præbuit *Gulielmo Gilberto*, *Anglo*, cudendæ atque invehendæ Philoſophiæ *Magneticæ*, quatenus *Terram* magnum *Magnetem* & *Magnetem Terrellam*, ſeu parvam *Terram* habuit, ac à diurna *Terræ* circa ſuum axem verticitate pendere eam, quæ eſt in *Magnete*, magneticiſque corporibus ſtatuit. *Petr. Gaſſend.* in Vit. *Copern.* p.331.

Copernicus vir [ſive ingenium ſpectemus, ſive felicitatem] planè inter ſummos mortalium (quantum ego judico) numerandus. *Seth. Ward.* Præfat. ad Aſtronom.

Ingens ille *Copernicus* Aſtronomorum decus, & ſuccinctis, & latinitati terſiori congruis, in ſuo illo pluſquam *Atlantico Revolutionum* cœleſtium *Opere*, uſus eſt verbis *Tych. Brahe.* Præfat. ad Epiſt. Aſtronom.

Gratias ingentes habemus *Copernico*, qui conſtitutione *Anni Siderei* magnam *Chronologiæ* lucem intulit. *Alſted.* Encycloped. l.17. part.3. cap.6.

Copernicus diligentiſſimus motuum Cœleſtium obſervator. *Thuan.* l.76.

Conſtat ſimiliter ſententiam *Copernici* de *Ratione Terræ*, (quæ nunc quoque invaluit) quia *Phænomenis* non repugnat, ab *Aſtronomicis Principiis* non poſſe revinci; à *Naturalis* tamen *Philoſophiæ Principiis*, rectè poſitis, poſſe. *Franc. Bacon.* de augment. Scient. l.4.c.1.

Ætate noſtra *Copernicus* Aſtrologus non *Antiquis* ſolùm comparandus, ſed in *Aſtrologiâ* propè ſingularis, totâ antiquitate *Hypotheſium* rejectâ, *Hypotheſes* non illas quidem novas, ſed tamen admirabiles revocavit, quæ *Aſtrologiam* non ex *Aſtrorum*, ſed ex *Terræ motu* demonſtrarent--- Atque utinam *Copernicus* in ipſam *Aſtrologiæ* abſque *Hypotheſibus* conſtituendæ cogitationem potiùs incubuiſſet! Longè enim facilius ei fuiſſet *Aſtrologiam* Aſtrorum ſuorum veritati reſpondentem deſcribere, quàm *gigantei* cujuſdam laboris inſtar, *Terram* movere, ut ad Terræ motum quietas *Stellas* ſpecularemur. *Petr. Ramus.*

Nicolai

Digitized by Google

Nicolai Copernici nobiliſſimi Mathematici libros *Cœleſtium Revolutionum*, totius *Aſtronomiæ*, rerumque pulcherrimarum ſcitu digniſſimarum locupletem eſſe Theſaurum meritò agnoſcimus. *Hypotheſin* verò illam, quam & ipſe ſeriò confirmat, & Diſcipuli ejus pertinaciter tuentur, *Solis* videlicet in *Univerſi* medio quietem, & *Terreni Globi* motum *circularem* non ſolùm à communi hominum ſenſu abhorrere, ſed (quòd multò maximum eſt) *Scripturis Sanctis* acerrimè repugnare certò ſcimus. His ſi quando premantur, illud unicum & effugium, *Scripturas* ex vulgari quadam hominum opinione loqui. *Nic. Fuller.* Miſcell.Sacr.p.94.

Quis non judicaverit, *Nicolaum Copernicum* ingenii dote ſingulari, & fœlici Naturæ diſpoſitione, inter ſæculi ſui perſpicaciſſimos Mathematicos, excelluiſſe? Ille qui *Torunenſi* civitate in Boruſſia oriundus, ſub gelido Climate & apud ruſticam & ſtupidam Gentem exquiſita educatione carebat: Ille inquam, qui eo tempore quo hæc Diſciplina hominibus propemodum incognita jacebat, nullum habuit quo excitaretur exemplum, nec rivalem ullum quem æmularetur. Hujuſmodi defectus, qui veluti compedes Virum animi minùs ardentis cohibuiſſent, ipſum remorati non valuerunt: Contra verò in *Italiam* profectus, ut ibi quæreret quæ in Patria non reperiebat, *Bononiæ Mathematicas* Diſciplinas addidicit, eaſdemque *Romæ* docuit; ubi nullus Vir hujus Artis cupidus fuit qui ipſum, ut viæ Ducem & facem non agnoſceret. Verum eſt tamen quòd omnes Docti veſtigiis ejus æquè non inſtiterint: Cùm enim Opinionibus Ariſtarchi profundè ſeſe implicuiſſet; imò & eaſdem docere ſuſcepiſſet, affirmando *Solem* fixum ſtare in univerſi orbis meditullio *Terramque* ei circumvolvi, ejus Syſtema ſtupefecit aliqua ingenia, quæ maximæ Philoſophorum partis Sententiæ cùm adhærerent, hanc novitatem admittere non potuerunt, & contrariam ſententiam tenuerunt. Horum improbatio *Copernici* opinionem non mutavit: Ex quo primum hanc propoſuiſſet eandem non minori vigore quàm pertinacia propugnavit, ac uſque adeò plauſibilem reddidit, ut etiamnum Univerſam Mathematicorum Scholam in partes adverſas dividat & perturbet. Eruditus, ille Vir *Warmiæ*, Canonicus erat; inſolitæ huic eruditioni *Græcæ* linguæ perfectam peritiam addidit, morumque innocentiam quæ omnibus exemplo præire poterat. *Iſaac. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

Extant de Revolutionibus Orbium Cœleſtium libri ſex, cum Notis *Nic. Mulerii Amſtelod.* 1617.

ELIAS LEVITA ASCENAZ.

COgnomento Grammaticus, natus eſt in nova Civitate *Eyſch* haud procul à *Norimberga*. Mortuus eſt anno 1547. cùm paulò antè admonitu *Pii* V. *Pontificis Romani Chriſto* nomen dediſſet, adductis ſecum aliis 30. *Iudæis* ad ſuſcipiendum baptiſmum. Quod omne tamen *Iudæi* pernegant. *Alſted.* in Chronolog. Clar. An. D. MDXL.

Digitized by Google

Omnia ejus *Hebraica Scripta*, quæ *Sebaſtianus Munſterus Latina* fecit, ſunt Grammatica *Hebræa*---*Hebraica* Inſtitutiones---Vocabula *Hebraica* Irregularia---Compoſita Verborum & nominum *Hebraicorum*---*Hebraicum* Dictionarium Vocum rariorum & peregrinarum, quod inſcripſit *Thisbites* --- Accentuum Hebraicorum Liber---Liber Traditionum --Commentarium in Grammaticam Rabbi *Moſche Kimchi*. Scripſit etiam Lexicon *Chaldaicum*.

Venetiis aliquandiu vixit *Elias Levita*, *Iudæus* doctiſſimus, & in Linguâ *Hebraica* facundiſſimus, cujus extant in Linguâ *Hebræa* & *Chaldæa* multa utilia *Scripta* à *Munſtero & Fagio* in Linguam *Latinam* converſa & expoſita. Ejus viri ſtudio & laboribus multum debent omnes Sanctæ Linguæ candidati, quòd in illâ linguâ præſertim ad *Grammaticam* pertinentia ipſe primus non ita nota ſuperiori tempore, à ſe multa lectione eruta communicârit & monſtrârit *Neander*. part.1.Geograph.

Doctiſſimus *Iudæus Elias Levita*, Germanus, (cui gratiam non mediocrem debent *Chriſtiani*, propter ſincerum in Linguæ Sanctæ cognitione ipſos adjuvandi ſtudium] in *Lexico* ſuo *Rabbinico*, quod *Thisbitem* inſcripſit. *Nic. Fuller*. l. 2. Miſcell. c.3.

Incomparabilis Vir *Elias Levita* in aureolo ſuo libello quem inſcripſit *Maſſoreth ham Maſſoreth*, *Traditionem Traditionis*, hoc eſt, traditionem vel doctrinam excellentiſſimam, cognoſcendi ſcilicet infinita *Sacræ Scripturæ* Myſteria abſtruſa: quem libellum, annos ante paucos *Latinè* redditum à clariſſimo & amiciſſimo *Buxtorfio* noſtro ſtudioſis linguarum percommendatum eſſe velim. *Waſer*. de Antiq. Menſur.

Anno 1517. *Elias Levita*, *Iudæus*, Grammaticorum *Hebræorum* ſummus & facillimus, ſuæ linguæ diſcendæ, *Chriſtianis Romæ*, *Venetiis* & alibi in *Italia*, in quam è *Germania* venerat: copiam facit: ob quam rem magnas à reliquis *Iudæis* calumnias & odia ſuſtinuit. *Genebrard*. l. 4. Chronolog.

Elias Levita, unicus hujus ævi criticus, & Ariſtarchus *Hebraiſmi*. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 62.

Elias Levita, *Iudæus*, in *Germania* natus, *Hebraicæ* Linguæ Grammaticus doctiſſimus. *Geſner*. in Biblioth.

Elias Levita, eruditus ac diligens Grammaticus. *Nic. Fuller*. l. 3. c. 10. Miſcell. Sacr.

Elias Levita Judæus Germanus qui ferè totam in Italia vitam egit, eſt dubio procul *Iudæorum* Doctiſſimus Criticus, quos omnes in arte Grammatica ſuperavit. Præter Notas quas in Libros *Moſis* & *Davidis Kimchi* elaboravit, plura compoſuit Opera Grammatica, quæ Latino idiomate donata fuerunt: Ejuſque in hanc Artem Reflexiones utiliſſimæ ſunt ad *Hebraicæ* Linguæ intimam notitiam comparandam. *Munſterus Fagius* aliique Chriſtiani quidam ipſi contemporanei magnam è doctis Rabbini hujus lectionibus utilitatem perceperunt qui Judæis odioſus factus eſt ob nimium commercium cum Chriſtianis, quos *Hebræum* docebat idioma. Romæ Cardinales & hujus urbis primores Diſcipulos habuit. Munſterus qui aliquot ejus Opera tranſtulit, profitetur, antequam

Elia

Eliæ libros legiſſet, ſe *Magiſtri* nomen aſſumpſiſſe, quamvis nedum Diſcipuli nomine dignus eſſet. Afferri poteſt virum hunc unicum iis ingenii viribus polluiſſe quibus ſe præjudiciis abripi non pateretur, nec Doctorum ſuorum authoritati ſimpliciter crederet. Res in ſeipſis examinavit, & minimè ſectans Iudæorum cæterorum anticipatas opiniones, de variis *Hebraici* Textus lectionibus, de punctis & de accentibus liberè admodum locutus eſt. Legi debet inprimis Tractatus excellens cui titulus *Maſſoreth Hammaſſoreth*, in quo ut Doctus Criticus *Maſſora* nodos ſolvit. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib.1. c.31.Gall.

Extat ejus Lexicon *Chaldaicum* editum à *Paulo Fagio Iſnæ* anno 1541. in fol.

PETRUS MARTYR VERMILIUS.

NAtus eſt *Florentiæ* Anno 1500. Obiit *Tiguri* Anno 1562. prid. Id. Novembr. Sacras literas magna cum laude docuit *Argentorati*, & *Oxonii* in *Anglia*. *Scripſit* plurima, è quibus liber ille adverſus *Stephani Gardineri* librum, magnam, ſibi comparavit famam: Opus longè accuratiſſimum, in quo quicquid de *Eucharistia*, in *Sacris Literis*, *Patrum Conciliorumque* monumentis proditum ſit, accuratè & copioſè tractatur. *Geſner.* in Biblioth. Clar. An. D. MDXL.

Ab ipſa penè pueritia bonarum literarum ac inprimis Religionis ſtudio inflammatus, primùm ſe S. *Auguſtini* Canonicorum ordini addixit in *Fæſulano* Cœnobio; Poſteà *Patavii* totius Philoſophiæ & Linguæ *Græcæ*, mox *Bononiæ* etiam *Hebrææ* Linguæ exactam adeptus fuit notitiam: adeo ut Sacris Concionibus habendis omnium illius ordinis per totam *Italiam* princeps habitus fuerit. *Boiſſard.* in Icon.

In dicendo verbis utebatur puris, propriis, Latinis, compoſitione præterea tali, quæ neque contractione Orationis aut verborum ambiguitate obſcuritatem pareret, vel rurſus orationis longitudine ſententiam ſuſpenderet, & intellectum ac memoriam auditoris turbaret. Itaque non modò rerum ipſarum pondere, verùm orationis quoque ſuavitate & elegantiâ Auditores demulcebat. *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Petrus Martyr, natione *Italus*, *Italiam* ob *Evangelii* Profeſſionem relinquere coactus, multùm valet eloquentiâ, in tribus Linguis eruditionis eſt clariſſimæ. *Geſner.*

Petrus Martyr, vir illuſtris, nec ſine ſummi honoris præfatione nominandus *Ioan. Iuell.* in Defenſ. Apolog. Eccleſ. Angl.

Petrus Martyr, ingenio & eruditione inter ſuos præſtans, variâ fortunâ ac diverſis peregrinationibus tota vitâ jactatus. *Thuan.*

Petrus Martyr feliciter initiatus, benè fundatus in Philoſophiâ, Hiſtoriâ, Linguis, excellens Theologus, & ſtyli puri, ac quàm *Theologum* deceat, melioris. *Scaligerana* prima, p.107.

Petrus Martyr Florentinus qui in *Angliam* initio Reformationis ſub Edvvardo VI.

Digitized by Google

do VI. accitus eſt, quique poſtea in Tigurinenſibus Scholis Scripturam Sacram docuit, multos etiam Commentarios in Hiſtoricos Bibliorum libros contexuit, qui valdè utiles eſſe nequeunt ad ſenſus literalis intelligentiam, quia Locis communibus pleni ſunt & Quæſtionibus quas occaſione verborum Textûs ſui movet. Veroſimile eſt, quia diſertus erat hanc Methodum eum eſſe ſecutum ut ſuam facundiam eo uberius propalaret imò & eruditionem ſuam; cùm contra ſi Textui preſſiùs adhæſiſſet eadem tam prolixè loquendi libertate potitus non fuiſſet, nec diſſolvendi tot curioſas Quæſtiones à ſe in ſuis Commentariis motas, quibus etiam invectivas quandoque addit. Sic, verbi gratia, ſtatim ab initio Commentarii ſui in librum *Iudicum*, occaſione *Adoni-Bezeci* qui pedes & manus [pedum manuumque pollices, dicit Textus ſacer] 70. Regibus viciniæ ſuæ abſcidit, poſtquam obſervavit illo tempore ſingulas urbes ſingulos Reges habuiſſe, prolixè digreditur in hodiernorum Regum ambitionem, quorum unica eſt ſollicitudo Subditorum numerum ampliare, *Tanta hodie*, inquit, *Monarchæ flagrant ambitione, ut non quot poſſint regere provideant; ſed id unicè ſpectent, ut quamplurimos regant.* Deinceps verò eandem reflexionem Epiſcopis applicat qui cupidiſſimè latè patentes Epiſcopatus ſectantur, ut amplioribus reditibus fruantur. *Epiſcopi omnibus modis id ambiunt, ut Diœceſes habeant quàm ampliſſimas, à quibus, licet nunquam eas inſpiciant, uberrimos fructus capiunt.* Verbo ut abſolvam *Petri Martyris* in Biblia Commentarii longis digreſſionibus crebri ſunt & ubique Virum eruditum ſe oſtendere affectat. Exempli gratia eodem Judicum capite, unius vocis occaſione longum de Gigantibus ſermonem texit ubi quicquid in hanc materiam legerat ab ipſo refertur. Præterea occaſione vocabuli Hebraici *Mas* ideſt *tributum* quod frequenter eodem Capite occurrit, prolixam facit Diſſertationem de *Miſſæ* origine, ubi omnes quibus conſtat partes explicat *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V.T.l.3.c.14. Gall.

Tanto fuit ingenio, tam excellenti doctrinâ, eâ prætereà pietate, modeſtiâ, morumque facilitate, ut non modò iis, quibuſcum vixit, gratus, charus, reverendus fuerit; ſed ab hoſtibus quoque & adverſariis inter ſummos numeratus ſit, & admirationi illis fuerit.---Nunquam doctior erat & magis admirandus *Petrus Martyr*, quàm in publicis diſputationibus. Sive enim moderandi eſſent concertantes alii, tam ſe æquum judicem præbebat, ac rationibus tantum quæ ad perſuadendum valerent movebatur ut nemo unquam ſuſpicaretur *partibus* eum ſtudere; non *adverſariorum* argumenta ſolida deprimebat: non connivebat ad *amicorum* errores & falſas rationes: ſi extra fines diſputationis evagari vellent, eos manſuetè ad rem propoſitam revocabat: ſi verò res ad rixas vergeret, ſuâ authoritate eas ſopiebat. Ita autem finiebat eos congreſſus, ut & ſemper primùm maximè neceſſaria repeteret, & tum demùm de integrâ cauſâ pronunciaret, quo & *Veritas* victrix foret, & inde non exigua ad Auditores redundaret utilitas. *Vid. Oration.* de Vit. & Obit. D. P. *Martyr.* præfix. ejuſdem *Locis Communibus.*

Petrus Martyr ſub Menſis Novembris finem an. 1547. in Angliam transfretavit, ad invitationem nomine Regis ab Epiſcopo Cantuarienſi ſibi ſcriptam. *Florentia*

natus

Digitized by Google

natus erat ubi D. *Auguſtini* Ordinis Monachus fuerat. Græcè & Hebraicæ Doctus erat quos cæterorum Ordinis ſui invidiam in ipſum movit, in quorum mores ſæpè etiam invectus eſt: Ideòque eos reliquit & Neapolin conceſſit, ubi cœtum coegit hominum qui purè Deum colere delectabantur. Hoc cognito, locum hunc deſerere coactus eſt, & prope Lucam ſe recepit, ubi in *Tremellii* atque *Zanchii* ſocietate moratus eſt. Sed ibi quoque periculis expoſitus *Tigurum* cum *Bernandino Ochino* petiit, qui inter celebratiſſimos *Italiæ* Concionatores claruerat, tunc verò præcedaneas ſuas ſuperſtitiones abdicavit. *Tiguro Baſileam* profectus eſt. Hinc verò *Martini Buceri* ope *Argentinam* delatus eſt, ubi *Crammeri* Epiſtola ei & *Ochino* obviam venit. Poſterior *Cantuarienſis* Canonicus creatus eſt cum Reſidentiæ diſpenſatione: Aliæque Diplomate quadraginta Marcæ ipſi aſſignatæ fuerunt, totidemque *Petro Martyri*. *Burneti*. Hiſt. Reform. part. 2. pag. 53.

**Petrus Martyr Vermilius* inter Hæreticos primæ claſſis rejicitur in *Indice Tridentino*.

PHILIPPUS MELANCTHON.

GErmanus, *Bretta* natus Anno 1497. Obiit *Witemberga* 1660. *Witemberga* Philoſophiam & Theologiam cum omnium admiratione & fructu inſigni docuit, ſæpe ternas & quaternas lectiones uno die abſolvit. Auditores interdum mille quingentos habuiſſe dicitur. *Konig.* in Biblioth. Chr. An. Di MDXL.

Apud *exteros*, Religionis etiam Adverſarios propter ſingularem eruditionem, moderationem, inque rebus agendis dexteritatem benè audiebat. Cujus celebritate ac famâ motus ipſe *Franciſcus* I. *Galliarum* Rex (cujus honos & nomen Literatorum hominum monumentis ſemper manebit) *Melancthonem* per literas legatumque ſuum deſiderabat, ut ipſius colloquio conſilioque in componendis moderandiſque rebus ad Religionem pertinentibus uteretur. Tanta animi in hoc homine clementia, morumque erat facilitas, ut cum Adverſariis congrediens laudem ab ipſis etiam *Papiſtis*, aperto Marte rem gerentibus conſecutus fuerit. *Iac. Verheiden*.

Quàm item maximum & ſingulare decus *Litterarum* ſit D. *Philippus Melancthon*, doctiſſima piiſſimaque *Scripta* ejus conteſtantur, quibus univerſus ferè orbis tanquam amœniſſimum pratum omnis generis odoriferis floſculis refertum ſuaviſſimè redolet: Cui viro quantum omnes *Scholæ* omneſque *Eccleſiæ* debeant, verbis exprimere nequeo. *Paul. Fag.* Præfat. ad ſuccinct. Annotat. in Paraphr. *Chald. Pentateuch*.

Melancthon literarum & literatorum decus. *Henr. Steph.* in *Pindar*.

Vir in quo cum doctrinâ pietas, cum utroque candor certavit. *Arrowſmith* Tact. Sacr.

Theologiæ corculum Reformatæ. *Montacut.* Præfat. ad Apparat.

Wo

De hoc Auctore eleganter *Taubmannus* part. 2. Sched. Sacr. p. 146.

Hei quam multorum lolio ſterileſceret arvum,
Ni bove ſolerti Melanchonis *illud araſſent.*

Illius ingenium magnum, & ad omnia comparatum. *Iul. Caeſ. Scalig.* de re Poetic. p.798.

Communis *Germaniæ* Præceptor, *Germaniæ Phœnix. Lipſ.*

Inter *Proteſtantes Melanchonem* certè pluris quàm cæteros facio. *Grot.* 4. vol.in fol.p.483.

Vir & judicio, & pacis amore, & eruditione multos ſui gregis ſuperans. *Ibidem.*

Philippus Melanchon præter inſignem eruditionem & raram eloquentiam, habet gratiam quandam fatalem, quam *genio* ſuo debet potiùs quàm *ingenio*, ut quum ſit omnibus candidis gratiſſimus, ne apud hoſtes quidem habeat quenquam cui ſit admodum exoſus. *Eraſm.* Epiſt.l.27.epiſt.2.

Thuanus libro 26. animi ejus moderationem & quietis ſtudium plurimum commendat.

Nicolao Gerbelio ſolus & unus ferè omnia acutè & doctè & breviſſimè agere viſus eſt. Epiſt.18. ad *Ioannem Schvvebel.*

Philippus Melanchon totius *Germaniæ* ſummum decus, unus ex primis & præcipuis renaſcentis literariæ Reipublicæ, omnibuſque ſapientiæ revireſcentis parentibus ac reſtauratoribus, æterna poſterorum memoriâ digniſſimus; multum ei debet *Eccleſia*, multum quicunque bonas *Artes* & ſtudia amplectuntur' *Geſner.* in Biblioth.

Melanchonis Chronicon qui non deguſtaverit, (ſi *Stephano* cuidam *Prætorio* auſcultemus) is verè bardus eſt. Quippe, inquit, *eruditiſſima & elegantiſſima Epitome eſt omnium ferè Hiſtoriarum totius Mundi. Whear.* in Meth. Leg.Hiſt. Civil. ſect.6.

Philippo Melanchone vix quicquam illo ævo eruditius, facilius, diſertius, non in aliis modò diſciplinis, ſed & ipſa *Poetice* elegantiori. Declarant id tot *elegi* ejus ſam ſacri jam ex *Græcis* fontibus cadentes, jam varii argumenti. *Borrich.* de Poet.p.133.

Nihil hoc ingenio felicius, ſi totum vacaſſet *Muſis.* Nunc hanc laudem leviter affectavit, ac Naturæ felicitate contentus, nec artis, nec curæ permultum adſcribendum adhibuit, & haud ſcio, an affectantem nervi fuerint defecturi. Extemporali dictioni natus videtur: nunc aliis intentus, eloquentiæ ſtudium magna ex parte videtur abjeciſſe. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p.181. 182.

Quantus vir fuerit *Philippus Melanchon* nemo ignorat; pluris ſanè æſtimandus quàm vulgò fit. Primus ille in Germania diſciplinarum omnium & purioris Theologiæ cum *Luthero* Reſtitutor, nullum eruditionis genus intactum reliquit, ut in ſingulis habitare, non peregrinari, videretur. Nervos in illo & impetum requirunt nonnulli, ſed tamen ne illud extra laudem eſt. Ut enim habuit

Digitized by Google

habuit ingenium compoſitum & moderatum, & ab affectatione omni alienum; ita talem ſe quoque in omnibus vitæ actionibus & ſcriptis exhibuit. Stylus ipſi purus & limpidus, nonnunquam humilis, nonnunquam aſſurgens: plena tamen ingenii & prudentiæ omnia. Ejus viri vitam deſcripſit *Ioachimus Camerarius*, vir ſuo tempore doctiſſimus, & intimioribus literis præ omnibus in *Germaniâ* excultus. Multa diſces ex illo, quæ pertinent ad ſtatum Literarium & Eccleſiaſticum: omni enim ſcenæ, quæ tum adornabatur, vel præfuit vel interfuit *Melancthon*, nomen omnibus Germanis meritò venerabile. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 224. 225.

Stylus in eo planus, liquidus, nec ſuis deſtitutus elegantiis: quanquam non impetus ille ac fervor ſit, qualis in *Eraſmianis*, non tamen ideò culpandus: animi enim eſt character Sermo, & ex illo idem in dictionem transfertur, huic ingenio domeſticam & vernaculam. Ut enim ipſe animus moratus eſt, ita vel ἤθη paſſim elucent, vel ex ſententiâ, aut affectus vehementiores. Unde non falluntur, qui ſingulare aliquod divinationis epiſtolaris genus commenti ſunt, tum ex ipſo charactere ſermonis tum literarum, quod argumentum ſingulari libro tractavit *Camillus Baldus*. *Idem* ibid. p. 284.

Et ô ridiculum! nec ad *Ciceronem* quidem ſeriò nos vocant: ſed ad *Melancthonem* ſuum, virum mihi, niſi à *Religione*, haud aſpernabilem; ſed nec inter *duces* aut *anteſignanos* ad *eloquentiam* ponendum. De quo veriſſimè *Bonamicus* in *Italia* interrogatus dixit: Videri eum Latinè loqui incipere, & tentare. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 3. ad *Belgas* epiſt. 28.

Melancthon pius vir fuit, & vario diſciplinarum genere tinctus potiùs quàm eximiè doctus & alicujus ſcientiæ ad unguem peritus. *Scaligerana* prim.

Melancthon Linguæ Latinæ peritus erat, ſed Animus erat enervis, remiſſus, mollis: Pacatus admodum erat. Magni hodieque apud *Germanos* æſtimatur: Cum dicunt *Dominus Philippus Melancthonem* intelligunt. *Perroniana*. Gall.

Melancthon ex omnium eruditorum confeſſo inter maxima ſui ſeculi lumina ſplenduit. Humaniores in *Germania* literas reſtauravit, eorumque omnium Præceptor fuit qui ætate ſua eruditione ſuper vulgus ibi eminuerunt. Jpſe *Lutherus* dicere ſolitus erat *Melanchtonem* omnes Scripturarum Interpretes Doctrinâ ſuperare, & quamvis ejus Magiſter fuiſſet, candore tamen laude digna fatebatur ſe ipſi & ingenio & eruditione inferiorem eſſe. Omnia ejus Opera profundiore Doctrina plena ſunt, perſpicuéque ac eleganter conſcripta: Cum tamen illi non ſuppeteret totum otium neceſſarium ad ultimam manum ipſis adhibendam, forſan non habent totam perfectionem ad quam ea perducere potuiſſet. *Anton. Teiſſier.* Elog. viror. Eruditorum. Gallicè.

Exquiſitâ Linguæ utriuſque facultate præditus ad interpretandum acceſſit *Hieronymus Wolffius*——Atque utinam parem vertendis Antiquis ſtili moderationem, &, ut ita dicam, continentiam adhibuiſſet *Philippus Melancthon*: quæ fuit hominis facundia, & egregia *Latini* Sermonis integritas, eruditos omnes, excuſſis de manibus veterum ſcriptis, ad ſui lectionem pellexiſſet. Dicendi

facultate longè inferior fuit quàm *Melanchthon*, diffundendâ licèt oratione perſimilis *Michael Neander*. *Huet*. de Clar. Interpret.

Philippus timidus eſt, ita ut ſæpenumerò agat, quæ non probet. *Hieron. Zanchius* Epiſt. l. 2. ad *Bullinger*.

Dominus eum fortiore Spiritu inſtruat, ne gravem ex ejus timiditate jacturam ſentiat poſteritas. *Calvin*. Epiſt. 183. ad *Joan. Sleidan*.

Ejus *Locos Theologicos* invictum libellum,& non ſolùm immortalitate, ſed quoque canone dignum dicit *Lutherus* in Epiſt.ad *Eraſmum* Tom. 2. *Witteberg.* pag. 241.

Philippus Melanchthon, vir de *Matheſeos* ſtudiis præclarè meritus in *Germaniâ*. *Voſſ.* de Mathem. p. 111.

* *Philippus Melanchthon* in primâ Claſſe *Hæreticorum* locum habet in *Indice Tridentino*.

Prodierunt Opera ejus omnia 4. Tomis *Witteb*. 1562. 1563. 1564.

Suum ipſe Epitaphium paulò ante obitum hoc diſticho pronuntiavit:

Iſte brevis tumulus miſeri tenet oſſa Philippi,
Qui qualis fuerit, neſcio, talis erat.

CAROLUS MOLINÆUS.

Clar. A. D. MDLX.

PArisienſis Juriſconſultus, & Conſiliarius Regius. *Pariſiis* naſcitur anno 1500. *Pariſiis* obiit anno 1566. *Scripſit* plurima.

Carolus Molinæus, *Franciæ* & *Germaniæ* Juriſconſultus,eruditione ac judicio conſpicuus, ſed in Religione mirè inconſtans, à *Pontificiis* enim ad *Calvinianos*, & ab his, abjectâ doctrinâ Evangelicâ, ad Pontificios rediit. *Quenſtedt* de Vir. famâ Illuſtr.

Juriſconſultorum ſuo ſæculo doctiſſimus omnes ſupremæ Curiæ Patronos, ſi non dicendo (nam linguâ nonnunquam hæſitabat) certè ſcribendo reſpondendóque facilè ſuperabat---*Pariſienſium* Leges *Municipales* non vulgari ſubtilitate interpretabatur. *Scæv. Samarthan.*

Carolus Molinæus Juris antiqui & *Gallici* conſultiſſimus; Cujus *Notæ* in Jus Conſuetudinarium noſtrum, & aliæ doctiſſimæ Lucubrationes apud nos pro raris *Iuris* deciſionibus habentur Conſultationem in *Concilium Tridentinum* ſcripſit, quæ & illi perniciem creavit. Vir bonus ac ſimplex, qui patriæ charitate, ſupra quam dici poteſt,inflammabatur, cùm *emendationem* in *Religione*, quam tantoperè optabat, in licentiam & factiones verſam videret, admodum indoluit; ac,ſi vita ſuppeteret, religioſè promiſit fore ut exemplo ſuo ſcriptiſque multos ab errore paſſim graſſante revocaret: in eaque cogitatione paulò poſt animam *Deo* reddidit anno 1566. Sexagenario major. *Thuan.* ad Ann. 1566.

Carolus Molinæus J. C. tam eruditione ac judicio, quàm probitate conſpicuus,

Digitized by Google

cuus, vir de ingratâ patriâ optimè meritus. *Thuan.* Hiſt. l. 6.

Carolus Molinaus, magnus ille *Iuriſconſultus,* qui *Iura Regum* contra *Paparum* uſurpationes ſingulari ingenio & eruditione vindicavit. *Gul. Bates* in Vit. *Pet. Molin.* pag. 1.

Cùm adoleſcentiam attigiſſet, cœpiſſetque in Foro verſari, blæſus eſſe, & impeditionis linguæ deprehenſus eſt,quod ei naturale vitium initio obfuit,quia lites ſatis exploratas disertè proloqui nullo modo poſſe videbatur. Itaque & litigantibus eorumque procuratoribus diſplicebat, ineptis plerumque alienæ induſtriæ judicibus, contemptuique illis potiùs quam admirationi fuit------Semel accidit ut à *Chriſtophoro Thuano* Præſide objurgaretur,quod cùm accidiſſet,præter ſpem; Collegarum Seniores Advocati concurſu ad eum facto quòd ſe quoque violatos exiſtimarent, per *Franciſcum Portam* antiquiſſimum dici ei juſſerunt: Cùm hodiè *Molinaeum* collegam verbo læſeris, quid abs te factum putes? læſiſti enim hominem doctiorem quàm unquam eris. Poſtridieq; *Chriſtophorus,* quem facti jam pœnitebat, dixit, quod in *Molinaeum* effudiſſet, id calore ſibi excidiſſe: Tanta ille & ſummus & digniſſimus Præſes humanitate fuit,& erga illos celebres Patronos, inter quos etiam ipſe floruerat reverentia. *Papir. Maſſon.* in Elog.

E recentioribus unum tantummodò adjicio *Carolum Molinaeum*, Gallorum Juriſconſultorum facilè Principem; Hic cùm præter ingenii perennia monumenta plurima, tempore *Henrici* II. Libellum etiam pro Patriæ Eccleſiæque libertate vindicandâ edidiſſet, eoque Pontificem, anteà infeſtum, placâſſet, eopſe libello immortalem ſibi memoriam non meruit tantùm, ſed & acquiſivit. Audi ſuper eo exclamantem *Antonium Matthaeum*, eruditione & Scriptis non minùs celebrem: *Quem*, inquit, *triginta millia virorum non domuerunt, hunc invictus* Molinæi *calamus expugnavit. O memorabilem victoriam! O triumphum admirandum! Nunc tandem arma togæ cedant! Nunc laurea concedat Stylo! habent Iuriſperiti, quô ferociæ militari os occludant, quô togam à contumeliis ſagi vindicare poſſint. Hanc adeò lauream tibi*, Molinæe, *debemus: vivis viveſque extento ævo, & disjectis ducum tropheis, arente lauro, everſis ſtatuis, tua Gloria in æternum vireſcet. Gul. Saldent.* de Uſu & Abuſu librorum.

Dominus *Salmaſius* fatetur *Molinaeum* præſtantiſſimum ſeculi ſui Juriſconſultum fuiſſe,tantæque dum viveret authoritatis,ut ei poſt mortem eadem ſupervixerit, cùm omnes Senatus ſupremæque Curiæ hunc ejus memoriæ honorem detulerint,ut Cauſidicis indulſerint illum cum *Papinianis,Ulpianis* cæteriſque Veteris *Romæ* præclaris Juriſconſultis citant. *Claud. Salmaſ.* Epiſtola ad *Ioh. Beverovicum.* 7. Aug. 1640. Gall.

Ejus Commentarius in Pariſinum Uſuarii Juris Codicem primus eſt ſtudiorum ejus fructus. Anno 1538. typis primùm mandatus eſt. Opus eſt incomparabile ſuiſque tam abſolutum numeris ut inimitabile ſit ex *Iuliani Brodeau* ſententia. *Dionyſius Godefridus* ait hunc Commentarium qui *Francici Iuris* clavis veruſque Interpres eſt,ab omnibus *Franciæ* Tribunalibus cum applauſu exceptum fuiſſe, & ab extraneis populis, qui cùm *Caroli Molinæi* nomen non memorare

ſacramento ſe aſtrinxiſſent, ſive ex invidia, ſive ex odio Religionis ejus, nec carere poſſent tam eximio tamque celebri Doctore, eum tamen citant, imo quædam operum ejus excudi curârunt ſub ficto & ſuppoſititio *Gaſpari Caballini* nomine. *Anton. Teiſſier.* Elogiis viror. Eruditorum Gall.

Libro cui titulus *Index Librorum expurgatorum*, *Gaſparis Quiroga* Cardinalis & *Hiſpani Generalis Inquiſitoris* juſſu editus, referuntur Opera *Molinæi*, quæ abſque correctione legere nefas eſt, cæteraque, quorum correctio neceſſaria fuit ab Hiſpanica inquiſitione judicata, ibi deſignantur. Sed in *Indice* librorum à *Concilio Tridentino* prohibitorum, *Molinæus*, citra ullam exceptionem atque limitationem, inter Authores *primæ Claſſis* collocatur; quæ fuit *Iuliano Brodeau* occaſio exclamandi. *Tantane animis cæleſtibus iræ!* *Ant. Teiſſier.* ibidem Gall.

Quicquid ferè ad diſceptationes forenſes quotidianas comminiſci poteſt humani ingenii ſagacitas, *Molinæo* debetur. *Anton. Marnac.* ad lib. 10. c. de SS. Eccleſ.

Peſſimus Theologus, nec multò melior Juriſconſultus. *Ant. Faber* de Error. Pragm. 10. err. 1.

Genebrardus illum ignorantiæ in fide, Hæreſiſque accuſavit.

Si cum *Cujacio* comparetur *Molinæus* nullus homo eſt. *Ant. Faber* de Error. Pragmatic.

Qui verò de Hæreſibus egerunt, ipſo etiam *Bucero* in Teſtimonium advocato, eumdem *Molinæum* accuſant, quòd unà cum *Ioviniano* cenſuerit, *Jeſum* naſcentem adaperuiſſe vulvam *Mariæ*. Itemque ſcripſiſſe, errare Doctores Papiſticos, dum urgent merita tum Incarnationis, tum Nativitatis, tum tentationum & afflictionum *Chriſti*: nihil enim hæc omnia prodeſſe nobis, ſed ſolam mortem *Chriſti*, ſolam à *Deo* acceptatam pro expiatione noſtrorum peccatorum, & jure vitæ æternæ. Ut jam ex Juriſconſulto etiam Hæreſiarcham habeamus. Quod planè ei non contigiſſet, ſi intra metas proverbii ſe continuiſſet, *Ne ſutor ultra crepidam.* Nec mirum videri debeat, ſi tot exiſtentibus ejus condemnationis cauſis, fuerit ejus nomen à Patribus *Concilii Tridentini* inter prohibitos Auctores primæ Claſſis collocatum. Quòd verò inſuper, *Petrum Romæ* non fuiſſe, obſtinatè defendiſſe reperiatur; hoc quidem ei cum multis aliis commune extitit, æquè hallucinantibus. Ne verò illum, ſicut vivum, ita & mortuum omninò damnemus; tradit *Maſſonus* in ejus Elogio, ab eo ſub mortem vocatos fuiſſe tres præcipuos Theologos, *Claudium Eſpenſæum*, *Curtium* paſtorem S. *Andreæ*, in cujus Parochia domicilium habebat, & *Renatum Benedictum* Collegii *Pleſſæi* præfectum, qui ei morienti adſtiterunt. Ut ſpes ſit, eum vel tunc reſipuiſſe à ſuis erroribus, & in Communione Eccleſiæ deceſſiſſe. *Hen. Spondan.* ad an. 1564.

Extant Opera Juridica, 3. Tomis. *Pariſiis* 1612.

Extat Conſilium ſuper Actis Concilii *Tridentini*. *Pictavii* 1665. 8°.

WOLFGAN-

Digitized by Google

WOLFGANGUS MUSCULUS.

D*Uſanus, Lotharingus*, natus eſt An. 1497. obiit an. 1563. *Auguſtæ Vindelicorum* concionatoris munere functus eſt. Poſteà *Bernam* ſe contulit, ibique Theologum egit. Reliquit locos Communes: Comm. in Geneſin, Pſalmos, *Eſaiam*, & *Pauli* Epiſtolas. *Euſebii, Socratis* & *Sozomeni* Eccleſiaſticam Hiſtoriam *Latinam* fecit. In *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, *Cyrillo* & *Athanaſio* plurima tranſtulit. Erat *Latinè*, *Græcè*, *Hebraicè* & *Arabicè*, peritiſſimus. *Konig.* in Biblioth. Clar. A. D. MDXL.

Wolfgangus Muſculus, magni inter ſuos nominis *Theologus*, qui *Monaſticam* olim, dein abjecto cucullo *Proteſtantium* doctrinam profeſſus, vitam aliquando opere manuario *textrinam* exercens toleravit, poſteà ſeriò animum ad literas jam ætate provectior appulit: in quibus improbo labore tantùm profecit, *Martini Buceri* (quantum licuit) ſectator aſſiduus, ut famam *Concionibus* quæſitam, etiam laborioſiſſimis editis in S. Scripturam Commentariis auxerit. Quem ad nomen ipſius alludens quidam, non *Muſculum*, aut ex *Murium* famelicorum, qui *Felium* ungues timent, numero eſſe dixit: ſed ex his potiùs, qui *Catos* rapaces territarent. *Thuan.* ad An. 1563.

Mi pater *Muſcule*, ego omnes viros doctos & pios obſervo & colo: ſed mihi credas, te, *Bullingerum* & *Martyrem* meum, ſingulari & peculiari non dicam tantùm obſervantiâ, ſed amore quodam tenero complector, ut majori etiam fiduciâ mihi videar poſſe vobiſcum quàm cum aliis uti: in causâ eſt veſtra ſingularis non doctrina tantùm & pietas, ſed etiam humanitas, Spiritûs lenitas, & morum ſuavitas. *Hieron. Zanch.* in Epiſt. ad *Muſcul.*

Loci Communes Muſculi opus planè divinum, quod toto decennio elaboravit, & anno ſexageſimo edidit. *Melch. Adam.* in Vit. ejus.

Natura à contentionibus ſemper abhorruit, neque ſeſe digladiationibus immiſcuit: Ubi verò in Controverſis *Articulis* ab aliis fortè diſſentit, ſine aliorum id injuriâ & contemptu facit: unde & *Scripta* illius à nullo unquam ipſo vivo ſunt impugnata, excepto uno *Cochlæo*. *Idem* ibid.

Wolfgangus Muſculus Commentarium valde diffuſum in Pſalmos compoſuit, *Bernenſis* Reipublicæ Magiſtratibus ab ipſo nuncupatum anno 1550. Author iſte Præfatione ſua profitetur ſe totos 20. circiter annos in hac lucubratione inſumſiſſe, ſeque eos qui ante ſe in eundem librum ſcripſerunt conſuluiſſe, ſed ex veterum Patrum lectione parum utilitatis percepiſſe, quòd ſenſum literalem neglexerint: quod eorum temporis mori aſcribit. *Verſati ſunt Patres*, inquit *in Scripturis Sacris peculiari quodam ſuorum temporum ductu.* Toto ſuo Opere plus multò modeſtiæ, imo & erga Antiquitatem venerationis prodit quàm plerique omnes cæteri Proteſtantes. Et quamvis novam Pſalmorum Tranſlationem ad *Hebræum* textum exactam adornaverit, à veteri tamen Interprete *Latino* quàm minimè poteſt recedere conatur; imo & addit optandum eſſe ut Vetus Latina Verſio adeo conformis foret Hebraïco Autographo, ut per omnia conſervari poſſet: *Optarim* inquit, *eam Verſionem quæ in uſu eſt Eccleſiæ Latinæ, ſic eſſe*

Hebraicæ veritati conformem ut integra retineri queat. Denique eadem Præfatione ſubjungit Liberum cuique eſſe debere quem optimum judicat ſenſum eligere, temerariumque fore, juxta D. *Auguſtinum*, quempiam pertinaciter aſſeverare velle ſe Authoris ſenſum rectè aſſecutum eſſe. *Haud immerito*, inquit, *arbitratur Auguſtinus admodum temerarium eſſe in expoſitione Scripturarum, de certitudine mentis ejus qui ſcripſit pertinaciter contendere.* Satis accurata eſt Methodus quam in ſuo Commentario ſecutus eſt. Primum affert diverſas Veterum tum *Græcorum* tum *Latinorum* Interpretum Traductiones, quibus & neotericos quandoque addit: Deinde verba Textûs ſui juxta Literalem ſenſum exponit; Poſtea verò Morales ſuas animadverſiones ſubnectit. De hoc Authore dici poteſt quòd verum cognoverit modum Scripturam exponendi; ſed non habuit omnia auxilia neceſſaria ad perfectum in eo ſucceſſum, quia in Linguarum & Critices ſtudio ſatis exercitatus non erat. Veteres tamen & Recentiores Tranſlationes *Græcas* atque *Latinas*, animo à præjudiciis libero examinat, ſufficientique perſpicacitate præditus fuit ad cognoſcendum quod puncta quæ hodie Hebraïco textui inſunt, ei non extiterint ſeculo *Septuaginta* Interpretum nec Beati *Hieronymi* ætate: ſed prorſus ignoravit qua ratione *Arabica* Pſalmorum Verſio elaborata fuerit, quamvis illam ſæpius citet. Miratur cur *Arabs* Tranſlator *Septuaginta* Interpretibus ſit conformis; rationemque ſtuporis ſui hanc affert, quòd *Arabica* lingua nullam cum Græca analogiam habeat, contra vero Hebraïcæ admodum affinis ſit. Ignorabat ſcilicet populos Orientales fere omnes *τῶν Septuaginta* Verſionem ſecutos eſſe, Hebræum verò Textum fere in ſolis *Iudæorum* Synagogis cognitum fuiſſe. Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Critic. Vet. Teſt. lib. 3. cap. 14. Gallicè.

Wolfgangus Muſculus, vir bonus, ſed linguæ *Græcæ* notitiâ imparatus, neque *Latinâ* valdè inſtructus, brevitate & nitore, ſimplicitate etiam ac fide commendatur. Cæteroquin hallucinatur ſæpè, utpote earum *artium* rudis, quas qui colunt, *eruditi* appellantur. *Huet.* de Clar. Interpret.

Latinam Polybii Verſionem fecit *Wolfgangus Muſculus*, non tam ſuâ ſponte, ut Ipſe ſignificat, quàm alieno rogatu. Non fuit in hoc viro, neque *Græcæ* neque *Latinæ* Linguæ ulla eximia peritia: erat enim aliis deditus ſtudiis; & grandi jam ætate ad capiendum ingenii cultum acceſſiſſe ipſum accepimus. Defuit etiam *Muſculo* illa, quam in *Perotto* commendabamus, induſtria in *Græcis* ita exponendis, ut *lectorem* queat fallere, quaſi *αὐτοφυὴς* ſit Oratio, neque aliundè expreſſa: at ſimplicitate & fide *Perottum* longè ſuperat *Muſculus*: qui & ea quæ intelligebat, & ea quæ non intelligebat, uti poterat, expreſſit. Nihil videas illum ſtudio prætermittere, nihil alienum ſubſtituere: quæ familiaria ſunt ſupra modum *Perotto* vitia. In utroque voluntatem benè de literis merendi æqui *Iudices* citius laudaverint, quàm effectum. *Iſaac. Caſaubon.* de prioribus *Polyb.* Interpret. affix. 3. Vol. *Polyb.* p. 78. 79.

Muſculi Verſiones non magnoperè probantur à Doctis, *Hen. Valeſ.* Præfat. ad *Euſeb.*

Muſculus in Euſebianâ Verſione verbis preſſius (*Rufino*) adhæret, & *interpretando*

Digitized by Google

interpretando brevis eſt atque perſpicuus, multiſque in locis *Chriſtophorſono* felicior. *Idem* ibid.

Muſculus è Proteſtantibus novam *Euſebianæ* Hiſtoriæ verſionem aggreſſus eſt, quam etiam ſic ſatis feliciter abſolvit; ad literam ſatis ſtrictè illam exegit textumque admodum terſe atque breviter interpretatus; ſed Authorem ſuum non ſemper bene intellexit, pluraque menda in ſua verſione reliquit. *Chriſtophorſonis* Verſio elegantior eſt, ejuſque Latinitas magis Ciceroniana: ſed nimis eſt diffuſus, prout Hiſtorici ſtylus debet eſſe conciſus atque preſſus. In pluribus Muſculum emendavit, nec tamen erroribus omnino vacat ejus Verſio. *Ell. du-Pin.* Nova Biblioth. Tom. 2. pag. 9.

* Hic Author inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Indice Tridentino*. Opera ejus 9. Tomis fol. *Baſileæ* edita ſunt.

Hoc ejus Epitaphium:

Muſculus *hìc ſitus eſt, doctrinâ clarus, & ingens*
Nomen in Orbe manet, ſpiritus aſtra tenet.

In *Wolfgangum Muſculum* hæc carmina compoſuit *Conradus Geſnerus*:

Muſculus *ut vaſtis immenſa per æquora cetis*
Prænando piſcis dux ſolet eſſe viæ,
Ne brevia aut ſyrtes, ſcopulive pericula vitæ
Inſidiave ulla dira creare queant:
Muſcule *ſic* Bolgange *viam mortalibus ægris*
Felicem ad cœlum (nomen ut inſinuat:)
Monſtrabas vivendo piè, ſanctéque docendo,
Nunc terra hac corpus, ſydera habent animam.

JOANNES FERNELIUS.

Ambianus Ager, unde *Silvius* & ejus Præceptor *Tagautius* prodiere, tertium quoque Medicinæ lumen & quidem cæteris limpidius nobis extulit *Joannem Fernelium* virum ſingularem ac planè divinum. Cujus admirabili Genio id contigit, quod à multis ſeculis nulli quamlibet erudito contigiſſe memini, ut ipſo vivo atque vidente Opera quæ de universâ Medicinâ ſcripſit in Scholis publicè legerentur; ejuſque auctoritas Veterum Scriptorum inſtar apud optimum quemque rei medicæ magiſtrum graviſſimi eſſet ponderis & momenti. Neque ſane injuriâ: fuit enim in illo viro præter ſummum eloquentiæ candorem, non ſolùm Medicinæ, ſed & Mathematicarum Artium univerſæque Naturæ tanta vis tantaque cognitio, ut prodigii cujuſdam id fuerit ſimile---Periit ex mœrore, quem chariſſimæ uxoris importuna mors, ægro invalidoque ſeni attulit, viceſimo ſexto Aprilis, Anno 1558. ætat. 52. *Scævol. Samarthan.* in Elog. Gallorum. Clar. A. D. MDXL.

Digitized by Google

Joannes Fernelius, Regis Archiatrus, cùm plures annos Philoſophicis ac Mathematicis ſtudiis ſummâ cum laude exegiſſet, demum ſe Medicinæ totum mancipavit: quam & feliciter fecit, & univerſam doctiſſimis & politiſſimis ſcriptis complexus eſt. Quæ etſi morte præventus non edidit omnia, (ut nec propriarum obſervationum deſideratiſſimos libros) tantum tamen veræ gloriæ iis, quæ publicata ſunt, *Europâ* totâ eſt adeptus, ut tanto viro diſciplinæ ſuæ alumno Schola Medicinæ *Pariſienſis* æternùm ſit jure gloriatura. *Thuan.*

Verùm enimverò eodem tempore floruit *Joannes Fernelius*; *Ambianus*, Regis Archiater; vir in melius promovendæ Artis ſtudioſiſſimus, qui in multis à *Veteribus* pariter *recentioribuſque* diſſidere auſus fuit, plurimis novis Dogmatibus in medium adductis; quique primus inter *recentiores*, morbos totius ſubſtantiæ celebravit. In quo uti omninò ſummè laudandus venit. Univerſam artem uno volumine ad modum *Avicennæ* comprehendendi inſignis conatus, quódque *Veterum* expoſitionibus non ſemper ſuperſtitioſè inhærendum exiſtimaverit, præterea etiam multa circa morbos eorumque cauſas primus obſervaverit: ita in ſermone elegantiſſimo majus robur argumentorum meritò deſideraveris. Et verò eloquentiâ ſuâ incauto & rerum imperito lectori paſſim fucum facit potiùs, quàm ut firmis argumentis eum inſtruat & convincat. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in Art. Medic. p. 73.

Longè majorem (*Gulielmo Rondeletio*) laudem meruit *Ioannes Fernelius*, vir experientiſſimus, & magni judicii atque ingenii. Verùm ille non tam ſingulorum morborum curationem nobis reliquit, quàm methodum medendi generalem. Interim tamen libri *Therapeutici* de compoſitione *Medicamentorum* omnibus ſunt præferendi, qui tantâ induſtriâ ſunt conſcripti, ut ſatis commendari non poſſint; ut quibus tutò fidem adhibere liceat. *Sebaſt. Scheffer.* ibid. pag. 146.

Fernelius induſtrius lucripeta, qui authoritatem adeptus eſt eò quod Reginæ Matris puerperio facilitatem attuliſſet. Habuit ſalaciſſimam filiam cui dedit decem millia aureorum pro dote, *Scaligerana* prima Gall.

Primarii, Excellentiſſimi & eminentiſſimi Gentis noſtræ viri fuerunt *Cujas, Ronſard, & Fernel. Perroniana.*

Tanta puritate Latinè loquebatur ut ſæpè citatus fuerit, ad hoc teſtimonium opponendum Ultramontanis qui nos in hac lingua Barbaros vocabant. *Moreri* Diction. majori Gall.

Joanni Fernelio unus è primis locis inter eos qui in Medicina excelluerunt meritò concedi poteſt; cùm unius celeberrimarum Europæ Univerſitatum calculis dignus fuerit judicatus qui *ævi ſui Hippocrates* diceretur. Acutus Philoſophus *Baſſianus* præclaris ejus Operibus lectis ab his laudibus ei tribuendis temperare non potuit: *Doctus ille Gallus Avicennam totum quantum nobis obſcurabit, aut ingenii ſui luce, ut & vi atque ordine doctrinæ ſuæ errores ejus nobis manifeſtabit. Iſaac. Bullart.* Acad. Scientiarum & Artium Tom. 2.

Omnibus notum eſt *Fernelii* Pathologiam inter excellentiſſimos ejus

Tractatûs

Digitized by Google

Tractatus eminere, eumque omnium Authorum recentiorum de morborum cauſa & natura optimè ſcripſiſſe. Hujus tamen Operis perfectioni aliquid deeſſe plures autumant, quia theoriam ſolam à praxi omnino ſejunctam complectitur, morborumque notitiam unicè docendo, rationem eoſdem curandi non tradit. Dominus *Rutgerus Leonius* defectum hunc ſupplere molitus eſt, huic Pathologiæ Tractatui Therapeuticen è variis ipſius *Fernelii* locis aliorumque quorundam Authorum libris excerptam ſubjungendo. *Eruditorum Ephemerides* Gall. diei lunæ 19. Aprilis 1666.

Nemo ſuæ tempeſtatis medicorum *Joanne Fernelio* ſpectabilior, atque illuſtrior fuit: nemo ſubtilius artis ambiguæ ſanctiones ad ſolidiora naturæ parentis exordia revocavit; ut iccircò *Gallorum Hippocrates*, ſublimi celeberrimæ orbis Academiæ judicio vocaretur----Verè ſicuti nil dulcius ejus Oratione *Tullianæ* propemodum dictionis æmula, ità nil præclarius ſententiis humanæ ſalutis præſidia inculpatè tuentibus: immenſa propterea eaſdem ſectantium cohors, per totum propè diffuſa Orbem, vel ipſius interdum *Galeni* verendæ univerſitati præponderat----Si egregiam virtutis opinionem, licet ex inuſitatâ lucri medici æſtimatione metiri, ſanè hic referente *Plantio* ejus diſcipulo, congerere quotannis decem, ac duodecim librarum *Gallicarum* millia conſueverat. *Joan. Imperial.* Muſ.Hiſt.

Jucundo Mathematicarum ſtudio delectatus eſt, in quo tam excellentem ſucceſſum habuit, ut nulli niſi huic Diſciplinæ operam unquam navaſſe viſus ſit. Clariſſimus & ſingularis pariter fuit in Philoſophia, ut & in amœnis & humanioribus literis, adeo ut meritiſſimo jure perfectiſſima Scientiarum omnium pictura nuncupari poſſet. Cui rei conſociata fuit vitæ integritas exemplaris, quæ in animo ejus ſceleris omnis puriſſimo perpetuam ſedem fixerat: ad tutum unicæ virtutis hujus præſidium compoſuit actiones ſuas prudentiſſimas uſque ad exitum vitæ, qua Chriſtianè exceſſit anno ætatis 52. Aprilis die 26. anno 1558. *Pariſiis*, ubi in S. *Jacobi* Fano ejus exuviæ condecoratæ ſunt Sepultura tam celebri & famigerato viro digna, ejuſque Tumulo legitur Latina inſcriptio ſequentibus verbis conſtans. *bact. Ital.*

Joanni Fernelio Ambianenſi Henrici II. *Galliarum* Regis Conſiliario, & primo Medico nobiliſſimo, atque optimo reconditarum, & penitus abditarum rerum ſcrutatori, & explicatori ſubtiliſſimo, multorum ſalutarium medicamentorum inventori, veræ, Germanæque Medicinæ reſtitutori; ſummo ingenio, exquiſitâque doctrinâ Mathematicâ omni in genere Philoſophiæ claro, omnibuſque ingenuis artibus inſtructo, temperatiſſimiſque, ſanctiſſimiſque moribus prædito, Socero ſuo pientiſſimo *Philibertus Bercotius* ſupplicum libellorum in Regiâ Magiſter magnique Regis Conſilii Præſes, affinitate gener, pietate filius, mœrens poſuit anno à ſalute mortalibus reſtitutâ 1558. Obiit 26. April. Anno 1558. Vixit ann. 52.

Ghilini Theatrum Italicè.

Extant Opera ejus Medicinalia *Genevæ* apud *Samuelem* de *Tournes* 1679. in Fol.

Digitized by Google

JOANNES LELANDUS.

Clar. An. D. MDXXXV.

ANtiquarius, *Londini* natus, obiit die decimo octavo Aprilis, Ann. Dom. 1552. Maximam ejus eruditionem ac diligentiam præ ſe ferunt *Cygnea Cantio*, & liber de *Scriptoribus Illuſtribus Britanniæ.*

Joannes Lelandus, Antiquarius, inclytæ *Londinenſis* Urbis indigena, omnium quos præteritâ ætate *Britannia* nutrivit, rerum ſuarum ſtudioſiſſimus, patriam omnem exquiſitiſſimis laboribus adornavit. De ejus ingenii & doctrinæ amplitudine, non eſt quòd hîc dicam, quum opuſcula plura, tam *proſâ*, quàm *carmine* ab ipſo feliciter edita, in omni diſciplinarum genere *Græcè* & *Latinè*, atque in multis aliis linguis eruditiſſimum fuiſſe teſtentur. Sub *Sylvio* quodam *Lutetiæ Pariſiorum* ſtuduit: Et alibi locorum, ſub Præceptoribus ſemper optimis. Antiquitatis *Britannicæ* fervidus amator, ac diligentiſſimus perſcrutator, vetera totius Inſulæ monumenta, magna ubique induſtriâ & cura perluſtravit, ac quaſi *ex Silice flammam* diſquiſivit, ut ipſam illuſtraret. Incognita locorum & rerum ex nimiâ vetuſtate vocabula prima, perantiquos ac fide dignos Authores revocavit: & quo faciliùs intelligerentur, tam originalibus quàm nunc uſitatis explicuit illa nominibus. Exoletos ſeu ab uſu remotos, atque adeo in oblivione penè ſepultos, *Britannicos* Authores, hic ſolus reſuſcitavit, ut dignam haberent ex ſplendidis factis & ipſi memoriam. Nihil prætereà omiſit, ex aliarum Nationum ſcriptis aut linguis, quod ad Natalis ſoli ornamentum quoquo modo faceret: quaſi ad communem ejus tum commodum tum decorem fuerit natus. *Joan. Balæus* de Script. *Britan.* Cent. VIII.

Fuit non ſolùm Urbis *Londinenſis*, verùm etiam totius *Britanniæ* lumen, decus & ornamentum ſingulare. Regius Bibliothecarius factus, omne ſuum ſtudium eò convertit, ut *Patriæ* laudes ſcriptis celebraret, ejuſque gloriam illuſtraret, omnique poſteritati, imò, ſi poſſet, æternitati, commendaret. Et quoniam non minus elegans Poëta, quàm Orator erat facundus; & verſu ſcripſit, & oratione ſolutâ. Antiquitates *Britannicas* ſtudioſiſſimè inveſtigavit, vetuſtiſſimos codices ubique perquiſivit, plurimos invenit, inventos curioſiſſimè excuſſit, ex quibus res nimiâ vetuſtate obrutas è tenebris eruit, acceptâ etiam ab ipſo Rege honoratâ Commiſſione, & largo viatico Ann. Dom. 1534. totam *Angliam* peragrare incepit, celebriores quaſque totius Regni Bibliothecas excuſſit. In quâ peregrinatione, ut ipſe in *Strena* fatetur, integrum Sexennium poſuit. Cum librorum lectione locorum inſpectionem ità accuratè conferens, ut diligens & perſpicax hominis ingenium nihil melioris notæ fugere poſſet. Super quâ re librum *Anglicè* ſcripſit, & Regi *Strenæ* loco obtulit. *Piſæus* de Illuſtr. *Angl.* Scriptor.

Ego quidem ingentem numerum ſcriptorum tractantium res *Britannicas* diligenter excuſſi. *Leland.* Comment. in *Cygn. Cant.*

Lelandus genere *Britannus* in ſuæ Gentis antiquioribus monumentis proferendis homo apprimè diligens. *Buchanan.* Rerum Scotic. Hiſt. l. 2.

Jam præſtiti quod ſum pollicitus, & Commentarii qualeſcunque mei in

Cygneam

Digitized by Google

Cygneam Cantionem prodeunt, Opuſculum ex penetralibus reconditæ & Sacroſanctæ *Antiquitatis* religiosè erutum, & diligentia, curâ, fide quanta potui planè maximâ in lucidum ordinem redactum. *Leland.* Præfat. præfix. Comm. in *Cygn. Cant.*

Paulò ante obitum *Pontificiam* deſeruit Religionem. Quod multum deplorat *Pitſæus* his verbis: Illud ſanè vehementer dolendum, quod hic vir præclarus, & optimè de Patriâ meritus, perfidorum ſuaſionibus, & *Regis* vel timore vel favore fuerit adductus, ut poſtremis ferè vitæ ſuæ diebus in *fide* claudicare cœperit. Quâ labefacta ſunt noviſſima hominis pejora prioribus. Nam conſcientiæ remorſus felix illud ingenium tam infeliciter torſit, ut id penitùs extinxerit. Unà videlicet cum fide labefactatâ labefactavit intellectum, & paulatim in delirium incidens, miſer planè mortuus eſt amens. Quod triſti exitu factum eſt, ut ſua ſcripta pleraque imperfecta reliquerit. *Pitſæus* de Illuſtr. *Angl.* Scriptor.

Johannes Lelandus, rei Hiſtoricæ & Antiquitatum cognitione eorum, quos *Anglia* unquam progenuit, facilè Princeps. *Ant.* à *Wood* in Antiq. *Oxon.* p. 262.

Lelandus iſte poſt Regis *Henrici* VIII. benefici ejus Patroni obitum mente motus eſt, & in hoc ſtatu vitam finiit. Incertum eſt an præ laboris pondere, an vero præ ſtipendii ceſſatione turbatum fuerit ejus cerebrum; major in poſteriori veriſimilitudo; quia Henrico Rege fatis cedente, nulla pro labore mercedis proportio animos ei deinceps addidit. *Thomæ Fulleri.* Hiſtoria Eccleſiaſtica. Anglicè.

Extat *Cignea Cantio*, & in eandem Commentarii Antiquitatis *Britannicæ* locupletiſſimi. *Lond.* 1645. 4°.

Extant Principum ac Illuſtrium Virorum in *Angliâ*, Trophæa, Encomia, Genethliaca, & Epithalamia, *Londin.* 1589.

REGINALDUS POLUS.

CArdinalis, & Archiepiſcopus *Cantuarienſis* in *Angliâ* natus, Patrem habuit *Richardum* Regis *Henrici* VII. conſobrinum, matrem *Margaritam* Comitiſſam *Sarisburienſem Edvvardi* IV. Regis *Angliæ* ex fratre *Georgio Clarentiæ Duce* neptem. Obiit decimo ſeptimo Novembris, Anno *Dom.* 1558. ætatis 58. *Scripſit* varia. Clar. An. D. MDXL.

Vir fuit *Polus* egregiè doctus, modeſtus, manſuetus, & moribus ſuapte naturâ placidiſſimis; prudens etiam & in rebus gerendis magnæ dexteritatis; ut nihil in eo deſiderares, ſi *Pontificiâ* doctrinâ depravatus, ad crudelitatem in *veræ Religionis* profeſſores exercendam, quaſi invitâ *Minervâ* & genio exclamante non deflexiſſet. *Godvvin.* de Præſul. *Angl.*

Polus vir pietate, doctrinâ, omnique virtutis genere æque ac ſanguine clarus. Eum ipſe Rex in deliciis habuit, non modò propter ſanguinis propinquitatem, verùm etiam propter virtutes & eruditionem, quibus *Stirpem Regiam* multùm ornavit. *Joan. Pitſeus* de Illuſt. *Angl.* Scriptor.

Paulus Manutius in Præfatione Libri de *Concilio Tridentino*, poſtquam *Reginaldum*

Digitized by Google

naldum Polum ab innocentiâ morum, à doctrinâ, & ab omnibus tum animi, tum induſtriæ, tum ingenii monimentis mirè prædicaſſet, hæc verba ſubjungit: *Illud certè conſtat, qui vel meliora, vel ornatiora ſcriberet, hac hominum memoriâ extitiſſe neminem.*

Polo ut virtutis nitor, & morum candor purpuræ dignitatem adſciverat, ita rerum ingentium uſus, majorum claritas, eruditionis laus ſingularem apud omnes gratiam comparârat. *Joann. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Polus noſter, homo haud paulo plus omnibus bonis artibus clarus, quàm nobilitate, quæ eſt à *Britanniæ* Regibus *Petr. Bemb.* in epiſt. ad *Sadoletum.*

Supra familiæ ſplendorem (Regio enim ſanguine natus erat) pietatis, prudentiæ, & eloquentiæ gloriâ in primis floruit. *Camden.* in *Britann.* vid. *Diſſertiam.*

Reginaldus Polus Anglus, vir eximiâ ſanctitate, & vario doctrinarum genere clariſſimus. *Onuphr. Panvin.* in vit. *Pauli* III. P. Maximi.

In quo ſanguinis nobilitas (nam proximâ cognatione *Regem* contingebat) & morum gravitas cum eximiâ doctrinâ conjunctâ extitit. *Godvvin.* Rer. *Anglic.* Annal. l. 2.

Reginaldus Polus Ciceronis admirator ſummus, & æmulator non infelix. *Eraſm.* in *Ciceroniano*, p. 174.

Vir erat eruditione, eloquentiâ, judicioque ſummus, nec non ſi Scriptoribus eâ in re fides ſit habenda, moribus & vitâ integerrimus. *Anton.* à *Wood* in Antiq. *Oxon.* p. 194.

Cardinalis ad opes congerendas nullam habebat propenſionem; natalium ejus nobilitas, præſtantiaque virtutum ejus animum ejus ſupra viles haſce cogitationes attollebant. Vir erat eruditus, modeſtus, humilis bonæque indolis; ejuſque dotes & temperamentum eum ad tam prudenter agendum movebant, ut ſi Epiſcopos ad ſui imitationem aut Papam & Reginam ad ſui approbationem inducere potuiſſet, veriſimile eſt eum valde promoturum fuiſſe Gentis iſtius cum Romana ſede reconciliationem. Sed Deus huic Populo meliora deſtinaverat: adeoque Reginam cruentis *Gardineri* reliquique Cleri cruentis conſiliis permiſit. In hoc uno Cardinalis ſuaſionibus obſequi non potuit. Verùm ejus hac in re opinionem aſcribebat Temperamenti ejus moderationi potius quam ejus prudentiæ & experientiæ: Ipſe verò videns ſe nihil eorum quæ ſibi propoſuerat in Anglia exequi poſſe, in animi languorem primum incidit, quem ſecuta eſt valetudinis ejus imminutio, & tandem mors. *Burneti* Hiſt. Reformat. vol. 2. pag. 369. Anglicè.

Vir affectibus liber erat. Juveniles ejus libri floribus Rhetoricæ admodum exornati erant; Illi verò quos ætate ad ſenectutem vergente compoſuit aridi ſunt atque languidi. Vitam terminavit paucis poſt *Mariam* Reginam horis, 17. Novembris anno 1558. *Anglorum Speculum* ſeu de Præclaris Angliæ Viris, Londini 1684. 8o. Anglicè.

JOANNES SLEIDANUS.

Clar. An. D. MDXL.

A Patria ſua, quæ in *Belgio* eſt, cognominatus, anno 1506. in lucem prodiit.

Sui

Sui ſeculi Hiſtoricus facile princeps, obiit *Argentinæ* ex Epidemico morbo, anno ſalutis 1556. (quamvis non deſit apud quoſdam dati veneni ſuſpicio, ob edenda quædam Hiſtorica,quæ tum ab ipſo adhuc premebantur)ætatis 50.ſepultuſque ibidem quieſcit. In qua civitate multiplice & eruditionis, & prudentiæ atque pietatis edito ſpecimine,ſummo ſemper loco habitus fuit. *Boiſſard.* in Icon.

Scripſit Commentarium de ſtatu Religionis tempore *Caroli V. Imperatoris*--- Libellum de quatuor ſummis Imperiis---Orationes duas, unam ad *Carolum* V. *Cæſarem*; alteram ad *Germaniæ* Principes omnes, ac Ordines Imperii, in quibus de Papatu & cauſa Religionis tractatur----*Froiſſardum*,& *Comineum* è *Gallico* in *Latinum* tranſtulit.

Bonus inprimis Scriptor *Joannes Sleidanus*, cujus fidem ſpectatam & gravitatem ſuſpiciendam mecum alii noverunt. *Humfred.* Jeſuitiſmi 2. part.

Joannes Sleidanus: Vir eruditione & rerum agendarum peritiâ hoc ſeculo clarus. *Argentinenſi Reip.* ſuam operam addixit: in eaque urbe tot rerum quas geſſerat aut à fide dignis acceperat, notitiâ fretus,*Commentarios* ſcribere aggreſſus eſt. Quos huc illuc uſque exactâ fide & diligentiâ ad annum 1556. pertexuit. *Thuan.*

Sleidanus Hiſtoricus elegantiſſimus, eo judicio, eâ fide, eâ diligentiâ, eâ etiam fortaſſis dictionis caſtimoniâ *Commentarios* ſuos de *Religione* & *Republicâ*, exaravit, ut pleroſque illum *Græcorum*, *Latinorum*que ſuperaſſe fatendum nobis veniat, niſi *extera* laudare vulgi more potiùs velimus, quàm *domeſtica*. Vid. *Conring.* Præfat. in *Taciti* libell. de *Mor. Germ.*

Sleidani libellum de quatuor *Monarchiis* valde laudat *Georgius Hornius* hiſce verbis:Quanquam pro magnitudine rerum brevior omninò & contractior videatur *autor*,ea tamen ipſius apud eruditos hactenus fuit exiſtimatio, ut frequentiſſimè recuſus, omnium hodieque manibus teratur. Perſequitur enim maximè inſignes caſus ac Imperiorum mutationes, & oſtendit ſucceſſionem populorum ac temporum: præcipuè ubi ad *Eccleſiæ* recentiora certamina perventum, aperit ex ipſis fontibus illas horribiles *Imperatorum* & *Pontificum* colliſiones inde uſque ab *Henrici* IV. ævo ad *Carolum* V. in quo deſinit. Nam quæ porrò ſequuntur,in peculiari *De ſtatu Religionis Commentario*,copioſè & ornatè tradit, omnem nimirum ſui temporis *Hiſtoriam*: ac ubi ipſe deſinit, *Jac. Auguſtus Thuanus* porrò multis voluminibus ad noſtram uſque ætatem pertexit. *Georg. Horn.* præfat. ad lect. *Sleidani* de quat. *Monarch.* 1668.

Æternum illius laborum teſtimonium eſt Hiſtoria illa de Reip. & Religionis in *Germaniâ* ſtatu ab initio inſtaurati à *Luthero Chriſtianiſmi* diligentiſſimè viginti quinque libris (non hortante modo, ſed etiam materiam ei ſuppeditante clariſſimo viro D. *Jacobo Sturmio*) veriſſimè ſimul & elegantiſſimè perſcripta; adjecto etiam de *Quatuor Monarchiis* eruditiſſimo *Commentario. Theodor. Bez.* Icon.

Sleidani Hiſtoria adimit mihi fidem omnium ſuperiorum Hiſtoriarum,inquit *Carolovitius*. Vid. *Matt. Dreſſerum* in Orat. de uſu Hiſtoriarum. (Num hiſce verbis *Carolovitius Sleidanum* laudet an vituperet in medio relinquo.)

Digitized by Google

Vir multiplici rerum uſu, & prudentiâ inſignis, Imperiique *arcanorum* ſcientiſſimus. In narrationibus ſuis ſepoſito *partium* affectu, liber, gravis, operoſus, diſtinctus, ſine vanitate tamen, & verborum ambitu; ubi Lectorem inſtruens, & actiones omnium vitamque dirigens. Verbo, Scriptor ad *Hiſtoriam* à *naturâ* factus, & ſi quis alius *Principe* dignus, qui judicium egregiè format, & ad civilem prudentiam ducit. *Timantem* pictorem celebrant, quòd in ejus *tabulis*, plus ſemper aliquid intelligeretur quàm pingeretur: Idem de *Hiſtorici* hujus Scriptione meritò dixeris. Quem (ſi de tanto viro judicare mihi fas) nunquam legeris ſine fructu, & quo ſæpiùs legas, plus auferas. Continua fertilitas eſt: quantum demis naſcitur, & cùm omnia collegiſſe te putes, plura relinquis. *Jac. Cruſius* in Epiſt. ad Patrem ſuum, p. 6.

Sleidanus procul irâ, procul odiô ex Archivis cùm Ampliſſ. Reipub. noſtræ (*Argentinenſis*) tùm aliis Actis publicis, ſtatum Religionis & Reipub. candidè veréque deſcripſit, & de quô, certis Auctoribus mihi conſtat, *Imp. Carol.* V. hoc tuliſſe judicium: aut *Sleidanus* fuit meus Cancellarius, aut mei Cancellarii fuerunt mei Proditores: ejuſque lectione delectatum, obſtupuiſſe ſecretiſſimarum rerum narratione, & commendaſſe veritatem. *Matth. Bernegger* in Demolit. Idol. laurent.

Merito ſuo *Sleidanus* ampliſſimæ Argentinenſim Reipublicæ Legatus integerrimis Hiſtoricis debet accenſeri. *Tilemannus* in diſcurſu *Phil.* p. 246.

Sleidani Compendium de IV. ſummis Imperiis eleganti, concinno, rotundo Orationis genere ſcriptum, & quod ex eorum numero ſtatuere nos oportet, de quibus nos Poëta:

Victurus genium debet habere liber.

Deg. Whear. in Relect. Hiſtor. part. 1. ſect. 6.

Johannes Sleidanus vitam in *Argentinenſis* Reipublicæ graviſſimis rebus gerendis traduxit. *Tridentino* Concilio interfuit, digniſſiméque plures obivit *Legationes.* Sed quod ei præcipuam peperit celebritatem, Hiſtoria ejus eſt, tam eleganter conſcripta ut in pluribus Gymnaſiis, Præceptores illam diſcipulis legendam & memoriæ mandandam tradant, & in *Germanicam, Gallicam, Italicam* & *Hiſpanicam* linguam converſa fuerit. Quidam mendacii ipſum accuſarunt *Poſſevinus, Maſcardi* & alii quidam; eatenus ut *Bartholomæus Latomus* contenderit evincere quod undecies mille falſitatibus opus illud inquinatum fuerit. Verùm hujuſmodi criminatione liberatus fuit, nedum à Domino *Thuano*, ſed etiam ab æquiſſimis & doctiſſimis *Criticis*, præſertim autem à *Bodino*, qui, teſtante *Naudæo*, acerrimo judicio pollet inter Authores qui de *Hiſtoricorum* merito judicium ferre ſibi ſumpſerunt. *Anton. Teiſſier.* Elogiis Viror. Eruditorum. Gallicè.

Sleidanus Hiſtoricus eſt ſupra omnem laudem præſtans, ſive Argumenti, ſive ſtyli ejus ratio habeatur. Argumentùm quod pertractat grave atque momentoſum

Digitized by Google

ſum eſt. Eventus notabiles enarrat, Imperatoris illuſtris res geſtas, Diſputationes, Controverſias, Bella quæ Religio excitavit, ſæva quæ *Germaniam* devaſtaverunt prælia, Exilia, proſcriptioneſque Principum, incredibilem denique caſuum & ſtupendarum viciſſitudinum multitudinem. Quod ad ejus ſtylum attinet is purus & planus, & expolitus eſt. Eloquentiæ *Latinæ* Patris Characterem feliciter æmulatur. Elegantia robori conjuncta in eo conſpicua eſt, elegantesque phraſes conſociantur jucundæ varietati ſententiarum & Axiomatum quæ Lectorem & Inſtituunt & ſimul delectant. Quod autem in eo maximè inſigne cernere eſt, Verba ejus cum rebus quas ſcribit proportionem ſervant. Haſque coloribus ita vividis depingit ut eventibus ab illo narratis Lector intereſſe ſibi videatur. *Ant. Teiſſier.* ibid. Gall.

De *Sleidano* quid multa referam, qui potiùs ut *Lutheri* Sectatoribus aſſentaretur, quàm veritatis ſtudio permotus, ſcripſiſſe videtur. *Claud. Verder.* in Auctor. Cenſion,

* Hic Author inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Indice Romano.*

Extat de 4. Summis Imperiis, cum Commentar. & Notis *Xylandri. Han.* 1608.

Extant Commentarii de ſtatu Religionis & Reip. *Carolo* V. Cæſare, libris 16. *Franc.* 1610. 8°.

Extant *Froiſardi* & *Ph. Cominæi* Hiſtoriæ in Epitomen redactæ & illuſtratæ. *Caſſellis* 1638. 8°.

FRANCISCUS RABELÆSUS.

GAllus, *Chinonie Turonenſis.* Inter D. *Franciſci* cucullatos in *Pictonibus* primùm educatus eſt. Sed impulſu quorundam *Procerum* qui urbanâ ejus dicacitate plurimùm oblectabantur, monaſterii Clauſtra juvenis tranſiliit, demumque in ridendis hominum actionibus totus fuit. Cùm enim pro eâ quâ pollebat linguarum & Medicinæ ſcientiâ multa graviter & eruditè poſſet ſcribere, quod & *Hippocratis Aphoriſmi* ab illo caſtâ fide traducti, & aliquot *Epiſtolæ* nitido ſtylo conſcriptæ ſatis indicant; *Lucianum* tamen æmulari maluit, ad cujus exemplum ea ſermone patrio finxit, quæ meræ quidem nugæ ſunt, ſed ejuſmodi tamen ſunt, ut lectorem quemlibet eruditum capiant & incredibili quadam voluptate perfundant. Neque ſolùm erat in ſcribendo ſalis & facetiarum plenus, verùm & eandem jocandi libertatem apud quemlibet, & in omni ſermone retinebat; adeo ut *Romam* cum *Joanne Bellajo* Cardinale profectus, & in *Pauli* III. conſpectum venire juſſus, ne ipſi quidem *Pontifici Maximo* pepercerit. Atque hanc intemperantiæ ſuæ cauſam ingenioſè prætexebat, quòd cùm ſanitati conſervandæ nihil magis officiat quàm mœror & ægrimonia, prudentis *Medici* partes ſint non minus in mentibus hominum exhilarandis, quàm in corporibus curandis laborare. *Scævol. Samarthan.* in Elog. Clar. An. D. MDXL.

Franciſcus Rabelæſus literis *Græcis Latiniſ*que inſtructiſſimus, & *Medicinæ,* quam

quam profitebatur, peritiſſimus, poſtremò omni ſtudio ſerio omiſſo, ſe totus vitæ ſolutæ, ac gulæ mancipavit, & *ridendi* artem hominis (ſicut ipſe aiebat) propriam amplexus, *democriticâ* libertate & *ſcurrili* interdum dicacitate ſcriptum ingenioſiſſimum fecit; quo vitæ *regni*que cunctos *ordines* quaſi in ſcenam ſub fictis nominibus produxit, & populo deridendos propinavit. *Thuan.* l. 6. de vit. ſuâ.

Peſſimè apud omnes bonos ſemper audivit *Franciſcus Rabelleſius*, ſcriptor vel *Calvini* judicio planè Atheus. *Voet.* in Biblioth.

Nugarum Patrem, artificemque mirum, *Rabelaſium* vocat *Stephanus Paſchaſius*. Nonnulli eum inter *Atheiſtas* referunt. *Konig.*

Sparſit & hinc inde verſus *Gallicos* per opera ſua *Gargantua* & *Pantagruele* fœta *Franc. Rabelais*, ſed otioſis tantum ingeniis & potatoribus legendos. *Borrich.* de Poët. p. 122.

Rabelaſii Satyra quantumvis arguta, ſtylo tamen adeo ſcurrili conſcripta eſt, ſeculique noſtri decoro tam parum conformi, ut illam hominibus honeſtis minimè dignam exiſtimem. *Rapin.* Reflex. in Poetic. parte 2. Reflex. 28. Gall.

Obiit an. *Dom.* 1553. ætatis 70. apud *Medonium*, vicum agri *Pariſienſis* ad quartum ab *Urbe* lapidem, ubi tenue ſacerdotium Cardinalis *Bellaii* beneficio poſſidebat. Mortuus eſt ridens & jocatus: cùm enim ut in *Domino* moreretur adſtantes hortarentur, afferri ſibi *cuculli* quoddam genus, quod *Domino* vocant, juſſit, illoque capiti inducto, in *Domino* ſe obiturum dixit. *Hofman.*

Ferunt poſtquam Cancellarius du *Prat Monſpelienſis* Facultatis Medicinæ Privilegia Senatuſconſulto abroganda curaſſet, Rabelæſii dexteritate hoc fuiſſe revocatum, & hac de cauſa eos qui in illa Univerſitate Doctoratu inſigniuntur indui ſolitos Rabelæſii Toga, quæ, ut cuivis notum eſt, magnæ venerationi habetur------Ejus Epiſtolæ Gallicæ teſtantur eum rerum negotiationi idoneum fuiſſe, eumque plurimorum Cardinalium aliorumque Præſulum amicitiam *Roma* ſibi comparaſſe. Domini à *Sanctâ Marthâ* Epiſtolas ejus commentari non ſunt dedignati. Cæterum verò licet *Rabelaſius* quoad mores admodum malè audiat, propter ejus rerum ſacrarum & Monachorum profanas deluſiones, fatendum tamen eſt præſtantem illum fuiſſe virum. *Gallicum* idioma, *Italicum*, *Hiſpanicum*, *Germanicum*, *Latinum*, *Græcum* & *Hebraicum* callebat: Imo Arabicum non ignoraſſe perhibent, quod Romæ à *Coramithenſi* Epiſcopo didicerat. Id ſaltem ipſe profitetur. Erat præterea *Grammaticus Philoſophus*, *Medicus*, *Juriſconſultus* & *Aſtronomus*; *Calendarium* enim extat in annum 1553. *ad Lugduni* Latitudinem ab ipſo ſupputatum, & in hac urbe excuſum. *Budæus* eruditiſſimus omnium *Galliæ* ſui temporis alumnorum *Græcas & Latinas* Epiſtolas ad ipſum, ut jam à me obſervatum, ſcripſit. *Scævola* à Sancta *Martha* elogium ejus adornavit inter alia illuſtrium *Galliæ* Virorum. *Clemens Marotus*, *Joachimus Bellicenſis*, *Antonius* Baifenſis, *Theodorus Beza*, Præſes *Thuanus*, *Stephanus Paquier*, *Franciſcus Baco* Cancellarius *Angliæ*, *Andreas Du Cheſnius*, *Crucæus Cenomanenſis*, *Antonius Verderius Valliſprivaſenſis*, *Franciſcus*

Ranchinus

Ranchinus Monſpilii Medicus, *Joannes Cæcilius Frey* aliique plurimi ejus honorificentiſſimam mentionem fecerunt. *Ludovicus Moreri*, Majori Dictionario Gallico.

Extant *Franciſci Rabelaſii*, de rebus Geſtis *Gargantuæ* & *Pantagruelis* libri quatuor, *Gallicè*. *Antwerpiæ* anno 1570.

Hoc ejus Epitaphium, *Franciſci Rabelaſii* Medici: ſub *Pamphagi* Nomine; auctore *Joachimo Bellaio Andegavenſi*:

Hoc tumulo tumulus tegitur: miraris? at ipſe
Plus etiam audito nomine credideris.
Pamphagus *hic jaceo, vaſta cui mole gravatus*
Pro tumulo venter ſeſquipedalis erat.
Somnus, & ingluvies, Bacculque, Venuſque, Jocuſque
Numina, dum vixi, ſola fuere mihi.
Cætera quis neſcit? Fuit ars mihi cura medendi,
Maxima ridendi, ſed mihi cura fuit.
Tu quoque non lacrymas, ſed riſum hic ſolve, Viator,
Si gratus noſtris Manibus eſſe velis.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

PAULUS JOVIUS.

NAtione *Italus*, Patriâ *Novocomenſis*: primò Medicinam fecit, dein Epiſcopus *Nucerinus* à *Clemente* VII. factus, hujus nihilominus, cùm *Comenſem* Epiſcopatum impetrare non poſſet, avaritiam paſſim perſtringit. A *Franciſco* I. annuâ penſione honoratus eſt, ſed poſt hujus mortem à *Conneſtabile Montmorantio* illâ privatus, acriter in hunc invehitur: multum gratiæ, multum odio dans: *Medicea* Familiæ encomiaſtes. *Hofman.* Clar. A. D. MDXL.

Paulus Jovius Novocomenſis, vir multæ eloquentiæ, ingeniique acerrimi, Medicinam primò exercuit non ſine felici ſucceſſu. Scripſitque librum de *piſcibus Romanis*. Poſtea ad Hiſtoriam ſcribendam animum adplicans, aliquot Pontificum Principumque *Italiæ*, maximè *Vicecomitum Mediolani* vitas edidit. *Elogiaque*, & *Icones* illuſtrium Virorum, qui tam armis quàm literis clari evaſerunt, Scriptis ſuis adjunxit; quorum ipſe imagines ad vivum expreſſas Comi in ſuo *Muſæo* ſervabat. Scripſit hiſtoriam ſui temporis, de rebus quæ quinquaginta annis geſtæ erant in *Italiâ, Hungariâ, Aſiâ, Africâ*, aliiſque regionibus. In qua deſcriptione mirum eſt quantum laudis, & famæ promeritus ſit apud poſteritatem. Licèt ejus Hiſtoriæ libri ſex primæ decadis magnâ Reipublicæ literariæ

Digitized by Google

factura perierint, dum *Roma* capta eſt ab *Hiſpanis*, duce *Carolo Borbonio*. *Boiſſard.* in Icon.

Paulus Jovius res *Turcicas* accuratè & ornatè perſequitur; præcipuè verò à lib. 12. ad 17. atque iterum à lib. 32. ad 37. *Whear.* in Meth. Leg. Hiſt. Civil. Artic. 12.

Paulus Jovius luculentus Hiſtoriarum ſcriptor. Homo gratioſus ſe paſſim obnoxium prodit, eoque nomine ipſi in pleriſque rebus fides derogatur; quòd ad gratiam; & in odium ſcripſiſſe, & venalem calamum habuiſſe ferè omnibus perſuaſum ſit. *Thuan.* ad Ann. 1552.

Quô nemo in prophanis rebus plura ſcripſit, aut magis noſtram ætatem ſcriptis ſuis illuſtravit, feliciſſima rerum copiâ, ingeniique ubertate, ac ſtyli ſublimitate omnes profectò ſuperaturus, niſi ingenio nimium indulgens, dum ſcribendi impotenti aviditate veluti rapidiſſimo æſtu effertur, in ſcriptis ſuis limandis ac poliendis ſupinè negligens interdum fuiſſet, ut fluere lutulentus aliquando exiſtimetur, quæ res magnum de illius gloriâ cumulum dejicit. *Hubert. Folieta* Elog. *Bendineli Saulii* Card.

Quàm fluxæ etiam fidei patrum ævo fuit *Paulus Jovius*? quem conſtat in Aulâ *Henrici* II. quibuſque terræ filiis benè de ſe merentibus, generis claritatem, ac perpetuum nomen pollicitum; contraque maledicè eos traduxiſſe, qui venali Hiſtorico morem non gererent. *Voſſ.* de Art. Hiſtor. p. 50.

Imò & *Alciatus*, vir ſanè egregius, non dubitat affirmare, dictionem ejus (*Taciti*) præ illa *Pauli Jovii*, eſſe ſenticeta. Condonemus tale Judicium tanto viro, & cogitemus, ex amore *Jovii* proficiſci. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. l. 1. c. 10.

Paulus Jovius mendaciſſimus, & *Guicchardino* inferior, nimis affectato & luxuriante ſtylo, potiùs quàm caſtigato, utens, *Scaligerana* prima.

Cùm autem rogaretur *Jovius* cur ſimularet falſa, vera diſſimularet; amicorum gratiâ id à ſe factum reſpondit. Ac tametſi ſuperſtites intelligeret ſuis ſcriptis fidem derogaturos; attamen intelligebat infinita poſteritati credibilia fore, quæ ſibi ſuique popularibus laudem eſſent allatura. Illud certè ad ſempiternam memoriam teſtatum reliquit *Gorræus Pariſienſis*, qui quas finxit *Amadiſi* fabulas, non minus veras ac probabiles, quàm *Jovii* ſcripta fore confidit. Ferendum quidem eſſet, ſi pro ſalute Reipublic. mentiretur, id quod magiſtratibus *Xenophon* & *Plato* permiſerunt: ſed aſſentationis causâ mentiri cum omnibus turpe, tum verò *Hiſtoricis* turpiſſimum. *Bodin.* Method. Hiſtor. c. 4.

Paulus Jovius mihi nequaquam eâ exiſtimatione, quam vulgò habet, dignus eſſe videtur. Quantum enim ſentio, non bonus eſt Hiſtoriæ Scriptor, nec Judicio ſatis valet: qui ſi Vernaculè ſcripſiſſet, nullo in numero haberetur. *Latinus* enim ſermo quaſi fucus quidam labes illius multas contegit: qui primâ ſpecie elegans videtur, nam bellè ſonat, & quibuſdam imponit, mihi non item. Vix enim *Latinus* eſt, certè minimè purus, totuſque idiotiſmis ſcatet; nihil ferè propriè affert, ſed plerumque περιφραστικῶς loquitur, nec penè ulla vox eſt ſine *epitheto*. Id verò nominis ex hoc illi conciliatum puto, quòd *Hiſtoria* quoquo modo ſcripta delectat, & magis ea quæ de rebus recentis memo-

moriæ ſcribitur, in quo tamen ſuo opere à *Guicciardino* omnibus numeris abſoluto Hiſtorico, qui de iiſdem rebus ſcripſit, longè ſuperatur. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 41.

Paulus Jovius ſemper habitus fuit Scriptor qui affectibus & commodis ſuis unicè obtemperavit. *Rapin.* Reflex. in Hiſtor. Gall.

Paulus Jovius ſe ſe jactabat, quod binis calamis, altero ſcilicet aureo, cætero chalybeo inſtructus eſſet, ad Principes inæqualiter tractandos, prout inæqualiter in ſe beneficos ſe exhibebant. *Oſorius* in ſua *Portugallia* Hiſtoria obſervat *Paulum Jovium* inſignem tacuiſſe Victoriam à Portugallis reportatam, quia Rex eorum annuam Penſionem ei non conceſſerat. *Anton. Teiſſier.* Elogiis Viror. Erud. Gall.

Paulum Jovius, multorum judicia magis acerba, quàm libera experitur. Acriter valdè in virum eunt. Ego de eo ſic cenſeo: Stylo, bonum gravemque eſſe, & planè ad Hiſtoriam: judicio ac fide, ambiguum. Ubi affectus non diſtrahunt, rectum; ubi illi adſunt, obnoxium. Ad gratiam ſcilicet ſe dat & auram. Laudationum nec cauſam ſæpe habet, nec modum, Genti ſuæ. *Vaſtio*, *Medicæis*, nimis ex profeſſo addictus. Orationibus quoque aut frigidus interdum aut ineptus. Laudandus tamen legenduſque ob multiplicem & variam rerum ſeriem, quas redegit compoſitè & dilucidè in unum Hiſtoriæ corpus. *Lipſ.* in Not. ad 1. lib. Polit.

Paulus Jovius, luculentus Hiſtoriarum ſcriptor, *Novocomi* apud *Inſubres* natus, à *Clemente* VII. Epiſcopus *Nuceriæ* creatus, Concilio *Tridentino* interfuit, & anno 1552. exeunte, III. Idus Decembris, *Florentiæ* diem extremum clauſit, cum anno 69. & menſes ſeptem vixiſſet; in Baſilicâ S. *Laurentii* ibidem ſepultus. Scio equidem non deeſſe, qui *Jovii* fidem in Hiſtoriâ vehementer elevent: ſed *dum multa nitent in carmine, non ego paucis offendor maculis.* *Lipſius* certè, magnus ævi noſtri Criticus, in notis ad ſua *Politica*, ſatis benignam de eo ſententiam pronuntiat. Utut ſit, *in Virorum illuſtrium Elogiis Jovius* profectò triumphat ac regnat. Quod quidem genus ſcriptionis multi variarum nationum homines poſteà æmulati ſunt; in his *Ubertus Julius Folieta*, *Roſcius*, *Alfonſus Matamorus*, *Andreas Schottus*, *Ludovicus Nonius*, *Scævola Sammarthanus*, *Simon Starovolſius*, *Cornelius Curtius*, nos & alii: ſed nemo parem, meo quidem judicio, laudem hactenus eſt adſecutus. *Aub. Miræus.*

Extant Opera ejus omnia, 2. Vol. in fol. *Baſileæ* 1578.

Hoc ejus Epitaphium.

Pauli Jovii Novocomenſis, *Epiſcopi* Nucerini, *Hiſtoriarum ſcriptoris celeberrimi hic depoſita ſunt oſſa, donec eximiâ ejus virtute dignum erigatur ſepulcrum. Vixit ann.* 69. *menſ.* 7. *dies* 12. *obiit.* 11. *Decemb.* 1552.

Hic ſitus eſt Jovius Romanæ *gloria linguæ*,
Par cui non Criſpus, *non* Patavinus *erat.*

Digitized by Google

* *Pauli Jovii* Opera inter libros Expurgandos locum habent in *Indice Madritenſi* edit. an. 1667.

ROBERTUS STEPHANUS.

Claruit A. D. MDXL.

PAriſienſis, *Typographus* ſui ſeculi celeberrimus, tum impreſſis nitidiſſimè, tum editis proprio Marte *ſcriptis*, de re literariâ præclariſſimè meritus: *Hebraicè*, *Græcè*, & *Latinè* doctiſſimus. Auctor *Theſauri Linguæ Latinæ*, Operis excellentis, *Grammaticæ*, & *Commentariorum* in *Evangelia*: Novam quoque Bibliorum verſionem adornavit. Ob purioris religionis cultum, in *Galliâ* parum tutus, *Genevam* ſe recepit, ann. 1547. ibique obiit, anno 1559. ætatis 56. *Hofman.*

Robertus Stephanus, *Pariſienſis*, *Typographus Regius*, ſecundùm *Aldum Manutium Romanum*, qui *Venetiis*, & *Joannem Frobennium*, qui *Baſileæ* eandem artem ſummâ laude exercuerunt, clariſſimus: quos ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt, acri judicio, diligentiâ accuratâ, & artis ipſius elegantia. Cui ob id non ſolùm *Gallia*, ſed univerſus Chriſtianus Orbis plus debet, quàm cuiquam fortiſſimorum Belli Ducum ob propagatos fines patriæ unquam debuit; majuſque ex ejus unius induſtriâ, quàm ex tot præclarè Bello & Pace geſtis ad *Franciſcum* decus & nunquam interitura gloria redundavit. *Thuan.* ad ann. 1559.

De *Roberti Stephani* & doctrinâ, & fide, ac etiam longè religioſiſſimâ in *ſacris* præſertim excudendis diligentiâ, neminem pium ambigere arbitror. *Theod. Beza* in verſ. 12. c. 2. *Matt.*

Vir bonus, honeſtus, pius, literatus, & induſtrius vocatur *Stephanus* à *Jacobo Verheiden.*

Inter eos qui de re literariâ benè meriti ſunt, *Roberti Stephani Pariſienſis Typographi* ſolertiſſimi ſplendidiſſimique magna cum primis nec ullo ævo præteritura laus fuit, vel ex illo ampliſſimo *Latinitatis Theſauro*, quem omnibus ejus linguæ ſtudioſis plurimo ſumptu, plurimo ſudore, plurimâ diligentiâ deprompſit. *Samarth.* in Elog.

Novam *Bibliorum* converſionem *Tiguri* inchoaverat *Leo Juda*, cujus abſolutionem quum repentina Viri mors peremiſſet, affecto operi Collegæ, quorum fidei à moriente *Leone* fuerat religioſè commiſſum, ultimam manum impoſuerunt; *Theodorus* nempè *Bibliander*, *Conradi Pellicani* & *Petri Cholini* operâ adjutus. Anno primum 1543. *Tiguri* publici juris facta eſt hæc *interpretatio*. Eam verò biennio pòſt edidit *Robertus Stephanus*, additis ſuis, ſub *Franciſci Vatabli* nomine, *Annotationibus*. Quamvis autem celato *Auctore* hanc interpretationem ſparſiſſet *Robertus*, rem tamen ſubodorati *Theologi Pariſienſes* acriter ipſum exagitare non deſierunt, donec perpetuæ conflictationis pertæſus *Genevam* conceſſit. Cæterùm mitiùs in *interpretationem* hanc ſe geſſerunt *Hiſpani Theologi*, eamque recognitam non ſemel ediderunt. *Huet.* de Clar. Interpr.

Certum eſt *Robertum Stephanum* in pleriſque Bibliorum editionibus à ſe evulgatis ſincerè ſatis non egiſſe, eumque hac in parte Pariſienſibus Theologis impo-

Digitized by Google

imponere voluiſſe, nominatim Editione anni 1545. Ex oppoſito autem iidem Theologi *Pariſienſes* videntur potuiſſe majori cum lenitate & charitate ſe gerere reſpectu novarum Bibliorum Tranſlationum, quas cum Notis utiliſſimis prælo ſubmiſit, quamvis harum quædam damnari mererentur. *Petrus Caſtellanus* primarius *Franciæ Eleemoſinarius*, qui Sanctiori Regis Conſilio litem retulit, quæ tunc temporis inter *Pariſinæ* Facultatis Theologos & *Robertum Stephanum* agitabatur, ab illorum Theologorum in quibuſdam immoderatione culpanda temperare non potuit, quippe qui Hæreſes ubi nullæ erant repererint: hujus autem cauſa fuit, ut aſſeverat idem *Caſtellanus*, quòd eo tempore Linguas *Græcam* & *Hebraicam* ignorarint. Sed veroſimile eſt *Robertum Stephanum* Obtrectatoris notâ dignum eſſe: cum iiſdem Doctoribus exprobrat, quòd obluctati fuerint eximiæ illi Editioni *Græcæ* Novi Teſtamenti, quam tunc temporis publicam fecit cum Variis Lectionibus quas excerpſerat è Bibliothecæ Regiæ manuſcriptis Exemplaribus. *Viri illi Docti*, ait Robertus Stephanus, *cenſebant varias Lectiones quæ ſunt in margine eſſe quaſdam Annotationes præter textum additas.* Sed hæc eſt manifeſta calumnia, quia non pauci *Pariſinæ* Facultatis Doctores erant illo tempore, qui *Græcæ* Linguæ ignari non erant, imo qui in ipſa Biblia eruditè ſcripſerunt. *Robertus Stephanus* voluit dubio procul odio exponere Pariſienſes Theologos, ſua eorum Cenſuræ Reſponſione, ut cum eodem loco refert hæc verba tamquam ab uno eorumdem Doctorum prolata. *Miror juvenes illos Novum Teſtamentum nobis citare. Per Deum ultra quinquageſimum annum agebam, cùm nondum ſcirem quid eſſet Novum Teſtamentum.* *Jeſ.* Richard. *Simon.* Hiſtor. Crit. V. T. lib. 2. c. 21. Gall.

Franciſcus primus voluit ut Manuſcripta *Bibliothecæ* ſuæ in lucem prodirent, hoc munere *Roberto Stephano* demandato, quippe qui omnium Typographorum qui unquam fuerint diligentiſſimus erat; quique præter characterum quibus in excudendis Libris utebatur elegantiam, conatus omnes adhibuit ut propria induſtriâ & incredibili labore eos quammaximè optari potuit mendorum expertes emitteret. Et niſi à tam laudabile cœpto deſtitiſſet Pariſiorum Civitatem deſerens, ut extra Regnum ſedes quæreret, brevi tempore Chriſtianus Orbis pleriſque hujus *Bibliothecæ* Authoribus potitus eſſet, in quo immortalem gloriam ſibi paraſſet. Du *Verdier* Præfatione in Bibliothecam ſuam. 1585. Gall.

-----Ejuſmodi ſanè fuit *Venetiis*, patrum memoriâ, diligens ſimul & eruditus ille *Aldus Manutius Romanus*, adeò quidem ut ſummum in hac Arte [Typographica] gradum aſſecutus videretur. Ejus veſtigia *Baſileæ* præſertim & *Joannes Frobenius* & alii aliquot ſequuti ſunt, quibus res literaria plurimum debet. Sed quanto illi cæteros antecelluerunt, tanto majorem tibi, *Roberte Stephane*, ſuperiores omnes longè latéque ſupergreſſo gloriam tribuendam eſſe vel ipſa fremens invidia confitetur. Nam ut alii tecum nonnulli de librorum quorundam excuſorum elegantiâ & venuſtate certent, nemo tamen vel in operoſiſſimis libris tecum in emendationis fide ac diligentiâ fuerit comparandus.

Tibi Linguam *Hebræam* magnopere illuſtratam : tibi *Græcorum* Characterum ſummam elegantiam : tibi partim in lucem revocatos, partim feliciſſimè reſtitutos, tum *Græcos* tum *Latinos* ſcriptores plurimos : tibi denique infinitâ quadam induſtriâ & inexhauſtis laboribus ex omnium claſſicorum auctorum penu depromptum *Latinæ* Linguæ *Theſaurum* debemus. Sed hæc tua præcipua laus eſt, quòd non inanis gloriæ, non lucri cupidus, officinam tuam *ſacris* præſertim excudendis *Bibliis* conſecraſti : quo in opere toties recudendo, emendando, modiſque omnibus illuſtrando, teipſum quoque ſuperaſti. *Beza* in Elog.

Inter cætera tanti viri, *Linguæ Latinæ Theſaurum* ampliſſimum habemus, à multis pridem laudatum, & in æternum laudandum. *Colomeſ. Gall. Oriental.*

Tanta fuit in Opere illo [*Theſauro*] conſtruendo diligentia, ut rem non ſolùm domeſticam, ſed & curam corporis in totum fermè neglexiſſe de ſe prædicet. Quid mirum, nec aliter fieri potuit; nam duobus annis ſe *Opus* illud ad Umbilicum produxiſſe ipſe auctor eſt, de quo ſæpiſſimè egit cum viris doctiſſimis & clariſſimis quibuſcum ſuos labores communicavit, ut eo elegantius correctiuſque in lucem prodiret, quorum adhortationibus tanta ſtudia, tantam diligentiam adhibuit, tot noctes dieſque ei operi inſudavit, ut niſi Ope Divinâ fuiſſet ſuſtentatus, aut occumbendum ei aut ſuccumbendum fuiſſet. *Theod. Janſſon.* de Vitis *Stephanor.* p. 43. 44.

Robertus Stephanus in *Elucidarium* ſuum *Poëticum* ex *Anthropologiâ Volaterrani* pleraque virorum ac mulierum nomina ſic deſcribit, ut alicubi etiam errores ejus faciat ſuos, alibi novos à ſe addat. Ignoſcerem, ſi lectorem ſuum appellans, *Volaterrani* feciſſet apertam mentionem. *Thomaſ.* de Plag. num. 549.

* Hic Author inter *Hæreticos* primæ Claſſis rejicitur in *Indice Tridentino.*

Extat *Linguæ Latinæ Theſaurus*, 3. Vol. *Pariſ.* 1543.

POLYDORUS VIRGILIUS, SEU VERGILIUS.

Clar. A. D. MDXL.

VRbinas, ex *Italiâ* in *Britanniam* ſeſe contulit; & ab *Henrico* Rege fortunis adauctus flamenque *Londinenſis* creatus eſt. Obiit anno 1555. Reliquit Proverbia: Libellum de Prodigiis: Octo libros de Rerum inventoribus: Hiſtoriam *Anglicanam*, &c. In Hiſtoriâ parum fidei ipſi nonnulli tribuerunt. Notum illud *Oweni.*

> Virgilii *duo ſunt, alter* Maro. *Tu* Polydore
> *Alter. Tu mendax, ille Poëta fuit.*

Konig. *in Biblioth.*

Polydorus

Polydorus Vergilius, Urbini in *Italiâ* natus, *Romani Pontificis* Quæſtor, pro colligendis D. *Petri* denariis (nam ſuum quiſque perſolvebat nummum, ad ſacram Synaxin admiſſus) in *Angliam* primùm advenit. Ob inſignem in omni bonarum literarum genere eruditionem, *Wellenſis* Eccleſiæ Archidiaconus poſtmodum factus, priori Officio Pontificî reſignato, conſtituit *Romam* non repetere, ſed deinceps in noſtrâ permanere Inſula. Et licet in pleriſque ſcriptis ſuis veræ Religioni ſuperſtitionem prætulerit, piè nihilominus Chriſtianorum Miniſtrorum conjugia defendebat piéque ſtatuarum cultum damnabat, cum quibuſdam aliis *Romanenſium Rabbinorum* impoſturis. Quòd antiquitati *Britannicæ* vel *Anglorum* Hiſtoriâ, quàm par eſt, iniquior ſit, ex veterum illius Gentis *Chronicorum* & *Hiſtoriarum* ignoratione provenit. Quòd prætereà Reges aliquos ab impietate pios, & alios è diverſo ab ipſâ æquitate iniquos etiam promulgaverit, communi ante agnitam veritatem per Dei verbum, errori ac cæcitati imputandum eſſe judico. *Galfridum Monemuthenſem*, virum certè pro ſuo ſeculo inſigniter eruditum, inconditè tam acriter mordet, *Novoburgenſem* Monachum *Guilhelmum Petitum* ſecutus, quum tamen illius ope in concinnandâ Hiſtoriâ tam frequens utatur. Erat certè *Polydorus* ob erudita illa *de Rerum Inventoribus*, *Sacrorum Ritibus* & *Prodigiis* Opuſcula, ab ipſis etiam piis ſuſpiciendus *Joan. Baleus* de Script. Britan. Cent. XIII.

Polydorus, ut homo *Italus*, & in rebus noſtris Hoſpes, & (quod caput eſt) neque in *Republicâ* verſatus, nec magni alioqui, vel judicii, vel ingenii; pauca ex multis delibata, & falſa plerumque pro veris amplexus, Hiſtoriam nobis reliquit, cùm cætera mendoſam, tum exiliter ſanè, & jejunè conſcriptam. *Hen. Savil.* Præfat. ad Rer. Angl. Scriptor.

Conſcripſit Hiſtorias Rerum *Britannicarum*, eâ fide, ut *Scotis* & *Gallis* ſæpè refragantibus, alieno potiùs arbitrio, quàm ſuo intexuiſſe multa in gratiam Gentis exiſtimetur: quódque in recenſendis minorum *Ducum* nominibus tanquam gloriæ avidis plurimùm indulſerit. *Paul. Jov.* in Elog.

Maximè erravit *Polydorus* in deſcribendis temporibus *Henrici* VIII. nam præter quòd linguæ noſtratis prorſus ignarus, plurima eorum temporum neſcire habuit neceſſe: plurima etiam, ut *Mariæ Reginæ* gratiam promptiùs demereri poſſet ſcripſiſſe, non ſine causâ perhibetur. Priorum verò temporum, eadem non eſt ſuſpicio. *Whear.* de Meth. Leg. Hiſt. Sect. 30.

Polydorus vir multis nominibus clariſſimus ---- Utinam *Polydorus* tam oculatus fuiſſet teſtis in rebus *Britannicis*, quàm interim eſt terſus, nitidus, elegans. Nam ille tum exegiſſet *Opus immortalitate* planè digniſſimum: modò & eâdem Operâ cognitionem utriuſque linguæ, viz. *Britannicæ*, & *Saxonicæ* tanquam ad coronidem adjeciſſet. *Leland.* Comment. in Cygn. Cant.

Ad *Arthurum* remigro: cujus authoritatem ſi quis elevare ſtudeat, quòd *Polydorus Angl.* Hiſt. l. 3. vana eſſe quæ de *Arthuro* ſcribuntur aſtruat, is non videtur omni vetuſtatis monumenta diligenter evolviſſe, ſed de rebus ejus planè ſomniaſſe, cum de geſtis *Arthuri*, de regno, de caſtris, de regiis, de conviviis, de legibus, de academiis, de vitâ, de morte, de ſepulturâ plena ſunt omnia: adeò ut-

ut hîc *Jo.Lelando* de aſſertione *Arthuri* magis accederem,ſi nullum mihi de vetuſtate judicium eſſet, quàm *Polydoro*, qui ut in aliis, ita & hîc licenter errat, ut pace ejus dixerim, etſi in aliis benè geſtis commendarem. Quem, ne aliquando intelligerentur errores, fama percrebruit, atque etiam cognitum & compertum certò eſt, tot hiſtorias noſtras vetuſtas & manuſcriptas immani ſcelere igni commendaſſe, quot ne plauſtrum quidem poſſet capere atque ſuſtinere arbitratus, ut credo, ſe ejus generis omnes ſolùm habuiſſe: aut veritus ſibi vitio dari, quod ſecutus legem jampridem librorum veterum caſtigatoribus datam (ut ipſe de ſe ait in præfatione in *Gildam*) nonnulla reſecuerit, quæ Scriptores prodiderunt. Superſunt tamen Deo volente quamplurimi omnis generis, & illis *Polydori* multò pleniores & perfectiores. *Joan. Cajus* de Antiquit. *Cantab.* l. 1. p. 52.

Nominis *Britannici* gloriam non ſolùm obfuſcare; ſed etiam *Britannos* ipſos mendaciſſimis ſuis calumniis infamare, totis viribus conatur. *Humfred. Lhuyd.* in deſcript. *Angl.*

Polydorus Virgilius non contemnendæ literaturæ homo ſed in libro *De Inventoribus rerum* ſæpè futilis, & mendax eſt. *Jo.* Card. *Bona.*

Hoc anno 1550. *Polydorus Virgilius*, poſtquam ad quadrageſimum ferè ætatis annum in Anglia vitam perduxiſſet, veniam petiit ad ſolem accedendi. Eam poſtridie Kalendas Junii adeptus eſt: Et quia de Republica bene meritus cenſebatur, quòd Genti noſtræ utilem & glorioſam hiſtoriam contexuiſſet, ei conceſſum eſt Archidiaconatum ſuum *Walliæ* & Præbendam ſuam *Nontingtoniæ* retinere, non obſtante ejus abſentia à Regno. *Burneti* Hiſt. Reform. Vol. 2. pag. 154. Anglicè.

Plurimos *Polydori* errores detegit *Joann. Lelandus* in declaratione antiquarum dictionum, quæ occurrerent in *genethliaco* illuſtriſſimi Principis *Eadverdi*: ut de *Armore*, & *Armoricâ* regione, de *Monâ* Inſulâ, &c. *Voſſ.* de Script. Lat.

* *Polydori Virgilii de Inventoribus* Rerum liber expurgatus, & excuſus *Romæ* juſſu *Gregorii* XIII. 1576. permittitur in *Indice Tridentino.*

Extant de Inventoribus Rerum Libri 8. *Argentorati* in 4°. an. 1509.

Extant Hiſtoriæ *Angliæ* lib. 26. editore *Antonio Thyſio. Lugd. Batavorum* ſumptibus *Jo. Maire ann.* 1650. 8°.

In *Pydorum* hæc Carmina compoſuit *Simon Grynæus*, libris de *Inventoribus Rerum* præfixa.

Qui more & ritu argutæ apis
Campos Theſpiadum *pervolat*,
Amicis paſſim floribus
Cautè os impreſſus, *inſidat*,
Succos miros, *miras opes*

Gengre

Genere omni auctorum convehit.
Divite mox alveario,
Favos & mella dulcia
Subinde præbet omnibus,
Polydori *non intellige*
Merito qui non ſummo ſibi
Nomen venerandum vendicet.

HIERONYMUS CARDANUS.

I*Talus*, *Mediolani* natus eſt Anno 1501. die 24. Septembris. Clar. An. D. MDXLIV.

Scripſit varia, quorum Catalogum ipſe contexuit.

Non ſine laude nominandus eſt *Hieronymus Cardanus* ---- Qui in Naturæ Scientia, ac *Medicinâ*, aliiſque, tot nova adfert, ut ſummus vir *Andreas Alciatus* eum vocare ſoleat *Virum Inventionum.* Quin *ingenium profundiſſimum*, *feliciſſimum*, & *incomparabile*, ei tribuit, *Cæſar Scaliger*: quæ magna eſt laus ab Adverſario tam gravi, & acerbo. *Voſſ.* de Mathemat. p. 41.

Orbana eſt Reſpublica Literaria viro maximo, atque incomparabili;eamque jacturam fecit, quam fortaſſe nullis poſthac ſeculis reparare poſſit ---- Cùm in homine docto tres partes omninò excellere debeant, morum integritas atque civilitas, eruditio varia & multa, ingenium ſummum cum acerrimo judicio conjunctum, tria hæc ille puncta adeo planè tulerat, ut ad unum modò totus pro ſe, ſolus pro omnibus factus à naturâ eſſe videretur. *Jul. Cæſar Scalig.* in judic. ſuo de *Cardano.*

Quem [*Hieronymum Cardanum*] cùm ſinguli, ſuâ quique in arte propriâ, præſtantiſſimum fuiſſe non dubitent, ego certè primum eum & unicum fuiſſe exiſtimo, qui ſimul in omnibus tam egregiè verſatus ſit, ut videatur exemplum in eo oſtendere voluiſſe, majoris amplitudinis & immenſitatis doctrinæ quàm homini huc uſque concedere potuerit.Nam ſi in reliquorum omnium dotes inquiramus, videbimus, multos humanioribus ſtudiis *Theologica* tantum ſuperinduxiſſe, nonnullos *Mathematica* etiam; quoſdam *Medicinæ* & *Philoſophiæ* cognitionem; alios Linguarum Orientalium, vel Juris utriuſque notitiam; & rurſum aliquos, paucis paginis, ut *Picum* & *Fracaſtorium*, mirabilem ingenii ſui præſtantiam explicaſſe: ſed qui plures ſcientias in numerato habuerit,qui altius in illas deſcenderit, qui *Commentariis* amplioribus illuſtrarit, alium profectò ab *Hieronymo Cardano* inveniemus neminem. Ut miraculo proximum ſit, hominem hunc, plus fermè in omnibus Scientiis vidiſſe, quàm ſinguli in propriâ ſuâ requirerent, aut inveniri poſſe ſperarent. *Gabr. Naud.* in *Hier. Cardan.* vit.

Hieronymus Cardanus,magni nominis ſive Mathematicus,ſiveMedicus.*Romæ* eum diverſo ab aliis cultu incedentem paucis ante obitum annis conſpicati & adlocuti, ac ſæpiùs admirati ſumus; cùm celeberrimi tot *Scriptis* hominis recor-

Digitized by Google

datio ſubiret, neque tamen quidquam in eo, quod tantæ famæ reſponderet, animadverteremus: eoque magis *Iulii Cæſaris Scaligeri* acerrimum judicium ſuſpeximus, qui divinum ingenium ſuum in *Opere* de *Subtilitate* exagitando præcipuè exercuit, inæqualitate illius ubique diligenter notatâ, qui in quibuſdam interdum plus homine ſapere, in pluribus minùs pueris intelligere videatur. In *Arithmeticis* multa conatus eſt, & invenit: *Iudiciaria*, quam vocant, fidem apud multos adſtruxit, dum certiora per eam, quàm ex arte poſſint, plerumque promeret. Verùm extremæ amentiæ fuit, imò impiæ audaciæ *Aſtrorum* commentitiis legibus verum *Aſtrorum* Dominum velle ſubjicere. Quod ille tamen exaratâ *Servatoris* noſtri geniturâ fecit. Tandem cùm tribus diebus minus ſeptuagesimum quintum annum impleviſſet, eodem, quo prædixerat anno & die, viz. 11. Kal. Octobr. 1576. defecit, ob id, ne falleret, mortem ſuam inediâ acceleraſſe creditur. *Thuan.*

Hoc contradictionis ſtudium, quod *Scaliger* ubique in *Exercitationibus* ſuis ad *Cardanum* prodit *Sophiſta* dignius eſt quàm Philoſopho, Majorem etiam modeſtiam, dum ſalsè adeò tractat *Cardanum*, meritò paſſim requiras: præſertim ſi cogites, ſcribere adverſus virum ſummum, ſtudiis quidem *humanitatis* & *Metaphyſices*, non paulò inferiorem: at non ſcientia *naturæ*, *Matheſeos* autem omnibus diſciplinis, in quibus parùm omnino *Scaliger* videbat, *albis* quod dicitur *equis* prævertentem. Quæ à me minimè dicerentur, niſi ſeculo hoc viderem quoſdam non tam virtutes ejus viri imitari, quàm unum alterumque [homo enim erat] vitium morale; quo non mediocriter admirandas, planeque heroicas, ingenii doctrinæque dotes depreciavit. *Voſſ.* l. 3. de Idolol. c. 80.

Et quidem eo præditus erat animi acumine, ut magnus Philoſophus fuiſſet, ſi *Peripateticus* non eſſe auſus fuiſſet---tam vana ubique, cùm in *Aſtrologiâ* ſuâ, tum in cæteris ſuis inanibus diſciplinis, de *Deo Divinaque providentia*, commentatus eſt, ut quicunque legat, non omninò *Atheum*, ſed totum *Fanaticum* fuiſſe concluſerit. *Sam. Parker.* in Diſput. de *Deo* Diſput. 1. ſect. 25.

Quod ad Cardanum attinet, Character ejus vaſtus & inordinatus eſt, in omnia ſine delectu evagans, nec ullibi pedem figens. *Rapin.* in philoſoph. Reflex. 17. Gall.

Cardanus Vir eruditus erat, ex uſu politiorum hominum vitam agere norat. De multifaria ejus experientia nullus dubito. Sed homo erat ventoſi ingenii, opinionibus propriis ultra modum addictus, nec minus popularis auræ cupidus; Nemo unquam veraciùs eſt locutus quam ille qui primus eum hac cenſura notavit, quilibet vel mediocri judicio pollens idem ex ejus ſcriptis ſtatim animadvertet. Homo denique fuit qui res inſolitas enarrare affectabat, quæ ſcilicet admirationem parerent, ut ipſe admirationi eſſet, iis qui fidem ei adhiberent. Et ſanè plura mirabilia refert de ſe & de Patre ſuo, & de quibuſdam aliis cognatis ſuis, quam quis uſquam alibi legere poſſit. Verùm non modò ventoſus erat, cujus nomine cenſuram aliorum incurrit, ſed etiam mendaciſſimus, *inſignis mendax*, quod & agnoſcit & evincit amicus ejus conjunctiſſimus *Naudæus*; imo ex ipſiuſmet confeſſo, juxta ejus Horoſcopium, *Nugax*, *Religionis contemptor*

contemptor, *maledicus*, *impurus*, *calumniator*, &c. Quæ omnia idem *Naudeus* de ipſo veriſſima fatetur. *Meric. Caſaub.* de Credulitate & Incredulitate p. 160. Hæc refert Author Anglicus innominatus, Anglicè.

* *Cardani* opera de Sapientiâ, de Varietate, de Subtilitate, de Conſolatione, Commentaria in Quadripartitum *Ptolomai* de Genituris; & reliqua omnia, quæ de *Medicinâ* non tractant, prohibentur niſi corrigantur.

Extant Opera ejus omnia, *Geneva 1624.* in fol. in 10. Tomos digeſta, per *Carolum Sponium.*

Hoc ejus Epitaphium, quod ſibi vivens ſcripſit:

Non me terra teget, cælo ſed raptus in alto,
Illuſtris vivam docta per ora virûm.
Quicquid venturis ſpectabit Phœbus in annis.
Cardanos *noſcet, nomen & uſque meum.*

JOANNES DE CASA.

Clar. A. D. MDXLV.

F*Lorentinus*, patricio genere ortus, Archiepiſcopus *Beneventanus.* Obiit decimo quarto Novembris 1556.

Scripſit catalogum Hæreticorum, cui reſpondit *Vergerius*---Vitas *Petri Bembi*, & *Gaſparis Contareni*--- Tractatum cui Titulus Galatheus---- Poëmata quædam *Italica*, in quibus [proh ſcelus!] *Sodomiam* laudibus extollit.

Ioannes Caſa patritio apud *Florentinos* genere ortus, eminet politioris literaturæ faſtigio, elapſi, ac præſentis propè ſæculi hominibus inacceſſo; præterquam quòd enim patrio, Latinoque carmine ſuaviſſimè concinit; ſolutâ utriuſque idiomatis oratione ſic excellit, ac potiſſimum *Itali*, ut ſinceræ puræque Scriptionis exemplar ex ejus affatim opuſculis deſumatur. Ac profectò ſi ejus lacteo eloquentiæ fonte, rivuli ad poſteritatis fructum manaſſent uberiores, nihil dubium, quin noſtratium ingenia frequentiſſimo hauſtu, illos æquè ac nectarea *Petrarcha*, ac *Bocaccii* & aliorum hujus cenſus pocula deguſtaſſent. At fato neſcio quo cecidit perìniquo, ut longè pauciores exiſtant, quàm literatorum cœtus exoptet. Verè Libellus, in quo *Galathei* nomine luculentam morum edocet rationem, ſuperque teſtetur unus perraram incomparabilis calami felicitatem, quando brevitati candorem, eruditionem, ſuadam, perſpicuitatemque ita connectit, ut inextinguibilis quidam ejus etiam, atque etiam legendi ardor cunctos abripiat. Hunc propterea *Thuanus Gallicus* auctor, veterum longè præſtantiſſimis æquandum exiſtimat. Hoc etiam intuitu vivens à Summis Pontificibus *Paulo* III. *Marcello* II. egregia munificentiæ retulit ornamenta, collato ſibi nimirum Archiepiſcopatu *Beneventano*, indeque graviſſimarum Legationum munere à *Paulo* IV. pluries injuncto. *Ioan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

De *Claudio Eſpencæo Pariſienſi* Theologo & *Joanne Caſa*, qui *Pontifici* ab Epiſtolis erat, in *Cardinalium* Collegium cooptandis tunc actum. Utrumque commendabat generis nobilitas & doctrina, quamvis diverſa. Nam alter Theologicis ſtudiis innutritus, in profeſſione ſuâ conſenuerat, alter eloquentiâ atque eleganter *Etruſcè* ac *Latinè* ſcribendi peritiâ, vel cum Antiquis comparandus, magna negotia ſub Pontificibus ſummâ ſolertiâ, geſſerat. Sed longè diſpares utriuſque mores erant, cùm ille ſanctitate vitæ ac morum caſtitate præſtaret; hic ſeculi licentia ac loci, in quo degebat, libertate uſus ſolutè ferè vitam egiſſet. Itaque ab æmulis uterque apud *Pontificem* delatus; *Eſpencæus* quidem, quòd quædam perperam inter concionandum de *aureâ*, quam vulgò appellant, *legendâ* locutus, cùm *ferream* potiùs vocandam eſſe contenderet, poſteà publicè recantare coactus fuiſſet, quod & à *Ioanne Sleidano* memoriæ proditum eſt; alter, quòd etiam carmine rem nefandam in juventute laudâſſe diceretur: ſicque ob diverſas longè cauſas uterque ab eadem dignitate ſummotus eſt. *Thuan.* Thom. 1. l. 16.

Ioannes Caſus Florentinus, Archiepiſcopus *Beneventanus*, Apoſtolicæ Cameræ Decanus, *Sodomiæ* laudes *Italico* carmine celebravit: in quo nefarius Cinœdus illud flagitiorum poſtremum & ſpurciſſimum auſus eſt appellare *divinum opus*; teſtatus præterea, illo ſe maximè oblectari, nec aliam venerem noviſſe. Liber, qui unà cum *Authore* flammis debuiſſet aboleri. *Herman. Conring.*

Quis ferat quod ſuperioribus annis accidit, *Caſalem* quendam, ſummum propè dignitatis in *Hierarchiâ* gradum obtinentem, carminibus turpiſſimis infanda flagitia ſua publicè prædicare? En egregium familiæ divinæ columen; cui turpitudo ſatis per ſe magna non ducitur, niſi ad eam impudentiſſima accedat gloriatio. *Gul. Canter.* Præfat. in *Propert.*

Janus Rutgerſius, ſeu potius *Ioſephus Scaliger* contendit quòd *Caſa* carmine Italico minus felix fuerit, quódque culpatus quòd Poëma quoddam idiomate vernaculo contexuiſſet, culpam amovere conatus fuerit; Tentamen illud fecit *Latinis Jambis* frigidiuſculis & parum jucundis. Verùm Dominus *Balzacius* cenſet eos adhuc præſtantiores eſſe omnibus Verſibus amborum *Scaligerorum* ſimul ſumptorum. *Eruditor*, de Poëtis Judicium Pariſ. 1686. per *Baillet.* Gall.

Hic liber primum [*Galatea* ſeu *Ars placendi* in civili converſatione] parvi momenti eſſe primo intuitu videtur, quia *Civilis Vita* prima tantum elementa ſubminiſtrat; ſed omnia tam ſolido judicio ibi pertractantur, tamque eleganter ſcribuntur, ut excellentiſſimis Operibus annumerari debeat. Unde etiam propter illud fama Domini à *Caſa* ejuſdem Authoris, quique inter cultiſſima *Italiæ* totius ingenia exiſtimatus eſt, integra & illibata etiamnum perdurat. *Eruditorum Ephemerid.* Gall. diei Lunæ. 31. Janv. 1667.

Quod ad Latinitatem Domini *della Caſa* tibi prorſus aſſentior. Cardinalis *Bembi* vita Scriptum eſt terſiſſimum, in quo & acerrimum judicium, eximiamq; *Latinitatem* obſervare eſt. Vita Cardinalis *Contareni* prolixior eſt, ſed omnibus ſuis numeris non ſic abſoluta, imo ex ipſius *Victorii* confeſſo, ſecundis curis indigebat

indigebat ut ad perfectionis culmen proveheretur. *Balzacius* Epiſt. 32. ad Dom. *Chapelain* lib. 18. Gall.

Prodierunt Latina Monumenta ejus *Florent.* 1564. 4°.

Prodiit *Galateus*, ſeu de Morum elegantiâ, cum Notis *Nath. Chytrai. Han.* 1603. 8°.

Obiit *Romæ* atque in Sacello Eccleſiæ D. *Andreæ* de *Valle* ſepultus, ubi hoc ejus Epitaphium.

D. O. M.

Joanni Caſæ *Archiepiſcopo* Beneventano, *cujus ſingularem in omni virtutum ac diſciplinarum genere excellentiam Immortalibus illuſtrem monumentis Æmula nequicquam poſteritas admiratur.* Horatius Oricellarius *avunculo optimè meritò P.*

PAULUS FAGIUS.

TAbernis Rhenanis natus in *Palatinatu* anno 1504. Prima ſtudiorum fundamenta *Heidelbergæ* poſuit, deinde cum Sanctæ linguæ ſtudio arderet incredibili, ſub *Capnione* Doctore [cui poſtea ſucceſſit] *Argentinæ* ad miraculum uſque peritiſſimus ejus evaſit, ipſis *Iudæis* teſtibus. *Iſnæ* primùm Moderator Scholæ, deinde Paſtor factus eſt Eccleſiæ. Uſus autem Patrono incomparabili *Petro Buſlero* ejus urbis primario Senatore, in Sanctâ Linguâ exornanda, unà cum *Elia Levita Iudæo Veneto* doctiſſimo, *Argentinam* demùm vocatur: prius tamen urbe *Conſtantiâ* per biennium reformatâ, *Argentinæ* demum munus Paſtoris ſimul & Doctoris egregiè ſuſtinuit anno 1544. Tandem periculoſiſſimâ *Germaniæ* tempeſtate, *Cæſare* victore, in *Angliam* abreptus cum *Bucero* Collegâ & Synaſpide, *Cantabrigiâ* vix ſalutatâ (heu) mortuus eſt anno 1550. pridie Id. Novembr. annum vitæ agens 45. non abſque veneni ſuſpicione. *Boiſſard.* Clar. An. D. MDXLV.

Plurima ex Hebraicâ Linguâ tranſtulit & eruditas annotationes in *Chaldaicam Pentateuchi Paraphraſin* ſcripſit.

Quô non ſolùm ſuperiori ſeculo, ſed & multis retrò annis, nemo vixit noſtratium, linguarum peritior: id quod & in Colloquiis familiaribus, & in diſputationibus cum *Iudæis*, & in explicatione *Targum*, ſeu Paraphraſeos librorum *Moſis Chaldaicæ* liquidò demonſtravit. *Melch. Adam* in vit. *Draconitæ.*

Quâ in Linguâ (*Hebraicâ* ſcilicet) tantùm profecerat, ut ſeculis abhinc aliquot doctiorem *Fagio* creditum ſit fuiſſe neminem. *Jacob. Verheid.*

Vir inter Chriſtianos *Hebraicè* doctiſſimus. *Joſ. Scaliger.* Elench. Tribæreſ. Serar. c. 14.

Fagius in *Geneſim* optimus. *Scaligerana* 2.

Paulus Fagius Germanus, vir de literis *Hebraicis* optimè meritus. *Geſn.* in Bibl.

Digitized by Google

Homo facundus atque doctus vocatur *Sleidano* in Commentariorum l. 18.

Iudæos quod attinet, appello viros fide digniſſimos, & in eorum *Scriptis* verſatiſſimos, *Paulum* ſcilicet *Fagium* & *Io. Merc. Io. Arrovvſm.* Tactic. Sac. p. 20.

Quemadmodum apud *Iudæos* vulgò dicitur de R. *Moſe Maimonide*, *A Moſe uſque ad Moſen non ſurrexit ſicut Moſes*, viz. *Maimonides*: ſic apud *Germanos* meritò dici poteſt de *Paulo Fagio*, A *Paulo* ad *Paulum* non ſurrexit ſicut *Paulus*, viz. *Fagius*. *Edvv. Leigh.* de vir. doctr. illuſt.

Paulus Fagius qui inter Criticos illos ſecundum locum occupat, in tota Biblia quemadmodum *Munſterus* Notas non elucubravit, ſed tantum in quinque Libros Moſis; quinimo ejuſmodi Notæ ſunt in *Onkeloſi* Paraphraſin Chaldaicam, quam in Latinum tranſtulit, non autem in *Hebraicum* Textum. Interea tamen non minus quàm ipſa Paraphraſis Textum dilucidant. Methodus ejus eſt juxta Criticæ regulas, quia totus fere tantùm eſt in tradenda ſignificatione propria vocum Hebraïcarum & Chaldaïcarum, & literali *Moſis* ſenſu intelligibili reddendo. In ſuis Notis *Munſtero* paulò prolixior eſt, præſertim in quatuor priora *Geneſeos* capita; quæ ſeorſim & admodum diffusè explanavit. Authores quorum veſtigiis inſiſtit iidem ſunt quos *Munſterus* ſequutus eſt, & plerumque ſolos Rabbinos citat, quorum ſano judicio delectum habuit, ut quæ ſenſum literalem ſpectant tantummodo explicet. Pluribus locis Munſtero felicior fuit, ſeque *Hebraica* Linguæ eo peritiorem ibidem exhibuit. Iiſdem tamen defectibus laborant duo illi Critici, quia Methodum eandem obſervarunt, & quia Rabbinorum Commentariis prorſus adhærent; Ex quibus, fateor, utilia quædam quoad Scripturæ ſenſum Literalem excerpſerunt; ſed etymologias ſatis ridiculas penes eorundem Rabbinorum fidem quandoque referunt, cùm tamen errori ſint obnoxii *Ieſ. Rich. Simon.* Hiſt. Critic. V. T. l. 3. c. 15. Gall.

Complures *Iudæorum* Magiſtros Latinè loquentes exhibuit *Paulus Fagius*, diligens Interpres, elegantiarum, præ veritatis ſtudio, negligens, &, quantum fert Ebraicæ Linguæ ſiccitas, ſatis parcus. *Huet.* de Clar. Interpr.

Cùm *Paulus Fagius*, tum Bucerus *Germania* ſolum vertere coacti, ob *Interimi* negotium, à *Cranmero* in *Angliam* transfretare invitati ſunt, & Cantobrigiam ablegati; ut Petrum Martyrem Oxonium prius miſerat. Sed Fagio ſalutare non fuit cœlum illud, unde brevi poſt diem obiit, qui vir fuerat *Orientalium Linguarum* callentiſſimus, bonuſque Scripturarum Explanator. *Burnetii* Hiſt. Refor. part. 2. p. 88. Fol. Angl.

Extant *Capitula* ſeu *Apophthegmata Patrum*, Heb. Lat. cum Scholiis, *Iſna* 1541.

Extat Verſio ad *Targum Onkelos*, & Notæ in Pentateuchum. *Arg.* 1546. fol.

JOANNES CALVINUS.

Claſ. An. D. MCDXLV.

GAllus, natus eſt *Novioduni*, in *Picardiâ*, ſexto die Junii, anno 1509 Obiit vigeſimo ſeptimo Maii, Anno *Dom.* 1564. Eccleſiæ *Genevenſi* multis annis præfuit.

Pæd

Pænè in univerſam S. Scripturam doctos Commentarios confecit. Opera ejus 8. Voluminibus continentur, *Genevæ* Ann. 1592. fol. edita.

Fuit ei ingenium vivaciſſimum, judicium ſubactiſſimum, memoria tenaciſſima, eloquentia docta, rerumque & ſententiarum pondere tonans. Unde *Melanchthon* de eo *Nullius hoc tempore oratio in diſputando vel nervoſior fuit, vel ſplendidior. Eloquentia ipſe ſuâ enervat noſtros, terret Adverſarios, & ſanabiles juvat.* Præter divinum *Inſtitutionum* Opus plurimos tum V. tum N. T. libros erudîtiſſimis Commentariis explicuit, aliaque ingenii ſui monumenta edidit, è quibus facilè patet, quicquid in ejus cineres convitiorum congeritur, nil niſi pravæ loliginis nigrum ſuccum eſſe. *Hofman.* in Lexic.

In oratione gràvitas & majeſtas ſingularis eſt: concinna, nervoſa prorsùs, & virilis compoſitio, quæ pondere ſuo penetret, moveatque maximè cum judicio legentium animos, quâ ſcribendi ratione vix ullum ſibi habuit parem. *Iacob. Verheid.*

Calvinus enim [utcunque πολυγραφώτατος fuerit, & diſputator adeò ſolidus, ut, ſi ulli, meritiſſimò ei adſcribas, quod *acris aceti cupas habuerit*, quique hinc omni jure.

---totus doctior Orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium]

nunquam tamen Hæreticos, contra quos in arenam deſcendit, totis argumentorum phalangibus eſt adortus, ſed diſerto & conciſo potius acumine confodere ſtuduit, imò & confodit. *Gul. Salden.* de uſu & abuſu librorum.

Calvinus illuſtris vir, nec ſine ſummi honoris præfatione nominandus. *Andr. Wintonenſ.* Epiſc. in lib. de Uſuris.

Calvinum & *Bezam*, etſi omnes magnifaciunt veritatis amantes; nemo tamen eſt paulò judex æquior, qui jurari in verba illorum poſtulet. *Caſaub.* Epiſt. 676.

Lutherus & *Calvinus*, viri ſummi & incomparabiles. *Idem* in Epiſt. 707.

Cujus *Scripta* ſpirant merum *Dei* timorem, & zelum pro *Dei* Eccleſiâ. Nec quiſquam adverſariorum, quos habuit innumeros, carpſit ejus mores præter *Hieronymum Bolſecum*, Medicum, perditiſſimum nebulonem, qui inſtigatore *Calvino* pulſus *Genevâ* ob ſcelera. Hic vitam *Calvini* conſarcinavit, in quâ effudit in virum ſanctum plauſtra convitiorum & mendaciorum. *Molinæus* Hyperaſpiſt. l. 1. c. 12.

Ioannes Calvinus, acri vir ac vehementi ingenio, & admirabili facundiâ præditus, inter *Proteſtantes* magni nominis. *Thuan.* ad an. 1564.

Suos nævos habuit, quanquam in doctrinâ ſuâ nihil penitùs mutavit; quod rarum eſt, in eo præſertim qui tam multa ſcripſerit. *Mori-Calvinus.*

Calvinus—qui vir ob eximias animi dotes (ab Adverſariis quoque Pontificiis admirationi habitas) totque devoratos in Eccleſiæ bonum labores, ſi, ut, fit, Hominem ſe alicubi oſtendit, meruit ſaltem ab omnibus, qui *Reformati* audire volunt,

volunt, honeſtiùs atque mitiùs tractari, tantique nominis carnificinam lanionibus potiùs *Romanenſibus* [qui artem profitentur] relinqui par eſſet. *Thom. Tullius* in expoſit. *Precat. Dominicæ* p. 188.

Author ſum, ut *Inſtitutiones Calvini* diligenter evolvas; Plures dari ſcio magni nominis Theologos, ſed ille tibi ſit inſtar omnium. Quis enim eo doctiùs, & ſolidiùs ſcripſit? quis acriùs veritatem tuetur.; validiùs errores & Hæreſes profligat, confodit, jugulat? Controverſias tractat eruditiùs? Quis Sophiſtarum ſtrophas ſubtiliùs detegit, eludit, elevat? Nemo. Unde & à doctis cenſetur indoctus qui *Calvinum* non legit; indoctior qui lectum contemnit; indoctiſſimus, qui non ſapit. Vide *Jac. Crucii* Epiſt. ad *Juſt. Trotium*.

Calvino credere non audeo, quum ſciam, quàm iniquè tractaverit & virulentè viros multò ſe meliores, *Caſſandrum, Baldvinum, Caſtellionem*, *Hug. Grot.* ad art. *Symb. Apoſtol.*

Calvinus ſolidus Theologus & Doctus, ſtyli ſat purgati & elegantioris quàm *Theologum* deceat. *Literas Sacras* tractavit, ut tractandæ ſunt, *verè*, inquam, & *purè* ac *ſimpliciter* ſine ullis *argutationibus ſcholaſticis*: & *divino* vir præditus *ingenio* multa divinavit, quæ non niſi à Linguæ *Hebraicæ* peritiſſimis [cujuſmodi tamen ipſe non erat] divinari poſſunt. *Scaligerana* prima p. 39.

' *Calvinus* omnium optimè in Danielem ſcripſit, ſed omnia hauſit ex B. Hie-
' ronymo. O quam bonus liber ſunt Calvini *Inſtitutiones*. Calvinus & Beza Picta-
' vii ambo *Iuris* ſtudiis operam navarunt. *Contius* famæ *Calvini* conſobrini ſui
' acerbiſſimè obtrectabat. Optimè fecit Calvinus in eo quod minimè ſcripſe-
' rit in Apocalypſin. Vir quidam erat *Genevæ* qui in Calvini concionibus ſcri-
' bendis victum ſibi comparabat. Aſthmaticus erat, & lentè loquebatur, ideo-
' que facile admodum erat ſcribere quæ pronunciabat. Multo magis mihi pla-
' cent Calvini Commentarii quàm ejus Conciones quas nunquam ſcripſit. O
' quantus vir! Nemo Veterum eſt ipſi comparabilis. Tam benè Scripturam intel-
' lexit! Primam, quæ mihi præſens erit, pecuniam Operibus ejus omnibus coe-
' mendis inſumam. Fratrem habuit ipſi per omnia ſimilem. Solus Calvinus in
' Theologicis: Nullas contexit Retractationes: tam multa tamen ſcripſit: mirum
' illud eſt. Arbitrio veſtro an vir magnus fuerit judicium permitto. Hact. Gal. *Cal-*
' *vino* Pontificii non maledicunt niſi quando vident præclarum ejus ingenium,
& tam præclarè interpretari Scripturam, ut ipſi non poſſint ejus præſtantiam aſſe-
qui. O quàm *Calvinus* bene aſſequitur mentem Prophetarum! nemo melius; erat
ſummum judicium & ingenium *Calvini*. Sapit quòd in Apocalypſin non ſcripſit.
Scaligerana ſecunda.

Unum dicam modò; *Eorum* omnium qui hodiè vivunt, qui ſe bellos homines, & elegantes, & diſertos, & eloquentes popello faciunt, reperiri neminem qui id præſtare poſſit, quod *Joannes Calvinus* in Epiſtola ad *Franciſcum I. Galliæ* Regem præſtitit, cùm egregium illud & nunquam interiturum *Inſtitutionis Chriſtianæ* Opus ad tantum principem mitteret. *Tanaquil. Faber.* Not. in *Scaligerana I.*

Calvini

Digitized by Google

“*Calvinus* Proteſtantium Gallorum Patriarcha plus ingenii atque judicii demonſtrat ſuis in Scripturam Commentariis quàm *Lutherus*. Nimis tamen in ſuis ratiocinationibus ſubtilis eſt, & Religio, juxta ejus principia, videtur magis niti conſequentiis quas è Bibliorum Textu deducit, quàm ipſomet textu. Quoniam aſſuetus erat Moralia apud plebem prædicare, Theologiamque Lectionibus pertractare, utriſque Commentaria ſua referſit. Omnia ferè etiam accommodat præjudiciis ſuis, & Controverſiis quas cum diverſis hominibus agitabat. In ejus Commentario in Geneſin id cernere eſt, imo & in cæteris cunctis, quoniam methodum ſatis uniformem ſervat. *Luthero* tamen circumſpectior apparet, ſibique cavet ne infirmis utatur argumentis, unde Adverſariis aliquod contra ipſum emolumentum redire poſſet. Ideoque non invehitur in *Judæos* & *Antitrinitarios* qui contendunt probari non poſſe ex primis illis Geneſeωs vocibus, *Creavit Deus* Myſterium Trinitatis, prætexendo videlicet quòd vox Hebraica *Elohim*, quæ Deum ſignificat, ſit pluralis numeri, conjuncta verbo *Creare* in ſingulari. Quin contra hanc opinionem prolixè admodum refutat, & prudenter addit, de hac phraſi diſſerens, *Monendi ſunt Lectores ut ſibi à violentis ejuſmodi Gloſſis caveant.* Eoſdem tamen defectus ferè obſervare licet in ejus Commentariis, qui in illis *Lutheri* occurrunt: Nihil enim aliud ſibi propoſuiſſe videtur, quàm opinionibus ſuis Præſidium quærere, oppoſitaſque ſubruere; adeò ut non tam verbi Divini ſubſtantiam quàm Interpretum illorum præjudicia in ejuſmodi Libris Lector addiſcat. Quoniam ad Traditionem nunquam confugere volunt ad ſententiam ſuam ſtatuminandam, neceſſum ipſis erat eandem ex Scriptura demonſtrare, ac proinde ad ratiocinationes ſe conferre. Id manifeſtum eſt in Calvini Commentariis qui ſcatent conſequentiis acutè deductis è Scripturæ Textu: Hoc autem prævertere poteſt animos Lectorum qui Religionis principia ſatis non penetrarunt. Quamvis *Lutherus* in Hebraica Lingua doctior eſſet *Calvino* qui hujus ferè ſolos characteres norat, poſterior iſte accuratior tamen eſt, quoniam aptioris erat ingenii ad ea ritè perpendenda quæ apud alios Authores legebat. Cùm tamen in ſtudiis Critices & Linguarum *Græcæ & Hebraicæ* non eſſet exercitatus, fieri non poterat quin in vocum ſignificatione propria frequenter hallucinaretur. Hujus evidens indicium eſt obſervatio illius ſtatim à principio Geneſeωs in verbum Hebraicum *bara*, quod interpretari ſolent *Creare*; audacter enim aſſeverat vocem illam ſignificare *ex nihilo facere*; unde anſam arripuit ſuccenſendi in eos qui materiam æternam admittunt, & quoddam veluti Chaos, ex quo Deus Mundum hunc aſpectabilem produxerit. Verum enim eſt Deum ex nihilo Mundum feciſſe, & *Chaos* ſeu materiam veterum Philoſophorum meram eſſe fabulam, ſed invictè probari nequit ex illo Geneſeωs loco, niſi ei addatur Traditio, quam habemus de Mundi creatione. Imò contra ſi Scripturæ Textui ſimpliciter hæreamus, qualiter à veteribus Interpretibus & ab Authore Epiſtolæ ad Hebræos vertitur, ſupponenda videtur materia quædam inviſibilis, quæ Creationi antecedanea fuerit, quemadmodum alibi à nobis obſervatum eſt. Præterea Calvinus, dum interpretatur verſum vigeſimum primum capitis primi Geneſeωs ubi occurrit vo-

'cabulum idem Hebræum *bara* confugit ad alias neſcio quas ſubtilitates, ad 'primam ſuam Explicationem confirmandam. Quod ei frequenter contin-'git ſuis in Scripturam Commentariis; quoniam hanc ſæpè ſecundum pro-'pria præjudicia explicat, non autem juxta propriam vocum ſignificationem, 'quam interdum detorquet, ut opinionibus ſuis illam accommodet. Cæte-'rum quia ſublimis admodum ingenii eſt *Calvinus*, in omnibus ejus Com-'mentariis neſcio quid occurrit quod primo intuitu placet; & quoniam ad 'hominem cognoſcendum præcipuam animi curam adhibuerat, Libros Doctri-'na Morali animos commovente replevit, imo & conatur Ethicam ſuam ju-'ſtam & Textui ſuo conformem reddere. Si vanæ gloriæ adeo non litâſſet, 'nec ambiviſſet Sectæ alicujus Coryphæum evadere Eccleſiæ admodum utilem 'operam commodare potuiſſet. Ejus hæc eſt ſolertia, dicam, an malitia, 'ut genuinum Textûs ſui ſenſum detorqueat, ad hoc ut præjudicatis ſuis opi-'nionibus ſerviat. Nullam præterea occaſionem negligit Eccleſiæ Romanæ 'hujuſque ceremoniis obtrectandi, quin hoc intemperanter faciat: Hinc eſt 'quòd bona Commentariorum ejus pars inutilibus declamationibus fœta eſt, 'quæ tamen tunc temporis juvabant ejus incœptum, quod erat populos in le-'gitimos ſuos Principes excitare. Verbo ut abſolvam, nihil obliviſcitur eo-'rum quæ partibus ſuis emolumento eſſe poſſent, & ad hoc cumprimis ani-'mum appulit; quapropter veritas apud illum tam craſſa minerva ac in *Lutheri* 'libris non alteratur. Conatur ſaltem probabile reddere quicquid aſſerit; 'imò & ſtyli quamdam ſublimitatem affectavit quæ ad ſententiarum ſua-'rum robur augendum non parum confert. Cui conſiderationi hæc addi po-'teſt, quod pauci Authores extent qui melius ipſo creaturæ nihilum poſt pec-'catum cognoverint. Cùm autem præſertim incumbat animæ animadverſioni 'defectuum quibus obnoxii ſunt homines, cor movet: cùm contra pleræ-'que *Lutheri* animadverſiones vanæ tantum ſint ſpeculationes & ridiculæ diſ-'putationes. Hoc tamen vitio laboravit Calvinus in omnibus Scriptis ſuis, 'quod ſupra modum hominis nihilum poſt peccatum propalaverit, quódque 'illum ſemper in eodem nihilo reliquerit, nullo habito reſpectu Statûs gra-'tiæ, Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. c. 14. Gall.

'Nemo hominum *Calvini* peritiam in Hiſtoria Eccleſiaſtica unquam æqua-'vit. Annos 22. natus omnium Europæorum Doctiſſimus erat. Aliquando in 'quodam *Doctoratuum* noſtrorum convivio diſcumbebam, ubi ſenex Doctor 'quidam noſter *Baſinus* nomine dicebat *Calvinum* totam Scripturam Sacram 'adulteraſſe; ſed bonum hunc virum excutiendum mihi ſumpſi, quem adeo ri-'diculum reddidi, ut Dominus *Guenaut* junior, qui mihi accumbebat, dixerit 'mihi quod ipſum vehementer nimis exagitarem, rogaveritque, ut ætatis & 'debilitatis ejus mitereretur. Joannes de *Monluc* Valentinus Epiſcopus ſolebat 'dicere *Calvinum* totius orbis præclariſſimum Theologum fuiſſe. *Guido Patin.* 'Epiſtolis ſelectis, Epiſtola XXIV. Gall.

'In hoc omnes conſentiunt, quod operum ejus præcipuum ſit ejus *Inſti-'tutio*, quæ ſimul fuit & ingenii ejus ſpecimen, & inter ejus opera luculentiſ-

ſimum

Digitized by Google

ſimum. Hanc enim in prima juventute contexuit, & vigeſimum quintum an-
'num nondum excedens evulgavit. *Papirius Maſſo* teſtatur tanto applauſu,
'illam ab omnibus publicè exceptam fuiſſe, ut brevi tempore pluſquam mille
'ejus editiones prodierint. *Anton. Teiſſier* Elogiis Virorum Eruditorum. Gal-
' licè.

De *Calvini* Inſtitutionibus hoc Diſtichon compoſuit *Paulus Thurius*:

Præter Apoſtolicas poſt Chriſti tempora Chartas
Huic peperere libro ſecula nulla parem.

* Hic Author *Romano Indice* inter *Hæreticos* Primæ Claſſis rejicitur.

SIGISMUNDUS GELENIUS.

IN *Boëmiâ* natus, *Baſileæ* deceſſit Anno Dom. 1554. annoque ætatis 57. Clar. An. D. MDXLV.
Scripta ejus ſunt: Dictionarium---Annotationes in *T. Livium* --- Annotationes in *Plinii* Hiſtoriam Naturalem----Præfatio in *Eutropii* Hiſtoriam. *Latinè tranſtulit Evagrium* Hiſtoricum: *Origenem* contra *Celſum*: *Philonis* Opera omnia: *Appianum Alexandrinum*: *Dionyſium Halicarnaſſeum*: *Ioſephum*: *Juſtinum Martyrem*: *Chryſoſtomi* homilias aliquot cum Manuſcriptis *Græcis* exemplaribus contulit, emendavit, ſupplevit --- Edidit etiam Epigrammatum *Græcorum* librum. *Arnobium* edidit, itemque *Ammianum Marcellinum*.

Sigiſmundus Gelenius, vir diverſis linguis, & variarum rerum cognitione doctiſſimus. *Geſner.* in Biblioth.

Sigiſmundus Gelenius, cum egeſtate totâ vitâ conflictatus, & lautiore fortunâ dignus ab *Eraſmo* judicatus: cujus induſtria præcipuè in vertendis pleriſque Scriptoribus *Græcis* & *Plinio* ad vetuſtorum Codicum fidem emendando deſudavit. *Thuan.* ad ann. 1554.

Sigiſmundus totum ferè vitæ ſuæ tempus in Authoribus Græcis & Latinis emendandis inſumſit, quos *Frobenius* & *Epiſcopius* typis mandabant. Fatis ceſſit annos 57. natus, poſtquam manifeſtè comprobaſſet in pluribus linguis ſe verſatiſſimum eſſe, Dictionario illo à ſe evulgato, quo concordantiam demonſtrat, quæ occurrit inter Linguas, Græcam, Latinam, Germanicam & Sclavonicam. *Gelenius*, inquit Eraſmus quadam Epiſtolarum ſuarum, *pro ſua doctrina non vulgari, proque morum ſinceritate dignus eſt lautiore fortuna. Ant. Teiſſier.* Elogiis virorum Erud. Gall.

In *Gelenio* major quædam ingenii vis & judicium acrius fuit [*ac in reliquis ſcilicet Ammiani Marcellini editoribus*] quod cùm multi præclari labores illius Viri teſtantur, tum maximè Interpretationes Latinæ *Dionyſii Halicarnaſſei*, *Appiani*, *Philonis* item ac *Ioſephi*, *Origenis* & aliorum. Ex quibus apparet, eum

excellenti ingeniô & ſingulari doctrinâ præditum fuiſſe. Sed & *Ammiani Marcellini* hiſtoriæ ab eo editæ id ipſum abundè teſtantur: in quibus plurima acutè & ingenioſè emendavit, & inſignem paginarum tranſpoſitionem, quæ in M SS. Codicibus omnibus reperitur, & in editione extat *Accurſii*, mirâ dexteritate reſtituit. Quamobrem ejus viri nomini libenter hoc laudis teſtimonium impertimur, neminem adhuc extitiſſe, qui de Hiſtoriâ *Marcellini* meliùs meritus ſit. *Henr. Valeſius* in Præfat. ad *Marcellin.*

Quô [*Gelenio*] vix quiſquam pluribus hanc artem [*Interpretandi*] monumentis ditavit: diſertus inprimis habitus eſt, & elegans; audax in conſtringendis pluribus in unum periodis, vel disjungendis, ſenſus ſibi non ſemper intellectos ad libitum recoquit. *Huet.* de Clar. Interpr.

Ingenioſiſſimus, ſed audaciſſimus, & nil prorſus ſibi negans, *Arnobii* corrector *Sigiſmundus Gelenius*, in eam editionem quam totam ad ſuum captum reformavit, aut transformavit potius, teſtatus neminem ſibi unquam auctorem tantum negotii exhibuiſſe. *Barth.* l. 44. Adverſ. c. 1.

Arnobium primus *Romæ* vulgaverat *Franciſcus Priſcianenſis Florentinus*, ſed unà cum veteris Manuſcripti, quo uſus fuerat, fœdis admodum erroribus. *Sigiſmundus* poſteà *Gelenius* editionem hanc corruptam ſolo ingenio, uti potuit, reſtituit. Sed ingenii ille fiduciâ malo exemplo uſus, conjecturas ſuas textui inſeruit, antiquas lectiones ſuo imperio ejecit, & *Arnobium* nobis effinxit, qui *Arnobii* ſpeciem non referret. Hanc audaciam meritò reprehendit *Theodorus Canterus*. *Joan. Maire* Præfat. ad Lector. præfixâ. Impreſſ. *Lugdun. Bat.* 1651. in 4°.

Bona ſanè in *Arnobio* Opera *Gelenii*: quanquam interdum [quis non Criticorum?] exerret per acumen nimium aut calorem. *Lipſ.* Epiſt. Cent. Miſcell. 42.

Gelenius vir acuminis, eruditionis, Lectionis, *Euſthat. Swart.* Analect. l. 2. c. 4.

Quæ principem locum obtinent inter ejus Tranſlationes ſunt illæ Dionyſii Halicarnaſſæi de *Romanis* Antiquitatibus & Joſephi de Antiquitatibus Judæorum. De ſuis tumidam ſatis opinionem fovebat. Judicia Eruditorum Pariſiis 1685. Gall.

Dominus *Gallois* cenſet Tranſlationem ejus Joſephi de Antiquitatibus Judaicis earum autographo magnam exiſtimationem non conciliare. Eruditorum Ephemerid. Gallicæ, die 10. Jan. 1667.

* *Sigiſmundi Gelenii* Epiſtola ad *Gilbertum Cognatum Nozoreum*, præfixa libris *Arnobii* adverſus Gentes, ex Impreſſione *Baſileæ*, 1560. prohibetur in *Indice Madritenſi* edit. anno 1667.

HADRIANUS JUNIUS.

Clar. An. D. MDXLV.

HOrnæ apud *Batavos* Anno 1513. ipſis Julii Kalendis natus. Obiit *Arnemuda*, in *Zelandiâ*, ann. 1575. ætatis 63. Scripta ejus plurima ſunt.

Medi-

Medicus, Hiſtoricus, & Poëta doctiſſimus, alterum ab *Eraſmo Hollandiæ* lumen dici meretur. Vir in quo omnia excellerent, Medicinæ, Hiſtoriæ, Antiquitatis peritia: ingenium ad Poëticen factum. Linguas præter vernaculam ſeptem tenuit, *Græcam, Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Germanicam, Anglicam. Meurſii* Athen. *Batavæ.*

Fuit Medicus, Criticus, Poëta, Hiſtoricus, exactiſſimâ antiquitatis cognitione clarus; linguarum plurium peritus; adeò ut non tria, quemadmodum *Ennius* jactavit de ſe; ſed octo corda habuiſſe poſſit dici: Homo ab ipſo effictus *Mercurio*, lepôre ac venuſtate affluens: purus illi ſermo & expromptus. Eruditionem ejus teſtantur & complura multiplici doctrinâ ab ipſo elucubrata Monumenta. *Melchio. Adam*, in vitâ ejus.

Horrendâ lectione ſuâ, eruditione, & tot elegantiſſimis ſcriptis, quibus *Latinas Græcaſ*que literas illuſtravit, meritus eſt *Hollandiæ* & literarum poſt *Eraſmum Phœnix* appellari. *Boxhorn.* in Theat. *Holland.*

Hadrianus Iunius rarâ utriuſque linguæ, antiquitatis & humaniorum literarum cognitione, *Philoſophiæ* prætereà ac Medicinæ ſtudiis præſtans. Quod complura multiplicis doctrinæ ab eo elucubrata monumenta abundè teſtantur. *Thuan.* ad ann. 1575.

Adrianus Iunius, vir non minus perſpicaci & exacto judicio, quàm omnis generis eruditione clarus. *Iacob. Ouzel.* Præfat. ad Lect. *Minutio Fœlic.*

Vir eruditiſſimus, variæque lectionis. *Fuller.* Miſcel. l. 4. c. 5.

Vir inſigniter eruditus. *Barth.* in Adverſ. p. 1875.

Magni judicii Criticus vocatur *Dempſtero.*

Multarum literarum vir *Iunius* noſter. *Lipſ.* Antiq. Lect. l. 2. c. 13.

Doctiſſimus *Belgarum Iunius. Lipſ.* Epiſt. Quæſt. l. 1. Epiſt. 5.

Anno 1575. in *Bataviâ* deſcribenda vivendi finem fecit *Adrianus Iunius Hornanus.* Qui jam ab anno 1541. variis doctrinæ monumentis magnum ſibi apud eruditos nomen pararat. Præfatio ad illuſtres *Hollandiæ* Ordines ab *Iunio* eſt ſcripta Nonis Januariis anni ejus, qui illi mortualis fuit. Obiit autem 16. die menſis ſibi cognominis. At demum anno 1588. ejus *Batavia* in lucem prodiit, edente *Jano Duzâ, Leidenſis* Academiæ Curatore. Dictio in hoc opere bonitate non reſpondet ſcriptis prioribus Sed cogitandum eſſe opus poſthumum. Et credo, ſenili ætate priſtinus aberat vigor. *Voſſ.* de Scient. Mathemat. p. 259.

Multùm laudat *Voſſius* eruditam induſtriam *Hadriani Junii*; qui *Eraſmi* Proverbiis octo Centurias, & dimidiam adjunxit. *Voſſ.* de Philolog. p. 40.

Hollandiam deſcripſit *Hadriannus Junius*, quæ deſcriptio eſt egregia. *Herman. Conring.*

Nec valdè egregiam in *Interpretationibus* operam poſuit, vir humanioribus diſciplinis abundè cæteroquin expolitus *Hadrianus Iunius*: à *Græcis* quippè aberrat ſæpè, eâque diſtorta & falsâ *Interpretatione* adſtringit: Sexcentis quidem locis in uno *Eunapii* libello Criticis debet ſupplicium. *Huet.* de Clar. Interpret.

Ferunt *Joannem Sambuccum* in *Hollandiam* de induſtria profectum, ut *Junium* inviſeret, in ſuo diverſorio audiviſſe illum cum *Fourmannis*, id eſt cum Rhedariis compotare: ex quo tantum celebris illius *Critici* contemptum concipit, ut illo inconſulto domum repetierit. Iunius audito *Sambucci* diſceſſu, culpam à ſe depellere ſollicitè conatus eſt, dicens Rhedarios illos ſe non conveniſſe, niſi ut ab iis terminos aliquos artis eorum ediſceret quos in *Nomenclatorem* ſuum referre volebat. *Ant. Teiſſier.* Gall.

Hadrianus Iunius in primâ Claſſe Hæreticorum numeratur in *Indice Romano*. Ejus *Anaſtaurosis*, ſive Paſſio *Servatoris Chriſti*, Jambico carmine conſcripta, omninò prohibetur. Reliqua ejus ſcripta, cum expurgationibus permittuntur, *Index Madrit.* edit. ann. 1667.

Hoc ejus Epitaphium, *Middelburgi* in *Zelandiâ* ſepulti.

Hadriano Iunio Hornano, Philoſopho, Medico & Poëtæ celeberrimo, *Bataviæ* Hiſtorico fideliſſimo, cujus in omni diſciplinarum genere exquiſita eruditio, ſingularis induſtria, infinitæ lectionis præſtantia, multiplex linguarum Scientia pari conjuncta comitate, doctorum omnium admirationem laudemque meruit: poſt varia incomparabilis ingenii monumenta, quibus æternam ſibi memoriam comparavit, ſub hoc marmore condito Patri optimè de ſe merito *Petrus Junius* mœſtiſſimus pietatis ergô P. C. Vixit annos 63. obiit 16. ſibi cognominis menſis. Anno ſalutis *Chriſtianæ* MDLXXV.

Junius *hic ſitus eſt: ultra ne quære, viator,*
Oculiſque ſat debere te tuis puta,
Tam magni ſpectare viri queis contigit urnam
Oculi, ô beati, ô verè ingens ſpectaculum.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa ſunt.

GEORGIUS BUCHANANUS.

Clar. An. D. MDXLV.

SCotus, in *Leviniâ* natus Anno *Dom.* 1506. circa Calendas Februarias. Obiit *Edimburgi* 28. die Septembris, Anno Salutis 1582.

Scripta ejus hæc ſunt: De Jure Regni apud Scotos, Dialogus --- Rudimenta Grammatices *Latinæ Thomæ Linacri* ex *Anglico* ſermone in *Latinam* verſa—Rerum *Scoticarum* Hiſtoria---Pſalmorum *Davidis* paraphraſis Poëtica. Ac varia ejus Poëmata in unum collecta.

Vir ingenii felicitate & ſcribendi facultate [quod ejus Scripta ad omnem æternitatem victura, vel fatente invidiâ, teſtantur] noſtrâ ætate incomparabilis.

Poſt

Digitized by Google

Poſt prima utriuſque linguæ tyrocinia apud ſuos facta, omnem ferè ætatem in *Galliâ* exegit: *Lutetiæ, Burdigalæ*, & poſtea *Conimbricæ* juventuti erudiendæ operam dedit: toto eo tempore inſignem illam *Poëticam Pſalmorum Paraphraſin* commentatus. Anno hujus ſeculi 60. Bellorum Civilium apud nos ardente incendio, ad Patriam antiquam, alumna & nutrice *Galliâ* relicta, reverſus eſt: ibi *Proteſtantium* doctrinam palam amplexus; tandemque poſt regno exutam *Mariam Reginam* erudiendo *Jacobo* VI. appoſitus, in ſenili otio *Patriam Hiſtoriam* aggreſſus eſt. Quam tantâ puritate, prudentiâ & acumine ſcripſit [quamvis interdum libertate genti innata contra *Regum faſtigium* acerbior] ut ea ſcriptio non hominem in pulvere literario verſatum, ſed in media hominum luce & in tractandis Reipublicæ negotiis totâ vitâ exercitatum redoleat. Adeo ingenii felicitas & animi magnitudo omnia obſcuræ & humilis fortunæ impedimenta ab eo removerant, ut propterea non minus rectè de maximis rebus judicare & ſcribere prudenter poſſet. *Thuan.* ad ann. 1582.

Sanè memini P. *Ronſardum* virum acerrimi judicii (qui licèt in diſpari fortunâ conſtitutus, totâ vitâ ſcholaſtico otio oblectatus fuerat) cùm de *Buchanano, Hadr. Turnebo, Ant. Goveano, M. Ant. Mureto* (quibuſcum arctâ amicitiâ conjunctus fuerat] verba faceret, dicere ſolitum, *Illos Homines nihil Pædagogicæ præter togam & pileum habuiſſe*: & tamen de vulgo *Pædagogorum* ſic centere, nunquam incorrigibilis ineptiæ ex Pædagogicâ contractæ characterem vel longiſſimi ævi curriculo deleri poſſe. *Idem* ibid.

Neminem eſſe exiſtimo in *Galliâ* paulò humaniorem, cui *Georgius Buchananus* non ſit notus; non ſolùm eximius Poëta, verùm etiam vir omni liberali eruditione non leviter tinctus, ſed penitus imbutus *Turneb.* Adv. l.1. c. 2.

Buchananus vir qui nec cœlo, nec ſolo, nec ſeculo erudito, ut ille cecinit, natus, ad ſummum tamen *Poeticæ* facultatis culmen tam feliciter aſcendit, ut Poëtarum hujus ſeculi princeps merito habeatur. *Camden.* in Annal. ad an.1582.

Quo nemo diligentius antiquitates patrias eſt perſcrutatus. *Iacob. Uſſer.* Epiſt. de *Brit.* Eccleſ. primord. c. 16.

Contra *Buchanani* librum *De Iure Regni apud Scotos* calamum ſtrinxit *Gulielm. Barclaius* libro cui titulus *contra Monarchomachos*: interim neuter medium aſſecutus eſt. *Buchananus* enim in nimiùm deprimendo ſtatu *Regio*: *Barclaius* verò in nimiùm extollendo peccavit. *Herman. Conring.*

Gallorum vel *Italorum* nemo eſt, cui idem, quod *Buchanano* contigerit, ut in quovis carminum genere ſummam obtineret, cujus quidem rei laude omnem etiam antiquitatem *Buchananus* provocat; ut tanta illa ingenii, verè unici & incomparabilis, ornamenta ad impietatem converſa fuiſſe vehementer non ipſius magis, quàm Reipublicæ causâ dolendum ſit. *Gaſpar. Sciopp.* in Paſca. *Groſipp.* de Rhetoricâ.

Nemini prudentiæ & eloquentiæ laude cedens rerum ſuarum Scriptor, dignus, qui unus pro multis æſtimetur. *H. Conring.* de Civ. prud. c. 14.

Quem mihi liceat omnis liberalioris eruditionis ac præſertim *Poëtices* parentem appellare. *Beza* in Epiſt. ad *Iacob.* Regem præfix. *Icon.* Vir. Illuſtr.

Digitized by Google

Ego *Pſalmorum* tuorum lectione incredibiliter delector, qui tales ſunt quales à te uno proficiſci poterant. *Beza* in Epiſt.

Pſalterium verterunt *Germani* aliquot piè: *Itali*, ut ſolent, eleganter: Inprimis *Flaminius*. Sed nunc omnium induſtriam vicit *Georgius Buchananus Scotus*, varietate ſententiarum, & puritate Sermonis. *Georg. Fabrit.*

In hoc argumento facilè omnibus palmam præripuit *Buchananus*. *Iacob. Duport.* in Præfat. ad Metaph. Pſalmor.

Georgii Buchanani Scoti Poëmata varietate argumenti, dictionis nitore, ſchematum lumine, & inaffectatâ decori cuſtodiâ omnium ferè doctorum amorem, laudeſque provocarunt. Magnificè *Ioſeph. Scaliger.* dum eum reſpectat.

Imperii fuerat Romani Scotia *finis*,
Romani *eloquii* Scotia *finis erit.*

Quàm religioſis, ſed & quàm puris manibus intendit *Lyram Davidicam*? quàm floret in elegiis? quàm plenus eſt gravitatis in *Jephte*, & *Baptiſtâ* Tragœdiis? quàm clarus in 5. illis de *Spharâ* libris epicis? quàm floridus in Lyricis, miſcellaneis, epigrammatis? quàm denique in *Franciſcano*, & *Fratribus* vehemens & aculeatus? *Borrich.* de Poëtis, p. 150.

Buchananus unus eſt in tota *Europâ* omnes poſt ſe relinquens in *Latinâ Poëſi*. *Scaligerana* prim. p. 37.

Quoad ejus Poëmata *Ioſephus Scaliger* ait illa ſuperare omnia quotquot ab *Auguſti* ſeculo in lucem prodierunt. *Hucenhovius* aſſeverat illum Poëtas celeberrimos Gallos & *Italos* antecelluiſſe, ut ex hoc diſticho liquet.

Tres *Italos Galli* ſenos vicere, ſed unum
Vincere Scotigenam non potuere virum.

Tres *Galli* ſunt Cancellarius Hoſpitalius, Adrianus Turnebius, Joannes Dorat: Sex autem Itali, Sannazarius, Fracaſtorius, Flaminius Vida, Naugerius & Bembus. *Ant. Teiſſier* Elogiis Eruditorum Vir. Ital.

Jeſ. Vavaſſor. [Notis anonymis in Animadverſiones in Poëticam p. *66.*] ait inter omnes qui Latinè ſcripſerunt, nullum ſe cognoſcere qui ſibi magis conſtaret, qui idearum ſuarum abſolutior Dominus eſſet, quique ſtylum ſuum cogitationumque ſuarum enunciationes quoquoverſum pro libitu flecteret quàm *Buchananum*. Gall.

Buchananus ſerviliter nimis *Titum Livium* imitatur. Quicquid habet boni Veteribus ſuffuratus eſt. Sano admodum judicio ſcribit, in ſublime quoad ſenſa parum attollitur. Prolixæ tertii ejus libri citationes omnibus non allubeſcunt, ut nec diffuſa quoad omnia ſingularia narratio ejus de Gente Regio-

am

Digitized by Google

nis illius de qua ibidem loquitur. *Rapin.* Animadverſionibus in Hiſtoriam. ſect. 28. Gall.

Buchananus *Odas* habet Antiquitate dignas. Sed inæqualis admodum eſt, ob permixtionem characteris ſui qui non eſt ſemper ſatis uniformis. *Rapin.* Animadv. in Poëticam 2. parte, Animad. 30. Gall.

Jephte & Joan.Baptiſta Buchanani nihil æſtimandum continent præter puritatem qua ſcriptæ ſunt binæ illæ Tragœdiæ, *Rapin.* Sect.23.

Buchananus Hiſtoriam & libellum, cui titulus *Detectio*, partium ſtudio, & *Moravii* munificentiâ abreptus ita ſcripſit, ut libri iſti falſitatis damnati ſint ab ordinibus Regni *Scotiæ,* quorum fidei plus tribuendum: & ipſe ingemiſcens coram Rege, cui fuit Pædagogus, ſubinde ſe reprehenderit (ut accepi) quòd tam virulentum calamum in *Reginam* benè meritam ſtrinxiſſet, morienſque optaverit ut tantiſper ſupereſſet, donec maculas, quas maledicentia falsò aſperſerat, revocatâ veritate, vel ſanguine elueret; niſi (quod ipſe dixit) hoc unum eſſet, cùm præ ætate delirare videretur. *Camden* in Annal. *Elizabeth.* Anno 1567.

Inter illos qui tunc temporis (anno 1541.) periclitabantur, unus erat Georgius *Buchananus.* Clerus apud ſe decreverat, ultionem de illo ſumere acerbitatis Poematum quæ contra ipſum compoſuerat. Rex autem uſque adeo viro omnes eorum arbitrio permiſerat, ut cum cæteris vitam amiſiſſet, niſi evaſione ſua ex carcere ſaluti conſuluiſſet. Mare poſtea transfretavit, & in illo exilio viginti annos vitam traduxit, totoque ferè illo tempore ludi magiſtrum agere coactus fuit; nec tamen vilis ejuſmodi muneris exercitium Animi ejus magnitudinem oppreſſit. In ejus Scriptis elucent non modò veneres & lepôres omnes Latinæ Linguæ, ſed & animi vigor & ſententiarum acumen, longè ſupra *Bembum* alioſve *Italos*, qui eo tempore Styli *Romani* puritatem reſtaurare affectaverunt. Apud ipſos debilis tantum imitatio Tullii cernebatur: Sed illius ſtylus tam genuinus atque nervoſus eſt, ejuſque in omnia animadverſiones uſque adeo ſolidæ, (præter immortalia ejuſdem Poemata, quibus manifeſtat quàm bene Poetas omnes *Romanos* imitari valeret, in diverſo illarum ſcribendi genere, ut quicunque illum cum iſtis conferre voluerit, vix identidem ſibi temperare poſſit quin apographum autographo anteponat,) ut jure merito præclariſſimus & optimus Authorum noſtrorum recentiorum cenſeatur. *Burnetti* Hiſt. Reform. lib. p. 311. Angl.

Nec intactum abire patiar inter *Scotiæ* lumina haud poſtremum, *Georgium Buchananum*, ex *Leviniâ Scotiæ* provinciâ ad *Blavum* amnem in villâ ruſticâ oriundum, cultiſſimum vatem, & lacteæ venæ patrem, verſione Pſalmorum *Davidis* vario carminis genere feliciſſimè expreſſa, & deſcriptione hiſtoriæ rerum *Scoticarum* clarum. Sanè aureæ ejus & cum omnibus priſcis comparanda Poëmata jure merito omnium verſantur manibus. *Quenſtedt.*

Extat rerum *Scoticarum* Hiſtoria. *Edimb.* 1593. & *Franc.* 1594. 8°.

Extat de Jure Regni apud *Scotos* Dialogos. *Edimb.* 1581. 8°.

* Hic Author inter *Hæreticos* primæ claſſis in *Romano Indice* rejicitur.

JOANNES BRODÆUS.

Clar. A. & MDL. Gallus Turonenſis, Diſcipulus *Alciati*, *Petro Daneſio* conjunctiſſimus, *Sadoleto*, *Bembo*, *Egnatio Romæ* gratus, Mathematum, *Chaldaicæ* & *Hebraicæ* linguæ apprimè peritus. Obiit in *Turonibus*, anno 1563. ætatis 63. Cœlebs. *Hofman.*

Scripta ejus hæc ſunt: Commentarii in *Epigrammata Græca*--- Annotationes in *Oppiani Kynegeticon* libros quatuor---- Q. *Calabri Paralipomenon Homeri* lib. 14.---- Coluthum de *Helenæ* Raptu---- Notæ in *Euripidem*---- Annotationes in *Dioſcoridem*--- Obſervationes, ſive variæ lectiones.

Hic præcellentis ingenii vir *Cæſaroduni Tyronum* ex honeſtâ *Brodæorum* familia patre *Ludovici* Regis cubiculario genitus, abdicatâ Juriſprudentiæ curâ, cui adoleſcens apud *Biturigas*, doctore *Alciato*, aliquot annos in ſpem civilis vitæ impenderat, totum ſe ad utriuſque Linguæ bonarumque artium cognitionem & ſcientiam applicuit. Quarum incredibilem amorem jam olim à pueritiâ conceptum auxit etiam & inflammavit ipſa P. *Daneſii Gallorum* id ætatis doctiſſimi conſuetudo & familiaritas, dum ambo *Georgium Selvam* Regis ad *Venetos* Oratorem in legationis ornamentum ſecuti, erudita illa felicis *Italiæ* ingenia *Sadoletos*, *Egnatios*, *Bembos*, *Flaminios*, & eorum ſimiles pari animorum contentione ſuperare contendunt. Hos enim *Brodæus* omnes partim *Venetiis*, partim *Romæ Georgio Armeniaco* Regis item ad Pontificem Legato comes aſcitus & vidit familiariter, & propter ſtudiorum conjunctionem facilè ſibi conciliavit. Hoc etiam aliquantò ſuperior quòd ad eas, quibus pariter incumbebant, elegantiores literas & Mathematicas Artes & *Hebræam Chaldæam*que linguam inſuper adhiberet. Quare in *Galliam* reverſus multa ſcripſit & publicavit tot ac tantis laboribus non indigna. In quibus principem locum tenent *variæ lectiones*, diligentiſſimique in multos *Græcæ* Linguæ auctores commentarii, maximeque in Epigramma labore & induſtriâ *Planudis Monachi* collecta, quorum & *Brodæus* bonam partem *Latinâ* venuſtate convertit. *Samarthan.*

In *Italiâ*, ad puriores literas Philoſophiæ, Mathematicarum Artium, ac Sacræ Linguæ non mediocrem cognitionem adjecerat: dein in patriam reverſus, quietæ vitæ, ſed non otioſæ ſe dedidit: quod multæ reconditæ eruditionis lucubrationes abundè teſtantur, quas vir bonus procul ab omni ambitione ac oſtentatione poſitus alienis potiùs quàm ſuis auſpiciis publicari paſſus eſt; eo rariore modeſtiæ exemplo, quòd noſtro ſeculo homines non ſolùm ex opibus, Magiſtratibus, & aliis honoribus, ſed etiam ex literis indignâ vanitate gloriolam aucupantur. *Thuan.* ad Ann. 1563.

Huic viro quicunque ſummæ doctrinæ, acerrimique & ingenii & judicii laudem denegant, illi certè aut planè indocti nulloque judicio præditi, aut impudenter ſunt invidi. Eum enim ſua ſcripta talem fuiſſe clamant, & quidem cùm alia, tum ea quæ in *Euripidis* tragœdias edidit. *Stephan.* Præfat. ad Annot. in *Euripid.*

Edecu-

Edecumeni Judicii vir. *Claud. Dauſus* in Notis ad *Q. Calabrum*.

Criticus magnæ eruditionis vocatur *Dempſtero*.

Brodæus vir, ſive Adoleſcens potiùs, acris ingenii, probi judicii, lectionis diffuſæ, quem non magis in ore famæ eſſe miror, imo indignor. *Lipſ.* in Not. ad *Tacit.* de Morib. *German.* c. 1.

Conſule eruditiſſimum *Brodæum*, quô viro ipſius ætas nihil, omnino doctius tulit, neque meliore judicio. *Barth.* adverſ. l. 9. c. 16.

Brodæus Turonenſis Canonicus, vir maximus ac doctiſſimus fuit, cujus commentarios in Epigrammata *Græca* pluris facio quàm quorundam ſcripta plurima *Scaligerana* 1. p. 33.

Vir egregiæ eruditionis *Jo. Brodæus Paul. Colomeſ.* in Opuſc. p. 15.

Ioannes Brodæus Criticus magnæ eruditionis. *Thom. Dempſter.* in Elench. Script. *Roman.*

Duo clariſſima *Galliæ* lumina *Jo. Brodæus* & *Bodinus*. *Conrad. Rittershuſ.* Prolegom. in *Oppian.*

Ioannes Brodæus vir omnibus bonis literis inſtructiſſimus, *Oppiano*, *Calabro*, *Coluthο*, veluti triumviris adjutrices manus adhibuit; eandemque operam, quam elegantiſſimis nuper *Græcorum Epigrammatibus* impenderat, etiam in hos contulit *Poetas*: nihil eorum omittens, quæ ad eruditi doctique *interpretis* officium pertinere putavit. Veriſimile eſt, *Brodæum* diligentiſſimum hominem, Bibliothecas plurimas perluſtraſſe; in his quicquid rarum, quicquid obſervatione dignum animadvertit, id magnâ induſtriâ, ſolertiâque, nec minore judicio excerpſit. *Nic. Gerbel.* Epiſt. Præfat. ad *Hervag.* in *Brodæi* Not. ad *Oppian.*

De *Strato* non eſt cur incomparabilis viri manibus *Ioannis Brodæi* inſultes. Habet enim ille *Stoica Epigrammata* quæ tibi objiciat, & *Mureto-Catullianos Galliambos*. Fuit autem de bonis literis optime meritus, ſi quis alius, ac ne *Italos* quidem tuos excipio. *Joſeph. Scalig.* in loc. controv. *Rob. Titii*, p. 38.

Edidit ſuperioribus Annis *Ioan. Brodæus Turonenſis*, Præſul Ampliſſime, in Epigrammatum Græcorum & *Oppiani* de *Venatione* Libros, Annotationes doctiſſimas, & omni Scientiarum genere refertiſſimas, quæ illi non mediocrem laudem apud Literatos pepererunt, & benevolentiam conciliarunt. *Baptiſt. Sap.* Conſil. Reg. Epiſt. Præfat. ad D. *Fr. Maunium Burdeg.* Archiep. in *Brodæi* Not. ad *Euripid.*

Certè hoc ipſum ἀξιομαχιστέμεθα, quod inepte alteri ſubſtituitur, profectum ab homine *Gallo* fuit, *Brodæo* nimirum *Turonenſe*, quem tamen ego, tantum abeſt, ut inſectari propterea velim, ut etiam verè lubenterque fatear multa fuiſſe ab illo viro rectè non in uno authore reſtituta. Nimirum aliquando bonus dormitat *Homerus Io. Leunclav.* not. in *Xenophon.* p. 1068.

Joannis Brodæi Commentarii in *Epigrammata Græca*, excuſi ſunt *Baſileæ* Anno *Dom.* 1549. in Officinâ *Frobenianâ*.

Extant Notæ in *Martialem. Lug. Bat.* 1698.

Digitized by Google

FRANCISCUS DUARENUS.

Clar. A. D. MDL.

GAllus, *Briocenſis*, Juriſconſultus celeberrimus, obiit anno 1559. ætatis 40. *Scripta* ejus ſunt: Commentaria in varios titulos *Digeſti* & *Codicis*---- Diſputationum Anniverſariarum libri duo----De jure accreſcendi lib. 2.----De ratione docendi diſcendique *Juris*---- De Juriſdictione & Imperio---Apologia adverſus *Eguinarium Baronem*---De Plagiariis---In Conſuetudines Feudorum, Commentarius----De Sacris Eccleſiæ Miniſteriis, ac Beneficiis---Pro libertate Eccleſiæ *Gallicanæ* adverſus artes Romanas defenſio---Epiſtola ad *Sebaſt. Albeſpinam* Regis *Galliæ* Oratorem Epiſtola de *Franc. Balduino*----Defenſio adverſus *Balbini* Sycophantæ maledicta.

Primus *Gallorum Franciſcus Duarenus* è *Brioci* fano ad *Armoricum* oceanum genere nobili ortus exploſis barbarorum gloſſematis puros & limpidos veterum *Juriſconſultorum* fontes Juventuti aperuit: tum viva voce, dum apud *Biturigas* magno nationum omnium concurſu profiteretur, tum Scriptis quibus etiamnum ſibi ipſi ſuperſtes immortali eruditionis & eloquentiæ laude commendatur. Fuit acerrimo quidem judicio, ſed memoriâ minus felici, neque unquam niſi ex ſcripto prælegebat; eoque factum eſt, ut in *Germanico* itinere, cum à celebribus paſſim Academiis honoris causâ, ut ferè fit, ad prælegendum invitaretur, nec earum continuis votis & precibus obſequeretur, à nonnullis rerum imperitis & iniquè judicantibus habitus ſit indoctior. Sed hoc inane vulgi de tanto viro judicium parta jampridem apud eruditos fama & exiſtimatio facilè ſuperavit. *Scæv. Samarthan.*

Franciſcus Duarenus, Iuris Scientiâ, ſecundùm *Andream Alciatum*, quem *Avarici Biturigum Cuborum* Jus Civile profitentem audiverat, ſuâ ætate clariſſimus: ad quam & politioris literaturæ, & exactam antiquitatis cognitionem à Magiſtro ſuo edoctus adjunxit. *Duareni* nunc *Opera* in magno pretio, uti debent, apud doctos habentur. Sed Scriptis illius accidit, ut *Prælectiones* ex ore recitantis in Scholâ perperam plerunque ab Auditoribus exceptæ; quæque non eo conſilio fiebant, ut ederentur; poſt ipſius mortem reliquis ejuſdem operibus, quæ vivus publicaverat, nullo delectu admiſtæ ſint: in quo inſignis doctiſſimi viri manibus injuria facta eſt. *Thuan.* ad Ann. 1559.

Hunc Autorem *Cujacius* ipſe plurimi ſemper fecit; cùm inter quatuor *Franciſcos* (*Franc. Duarenum, Franc. Conanum, Franc. Hottomannum, Franc. Balduinum*) qui eâdem ætate eandem ſcientiam profitebantur unum *Duarenum* ſibi placere, cæteros *Ius* tantùm deligurire diceret.

Duarenus præterquam quòd eloquentiâ, dicendique genere ſuavi & facili omnes ſui temporis *Juriſconſultos* ſuperavit, docendi ratione maximè anteceſſit. Primus enim diu antè Methodicam docendi rationem non obſervatam iterum revocavit, reſtituitque. *Andr. Quenſtedt.*

Quantam coluerit *Franciſcus Duarenus Juriſprudentiam*, ejuſque ſtudia

dia

Digitized by Google

dia promoverit, teſtantur tot ejus graviſſimi viri opera. Docuit in celebri *Biturigum Academiâ*, totque diſcipulos habuit, ut omnium tunc temporis *Iuris* Profeſſorum facilè princeps haberetur. *Gul.Rovil.l.* in Promptuar.*Icon.* Illuſtr. Viror.

* *Duareni* liber de S. Eccleſiæ Miniſteriis permittitur,ſi tamen correctus fuerit. Libellus verò eidem adjunctus, cui titulus eſt: Pro libertate *Eccleſiæ Gallicanæ* adverſus *Romanam Aulam* Defenſio *Pariſienſis* Curiæ,omninò prohibetur. *Index Romæ* impreſſus 1681.

Hoc Ejus Epitaphium:

Viator, ſparge humum floribus; Flos ille Juriſconſultorum Franciſcus Duarenus *hic ſitus eſt, doctrinâ, eruditione, moribus clarus. In* Gall. *atque in* Belg. *Academiis notus Tandem poſt innumeras in legali Palæſtrâ palmas adeptas terrenam Gloriam cum Cœleſti commutavit. A. B.* Jodocus Vith. *P. P.*

Opera ejus ſimul prodierunt 1592.

CONRADUS GESNERUS.

MEdicus, Philologus, & Polyhiſtor eximius, natus eſt *Tiguri* Anno 1516. Obiit. an. 1565. Clar. A. D. MDL.

Vir pius & omni genere virtutum ornatiſſimus, omnia *Naturæ* arcana perſcrutatus magis cogitans de aliorum utilitate promovendâ, quàm propriæ ſalutis tuendæ curam rationemve ſuſcipiens,in omni literarum genere,præſertim verò in Medicinâ, & Philoſophiâ Naturali atque Philologia clariſſimas lucubrationes edidit; erat enim Philologus & Polyhiſtor.doctiſſimus, lumen *Germaniæ*, & decus *Helvetiæ*. Scripſit penè infinita, quorum catalogum ipſe edidit *Boiſſard.* in Icon.

Cujus mors omnibus ſæculis deploranda. Vir longiſſimâ vitâ digniſſimus: & quam exegiſſe videbitur iis, qui ætatem ejus ex librorum (quos plurimos ac utiliſſimos confecit, induſtriâ ſuâ illuſtravit & edidit) non ex annorum (quos vixit) numero metientur. Philoſophiæ eam præcipuè partem, quæ Hiſtoriam Naturalem ſpectat, copioſiſſimis Scriptis explicavit; Antiquorum quoque complura monumenta, præcipuè Theologorum, primus in lucem edidit. Mortuum laudavit *Joſias Simlerus*, & elegantiſſimo carmine *Theodorus Beza*, quô inter alia *Naturam* eum tanquam fidum ſuorum Sacrorum Antiſtitem plorare dicit, mutam deinceps futuram, niſi ipſe mortuus loquatur. *Thuan.* ad ann. 1565.

Conradum Geſnerum, *Tiguri* honeſtis quidem, ſed tenuis fortunæ parentibus natum inter ætatis noſtræ clariſſimos homines ſua tum pietas tum eruditio,probitas denique ſingularis meritò collocarunt; ut plurimarum linguarum, ita

Digitized by Google

omnium Phyſices partium, & intimorum *Naturæ* arcanorum uſque adeo peritum, tamque diligentem ac laborioſum Scriptorem, ut ſi ſtylum excolere quàm ſimpliciter ex aliis optimâ fide collecta pleraque proponere maluiſſet, neq; mors illum immatura ſuſtuliſſet, ætas hæc noſtra in unico *Geſnero* cum *Varronem* alterum, tum *Plinium* quoque renatum fuerit habitura. *Theod. Beza* in Icon.

Conradus Geſnerus Tigurinorum decus immortale. *Caſaub.* in Athen. l. 7. c. 18.

Verè ſanctiſſimus, doctiſſimus, omnibuſque numeris abſolutiſſimus, & totius *Europæ* ornamentum. *Zanch.* Epiſt. l. 2. ad *Bulling.*

Conradus Geſnerus erat homo ſtupendæ eruditionis. *Konig.* in Biblioth.

Nobilis ejus fama, quam præclaris Scriptis ſuis ſibi peperit, jampridem in omnes Orbis Provincias emanavit. *Caſp. Wiſer* Comment. ad *Mithridat. Geſneri.*

Conradus Geſnerus vir ut reconditæ eruditionis, ita indefeſſi laboris ſtrenuam operam navavit in illuſtranda animalis omnis ſpirabiliſque Naturæ Hiſtoria; cui præ cæteris palmam defero. *Levin. Lemn.* de Miracul. occult. Natur. p. 6.

Geſnerus verò ex Scriptis non tam ingenii, quàm laboris & induſtriæ laudem tulit, ut ſunt omnes *Germani* in ſtudiis laborioſiſſimis: quippe tranſcripſit quæ priores dixerant, & ipſis eorum verbis retulit. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 26.

Geſnerus de omnium animalium Hiſtoriâ fuſiſſimè ſcripſit, quam ſimiliter materiam *Ulyſſes Aldroadnus* immanibus voluminibus proſecutus eſt. Sed, liberè dicam, *Plinii* paucos de Animalibus libros pluris fecerim, quàm iſtorum de iiſdem infinitos. *Idem* ibid.

Utilem in bonis Auctoribus convertendis operam navâſſent *Conradi Clauſerus*, & *Geſnerus Tigurini*, niſi eos nimia licentia extra metas abripuiſſet. *Huet.* de clar. Interpret.

Geſnerus multæ ac variæ lectionis, ſummæque diligentiæ: Auctor minimè contemnendus. *Scaligerana* 1ª p. 79.

Conradus Geſnerus inter Univerſales & perpetuos Catalogorum Scriptores principatum obtinet, vir maximis ſuis laboribus optimè de Rep. literariâ meritus. Fuit enim & vertendo & colligendo omnium diligentiſſimus. Injurii ſunt & ingrati in bonum virum exteri quidam, qui ejus Scripta paſſim traducunt, ut non ſatis accurata, & ſolô labore, nullô verò ingenio, ſpectanda: Quod familiare ſolet eſſe in *Germanos* convitium omnium exterorum; qui, ſi non haberent à *Germanis* congeſtas rei literariæ opes, anguſtiùs certè ſecum habitarent. *Adeo* (quæ *Voſſii* Præfat. in *Theol. Gentil.* querela eſt) *laudis nihil ſperandum, quocunque etiam judicio adhibito, propter ambitioſulos iſtos in ſtrennâ inertiâ & ingenii & facundiæ laudem ſolis ſibi vindicantes, aliis relinquentes duntaxat laboris gloriam cum Arcadico, ut loquuntur, pecore communis.* Etiam *Gaddius*, tenuis & jejunus Scriptor minutam diligentiam in illo reprehendit; qui ipſe montes parturiendo non niſi murem parit. *Rolandus* quoque *Mareſius* in Epiſtolis ſuis Philologicis, opere docto, *Geſnerum* alicubi ut *Locorum Communium* Scriptorem exagitat, cum *Geſnerus* & *Geſnero* ſimiles inter eos ſint, qui Sylvas ferant, ut habeant alii, quas cædant

&

Digitized by Google

& excidant. Non nego quidem, nævos ineſſe & errores ejus Autoris Scriptis, ſed illos facilè abſorbet improbus labor ac inſignis ejus utilitas. Æquiùs de viro iſto *Ionſius Hiſt. Philoſ. lib. 3. c. 20.* & *Bailletus tom. 2. pag.* 15. judicat. Conſiderandum enim, quot quantiſque laboribus unus vir diſtrictus fuerit, Phyſicis, Medicis, Philologicis; quanta ſeculi iſtius ob meliorum editionum defectum imperfectio. Quin potius tota ipſi poſteritas ob ſumma illa & Herculea in re literariâ merita obſtricta eſt. Infinita propemodum ſunt & incredibilia, quæ vir ille nondum L. annos natus, cùm moreretur, in omni ſtudiorum genere perfecit. Unus penè Bibliothecam ſcripſit. Quàm honorificum *Iulii Cæſaris Scaligeri* de *Geſnero* fuerit judicium, ex iis literis *Sylvii, I.C. Filii, Scaligeri*, colligas, quæ in *Siberianis Epiſtolis* p. 459. habentur quibus ille *Geſneri* amicitiam ambit, eumque rogat, ut ſuo teſtimonio paternorum Scriptorum Splendorem gloriamque augeat. *Tuam*, ſcribit ille, *autoritatem tanti facio, ut nullius amicitiam magis petam, alium magis colam neminem Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 199. 200.

Dignus quoque qui memoretur *Conradus Geſnerus* anno 65. ſuperioris ſeculi mortuus, qui inter Scriptores plurimos, quos in Pandectis & Bibliothecâ recenſet Philoſophorum quoque Poëtarum, Rhetorum, libros & plerumque vitam exponit, idque induſtriâ, quâ potuit, ſummâ. Quem ejus laborem *Joſias Simlerus* pari felicitate poſtea auxit. Utut verò mendis ſcateat iſta Bibliotheca quàmplurimis, longè plus tamen laudis ob ea, quæ benè dicuntur, quàm reprehenſionis, ob menda nonnunquam levia meretur. *Jo. Jonſius* de Script. Hiſt. Philoſ. p. 310.

Conradus Geſnerus vir fuit inſignis non modò eruditione ſua non vulgari, ſed etiam humanitate, integritate & pietate quibus ornatus fuit. In Theoria & in Praxi Medicinæ excelluit. Hujus illuſtre dedit ſpecimen ſanatione maximi ægrorum numeri qui incurabiles cenſebantur, quippe qui diverſis Apoplexiis, Hydropibus & Epilepſiis laborabant. Ingentem incomparabilium Scriptorum catervam poſt ſe reliquit; adeo ut cum ratione dixerit *Beza*, unicum *Geſnerum* tota claruiſſe Scientia quæ diviſim in *Plinio* & *Varrone* deprehenſa fuerat------*Geſnerus* contexuit ipſe Bibliotheca ſua propriæ vitæ Hiſtoriam, in qua unum obſervatu dignum ſcripſit. Ingenuè nimirum fatetur Opera ſua tam accuratè & tam diligenter elaborata non eſſe ac exoptandum foret, eò quòd propter ſortis ſuæ miſeriam teneretur libros ad victum ſibi comparandum elucubrare, & proinde eadem ſine mora evulgare coactus à binis illis inexorabilibus Deabus *paupertate* videlicet & *neceſſitate*, otio non frueretur ſufficienti, ut eum perfectionis gradum attingerent ad quem illa perducere potuiſſet, ſi ſolius gloriæ ſtimulis ad ſcribendum impulſus fuiſſet. *Veruntamen*, addit deinde, *ne confeſſio mea deſpicabiles reddat libros à me vulgatos, hoc de me prædicare auſim quòd omnes illos quodammodo ſuperent qui in eadem argumenta quæ ipſe pertractavi conſcripti fuerunt. Anton. Teiſſier* Elogiis Virorum Eruditorum. Gallicè.

Ejus Opera omnia prodierunt *Francofurti* Ann. 1617.

Hoc

Hoc ejus Epitaphium *Tiguri* in *Helvetiâ*:

Ingenio vivens naturam vicerat omnem,
Naturâ victus conditur hoc tumulo.
Plinius *hic ſitus eſt* Germanus, *perge, Viator,*
Geſneri *toto nomen in orbe volat.*

* *Conradus Geſnerus* in *Romano Indice* inter *Hæreticos* Primæ Claſſis rejicitur.

PETRUS NANNIUS.

Clar. A. D. MDL.

A *Lcmariâ Hollandiæ* Oppido natus, Canonicus *Atrebatenſis*, comis & blandi vir ingenii, *Conrado Goclenio* in *Latinarum* literarum profeſſione, communibus omnium votis ſuccenturiatus eſt. Carus in primis, ob ſingularem eruditionem, excellentibus in *Belgio* doctrinâ viris, ſummâq; dignitate præditis in his *Nicolao Everardo* Præſidi *Mechlinienſi*, doctiſſimiſque ejus libris; & *Atrebatium Antiſtiti Antonio Perrenoto*, poſt Cardinali, & aliis. Famâ deinde, ut fit, indies magis magiſque notus, ab *Italis*, præſertim à *Jacobo Fliſco, Genuenſi*, Epiſcopo *Savonenſi*, magnis ſtipendiis in *Italiam* invitatur. Cumq; linguâ utraque doctiſſimus, atque in Auctoribus tum ſacris tum profanis, egregiè verſatus eſſet; multas utriuſque generis Scriptorum veterum, *Demoſthenis, Plutarchi, Syneſii*; & de *Chriſtianis Athanaſii*, *Chryſoſtomi, Baſilii, Athenagoræ*, aliorumque lucubrationes *Latinâ* civitate donavit. Sed & è ſuo ipſe penu plurima depromſit, in his *Miſcellaneorum* libros decem, *Panegyricas* & *Litterarias* Orationes totidem, quique præ cæteris Scriptis palmam obtinent, *Dialogiſmos* Heroinarum ſeptem. Nam in hoc genere regnaſſe eum, præter *Italos* acuti judicii homines memorat *Cornelius Muſius*. Scripſit & in *Cantica*, ac *Salomonis Sapientiam* Commentarium, itemque Notas ad *Ambroſii* adverſus *Symmachum Relationem*. *Pſalmos* quoq; *Davidis* plurimos non infeliciter verſibus reddidit: quos cum *Iacobi Latomi* Pſalmis *Plantinus* evulgavit. Moritur *Lovanii* 1557. ætatis 57. pro funere à ſucceſſore *Cornelio Valerio* laudatur. Tumulum ipſi in D. *Petri* baſilica gratis diſcipulus *Sigiſmundus Fredericus Fuggerus* poſuit. *Aub. Miræus.*

Conrado Goclenio vitâ defuncto, *Nannius* unus, qui ſuccederet, dignus omnium calculis eſt judicatus. Vir fuit ingenio facili, ad quidvis prompto, & ad humanitatem omnem ac feſtivitatem facto: viris in *Belgica*, & extra, magnis carus ac gratus. *Valer. Andreas.*

Petrus Nannius, Lovanii diu in *Buslidianâ* Scholâ *Græcam Latinam*que linguam magna eruditionis non vulgaris laude profeſſus, multis ingenii ſui editis monumentis, quibus *rem literariam* multùm promovit. *Thuan.*

Utrâque linguâ doctiſſimus, atque in Autoribus cùm ſacris tum Prophanis egregiè verſatus. *Melch. Adam.*

Vir

Vir *Græcè Latinéque* peritiſſimus, *Franc. Svvert.*

Vir inſigni literaturâ, qui utrâque facundiâ valet. *Lil. Gyrald.*

Criticus diligens vocatur. *Dempſtero.*

Viros aliquot inſignes, & Profeſſores habuit Collegium *Buslidianum:* inter eos *Petrum Nannium*, qui alios poſt ſe, ut meum judicium eſt, reliquit, & fortaſſe relinquet. *Lipſ. Lovanium* l.3. c.4.

Ubi in eas difficultates atque anguſtias incidimus, è quibus nos incolumes evadere poſſe diffidebamus; doctiſſimorum virorum, & quorum in *literis* magnum atque acre ſcirem eſſe judicium, auxilium expetendum mihi eſſe putavi: è quibus præcipuus, ac in ea re promptiſſimus fuit D. *Petrus Nannius*, Latinæ Linguæ apud *Lovanienſes* Profeſſor, cujus inſignis ac rara eruditio tam eſt *Orbi* nota, ut me præcone non egeat, qui incomparabili ſuâ humanitate egregiam mihi navavit operam; & quem eo quoque ad hoc impuli, ut *Ambroſianas Epiſtolas*, in quibus permulta ſunt, quæ non omnibus ſunt obvia, ſuis Scholiis illuſtraret. Quod ſanè ab eo factum eſt tantâ diligentiâ, tantâque doctrinâ, ut ſi non aliàs, vel hoc ſaltem nomine, *Ambroſii* hanc novam Editionem plauſibiliorem gratioremque futuram ſperem. *Ioan. Coſter.* in Epiſt. Dedic. *Ambroſ.* Oper. p[illegible]. An.155.

[illegible]era ejus teſtantur eum fuiſſe bonum *Criticum*, excellentem *Grammati*c[illegible] peritum *Oratorem*, Theologiæ, Juris & Matheſeon gnarum fuiſſe. *Moreri* N[illegible]i Dictionario Gallico.

[illegible]ucà in Sacris & Profanis ſublimia occurrunt, apud *Græciæ* veteris & antiqu[illegible] *Romæ* Scriptores, ad quæ penetrans illud ingenium non pertigerit & eximiis ſui[illegible] Operibus nobis non elucidaverit; Operibus inquam, quibus inſigne *Nannii* nomen reviviſcet vel invita annorum ſerie, quæ non minori amore quàm vene[illegible]tione à Doctis excipientur. *Iſaac. Bullard.* Acad. Scientiarum Gall.

[illegible]cum etiam ſuum in *Interpretibus* tuetur *Petrus Nannius*; fidus *Sententiarum* explicator αὐτοφυὲς illud mirè ſe expreſſit. *Huet.* de Interpret.

[illegible]ominus Hermant ſcribit eum Beati *Athanaſii* ſenſum ſic pervertiſſe, pluribus lo[illegible], ut cùm nobis explanare debuiſſet, quæ obſcura in *Græcis* extabant, in plures errores impulerit Authores qui ejus verſionem ſecuti ſunt, adeo ut hi, authoritate quam adepti erant, plures alios deinceps fefellerint. *Godefrid. Hermant*, Præfat. in Beati Athanaſii vitam, Gall.

Eruditio ſingularis in exquiſitiſſimis ſcientiis, & in omni politiorum literarum *Græcarum* & *Latinarum* genere, Viri uſque adeo docti ac fuit *Petrus* Nannius *Alchmariâ*, Urbe maritimâ Septentrionalis *Hollandiæ*, oriundus, amplius temporis ſpatium exigeret, vel ad ſimplicem ejus adumbrationem delineandam; ut pote quâ dignus evaſit qui conferretur inter primos Gentis ſuæ Literatos, & iis æquipararetur, qui immortalis famæ pennis ſub *Europæo* cœlo glorioſi volant. Vividiſſimo & ad omnia prompto ingenio valuit. *Ghilini* Theatro Virorum Literatorum Italicè.

*Ejus Scholia in *Sapientiam Salomonis*, in multis locis *expurgantur* in *Indice Madrit.* edit. ann. 1667.

Ejus miſcellanea tom.1. Lamp. Crit. *Gruteri* continentur.

Hoc ejus Epitaphium:

Petro Nanno Alcmariano, *Preſbytero & Canonico* Atrebatenſi, *Viro Doctiſſimo, Humaniores Literas in Collegio* Buslidiano, *annos xviii. profeſſo:* Sigiſmundus Fridericus Fuggerus, *Baro in* Kirchberg *&* Viana *B.M. & Amico paterno Memor. virtutis ergo juſſu parentis poſ. Vixit annos* LVII. *Obiit* CIↃ. IↃLVII. XII. *Kal. Auguſti.*

Nanni Caſtalidum *decus Sororum,*
Quisquis te videat, tuoſque fœtus,
Haud Nanum *vocitet; ſed ô* Giganta.

ANTONIUS GOVEANUS.

Clar. An. D. MDL. L*Uſitanus*, Anno 1565. ex immodico peponum uſu obiit. Primùm *Toloſæ*, deinde *Divona Cadurcorum*, poſteà *Valentiæ* & *Gratianopoli* Jus Civile profeſſus eſt.

Scripta ejus hæc ſunt: Variæ Lectiones---De Subſtitutionibus Commentarius---De Juriſdictione libri duo---Ad L.*Gallum Aquilium* lib.1.---De Jure accreſcendi lib.1. Commentarii in titulum digeſti ad legem Falcidiam ---Animadverſionum liber unus---Caſtigationes in *Virgilium* & *Terentium* ---Enarrationes in *Ciceronis* Orationem contra *Vatinium*---Critica Logices pars certans cum *Ciceronis* Topicis---Commentarius in *Ciceronis* Topica---Comment. in priores libros Epiſtolarum ad *Atticum*, & libros de Legibus---Reſponſio ad *Petri Rami* calumnias pro *Ariſtotele*--- Epigrammat & Epiſtolæ---*Porphyrii* quinque vocum Traductio Latina.

Is genere *Luſitanus*, ſed adoptione, [ſicut ipſe, quo erat animi candore, palam profitebatur] *Gallus*, cum puer & litterarum rudis ab *Andreâ Goveano* Patruo in *Galliam* adductus eſſet, tantâ felicitate in humanioribus ſtudiis ingenium exercuit, ut nemo puriùs *Latinè* ſcriberet, nemo verſus elegantiùs pangeret. In Philoſophiâ verò *Ariſtotelicâ* tantum profecit, ut ejus patrocinium jam tum in illa juvenili ætate contra *Petrum Ramum* ejus importunum oppugnatorem magna cum laude ſuſceperit: Poſteà, quaſi omnium ſcientiarum æquè capax ingenium illius eſſet, quodque ſinguli in ſingulis, ipſe unus in omnibus præſtare poſſet, ab *Æmilio Ferreto*, qui *Avenione* jus Civile docebat, cùm *Lugduni* privatis ſtudiis intentus deſideret, ad illius perplexæ ſcientiæ profeſſionem evocatus eſt; in quâ rurſus exiguo tempore tantos progreſſus fecit, rationem veram enodandarum ex antiquitate ſpinoſarum *Iuris* Quæſtionum ſtatim animo complexus, ut *Jacobus Cujacius*, cùm

Toloſæ

Digitized by Google

Toloſæ ante undecim annos in *Vlpiani* titulos ſcriberet; jam tum teſtatum reliquerit, *Goveanum* ex omnibus *Iuris Juſtiniani* Interpretibus, quotquot ſint aut fuere, unum eſſe, cui, ſi quæratur, quis excellat, *palma* deferenda ſit. *Thuan.* ad an. 1565.

Goveanus communi doctorum ſuffragio hoc aſſecutus eſt, ut & Poeta elegantiſſimus, & ſummus Philoſophus, & præſtantiſſimus *Iuris* Interpres habeteur. *Konig.* in Biblioth.

Author *Bibliothecæ Delphinatûs* aſſeverat illum fuiſſe accuſatum, quòd de *Numine* perperam *Valentiæ* locutus eſſet, adeò ut ipſi incubuerit eam culpam à ſe depellere; quod & præſtitit eximia oratione quæ Manu-ſcripta quondam viſa fuit, in Bibliotheca *Enemundi* de *Rabat*, primarii Præſidis in Senatu Gratianopolitano. Gallicè.

Adoleſcens [*Jacobus Cujacius*] *Antonii Goveani* Juriſconſulti ingenium admirabatur, ſed indiligentiâ hominis notatâ, nihil deterritus eſt, deterritum iri ſe dicens, *Iure* tractando, ſi homo *Luſitanus* tanto ingenio, tamque ſubtili, labores Civilium ſtudiorum ſeriò ſuſcipere ac ſubire voluiſſet. *Papio. Maſſon.* in Elog. *Iac.Cujac.*

Goveanus doctus erat vir, & Valens dialecticus, optimus Poeta *Gallicus*: nec enim *Hiſpanum* judicaveris, adeò benè *Gallicè* loquebatur. *Scaligerana* 1.

Calvinus vocat illum *Atheum*, cùm non fuerit; debebat illum meliùs noſſe. *Scaligerana* poſterior.

GULIELMUS POSTELLUS.

B*Arentonius Normannus*, centenario proximus Anno 1581. obiit. Clar. An. D. MDL.

Scripſit varia, inter quæ primum locum obtinent: Tractatus de Republicâ *Athenienſium*---Coſmographia S.Terræ---Liber de *Hetruriâ*---Clavis Abſconditorum---Linguarum duodecim differentium Alphabetum---De Candelabro *Moiſis*---De Orbis Terræ concordia.

Hic apud *Barentonium Normanniæ* vicum obſcuris ortus parentibus cùm ingenium apprimè capax & ad concipiendas artes idoneum à Naturæ bonitate accepiſſet, melioris diſciplinæ ſubſidio deſtitutus, eâ nitidioris eloquentiæ facultate caruit, quæ una maximè doctorum hominum ſcriptis dignitatem atque ſplendorem afferre poteſt. Adoleſcentiam vix attigerat, quando ipſe adhuc docendus difficile docendi munus aggreſſus eſt: cúmque multos vitæ annos in vicinorum liberis erudiendis, ac perpetuo ſtudiorum labore traduxiſſet, tandem è Ludimagiſtro Pagano creatus à Rege peregrinarum linguarum profeſſor in urbem venit, editis locupletibus Commentariis, quibus duodecim inter ſe differentes & variæ linguæ ſuperbâ doctrinæ oſtentatione explicantur. Neque multò poſt viſendi Orbis cupiditate incenſus reliquit *Galliam*, confectaque ſedecim annorum peregrinatione, *Venetiis* demum conſedit, ubi neſcio cujus mulierculæ præſtigiis abſurda quædam & impia de Religione commentus eſt, quæ deinde *Lutetiæ* frequenti auditorum turbâ publicavit; cùm ſe morte obitâ revocatum

Digitized by Google

ad ſuperos & juvenili ætati reſtitutum ineptè mentiretur. Magna quidem ſtolidæ Plebis admiratione, præſertim eorum qui ante profectionem eum noverant, quod videlicet meminiſſent jam vetulum & caneſcentem hinc abiiſſe, quem longo poſt intervallo reducem nigrante barbâ & ævi flore conſpicuum cernerent. Sic enim eos captabat, ſimulatoque per pigmenta miraculo fidem ſuis nugis atque auctoritatem conciliare conabatur. Sed urgente magiſtratu violatæ perſuaſionis reus aufugit in *Germaniam* & in *Ferdinandi Cæſaris* aulâ tamdiu fuit, dum recantatis erroribus in patriam redeundi & publicè profitendi facultas à Principe reddita eſt. At cùm eodem recidere videretur, ex Senatus decreto in D. *Martini* Monaſterium relegatus eſt. Quo in ſeceſſu viribus integris ad alterum & octogeſimum hujus ſeculi pervenit annum centenarioque proximus interiit. *Samarthan.* in Elog.

De *Poſtello*, *Henricus Stephani* narrat introductione tractatûs *de Conformitate Miraculorum antiquorum, & novorum*, cap. 14. pag. 100. illum publicè dixiſſe quòd, qui bonæ Religionis ſpeciem efformare velit, eam ex tribus iſtis Chriſtianâ, Iudaicâ, & Turcicâ conflare debeat. *Henricus Ernſtius obſervat. variar.* lib. 2. cap. 36. *Poſtellum* à quibuſdam libri *de tribus Impoſtoribus* autorem haberi ait. Sed ſumma ipſi hac imputatione injuria infertur: Ego enim hunc inter *Atheos* vel *Deiſtas* referre nolim, quod & *Theophilus Raynaudus* facit, qui *Deiſtarum* parentem vocat, qui *Deum unum* admittere contenti cætera Chriſtiana Myſteria pro fabulis haberent. Nam omnia alia teſtatur liber ejus *De Nativitate Mediatoris ultima*, quem inter *Anonymos* relatum miror apud *V. Placcium*, cùm ejus nomen in fronte libelli extet. Hunc qui legerit, illum à Chriſto & Chriſtianis Myſteriis univerſam rerum naturam quaſi ſuſpendiſſe deprehendit. Multa alioquin habet, quæ cum receptis in Eccleſia ſententiis pugnant errores quoque multos in Religione; paradoxæ in illo multæ ſunt doctrinæ quarum intuitu potius ad *Hæreticos* & *Enthuſiaſtas*, quàm ad *Atheos* referendus videbatur. Quod de formandâ religione ex Chriſtianiſmo Turciſmo & Iudaiſmo dixit, fortè eò pertinet, quod multa Chriſtianorum monumentorum λείψανα in ipſo Alcorano aliiſque, qui apud Orientales & Iudæos extant, libris deprehenderet. In Judæorum quoque vetuſtioribus libris, quos ſuppoſititios aliqui exiſtimant, multa ille Myſteria venatur, non ad infringendam, ſed potius ſtabiliendam religionem Chriſtianam. Ille, quem de *Etruria Originibus* ſcripſit, liber integra capita pro veritate Religionis Chriſtianæ inſerta habet; ut mirari ſatis non poſſim, quid in mentem venerit *Rainaudo*, qui illum Religioni Chriſtianæ adverſum faciat. Sed multa ſunt in *Rainaudo* inepta & falſa de Scriptoribus judicia. De *Poſtello* legi amplius poteſt *Popelniere* in libro Gallico *l'Hiſtoire des Hiſtoires*, lib. 8. pag. 443. Ego, etſi in illo aliqua damnanda & heterodoxa, aliqua ſuperſtitioni propiora agnoſcam; multa tamen acutè excogitata, & profundam doctrinam ſpirantia deprehendo. *Dan. Georg. Morhof.* in Polyhiſt. p. 73. 74.

Poſtellus, non ſine honore mihi nominandus, quippe qui nobis *Arabicæ* linguæ præceptiones tradiderit. *Bibliand.* de Rat. Commun. omn. ling. c. 2.

Poſtellus.

Digitized by Google

Poſtellus, Abyſſus Scientiarum dictus, Polyglottus, Mathematicus, Cabbaliſta inſignis. Ejus, de *Orbis Concordia*, liber præ reliquis laudatur. *Hofman.*

Vir capite motus *Poſtellus*, & non integræ omnino Phantaſiæ, magnus Peregrinator & Mathematicus & Hæretica pravitate nonnihil adſperſus. *Franc.Bacon.* de longævit.& brevitat. Vit. in Hom.ſect.19.

Gulielmus Poſtellus ingenii fuit admodum capacis, *Linguarum Orientis* intelligentiſſimus variâ doctrinâ inſtructiſſimus; ſed quam ſomniis, ac nugis ſuis, multum fœdarit. *Voſſ.* de Mathemat.p.257.

Quidam *Agyrta* noſtris temporibus auſus eſt ſeſe ipſum *Iohannem* palam profiteri, quem inſanus,ſed nihilominus ſceleratus *Poſtellus* ſeſe animam *Adami* habere jactitans, fratrem ſuum *Lutetiæ* vocitabat; & ille quidem *Toloſæ* fuit crematus, *Poſtellus* verò, cùm hæc ſcriberem, adhuc *Lutetiæ* poſt tot blaſphemias à *Sorboniſtis* etiam ipſis tolerabatur. *Theod.Beza* in *Ioh.* 20. ver.22.

Poſtellus excellens Philoſophus, Coſmographus, Mathematicus, Hiſtoricus ſtultus linguarum non ignarus, ſed nullius ad unguem peritus. Invideo illi *Arabicam* linguam.*Scaligerana* 1. p.125.

Poſtellum Syrus docuit,neminem vidi qui *Poſtello* meliùs ſcriberet; fuit verè ſtultus, nam alioqui fuiſſet combuſtus: per vicos currebat. Fecit librum debere fœminas per fœminam ſalvari, ut viros per *Chriſtum*. Poſtellus erat ſtultus; fuerat receptus a *Jeſuitis*, poſtea fuit rejectus ab illis extra Societatem.*Scaligerana* poſterior.

Si quis *Poſtellum* item commendare vellet,ut commendari non poſſet magis, ſufficeret ea notare quibus inſtitutum de illo ſermonem *Jacobus Gualterius* concludit, ubi [*Lutetiæ*] & ipſe anno 1578. docentem audivi,tanto auditorum, quaſi ad recidivum & inuſitatæ ætatis *Doctorem* accurrentium numero, tantaque ingenii, doctrinæ multiplicis, ac memoriæ demonſtratione, ut vix credi poſſit, dixeritque aliquando vir acris judicii *Maldonatus* illum allocutus, *Mirari ſe talem in Mundo virum exiſtere, cujus utique quot verba, tot eſſent apophthegmata. Ioh.* de *Launoy* in lib. de var. *Ariſtot.* fortun. in *Acad. Pariſienſi*, p.69.

Guillelmus Poſtellus ad reliquos vitæ dies relegatus fuit in Monaſterium S. *Martini* Camporum *Pariſiis*; ubi ob profundam (quamvis confuſam) ejus Doctrinam, unius Monachi portio ad victum ei fuit aſſignata: & intra illud Clauſtrum annos octodecim manſit, ubi ſupremum diem obiit, anno 1582. pluſquàm centum annos natus. Eum illuc inviſeram concomitantibus *Carolo* & *Bartholomæo* Maré,Pariſienſibus Bibliopolis, ad ipſi oſtendendos libros quoſdam manu exaratos *Arabico* idiomate, quos deinde excellentiſſimo,& eruditiſſimo illi *Joſepho Scaligero* donavi. E quibuſdam autem cum ipſo ſermonibus habitis circa Philoſophiam & aliqua Theologiæ capita, cognovi eum aut mentis compotem non eſſe, aut ſaltem nequam aut malignum eſſe virum. Obſervavi præterea eum ambitione & arrogantia ſumma turgidum eſſe; Nam poſt plures chimæricos ſermones in quibus nihil capiebam,nec forſitan ipſe quid diceret intelligebat [inter quos impudens ille aſſeveravit quemlibet qui eadem qua ipſe notitia & ſcientia inſtructus eſſet,nonnunquam moriturum]cœpit poſtea

 in de-

Digitized by Google

in defunctum Reverendiſſimum *Carolum* Lotharingiæ Cardinalem mille convitia eructare, innumeriſque ambagibus Prophetam quendam ſeſe venditare tentabat. *Anton. Verderius* Bibliotheca ſua 1585. Gallicè.

Guillelmus Poſtellus eo ingenii vigore, eo acumine, atque memoriâ pollebat, ut prodigium quoddam cenſeretur; Genius erat univerſalis, qui nihil ignorabat, quique in linguarum notitia cumprimis excellebat: Præter Latinam, Græcam, Hebraïcam, Chaldaïcam, Syriacam, adeo callens erat earum quarum hodie uſus eſt, quas viventes dicunt, ut totum terrarum orbem abſque Interprete ſe peragrare poſſe jactaret. *Franciſcus* primus qui litteras amabat, & Regina *Navarræ* quæ docta erat, Poſtellum tanquam Mundi miraculum ſuſpiciebant Maximi Dynaſtæ, & inter alios Cardinales *Turnonenſis, Lotharingius* & *Armeniacenſis* ejus colloquia quærebant, eumque ut Principem quadantenus colebant. Doctiſſimis admirationi erat, & de ipſo dici ſolebat tot Oracula quot verba ex ipſius ore prodire. Sed eruditus ille vir præ nimia Rabbinorum lectione, & Aſtrorum contemplatione, tam abſurdas opiniones animo concepit, ut dicere auſus ſit *Ieſum Chriſtum* in Terram denuò venturum, & hoc adventu Monialem quandam *Venetiis* ſibi cognitam Fœminarum Redemptricem fore, quemadmodum *Ieſus Chriſtus* Virorum Redemptor fuerat, Librumque de hoc argumento conſcripſit, quem etiam inſcripſit, *De Virgine Veneta*. *Anton. Teiſſier*. Gallicè.

Tales eſſe poſſunt 4. libri de *Orbis Terræ Concordia Gul. Poſtelli Barentonii*. In quibus fermè ſolis nihil quod ineptum aut ridiculum non eſſet immiſcuit, ſed univerſam religionum omnium informationem inſtituit, noſtramque præſertim rationibus tam propriis, quàm ex aliarum confutatione deſumptis, valdè quidem acutè ſubtiliterque confirmat & ſtabilit. Idem Author in libris de *Rep. Turcarum*, quos nondum pariter luxatâ mente compoſuit, Relig. *Mahometicæ* ſummam, nihil quidquam vel minutiſſimarum ejus ceremoniarum prætermittens, complexus eſt. *Gabr. Naud.* in Bibliograph. Politic.

De *Poſtelli Grammatica Arabicâ* penè exciderat monere eam ex vulgaribus *Arabum* Magiſtrorum præceptionibus collectam eſſe, ut non niſi *Interpretis* vice functus ſit: quare eum bonam operam navaſſe, deque *Arabiſmo* eo nomine optimè meruiſſe, dubitandum non eſt. Sed de eo hoc certo prædicare poſſum, eum *Arabicæ* linguæ non adeò, quantum videri volebat, peritum fuiſſe: Nam præter quædam, quæ parum caviſſe videtur in *Hiſtoria Orientali*, ex familiari ejus colloquio id planè deprehendere potui: Eodem enim cubiculo uſi ſumus, & meo lecto illi ceſſi, quum ſperarem me ex ejus congreſſu quotidiano aliquem fructum percepturum: ſed nondum hebdomadam integram mecum habitaverat, cùm in carcerem conjectus fuit, homo, quem inſania ab omnis malitiæ ſuſpicione vindicare poterat. Et qui aliter de eo judicant longè decipiuntur. Imperitiam *Arabiſmi* potes animadvertere, ex Interpretatione primi capitis *Alcorani* quam *Matrem* vocant *Muſſulmanni*, quam omnem præter tria aut quatuor verba, infeliciter reddidit. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 362. ad *Steph. Ubertum*, p. 648.

A *Gulielmo*

Digitized by Google

A Gulielmo Poſtello è variis linguis quamplurima *Latinè* expoſita ſunt. Fidam quidem & preſſam; doctrinæ quoque, & ingenii notis diſtinctam ac operoſam & anxiam *interpretandi* rationem eruditus ille vir executus eſt. *Huet.* de Clar. Interpret.

* Hic Author inter *Hæreticos* primæ Claſſis locum habet in *Indice Tridentino.*

Extat de Magiſtratibus *Athenienſium* liber, *Baſilea*, 1551. 8.

Extat de *Hetruriæ* Origine, ſive de ejus Inſtitutis, Religione ac moribus vetuſtis Opus *Florentia* 1551. 4.

Extat abſconditorum à conſtitutione Mundi Clavis. Additus eſt Index ab eo conſcriptorum librorum *Amſtelod.* 1646. 12.

Hoc ejus Epitaphium, *Adriano Tartriero* Med. auctore:

Poſtellus *poſtquam peragravit, plurima paſſus,*
Pro pietate, polos Pariſiis *petiit.*

Obiit ſexto Septembris 1581. annos natus 96. *Phil. Labbe* in Theſ. Epit.

ANDREAS TIRAQUELLUS.

F*Ontiniacenſis Picto*, Juriſconſultus & Senator *Pariſienſis* anno 2558. vivis exceſſit. Clar. An. D. MDL.

Reliquit ampliſſimos Commentarios de Nobilitate: de Primogenitis: de Legibus Connubialibus: Scholia in *Alexandrum* ab *Alexandro*, &c.

Sub exitum anni 2558. *Andreas Tiraquellus Fontenaii* in *Pictonibus* loco honeſto natus, ultimum diem clauſit; cùm vario literarum genere excultus, tum celeberrimus noſtræ ætatis Juriſconſultus, eâque ſolâ commendatione in *Burdigalenſem Senatum Franciſco* I. dein in *Pariſienſem* ab *Henrico* II. cooptatus: ubi magna cum laude conſenuit, æquè ingenii ac corporis numeroſâ fœcundus prole: cùm ſingulis annis ſingulos libros ac liberos, *Reipub.* daret; magno non ſolùm in præſens patriæ ſuæ ornamento, ſed ad ſempiternam *Galliæ* gloriam. *Thuan.* ad ann. 1558.

Quem hominem (*Tiraquellum*) undècunque ad immortalitatem fuiſſe natum diceres: cùm & numeroſam ſobolem ex honeſta uxore ſuſceperit, quæ genus propagaret, & ingentem librorum numerum ediderit, qui nomen æternitati conſecrarent. In quo mirum adeò illud fuit, quòd vir graviſſimus & in ſtudiis forenſibus aſſiduè occupatus tantum otii nanciſci potuerit, ut tot lucubrationes non *Iuris* modò ſcientiâ, ſed omni diſciplinarum genere refertiſſimas meditari non deſineret. Unde operoſa illa tum de *Retractu* tum de *Nobilitate* volumina, itemque de *Legibus Connubialibus*, & alia quamplurima in lucem exierunt immortalitate digniſſima: quæ vir ampliſſimus *Michael Hoſpitalius* ejus id temporis *Collega* pereleganti poemate commendavit. *Scævol. Samarthan.*

Tiraquellus,

Tiraquellus, regius *Profeſſor Lutetiæ*, celeberrimus *Iuriſconſultus*, vir tantæ ac tam variæ lectionis, quantæ nec ſuperiori, nec noſtra ætate ullus. *Valentin. Forſter*. Hiſtor. Iul. Civil.l.3.c.ult.

Andreas Tiraquellus, Juriſconſultus, & Philologus diligentiſſimus omniſcius. *Dempſter*.

Floridiſſimus *Alexandri Alexandrei* Scholiaſtes, in libris de *Nobilitate*, de *Primogenitis*, de *Legibus Connubialibus*, infinitâ multiplicis eruditionis congerie laborioſiſſimus. *Boniſac*.l.15.c.8.Ludic.Hiſt.

Unum hoc meritò in *Alexandro Alexandræo* improbari ſolet, quòd eorum unde profeciſſet, diſſimularet autores. Sed huic vitio medicinam fecit doctiſſimus *Tiraquellus*, qui digitum ad fontes intendens, unde quæque hauſta eſſent, indicavit *Voſſ*.de Hiſt.Lat.p.609.

Quæ hìc in medium afferemus, debemus clariſſimis viris *Andreæ Tiraquello* Juriſconſulto, *Carolo Sigoni*, & *Barnaba Briſſonio* Juriſconſulto, qui tantâ induſtriæ laude *ritus* eos inquiſiverunt, & explicarunt, ut nihil iſtorum monumentis addi videatur. *Roſin*. de Antiq.Rom.ubi de Nuptiis agit.

Accuſatus fuit quòd nimia ſcientiæ ſuæ opinione turgeret, quòd ſupra modum gloriam & honorem ambiret, quòd eos deſpiceret qui ſententiæ ſuæ obluctabantur. Veruntamen *Tiraquelli* libri tanto in pretio erant, dum ipſe viveret, ut *Bartholomæus Chaſſanæus* celebris Iuriſperitus eorum plures paginas exſcribere non dubitarit, quibus Opera ſua exornaret, de quo conqueritur *Tiraquellus*, Tractatibus ſuis de Legibus *Connubialibus* & de Retractu, ubi & ſui apologiam texit adverſus eundem Chaſſaneum, qui ipſum inſimulaverat quòd plura hauſiſſet ex Cœlii Rhodigini veteribus Lectionibus. *Teiſſier* Elogiis Virorum Illuſtr. Gallicè.

Teruntur manibus *Alexandri* ab *Alexandro* Iuriſc. *Neapolitani Geniales Dies*, quibus & *Varro* ille *Gallicus Andreas Tiraquellus*, non minus πολύτεκνος quàm πολύγραφος ϗ πολύβιβλος tantum impendit curæ atque operæ, ut quæ ab *Alexandro* brevius, & ſine Auctorum mentione dicta eſſent, *Commentariis* illuſtraret ſuis. *Conrad. Riterſhuſ*. Epiſt. ad Cent. 3. Meditat. Hiſtor. *Camerarii*.

Andreas Tiraquellus Iuriſconſultus celeberrimus & Regius in Curiâ *Pariſienſi* Senator, jure omnium ſuorum æqualium doctiſſimus erat exiſtimatus. Laboris ingentis admodum patiens, ſcripſit & doctiſſimè quidem eſt interpretatus plures nobiliſſimos titulos *Iuris*. Inter alia, ſcripſit ſuper tit. de *Legibus Connubialibus*, & *Iure* maritali, magnum volumen inſcriptum, de utroque *Retractu* municipali & conventionali, Opus maximi pretii & monumenti. *Gul.Rovil*. in promptuar. *Icon*. Inſign. Homin.

Theodorus Beza in Epigrammate quodam hunc Auctorem appellat, *Alterum ſeculi noſtri Varronem*. Copioſiſſimus *Calepinus Iuris* vocatur *Forſtero de Succeſſ. ab Inteſt*.c.12.

Non ſine magna ratione dixit Dominus *Thuanus*, quòd quemadmodum *Tiraquellus* Reipublicæ plurimos tradiderat libros, ſic & ingenti Civium numero ipſam locupletaverat: aſſeveratur enim quod pluſquam triginta liberorum parens

fuerit

Digitized by Google

fuerit ex legitimo connubio ſuſceptorum. *Ant. Teiſſier.* Elog. Virorum Erud. Gall.

In Effigiem *Andreæ Tiraquelli* hoc Hexaſtichon compoſuit Auctor Anonymus:

Jam nihil eſt, venerande ſenex, quòd pulla ſororum
Stamina, vel Stygias quòd verearis aquas.
Subtrahet hæc vultus morti pictura: perennem
Ingenio vitam tot tua ſcripta dabunt.
Ergo ubi fatalem Lacheſis *tibi neverit horam,*
Magna tamen fugiet pars Acheronta *tui.*

Extant Opera ejus Juridica 7. Tomis *Francofurti 1616.*

PETRUS VICTORIUS.

F*Lorentinus*, natus eſt anno 1499. Obiit anno 1585.
Exaravit variarum Lectionum libros 38. Annotationes in *Varronem, Catonem* & *Columellam:* Commentaria in libros *Ariſtotelis* de Arte Dicendi, de Poeticâ, de Moribus, & de Republicâ: *Caſtigationes* in *Ciceronem:* Annotationes in Epiſtolas *Ciceronis*, Scholia in *Æſchylum:* Orationes & Epiſtolas: libellum de Urbis *Romæ* Regionibus & Locis: Commentarios in *Demetrii Phalerei* librum de Elocutione. Clar. A. D. MDL.

Petrus Victorius longævâ ætate id conſecutus eſt, ut *literas* in *Italiâ* renaſcentes & penè extinctas viderit. De quo pauciora eo mihi dicenda ſunt, quod ejus pleraque monumenta extant, quibus *humaniores literas*, & antiquos *Scriptores* tam *Græcos* quàm *Latinos* magnâ fide ac diligentiâ recognitos explicavit. *Thuan.* ad An. 1585.

Petrus Victorius, princeps ingeniorum ſui temporis, judicio valebat acerrimo, ac eruditione magnâ, quæ cum pari conjuncta erat modeſtiâ. Illi uni plus *Cicero* debet, quàm reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo tempus ſtudiumq; poſuerunt, quorum plurimos ſuperius illud felix ſeculum tulit, *Italia* præcipuè omnis eruditionis, quæ in illâ refloruit, parens: Horum enim pleriſque cultum quidem refert acceptum, ſed *Victorio* ſalutem. Non inficior alios etiam ſolertes & doctos viros multos nævos *Tullio* deterſiſſe, ſed *Victorius* tot gravia vulnera, tot latentia & ſuppurata, quæ bonam valetudinem mentiebantur, in eo ſanavit *ulcera*, ut principem inter omnes locum obtineat. *Joan. Georg. Grævius* præfat. ad *Ciceron. Epiſt.*

Petrus ſanè *Victorius*, magnus cum primis vir, & de quo illud *Ennii* proferre meritò poſſim, *Multa tenens antiqua ſepulta:* cùm in *Græcis* & *Latinis* auctoribus partim caſtigandis, partim interpretandis ſtudioſè verſatus ſit. *Lipſ.* l. 2. Var. Lect, c. 25.

Lavinius Torrentius ad *Sueton. Claud.* c. 43. vocat virum in emendandis *Veterum Scriptis* rarâ religione & fide.

Ex hac *Emendandi* profeſſione non tam doctrinæ magnæ, quàm magnæ bonitatis & fidei laudem quæſivit. *Franc. Robertell.* de Art. Critic.

Inſtaurator non ultimus humanitatis. *C. Baoth.* in *Rutil.* p. 186.

Eruditorum Coryphæus, qui tam accuratè vet. MSS. contextus obſervavit, ut communi omnium literatorum conſenſu & voce accuratiùs non potuerit. *Riccobon.* in lib. 1. Rhetor Ariſt. c. 2.

Neminem arbitror meliori fide ac religione & diligentiâ in antiquorum ſcriptorum emendatione verſatum eſſe, quàm *victorium*. Nam quandocunque uſpiam hæret, ne antiquitati præſcribat, veterem ſcripturam velut ſub ſcriptâ teſtatione repræſentat, & rem judicio hominum relinquit: in quô eâ pudoris ingenuitate eſt, ut de exiſtimatione malit amittere, quàm per fucum hominibus os ſublinire, & dum famæ conſulit, verum opprimere. *Turneb.* lib. 19. Adverſar. cap. 28.

Victorius Italorum doctiſſimus, & vir optimus ac fideliſſimus, cui multum debemus. *Scaligerana* prim. p. 147.

Petrus Victorius, vir bonus, qui bene ſcripſit, ſed diffuſus; infenſus mihi fuit quod in *Varronem* ſcripſiſſem ejuſque *Varrone* uſus eſſem, quo ipſe tam feliciter ut ego, uti non poterat. Quàm miſera *Victorii* Epiſtola ad finem Operum de la *Caſa* circa *Euripidis* quendam locum, cujuſque errorem animadvertere nequit. In Italia maximi æſtimabantur *Victorii Variæ Lectiones*. Doctus erat, ſed vulgare ingenium. Immeritò carpit illum *Titius*. Dum juvenis eram Varias Lectiones *Victorii* in pretio habebam, ſed haud magni ſunt momenti: miſeras ſcribit Epiſtolas cum magnis ambagibus. P. *Victorius* dolebat me melius *Varrone* uti potuiſſe quam ipſe, ideo mihi invidebat: In ſuis variis Lectionibus non habet niſi verba & paucas conjecturas bonas. Multum fecit in Libris conferendis, ſed non habebat genium Librorum: magni fiebat, quia Itali ſolent ſuos magnifacere. *P. Victorius* bonus & diligens, ſed parvi judicii. *Scaligerana* 2. Gall.

Dominus *Balzacius* ait *Victorium* non eſſe quidem adeo jucundum, ut *Lipſium* & quoſdam alios, ſed illi ſimplicitatem quandam Romanam ineſſe qua maximè delectat, & vel ipſam ejus negligentiam aliquam habere venuſtatem. Cæterum claris ortum eſſe natalibus, Palæmoniamque Sophiſticen nobilitaſſe. Nobis tranſmiſiſſe bonas & ſani judicii obſervationes in Ariſtotelem, Ciceronem, Demetrium Phalereum &c. de la *Caſa* illum tanquam Magiſtrum ſuum agnoſcere; Annibalem *Caro* illum tanquam Patriæ ſuæ *Oraculum* conſuluiſſe: *Scaligerum* eum ut virum eruditiſſimum ſuſpexiſſe; à *Principibus Mediceis* ſæpe in proprios Lares conveniri ſolitum fuiſſe, Regem ipſum *Henricum* III. ad eum ſcripſiſſe petens in amicorum album ſe referret. *Balzac.* lib. 19. Epiſt. 20. ad *Capellanum* 1638. Gallicè.

Nihilominus idem Author alibi dicit ſe ſtylum ejus atque Scribendi modos

parvi

parvi facere, præſertim in ejus *Epiſtolis* ejuſque Orationibus. *Balzacius* lib. 3. Epiſt. 21. Gall.

Summus *Academiæ Florentinæ* parens, concordi ſuorum civium plauſu eſt appellatus. Ita doctorum cohors omnium *Italicæ Univerſitatis*, ac ejus *Oraculum* inita *humaniorum literarum* diſſidia deferebat. In quo tamen egregiam perpetuò retulit modeſtiæ laudem animo potiùs amicorum ſtudiis & officiis, quàm propriæ gloriæ, ac inflationi prono. Neque pariter ullum vel emeriti lucri commodum ſibi cordi eſſe tunc oſtendit, cùm bis aureorum millia ſibi à nobili quodam oblata *Presbytero*, ut *Rhetoricæ* volumen typis recuſum ejus inſcriberet nomini, conſtantiſſimè rejecit. *Joan. Imperial.* in Muſ. Hiſtor.

Eximia verò *Petri Victorii* facultas; ad *auctoris* arbitrium ita ſe componit, ut mutatus, recoctus, penè alter credi poſſit; alieno ore loqui, propriamque indolem exuiſſe videatur. *Huet.* de Claris Interpret.

Petrus Victorius ex eo genere *Plagiariorum* habetur, qui ambitione quadam accenſi deperditos, eoque nunquam ſibi viſos citant *autores*, eorum ſuppreſſo nomine, à quibus notitia talium ad eos pervenit. *Thomaſ.* de Plag. num. 573.

Author *Bibliothecæ Curioſæ* ait Petrum Victorium omnium Ariſtotelis Interpretum præſtantiſſimum eſſe, ſed utcumque obſcurum. Gallicè.

In *Petrum Victorium* hoc diſtichon compoſuit *Jacobus Boiſſardus*:

Victor es, *& vincis* Muſis *&* Apolline *dextro*:
Quin age, Parcarum *vincere clauſtra ſtudes.*

Extant Variarum Lectionum libri 25. *Florentiæ* Typis *Laurentii Torrentini* fol. 1553. Extant *ibidem* 1582.

Extant Notæ ad *Varronem*, *Dordrecti* 1619. 8o.

MARCUS HIERONYMUS VIDAS.

PAtriam habuit *Cremonam*, *Galliæ Ciſalpinæ* urbem percelebrem, non procul à *Mantuâ* diſſitam. Hujus parentes non fuerunt ignobiles, neque tenuium facultatum: qui filium bonis diſciplinis inſtitui ſummâ diligentiâ curaverunt, adhibitis ad ejus inſtitutionem doctis, & ſolertibus Præceptoribus. Clar. A. D. MDL.

Cúmque eſſet in Philoſophiæ ſtudio optimè eruditus tam in patria, quàm *Mantuæ*, *Patavium* miſſus eſt, ubi ſtudiorum curſum abſolvit: & *Bononiæ*, ubi ſacris literis incumbens, & Poëſi, tantum in iis profecit, ut proximè ad *Virgilianam* excellentiam illum perveniſſe omnes judicent: cujus rei inſigne teſtimonium præbet inſigne illud, & nunquam ſatis laudatum opus *Chriſtiados*: Poema proculdubio, quod tam materiâ, quàm compoſitione, & ſtylo debet meritò præferri cæteris omnibus ſcriptis, quæ à noſtri ſæculi poetis melioribus tradita ſunt: continet enim vitam *Chriſti* ac geſta libris 6. ſcripſit & eadem feli-

Digitized by Google

citate de *arte Poeticâ* lib. 3. De *Bombycum curâ* & *uſu* lib. 2. De *ludo Scacborum* lib. 1. *Hymnos*, *Odas*, *Bucolica*, & aliquot *Epiſtolas*, quæ omnia hodie non ſine autoris admiratione, & æternâ laude à bonarum literarum ſtudioſis leguntur. Cujus virtutem & doctrinam, ut aliquo honoris titulo, & commoditate compenſaret Pontifex Maximus, Epiſcopatum *Albæ* illi detulit, donationem adprobantibus communi ſuffragio omnibus Eccleſiaſticis Patribus. Mortuus eſt anno *Dom.* 1566. ætatis 59. M. V. D. X. Florebat in *Italiâ* celebris, anno *Chriſtianæ* ſalutis M. D. XXX. *Boiſſard.* in Icon.

Hunc unum hâc tempeſtate meo judicio eò perveniſſe videmus, quò ſine *Græcis*, duce cum primis *Virgilio*, pervenire *poeta* poteſt. Vaſtus illi animus atque *poëticus*, præcipua verò ejus (ut mihi quidem videtur) virtus excellens ac mira quædam in *poëticis* materiis diſponendis illuſtrandiſque felicitas. *Lil. Gyrald.* de Poet.

Hieronymus Vidas primus inter *Italos* poſt *Jac. Sanazarium Poëticam* ad res ſacras tranſtulit: & verſibus elegantiſſimis ac puriſſimis provinciam ſuam excoluit. *Thuan.* ad An. 1566.

Primus ferè omnium *Latinorum Poëtarum* vitam, mortem, Reſurrectionem, aliaque *Salvatoris* noſtri geſta, ex quatuor *Evangeliis* collecta, ſublimitate carminis *Virgilianæ* Majeſtati proximâ, feliciſſimè cecinit. *Sixt. Senenſ.* lib. 4. Biblioth. Sanct.

Hieronymus Vida noſtræ ætatis, ſcripſit *carmen* excultum ſanè, & mirè *Virgilianum* de *Poëticâ*; in quo ſatis habuit *Homeri* ac *Virgilii* virtutes percenſuiſſe ac declaraſſe, eaſque pro abſolutis artis præceptionibus tradidiſſe. *Lud. Viv.* de Cauſ. Corrupt. Art. l. 1.

M. Hieronymus Vida, etiam dum viveret, magni fuit nominis. Nunc illum audio à pleriſque ſtatui noſtri temporis principem *Poëtarum*. Quo nobis acriùs laborandum eſt, ut quæ illius ſint tot tantæque virtutes cognoſcamus. Ab ejus igitur *Poëticâ* initium ſumere placet. Eſt enim præclarum Poëma—tanto majore laude quàm *Horatius* dignus eſt, quanto artificioſiùs de *arte* agit hic quàm ille—Univerſum penè opus hoc eſt quaſi *Parodia* ſumpta atque formata è *Virgilianis*. Non eas dico partes in quibus apponit exempla; ſed illa, quibus ipſe ſua præcepta dat, ac leges ſancit — Nunc ad *Scachiam* tranſeamus. Inventio non inepta: juvenilis tamen, & quæ interdum officiat decoro. Rerum verò ἐμφάνεια feliciſſimi ingenii eſt; Stylus in Parodia *Virgilianâ*. *Bombyx* caſtigatior atque elaboratior, propiuſque accedens ad curam poetices. Is enim liber rex eſt librorum *Vidæ*. Nam *Hymni* & *Eclogæ* puerilia ſunt aut plebeia. *Catulli* venerem dum vult aſſequi delicias lenociniis plebeias fecit. *Chriſtias* verò meretur ſummam laudem. Non enim niſi à viro pio atque etiam optimo proficiſci illa potuere. *Jul. Cæſ. Scalig.* de re *Poëtic.* l. 6.

M. Hieronymus Vida, diſertiſſimus Poeta, dictione accuratus, diſtributione & diſpoſitione *fabulæ* concinnus, ſpiritu & nervis ubique plenus, robuſtuſque, etiam in minimis facundus uber, floridus: id quod *Bombycum* ejus libri duo, *Latrunculorum*, ſive *Scacchorum* opus, & denique expictum illud 13. *Italorum* pugilum

Digitized by Google

pugilum cum totidem *Gallis* certamen, non heberi lectori facile perſuaſerint. Laudantur & *Chriſtiados* ejus libri 5. Nec *Ecloga* ejuſdem, atque *Epicedia epica* carent gratiâ, inferiora tamen cæteris. Quin & *Elegi* dulces, cultique. *Borrich.* de Poet. p. 107.

Jeſ. *Rapinus* ait *Vidam* inter Neotericos ingenio maximè idoneo pollere ad nobilitatem narrationis alicujus *Heroicis Verſibus* conſtanter ſervandam, cujus etiam indicia dederit Poemate ſuo in *Mortem Jeſu Chriſti.* Idem *Rapinus* ait, ejus ſtylum incomparabilem fore, niſi quandoque vilibus uteretur phraſibus, & aſperitatibus *Lucretianis* ſimilibus. *Rapinus* alio loco ait ſtyli *Vidæ* puritatem mirificam eſſe, ſed Fabulæ ejus diſpoſitionem nullatenus exquiſitam eſſe, ejuſque ſcribendi modum nullam cum ejus Argumenti præſtantia proportionem ſervare. *Rapin.* Animadverſionibus in Poeticam 2. part. Animadv. 10. & 16. Gall.

Marcus Hieronymus Vida, *Cremonenſis*, ſummi ingenii vir ſummæque doctrinæ, poetarum Scholæ *Chriſtianæ* facile Princeps, heroico ſpiritu *Maronem* feliciter æmulatus fuit: quod ſatis ipſe teſtatum fecit illo inſigni *Chriſtiados* opere, nunquam ſatis laudato. Solutâ quoque oratione pollens, reliquit duos *De Optimo Reipublicæ ſtatu* dialogos, in quibus *Reginaldum* Card. *Polum* loquentem inducit: ut utro dicendi Charactere magis excelluerit, ambiguum ſit. Quod paucis noſtra memoriâ contigiſſe memini; in his fortaſſe *M. Antonio Mureto*, & *Petro Angelo Bargæo*. *Ciceronis* carmina irridere noſter *Vida* certè non erubuit, in Satyrâ *Juvenalis* ac *Martialis*. De *Arte* quidem *Poeticâ Stagiritam* & *Flaccum* multa divinitùs obſervavit. Inventionis & diſpoſitionis tamen artificium (quo in *Chriſtiados* libris uſus omnibus æqualibus facilè antecellit) ſcripto non prodidit, ſive quia priores tres illos de *Poëticâ* libros dedit, ſive potiùs ſtudio id texit ingenioſo Lectori obſervandum relinquens. Ex Canonico Regulari, Congregationis *Lateranenſis*, Epiſcopus *Albæ Liguſticæ* creatus, meriti ergô & virtutis doctrinæque ſingularis, *Concilio Tridentino* interfuit. *Aub. Miræus.*

Si ordinem temporis ſequamur, unus ſe poſteà offert *Averroes*; cujus liber *de Republicâ* editus eſt, unà cum *Robertelli diſceptatione* & *Franciſci Philelphi* de eâdem re libris, qui priſcæ gravitatis imaginem redolent, nitore ſtyli, & argumentorum præſtantiâ; quod idem judicium ferendum eſt *de Republicâ* elegantiſſimi juxtà Oratoris ac Poetæ *Hieronymi Vidæ*; niſi quòd tantâ rerum copiâ ac varietate non luxuriat; diffuſus in quærendo, vitâne publica privata ſit præſtantior; in cæteris ſiccior, ac jejunus. *Gab. Naudæus* in Bibliograph. Politic.

Jeſ. *Leonardus Friſo* contendit ſe in *Vidæ Chriſtiade* gravem obſervaſſe lapſum, quem *Julius Scaliger* non animadverterat. Quòd nimirum *Vida S. Joſephum* & *S. Johannem* in illam introducat duas pronunciantes Orationes æquè prolixas ac *Æneæ* Orationem coram *Didone*, eo temporis intervallo quo *Jeſus Chriſtus* deducebatur ad *Pilati* tribunal, ut ibi judicaretur, & mortis damnaretur. Quàm parum autem veroſimile eſt, quòd tempore tam tumultuoſæ perturbationis, Præſes Senatûs Judaici tranquillè poſſet audire omnes circumſtan-

cumſtantias ſingulares nativitatis, educationis curriculumque totius vitæ. *Domini Noſtri?* Præterquàm quòd *S. Johannes* eodem inducatur *Verbi* æterni generationem ediſſerens adeo dilucidè ac ſi jam tum *Spiritus* Sanctus altum hoc Myſterium ipſi revelâſſet, cujus tamen perfectam notitiam ante diem Pentecoſtes non eſt adeptus. *Anton. Teiſſier.* Elogiis Virorum Erudit. Gall.

Marcus Hieronymus Vida, *Cremona* Civitate ortus, Canonicus Regularis, primùm *S. Marci*, poſtea verò *Laterani*, doctiſſimus evaſit in gravibus ſcientiis, æquè ac in jucunda & politiori literatura: Quia verò ex ingenita propenſione Sciendi nimium avidus erat, animum ad unicam ſcientiam nunquam appulit, ſed omnes, quaſi librorum helluo, celeriter percurrens, nunquam ita conſtanter earum alicui operam navare potuit, ut illam eò uſque addiſceret, ut plenam laudem hinc conſequeretur. Conſtat tamen mirabile ingenium ejus ad omne literaturæ cœptum aptiſſimum fuiſſe. *Ghilini* Theatro Literatorum Virorum, Italicè.

Carmina ejus continentur Tomo 2. *Delit. Ital.* 1399.

Hoc ejus Epitaphium:

M. *Hier. Vida Albæ* Epiſcopo quem probè omnes norunt, civitas *Cremona* decreto Sepulchro ſumptu pub. Civ. qui de univerſa Civitate B. M. eſt, parentavit V. A. N. Qui cùm quidquid in egregium hominem laudis dici poteſt, in eum beneficio nat. fuerit collatum immortalit. erat dignus, niſi naturæ communis conditio obſtitiſſet. Vivit tamen adhuc apud nos, vivetque æternùm apud poſteros benef. jucundiſſ. ac perpetuâ recordatione. Qui omnibus erga gregem ſibi commiſſum officiis functus piet. charit. fide conſt. præclarus omnibus carus, nemini noxius à nobis deceſſit ſuo magis quàm aliorum tempore, Qui non ſolùm piè, & ſanctè *Deum* coluit, ſed ita etiam cecinit, ut in cœlo locum, ubi beatus ævo ſempiterno fruatur, & in terris æternam ſibi gloriam maximo omnium mortalium fructu comparavit. Obiit anno M D LXVI. 27. Septembris. *Ghilini.*

ANDREAS VESALIUS.

Floruit A. D. MDL.

BRuxellenſis, natus eſt Anno 1513. Obiit Anno 1564. *Baſileæ* Anatomen exercuit. Inde in aulam *Caroli V.* adſcitus eſt. Aulicæ vitæ pertæſus, viſendæque *Palæſtinæ* ſtudio ductus *Hieroſolymam* adiit: in redeundo ortâ tempeſtate in *Zacynthum* inſulam ejectus eſt, ubi morbo correptus in tuguriolo obiit. Inter *Scripta* ejus plurima. Libri ejus de *Fabricâ Humani Corporis* primum obtinent locum.

Puer etiamnum mures, talpas, glires, interdum etiam canes atque feles diſſecare, & inteſtina rimari avebat; magno omine ejus, quæ in eo poſteà eluxit, *Anatomiæ* peritiæ; quam ipſe jam intermortuam in lucem revocavit. Naturæ itaque genio obſecutus, ad *Medicinæ* ſeſe artem ſic applicuit, ut in *anatomicis* parem

parem vix ullum, ex omni antiquitate, ſuperiorem certè neminem repererit. *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Magnus ille Medicus *Gabriel Fallopius*, *Veſalii* nunquam ſine præfatione honoris mentionem fecit, *parentem* & *reſtitutorem rei anatomicæ*, divinum quinetiam *hominem* appellans, *è cujus fontibus ſuos cæteri rivulos deduxiſſent.*

Andreas Veſalius rem *Anatomicam* penitus collapſam, atque ne quidem ab ipſo *Galeno* ſatis accuratè traditam etiamnum juvenis ita reſtituit, ut jam ſenibus omnibus hodieque ſui admirationem reliquerit *Conring.* l. 2. de *Scriptor.*

Annos vix natus 28. ſcripſit illud opus admirandum *De Humani Corporis Fabricâ*, de quo libro ſic judicat *Caſtellanus* in vitâ *Veſalii*: *ſanè opus illud certiſſimis demonſtrationibus aptum, & graviſſimo dicendi genere conditum, robuſti ingenii divinum vigorem, eruditionemque pertinaci ſtudio auctam longè latéque oſtentat.*

Andreas Veſalius, præſtantiſſimus Medicus, & Opere *De Fabricâ Humani Corporis* edito clariſſimus. *Thuan.* ad Ann. 1564.

Præclariſſimum illud *De fabricâ Humani Corporis Opus*, poſteris omnibus ſuſpiciendum. *Boiſſard* in Icon.

Veſalius ſolertiſſimus ac diligentiſſimus *Anatomes Corporis Humani* inſtaurator, à Patre *Julio Scaligero* non parum laudatur. *Scaligerana* prim. p. 147.

Andreas Veſalius, *Bruxellenſis*, Gymnaſii *Patavini* egregium lumen, & *Anatomes* illuſtrator omnium conſummatiſſimus. *Vander Linden* de Script. Med.

Dominus *Thuanus* ait *Veſalium* Pariſiis aliquando degentem mirificum peritiæ ſuæ in *Anatomica* periculum feciſſe: Oculis enim obductis, gloriatus eſt ſe à nemine circa oſſa humana decipi poſſe, & aſſeveravit ſe quodlibet os ſibi oblatum deſignatum ire, quod etiam præſtitit. Gall.

Andreas Veſalius Bruxellenſis, vir clarus, de re *Anatomica*, & humani Corporis Fabricâ, adjectis figuris, elegantiſſimè ſcripſit, cujus ſcripta medicis ſunt in magno precio, utpote quæ ad *Medicinæ* perfectam cognitionem & praxim, neceſſaria eſſe dubium non ſit. *Gul. Rovill.* in promptuar. *Icon.* Illuſtr. Vir.

Quum ingenio penè unico immo divino natus eſſet *Andreas Veſalius*, credidit operæ pretium ſe facturum, ſi rei *Anatomicæ* ſeſe ſuumque ſtudium dicaret — Hic adoleſcens adhuc cum *Jacobo Sylvio Pariſiis* familiariter vixit, adeoque eo Præceptore in *Arte Medicâ* addiſcendâ uſus eſt: quanquam, ſi ipſi *Veſalio* fides habenda, uti omninò habenda eſt, à *Sylvio* in *Anatomicis* quidem nihil didicerit; quod tamen *Riolanus* non ſine *Veſalii* injuriâ perſuadere hominibus voluit — Unum in *Veſalio* fortè jure reprehendas quòd in *Galeno* inſectando modum nonnunquam excedat, irritatus tamen ab imperitis *Galeni* admiratoribus, & laborum ſuorum *Cenſoribus* ſanè iniquis. *Sebaſt. Scheffer.* introduct. in *Art. Med.* p. 98. & 101.

Hic itaque *Veſalius* tanto ingenii ardore juvenis viginti trium circiter annorum in *Italiam* ubi perveniſſet, peritiâ *Secandi* brevi tempore ita inclaruit, ut

Senatus

Senatus Venetus Secandi munus cum *Chirurgia* profeſſione in *Academiâ Patavinâ* extra ordinem ipſi obtulerit; quò factum ut primus *Anatomicus* in *Europâ* fuerit, qui publico ſtipendio aleretur. Annos 28. natus edidit de *Fabrica Corporis Humani*, ut grande ita regium profectò opus, cuique nullum aliud comparari meretur. Nam & ſtylo magnifico & *Latino* eſt perſcriptum, & tantam ipſius experientiam in *Anatomicis* prodit, ut totus eruditorum Orbis ad extremum uſque diem nunquam ſatis ſit admiraturus, juvenem nullo Magiſtro ad illud faſtidium eruditionis perveniſſe. *Sebaſt. Scheffer.* ibid. p. 100.

Huc aſpiraverunt *Jacobus Sylvius*, & *Andreas Veſalius*, quum alter *Meſue* libros tres, alter nonum *Raſe* ad *Almanſorem*, ex *Arabum* fontibus deduxiſſe videri voluerunt, ſed vano conatu: nam in *Arabicis* penitùs peregrini antiquas interpretationes puriori duntaxat *Latinitate* expoliverunt. *Huet.* de Clar. Interpret.

Hunc [*Andream Veſalium*] *Nicolaus Maſſa* tacitè perſtringit, & veluti *Plagiarum* furtivis pennis inſtar *Corniculæ Æſopicæ* exornatum ſugillat. Thomaſ. de Plag. num. 571.

Hubertus Languetus in Epiſtola datâ *Lutetiæ* Calend. Jan. 1565. ad *Caſparem Peucerum*, hanc veram fuiſſe cauſam peregrinationis *Veſalii* tradit. 'Fama eſt, *Veſalium* eſſe mortuum. Audiviſti proculdubio, eum profectum eſſe *Hieroſolymam*. Cauſa iſtius peregrinationis eſt mirabilis: ut ad nos ex *Hiſpania* eſt 'perſcriptum. Commiſſus fuit curæ ejus quidam vir nobilis in *Hiſpania*; quem 'cùm obiiſſe exiſtimaret, nec ſatis percepiſſe cauſam morbi ſibi videretur; petiit à propinquis defuncti, ut ſibi liceret cadaver diſſecare. Conceſſum eſt ei, 'quod petebat: cumque pectus aperuiſſet, reperit cor adhuc palpitans. Cognati mortui non contenti eum accuſare factæ cædis, accuſant etiam impietatis 'apud *Inquiſitionem*; exiſtimantes, ſe ibi ſeveriorem ultionem conſecuturos. 'Cùm conſtaret de cæde; nec facilè excuſaretur error tam periti medici: voluit 'omninò *Inquiſitio* de eo ſumere ſupplicium: vixque potuit *Rex* ſuâ autoritate, 'vel potiùs ſuis precibus eum periculo tanto eripere. Tandem conceſſum eſt '*Regi* & toti aulæ, pro eo deprecanti, eâ conditione, ut ad expiandum illud ſcelus proficiſceretur *Hieroſolymam*; & ad montem *Sinai*. Hæc *Languetus*.

Extant libri 7. *De humani Corporis Fabrica. Amſtelod.* 1617. fol.

Infortunium hujus Auctoris plorans *Juſtus Ricquius*, hiſce verſibus memoriam celebravit:

Veſalii *cineres*, *venerandaque gentibus oſſa*
Quiſquis remotâ contueris Inſulâ,
Quâ jacet incultis nemoroſa Zacynthos *arenis*,
Gradum, *Viator*, *& laborem ſiſtito*:
Natura hîc Genium, *finemque*, *extremaque rerum*
Vidiſſe credens; *cætera inſanus labor.*

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS TURRIANUS, Soc. Jeſ.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Legionenſis*. *Romæ* in Scholâ *Jeſuiticâ* paulò minor octogenario obiit Anno *Dom.* 1584. Clar. An. D. MDLV.

Multa *Græcorum* Theologorum, ut *Nili, Maximi, Diadochi, Theodori, Abucaræ* Scripta in lucem protraxit. Contra *Ant. Sadaelem* etiam Scriptis digladiatus eſt.

Vir omni diſciplinarum genere excellens; Philoſophus, & Theologus eximius; *Græcæ* Linguæ peritiâ, atque exquiſitarum & reconditarum literarum cognitione cum paucis conferendus; curioſus *Antiquitatis* indagator; diligentiſſimus in *Bibliothecis* latentium, & cum tineis blattiſque luctantium *Voluminum* SS. *Patrum*, atque acerrimus inveſtigator. *Alegambe* in Biblioth. Scriptor. Soc. *Jeſ.*

Cæſar Cardinalis Baronius in Not. ad *Martyr. Roman.* 26. Januarii, Doctiſſimum pariter ac religioſiſſimum appellat.

Staniſlaus Cardinalis Hoſius paſſim ejus doctrinam & eruditionem magnâ ſemper exaggeratione deprædicat, oſtenditque ſe cum illo gratiſſimam & ſuaviſſimam habere familiaritatem.

Boetius Ep. l. 2. de *Jure Sacro* n. 52. appellat, Virum incomparabilis doctrinæ, ſingularis pietatis, ferventiſſimi zeli.

Turrianus erat *Græcè* doctus, & in *Antiqnitate* plurimùm verſatus. *Konig.* in Biblioth.

Franciſcus Turrianus rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus. *Joan.* Card. *Bona.*

Franciſcus Turrianus, vir in Theologicâ Antiquitate, & Linguæ *Græcæ* & *Hebrææ* peritiâ clarus: cujus quo plura eruditi ingenii monumenta exſtant, eo pauciora mihi de ipſo dicenda ſunt. Poſt multa tum à ſe, tum ex Antiquis *Patribus Græcis* edita, contra *Antonium Sadeelem* præcipuè ſtylum exercuit. *Thuan.* ad an. 1584.

Turrianus ut immani erat ſtomacho, nullo, aut perexiguo vel pudore, vel judicio, omnes *Apoſtolorum Canones* pro veris ac genuinis agnoſcit, libroque ſingulari *Apoſtolicam* iis authoritatem adverſùs *Magdeburgenſes Centuriatores* vindicavit; cujus inſaniam ſecutus eſt *Lambertus* quidam *Gruterus* in præfatione *Clementis*. *Bellarminus* paulò modeſtiùs quinquaginta duntaxat priores legitimos eſſe cenſet, reliquos qui ſunt 35. vel, ut alii numerant, 34. non eſſe legitimos, quamvis à *Græcis* recipiantur. *Dallæus* de *Pſeudepig.* Apoſt. l. 3. c. 1.

Homo quiſquiliarum & fabularum avidiſſimus *Turrianus*, cui ſemper præſtò ſunt cæteris præter ipſum mortalibus inviſi & inauditi *Codices*, ex quibus ſuorum *apocryphorum* lectionem, quoties ea abſurda eſt, pro ſuâ libidine refingat. *Dallæus* de vero uſu Patrum, p. 26.

Turrianum novimus ſuas de *Conſtitutionibus*, & *Canonibus Apoſtolicis* ſuſpiciones ac conjecturas, omnes licèt fluxas ac evanidas, quaſdam etiam ſtultas & abſurdas, pro totidem invictis Demonſtrationibus *Orbi Chriſtiano* magnâ

Digitized by Google

confidentiâ *Græcè Latinéque* oſtentâſſe; neque tamen cuiquam ne ſuarum quidem partium, cordato, id quod cupiebat, perſuaſiſſe. *Dallæus* de Libr. ſuppoſ. *Dionyſ.*& *Ignat.*l.2.c.36.

Turrianus ex illo genere hominum erat, qui contra *Novatores*, ut ipſi appellant, nova dogmata, & fabulas quoque novas defendere malunt, quàm veritati vel ſemel manus dare: homo, cujus eruditionem citiùs laudaveris, quàm judicium. Quid dico judicium? Appello confidenter omnes eruditos partium illarum viros: quos non dubito, *Turrianum*, habere oſtentui, tanquam perfectiſſimum exemplar *ἀκρισίας*, temeritatis, audaciæ & inaniſſimæ vanitatis. *Caſaub.* ad *Baron.* An.31.num.26.

Cardinalis *Perronius* ait *Turrianum* bonum virum fuiſſe & ad *Manuſcripta* evolvenda idoneum, ſed temporum mirè ignarum fuiſſe, ut & *Genebrardum* & judicii ſolertia inferiorem eſſe omnibus quotquot eodem cum ipſo ſeculo ſcripſerunt. *Perroniana.* Gall.

Accipimus à *Patre Paulo*, lib. 6. Hiſtoriæ Concilii *Tridentini*, *Turrianum* eidem Concilio interfuiſſe, & in eos acerbiſſimè invectum fuiſſe qui *Communionem* ſub utraque ſpecie depoſcebant, dicendo Dæmonium qui in *Angelum* lucis ſe transfigurabat, Populum impellere ad petitionem Calicis venenati ſub prætextu petitionis *Sanguinis Jeſu Chriſti.* Gall.

Denique eruditio & probitas *Turriani* non obſtiterunt, quin apud poſteros Eruditos inſulſus admodum Criticus cenſeretur; qui vana gloria turgeret, & pronus eſſet ad omnia immolanda præjudicatarum ſuarum opinionem defenſioni. A quamplurimis vituperatus fuit: ſed nemo ipſius faſtum adeo depreſſit ac Proteſtantium Miniſter *Blondellus* quando eum ſibi ſumpſit exagitandum, cum falſo *Iſidoro*, circa ſuppoſitas priorum Paparum *Decretales. Judicia Eruditorum* Pariſiis, per Dominum *Baillet* 1685. Gall.

Dominus Nicolaus Antonius conqueritur, quòd Dominus *Huetius* hoc honore ipſum dignatus non ſit ut mentionem ejus faceret, libro ſuo ſecundo de *Celebribus Interpretibus*; Et ſanè omiſſio ejuſmodi ſiniſtram nobis opinionem ingenerare poteſt de pretio Translationum *Turriani*, qui cætera *Translator* laborioſus magis quam accuratus exiſtimatur; etſi diffiteri nequeamus quin Eccleſiæ commodo hac in parte inſervierit. *Judicium Eruditorum* ibidem. Gall.

Plura ſcripſit, quæ *Schottus* in Bibl. *Hiſp.* pag. 285. *Poſſevinus* in Apparatu pag. 494. ſeqq. & *Alegambe* in Bibliothecâ Jeſuiticâ accuratè ſatis recenſent.

Optandum certè maximè aliquem exiſtere Typographum diligentem, qui omnia *Turriani* opera ordine in claſſes diſtributa, tomo uno & altero, bono *Eccleſiæ* ſimul evulgaret. Ea quomodo in Tomos 4. aptè diſtribui poſſint, exhibet A. S. Auctor Bibliothecæ *Hiſpaniæ* Tomo 2. qui videri poteſt. *Alegambe.*

JOANNES

Digitized by Google

JOANNES BALÆUS.

PAtriâ *Suffolcienſis*, in Epiſcopum *Oſſorienſem Dublinii* ſacratus eſt, unà cum *Hugone Goodacre* Archiepiſcopo *Armachano* Februarii 2. (ſtylo *Anglicano*) 1552. Ibi cùm nondum 6. menſes ſediſſet, *Maria* regnum adeptâ, profugere coactus, *Dublinii* aliquandiu delituit, ſed è portu ſolvens, ſub feſtum S. *Michaelis* 1553. à *Piratis* captus eſt & venditus; lytro tamen ſoluto *Baſileam* in *Helvetia* profectus eſt; unde poſt quinquennium, regnante *Elizabetha*, in *Angliam* reverſus, & Præbenda in Eccleſiâ *Cantuarienſi* contentus, ſedem ſuam repetere non curavit. Vir doctus fuit, in concionibus aſſiduus, & antiquitatis ſtudioſiſſimus, in *Scriptis* verò (ut alibi dixi) effrænatâ uſus libertate. Exceſſit è vitâ *Cantuariæ* MDLXIII. menſe Novembri, annos natus 68. & in Eccleſiâ Cathedrali ibidem ſepultus eſt. *Opera* edidit quamplurima, tam *Latinâ* linguâ quàm *Vernaculâ*, quorum *Catalogum* ipſe in libro ſuo *de Scriptoribus Britanniæ* ſigillatim recenſet. *Iacob. Waræus* de Script. Hiber. p.135.136. Clar. An. D. MDLV.

Vir diligentiſſimus vocatur *Geſnero* in Bibliothecâ.

Antiquitatum *Britannicarum* diligentiſſimus perſcrutator. *Godvv.* de Converſ. *Britan.* ad *Chriſtian.* Relig.

Strenuiſſimus propugnator fuit adverſus *Romanam* Eccleſiam, ut ex Diſticho illo Reverendiſſimi *Laurentii Humfredi* in vaticinio ſuo de *Româ* apparet.

> *Plurima* Lutherus *patefecit*, Platina *multa*:
> *Quædam* Vergerius, *cuncta* Balæus *habet*.

Quòd vehementius in *Pontificium* dominatum invehatur *Balæus*, tantò minùs fortè quiſpiam mirabitur, quantò graviùs præ aliis regnis ſacram tyrannidem *Anglia* fuit experta. Ideóque acerbiora dicta ipſemet excuſat præfat. ad *Lector.* in *Acta Romanorum Pontificum.* Tametſi verò *Balæus* adeò inviſus fuerit *Pontificiis*, tamen ipſimet *Catalogum* ejus de *Anglicis Scriptoribus* coguntur commendare. *Valentin. Henr. Vogler.* Introduct. Univerſal. in Notit. Scriptor. c. 22.

Iohannes Balæus Coviæ in *Suffolciæ* Comitatu, quæ quinque milliaribus *Donvico* diſtat natus eſt; educatus verò *Cantabrigiæ in Ieſu Collegio*; Cum prius vel deinceps *Carmelita* fuiſſet *Nordovici.* Ope Domini *Thomæ Wentvvorthii* ad Proteſtantem Religionem converſus eſt. Hic eſt *Balæus* ille qui librum conſcripſit de *Scriptoribus Britannicis* in novem Centurias digeſtum, quem *Lelandus* non magis ſibi demeritus eſt, quàm me *Balæus* in hoc Opere & in mea Hiſtoria Eccleſiaſtica. Mirum ſubire poſſit, quòd cum is adeo eruditus eſſet, quiq; tot tantaq; pro Religione egerat & paſſus erat, majoribus honoribus non fuerit auctus, quandoquidem ineunte Regno *Elizabethæ* Epiſcopatus idoneis Viris indigebant, qui eos adirent: Sed veroſimile eſt illum fuiſſe virum magis Eruditum quàm prudentem; aptiorem ad ſcribendum quàm ad gubernandum;

Digitized by Google

quippe qui proprios affectus moderari non poterat, cujuſque verum cognomen cenſebatur *Bilioſus Balaus*. D. *Thomas Fullerus* de Præclaris Angliæ Viris.

Impotentis linguæ & calami plerunque Scriptor, ſed in multis non rejectitius. *Montacut.* in Apparat. prim. ſect. 83.

Joannes Balæus, homo impius quidem, & infamis Apoſtata, nominari tamen hoc loco vel ideò potuit, ut quis è ſordibus gemmas legat. *Valer. Andreas* Præf. Biblioth. Belgic.

Hic *Lelandi* Catalogum non tam prolixè auxit, quàm prodigioſè depravavit. Omnia namque fœdiſſimus ſcurra mendaciis & calumniis replevit, & Opus *Lelandi* politiſſimum pollutiſſimo ſtylo turpiter conſpurcavit. *Joh. Pitſeus.*

Unum ſcio, in priorum ſeculorum ſcriptoribus non rarò *Balæi* fidem claudicare. Idem de *Joanne Pitſæo* dictum velim, qui exſcribere *Balæum* ſolet, præterquam in iis, quæ ad diſſidium in ſacro religionis negotio pertinent: ubi nihil mirum, ſi pugnantiſſima hi duo habeant. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. l. 2. c. 16.

Ajunt quoque *Elvanum Avalonium* doctrinam ab Apoſtolorum diſcipulis acceptam *Britannis* prædicaſſe, librumque ſcripſiſſe de *Origine Eccleſiæ Britannica*; de quibus fides eſto penes *Balæum*: Multùm enim metuo, ne ut in pleriſque aliis antiquioris ævi ſcriptoribus, ita hâc etiam parte fucum faciat lectori. *Voſſ.* ibid. pag. 170.

* *Joannes Balæus* inter Hæreticos primæ Claſſis *Romano Indice* numeratur.

Scriptor fuit impudentiſſimus ac maledicentiſſimus adverſus *Romanam* ſedem, *Miſſam*, & *Euchariſtiam*, virus nunquam non ſpirans, nihil propterea ex ejus *Operibus* unquam permittendum. Vid. *Indic. Madrit.* fol. impreſſ. Ann. 1667.

Extant de Scriptoribus *Angliæ* & *Scotiæ* Centuriæ XIV. ad annum uſque 1558. progredientes Tomis 2. inſcriptæ *Elizabethæ* Reginæ *Angliæ*. *Baſileæ* apud *Joan. Eporinum* anno 1557. 1559. in Fol.

CORNELIUS JANSENIUS.

Clar. An. D. MDLV.

HUlſtenſis, *Flander*, primus *Gandavenſium* Epiſcopus, obiit *Gandavi* III. April. 1576. ætatis 66.

Scripta ejus ſunt: Concordia Evangeliſtarum----Commentarii in Concordiam, ac totam Hiſtoriam Evangelicam----Paraphraſis & Annotationes in omnes Pſalmos----Comm. in Proverbia *Salomonis*, & Eccleſiaſticum-----Annotationes in librum Sapientiæ *Salomonis*---Brevis Confeſſio Fidei.

Cornelio Janſenio, ſi cui alteri, fuit in primis præſtans ingenium, exacta linguarum trium, *Latinæ*, *Græcæ* & *Hebraicæ* cognitio, ſingularis prudentia, eximius rerum uſus, & ſummum religionis ac pietatis ſtudium. *Hulſtano* in oppido apud *Flandros* honeſtè natus, *Lovanii Caſtrenſi* in Gymnaſio Philoſophica, dein ſacra ſtudia in majore Theologorum Collegio (cui & magnâ cum laude poſteà præfuit) ſummâ animi contentione ſectatus eſt. Iis decurſis, annos ipſe XII. in *Tungerloënſi* Præmonſtratenſium nobili apud *Brabantos* Abbatia profeſſoris

Digitized by Google

Profeſſoris munere, totidemque Parochi apud *Cortracenos* in *Flandriâ* fungitur. Inde *Lovanium* regreſſus, *Doctoris* laureâ, & *Decani* dignitate in D. *Jacobi* æde cohoneſtatur. Nemo ſanè doctrinam ſacram aut in Scholis doctiùs interpretatus eſt, aut copioſiùs in concionibus explanavit: nemo in animis ad virtutem inflammandis, & à vitiis ad frugem revocandis acrior aut ornatior Orator fuit. Quò factum, ut ad ſacrum Tridentinum Concilium, quò omnis doctrinæ & ſapientiæ Antiſtites ex totâ *Europa* conveniſſe ſcimus à *Philippo* II. Rege cum *Michaele Baio*, & *Joanne Heſſelio* collectis, miſſus, tam excellenti de ſe judicio abundè reſponderit. Mox à reditu, peſtiferæ doctrinæ lue in *Flandria* creſcente, primus *Gandavenſium Antiſtes* conſtituitur; ut priorum dogmatum oppugnatoribus acer veritatis propugnator opponeretur. Quantus porrò Theologus fuerit, clamant doctiſſimi in *Concordiam Evangelicam*, orbis judicio probatam, commentarii, quibus æquales aliquot, in his *Alfonſum Salmeronem* & *Thomam Beauxamum*, in eâdem arenâ deſudantes, à ſuis tunc edendis deterruit. Senio laboribuſque confectus 1576. moritur *Gandavi*, in ſuâ Cathedrali ſepultus; vel hoc nomine beatus, quòd iterum exortum in *Belgio Calviniſticum* furorem non viderit aut ſenſerit. *Aub. Miraus.*

Theologus apud Pontificios magni nominis. *Quenſted.*

Quantus Sol Cœlo, tantus *Janſenius* Orbi eſt. *Nic. Vernul.* Deſcriptione Acad. *Lovan.*

Vigilantiſſimus ſacrarum literarum Interpres vocatur *Montacutio* in Apparat.

Interpres ſacrarum Scripturarum accuratiſſimus. *Bellarmin.*

Eruditus & moderatus Interpres. *Chamier.*

Theologus egregius, cui exacta trium linguarum cognitio. *Svvert.* Athen. *Belgic.*

Pietatem certè ubique Scripta illius ſpirant, quæ plurima & accuratiſſima & doctiſſima reliquit. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Cornelius Janſenius in omnibus quæ ſcripſit, præſertim in *Concordiam Evangelicam*, & in *Proverbia*, ut etiam *Pſalmos*, ſe magno valentem judicio, uti & eruditum oſtendit. *Poſſevin.* in Biblioth. Select.

Complurium recentiorum in eâdem re (*Concordiâ Evangelicâ contexendâ*) enituit ſtudium, quorum præcipuum ſibi locum vendicare videtur eruditus æquè ac pius *Cornelius Janſenius* Epiſcopus *Gandavenſis*, cujus ſic nobis proponimus ſequenda veſtigia, ut tamen liberi interdum eſſe velimus, per aliam viam, quæ rectior videatur, incedere. *Cæſar. Baron.* Tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. ad Ann. Dom. 31.

* *Cornelius Janſenius* vir ſanè doctus & Catholicus. Ejus Commentarii in *Eccleſiaſticum*, atque *Concordia Evangeliſtarum*, inter libros expurgandos locum habent in *Indice Madritenſi* edit. ad ann. 1667.

Edidit ad V. T. *Cantica* Paraphraſin, *Lovan.* 1575. accuratiùs *ibid.* 1586.

Extant Commentaria in *Pſalmos*, *Prov. Eccleſiaſt. Cant. Sapientiam. Antverp.* 1614. Fol. *Lovan.* 1644. in 4. & alibi ſeparatim.

Digitized by Google

Extant Comm. in ſuam Concordiam & totam Hiſtoriam Evangelicam. *Lugd.* 1597.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Maximiliano Vrientio*;

Eſt tumulus ſacer hic, procul, impie, abeſto,
Et ſacra depoſiti ne quate membra viri.
Si neſcis, jacet hoc tumulo compoſtus, avitæ
Nuper qui fidei murus ahenus erat.
Hic veræ pietatis apex, & regula recti,
Hic ſacri Textus Harmonia una jacet.
An ſatis hæc? Patriamne mones ut & inſuper addam?
Et decora? & titulis nomina fulta ſuis?
Hic ſitus eſt Præſul Janſenius: *haud pete plura:*
Cætera nam poterant bruta vel ipſa loqui.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

WOLFGANGUS LAZIUS.

Chr. An. D. MDLV.

V*Iennenſis*, Medicus & Philologus, natus eſt ann. 1514. obiit ann. 1555. *Scripſit* duodecim libros Commentariorum Reip. Rom. in exteris provinciis: Commentarios rerum *Græcarum*: 12. libros de Gentium Migratione: Chronographiam *Pannoniæ*, & alia.

Wolfgangus Lazius, rerum *Græcarum* ſimul *Romanarum* & *Germanicarum* non indiligens ſcriptor; quod præclara ejus monumenta apud poſteritatem teſtantur; Patriæ ſuæ illuſtrator, & antiquitatis ſolers indagator. *Thuan.* Hiſt. l. 16.

Ad quas (cùm Orientis tum Occidentis) notitias intelligendas pertinent *Wolfgangi Lazii*, hominis laborioſiſſimi, libri Commentariorum XII. de Rep. *Romana*, in quibus magiſtratus urbanos & præcipuè militares copioſè exponit, & inſcriptionibus vetuſtis confirmat. *Georg. Fabric.* de *Romà*, cap. 1.

Præclaram in enodandâ & eruendâ ludorum veterum ratione operam poſuit *Wolfgangus Lazius* in aureis illis Reip. *Romanæ* Commentariis, ex quorum lectione plurimum me profeciſſe non nego. Sed multa adhuc ipſis deeſſe, neminem, qui rem attentiùs conſideravit, puto eſſe dubitaturum. *Joan. Roſin.* ad *Godefrid.* & *Henric. Heshuſios* Epiſt. quam Antiquitat. *Roman.* libro 5. præmiſit 1580. ſcriptâ.

Ego quidem, ut mihi ignoſci cupio, quantum in me eſt, aliorum errores tego, aut ita detego, ut ulli injurius non ſim. Quare lubens *Lazii* in *Romanâ* Hiſtoriâ lapſum ſilentio præterirem, ni tantus eſſet, ubi de præfectis prætorio loquitur, ut diſſimulari nullo modo poſſit—Hæc quidem non Reip. *Romanæ* Commentaria, ſed ægri hominis commenta dixerim. *Iacob. Guther.* l. 2. de officiis dom. Auguſt. c. 7.

Wolfgangus

Digitized by Google

Wolfgangus Lazius, homo rerum *Germanicarum* neſcio quàm peritus, noſtrarum certè imperitiſſimus, ut qui alienâ fide ſcripſit, non ſuâ. *Duard. Non. Leo* adverſ. *Teixeram.*

Quem (*Franciſci Guilimanni* de *Auſtriacâ Origine* librum) cùm legeris, *Lazium*, *Eixingerum*, *Arnoldum Vionum* alioſque id genus nugones cum ſomniis & Commentis ſuis ſtatim, ſcio, faceſſere procul jubebis. *Caſp. Sciop.* in lit. ad lector. quas *Stemmati Auſtriaco* ſubjunxit.

Verum præter alios, veri omnes limites exceſſiſſe videri poteſt *Wolfgangus Lazius*, qui ſtudio in Patriam ductus quicquid in gente *Germanicâ* laudabile, id penè univerſum è *Pannoniis* arceſſere modis omnibus ſatagit. Quocirca etiam *Francos*, per multiplices nominum anfractus, ac metamorphoſes, modò *Cimmerios*, modo *Cimbros*, modo *Brencos Sicambroſque* facit; eoſque per *Pannonias* è *Boſphoro* quondam egreſſos, latè per *Europam* ſe fudiſſe, *Beroſo* præeunte, fabulatur. *Ioan. Iſaac. Pontan.* l. 2. Origin. Francic. c. 7.

Vir magnæ & induſtriæ & doctrinæ fuit: in quo tamen ſæpius plus judicii deſideres. *Voſſ.* de Scient. Mathemat. c. 44.

Vir multæ induſtriæ, & lectionis: judicium & fidem eſt ubi requiras. *Lipſ. Lovan.* lib. 1. c. 11.

Dacia non miror ſi te trahit: me quoque, ſi *Deus* meus pateretur, inprimis delectaret ea loca luſtrare, quæ trita ſcio veſtigiis *Romanis*. Quot illîc lapides & Monumenta priſca! *Lazius* me docuit, qui multa adfert; nec adfert; ita exſcripſit parùm fidè aut curiosè. *Lipſ.* Cent. 2. Miſcellan. Epiſt. 24.

Auguſtam Druſi à *Strabone* nominari urbem hanc *Germaniæ* ſplendidisſimam, *Wolfgangus Lazius* ſcribit l. 1. Reip. *Romanæ*, c. 8. Sed de illâ apud Geographum nihil leges, & *Lazius*, cùm in his, tum in citandis inſcriptionibus antiquis multos interdum committit errores. *Martin. Opit.* in Animadverſ. ad incerti Poëtæ *Teutonici* Rhythm. de S. *Annone*, 29. de *Auguſta Vindelicorum.*

Tractatus ejus de Migrationibus Gentium eximius eſt, quamvis plures fabulas eidem immiſcuerit, ſi *Reinerio Reineccio* fides ſit adhibenda. Maximi etiam æſtimatur Liber illius qui inſcribitur *Commentarii Rerum Græcarum. Ant. Teiſſier* Elog. Viror. Erudit. Gall.

Magnus erat corraſor, omnia typis abſque judicio mandari curabat, ut *Gruterus. Scaligerana* poſterior.

Mira contentione allaboravit deſcriptioni contexendæ omnium quibus Urbis *Viennæ* & Auſtriæ Hiſtoria illuſtrari poterat: ut Scriptis perennare faceret gloriam Regionis cui natales ſuos debebat; Quoniam vero plures annos & multam pecuniam in hoc opere inſumpſit, id adeo perfectum & adeo magnificum reddidit, ut hic liber famam ejus per univerſam *Europam* circumtulerit. Ordines Auſtriæ nobilem hunc laborem honorabili remuneratione dignum judicaverunt, quam etiam erudito huic *Scriptori* impertiendam curaverunt. *Iſaacus Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

Chronographia *Auſtriæ* hactenus inedita extat in Bibl. *Vindob.* autographa dedicata *Ferdinando* I. Imp. an. 1545.

Prodierunt

Prodierunt libri 12. de Romanâ Republicâ in Exteris Provinciis *Francofurti* ad *Mœnum* 1598. in Fol.

Hoc Ejus Epitaphium, *Nicolao Reuſnero* Authore:

Wolfgangus Lazius Viennæ Auſtriæ *natus Anno* 1504. *Patre* Simone *Medico Doctore & Poliiatro, Medicus & ipſe Doctor; & Philoſophus excellens, Philiſtor imprimis & Polyhiſtor maximus, Rerum* Romanarum & Germanicarum *ſcriptor celeberrimus, Patriæ ſuæ* Viennæ, & *totius* Auſtriæ *Illuſtrator fideliſſimus, totius Antiquitatis indagator ſolertiſſimus*: à Ferdinando Cæſ. Aug. *non modò in Conſilium, verùm etiam ordinem allectus Equeſtrem, multis prætereà, & amplis ab eodem honorum inſignibus nobilitatus: obiit diem ſuum quinquagenarius in Patriâ An. ſalutis* MDLV.

Seu Romana *placet tibi, ſeu* Germanica *facta*
Noſcere, dulce leges me duce certus iter.

ADRIANUS TURNEBUS.

clar. An. D. MDLV.

NOrmannus, ſcripſit varia, inter quæ eminent *Adverſaria*: Docuit *Tholoſæ* & *Pariſiis*, ubi obiit Anno Dom. 1565. ætatis 53.

Singulare ſui ſeculi decus. Is autem pauca ſcripſit, ſi hominis eruditionem ſpectes; totius enim *Galliæ* doctiſſimus merito ſuo judicatur. Sed ejus præcipua in *docendo* laus fuit, dum *Tholoſâ*, ubi profitebatur, *Lutetiam* revocatus, & *Tuſano* vitâ functo *Succeſſor* appellatus diſcipulis, qui ab ultimis *Orbis* terræ partibus frequentiſſimi ad illum audiendum concurrebant, reconditæ *Antiquitatis* theſauros omnes mirâ quâdam facundiâ depromit. Quanquam & ea quæ ſcripſit ejuſmodi ſunt, ut Auctoris decus atque dignitatem præ ſe ferant. Nam in Poëmatiis ſublimis eſt, atque acutus, in Oratione ſolutâ terſus atque elegans. In Adverſariis verò tot Veterum tum Græcorum tum Latinorum difficiles loci aut emendantur, aut explicantur, ut dubium fecerit pluſne in eo ingenii an diligentiæ admirari debeamus. Staturâ fuit mediocri, facie honeſtâ, probis moribus, accedente ad cæteras virtutes incredibili modeſtiâ: ut æmuli ſubinde per opprobrium illi objicerent quòd vultum virginali pudore demiſſum gereret. Cùm tamen ſub verecundo ejus ore latentem generoſi ſpiritûs indolem ipſi quoque experirentur. Vixit annos 53. reliquitque moriens plures filios paternarum virtutum hæredes omnes certatim futuros, niſi fata invidiſſent, uno tantùm ex illis ſuperſtite: quem etiamnum graviſſimo Senatoris munere pari doctrinæ probitatiſq; laude fungentem *Lutetia* veneratur. Diem verò ſuum obiit prid. Id. Junias annos hujus ſeculi 65. atque in Cœmeterio Scholaſticorum juxta *Silvii* collegæ cineres nullâ funebri pompâ, ſic enim juſſerat, ſepultus eſt. *Scævol. Samarthan.*

Nunquam

Digitized by Google

Nunquam ſatis laudatus vir *Adrianus Turnebus*. Unicum *Galliæ* noſtræ atque adeò totius *Europæ* ornamentum. *Joſ. Scalig.* Conjectan. in *Varronem*.

Injuriam fecerunt manibus eruditiſſimi & maximi viri qui ejus abortiva quædam in *Varronem* poſt mortem ejus ediderunt, quibus magis traduxerunt eum quàm ejus nomen commendârunt. Nam quid opus erat ea edere, cùm ipſe more ſuo in *Adverſaria* ſua tumultuaria Opera inferciſſet? Sanè (ne quid amplius dicam) indigna ſunt quæ tanti viri titulum præferrent. *Idem* in Appendic. ad Conjectan. in *Varronem* de *Lat.*

Adrianus Turnebus maximum hujus ætatis ornamentum. Vir omni virtutum omniumque literarum genere inſtructiſſimus plurima raræ eruditionis monumenta edidit, & præmaturâ tandem morte ſtatim poſt edita illa *æternitate* digna *Adverſaria*, ſummâ omnium *Ordinum* (an quos univerſos unius mors pertinere viſa eſt) mœſtitiâ, rebus humanis exemptus eſt. *Thuan.* ad ann. 1565.

Adrianus Turnebus, magni ingenii & doctrinæ vir. *Lipſ.* l. 1. Var. Lect. cap. 21.

Sol ille *Galliæ Turnebus*. *Lipſ.* l. 2. Elect. 20.

Poſtremum *Ciceronem Lambini* vidi, & in eo multa mutata; quædam quod nollem, addita. Libertas fortaſſe hæc viſa eſt illi mihi acerbitas. Nam quale eſt quod de optimo uno omnium quos ſol vidit *Turnebo* ſcribit, & quidem variis locis? quem diſertè *Plagii* accuſat. Momordit hominem, quòd *Turnebus* aliquammultis locis incurreret in eaſdem conjecturas. O *Jupiter*, audis hæc? ut *Plagiarius* ſit *Turnebus*? non credam hoc ſexcentis *Lambinis*. *Idem* l. 5. Epiſtolic. Quæſtion. Epiſt. 17.

Inter *Italos* (*Criticos*) *Fulvius Urſinus*; inter *Hiſpanos*, *Petrus Ciacconius*; inter *Gallos*, *Hadrianus Turnebus*; inter *Germanos*, *Juſtus Lipſius* familiam ducit. *Gaſp. Sciop.* Conſultat. p. 39. 40.

Antiquitatis verus Theſaurarius *Adrianus Turnebus*. *Barth.* l. 43. Adverſar. cap. 23.

Lux Criticorum vocatur *Roſino* Antiq. *Rom.*

Vir eruditiſſimus & de *literis* præclarè meritus. *Petr. Faber.* l. 1. Semeſtr.

Infinita multiplicis doctrinæ copia in *Turnebo* fuit *M. Anton. Muret.* lib. 18. Var. Lection. c. 19.

Turnebus vir longè doctiſſimus, cujus *Adverſaria* opus omnigenâ eruditione refertum. *Geſner.* in Biblioth.

Turnebus vir maximus erat doctiſſimuſque, cujus *Adverſaria* abortivum fœtum ſoleo nuncupare; potuit enim melius ſcribere. Agnoſcas tamen genuinum partum *Turnebi Scaligerana* prima, p. 145.

Turnebus plura habet uno libro, quàm *Victorius* libris 37. *Scaligerana* poſterior.

Utinam non tantâ brevitate in ſuis *Adverſariorum* libris eſſet uſus. Paulò enim luculentior & plenior quorundam locorum explanatio, & majorem illi *Operi* gratiam laudemque conciliaſſet, & lectori multò magis ſatisfeciſſet. *Henr. Steph.* Pſeudo-Cicero.

Utinam vir hic, ſanè doctus ac multæ lectionis, non tam cupidus undique

fuiſſet omnia emendandi, melius nobis, melius exiſtimationi ſuæ conſuluiſſet. *Petr. Victor*. l. 36. Var. Lect. cap. 11.

Stephanus Paſquier ait *Turnebium* mirabilem fuiſſe virum, tum in *Græca Latinaque* lingua, tum in totius *Antiquitatis* cognitione, ut nobis teſtantur libri quos inſcripſit *Adverſaria*, quod opus eſt inimitabile quoad eruditionis diverſitatem. Addit quòd in pluribus *Germaniæ* Univerſitatibus, quoties qui de Suggeſtu loquebantur *Turnebium* citabant & *Cujatium*, ſtatim pileum deponerent ob reverentiam & honorem quo memoriam ejus celebrant. *Paſq*. Perquiſitionum lib. 7. cap. 8. & lib. 9. cap. 29. Gall.

Adrianus Turnebus quamvis literas tantum profeſſus eſſet, in quibus, meo quidem judicio, palmam omnibus præripuit qui in iis à mille retro annis claruerunt, nihil tamen habebat quod magiſtellum ſaperet, præter togæ ſuæ geſtamen, & aliquem externum habitum quæ aulico cultui forſan per omnia non erant conformia, quæque flocci facienda ſunt. Odi homines noſtros qui obliquam togam difficilius quàm animum obliquum tolerant, & ex ſalutatoria flexione, geſtu corporis, ocreis & ſimilibus, qualis quis ſit pronunciare ſolent. Nam intus nemo uſquam terratum excultioris animi fuit. Sæpius data opera in ſermones ab ejus uſu remotos ipſum deduxi. In his autem tam perſpicax erat, tam celeris apprehenſionis, tam ſani judicii, ut bellum unicè per totam vitam negotiaque publica geſſiſſe videretur. Genii ſunt iſti egregii atque fortes.

——Queis arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

qui non degenerant, etſi non ita felicem inſtitutionem ſortiantur. *Michael* de *Montagne*, Tentaminum lib. 1. cap. 24. Gall.

Hadrianus Turnebus, literatiſſimus, & omni laude ornatus *Interpres*; nam & *Græcè* luculenter ſciebat, & *Latinè* ſcitiſſimè convertebat: preſſus ille & adſtrictus, ab *auctore* nuſquam digrediens; ſuavis interim & perlucens *Oratio*. *Huet*. de Clar. Interpret.

Hadrianus Turnebus nobilis *Criticus*, maximas ingenii dotes *poëtica* facultate illuſtriores reddere inſtituit. Verſantur in medio *Epica* ejus, *Caliſium Captum*, *Epithalamium Delphini Franciſci*, *Prævotii tumulus*, *Paraſitus Regius*, alia, in quibus tamen plus laboris cernitur, quàm ſpiritûs. Exaravit & *Lyrica*, & *eleges* favente plerunque *Minerva*. *Borich*. de Poet. p. 119.

* *Turnebi* Opera in tres Tomos diſtributa, *Argentorati* impreſſa ſunt, 1600. Tomus tertius inter libros *Expurgandos* numeratur in *Indice Madritenſi* edit. Ann. 1667.

Hoc ejus *Epitaphium*:

Turnebus *jacet hic. Quis ſit ſi quærere pergis,*
Iam dignus es qui neſcias.

Phil. Labbe in Theſ. Epitaph.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS SIXTUS SENENSIS.

Italus, ex Ordine Prædicatorum, obiit anno *Dom.* 1569. Scripſit plurima; Bibliotheca Sancta maximo habetur loco apud eruditos. Clar. An. D. MDLV.

Vir eruditæ diligentiæ, qui à *Pio* V. è tenebris errorum (ut ipſe dicere ſolebat) & quaſi ab inferis revocatus, *Sacræ Militiæ* nomen dedit, & inſigni *Opere* lib. 8. diſtincto (quo *Sacrorum Librorum* cenſuram fecit) gratum animum erga ipſum teſtatus eſt. *Thuan.* ad ann. 1569.

Sixtus Senenſis vir plurimæ lectionis, & qui plurima aliorum *Scripta* evolvit, tum eorum inprimis, qui ea tractarunt, quæ ipſe ex profeſſo tractat. *Rainold.* de Lib. Apocryph.

Theologus eruditiſſimus *Bellarm.* l. 1. de Verbo *Dei*.

Doctorum Princeps; qui *Sacras Scripturas* accuratiſſimè tractavit. *Stapleton.* Doctrinal. Princip.

Sixtus Senenſis vir planè doctiſſimus, & ſi quis alius, in *Patribus* verſatiſſimus. *Montacut.* Apparat. 1. Sect. 68.

Neque *Sixtus Senenſis* recenſendus inter *Hæreticos*, fortaſſis autem inter *Critico* tumentes *Supercilio.* Nam ad *arcana Theologiæ* explicatiùs enucleanda *Criticen* ille adhibuit, & illam, hodiè multorum τὰ παιδικὰ, *Philologiam* Theologus erat certè eruditus, & in illâ Scholaſticâ, acroamaticâ, ſpinoſiore *Theologiâ* verſatus, non tantùm *exotericâ* illâ & *populari. Montacut.* Apparat. 1. ſect. 86.

Sixtus Senenſis, immenſi laboris Scriptor, diligentiæ ſtupendæ, lectionis variæ, & eruditionis admirandæ. *Montacut.* exercit 5. c. 3.

Doctiſſimus & ſagaciſſimus veterum *Scriptorum* Cenſor. *Savil.* Not. in *Chryſoſtom.*

Sixtus Senenſis magno valebat ingenio. Linguas, *Latinam*, ac *Græcam Hebraicam* exactè calluit. *Poſſevin.* in Apparat.

Sixtus Senenſis homo eruditus vocatur *Caſaubono* ad Annal. *Baron.* num. 221.

Bibliotheca Sacra *Sixti Senenſis*, cæteris, calculo meo, religionis ſuæ ſociis, ob variam *Scriptorum* copiam, & erectum in multis judicium, anteferenda. *Hottinger.* Bibliothecar. Quadripartit. p. 11.

Nihilominus quantumlibet erudita ac utilis fuerit illa *Bibliotheca Sacra Sixti Senenſis Inquiſitio Romana* non pauca ibi offendit quæ palato ejus non ſapiebant, quæque audaciuſcula ipſi videbantur. Imo & *Poſſevinus* pro ſua parte innumeros lapſus in illa obſervavit; ſed dici poteſt quod ipſe *Critico* atque *Cenſore* opus habeat pluribus locis *Synopſeos* eorum quam dedit nobis Tomo ſecundo ſui *Apparatus Sacri.* Non tamen diffitendum eſt quin apud *Sixtum Senenſem* lapſus quidam adverſus Criticen legitimam animadverti poſſint, & mirari ſubit quod vir tam docti palati, & tam acris judicii inciderit in abſurda deliramenta, craſſioreſque impoſturas confratris ſui *Anni Viterbienſis. Judicia Eruditor.* Pariſiis per *Baillet*, 1685. Gall.

Digitized by Google

Opus quod evulgavit *Sixtus Senenſis*, cui titulus *Bibliotheca* Sacra multò utilius eſt ad perfectionem aſſequendam in ſtudio Librorum Sacrorum. Ejus in eo ſcopus fuit homines adducere in cognitionem Authorum ejuſmodi Librorum, antiquarum verſionum, & Commentariorum: Quamvis autem Scripturæ Criticam perfectè non calluerit, dici tamen poteſt pauca in hoc argumentum Scripta extare, in quibus tanta eruditio, tamque ſolidum judicium eluceat, imo frequenter animi ſenſa liberè admodum promit. Primùm agit de Libris Canonicis, quorum duas Claſſes conſtituit; nomen Canonicorum primi Ordinis illis tribuens, qui in Eccleſia tanquam Divini ſemper agniti fuerunt; cæteros verò Canonicos poſterioris Ordinis appellans, quia de horum authoritate olim dubitatum eſt, & ſimpliciter Libri Eccleſiaſtici vocati conſueverant. Poſtea de uniuscujuſque Bibliorum libri Authoribus ſingulatim loquitur ſatis eruditè; ſed quoniam utplurimùm ſequitur ſententiam Patrum aliorumque qui ante illum in eandem rem ſcripſerant, non eſt ſemper accuratus. Collocat, verbi gratia, *Eſthera* Volumen inter Libros Canonicos ſecundi ordinis, quia Patres quidam *Græci* animadverterunt Additiones in illum inſertas, quæque nullius erant authoritatis. Sed tenebatur, ut arbitror, potius conſulere Canonem *Iudaicum* & Beatum *Hieronymum* quàm Patres Græcos, qui de *Græcis* tantum Exemplaribus loqui potuerunt, quæ ab Autographo *Hebræo* longè abeunt; Et ſecundum hanc regulam Volumen Eſtheræ Canonicis Libris prioris Ordinis accenſendum erit, quamvis ignoretur, & à quo & quando ſcriptum fuerit. In altera Operis ſui parte Libros Sacros nimis multiplicat, quorundam nominum obtentu, quæ in Scriptura occurrunt: Imò pluribus locis ejus Critice non eſt accurata, ut quando loquitur de libris qui *Dionyſio Areopagitæ* tribuuntur, & ducentorum quatuor Librorum quorum *Eſdram* Authorem eſſe vult. Quæcunque etiam eodem loco refert de *Cabbala* Libris nullo fundamento nituntur. *Iudæi* hac in parte *Picum* Comitem *Mirandulanum* fefellerant; Idemque Picus qui nimis credulus fuerat hujuſmodi fraudum, in cauſa fuit cur plures fidem adhibuerint quibuſdam Libris qui ſub *Eſdra* nomine circumferebantur, & in quibus reconditiſſima Religionis arcana contineri plerique ſibi perſuadebant. *Sixtus Senenſis* accuratiorem ſe exhibet quarta Operis ſui parte, in qua Patrum & plurium aliorum qui in Biblia ſcripſerunt Analyſin facit. *Richard. Simon* Hiſt. Critica V. T. lib. 3. cap. 17. Gallicè.

* Ejus *Bibliotheca Sancta* inter libros *expurgandos* locum habet in *Indice Madrit.* edit. ann. 1667.

Extat *Bibliotheca Sancta* ex præcipuis Eccleſiæ Catholicæ auctoribus in 8. Libros digeſta à *Ioanne Hayo Scoto* Soc. *Ieſu* reviſa & Scholiis illuſtrata. *Coloniæ Agripp.* ex officinâ *Cholinianâ* anno. 1626. in 4°.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS ROBERTELLUS.

Clar. An. D. MDLV.

N*Atione Italus*, Patriâ *Utinenſis* Rhetor & Hiſtoricus, cùm *Bononiæ*, tum *Patavii* docuit. Cum *Carolo Sigonio* de *Antiquitatibus* maximè *Romanis* acriorem in modum certavit. *Patavii* obiit Anno *Dom.* 1567. die 18. Martii, natus Annos 50. Menſes 6. Dies 9. *Scripſit* plurima quæ ad *Romanas Antiquitates* pertinent.

Franciſcus Robertellus, vir doctiſſimus atque eruditiſſimus, quem ego ſoleo in *literis divinum hominem* appellare. *Franc. Luiſinus* l. 3. Parergon. c. 10.

Sigonius, *Robertellus*, *Bonamicus*, lumina non *Italiæ* ſolum, ſed etiam *Europæ*. *Lipſ.* Cent. ad *Ital.* & *Hiſpan.* epiſt. 15.

Averrois liber *de Republicâ* editus eſt unà cum *Robertelli* diſceptatione, & *Franciſci Philelphi* de eadem re libris, qui priſcæ gravitatis imaginem redolent, nitore Styli, & argumentorum præſtantiâ *Gabr. Naudæus* Bibliograph. Polit.

Robertellus præceptor mihi fuit, & ego illi infantem ex ſacro baptiſmate ſuſcepi; vir eſt proculdubio ſummæ eruditionis, & qui ſcire optime poſſit, quid ſit Hiſtoria. Nolo tamen ad eum ingredi, ne hic meus animus irritatus, & quaſi extra ſe, me forte cogeret aliquid pronunciare contra quam requirat amor & reverentia, quâ eum alioquin proſequor. *Franc. Patrit.* de Hiſt. Dial. 1.

Franciſcus Robertellus, juvenis (eam enim in eo ætatem eſſe audio, quod cum ipſius laude dictum velim) multijugæ eruditionis & generoſæ indolis, ſed tamen in *Batavos* homines ferocioris animi, & importunioris maledicentiæ, quàm decet. *Petr. Nann.* l. 8. Miſcellan. c. 1.

Rectè ſentit *Robertellus*, laudemque acuminis non exiguam meretur, niſi illam corrumperet nimia debacchandi petulantia. *Idem* c. 21.

Quia de *Robertello* incidit Sermo, videtur mihi vir ille febriculoſæ eruditionis oſtentator inſignis, & nullum ferre. *Lucas Fruter.* l. 2. *Verſimil.* c. 23.

Franciſci Robertelli ſcientiam cùm multis aliis in rebus ſingularem eſſe invenio, tum maximè in vi *Græcorum* verborum intelligendâ, & in *Antiquitate Romanâ* conſtituendâ. *Carol. Sigon.* l. 1. Emendat. c. 32. per *Ironiam*.

Arcem nunc expugnemus *Robertelliana Scientiæ*, quâ ſe ille omnibus qui ſunt, qui fuerunt, excellere in tradendâ *Romanâ Antiquitate* gloriatur. *Idem* ibidem l. 2. c. 68.

Inerat in homine peracris obtrectandi libido, ſummaque in doctos omnes iniquitas, quos cùm pares ferre non poſſet, continuis proſcindebat convitiis: eximio ſcilicet florens ingenio, ſibique plus, quàm par eſſet, indulgens procaciori ſtudio popularium affectabat obſequia. Hinc *Sigonio* ſemper infenſus, ut quem acerrimum ſortitus erat æmulum induſtriæ, laboris, ingenii. Cum *Alciato* pariter, aliiſque clariſſimis ejus ævi luminibus, internecinas propè ſimultates exercuit. *Ioan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Italus undequaque doctiſſimus & ingenioſiſſimus. *Sciop.* de Art. Crit.

Vir doctiſſimus & diſertiſſimus. *Riccobon.* in Rhetor Ariſt.

Paucula illa, quæ *Robortellus* & *Scioppius* de *Arte Criticâ* ſcripſere, tumultuaria ſunt, & hujus rei fundum omnem non emetiuntur. *Dan. Georg. Morhof.* de Polyhiſt. pag. 54.

Carolus Sigonius hac in re (de *Romanorum nominibus*) uti in aliis plurimis, *Robortelium* multis poſt ſe partibus reliquit: ut nos quidem *Robortelianum* de Adverſarii ſui Commentariis judicium parùm moveat; eoque minùs quòd non ignota ſit hominis pompatici maledicentia, qui & *Eraſmum* imperitiæ imperitiſſimæ inſimulare, ac nequiſſimum appellare non dubitet: *Alciatum* nominet furem, expilatoremque ſuorum Scriptorum: *Vincentium Madium*, hominem vanum, mendacemque: *Paulum Manutium*, Bibliopolam, hominemque imperitum: M. *Antonium Muretum*, ludimagiſtrum *H. Stephanum* impoſtorem: ſimilibuſque elogiis, alios quoſque præſtantiſſimos viros, & Scripto, & Sermone inſignire conſueverit: quo nomine reprehenſus eſt jure ſummo à doctiſſimo quoque. *Voſſ.* l. 1. Analog. c. 7.

In *Italiâ Franciſcus Robortellus Vtinenſis*, qui magno cum ſtrepitu *Bononiæ* & *Patavii* profeſſus, cum *Carolo Sigonio*, ſed impari certamine ſæpiùs & acerbius, quàm inter literarum profeſſores decuit, digladiatus, in iiſque contentionibus, *Germanorum*, qui & ei mortuo honorificè parentârunt ſemper præcipuo favore adjutus, tandem ultimum diem 15. Kalend. April. clauſit, quinquageſimum annum haud multùm ſupergreſſus. *Thuan.* ad Ann. 1567.

Robortellus, aſinus, *beſtia*, magnus cortaſor. Scaligera 2ª. Gall.

Extant ejus novem Diſputationes de *Romanorum Provinciis*, Judiciis, &c. *Bononiæ* 1559. fol.

Extat de Convenientia Supputationis annorum *Livianæ* cum Marmoribus Capitolinis Libellus, *Livio* ſubjectus, *Francofurti* ad *Mœnum* 1568. in fol.

Hoc ejus Epitaphium, in Clauſtris Divi *Antonii Patavii*.

Franciſco Robortello Utinenſi *Rhetoricæ Artis*, *Moraliſque Philoſophiæ profeſſori clariſſimo, qui in florentiſſimis quibuſque* Italiæ *gymnaſiis magna fama celebritate triginta totos annos publicè docuit*, *Natio* Germanica *præceptori benemerito in perpetuam animi memoriam unanimis. P. vixit An. L. Menſ. 6. Dies 9. Obiit.* 15. *Kal. April. MDLXVII.*

In hunc Auctorem hæc Carmina compoſuit *Joannes Plazza*:

Si qua recordanti veterum præcepta virorum,
Grati animi ſemper maxima lætitia:
Robortelle, *tui tam clari nominis, omnis*
Græcia *perpetuò ſtat,* Latiumque *memor.*

GULIEL-

GUILIELMUS RONDELETIUS.

NAtus *Monſpelii* A. C. 1507. Patre *Johanne Rondeletio*, Cive *Monſpelienſi* & Mercatore *Aromatario*: Diſcipulus in *Anatomicis* fuit *Guinter. Andernaci*: tum *Claremontii* Medicinam tanto quæſtu exercuit, ut paulò pòſt adeptis ſumptibus 1537. Doctoralem Lauream impetrare potuerit. Anno 1545. in Academiâ Patriâ Regius Profeſſor conſtitutus eſt. Ipſius potiſſimùm hortatu Rex *Monſpelii* Theatrum Anatomicum ædificari curavit. Anno 1556. Academiæ *Monſpelienſis* Cancellarius declaratus, eoque munere uſque ad annum 1566. functus eſt, quo nempe ipſe obiit, anno ætatis ſuæ 59. Clar. An. D. MDLV.

Scripta ejus hæc ſunt; Methodus curandorum Morborum---De dignoſcendis morbis---De Febribus---De Morbo *Gallico*---De Morbis Internis & externis---De Officinâ Pharmacopolarum---De Fucis------Methodus de Materiâ Medicinali, & Compoſitione Medicamentorum-----Concilia Medica---De Urinis----De Ponderibus, ſive juſtâ quantitate Medicamentorum----De Piſcibus.

Academia *Monſpelienſis* Medicinæ ſtudio florentiſſima nullum unquam hujus Profeſſorem habuit *Rondeletio* alumno & cive ſuo clariorem. Multa quidem præclara molitus eſt, ſed nihil memorabilius in vitâ perfecit, quàm quum magnifico eruditionis apparatu, non ſine *Gulielmi Pelliceri*i doctiſſimi quoque viri auxiliaribus copiis, vaſtum illud *Neptuni* regnum ingreſſus eſt, unde ampliſſimis ejus ſpoliis onuſtus ad nos rediit, *Aquatiliumque* ſpecies omnes tum ſpectandas tum cognoſcendas nobis obtulit. Quod enim attinet ad *poſthuma* ejus *opera*, indignum eſſe ea celebrare, quæ ipſe dum viveret luci edere neglexerit. *Scævol. Samarthan.* in Elog.

Idem hic Annus (1566.) nobis *Gulielmum Rondeletium Montiſpeſſuli* natum Medicinæ arte præcellentem abſtulit, à *Franciſco Rabelaſio* noſtrate nihilominus contemptim appellatum in iis libris, quos ingenioſâ magis, quàm omninò irreprehenſibili *jocandi* libertate ſcripſit. Et certè ejus *Scripta* ejuſmodi ſunt, ut tantæ de ſe opinioni, ſive excitatæ, ſive ſparſæ non reſpondeant. Unum eſt quod hominis nomen maximè *poſteritati* commendavit, quod de *Piſcibus* edidit; ſed eò minore laude, quòd illud potius *alienæ* induſtriæ quàm *ſuæ* debuit; nimirum, ex *Gulielmi Pelliceri*i Epiſcopi *Montiſpeſſulani*, viri rarâ eruditione ornati, *Commentariis* concinnatum; quod doctiſſimarum *Annotationum*, quas ille in *Plinium* ſcripſerat, magno literarum diſpendio amiſſarum aut hactenus ſuppreſſarum pars erat, *Thuan.* ad an. 1566.

Gulielmus Rondeletius, doctiſſimus vir, & naturæ *Piſcium* callentiſſimus. *Caſaubon.* in *Athenæum.*

Rondeletius, *Geſnerus* & *Aldrovandus*, qui tres conſtituunt trigam Hiſtoricorum Phyſicorum abſolutiſſimam. *Alſted.* Encyclop.

Eodem tempore *Monſpeſſuli Gulielmus Rondeletius* nonnulla de re *Anatomicâ* conſcripſit quidem, verùm mox viſo *Veſalii* opere, ne cum tanto viro in contentio-

Digitized by Google

contentionem veniret, manus continere maluit. Majus autem nomen meruit, evulgato de *Piſcibus* egregio opere; licèt illud *Gulielmo Pellicerio* Epiſcopo *Monſpelienſi* per plagium ſurreptum eſſe *Joſ. Scalig.* & ab hoc inductus *Thuanus* non dubitaverint affirmare: nobis minimè perſuaſis; cùm non tantùm vivo & vidente *Pellicerio* opus illud prodierit, ſed & *Rondeletius* poſt libellum *Pharmaceuticum* in *Pellicerii* nomen ediderit, illius operis de *Piſcibus* luculenta factâ mentione: quod ſine ſummâ impudentiâ fieri utique non potuiſſet. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in Art. Medic. p. p. 107. 108.

In *Gallia Rondeletius*, *Monſpelienſis* (*Fallopii σύγχρονος*) vir æquè doctiſſimus, non parùm quoque de re *Zootomica* meritus eſt conſcripto de *Piſcibus* opere penè incomparabili, utut, quæ ibi traduntur, ad *Philologicam*, *Hiſtoricam* & *Grammaticam* peritiæ humanæ partem ſpectent, præcipuè, & iſtis ſtudiis conducant. *Ioan. Dan.* Majoris Chirurg. Infuſor. edit. *Kiloni* 1667. in 4°. pagina 2 6.

Habitûs corporis plenioris erat, ſtaturæ verò infra mediocrem: In lucem venit cum corpore tam debili tamque delicatulo, ut primis ætatis ſuæ annis ab omnibus morbis quibus obnoxii ſunt homines, ſi lepram excipiamus, vexatus fuerit; ſed poſt infantiam omnibus illis ægritudinibus liberatus eſt, & deinceps ejus valetudo in dies aucta eſt, prout ætate provehebatur. In juventute Vini uſum abdicavit ut arthritidem præcaveret, quæ aliquoties ipſum perſtrinxerat. Quamvis tamen meram aquam biberet omnis generis fructibus copioſiſſimè veſcebatur, ceraſis præſertim, ficubus, uvis & melonibus. Parum dormiebat, bonamque noctis partem in lectione & ſtudiis inſumebat. Ingenio erat vivido, ſubtili & peracuto. Sed parum cauta erat ejus agendi ratio, cumque in maximi momenti rebus, non ſatis has perpenderet antequam animum determinaret, conſilii plerumque ipſum pœnitebat. Uſque ad exceſſum liberalis erat, pecuniaſque adeo contemnebat, tamque profusè erogabat, ut quamvis lauta eſſent ejus ſtipendia & in exercitio Medicinæ multum lucraretur, nulla ferè bona ſuis hæredibus reliquerit. Magna contentione ad Anatomiam animum appulit, propriis manibus diſſectiones fecit. Imo ut certum perhibetur, ipſum corporis cujuſdam è propriis liberis aperuiſſe, & ob hanc operationem barbari patris & inhumani nomine infamatum eſſe. Diſcipulos docere uſque adeo delectabatur, ut quotidie tres quatuorve lectiones haberet, cúmque admodum feſtivus eſſet, ſermones ſuos jucunda aliqua fabella vel narratiuncula exhilarare ſolebat. Aſſiduè legebat Theologiæ libros: Sed ex quo incarceratus fuit *Guillelmus Pelliſſerius Monſpeſſulanus* Epiſcopus, ut qui *Proteſtantium* opinionibus adhæreret, omuia Theologica Scripta quæ in ſua Bibliotheca erant in ignem conjecit. Cum aliquid componebat adeo præcipitanter id faciebat, ut ſcripta nequidem relegere nec emendare dignaretur. Hinc eſt quòd ejus Opera non reſponderint magnæ celebritati quam eruditione ſua ſibi paraverat, ut optimè obſervavit Dominus Thuanus, *Anton. Teiſſier*, Elogiis Eruditorum Virorum, Gallicè.

Extant

Digitized by Google

Extant opera ejus omnia Medica, *Genevæ* apud *Petrum & Iacobum Choüet*, 1618. *in* 8.

Extant libri de Piſcibus Marinis. In quibus veræ Piſcium Effigies expreſſæ ſunt. *Lugduni*, apud *Matthiam Bonhomme*, 1554. in fol.

Extat Univerſæ Aquatilium Hiſtoriæ, Pars altera, cum veris ipſorum imaginibus. Ibidem, apud *eund*, 1555. in fol.

JOHANNES MERCERUS.

VTicenſis, Juriſconſultus & Philologus percelebris, Anno 1570. Obiit, *Franciſco Vatablo* in Cathedrâ *Pariſ.* ſucceſſit. *Geneſin*, *Iobum*, *Salomonem* & ſex minores priores *Prophetas* eruditiſſimis commentariis illuſtravit: *Pagnini* quoque Theſaurum recognovit, variiſque annotationibus locupletavit. Tranſtulit Harmenopuli Prochiron, & *Ori Apollinis* Hieroglyphicon, cum obſervationibus. Clar. A. D. MDLV.

Sublato è vivis *Franciſco Vatablo Hebraicarum* literarum apud *Gallos* inſtauratore, unus in ejus locum ſuffici promeruit *Ioannes Mercerus*, cui primas in eo genere docti omnes magnâ cum ingenii admiratione deferebant: Et eò quidem majore, quò ſeriùs ad hæc ſtudia ſe applicuit. Cùm enim, ut erat honeſtâ ortus familiâ, in eam ſpem à ſuis educaretur, ut ſibi ad Reipublicæ Gubernacula & dignitates viam pararet, Juri Civili operam adoleſcens *Avenione Tholoſæque* primùm impenderat, ejuſque otii non leve documentum ediderat *Harmenopulo* è *Græcâ* linguâ fideliſſimè tranſlato. Sed longè graviora ſunt, & homine *Chriſtiano* digniora, quæ mox in *Iobum* & in omnes *Prophetas* magnâ diligentiâ parique judicio commentatus eſt: plura etiam præſtiturus, niſi *Venetiis* rediens, quò ſe tumultuante iterum *Galliâ* in *Ferrerii* Legati Regii comitatu contulerat, apud *Nitiobriges* patriam ſuam Lethali morbo deprehenſus ante annos occidiſſet. Corpore fuit gracili, & à ſtudiorum laboribus macilento, ſed voce robuſtâ & virili quæ auditorium probè impleret: temperantiâ autem, pudore, modeſtiâ, & cæteris animi bonis ſupra variæ doctrinæ laudem nulli ſecundus. Cui & hoc à Superîſm indulgentiâ conceſſum eſt, ut ſibi quodammodo ſuperſtes non omnino cum morte interiret. Uxorem enim duxerat *Allerii* nobilis viri & *Antoniæ Deloniæ* filiam, *Camillæ Morellæ* virginis doctiſſimæ ſororem, quo ex connubio *Ioſiam* filium tanto patre digniſſimum ſuſcepit. *Scævol. Samarthan.* in Elog.

Joannes Mercerus apud *Occitanos* honeſto loco natus, quum utramque linguam adhuc adoleſcens didiciſſet, & euſque in Juris Civilis cognitione profeciſſet, ut *Harmenopuli* πρόχειρον quod vocant, è *Græco Latinam* faceret, mutato conſilio, ſimulatque *Vatablum Hebræa Lutetiæ* docentem audiviſſet, tanto animi ardore ſtudium illius linguæ eſt amplexatus, ut illo è vivis ſublato, dignus unus videretur qui tanto viro in illius profeſſione ſuccederet. Hîc verò quantum ſeſe præſtiterit adjuncto ad quatuor Linguarum exactam cognitionem, ſummam-

 que

que diligentiam, judicio longè acerrimo, doctiſſimæ ipſius Prælectiones partim jam editæ, partim deinceps edendæ ſatis ſuperque teſtantur. Accedebant autem ad hanc eruditionem ſummum pietatis ſtudium candidum ingenium, modeſtia ſingularis, vita prorſus inculpabilis, adeò ut fervente civilibus ob religionem bellis *Galliâ*, quamvis ſacros libros non modò *Grammaticè*, ſed etiam *Chriſtianè* explicaret, ſalvum tamen illum & inviolabilem amabiles ipſius mores fortiter in ſuo munere perſeverantem præſtiterint, & ex ejus unius penè ſcholâ prodiiſſe conſtet, quicunque in *Galliis* hodie paulò feliciùs hebraïſant. Repetitis verò bellis *Venetias* ornatiſſimum quendam virum ſecutus ibique *Hebræorum* doctiſſimis admirationi habitus, quum ad ſtationem ſuam revertens per *Occitaniam* iter faceret intempeſtivâ planè morte ſublatus, maximum ſui deſiderium doctis piiſque omnibus reliquit. *Theod. Beza* in Icon.

Mercerus Vatablo in Ordinario explicandæ *Sacræ Linguæ* munere ſuccenturiatus, vix credibile eſt, qualem ſe quantumque præſtiterit, quippe qui quatuor linguarum periſſimus ad incredibilem diligentiam acerrimum judicium attuliſſet: accedente rurſus ad eximiam doctrinam candore, modeſtiâ, & ſummâ morum innocentiâ, adeò ut ex ipſius penè unius *Scholâ* prodiiſſe conſtet, quicunque in *Galliâ* hodie paulò meliùs *Chaldaicam* & *Hebraicam* linguam callent ------Poſt mortem ejus publicata ſunt eruditiſſima in 6. minores Prophetas priores, *Iobum*, *Salomonem*, & poſteà in *Geneſin Commentaria*; qui fœtus licèt poſthumi, accuratam *Parentis* ſui diligentiam produnt; ut vel ex iis & aliis (quæ vivus publicavit) monumentis in confeſſo ſit, *Nunquam quenquam Chriſtianum feliciùs Hebraizaſſe Thuan.* ad ann. 1570.

Vir totius humanioris literaturæ intelligentiſſimus *Ioannes Mercerus*, Regius *Hebreæ* linguæ Profeſſor, eruditione, ſolertiâ, diligentiâque præſtantiſſimus. *Franc. Iun.* Orat. Funebr. in obit. *Lucæ Trelcatii*.

Divinus vir *Ioannes Mercerus*, omnium Chriſtianorum noſtri ſeculi ſine controverſiâ *Hebraicè* doctiſſimus. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. 281.

Ioannes Mercerus profundæ in *Hebraicis* doctrinæ vir. *Idem* ad *Baron.* p. 569.

Ioannes Mercerus, ſuperioris ſeculi lumen vivum & clarum. *Buxtorf.* lib. de Abbreviatur. *Hebræorum*.

Ioannes Mercerus, vir cui in *Ebraicis* parem nunquam edidit *Gallia*. *Amama*.

Par nobile *Interpretum*, *Mercerus* & *Liveleius*: quorum ille nuper laudatus, & (dum eruditioni atque pietati habetur honos) ſemper laudandus *Matt. Polus*.

Ioannes Mercerus maximi vir judicii, qui unus optimè de literis *Ebraicis* meritus eſt. *Druſius* in Obſervationibus *Sacr*.

Hujus ſententiæ meæ approbatorem habeo *Ioannem Mercerum*, cujus viri judicium ſemper feci plurimi, qui unus inter eos qui hæc ſtudia tractarunt, & literas ſacras explicarunt, tantum eminet, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. *Druſ.* l. 15. c. 25. ibid.

Mercerus Maximus Grammaticus, vir pius, & in exponendis ſacris literis excellentiſſimus *Hebræus*. *Scaligerana* prima.

Mercerus,

Digitized by Google

Mercerus Doctiſſimus in Hebraicis. Unde etiam in Jobum optimè ſcripſit. Quis hunc ſcripſerit librum, ignoratur. *Ioh. Mercerus* vir præclarus *Orum* interpretatus eſt, Notaſque in eum adornavit. *Mercerus* Juris prudentiæ operam navavit, *Harmenopolumque* tranſtulit. *Mercerus* quando prælegebat Auditorium plenum habebat. *Doctiſſimus* fuit Hebraicus qui unquam fuerit. Id fatentur *Iudai*. Laudabant valde Mercerum, quia erat maximus *Scaligerana* poſterior Gall.

Eccleſiaſtes Salomonis à nonnullis benè doctis jam eſt explanatus, ſed inprimis eruditiſſimi viri *Ioannis Merceri* piæ memoriæ *Commentariis* diligentiſſimè illuſtratus; fuit enim ille in *Academiâ Pariſienſi Regius* poſt *Vatablum* diligentiſſimus ſimul & eruditiſſimus permultis annis *Profeſſor*, illo certè cui ſucceſſit doctrinâ non inferior, judicio etiam fortaſſe in diſcernendis *Rabbinorum* aberrationibus ſuperior. *Theod. Beza* Epiſt. Præfat. in Eccleſiaſt. 1598.

Non poſſum quin hîc appellem magnum illum & in *literis Ebraicis* & *Chaldaicis* verſatiſſimum, *Ioannem Mercerum*, qui cùm jam ſenectutem attigiſſet, paulò antequam vitâ excederet, ſolo *Arabicarum literarum* deſiderio, in *Orientem* dicitur cogitaſſe. *Thom. Erpen.* in Orat. de ling. *Arab.*

« *Joannes Mercerus* ſucceſſor *Vatabli* in Cathedra Profeſſoris Regii in lin-
« gua Hebraïca Pariſiis, eſt unus è Doctiſſimis acrioriſque judicii Interpreti-
« bus Scripturæ, qui unquam fuerit inter Religionis Prætenſæ reformatæ culto-
« res, laudéque dignior adhuc eſſet, ſi Patrum ſuorum Religionem non deſeruiſ-
« ſet, ut *Calvini* novitates ſequeretur. Perfectè binas linguas *Græcam* & *Hebraï-*
« *cam* intelligebat, & in ipſis fontibus Rabinorum Libros legere poterat. Hinc
« etiam ratio explicandi Biblia, qua uſus eſt, multò magis Critica & accurata eſt
« quàm plerorumque cæterorum Authorum qui illum præceſſerant. Totam ad-
« hibuit operam ſenſui literali Textus ſui, & indagationi propriæ ſignificationis
« Vocum *Hebraicarum*. Quapropter ei ſolenne eſt varias Rabbinorum Inter-
« pretationes afferre, quas quandoque corrigit. Ne quidem neglexit *Græcam*
« Verſionem Septuaginta, nec cæteros Bibliorum Veteres Interpretes; quod ta-
« men frequentiùs facere potuiſſet. Conſuluit etiam Exemplaria *Hebraïca* manu
« exarata, quæ in Regia Bibliotheca erant. Verbo ut abſolvam, ornatus fuit
« omnibus dotibus periti Bibliorum Interpretis: meliuſque adhuc dubio procul
« ei ſucceſſiſſet, & labor, niſi ætatis qua vixit novitatibus ſeſe permiſiſſet. Optimi
« quos edidit Commentarii ſunt in *Jobum*, in *Eccleſiaſten*, in *Proverbia* & in *Can-*
« *ticum Canticorum*. Quoniam iſti Libri carmine fuerunt compoſiti, ſtyloque ad-
« modum interciſo, perdifficile verum eorum ſenſum eruere, niſi cum perfecta
« Hebraïcæ linguæ peritia, & ſummo ingenii acumine. Neutro autem deſtitutus
« fuit Mercerus, penituſque examinavit omnes difficultates quæ ſibi objectæ
« ſunt. Quod ad ejus in *Geneſin* Commentarios multa Judaïca eruditio illis ineſt,
« ſed ſatis caſtigati non ſunt. *Beza* qui Authoris hujus Commentarios omnes
« typis mandandos curavit, minutias ex illis non potuit eximere: ex ultimis præ-
« ſertim qui non ſunt æquè abſoluti ac cæteri. *Cornelius Bertramus*, qui *Bezæ*
« Collega fuit *Genevæ*, quique Hebræam linguam callebat, eorum evulgationem

'accuravit, idque ſatis diligenter, quamvis errores quandoque occurrant, quod
'tamen rariùs contingit. Jeſ. *Rich. Simon*, Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. cap. 14. Gall.'

Nec obſcurum eſt, in his Opificibus *Ioannis Merceri* nomen; cujus præcipuè laudatur remetiendorum pari numero, cum ſententiæ integritate verborum ſollicitudo---Qui *Vatablum* in *Ebraicarum* literarum profeſſione excepit *Ioannes Mercerus*, non abſurdè in *Ori Apollinis* & *Harmenopuli* interpretatione verſatus eſt; *Latinè* ſcribendi diligens ſine moleſtiâ venuſtas, non ubique tamen ſatis tenax, nec qualem in *Ebrais* reddendis adhibet verborum parſimonia. *Huet.* de Clar. Interpret. p. 190. 210.

Mercerum in *Geographiâ* minimè verſatum, teſtatur *Samuel Bochartus* in *Phaleg.* p. 92.

* *Ioannes Mercerus* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur.

Extant ejus in Geneſ. Prælectiones, fol. *Genev.* 1598.

Extant in Job. Prov. Eccleſ. Cant. Cant. Commentarii *Amſtelod.* 1651.

Extant Commentarii in 5. Prophetas minores, fol. *Genev.* 1565.

SEBASTIANUS CASTALIO, ſive CASTELLIO.

Clar. A. D. MDLV.

GAllus, *Allobrox*, excellenti linguarum cognitione præditus, *Baſilea Græcè* docuit per annos 18. *Biblia Latinè* interpretatus eſt, quod opus anno 1542. *Geneva* aggreſſus, nono pôſt anno abſolvit majori elegantiâ quàm fide: in *Sacris* ſuis *Dialogis*, *Areſdorphii* editis, non uſquequaque ſincerus. Obiit *Baſilea* anno 1563. ætatis 49. *Prima Arminianiſmi* Semina in Dialogis ſuis ſparſiſſe videtur. *Hofman.* in Lexic.

Sebaſtianus Caſtalio ex aſperis & ſalebroſis *Allobrogum* montibus humili ortus fortunâ, ſed ingenio bonis literis excultiſſimo, cùm Muſas in omni diſciplinarum genere *Latinè* loquentes videret, tentare voluit num & *Sacra Litera* negligentiore hactenus & horridiore quodam ſtylo contentæ his quoque munditiis exornari poſſent & expoliri. Hoc itaque animo novam Bibliorum tralationem exorſus omnes utriuſque fœderis libros raro & admirabili, nec uili dum in his literis uſitato puritatis & elegantiæ nitore expreſſos intra decennium adornavit & publicavit. Magnam proculdubio ab eruditis omnibus & piis gratiam initurus, niſi ſacroſanctam rerum divinarum majeſtatem viſus eſſet aliquot in locis præ nimio *Latinitatis* & facundiæ ſtudio violaſſe. Violavit certè multò imprudentiùs, ne dicam ineptiùs, dum eandem *Gallicè* operam præſtare cupiens vir in *Hebræorum*, *Græcorum*, *Latinorum* aſſiduâ lectione volutatus, patriique interim ſermonis penè oblitus, arreptis è trivio & infimâ plebe voculis ac loquendi formulis, ridendum ſe omnibus in re tam ſeriâ præbuit atque contemnendum. Deberi tamen videtur hoc ejus egregiæ voluntati, ſummoque labori, & veterum linguarum ſingulari peritiæ, ut inter doctiſſimos hujus ætatis viros, vel cum primis enumeretur. Homo cæteroquin ſimplex & ab omni faſtu alienus, qui ſuburbanum prædium ſuâ ipſe manu quotidiè foderet, ſuſceptamque juventutis erudiendæ curam alterno telluris colendæ labore adæquaret

Digitized by Google

quaret. Exceſſit *Baſileæ Rauracorum* ex febre nondum ſenex anno 1563. *Scævol. Samarthan.*

Quid verò de intemperantiſſimâ *Sebaſtiani Caſtalionis* Converſione ſtatuendum eſt, quæ res puriſſimas faſtidioſâ venuſtate oblimavit, & omnem divini Verbi vim nimiâ curaturâ eliſit, & verba à *Patribus*, & toto *Chriſtianorum* cœtu recepta & uſurpata ineptiſſimè repudiavit; homo cæteroquin ſimplex, & ab omni faſtu alienus, ut de eo verè ſcripſit *Samarthanus*, & eximiam in Operis ſui Præfatione ingenuitatem & candorem præ ſe ferens, proptereaque à nobis ſine contumeliâ dimittendus. *Huet.* de Clar. Interpret.

Sebaſtian. Caſtillon Allobrox Lugduni cùm ageret adoleſcens, accidit ut quidam errore nominis pro *Caſtellione*, *Caſtalionem* vocaret, quod audiens à *Muſarum* fonte, qui *Caſtalius* dicitur, derivatum, adamavit & amplexus eſt, ſeque, omiſſo deinceps *Caſtellionis* nomine patrio, *Caſtalionem* appellavit. Id dicit ipſe in defenſione quadam adverſus libellum *Joannis Calvini. Scaligerana* 1. pag. 42.

Sebaſtianus Caſtalio optime tractaſſet *Sacras Literas*, ſi à multis *Anabaptiſmi* opinionibus liber fuiſſet, & adjutus ab aliquo. *Scaligerana* 1. p. 28.

Sebaſtianus Caſtalio *Canticum Canticorum* flagitioſum eſſe librum dicebat. Quidam *Socinianum*, quidam *Anabaptiſtam* fuiſſe aſſerunt. Nihil ad me. *Latinè* doctum fuiſſe conſtat. *Tanaquil. Faber* Not. in *Scaligerana* 1.

Caſtalio cùm puriorem linguarum cognitionem ad Theologicam ſcientiam adjunxiſſe ſe putaret, impuras manus (multorum judicio) ad ſacra tractanda attulit, cùm à rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt, à *Gallicis* & *Helveticis* Eccleſiis, quarum alioqui doctrinam amplectebatur, in quibuſdam diſſidens; & *Bernardino Ochino* ſegregi, cujus & dialogos *Latinos* fecit, præcipuè in Polygamiâ adſtipulari creditus; unde pleraque contraria inter eos ſcripta emanarunt: tandem *Baſileæ* non ita ſenex, quippe vix annum 48. ſupergreſſus, 4. Kal. Januar. obiit ex lue peſtilent. *Thuan.* ad ann. 1563.

Elegantiæ plus ſatis curioſus, protervè in re ſeriâ *Dei* verbum *Ciceronianæ* dictionis flore veſtire inſolenti temeritate molitus eſt. *Alexand. Morus* exercitat. de Sacr. Scriptur.

Tranſlationem ejus *Ethnicam* appellant. *Idem* ibid.

Caſtellio magis *Paraphraſtæ* docti, quàm *Interpretis* religioſi munus præſtitiſſe videtur: nec propterea tamen, ut nonnulli faciunt, convitiis exagitandus, cùm etiamſi verba non adnumeret, ſenſum tamen ut plurimum fideliſſimè reddat, ut ab iis, qui *Latinè* tantum ſciunt, intelligi poſſit. *Martin. Ruarus* Cent. 1. Epiſt. p. 197.

Caſtalio in verſione ſuâ de textu *Hebraico* ad verbum reddendo non admodum laborat; at ſenſum plurimis in locis perſpicuè, purè, eleganter, & fideliter exprimit, & magnas non rarò difficultates verſione ſuâ feliciter ſolvit. *Matth. Polus* Præf. Tom. 1. *Synopſ. Crit.* p. 5.

Digitized by Google

Sed & *Caſtellionis* verſionem, doctam ſanè, & elegantem, & multa in paucis complectentem (quam etiam in *Annotationibus* ſuis crebrò citat noſter *Hammondus*, & aliis præfert) haud rarò mihi uſui & auxilio fuiſſe non inficior. Dr. *Iacob. Duport* Præfat. ad Metaph. Pſalmor.

Caſtellio, homo meo judicio nec ineruditus, nec malus. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad Nic. *Reigersbergium. Lut.* 19. Decembr. 1637.

Verſio Caſtalionis eſt affectata, plus habens pompæ & phalerarum, quàm rei & firmitatis, plus oſtentationis quàm ſubſtantiæ, plus fuci quàm ſucci, plus hominis quàm ſpiritûs, plus fumi quàm flammæ, plus humanarum cogitationum quàm divinorum ſenſuum. *Gilbert. Genebrard.* Præf. in Opera *Orig.*

‘ *Sebaſtianus Caſtalio* vel *Chatelio*, ut ſe ipſum idem cognominat in ſuis Libris *Gallicis*, eſt etiam Author *Verſionis Latinæ* integrorum Bibliorum, quam ſæpius deinceps ad incudem revocavit. Prima editio eſt anni 1551. Baſileæ. Omnium plurimi æſtimata eſt illa anni 1573. eodem loco: quam tamen cùm reperire non potuerim, uſus ſum alia editione anni 1554 quæ Baſileâ etiam prodiit, Notuliſque quibuſdam ſtipatur. *Genevæ* Doctores, *Theodorus Beza* cumprimis novam hanc Caſtalionis Tranſlationem acerbè admodum vituperarunt, huncque hac occaſione *ignarum & temerarium* vocaverunt, ei exprobrantes quòd Scripturam ludibundus tractaverit, quod prolixius legere eſt in Præfatione Gallica ad finem unius ex horum Verſionibus *Gallicis* Bibliorum anni 1559. Preterea invicem hac de re ſcripſerunt *Beza* & *Caſtalio*: Cùm autem Beza ſermonis *Hebraici* prorſus ignarus eſſet, coactus fuit aliorum ſententiæ ſtare, qui aſſeverabant *Caſtalionem* idiomatis *Hebraici* minimè peritum eſſe. *Caſtalio* tamen non poteſt dici Hebræam linguam ignoraſſe, ſi legantur Criticæ Notæ quas ad Verſionis ſuæ calcem ſubnexuit, imò etiam affirmari poteſt eum trium linguarum *Hebraicæ, Græcæ* atque *Latinæ* callentiorem fuiſſe quàm ullus *Genevenſium* Doctorum. Sed non ſatis ſervavit Interpretis ſacrorum librorum characterem; cultum & elegantem ſtylum nimis affectavit, qua ratione Textus ſui ſenſum valde debilitavit. Hujuſmodi vitium Verſionis ejus totum corpus infeſtat, ut facilè judicari poterit ſtatim à primis *Geneſeos* verbis quæ in hunc modum tranſtulit. *Principio creavit Deus Cœlum & Terram. Cùm autem eſſet Terra iners atque rudis, tenebriſque offuſum profundum, & Divinus Spiritus ſeſe ſuper aquas libraret, juſſit Deus ut exiſteret lux &c.* Hoc unum ſufficit ad oſtendendum quòd *Caſtalio* non contenderit Autographi ſui verba accuratè interpretari, ſed ſenſum quanta potuit elegantia exprimere, delecto in hunc finem ſtylo cohærente atq; periodico. Uſque adeo politi Scriptoris characterem affectavit, ut ejus ſermo quandoque ſit effœminatus, ut in libro *Canticorum*, ubi arbitratus eſt, ad ſervandum ſtylum quem argumentum ejus exigere videbatur, *Catulli* dictionem ſibi imitandum eſſe, utendo vocabulis diminutivis; quippe quæ tenerum affectum magis indicarent: imò diminutivis iſtis vocibus Epitheta diminutiva conjungit. Unde non contentus ſimpliciter dicere *Mea columba*, dixit *Mea columbula*. En quali dictione toto hoc libro utatur. *Mea*

Digitized by Google

' *columbus oſtende mihi tuum vulticulum: Fac ut audiam tuam voculam; nam*
' *& voculam habes venuſtulam & vulticulum habes lepidulum. Capite nobis vul-*
' *peculas parvas vinearum vaſtatriculas.* Jeſ. *Rich. Simon.* Hiſtoria Crit. V. T.
' lib. 2. cap. 21. Gall.

' Jeſ. *Simon* unicus non eſt qui profeſſus eſt *Caſtalionis* Verſionem in pretio
' ſe habere; *Andreas Hipperius* aſſeverat illam diligentiſſimè & accuratiſſimè
' ſcriptam eſſe. *Laurentius Humfredus Anglus Caſtalionem* defendit adverſus eos
' qui contendunt ejus proſecutionem cultioris ſtyli fuiſſe in cauſa quòd verum
' ſenſum neglexerit plurium locorum in Sacris Libris. *Fredericus Furius Cerio-*
' *lanus* hanc Tranſlationem ſupra cæteras omnes extollit. *Ant. Teiſſier.* Elogiis
' Viror. Erudit. Gallicè.

Sebaſtianus Caſtellio ſuâ quadam in Sacrorum Bibliorum perverſionem Præfatione palam verbi divini ſatis perſpicuam auctoritatem convellere ſtuduit, ſuiſque in priorem ad *Corinth.* Epiſtolam adnotationibus, ut à *verbo ſcripto* tanquam imperfecto nos abduceret, diſertè ſcripſit, *Paulum* quandam Theologiam, eâ quam ſcriptis tradidiſſet reconditiorem, perfectos neſcio quos ſuos diſcipulos docuiſſe. *Theod. Beza* in vitâ *Calvini*.

Sebaſtianus Caſtalio pro *Baptiſmo* ſubſtituit *Lotionem*; pro *Angelo*, *Genium*; pro *fide*, *confidentiam*; pro *Eccleſiâ*, *Rempublicam*; pro *Synagogâ*, *Collegium*, neque minùs ineptè in aliis multis, quæ jure in *Caſtalione* culpant. Intelligentiores. *Voſſ.* part. 2. Inſtitut. Orator. p. 6.

Caſtalioni fecerunt injuriam, cum doctus eſſet, faſtum objecerunt, mortuus eſt ex paupertate. *Scaligerana* 2.

* *Sebaſtianus Caſtalio Romano Indice* inter *Hæreticos* primæ *Claſſis* numeratur.

ANDREAS MASIUS.

Clar. A. D. MDLV.

BRabantus, natus *Lenniaci* juxta *Bruxellam*, *Lovanii* puer admodum Philoſophos inter, primum in promotione locum obtinuit anno 1533. Pòſt Juris utriuſque ſtudio operam dedit, laureaque Doctorali inſignitus, *Cliviorum* Duci meruit tandem eſſe à Conſiliis. Præter *Italicam*, *Gallicam*, *Hiſpanicam*, cæteraſque *Europæ* linguas, etiam *Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, atque *Syriacæ* cognitione non vulgari claruit; *Moſem Mardenum*, Patriarcham *Antiochenum*; *Romæ* ann. 1553. in *Syriacis* nactus inſtitutorem. Fuit *Ioanni à Kneza* Epiſcopo *Conſtantienſi* ac *Lundenſi* Archiepiſcopo à ſecretis. Familiariter coluit *Levinum Torrentium* & *Augerium Busbequium*, qui *Maſii* potiſſimum Conſilio ſe dignitate creviſſe profiteri ingenuè ſolebat. Demùm à *Philippo* II. *Antverpiam* evocatus, *Bibliorum* editioni verè Regiæ adornandæ, unà cum *Benedicto Ariâ Montano*, *Guidone Fabricio*, aliiſque præpoſitus fuit. Edidit *Grammaticam Syriacam*, *Syrorum Peculium*, ſeu explicationem vocabulorum paſſim *apud Syriacos uſurpatorum*. Leguntur iſta in Regiorum Bibliorum *Apparatu*. Tranſtulit è *Syriaco* Commentarium de *Paradiſo* ante annos propè 1200, à *Moſe Bar-*

Cepha,

Digitized by Google

Cepha, Syro, ſcriptum; item B. *Baſilii* Liturgiam. *Explicationem in Hiſtoriam Joſue Imperatoris*, in quâ tamen expungenda quædam eſſe monent *Cenſores Romani*. Diſputationem *De Cœnâ Dominicâ* oppoſitam *Calviniſtarum* corruptelis: & alia. Vivere deſiit *Zevenariæ Cliviorum* an. 1573. *Aubert. Miræus.*

Vir fuit πολύγλωττος: Nam præter *Italicam, Gallicam, Hiſpanicam*, cæteraſque *Europæ* linguas, etiam *Latinæ, Græcæ, Hebraicæ*, atque *Syriacæ*, cognitione non vulgari claruit. Habuit familiarem, iiſdem ſtudiis deditum, *Sebaſt. Munſterum*, ad quem frequentes dedit literas, & *Latinas*, & *Hebraicas*; eaſque tam doctas, *Munſteri* judicio, ut illum vel inter *Latinos* ſolùm, vel inter *Judæos* ſolùm educatum teſtarentur. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Vir ſincero, candido, & aperto ingenio: Adhæc rarâ & reconditâ doctrinâ præditus, & qui ad *Hebraica* & *Chaldaica*, ac cæterarum *Orientalium* linguarum cognitionem, ſummam animi pietatem & exactum rerum ſacrarum ſtudium attulerat, variaque in eo genere commentatus fuerat; plura etiam daturus, ſi viro bono per valetudinem ferè ſemper adverſam licuiſſet. Specimen eorum præbent doctiſſimi & accuratâ diligentiâ ſcripti in *Ioſuam Commentarii* *Thuan.* ad ann. 1573.

Linguæ *Hebraicæ* & *Syriacæ* peritiſſimus, atque in lectione *Rabbinicâ* egregiè exercitatus. *Franc. Swertii Athen. Belgic.*

Omnium ſeculorum memoriâ digniſſimus *Andreas Maſius. Idem.*

Andreas Maſius Papiſta quidem, at ſanior, & dexterrimus *Sacræ Scripturæ* interpres. *Salom. Glaſſius.*

Andreas Maſius doctus fuit, & benè ſcripſit in *Ioſuam. Scaligerana* 2.

Doctiſſimus *Ioſuæ* interpres. *Genebrard.* Chronolog. l. 1.

Vir undequaque doctiſſimus, & linguarum peritiſſimus *Andreas Maſius. Ioan. Wier.* de Magis infamibus, c. 1. ſect. 1.

Excellentis doctrinæ ac emendatiſſimi judicii vir *Andreas Maſius. Paul. Colomeſ.* Obſer. Sacr. p. 114.

Fuit vir ille (*Andreas Maſius*) non ſolùm ſingulari & reconditâ eruditione, ſed etiam candore & probitate ſuprà exquiſitam doctrinam longè magis mirabili, ideoque moderatis omnibus quibuſcunque partibus addicti ſint, gratus & acceptus, propter excellentes iſtas dotes. *Dallæus* de uſu *Patrum* pag. 67.

Andreas Maſius vir peracri & limato Judicio, quod teſtari poſſunt, quotquot ejus legerunt ſcripta: Eſt author unus inter pauciſſimos, dignuſque, cujus *Commentarii* æternùm excudantur ac recudantur: quæ tamen, ſi *Deo* placet, jacent neglecta & tantùm non pro nihilo penduntur, quia referta eruditione & doctrinâ ſunt. *Simeon* de *Muis* Tom. 2. p. 207.

Deinde, *Andreas Maſius* Juriſconſultus in *Ioſuam*; vir longiore vitâ & immortali memoriâ dignus; *Interpres* cui parem ingenio, judicio, rerum ac linguarum peritiâ, candore & modeſtiâ, haud facilè reperies. *Matth. Polus* Præfat. ad Lector. 1. Vol. Synopſ. Critic.

Sagati

Sagaci vir ingenio *Andreas Maſius. Paul. Colomeſ.* in Paralip. ad Chartoph. Eccleſ. *Gul. Cave.* p. 4.

Andreas Maſius, vir nunquam ſine laude nominandus. *Idem* ibid. pag. 11.

Or. Pr. *Simon* ait paucos nobis extare Authores qui tam exercitati ſint in Scripturæ ſtylo quique Bibliorum Criticen melius ſciverint quàm *Maſius*, & ad veritatem hanc ſibi perſuadendam ſufficere doctas Præfationes legere, quibus ſtipatur ejus in *Joſuam* Commentarium. Sed contendit in brevibus Notis eundem *Maſium* diffuſum quandoque paulò nimis eſſe in *Rabbinorum* explicationibus referendis, quibuſdam locis ubi valde neceſſarium fuiſſe non videtur. Verum quidem eſt (addit idem Oratorii Pr.) quòd defectus iſte non poſſit non placere iis qui eruditione *Judaica* delectantur. Or. Presbyter *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. cap. 15. Gallicè.

Licet *Maſius* quadrageſimum tantum ætatis annum attigiſſet quando diem obiit, à pleriſque eruditorum *Italorum*, *Germanorum*, *Hiſpanorum*, *Belgarum* aliarumque variarum Gentium conſulebatur tanquam Oraculum quoddam. Tanta enim eruditione, tanto judicio pollebat, ut quantumvis difficilia & obſcura eſſent, quæ ipſi proponebantur, ea explanaret terſiſſimè ac ſolidiſſimè. Durante morbo quo ſublatus fuit Commentarium ſuum in *Joſuam* impreſſum videre peroptavit: ſed hoc gaudio perfundi nequivit: Opus enim illud in lucem non prodiit niſi anno uno poſt obitum ejus, anno nimirum 1574. *Ant. Teiſſier.* Elogiis Virorum Erudit. Gall.

Andreas Maſius vir perſpicacis ingenii, & doctrinæ ſingularis, quum *Moſis bar Cepha* librum de *Paradiſo Jacobitarum Liturgiam*, aliaque multa è *Syriaco Latinè* efferret, verborum religioni ſeſe adhærere ipſâ interpretationum ſuarum inſcriptione palàm teſtatus eſt. *Huet.* de Clar. Interpret.

* *Andreæ Maſii* Commentaria ſuper *Joſue* donec corrigantur, prohibentur in *Indice Tridentino* appendicis certorum Auctorum.

Extant ejus in *Joſuam* Illuſtrationes fol. & octavo *Antverp.* 1574. 1609. & inter *Criticos* per *Corn. Bee*, *Lond.* 1660.

JOANNES JUELLUS.

EPiſcopus *Sariſburienſis*, in Comitatu *Devoniæ* natus eſt Anno *Dom.* 1522. 24. *Maii.* Obiit 23. Septemb. Anno *Chr.* 1571. Ætatis 49. *Sariſburienſi* Diœceſi per annos XI. menſes IX. ſummâ fide & integritate præfuit. *Scripſit* Apologiam *Eccleſiæ Anglicanæ*, & adverſus *Thomam Harringum*. Clar. A. D. MDLIX.

Jewellus Anglicè ſonat *Gemmam*, vel potiùs monile gemmis conſertum. Et certè qui in illo viro inſignes animi dotes, quibus tanquam immenſi pretii gemmis ornatus eſt, ſpectaverit; fateatur neceſſe eſt, rarò cuiquam nominis ſignificata aptiùs conveniſſe. *Godwin.* de Præſulib. *Angl.*

In hoc Autore *nomen omen* fuit. *Thom. Fuller.*

Juellus vir ſingulari eruditione, ingenio acutiſſimo, judicio graviſſimo, Pietate, Humanitate egregiè præditus, Theologiæ cumprimis cognitione inſtructiſſi-

Digitized by Google

inſtructiſſimus, Gemma Gemmarum. *Apologia* ejus ab exteris piis ſummoperè in pretio habita eſt, & in varias linguas, *Germanicam, Hiſpanicam, Italicam, Gallicam* tranſfuſa. Si ſpectetur ordo, nihil diſtributius: ſi perſpicuitas, nihil lucidius: ſi ſtylus, nihil terſius: ſi verba, nihil ſplendidius: ſi res, nihil nervoſius. *Humfred.* in vit. *Juelli.*

Theologorum quos orbis *Chriſtianus* per aliquot annorum centenarios produxit Maximus. *Rich. Hooker.*

Apologia tua non tantùm mihi, cui omnia tua probantur, & mirificè placent, omnibus modis & numeris ſatisfecit, verùm etiam *Bullingero* ejuſque filiis & generis, nec non *Gualter* & *Wolphio*, tam ſapiens, mirabilis, & eloquens viſa eſt, ut ejus laudandæ nullum modum faciant, nec arbitrantur hoc tempore quicquam perfectius editum fuiſſe *Petr. Martyr.* in Epiſt. præfix. Apoc. *Juelli.*

Eruditionem verò incomparabilem loquuntur, & loquentur ſemper, nunquam intermoritura literarum monumenta ab eo edita, ac illa in primis *Eccleſiæ Anglicanæ Apologia*, orationis elegantiâ nervorum ſoliditate, ſententiarum mirabilis pondere, quâ Reformationem hîc inſtitutam ſugillantium ora conatus eſt obturare. *Godwin.*

Doctiſſima illa diſputatio *Juelli* contra Pontificium *Hardingum*, acerrimo judicio ſcripta, variâque & multiplici lectione referta *Adam.* in vit. *Witakeri.*

Vir doctiſſimus vocatur *Jevvellus Camdeno* in *Britanniâ.*

Vir ſingulari ingenio, exquiſitâ in Theologicis eruditione, & ſummâ pietate. *Anton.* à *Wood.* in Hiſt. Antiquit. *Oxon.* p. 235.

Idiomatis *Græci* callentiſſimus erat, nec hoſpes in *Italica* lingua: Quod autem ad Latialem ſermonem attinet, eo tam eleganter loquebatur, tamque politè, purè, fluidéque, ut lingua vernacula loqui cenſeretur. Et ſanè rectâ illuc tendentem viam ingreſſus eſt, ut in eadem excelleret; cùm jam à juventute *Horatii* (in quem amplum Commentarium elaboravit) *Tullii* & *Eraſmi* perfectam intelligentiam ſibi comparaverit; utpote quorum omnium diffuſa & exquiſita opera perlegerit, excerpſerit, & imitatus fuerit ſingulis vitæ ſuæ diebus, præſertim quamdiu *Oxonii* permanſit, quo tempore ſolebat etiam ex tempore declamare Latinè ſeorſim, ambulando per ſaltus & nemora. Cùm verò Domina *Bacon* Græcè ad ipſum Epiſtolas ſcribebat, eodem idiomate ipſi reſpondebat. Exercitatiſſimus erat in omnibus Poetis *Græcis*, Oratoribus & Hiſtoricis; præſertim verò in Eccleſiaſticis Hiſtoricis, ſupra cæteros autem *Gregorium Nazianzenum* amabat, eumque quavis occaſione data citabat. In exilio ſuo eruditionis magnum incrementum ceperat, quippe quo, præter ſuam cum *Petro Martyre* converſationem aliiſque Eruditis *Argentinenſibus* & *Tygurinis*, ſuumque conſortium cum Domino *Sands*, *Eboracenſi* poſtmodum Archiepiſcopo, qui ipſi contubernalis fuit toto ferè tempore amborum exilii; curioſitas ejus fecit ut ſuperatis Alpibus, in Italiam peregrinaretur, & *Patavii* aliquandiu ſtuduerit, ſuaque cum Domino *Scipione* viro præclaro inita familiaritate, in exiſtimatione ibidem fuiſſe videtur—Laborioſiſſimus fuit Concionator, qui Diœceſin ſuam continuò peragrabat, & concionabatur quolibet loco ad quem appulerat, ubi Plebis captui ſeſe

Digitized by Google

attemperare annitebatur, affectatos omnes ſermones & ſonoras phraſes averſa s, ut Sacris Dei Templis indignum quid, quamvis tamen ibi etiam verborum delectum ſollicitè haberet, & allaboraret Auditorum ſuorum affectus movere patheticis & zelum ſpirantibus applicationibus, tumidam omnem dictionem defugiens, & gravi ſedatoque potius quàm blando loquendi modo utens, nec unquam periculum faciens concionandi ex tempore. Vita Epiſcopi *Juelli* præfixa ejus Apologiæ Eccleſiæ *Anglicanæ*, impreſſâ *Londini* 8°. 1685. Anglicè.

Tales fuerunt præcipui Eventus currentis anni 1562. quantum ad ea quæ Eccleſiam & Rempublicam conjunctim ſpectant. Quod ad Eccleſiam ſeorſim attinet, nihil memorabilius videtur quàm evulgatio elegantis Tractatus, cui titulus *Apologia Eccleſiæ Anglicanæ*; primum *Latinè* conſcripti ab admodum Reverendo Epiſcopo Juello, nunc verò tranſlati in *Anglicam*, *Gallicam*, *Italicam*, *Teutonicam* linguam, & tandem etiam in *Græcam* quam mirificè approbarunt omnes pii & ſagaces homines, & quam ægrè tulerunt ſoli Angli fugitivi; cujuſque tamen refutationem nemo ipſorum molitus eſt præter unicum *Hardingum*, qui priùs animo valde perplexo aliquandiù verſavit quomodo ad Epiſcopi provocationem reſponſum remitteret. *Petrus Heylin*. Hiſt. Regia *Elizabethæ*. Anglicè.

* Hic Author in *Romano Indice* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur.

Extant Vita & Opera *Jewelli*, ex Angl. in Lat. per *Gul. Whitakerum Genevæ* 1585.

In Eccleſiâ *Sariſburienſi* in Chori Meditullio marmoreo Lapide ſepultus jacet, cum hac inſcriptione ſequente.

D.

Joanni Juello Anglo, *Devonienſi* ex Antiquâ *Juellorum* Familiâ *Budena* oriundo, Academiæ *Oxonienſis* laudatiſſimo Alumno: *Marianâ* tempeſtate per *Germaniam* exuli: Præſuli regnante *Elizabethâ* Reginâ, *Sariſburienſis* Diœceſeos (cui per annos XI. menſes IX. ſummâ fide & integritate præfuit) Religioſiſſimo, viro ſingulari eruditione, ingenio acutiſſimo, judicio graviſſimo, Pietate, humanitate egregiè prædito, Theologiæ cum primis cognitione inſtructiſſimo; Gemmæ Gemmarum: immaturo fato *Monkton-farleæ* prærepto, *Sariſburiæ* ſepulto: Cœlorum Civi; *Laurentius Humphredus*; hoc Monumentum, obſervantiæ & Benevolentiæ ergô conſecravit. Anno ſalutis humanæ *Chriſti* merito reſtitutæ M D LXXIII. IX. Kal. Octob. Vixit annos 49. menſes 4.

PSAL. CXII.

In memoriâ æternâ erit juſtus.

In mortem ejus *Joannes Wolleius* in Linguâ *Latinâ* S. R. E. Secretarius, hæc carmina compoſuit.

Hei mihi quàm celeri fugiunt mortalia curſu;
Quæque minus debet ſurripit atra dies.

Digitized by Google

Vivere tu longo fueras digniſſimus ævo:
Flende mihi nimium chare Juelle *jaces:*
Moribus, ingenio, doctrinâ, relligione,
Nulla ferent talem ſæcula longa virum.

FRANCISCUS BALDUINUS.

Clar. A. D. MDLX.

NAtus eſt *Attrebatibus*, urbe antiquâ & nobili, anno à partu Virginis 1520. Calend. Januar. *Antonius* Pater Procurator, Fiſci municipii illius, exiſtimatione magnâ in *Belgio* fuit. Admodum puer *Lovanii* in gymnaſio *Latinis Græciſque* literis informatus, peracri ingenio ad Juris Civilis ſtudia converſo, arcana hujus ſcientiæ complexus eſt uſque adeò ſtupendâ celeritate, ut admirationi eſſet iis qui in eâ arte ſummum laudis faſtigium tenebant—Vini cibique parciſſimus: honoris quàm opum magis appetens: nunquam otioſus: magnanimus & in adverſis patiens: memoriâ rerum & verborum infinitâ, trium maximarum ſcientiarum arcana, atque intima & ſummos apices complexus, Juris Civilis, Theologiæ & Hiſtoriæ. Dicere enim ſolebat, *Hiſtoriam cum Juriſprudentiâ conjungi oportet, hanc ſine illâ cæcam videri.* Libros ſcripſit plurimos, qui doctorum hominum judicio probantur, ſed ille maximè quem adverſus *Calvinum* laceſſitus edidit, propter *Caſſandri* libellum *de officio pii viri*, quem *Genevenſis Balduini* partum fuiſſe ſuſpicabantur. Ferunt *Calvinum* nullius linguam, ſtylum, eruditionem magis horruiſſe, quàm hujus *Attrebatis* familiaris quondam ſui. Schola *Pariſienſis* mortuo prolixè parentavit. *Auratus* poëta Epitaphium, *Papirius Maſſonus* grati animi auditor hoc elogium ſcripſit, ac tumulum poſuit cum hac Inſcriptione:

Cujaci,

Balduinus *hìc jacet, hoc tectum reputa, & vale, mortuis vobis Juriſprudentiam corripiet gravis ſopor.*

Papir. Maſſon. in Elog.

Franciſcus Balduinus togato patre fiſci patrono genitus, & iiſdem artibus ac inſuper eloquentiæ ſtudiis eruditus in Juriſconſultum ætate noſtrâ celeberrimum evaſit, eoque celebriorem, quòd obitis propè omnibus *Galliæ Germaniæque Gymnaſiis*, quam ex operum editione quæſiverat abſens eruditionis opinionem præſentia ſua non modò non minuebat, ſed magis etiam adaugebat. Homo etiam facundiſſimus ipſoque oris ac totius corporis habitu non injucundus ex Hiſtoriarum & Civilis diſciplinæ conjunctione ſingularem ſuis Prælectionibus gratiam & *Venerem* afferebat. Ac eum quidem ſæpè vidimus hoc ſplendido ſummæ doctrinæ apparatu *Lutetiæ* profitentem, cùm ad ejus auditorium permulti primæ notæ homines, Epiſcopi, Senatores, Equites libenter & maximâ frequentiâ confluerent. *Scævol. Samarthan.*

Franciſcus Balduinus, Juriſconſultus nobilis, non parum luminis & ornamenti huic

Digitized by Google

huic noſtræ ætati attulit, Jus per tot annos, tantâ cum laude profeſſus in omnibus fermè *Galliæ* celeberrimis Academiis, maximè verò in illâ percelebri *Andegavenſium*, in quâ ad eum tanquam ad ſacrum *Apollinis* Oraculum, vidi plures concurrere, ut juris difficiliores nodos ſolveret, dubia elucidaret, & ſecreta panderet, atque ſummâ facilitate reſeraret. Habuit is memoriam admodum felicem, fuitque in dicendo graviſſimus atque eloquentiſſimus. *Gul. Rovil.* in Promptuar. Icon. Illuſtr. Viror.

Vir ſanè magnus. *Lipſ.* 4. Miſcell. epiſt. 33.

Diligentiſſimus & eruditiſſimus vocatur *Forſtnero* ad lib. 6. prior. *Tacit.* p. 263.

Antiquitatum illuſtrator vigilantiſſimus. *Montan.* de tut. cap. 5.

Copioſiſſimus & ſubtiliſſimus omnium Scriptorum. *Idem ibid.* cap. 30. n. 75.

Novæ & Veteris Juriſprudentiæ Princeps. *Gentil.* lib. 2. cap. 4.

Omniſcius & omnifinius. *Idem* lib. 3. cap. 1.

Librum (*de* Conſtantini *Imperatoris Legibus Eccleſiaſticis ac Civilibus Commentarios*) ſine exemplo multâ eruditione & prudentiâ refertum dicit. *H. Conring.* de Antiquitat. Academ. ſupplem. 8o. ad pag. 166.

Franciſco Balduino, Juriſconſulto egregio, pacis Eccleſiaſticæ ſtudioſo magni facto à Principe *Arauſionenſi Wilhelmo*, aliiſque *Belgarum* Proceribus, qui & operâ ejus uſi ſunt, cur credi non debeat, nihil cauſæ eſt. An *Beza* fide dignior, qui id unicum ſibi videtur propoſuiſſe, ne quid *Calvini* dictorum factorumve non defenderet. *Hug. Grot.* in *Rivet*, Apolog. Diſcuſſione.

Hic cùm puram religionem diu profeſſus fuiſſet, tandem turpiter rursùs ad Papiſtas defecit, & quædam acerbè contra *Joannem Calvinum* & *Theodorum Bezam* ſcripſit. *Geſner.* in Biblioth.

Eum proteſtantes *deſertorem* & *Ecebolum* alterum vocabant.

Balduinus fuit Apoſtata, ſed immeritò *Calvinus* contra ipſum ſcripſit, cùm non eſſet Autor libri qui ipſi affingebatur, ſed *Caſſander*. Calv. vidit quidem ſe hallucinatum eſſe. Scaligerana 2.

* *Franciſci Balduini* Juriſconſulti *Conſtantinus* Magnus, ſive de *Conſtantini* Imperat. Legibus *Eccleſiaſticis*, atque *Civilibus*, Commentaria, *Romano Indice* prohibentur.

Varia ejus opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc Epitaphium *Stephanus Paſchaſius* ſcripſit:

Franciſcus *jacet ille* Balduinus,
Mirum quàm varius, ſub hoc ſepulchro:
Nam quicquid tibi proferebat ætas;
Quicquid pagina ſacra, vel prophana,
Pulchrè calluit: unus inter omneis
Conſultiſſimus utriuſque Juris,
Anceps ut patria haſitaret, illum
Baldum *diceret anne* Balduinum.

Digitized by Google

THEODORUS BEZA.

Clar. A. D. MDLX.

NAtus eſt 24. die Junii, anno Dom. 1519. *Vezeliis*, vetuſto *Heduorum* oppido, *Petro* à *Beza*, illius oppidi Præfecto. Obiit anno Dom. 1605. 13. octob. ætat. 87.

Vir ingenio ſummo, judicio accurato, memoriâ tenaciſſimâ, facundiâ ſingulari, affabilitate & comitate nulli ſecundus: adeò ut, propter commemoratas dotes adjunctâ illis vitæ longævitate (quæ tamen omnia erant inferio a ſummâ doctrinâ & pietate) quidam vocarent *Bezam*, ætatis ſuæ *Phœnicem*. Qui illum dente pluſquam *Theonino* petierunt, fuerunt *Pontificii* dogmatis Propugnatores ferè omnes: ſed palmam *συκοφαντίας*, cæteris prærípuerunt, *Stapletonus*, *Fevardentius, Balduinus, Sancteſius, Genebrardus.* Hunc tamen tandem, felleum ſuum amarorem temperaſſe, intelleximus. *Melch. Adam.*

Theodorus Beza, ingenio hilaro ac eleganti, & longâ vitâ ſatis notus: quam ſexaginta totos annos in ſtudiis & lucubrationibus exegit; eâque tantùm provectus, ut, antequam moreretur, veris vitæ quæ eam deſiderabilem efficiunt ſubſidiis præ ſenio deſtitueretur. Siquidem præſentium memoriam debilitatâ quippe mente, evanidam amiſerat, præteritorum dum ingenio valebat impreſſam ſervaverat. Itaque & totos *Pſalmos Hebraicè*, & quodcunque caput ex B. *Pauli Epiſtolis* propoſuiſſes, integrum *Græcè* recitabat: nec in iis, quæ olim didicerat, judicio carebat, ſed quæ dixerat ſtatim obliviſcebatur. *Thuan.* ad ann. 1605.

Venerandus Senex, *Theodorus Beza* cùm per longinquitatem ætatis factus ſit obliviosus adeò, ut poſt frequentes de novo Rege *Angliæ* ſermones ſubinde me rogaret de Reginâ, an verum eſſet, quod fama jactaret illam fatis conceſſiſſe: idem tamen in literis viſus nobis is eſſe quem ante annos viginti noveramus: Loquitur *Latinè*, interdum & *Græcè*, ut anteà audivimus de Hiſtoriâ veteri differentem è re natâ luculentiſſimè: ut videretur recens eſſe à lectione *Plutarchi*, & id genus auctorum. *Caſaubon.* in Epiſt. 297. ad *Joſeph. Scaligerum.*

Beza, vir non Græcâ tantùm, ſed & omnigenâ literaturâ imbutus, quam etiam ſingulari acumine & *Judicio* ad interpretationem plurimorum Scripturæ locorum feliciter adhibuit. *Matth. Polus* præfat. Tom. 4. Synopſ. Critic.

Ex omnibus ejus Scriptis *Annotationes* majores in Novum Teſtamentum maximè commendantur. *Konig.* in Biblioth.

Beza eruditionem, & candorem, & utiliſſimos in *Novum Teſtamentum* labores omnes boni & docti cum voluptate & fructu ſemper agnoſcent. *Frid. Spanhem.* part. 1. *Dubiorum Evangel.* p. 187.

Inter cætera *Bezæ* opera in pretio cum primis habentur ejus Notæ in *Novum Teſtamentum*, in quas hæc edit Latina carmina Scaliger.

—Fœtus ſupra caput extulit omnes
Ille tuorum operum ſumma, caputque liber,
Quo penetrale Novi reſeratur Fœderis, & quo
Diſcuſſa lucem nocte videre datur.

Anton. Teiſſier. Elog.

Author

Author libri cujuſdam qui inſcribitur *Janſenius Suſpectus*, qui ut probabile ſaltem eſt, Eruditus aliquis *Jeſuita* eſt, aſſeverat totam ſcientiam omnium Janſeniſtarum ſimul collectorum *Calvini* & *Bezæ* eruditioni non eſſe comparabilem. *Ant. Teiſſier.* ibidem. Gallicè.

Beza vir admodum celebris, & non ſolùm genere, ſed & doctrinâ inprimis nobilis; deque literis tam ſacris, quàm Philoſophicis (ſi quis alius hoc ævo) præclarè meritus. *Tycho Brahe* de novâ Stella l. 1. part. 2. c. 3.

Beza aliquid fecerat in *Tertullianum*, ſed benè fecit quòd id non edidit. Difficile eſt aliquid in illum *Autorem* edere ſine MSS. & tamen quivis melius faceret quàm *Junius*. *Beza* nimis reprehendit *Eraſmum* in minutulis, & interdum injuſtè. *Beza* credidit verſioni *Junii* Actorum ex *Arabico*, & interdum cauſa fuit cur erraret. *Rafelengius* Pater ſcripſerat ad *Bezam* errores propter illud *Arabicum*: non curavit *Beza*. In Hebraicis doctus non erat. *Beza* fuit valde præſtanti formâ, ut judicaretur aliquis Princeps. In ea fuit Hæreſi, ut probarit novam pronunciationem *Græcam*. Dominus *Beza* multæ lectionis vir non fuit, quòd multis negotiis ſemper implicatus fuerit, multaque ſcripſerit. Inſigniter felici memoriâ polluit. Ad me ſcripſit Dominus *Caſaubonus* illum recitaſſe uno ſpiritu & continenter quatuor aut quinque capita *Græca*. Non paucis ſcatent. *Galliciſmis* ejus carmina. *Scaligerana* poſterior. Gallicè.

Theodorus Beza varia edidit *Poëmata*, digna pleraque, quæ iterum, iterumque legantur. Laudantur præ cæteris, quæ commendatus eſt in Natalitia *Chriſti*, in *Pſalmos*, in *Strabonem*, in *Platonem*, item *Epitaphia* ejuſdem. Planè demorſos ungues ſapit *Devotio* ejus *Deciorum*, Mors *Ciceronis*, & pleraque ejus *Epigrammata*. Extat ejus *Tragœdia* de *Sacrificio Abrahæ*, linguâ *Gallicâ*. Quæ *Ranutius Gherus* in *Delit. Poët. Gall. Adeodato Sebæ* carmina adſcribit, omnia *Theodori Bezæ* ſunt. *Borrich.* de Poët. p. 112. 113.

Indicatum quoque à *Joſepho Scaligero* eſt, ac ſæpe jactatum inter amicos, *Galliciſmum* ineſſe in verſibus *Theodori Bezæ* perquam frequentem. Vidi ipſe primam editionem eorum verſuum, in quâ multa is contra rationem & modum *Syllabarum*, multa contra leges Sermonis alias fecerit. *Franc. Vavaſſor.* de Epigrammate, c. 22.

Quæ porrò minùs nobis in *Theodoro Bezâ* placita eſt nimia *Latinitatis* cura, quum Sacræ Scripturæ libros converteret; ea in reliquis ejuſdem Interpretationibus, cum decenti temperatione conjuncta ſe facilè probat. *Huet.* de Clar. Interpret.

Circiter eodem tempore vixit *Theodorus* de *Beza* egregius Poeta *Latinus* & *Gallicus*. Carmine *Gallico* compoſuit *Abrahami* Sacrificium, tam graphicè depictum, ut id legendo lachrymæ olim ex oculis mihi eruperint: Ejuſque Paraphraſis Gallicâ poeſi reſiduorum Pſalmorum Davidis ſatis arguit quid hac in parte valeret, quamvis ea non adeò feliciter ipſi ſucceſſerit ac antea *Maroto* qui eorum quinquaginta verterat. *Stephanus*, *Paquier.* Perquiſitionum lib. 6. cap. 7. Gallicè.

Vignerius aſſeverat *Bezam* in Eloquentia *Gallica* & *Latina* nec pares nec qui illi ſecundi ſint, habere. *Vignierius* in Biblioth. part. 4. pag. 146. Gall.

Theodorus

Digitized by Google

* *Theodorus Beza* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur *Romano Ind. ſec.*

Extant in Novum Teſtamentum Annotationes 2. Part. *Genev.* 1598. fol. *Cantabrig.* 1642. *Gr. Lat.*

Carmina ejus leguntur Tom. 3. *Delit. Gall.* pag. 578. nomine *Adeodati Seba, Veſalienſis*, ſub quo latere voluit.

Hoc ejus Epitaphium : *Nicolao Rapino* Auctore.

Beza ſatis vixit, ſi famam, & tempora ſpectes,
Cætera ſi vitæ munia, acerbus obit.
Hunc dilexere Aonides juvenilibus annis,
Illum non etiam deſtituere ſenem.
Nunc famæ ſatur, & vitæ, tam cognitus orbi
Quàm ſibi, ſupremum gaudet obire diem.
Quod ſi immortalem cuiquam fore fata dediſſent,
Debuerat nullo tempore Beza *mori.*
At ſi quid ſeclis dignum eſt durare futuris,
Æternum in Bezæ *nomine numen erit.*

JOANNES GOROPIUS BECANUS.

Clar. A. D. MDLX.

HIlvaren-Becæ apud *Brabantos* anno 1518. in vigiliâ S. *Joannis* natus. Deceſſit *Trajecti* ad *Moſam* anno 1572. 4. Kal. Julii.

Scripta ejus ſunt : *Origines Antverpianæ*, quas ludens *Beceſellana* appellavit, futurum videns (inquit *Adamus*) quod evenit ; ut opus à multis tanquam ridiculum contemneretur. Poſt obitum ejus curante *Lavino Torrentio Antverpiæ* à *Plantino* nitidiſſimè excuſa ſunt hæc : *Hermathena* : *Hieroglyphica* : *Vertumnus* : *Gallica* : *Francica* : *Hiſpanica*.

Hic paradoxum illud defendere conatus eſt, linguam *Belgicam*, quam *Cimbricam* vocat, omnium linguarum eſſe antiquiſſimam, & ante diluvium primis parentibus uſitatam. Hinc apud doctos paſſim vapulat.

Quàm enim periculoſa ſit ea via, hodiernorum ingeniorum luxuries quotidiana, & inprimis *Becceſelenicæ Origines Goropianæ* me docent : quæ nihil aliud ſunt, quàm *hirundinum muſea*. Ut ille vir nihil aliud oſtendere illis ſuis Scriptis videatur velle, quàm ſibi otium ſuperfuiſſe quo ad levia ingenia oblectanda abuteretur. *Joſ. Scalig.* l. 2. Epiſt. Epiſt. 146.

Utinam verò, quod Critici deſiderant, gravius, tantoque ingenio dignius argumentum tractandum ſumpſiſſet : Omne ſanè punctum tuliſſet utile dulci admiſcens, nec æqualium cuiquam conceſſiſſet. Sed neſcio quo vitio hanc in partem ut plurimum ab eruditis peccetur : Dum vel humile nimis argumentum deligunt ; ut qui *quartanam*, *calvitium*, & ejuſmodi laudarunt ; aut majus, quàm humeri ferre poſſint *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Crebri nobis ſermones, atque etiam joci, de linguâ noſtrâ & *Becano* : Qui, ut ſcis,

ſcis, non antiquam & elegantem ſolùm, ſed primigeniam facit, & cæteras ex eâ velut matrice educit. Noſtri atque exteri erecti --- ſtupuere omnes tentamina tanta conatuſque novos. Multi & riſere. Quid ego? Virum amavi, & ingenium acre, facile, fœlix etiam miratus ſum: Felix, ſi in aliam rem & materiem vertiſſet. Nam iſta quem fructum, imò quam fidem habent? *Lipſ.* Epiſt. Cent. 3. ad *Belgas*, Epiſt. 44.

Pariationes, aut Originationes, quas *Becanus* adfert, quis ſæpe ſine indignatiunculâ aut riſu legat? Vix hoc *Heracletus*, ſi vivat, aut *Lucillianus* ille *Craſſus*. *Lipſ.* ibid.

Vir in Sermonibus, & ſubitis Diſſertationibus ad miraculum promptus & facundus. *Lipſ.* Poliocretic. l. 4. Dialog. 6.

Divino planè vir ingenio, qualem vix ſingulæ ætates ferant, ſeu Philoſophiam, ſeu Philologiam [in utraque enim ad miraculum uſque excelluit] tractaret, ut ſeculi ſui *Varro* nominari meritò potuerit. *Aub. Miraus.*

Uti *Ovidius* ait, non omnia fingere *Cretenſes*: Ita *Becanum* dixero, non ſemper nugari; virum judicii quidem mediocris duntaxat, ſed magni ingenii, nec minoris doctrinæ. *Voſſ.* de Origin. l. 1. c. 18.

Ut enim ſileam illum inaniter ſubtilem & operosè ineptum *Io. Goropium Becanum*, qui totum, qua latè patet, terrarum orbem, imò *Deum* ipſum *Teutonicè* loqui cogit. *Steph. Skinner.* in præfat. ad *Etymologic.* Ling. *Anglic.*

Goropius Becanus homo argutior, & in inveniendo, ac novas vias tentando, diligentioris Operæ & indaginis, quàm in judicando & eligendo felicis. Mirabilis eſt *Goropius* iſte in *Nominum* notionibus inveniendis, concinnandis, componendis, & velint nolint, ad rem ſuam alliciendis. Sanè illæ nominum conjecturæ vix unquam ſolidæ. *Pined.* de *Reb. Salomon.* l. 4. c. 7. & 8.

Ioannes Goropius, Hilvaren-Beca apud *Brabantos*, an. 1518. in Vigiliâ S. *Ioannis* natus, divinarum atque humanarum rerum, bonarumque Artium ac Linguarum *Latinæ Græcæ*, atque *Hebraicæ* peritiſſimus fuit. Nam in Philoſophicis *Lovanii* ſtudiis ipſe unus eminuit: Exactiſſimamque deinde Medicinæ ac Matheſeos ſcientiam, præeunte *Gemmâ Friſio*, aſſecutus, *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Galliam* peragravit. *Eleonoræ Gallis*, ac *Mariæ Pannoniæ*, Reginis à Valetudine fuit; patriamque reverſus, annos multos *Antverpiæ* Medicinam factitavit. *Leodici* cum eſſet apud *Groesbequium* S. R. E. Card. & *Eburonum* Principem ingeſtâ forte fortuna de Linguarum vetuſtate diſputatione, patriæ linguæ (quæ illi *Cimbrica*) antiquitatem propugnandam ſuſcepit, ſubtiliter certè atque ingenioſè; novoque docendi genere demonſtrare conatus eſt vetuſtiſſimam illam *Philoſophiam* (quam olim *Linus*, *Orpheus* ac *Thamyras* in *Thraciâ* docuere) ab ipſo *Noacho*, ejuſque filiis, *Iapeto* præſertim profectam eſſe ac gentibus traditam, eamque cum *Moyſe*, ac ſacroſanctâ ejus Hiſtoriâ optimè convenire, quemadmodum eam in rem ad poſthuma *Goropii* opera pluribus præfatur *Levinus Torrentius*. *Val. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Extant *Origines Antvverpianæ*, quas *Becceſelana* inſcripſit, *Antverp.* typis *Plantini* 1569. fol.

MATTHIAS FLACCIUS ILLYRICUS.

Clar. A. D. MDLX.

ALbonâ *Illyria* oriundus, claro genere, vulgò *Francovvitz* dictus: Natus eſt Anno 1520. die tertio Martii. obiit 1575. die undecimo Martii. Docuit *Witteberga, Magdeburgi, Iena, Antverpia. Lutheri* doctrinam amplexus eſt.

Scripta ejus plurima, præcipua verò hæc ſunt: Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Commentarii, Centuriarum *Magdeburgenſium* nomine celebres. Cui Operi ſe *Baronius* oppoſuit---Clavis Sacræ Scripturæ---Catalogus Teſtium Veritatis--Martyrologium---Libellus contra *Interimiſtas*, & alios *Chriſti* Perſecutores---Libellus de veris & falſis *Adiaphoris*.

Theologus ſuperioris ſeculi *Origenes*, qui non mediocres turbas in Republicâ Chriſtianâ dedit abſurdiſſimo ſuo effatu; *peccatum originis eſſe ipſam hominis ſubſtantiam*. Quod dogma cum præcipuis fidei noſtræ Articulis; de Creatione, Filii Dei Incarnatione, Redemptione, Sanctificatione, & Reſurrectione pugnat. Nec tamen propterea adſentiri poſſum *Gulielmo Budeo*, qui *Centur.* XVI. *θανατολογίας* ad annum 1575. ait; *Flaccium* nequidquam recti feciſſe, niſi cùm moreretur. Tempore enim *Interimiſtico* Eccleſiæ *Chriſti* bonam & fidelem operam contra *Papatum* pugnando navavit. Ipſi etiam, utpote in Scriptis veteribus Eccleſiaſticis & ad Hiſtoriam facientibus verſatiſſimo, inſigne illud opus, & quale priſtina ætas nunquam viderat, *Centuriarum Magdeburgicarum* maximam partem debemus. Liber etiam, quem *Clavem Scripturæ*, inſcripſit, non caret ſuâ utilitate. *Quenſted.* De Vir. Illuſtr.

Fuit ingenium in hoc viro capax perinde & inquies. *Melanchthonem*, pacis ſtudioſum, totâ vitâ exagitavit. *Melch. Adam* in vitâ ejus.

Homo vehemens, & quocunque loco pedem figeret acerrimus turbarum incentor. *Thuan.* Hiſt. lib. 38.

Summus inter Proteſtantes *Pontificiæ* auctoritatis oppugnator, & ob eandem vehementiam *Philippo Melanchthoni* præceptori olim ſuo non ſatis æquus. *Thuan.* ibid. l. 61.

Matthias Flaccius Illyricus, hæreſi infamis, alioqui non malè de Eccleſiâ meritus, edito *Catalogo Teſtium Veritatis*, & adornatis ſuâ ipſius, *Ioannis Wigandi*, & *Matthæi* Judicis operâ *Centuriis Eccleſiaſticis Magdeburgenſibus. Pezel.* in Mellific. Hiſtoric.

Flaccius Illyricus Centuriarum Magdeburgenſium ἐργοδιώκτης fuit, quod opus non tam ex nævis, qui à nonnullis jam ſunt obſervati, quàm inexpugnabili æſtimari debet labore, & inaudito antea conatu. *Hottinger.* Biblioth. Quadrip. lib. 3. cap. 3.

Scio unum de primariis illius incepti Operis & abſoluti autoribus, virum certè induſtriæ prodigioſæ, librorum quendam immanem helluonem, & Bibliothecarum omnium περιφοιτητὴν, furioſum tamen Theologum *Flaccium Illyricum*, novarum quarundam & monſtroſarum Opinionum extitiſſe adinventorem. *Rich. Montacut.* Præf. ad Eccleſiaſt. Exercitat.

Impia

Digitized by Google

Impia dogmata, impiamque vitam *Rom. Antichriſti* deſcribens, multis editis libris celebris factus eſt. Multa recondita ex Bibliothecis eruit, aliorumque Autorum ſcripta in lucem protulit, quæ nobis regni *Tenebrarum* Regis artes, mores, ſtudia, tyrannidem atque ſcelera non ſine ſtupore proponunt. Quæ latuiſſent fortè malè, ſuiſque tenebris ſepulta fuiſſent, niſi abditos Bibliohecarum receſſus atque ſinus penetraſſet *Illyricus*. *Iac. Verheid.* in Elog. Theolog.

Flaccius iſte, quamvis ab aliâ quadam eruditionis parte deſtitueretur, in Scriptis tamen veteribus Eccleſiaſticis & ad Hiſtoriam facientibus fuit verſatiſſimus. *G. Calixt. in Apparat. Theolog.* pag. 184.

Multas excitavit turbas in Eccleſiis Proteſtantibus erroneis quibus implicatus erat opinionibus; cumprimis autem ſententia ſua quòd *peccatum originale* ſit propria hominis ſubſtantia: tamque acerbè tantaque animi impotentia ſcripſit adverſus *Melanchtonem*. Præceptorem ſuum, ut vir ille magnus, quantumvis lenis & moderatus ingenio, non potuerit ſibe temperare quin ipſum *Echidnam Illyricam* appellaret. Magnam ſcriptis ſuis famam ſibi paravit, eoque præſertim quod *Clavis Scripturæ* inſcribitur; nam ille liber *Proteſtantibus* & Catholicis æquè utilis eſt, ut affirmat Rich. *Simon.* Hiſt. Crit. V. T. *Ant. Teiſſier* Elog. Virorum Eruditorum. Gallicè.

Si Author ille *Lutheraniſmi* præjudicatis opinionibus adeo imbutus non fuiſſet, quæ ipſum quadantenus adegerunt ad falſas earum applicationes faciendas, multo clariorem famam ſibi conciliâſſet. Orat. Presbyter *Ric. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. c. 15. Gall.

Denegarunt ei cœnam Miniſtri propter doctrinam *De peccato originali*: Ita ſine viatico, quia aberrârat è viâ, abiit ex hac vitâ: Utinam pius & bonus. *Hieron. Zanch.* Epiſt. l. 2. in Epiſt. ad *Lavaterum*.

In hunc Auctorem hoc diſtichon compoſuit *Iacobus Boiſſardus*:

Quòd ſcelus & totus ſis culpa, diſerte Mathia;
Incuſare alios deſine, culpa tua eſt.

*Hic Author inter *Hereticos* primæ Claſſis rejicitur in *Romano Indice*.
Variaejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

DIONYSIUS LAMBINUS.

GAllus, *Monſtrolii* natus, anno 1572. vivere deſiit, annoque ætatis 56. *Pariſiis* Clar. An. D.
literas humaniores, *Græcam*que & *Latinam* linguam interpretatus eſt. MDLX.
Scripta ejus hæc ſunt: Commentarii in *Horatium*, *Cornelium Nepotem*, *Plautum*, *Lucretium* & *Ciceronem*---Oratio de utilitate linguæ *Græcæ*, & recta *Græcorum Latinè* interpretandorum ratione---Oratio de Philoſophiæ Moralis laudibus---Oratio habita pridiè quàm libros tres *Ariſtotelis* De *Republicâ* explicaret---Oratio de Philoſophiâ cum Arte dicendi conjungendâ---Oratio de

rationis principatu, & rectâ inſtitutione—Annotationes in *Alcinorum* de Doctrinâ *Platonis*——Vita *Ciceronis* ex ejus operibus collecta----Epiſtolæ Præfatoriæ----Epiſtolæ familiares----*Ariſtotelis* politica, & libri de Moribus *Lambino* interprete----Adverſariæ *Demoſthen.* & *Æſchinis* Orationes in Ling. *Latinam* tranſlatæ.

Dionyſius Lambinus Monſtrolii ad Oceanum quanquam Cœlo craſſo & turbido, Muſis tamen ſerenis & faventibus natus, ab earum dulci commercio quæſitas multiplicis eruditionis opes tunc potiſſimùm diſcendi cupidæ juventuti explicuit, cùm ex *Italiâ* reverſus, ubi plures annos in *Franciſci Turnonii* Cardinalis comitatu vixerat, optimos quoſque *Græca Latinaque* linguæ auctores *Lutetiæ* in Scholâ Regiâ, ſive prælegendo, ſive commentando explanaret. Unde manarunt illi uberes in *Lucretium, Horatium, Plautum* Commentarii, qui vice *variarum lectionum* eſſe poſſint. Nam de *Ciceronis* operibus, quæ ſummâ diligentiâ nec minori fiduciâ recenſuit, alii judicabunt. Certè quàm ſtudiosè multumque fuerit in ejus auctoris lectione verſatus documento ſunt adverſariæ *Demoſthenis* & *Æſchinis* Orationes *Ariſtotelis* poëtica, librique de moribus, & quæcunque præterea de *Græcis Latinè* puriſſimè fecit. Ob eamque cauſam & à doctiſſimis viris, quibus *Italia* tunc affluebat, magno ſemper in honore habitus eſt, & omnibus Muſarum alumnis immaturo fato moriens acerbiſſimum ſui deſiderium reliquit. Periit enim ex temporum tædio ſex tantùm & quinquaginta natos annos paulò poſt indignam *Rami* Collegæ necem, relicto ex *Urſina* uxore nobili matronâ filio, doctrinæ quoque laude prædito, qui procuratâ poſthumorum aliquot patris operum editione non abſurdè ſanctis ejus Manibus hoc eruditæ pietatis officio parentavit. *Scævol Samarthan.* in Elog.

Dionyſius Lambinus, vir maximus, & ſupra omnes *Sciolorum* moroſus, Græcæ Latinæque literaturæ ſcientiſſimus. *Parens.*

Vir totius orbis terrarum conſenſu, in utrâque linguâ valdè exercitatus. *Carrio* lib. 1. cap. 17. Lect. Antiq.

Vir Græcè ac Latinè accuratè doctus. *Heinſius Pref. Horat.*

Græcè Latinéque doctiſſimus, multiſciæ Lectionis. *Dempſter.*

Vir doctrinæ multiplicis, ſed in variis lectionibus enarrandis aliquando vanus & futilis, & ad faſtidium uſque ſuperſtitioſus. *Durant.* lib. 2. cap. 15.

Dion. Lambinus, Monſtrolii ad Oceanum in Picardiâ, Galliæ Provinciâ, natus, novâ *Ariſtotelici operis Politici* verſione clariſſimus. Tanti enim hæc eſt, ut jamdudum communi Doctorum Senatûs ſuffragiô omnium aliorum laboribus prælata fuerit. Hinc forſan & factum fuit, ut eam editioni ſuæ Caſaubonus, gravis oppidò verſionum & Interpretum cenſor, inſeruit. Verbô: Sit ſtudioſo Politices verſio *Lambini* præ aliis omnibus commendatiſſima. *G. Th. Mejer. in Præfat. ad Polit. Ariſt.* n. 47.

D. *Lambinus* ſingularis ingenii & judicii vir, & cujus acumen & *ἐυςοχίαν* in Conjecturis mirari ſæpè ſoleo. *Lipſ.* l. 2. Var. Lectio. c. 19.

Vir omnibus literis egregiè doctus, & *Græcè* & *Latinè* inprimis eruditus, & nunc linguæ *Græcæ* Profeſſione *Pariſienſe* Gymnaſium ornans. *Turneb.* in Adverſar. p. 351.

Digitized by Google

Dionyſius Lambinus magni ingenii vir, magnæque doctrinæ. *Petr. Victor.* l. 38. Var. Lect. c. 15.

Multis editis libris de Re literariâ benè meritus. *Thuan.*

D. Lambinum multa præclara ſcripta, ut *Cicero, Horatius, Lucretius, Nepos*, aliique caſtigati ab illo & uberrimis Commentariis illuſtrati, in famæ perennitatem adſeruerunt. *Gaſp. Sciopp.* de Art Crit. p. 9.

De quo tamen *Lambinus* ne gru quidem: ut in omnibus ferè ſolet paulò difficilioribus, cætera ſatis verboſus & ineptus. *Sciopp.* Comment. in *Priapeia*. p. 92.

Lambinus nuſquam, atque in eo *Comico (Plauto)* minore fuit uſus judicio. *Idem* de Art. Crit. p. 92.

Lambinus (fatendum eſt) non lucem, ſed umbram ſæpè facit noſtro *Umbro. Lipſ.* lib. de Amphitheatro, c. IX.

Lambinus erat vir bonus & doctus, qui *Latinè* & *Romanè* loquebatur, optiméque ſcribebat. *Scaligerana* 1.

Lambinus in *Horatium Pleſſæus* de *Miſſâ*. Tabulæ Sanctæ *Aldegonda*. Mercerus *in* Job. Teſtamentum *Beza. Calvini* Opera, præſtantiſſima. Lambinus pauciſſimos habebat libros. *Scaligerana* 2.

Magnam Scriptis ſuis famam ſibi peperit; Verum quidam judicarunt, nimis ſcrupuloſam & accuratam ejus ſollicitudinem referendi varias Lectiones, faſtidium creare *Commentariorum* ejus Lectoribus. Ille quem in *Horatium* elucubravit, apud omnes Literatos eſt in pretio: cumprimis autem apud illuſtrem *Ioſephum Scaligerum*. Res non ſic ſe habet quoad ejus in *Ciceronis* opera correctiones; nam culpatus eſt in eo quod Authoris illius *Textum* pro arbitrio mutare auſus ſit, nullis veteribus Manu-ſcriptis nixus; verbaque expungere in editionibus quæ omnium manibus teruntur; ut iis nova ſubſtitueret, *Andreas Schottus* aſſeverat quoties *Lambinus* poſt correctum aliquem *Ciceronis* locum hæc verba ſubjungit, *invitis & repugnantibus libris omnibus*, certum eſſe illum falli. *Ant. Teiſſier*. Elog. Viror. Eruditorum, Gallicè.

Quis autem non obſtupeſcet quòd *Dionyſius Lambinus Moſtrolio* prope Mare Oceanum in Climate reverà craſſo cœlique turbidi, ortus, à Natura ingenio tam acuto & excellenti prodigaliter donatus fuerit? Arca eruditionis locupletiſſima fuit; in omnifariis politioribus Literis *Græcis* & *Latinis* doctiſſimus evaſit; Omneſque propemodum alios ſuperavit, qui in ejuſmodi diſciplinis ejus ætate in ſummo gradu excellere cenſebantur: *Ghilini*. Theatro &c. Italicè.

Copioſior paulò *Turnebo Dionyſius Lambinus*, dum quadrandæ Orationi & elaboratæ concinnitati ſtudet, hanc *Interpretationis* ſalubritatem haudquaquàm obtinuit. *Huet*. de Clar. Interpret.

Hæc ego quondam *Lambino*: qui ea ſuo more edidit, longè aliter, quam dicta fuerant, ſuppreſſo Auctoris nomine. *Simeo Boſius* Not. in l. 1. *Cic.* ad *Attic.* Epiſt. 3. p. 8.

De *Lambino* nihil video cauſæ, cur ejus obtrectatio deterrere te, aut abducere à ſtudio debeat. Ille in te fuit, qui in alios ſolet. Et ita mihi omnia, quæ cupio, eveniant, ut ego valdè mirabar, ſi tibi eum impunè laudare licuiſſet. Ita enim

homo eſt: eis ſolis plurimùm invidet, quibus plurimùm debet. Quô modô me acceperit, noſti: quantum autem mihi debeat, & ipſe & alii plurimi norunt. *Muret.* l. 2. Epiſt. 5. ad *Giphanium.*

Deprehendimus nos, eum (*Lambinum*) noſtras emendationes in eum ſcriptorem (*Corn. Nepotem*) quas de veteri codice, quem habemus, deſumptas, in *Lucretiana* collectanea conjeceram, ſibi ſumpſiſſe omnes. *Giphan.* in Epiſt. ad *Muretum.*

Poſſum, mi *Giphani*, oſtendere tibi ſi hic ſis, literas ipſius (*Lambini*) manuſcriptas, quibus mihi gratias agit de locis quibuſdam ſibi explicatis, quos ipſe poſteà queſtus eſt à me ſibi ſubreptos eſſe. *Muret.* l. 2. Epiſt. 7.

Carmina ejus habentur Tom. 2. *Delit. Gall.* 385.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

PAULUS MANUTIUS.

Clar. A. D. MDLX.

TYpographus, *Aldi* filius, Calendis Quintilis, anno 1512. *Venetiis* natus eſt. Obiit die ſexto Aprilis, anno 1574. ætatis 62.

Scripſit Annotationes in *Ciceronem*---- Judicium de Poëtis legendis---Notas in *Horatium*----Epiſtolarum libros 12.----De Antiquitatibus Romanis----Præfationes---- De Veterum dierum ratione----Kalendarium vetus *Romanum*, cum Commentario----Apophthegmata----Notationes in *Virgilium*----Orationes 4. *Demoſthenis* contra *Philippum*, Latinitate donatus---*Adagia* collegit. Hunc laborem à *Concilio Tridentino Manutio* mandatum, *Gregorius* XIII. ita comprobavit, ut omnes Adagiorum libros, unâ exceptâ Editione *Manutianâ*, prohibeat atque condemnet.

Paulus Manutius vir omnis elegantiæ, atque virtutis, & totius Antiquitatis ſtudioſiſſimus. *Georg. Fabric.* de *Româ*, c. 1.

De quo ſummo viro dico breviter, quod ille in hoc doctrinæ & elegantiæ genere neſciat, id alium ſcire neminem. *Idem* ibid.

Paulus Manutius homo & diligentiſſimus & doctiſſimus. *Turneb.* Adverſ. lib. 8. cap. 24.

Paulus Manutius, tranſacto ſeculo, meruit *Romani* puritate *Sermonis* inter ſelectiſſimos cooptari, quando lucem illam *Tulliana Facundia* noſtratibus propè inviſam, ac ſuperiorum obrutam ætatum caligine, ſolus ipſe conſpexiſſe, ac induſtrio calamo *Italis* diffudiſſe cenſeretur. *Joan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

At præclarè, ut ſolet, *Manutius*: de quo viro meritò dubitari poteſt, pluſne ipſe *Ciceroni*, an ipſi *Cicero* debeat. Nam & ipſe tractandis aſſiduè *Ciceronis* Scriptis eam aſſecutus eſt eloquentiæ laudem, quâ vincit omnes: & cùm ad ingenium, quô excellit, addidiſſet eam diligentiam, eamque laborum perpeſſionem ac tolerantiam, quâ vires ipſamque adeo valetudinem ſuam, magno noſtro omnium, quotquot eum, quia planè novimus, plurimi etiam facimus, dolore proſtravit; incredibile eſt, quot ab errorum millibus eos libros feliciſſimè vindicarit. *M. Ant. Muret.* l. 1. Var. Lect. c. 6.

Manutius.

Manutius magnam aſſecutus eſt in exprimendo ſtylo *Ciceroniano* felicitatem, cujus Epiſtolæ magnâ diligentiâ ac curâ conſcriptæ ſunt, atque, ut *Scioppius* nobis narrat, tanto labore, ut menſes aliquot uni Epiſtolæ interdum impenderit. Scilicet, quem antea laudaverat, quod nemo, qui ſanus ſit, ad puritatis & elegantiæ Latinæ ſummam quicquam *Manutio* defuiſſe dixerit; mox tamen colaphum illi impingens, ex nimiâ illâ curâ factum eſſe judicat, ut *Manutii* Epiſtolis, quamvis elegantiſſimis, nequaquam ea ſit gratia, quæ hominem, niſi valdè otioſum, ad iteratam lectionem invitet. Puriſſimus ſanè autor eſt, ac penè unicus è recentioribus, quem ego *Ciceroni* jungi poſſe arbitror. Quod *Scioppius* dicit, tædium lectionis repetitæ inde oriri, ſi quid veri judicat, ex illo fortè eſt, quòd plerumque de negotiis familiaribus ſcribat. Sed nos hîc de rebus non ſolliciti, dictionis præſtantiam commendamus. Aliquot ejus Epiſtolarum Editiones ſunt, quas recenſet examinatque *Thomaſius* in Præfatione noviſſimæ Editionis *Lipſienſis*, cui, ſi verum fateri velimus, non multum diligentiæ acceſſit. Extant adhuc aliquæ ejus Epiſtolæ ineditæ apud viros doctos, atque unam ejus benè longam ſervat Clariſſimus *Gudius*, ipſius *Manutii* manu ſcriptam, quam ipſe Epiſtolarum *Manutii* Reginam vocare ſolet. *Muretus* ſe *Manutio* minorem fatetur, & *Mareſius Muretum* eô majorem facit. *Scaliger* certè in *Excerptis* illis *Primis* à *Tanaq. Fabro* editis neminem magis *Romanè* loqui ait. *Capacc.* lib. 2. *Elogiorum*, bonæ Latinitatis amatorem nominat, qui tamen à ſplendido & magnifico Orationis genere abeſſe viſus ſit, dum ab humili Epiſtolarum ſtylo non diſceſſit. *Gan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p.285.

Octavianus Ferrarius in libro de *Sermonibus Exotericis*, p. 42. Edit. Venet. magno *Manutium* elogio ornat. Vocat eum *Virum acerrimi & elegantiſſimi judicii, qui Romanæ laudem eloquentiæ nobis ita veſtiat hoc tempore, ut priſcos illius autores, quorum habentur in honore ſcripta, partim exæquet, partim vincat Orationis genere ipſo flexibili, nitido, & ſine ſatietate dulci.*

Doctiſſimus vir, omnique encomio major *Paulus Manutius. Hieron. Mag.* l. 1. Var. Lect. c. 10.

Romanæ omnis Antiquitatis literatè peritiſſimus vir *Paulus Manutius. Lal. Biſciol.* Tom. 1. Hor. Subciſiv. l. 13. c. 6.

Hic annus 1574. nobis eripuit duo magna *Italiæ* & *Germaniæ* lumina, *Paulum Manutium* & *Joachimum Camerarium. Thuan.*

Manutius Ciceronem ſuum tam fœliciter æmulatur, ut redivivum eum in illo credas. *Jacob. Cruc.* Epiſtol. l. 2. p. 142.

Egone ut ad cujuſquam judicium in *Ciceronis* ſcriptis appellem, quàm tuum? Vix mehercule ſi vivat *Cicero* ipſe. *Lipſ.* Epiſtolic. Quæſt. l. 4. Epiſt. XI.

Quid de noſtri temporis eloquentiâ facilè principe, *Paulo Manutio*, *Aldi* filio, loquar? quô ſi *Cicero* ipſe ab inferis excitaretur, neſcio an *Latinius*, puriùs atque elegantiùs, noſtrorum hominum ſenſus, noſtræque tempeſtatis negotia & actiones exprimeret. *Iul. Iacobin.* de priſcâ *Caſiorum* gente, cap. XI.

Paulus Manutius, homo ſtudiis in primis addictus; adeò quidem ut contractâ

macie

macie ac pallore, oculorumque dolore, lucubrando olei plus quàm vini [quod de *Athenienſium* Oratore olim jactatum] conſumpſiſſe videatur. In Epiſtolis ſcribendis, atque adeò *Latino* ſermone ſic regnat, ut ad veterum gloriam propiùs acceſſiſſe credatur nemo. *Aub. Mirans.*

Paulus Manutius, qui vir! quàm elegans ipſe in dicendo, quàm in exiſtimando prudens! *Ioan. Lucas* in Epiſt. præfix. *Perpiniani* Epiſtolis.

Paulus Manutius quicquid ſcripſit bonum fuit, magno labore ſcribebat Epiſtolas. *Manutius* non poterat tria verba *Latinè* dicere. *Scaligerana* 2.

Bunelli & *Manutii* Epiſtolæ, licet primâ ſpecie *Ciceroniana*, ut liberè loquar, mihi non uſquequaque placent. Nam illarum ſermo nimis laxus eſt & redundans: at *preſſus*, ut *Plinio* placet, *Epiſtolis* maximè convenit. Tum Epiſtolas plerumque ad *Familiares* dandas, magno conatu conſcribunt, nec ſecùs verbis adornant, ac ſi non eſſent Epiſtolæ, quæ accuratè quidem, at ſine moleſtiâ ſcribi debent, ſed *Orationes* de rebus graviſſimis compoſitæ. *Manutio* verò non poſſum quin ſuccenſeam, cùm in quadam ad *Saulium* Epiſtolâ lego prædicantem, *Se multum Bunello debere, quòd cum Politianis & Eraſmis neſcio quibus miſerè errantem, in rectè ſcribendi viam primus induxiſſet.* Nam cum ejuſmodi viris errare malim, quàm cum *Bunello* ſapere: quorum Epiſtolas non adeo fortaſſe verbis, at rebus certè *Ciceronianas* longè pluris facio, quàm *Bunellianas*, aut *Manutianas*, rerum plerumque inopes, verbis canoras. *Roland. Mareſ* Epiſt. l. 2. Epiſt. 4.

Certè *Manutius* antiquos Auctores non legit, nec evolvit diligenter: ſed, opinor, ſæpè ad *Indices* recurrit: in quibus ſi quid non invenit, ſtatim ait, non eſſe. *Franc. Robertell.* de Art. Critic.

A phraſibus, & à ſignificationibus novandis magno ſtudio ei, qui puræ dictionis *Latinæ* laudem affectat, cavendum eſt: quod quidem ſi *Paulus Manutius* feciſſet; ſcripta ejus cæterum cultiſſima ſordibus quibuſdam deturpata non haberemus, ut ſunt *Ingratitudo*, *Speculatio*, *Contrarietas*, *Damnum pati*, *Diſſuadere aliquem ab aliquâ re*, pro *dehortari*, *Adhibere fidem alicui*, pro *credere*. *Sciopp.* in *Groſip.* p. 22.

Quando componebat quatuor digitorum diſtantiam inter lineas relinquebat, ut hoc intervallum aliis vocibus repleret, ſi meliores ſibi occurrerent illis quas uſurpaverat, Ut autem Epiſtolæ illæ omnes cujus capax erat perfectionem obtinerent, ſub finem Autumni demum abſolvebat, quas, ineunte Vere, inceperat. *Anton. Teiſſier.* Elogiis &c. Gallicè.

Paulus Manutius---Libro quem nuper compilatis *Zaſii*, *Grachii* & *Balduini*, de eadem re Commentariis, edidit de Legibus *Romanis*, &c. *Franc. Robertell.* p. 25. part. 2. Facis Critic. p. 71. idem p. 88.

Extat de Legibus *Romanis* liber. *Venetiis* 1557. in fol.

Extat de Dierum apud *Romanos* veteres ratione Commentarius, unà cum *Roſini* Antiquitatibus in Editione *Moguntinâ* ann. 1662.

Extat de Senatu *Romano* Opus. *Venetiis* 1581. 4°.

Extat de Civitate *Romanâ* Liber. *Romæ* 1584. 4°.

Extat

Digitized by Google

Extat de Comitiis *Romanorum*. *Bononiæ* 1585. in Fol. Carmina ejus extant Tom. 2. *Delit. Ital.* p. 22.

Hoc ejus Epitaphium, *Hippolyto Capilupo* Auctore:

Qui te, Paule, *gemit*, *Linguam gemit ille* Latinam,
Quos ſimul extinctos hic brevis orbis habet,
Illa tuo ſtetit ingenio, *& præſtante labore,*
Suſtentata diu: teque cadente cadit:
Et voluit, tecum, quia multos vixerat annos,
Tecum etiam hoc tumulo poſt tua fata tegi.
Una fuit vobis ſors vitæ, & mortis, & urna:
Unus & ambobus plangor, & unus honor.

Phil. Labbe in Theſ. Epitaph.

PETRUS RAMUS.

Natione *Gallus*, patriâ *Veromanduus*, natus eſt anno *Dom.* 1515. interemtus hic vir fuit in *Lanienâ Pariſienſ.* An. *Dom.* 1572. inque *Sequanam* conjectus à diſcipulis *Carpentarii* barbaro more, in gratiam, ut creditur, Præceptoris, imò, ut aiunt, ejus hortatu, viri in *Platonicâ* quidem, & *Ariſtotelicâ* Philoſophiâ egregii; ſed qui perpetuam *Ariſtotelis* inſectationem ferre in *Ramo* minimè potuiſſet: unde illud pluſquam *Vatinianum* adverſus eum odium exarſit *Voſſ.* de Mathemat. p. 67. Clar. An. D. MDLX.

Reliquit 4. Libros de Religione *Chriſtianâ*: 27. libros Geometriæ: 20. libb. *Ariſtotelicarum* Animadverſionum: librum de Militiâ C. *Iul. Cæſaris*: alium de moribus vett. *Gallorum*, &c.

Ramus ad annum uſque decimum nonum, ne quidem primas notas didicerat, inſerviebatque Dom. de *la Broſſe*. *Lutetiam* deductus tantum famulus profecit maximo diſcendi deſiderio percitus, ut quamvis repugnante ingenio tardo, rudi & ſtupido; repugnante, quod majus eſt, inſtitutione ſerâ: labore & diligentiâ in id literarum decus pervenerit, quò perveniſſe vix credibile ſit, ut anno trigeſimo contra *Ariſtotelem* ſcripſerit meliori ſtylo quàm poſterioribus annis. Bonus Orator, qui facultatem dicendi ſibi comparaverat. Ἀμέθοδος planè, utpote qui aliud in diſciplinis tradendis iter novamque viam inquirere voluit. Flumen verborum, guttula mentis, Religionis purioris quam profitebatur ergo, mortuus eſt anno 1572 *in lanienâ Pariſienſi*. *Scaligerana* 1.

Petrus Ramus, vir omnium ſeculorum memoriâ dignus, qui neceſſariis hoc opus præſidiis aggreſſus, pulcherrimam in hac Arte methodum aperuit. Is enim intempeſtivis tricis abjectis, utilia tantùm documenta ſectatus, *Arithmetica* elementa eâ ſolertiâ digeſſit, ut quætotius partes, quæ in *ſingulis* generalia, quæ ſpecialia, antecedentia item, & conſequentia ſint, facilè cernere, imò totam artem *apodictico pinace* deſcriptam, exhibere liceat. *Chriſtian. Urſtiſ.* præfat. *Arithmet.* ſuæ.

Digitized by Google

Ut virtus egregia nunquam caret invidiâ, æmulos, & ſuæ diligentiæ calumniatores acerrimos expertus eſt [*Petr. Ramus*] *Petrum Galandium Antonium Goveanum*, *Ioachimum Perionium*, & *Iacobum Carpentarium*. Sed ante omnes infeſtiſſimos ſenſit *Sorbonæ Doctores* qui communi omnium ſententiâ in *Ramum* inſurgentes, illum hæreticus in *Philoſophiâ* accuſarunt, quòd in *Ariſtotelem* Philoſophorum principem auſus fuiſſet ſcribere. Effecerunt ſuâ autoritate ut *Ramo* ſit interdictum in poſterum docere vel ſcribere in ullam Philoſophiæ partem. *Boiſſard.* in Icon.

Petrus Ramus cùm diù bonas literas, Philoſophiam, & poſtremò Mathematicas Scientias in *Præleâ Scholâ*, cui præerat, & poſteà in *Regio* auditorio docuiſſet; poſtremò erroneam in *Philoſophicis* doctrinam invexit, *Ariſtotelem* voce & ſcriptis importunè oppugnans. Tamen ex eo commendatione dignus fuit, quòd ingenio, diligentiâ, aſſiduitate & opibus etiam ſuis [quantum in ipſo fuit] *rem literariam* juvit, ac promovit; inſtitutâ *Mathematices* Profeſſione, cui annuum vectigal D. librarum è facultatibus ſuis attribuit. *Thuan.* ad ann. 1572.

Etſi in nonnullis quæ ad noſtras literas pertinent valdè à te diſſentio, amo tamen eruditionem tuam, amo facundiam & multas egregias virtutes, quibus tuum hoc ingenium *Dominus* exornavit, nec optarim quicquam potius quàm & tibi gratificari, & huic ſcholæ ſimul prodeſſe. *Beza* in Epiſt. 36. ad *Petr. Ram.*

Ne verò [fili] cùm hanc contra *Ariſtotelem* ſententiam fero, me cum rebelle ejus quodam neoterico *Petro Ramo* conſpirâſſe augurere. Nullum mihi commercium cum hôc ignorantiæ latibulo, pernicioſiſſima *literarum* tineâ, *compendiorum* patre, qui cùm methodi ſuæ & compendii vinculis res torqueat & prematr, res quidem, ſi qua fuit, elabitur protinus & exilit; ipſe verò aridas & deſertiſſimas *nugas* ſtringit. *Franc. Bacon.* Impetus Philoſophic.

Patrum noſtrorum ævo fuit, qui ſe iterum *Ariſtotelem* ex Scholis ejicere, ſuaque exilia & frivola iis ſubſtituere poſſe exiſtimavit. Eſt is *Petrus Ramus*, vir doctus ac diſertus, ſed qui non debuerit tam petulanter ingenio ſuo abuti. Ut mirer viros eſſe non malos, qui ſic in deliciis habent ejus *Animadverſiones*, ſive *Scholas*: quas ille, ut *adverſariorum* aliqui acerbè ſatis ſcribunt, *Oratorum* & *Poetarum* floſculis exornavit, ut faciliùs & certiùs, inficeret juventutem: quo modo *Athenienſes* iis, quos capitis condemnârant, miſcebant cicutæ pauxillum vini, ut id ſua tenuitate cicutæ craſſitiem extenuaret. Ego autem, etſi in *Ramo* immodeſtiam illam probare non poſſum beniguiùs tamen cenſeo. Et cogitandum *Ariſtotelem* ipſum non multò melius eos excepiſſe, à quibus diſſentiret. Hoc etiam imminuit culpam, quòd quo tempore illa ſcribebat *Ramus*, tanto in pretio paſſim eſſet *Ariſtoteles*, ut non minus *piaculare* judicaretur, ſi quis ab *Ariſtotele* diſſentire auſus eſſet, quàm ſi ſacras negaret literas. *Voſſ.* de Philoſoph. Sect. p. 88.

Ramo non ſucceſſit feliciter conſilium à ſe initum *Ariſtotelis* authoritatem ſubruendi, juxta *Vallæ* & *Vivis* documenta. *Idea* enim quam efformavit novæ Dialecticæ, nihil babet rationi conſonum præter id quod ab *Ariſtotelis Dialectica* mutuatus eſt, quam cum reformare voluit, ipſam deſtruxit. *Rapin.* Animadverſionibus in Logicam, ſect. 7. Gall.

Digitized by Google

Ramus magnus fuit vir, ſed magni nimis fit; ipſius *Mathematica* ſola bona. Sed ipſe non eſt Autor. *Ramus* malè ſcribebat. *Scaligerana* 2.

Viri docti *Ramum* pleraque ex *Laurentio Vallâ* & *Ludovico Vive* hauſiſſe affirmant. *Konig.*

Juventus noſtra à me hoc audiat: Nunquam ille magnus erit, cui *Ramus* eſt magnus. *Lipſ.* Cent. 1. Miſcell. epiſt. 89.

De *Rami Dialecticâ* ſi vis dicam quod cenſeo, pulchrum inventum eſt, magnumque acumen, ſed non ita magni momenti. *Verder.* in Author. Cenſ.

Vaſti erat ingenii profundæque eruditionis. Excellenti Methodo Diſciplinas omnes pertractavit; Exiſtimatus fuit Doctus Theologus, Inſignis Mathematicus, Philoſophus acutus & Orator celeberrimorum Antiquitatis æmulus. Omnium ſui ſeculi eruditorum exiſtimationem meruit, Genteſque exteræ omnem moverunt lapidem ad Præclarum hunc Virum *Galliæ* ſurripiendum. Poſt *Romuli Amaſci* obitum *Bononia* Civitas mille Ducatos annuos ei obtulit, ut illum in hujus locum pertraheret. *Poloniæ* Rex Cracoviam illum allicere conatus eſt. *Ioannes Hungariæ* Rex petiit eum ut *Weiſſemburgicæ* Academiæ regimen ipſi traderet. Omnia ejus opera ritè conſcripta ſunt, ſed obſervant eruditi ſtylum priorum quæ adverſus *Ariſtotelem* elaboravit cæteris ab ipſo deinceps elucubratis multò præſtantiorem fuiſſe. Accuſatus fuit quòd è Tractatu *Vivis de cauſis corruptarum artium* omnia excerpſerit argumenta quibus *Ariſtotelem* impugnat. *Ant. Teiſſier* Elog. Virorum Eruditorum. Gall.

Extant Commentarii de Religione *Chriſtianâ* 8. *Francofurt.* 1577.

Extant *Ariſtotelicæ* Animadverſiones *Pariſiis* 1558. 8°.

Extant Inſtitutiones Dialecticæ *Pariſiis* 1554. 4°.

Extat Liber de moribus *Veterum Gallorum Francofurti* 1584. 8°.

* *Petrus Ramus* inter Hæreticos Primæ Claſſis rejicitur in *Indice Romano.* Libri quatuor de *Religione Chriſtianâ* prohibentur: cætera ejus opera permittuntur cum expurgationibus. Vide *Indic. Madrit.* edit. An. 1667.

IMMANUEL TREMELLIUS.

WOlſium paulò poſt ſecutus eſt *Immanuel Tremellius Ferrariæ* patre *Hebræo* natus, Linguæ *Hebraicæ* peritiſſimus, qui cùm *Lucam* cum *Petro Martyre Vermilio*, & aliis in occulto *Proteſtantium* doctrinæ addictis conceſſit, poſtremò *Italiâ* omninò relictâ cum ipſo *Vermilio* ac Sociis in *Germaniam* venit, & *Argentinæ* primò domicilium fixit, deinde in *Britanniam* potiente rerum *Edvvardo* VI. tranſmiſit; quò mortuo *Germaniam* repetiit, & in Scholâ *Hornabachenſi* ſub duce *Volfango Bipontino*, qui apud nos deceſſit, aliquandiu docuit, unde *Heidelbergam* ad profeſſionem *Hebraam* evocatus eſt, ubi *Syriacam* Novi Teſtamenti interpretationem latinitate donavit, & poſtea novam veteris fœderis ad *Hebraicæ* veritatis fontes examinatam tranſlationem molitus eſt, ſocio tanti laboris aſcito *Franciſco Iunio Biturige*, qui poſt *Tremellii* obitum eandem editionem in opere alieno plus juſto ingenioſus recenſuit, & additis multis, auctiorem potius Clar. A. D. MDLX.

Digitized by Google

tius quàm meliorem judicio multorum reddidit. Relictâ poſtremo *Heidelbergi* *Divioduram Mediomatricum*, ubi olim cùm ex *Italiâ* veniret, uxorem duxerat, conceſſit, unde *Sedanum Bullionii* principum ſedem evocatus, ut in Academiâ novâ linguam *Hebraicam* profiteretur, ſeptuagenario proximus tandem defecit. *Thuan.* ad annum. 1580.

Domi in Linguæ *Arabicæ* cognitione profecerunt famâ notiſſimi *Emanuel Tremellius* & *Franciſcus Iunius*, ſummi viri, nec ſine honoris præfatione nominandi, qui quanti linguam *Arabicam* fecerint, quámque vehementer ſtudium ejus promotum voluerint, *Scriptis* ſuis abundè ſunt teſtati. *Thom. Erpen.* in Orat. de *Ling. Arab.* p. 75.

Verſionem *Franciſci Iunii* & *Emanuelis Tremellii*, quæ primò circa annum 1575. prodiit, poſtea à *Iunio* recognita anno 1587. magno cum Reformatarum Eccleſiarum plauſu exceptam fuiſſe, & conſentientia de ejus præſtantiâ cl. virorum judicia, & *Editiones* ipſius pluries repetitæ, ſatis docent. Et licet nonnullæ verſiones propiùs in quibuſdam Locis ab *Hebrais* abſint, nonnullæ etiam ſenſum & dilucidiùs & elegantiùs reddunt; conſideratis tamen & compoſitis omnibus ad accuratam *Verſionem* requiſitis, congruentiâ cum *Textu* authentico uſque ad ipſos accentus, quos alii plerumque negligunt, ſenſu non ſine magno acumine eruto, & maxima fide reddito, verbis, ſi non ſemper politiſſimis, at plerumque propriis & commodis, difficilibus locis diligentiùs expenſis, doctiùs ac ſolidiùs expeditis; Hæc *Verſio* primas forſan ſibi vendicabit, & apud æquos *Iudices* reportabit. *Matth. Polus* præfat. ad Vol. 1. Synopſ. Critic. p. 5.

Tremellius vir fuit in Hebraïcis mediocriter eruditus. Erat *Iudeus* Baptizatus Ferrarienſis. Hebræum ſuum cum Chriſtianis didicit. Verterat bene Biblia. Adjunctus & datus eſt ab Eccleſia *Iunius* pro more; Cum vertuntur Biblia, adjunguntur ſemper quidam: *Tremellius* obiit *Iunius* abſolvit; & quando vult diſſentire à Præceptore ſuo maximè ridiculus eſt. *Scaligerana* 2.

Supereſt examinanda *Tremellii* & Junii *Latina* Verſio; quæ maximi æſtimata fuit, ſub initia prima inter Proteſtantes, in *Anglia* cumprimis, *Druſius* qui apud Proteſtantes inter Scriptores ſagaciſſimos claruit, ab illa pluribus in locis damnanda temperare nequivit; quo ſibi negotia faceſſivit, quoniam non paucos nacta erat Patronos hæc Verſio. *Tremellius* & *Iunius* eam ad incudem revocare, alteramque accuratiorem elaborare coacti ſunt, ſed quia quam ſecuti ſunt Methodus defectu non carebat, impoſſibile fuit eos in ſua Tranſlatione debitam perfectionem aſſequi. Unde etiam altera hæc editio à *Conſtantino l'Empereur*, qui etiam Proteſtans fuit & Hebraicæ linguæ peritus, deinde damnata fuit. Hic Author aſſeverat ſe teneri à *Tremellii* ac *Iunii* Verſione recedere, quia neſcio qua vertendi ratione utuntur qua ſæpe in errorem conjiciuntur. Cùm *Tremellius* fuiſſet *Iudeus* antequam ad Proteſtantes tranſiret, neſcio quid ſibi ſingulare in ſua Tranſlatione ſervavit, & à vero ſenſu frequenter recedit. Dictio ejus *Latina* eſt pariter affectata vitiiſque ſcatet; ubique ferè relativa pronomina, ubi nulla ſunt in *Hebraicis*, adhibet, ut cap. 1. *Geneſeos* verſ. 4. ubi vertit. *Viditque Deus lucem hanc eſſe bonam, & diſtinctionem fecit Deus inter hanc lucem &c.* verſu 7. capitis ejuſdem. *Fecit*

ergo

ergo Deus hoc expanſum, quod diſtinguit inter has aquas, quæ ſunt ab inferiore expanſi ipſius, & aquas illas, &c. Nihil eſt in *Hebræo* quod reſpondeat his omnibus relativis pronominibus *hanc, hoc, has, iſtius, illas*: quibus tamen ejus verſio tota referta eſt. Credo autem tunc temporis *Doctorum Genevenſium* hunc ſtylum fuiſſe; Eoſdem enim defectus retinuit *Beza* verſione ſua Novi Teſtamenti. Orat. Presb. *Rich. Simon*, Hiſt. Crit. V.T. lib. 2. cap. 21. Gallicè.

Quicquid tandem dicat Rich. *Simon*. certum eſt hanc verſionem publico cum applauſu receptam fuiſſe; Nam ab anno 1584. quo lucem vidit, ejus ultra ſeptem vel octo editiones evulgatæ fuerunt, *Genevæ* in *Germania*, & in *Anglia*, & plerique omnes Proteſtantes illam ſuſpexerunt, ut Interpretationis perfectæ exemplar. Quidam *Tremellium* accuſarunt quòd nomine ſuo præfixo excudi curaverit *Syriaci* Teſtamenti Verſionem, quæ *Guidonem* le *Fevre* de là *Boderie* Authorem agnoſcebat. Sed *Franciſcus Iunius* demonſtravit *Tremellii* Verſionem typis mandatam fuiſſe anno 1569. *Boderanam* verò triennio ſeriùs. *Ant. Teiſſier* Elogiis Virorum Eruditorum. Gall.

Emanuel Tremellius Novum Teſtamentum è Lingua *Syriacâ Latinè* ab ſe verſum *Genevæ* publicavit. In ea re, ſi, quod *Raynaudus* fecit, *Genebrardo* credimus, *Guidonis Fabricii Boderiani laborem per plagium ſibi vendicavit, qui illud ante è characteribus Syriacis in Hebraicos tranſcripſerat, & additâ Latinâ interpretatione Antverpiæ Plantini typis emiſerat.* Verùm pro *Tremellio* jam mortuo reſpondit *Franciſcus Iunius*, litem hanc vel pueros ex primæ paginæ inſpectione diremturos eſſe, cùm *Tremellii* Interpretatio Anno 1569. *Fabricii* triennio poſt in lucem prodierit, ut in hunc potiùs cadere debeat, ſi fortè, ſuſpicio. *Thomaſ.* de Plag. num. 566. 567.

* *Immanuel Tremellius* inter Hæreticos locum habet in *Indice Tridentino*: vide Appendicem primæ Claſſis.

Ejus *Grammatica Chaldaa*, & *Syra*, *Lugduni Batav.* & *Genevæ*, apud *Henr. Stephanum*, 1579. permittitur, appoſitâ tantùm notâ Auctoris damnati, & Operis permiſſi, cum *expurgatione*, expunctâ videlicet Epiſtolâ dedicatoriâ. *Index Madrit.* edit. ann. 1667.

PETRUS PICHRELLUS.

G*Allus*, *Firmitate Aucnlphi* in proximo natus, & in *Eſſomenſi* Cœnobio olim *Monaſticam* profeſſus: Obiit anno *Dom.* 1589. ætatis 79. Hujus *Opuſcula Theologica* quæ reperiri potuerunt, partim anteà edita, partim manu exarata, in unum collegit & publicavit doctiſſimus *Theologus Andreas Rivetus*, *Lugduni Batavorum* anno 1629. 12°. Clar. An. IX MDLX.

Quis fuerit *Petrus Picherellus* horum *Opuſculorum* autor, etſi ejus modeſtia (qui quamdiu vixit ſeceſſum amavit, & extra hominum turbam ſtudiis ſuis vacare potius elegit, quàm in publicum prodire) multos celaverit: non potuit tamen tanta eruditio ita in obſcuro latere, quin *Scintillæ* & *Igniculi* ſubinde erumperent & doctis viris innoteſceret, qui ſibi tantùm & *Muſis* canere voluiſſe videbatur. Nec ſanè ei fuit animus, talentum ſibi à *Deo* concreditum condere, & inutile ſervare in

Yyyy 3 adventum

Digitized by Google

adventum *Domini*; cùm perdius & pernox in *Sacris Scripturis* verſandis & interpretandis ſudaverit, in quo ſtudii genere, quàm exactam adhibuerit diligentiam, quàm inſtructus fuerit omnium bonarum *Literarum* ſupellectile, pauca quædam quæ vivens, potius ſibi ab amicis ſurripi ſivit, quàm ſponte emiſit, teſtimonium reddiderunt. Habebat enim in animo, ut ab iis quibus nota erant ipſius conſilia accepimus, totius Novi *Inſtrumenti* ſolidam ἐξήγησιν, uno & eodem tempore, cum harum rerum ſtudioſis communicare, quam magno labore & induſtriâ paraverat. Sed, cùm dierum & ævi ſatur, ad meliores ſedes revocatus fuiſſet, non tales reliquit *Heredes*, quos eadem cura tangeret; quorum ſive negligentiâ, ſive aliâ culpâ accidit, ut vix ſpes aliqua affulgeat fruendi unquam tanto theſauro. *Andr. Rivet.* in Præfat. ad Lect. præfix. *Opuſc. Petr. Picherel.*

Magnum *Picherelli* ingenium atque eruditionem oſtendunt libelli illi de *Cæna Dominica*, de *Miſſæ Sacrificio*, de *Igne Purgatorio*, de *Imaginum Uſu*; ex quibus *Opuſculis* conſtat, *Picherellum* in ſummis *Religionis* rebus haud multum à *Proteſtantium* doctrinâ alienum.

Petrus Picherellus, homo trium linguarum peritiſſimus, & acutiſſimi ingenii. *Thuan.* ad Ann. 1589.

Petrum Picherellum virum doctiſſimum ſæpiùs appellat *Theodorus Beza.*

Judicium accuratum, & diligentiam ſingularem in *Picherello* admiror, qui mihi videtur, ſi quis unquam, veram ingreſſus viam *Sacras literas* interpretandi. *Hugo Grot.* in Epiſt. ad Gulielm. fratrem, Anno 1620. Calend. Novemb.

His multa addidi ex *Petri Picherelli* Annotatis ad tria prima capita *Geneſeos*; qui utinam ſagax illud ingenium, & grave judicii pondus, & penitiorem linguarum notitiam, ad plura in S. Scripturam commentanda adhibuiſſet. *Matth. Polus* præf. vol. 1. *Synopſ. Critic.*

Jam nomen *Miſſa Hebraicum* eſſe vel *Chaldaicum*, putidiſſimum commentum eſt, hominum neque *Hebraas* neque *Chaldaicas* literas intelligentium, aut certè judicii prorſus nullius: quod ab eruditiſſimis viris luce clarius eſt demonſtratum, in primis autem à viro longè doctiſſimo *Picherello* Presbytero, in locum *Matthai* de S. *Cæna* Inſtitutione *Iſaac. Caſaubon.* exercit. 16. in *Baron.* num. 59.

Primus quem memorabo, erit celebris *Picherellus*, de quo Teſtimonia Operibus ejus præfixa tam ſplendidè loquuntur, ut mihi non opus ſit quicquam dicere de exiſtimatione in qua fuit apud Eruditos totius Orbis literarii. Totus ejus Tractatus mihi exſcribendus eſſet, ſi vellem iis omnibus inſiſtere quæ tradidit eorum Doctrinæ de *Tranſubſtantiatione* repugnantia. Hoc obſervaſſe ſufficiat, quòd in ſua expoſitione verborum *Inſtitutionis*, *Hoc eſt corpus meum*, hanc claram eorum interpretationem tradat, *Hic panis eſt corpus meum*; quod & ingenuè fatentur Papiſtæ ipſi cum ſua de hoc dogmate Fide conſiſtere non poſſe; quodque hic prolixè demonſtrat non modò propriam ſuam ſententiam eſſe, ſed & *conſtantem* circa hoc caput *Doctrinam Patrum Primitivorum* fuiſſe. *Iſaaci Wake* Præf. Diatribæ ſuæ de *Tranſubſtantiatione*, *Lond.* excuſæ 4. 1687. Angl.

‘ E variis *Picherelli* Operibus in *Scripturam* nullum vidimus hactenus præter

ejus

'ejus *Opuſcula*, collecta & evulgata ab *Andrea Riveto Leydenſi*, Theologo, ut 'id nobis aperit quodam loco ſui in *Exodum* commentarii. Sed vix damnum 'eorum carentiæ minuit eorundem copia qualium nobis ab eo facta eſt, man- 'corum videlicet propemodum ubique, ut authenticè id conſtat ex *Exemplari* 'quod me vidiſſe memini apud Dominum *Voſſium*, in quo omnes lacunæ 'manu defuncti Domini *Grotii* repletæ ſunt. *Colomia* Biblioth. ſelect. pag. 22. 'Gallicè.

'Ecce adhuc aliam *Sorbonæ* cenſuram, nihil nominatim deſignantem, nulla 'adhibita applicatione argumentis probata, Anni 1629. adverſus *Petri Picherelli* '*Opuſcula*, in Eccleſiæ Romanæ Communione defuncti in exiguo *Prioratu Ab-* '*batiæ Eſſomenſis*, in qua ſine ulla peculiari deſignatione Kalendis Septembris '*Picherelli* librum damnant tanquam impium & abominabilem, putida *Calvi-* '*niana* lepra infectum, tanquam *Tartari* Cavernam fœtidum. Voluntque *cenſu-* '*ram* hanc promulgari, ne *Fides Domeſtici* tanquam in proceloſo mari Con- 'ſcientiæ ſuæ navim ejus ſcopulis illidant, & fraudulenti hujus lectione de- 'cipiantur. 'Authoris famæ injurioſa pariter eſt hæc cenſura, qua ut *Deſertor* & '*Perduellis* perſtringitur. *Andreas Rivetus*, Reſponſione ad *Mileterij* Epiſtolas 'pag. 169. &c. Gallicè.

GEORGIUS CASSANDER.

NAtus eſt *Brugis Flandrorum* Anno Dom. 1515. Obiit *Coloniæ* die tertio Februarii 1566. Edidit *Conſultationem* de Articulis Fidei, inter Catholicos & Proteſtantes controverſis. Opera ejus prodierunt, *Pariſ.* Anno 1616. Fol. Clar. A. D. MDLX.

Literas humaniores *Gandavi*, *Brugis* & alibi docuit: Poſteà *Divinarum* rerum ſcientiam præ cæteris amplexus, ſusceptis in diverſa loca peregrinationibus, *Coloniam Agrippinam*, per omne reliquum vitæ ſpatium, rebus ſuis invenit ſedem. Ibi, quantum per valetudinem, quam ſæpiùs adverſam experiebatur, licebat, *Controverſiis*, quas eâ tempeſtate *Pontificiis*, maximè in *Imperio Romano*, Theologi *Proteſtantes* movebant, cum curâ perquirendis atque conciliandis intentus, elucentem ubique veritatem in *Proteſtantium Scriptis* paſſim animadvertit. Ab Imperatore *Ferdinando* I. ut de componendis inter *Romanam* & *Proteſtantium Eccleſiam* diſſenſionibus ſalutare conſilium afferret, in *Aulam* vocatus, pertinace *Arthritidis* dolore prohibitus venire non potuit. Cujus, & *Maximiliani* II. ſucceſſoris deſiderio, cùm præſens haud valeret, abſens ſatisfacere conatus, *Librum* ſcripſit, quem de Articulis Religionis inter *Catholicos* & *Proteſtantes* controverſis *Conſultationem* nominavit. In hoc aliiſque Libris ſecurus odii, quemadmodum *veritatis* amorem, ita ſibi *regium*, non *ſervile* judicium, fuiſſe prodit. *Hankius* de Roman. Rer. Scriptoribus.

Georgius Caſſander: vir utriuſque linguæ peritiâ, & antiquitatis cognitione,

ac rerum poſtremò ſacrarum diligenti ſcrutatione præcellens: rarâ hoc ævo modeſtiâ: Et iis qui ingenium in *contentionibus* hodiè exercent, ad vitandam acerbitatem in exemplum proponendus. Nam tot dotibus inſtructus, ille nunquam faſtu intumuit: Contumeliis petitus nunquam paria reddidit, nullumque ullius arrogantiæ ferocis veſtigium, vel in *moribus* vel in *ſcriptis* ejus deprehenſum fuit. Poſt *conſultationem* de Controverſis *Proteſtantium* Articulis, juſſu *Ferdinandi Cæſaris* ſcriptam, & ad *Maximilianum* miſſam, *arthritidis* doloribus confectus 3. Non. Febr. piè defecit anno ætatis 52. ad B. *Franciſci* funus proſequente Magiſtratu urbis, & Academiâ deductus, & ante ſummum *Altare*, cum honorifico elogio à *Galtero* amicó individuo, ſepultus. *Thuan.* ad annum 1566.

Utile erit *Caſſandrum* evolvere, qui tot lites apertè quidem componere tentavit, licèt majori pietate quàm ingenio; & *Melchiorem Canum*, qui hoc idem, ſed occultè conatus eſt, ingenio majori, quàm pietate, ac propemodùm admirabili judicio. Vix enim poteſt imaginatio conſequi, quantum auctorum ejuſmodi lectione, Politicorum mentés acuantur, excitenturque ad ſaluberrimè de rebus iſtis conſulendum, quibus non unius aut alterius Hominis modò, ſed universæ plerumque Reipublicæ ſalus, & belli paciſque momenta continentur. *Gabr. Naud.* in Bibliogr. Politic.

Liber ſpecialis *Caſſandri* de *utraque ſpecie Sacramenti* digniſſimus lectu. *Grot.* in Annotat. ad *Conſultat. Caſſandri.*

Quòd verò propter exiguam utilitatem & multos abuſus *Caſſander* mallet abſtineri oſtentatione & circumgeſtatione *Reliquiarum*, in eo, ut in multis aliis rebus, piam oſtendit prudentiam: Sicut & rectè monet *Eccleſiarum* baſilicas omnes *Deo* & *Chriſto* dicatas, non *Sanctis*, etiam illis quorum ibi peculiariter memoria celebratur. *Grot.* ibid.

Scripſerat *Caſſander* libellum *De Officio pii viri in hoc Eccleſiæ diſſidio*, qui multis utriuſque partis probatus fuerat; quamvis nec adeò *Catholicis*, omnis in *Religione* compoſitionis inimicis acceptus; multóque minus *Hæreticis*, quòd eorum damnaret novitates, & agendi modos. Adeò ut virulentiſſimus *Calvinus*, exiſtimans eum compoſitum fuiſſe à *Franciſco Baldvino*, quem ipſe vehementiſſimè oderat, (quippe liber abſque nomine *Authoris* prodierat, & *Baldvinus* illum primus in *Galliam* avexerat) arrepto calamo, *auctorem* librumque miris modis proſcidit. A cujus criminationibus ſe *Caſſander* ac veteres *Traditiones*, *Patrum*que auctoritatem, prolixiori Apologiâ vindicavit. *Spondan.* ad An. 1564. Sect. 27.

Dum *Papatum* reformare ſimulat *Georgius Caſſander*, ſtabilit & commendat æquè, ac aperti hoſtes. *Melch. Adam.* in Vit. *Zach. Urſini.*

Georgius Caſſander Latinè Gracéque doctus fuit, & vario doctrinæ genere excelluit. *Valer. Andreas* in Biblioth. Belgic.

Cornelius Schultingus Biblioth. ſuæ *Eccleſiaſtica* Tom. 4. part. 1. teſtatur *Caſſandrum*, etſi varia antè ſcripſiſſet ſententiæ *Eccleſiæ* non per omnia conſentanea, *Catholicè* ac piè in gremio *Eccleſiæ* eſſe defunctum. Itidem ſcribit *Bernardus Sutholtus* J.C. plures fide dignos ſibi *Coloniæ* atteſtatos fuiſſe, *Caſſandrum* morti vicinum, adſiſtente ſibi magno teſtium numero; ea damnaſſe, ac ſubmiſiſſe ſe

ſcriptaque

Digitized by Google

ſcriptaque ſua in omnibus judicio & auctoritati *Sanctæ Eccleſiæ.*

* *Scripta* ejus pleraque *Theologica*, à Patribus *Concilii Tridentini*, aut damnata, aut cenſurâ notata ſunt.

GEORGIUS FABRICIUS.

GErmanus *Chemnicii*, urbe *Miſniæ*, natus eſt die 24. Aprilis, Anno Domini 1516. Obiit 13. Julii, Anno *Dom.* 1571. Scholæ *Miſanenſi* 26. annis præfuit. A *Maximiliano* Imp. ſub ipſa fermè morte *Laureâ Poeticâ* & Nobilitatis inſigni condecoratus eſt. Clar. An. D. MDLXV.

Edidit *Romam:* Septem Libros rerum *Miſnicarum* : Annotationes in *Terentium*, *Virgilium*, *Horatium*, *Senecam*. Multaque alia.

Georgius Fabricius rem literariam non mediocriter & ſcriptis & vivâ voce juvit & illuſtravit. *Thuan.* l.50. Hiſt.

Germaniæ lumen & ornamentum *Georgius Fabricius*. *Io. Kirchman.* l.3. de Funerib. *Roman.* c.15.

Georgius Fabricius, vir politiſſimi ingenii. *Tanaq. Faber.* lib. 2. Epiſt. Epiſt. 52.

Georgius Fabricius, vir judicii optimi & eruditionis egregiæ. *Barth.* Animadv. ad *Rutil.* lib. 1. v. 327.

Vir ſupra famam fortunamque ſuam laudabilis. *Idem* l.1. Adverſ. c.10.

Ut monuit doctiſſimus miréque ſagax ſcriptor *Georgius Fabricius* in aureolo libello, quem *Romam* inſcripſit. *Idem* l.2. Adverſar. c.22.

Georgius Fabricius, homo melius de humanitatis litteris meritus, quàm quiſpiam facilè cenſeat. *Idem* ibid. l.4. c.12.

Sicut mores ipſius [*Georgii Fabricii*] modeſti & placidi fuerunt, ita & dictio ejus, & in carmine & in ſoluta oratione placida, ſuavis ſine affectatione fuit. Excelluit igitur in *Attico* dicendi genere, & lectorem tenuit erudita brevitate. *Hier. Weller.* in judic. de *Georg. Fabric.*

In carmine verò tanta eſt numerorum concinnitas, tantus verborum delectus, tantaque rerum ſanctimonia; atque caſtitas, ut non adæquaſſe ſolùm in hoc genere multos ex antiquiſſimis, ſed in aliquibus etiam ſuperaſſe videatur. Etenim in verbis eam curam adhibuit, ut ab iis, quæ ethnicam idolomaniam redolent, noſtramque religioſam pietatem lædunt, datâ opera abſtinuerit. *Melchior Adam.* in Vit. *Fabric.*

Georgius Fabricius Chemnicenſis, exquiſito verſu *hexametro* iter ſuum *Romanum*, *Neapolitanum*, *Patavinum*, *Chemnicenſe*, *Argentoratenſe* remenſus eſt: Nec elegis ſuis, quibus cœleſtes Victorias perſcripſit, parum gloriæ conſecutus. *Borrich.* de Poet 129.130.

Terentii editio *Fabriciana* aliis omnibus præſtat, & ſingularem laudem atque prædicationem meretur, teſtante *Joachimo Camerario* in Epiſt. *Terent.* præfixâ.

Digitized by Google

Operam *Fabricii* in *Tragœdiis Senecæ* non multùm laudat *Lipſius*: " *Georgi* " (inquit) *Fabrici*, Nihil tibi ego detractum eo: Sed profectò non laudatiſſima " opera tua in hoc quidem Poeta: quem ſæpius cura tibi innovandi fuit, quàm " in veteri nitore conſervandi. *Lipſ.* in *Agamemn.*

Georgius Fabricius fuit unus ex ætatis ſuæ præſtantiſſimis Poetis & celebratiſſimis Criticis; nec pietate minùs quàm eruditione inſignis, ut liquet ex his duobus quæ ipſe compoſuit Diſtichis.

Fabricius *ſtuduit benè de pietate mereri;*
Sed, quidquid potuit, gloria, Chriſte, *tua eſt.*

Σοὶ χάριν οἶδα θεῷ εὐσπλάγχνῳ, ὅς με δίδαξας
Ἐν βιοτῇ τε θανεῖν, ἐν θανάτῳ δὲ βιοῦν.

Ant. Teiſſier in Elog. Gal.

* *Georgius Fabricius Chemnicen.* inter *Hæreticos* primæ Claſſis numeratur. *Georgii Fabricii Chemnicenſis Saxoniæ Illuſtrata* libri novem in decreto 23. Auguſti 1634. prohibentur.

Extat *Romæ Antverp.* 1657. 8°.

Extant Poematum Sacrorum libri 25. duobus Tomis *Baſ.* 1567. 8°.

Hoc ejus Epitaphium:

CHRISTO SACRUM.

D. GEORGIUS FABRICIUS *Chemnicenſis, pietate, eruditione, ingenii monumentis nominiſque celebritate apud exteros quoque clariſſimus, Evangelii luceſcentis tempore Poeta excellens, Grammaticus acutus, Hiſtoricus Saxoniæ Electorum, &c. elegans, Scholæ illuſtris Myſnæ annos 26. fideli & felici inſtitutione Rector induſtrius, laborum Sanctorum patiens, doctiſſimis omnibus carus, ſuis deſideratus, ætatis annos LVI. M. II. D. XIX. complens anno Chriſti Servatoris MDLXXI. M. Iulio, D. XIII. in functione piâ piè defunctus eſt: quicquid mortalitatis habuit, in hoc quietis cubiculum poſteris memor. cauſa venerand. depoſitum eſt.* M. Magdalena Uxor, Georgius, Jacobus, Henricus, Chriſtianus, Magdalena, Margareta, Anna, *liberi Orphani, Marito & Patri deſideratiſſ. mæſtiſſ. deſid. monuman. pon. cur. MDLXXI.*

ONUPHRIUS

Digitized by Google

ONUPHRIUS PANVINIUS.

VEronenſis, Heremita *Auguſtinianus*: *Panormi* fato immaturo raptus eſt Ann. Dom. 1568. die 16. Martii ætatis ſuæ 39. Clar. An. D. MDLXV.

Scripta ejus plurima nondum typis edita extant *Romæ*, *Veronæ*, *Monachii* & alibi apud eruditos: quorum, itemque excuſorum, ſeriem qui volet, apud *Antonium Poſſevinum* in Apparatu Sacro, & *Cornelium Curtium* in Elogiis *Auguſtinianis* reperiet.

Onuphrius Panvinius, vir & doctrinâ & fide ſingulari præditus. *Car. Sigon.* l.1. Emendat. c.35.

Onuphrius Panvinius, *Veronenſis*, Eremita *Auguſtinianus*, vir ad omnes & *Romanas* & Eccleſiaſticas antiquitates è tenebris eruendas natus; quod præclara ejus & ad omnem æternitatem victura monumenta teſtantur. *Thuan.* l.44.

Sacræ & prophanæ Hiſtoriæ peritiſſimus vir fuit *Onuphrius Panvinius Veronenſis*, quem *Romæ* adoleſcens cognovi, & multa præclarè ad utramque illuſtrandam conſcripſit. Sed, ut homo, interdum fallitur, & peccat confidentiâ, aut imbecillitate potiùs memoriæ, quam ignoratione Hiſtoriæ. *Lælius Biſciol.* Tom.1. Hor. Subciſiv. l.19. cap.14.

In Romanorum Antiquitatibus explicandis ſummam ingenii laudem eſt adeptus. *Bodin. Meth.* Hiſtor. c.4.

In partes Paparum pronior multò, quàm *Cæſarum*. *Conring.* de O. J. G. cap.10.

Quod *Conſtantinus Maxentium* VIII. Septembris vicerit, hariolatus eſt amicus noſter *Onuphrius Panvinius*, optimus vir, & in cujus obitu omnes numeri Hiſtoriæ collacrumarunt. *Joſ. Scalig.* de Temp. Emendat. l.5.

Onuphrius Panvinius, Pater Hiſtoriæ, *Idem* lib.6.

Hæc luculenta inſcriptio effugit diligentiam oculatiſſimi & accuratiſſimi viri, amici noſtri, *Onuphrii Panvinii*. *Idem* in Animadv. ad *Euſeb.* l.2. Chronic. annum MDCCCCLXIX.

Onuphrius Panvinius vir ingenii maximi, & ſimul, quod inſolens, ſtudii indefeſſi; cui, quantum tota Reſp. literaria debeat, memorari ex juſto nequit. Sacram omnem profanamque hiſtoriam non modò evolvit accuratiſſimè, ſed rerum præterea ſeriem ac tempora diſtinxit, expreſſit, lumenque accendit omnibus, qui ad ſcribendum poſtea animum appulere. *Cornel. Curt.* in Elog. Vir. illuſtr. ex Eremit. *S. Auguſtini* Ord.

Onuphrius Panvinius, ille antiquitatis helluo, ſpectatæ juvenis induſtriæ, & ingenio, ut probitate, præſtans, hìc eſt, eritque ut video, in aliquot menſes. Imprimit ſuos *Faſtos* cum Commentariis: & interim adornat alia. Sæpè litigat obſcuris de rebus cum *Sigonio* noſtro, ſed utriuſque bonitas, mutuus amor, excellens ad cognoſcendam veritatem judicium, facit, ut inter eos facilè conveniat. *Paul. Manut.* l. 2. Epiſt. 9. ad *Anton. Auguſtinum*, Legatum Pontificium.

Digitized by Google

Plura ſi cupis, vade ad *Onuphrii Panvinii* ea ſuper re libellum; viri induſtrii, diligentis, & cui *Romana* memoriæ (curam tantum ferre potuiſſet aulimam) debent debebuntque. *Lipſ.* in Commen. ad *Tacit.*l.11.Annal. num.37 de Iud. Sæcular.

Onuphrius Panvinius monachus optimè de re antiquariâ meritus, faſtis collatis, vetuſtis marmoribus erutis. *Thom.Dempſter.* in Elench.Scriptor. quem ſuo ad *Jo.Roſini* Antiq. auctario addidit.

Onuphrius Panvinius Veronenſis, *Auguſtinianus*, vir diligentiſſimus,& rerum antiquarum indagator ſolertiſſimus. *Henr. Spondan.* in Eccleſiaſt.annal.ad A.C. 1471. num.IX.

Omni dignus laude ſolertiſſimus *Panvinius. Sertor. Urſat.* l. 1. monumentor. *Patavin.Sect.*2.

Eximius antiquitatum cultor *Panvinius. Idem* ſect.7.

De *Sibyllis* ſcripſit *Onuphrius Panvinius* diligenter, ut omnia. *Bulenger.* de Rat. divinationis l.4.cap.1.

Certè hoc argumentum de *Sibyllis* multò dexteriùs & diligentiùs, quàm *Onuphrius*, vir doctiſſimus *Gyraldus* perſecutus eſt; quamvis ille alter peculiari quodam tractatu rem ſuſceperit perficiendam. *Rich.Montacut.* in Analect. Exercit. 4. ſect.6.

Onuphrius Panvinius, patriâ *Veronenſis*; profeſſione eremita *Auguſtinian. Romanis Antiquitatibus* cùm ſacris tùm profanis eruendis ſeculo ſuperiore natus, *Virgilianum* illud Emblema, *Ad utrumque paratus*, jure optimo uſurpavit. Quod quidem Elogium non modò noſtrarum, ſed & adverſariarum in religione partium ſtudioſi viro eruditiſſimo, unanimi conſenſu, tribuunt. *Aub. Miræus.*

Multus eſt *Scaliger* in refellendo errorem *Onufrii* de natali *Chriſti*; demùm verò inquit, Hæc ego ideo diſcuſſi,ut nævus ille de illo eleganti libro amici noſtri tollatur: qui pro ſua ſingulari eruditione, etiam imprudens ſaltem anno uno *natalem Chriſti* antiquiorem eſſe ſenſit; ſed quia characterem, quæ eſt vera *Helice* in hac navigatione, nullum apprehendit, ideo rectum curſum tenere non potuit. *Homines* enim omnes ſumus, & peccandi neceſſitudinem non poſſumus, niſi cum Homine exuere. *Joſeph. Scalig.* de Emendat. Temp.l.6.p.530.

Tota illa *Diatriba* longa de *Paſſione Domini Faſtis* inſerta, eſt pannus obſoletus purpuræ aſſutus. *Scalig.* ibid.

In hunc Auctorem hæc carmina compoſuit *Matthæus Toſcanus*:

Romæ Panvinius vigentis *ævum*,
Romæ decrepitos *labantis annos*,
Romæ *nunc iterum decus* renaſcens
Doctis explicuit ſuis libellis.
Ergo Panvinio *perennes in ævum*.

Digitized by Google

Gratias aget omnis Urbs Quiritum
Vigens, decrepita, *& ſimul* renaſcens.

Prodierunt libri 2. de *Romanorum Ludis Circenſibus*, paſſim figuris æneis illuſtrati, cum *Joannis Argoli* notis, & in eas *Nicolai Pinelli* additamentis, *Patavii* 1642. in Fol.

LATINUS LATINIUS.

Viterbienſis, obiit *Romæ* viceſimo primo Januarii Anno Dom. 1593. ætatis 8. *Romæ* ad S. *Mariæ* in Via lata ſepultus. Clar. An. D. MDLXV.

In ſacris veterum Patrum libris emendandis, inprimis in *Tertulliano* ad veteres codices recognoſcendo operam impendit. Ejus Bibliothecam Sacram & Profanam, ſive Correctiones in Sacros & Profanos Scriptores *Dominicus Magnus Romæ* ann. 1677. Fol. in lucem prodire juſſit.

Latinus Latinius, vir magnâ eruditione præditus, *Romæ* ſummorum Pontificum juſſu, in expurgandum *Gratiani Decretum* magnum ſtudium, operamque contulit. *Cod. Vatican.* num. 5855.

Mihi *Latinus Latinius Viterbienſis*, vir doctus, bonæque fidei. *Ant. Auguſt.* in Antiquit. *Rom.* Dialog. XI.

Sed cùm ſecundam editionem noſtrarum Notationum meditarer, accidit ut de re tam ambigua agerem cum noſtro Domino *Latinio* viro inſigniter erudito, & in rebus Eccleſiaſticis admodum verſato, quem ejuſmodi reperi ſententiæ. *Ceſ. Baron.* in Not. Martyrolog. *Rom.* 5. Jun. B.

Sed *Latinius* noſter, qui in mendis illapſis cognoſcendis lynceos habet oculos, ſic jure putat locum eſſe reſtituendum. *Idem* in Notat. 1. Jul. G.

Romæ eſt *Latinus Latinius*, ſi tamen vivit, probiſſimus ſenum quos ego novi, & omni literaturâ inſtructus. *Lipſ.* Cent. 2. Miſcell. Epiſt. 39.

Quare mihi fuit gratiſſimum, quòd Domini *Latini Latinii* emendationem mihi communicaveris, cujus ingenium in hoc plurimi facio, quoniam ipſum ſpectandæ eruditionis virum cognoſco; ſiquidem inter nos aliquando ſumus collocuti, ejuſque ingenii acumen ex familiaribus colloquiis facilè perſpexi, quum unà cum Illuſtriſſimo Cardinale S. *Angeli* Epiſcopo *Bononienſi* piæ memoriæ hîc ageret, quo tempore meum *Naturæ Theatrum* perluſtravit, quia rerum hujuſmodi Naturalium cognitione, & ipſe plurimùm delectabatur. *Ulyſſ. Aldrovand.* de Natura *Sepiæ*.

Latinus Latinius, magni ingenii vir, & *Græcarum Latinarum*que literarum benè peritus. *Petr. Victor.* l. 36. Var. Lect. c. 11.

Adeo peritus evaſit in *Veterum Authorum Critice*, ut pleroſque eorum qui in hujuſmodi ſtudiis excelluerant ſuperaverit. Cum omnibus ævi ſui eruditis commercium coluit. *Ludovicus Moreri*, Majori Dictionario Gallico.

Pamelius qui ejus doctrinæ luce feliciter ſemper uſus eſt in ſuis correctionibus & Commentariis in *Tertullianum* & in Sanctum *Cyprianum*, non poteſt affatim profiteri quanti faceret ejus doctrinam, ejuſque Conjecturas & opiniones ut omnium ſolidiſſimas amplectebatur. Excuſæ ſunt *Latinii Notæ* cum *Pamelii* Commentariis in hos duos Authores—*Raimundus Capiſuchius*, qui erat *Sacri Palatii Magiſter*, dicebat ſe ſatis mirari non poſſe laborem & indefeſſam conſtantiam qua *Latinius* legerat & enodaverat tot Authores, ut nec ingenii ejus acumen & penetrationem, incomparabilem ejus dexteritatem ad ſeſe extricandum è locis perplexiſſimis, ejus ſolidam & ſagacem prudentiam in ejus deciſionibus, ſed ſuper omnia ejus erga veritatem amorem mirificum, quo motus fuit ad omnia tentanda, ut illam educeret ex *Authorum* locis obſcuriſſimis tanquam è mediis tenebris. *Iudicia Eruditorum* per Dominum *Baillet*, Pariſiis anno 1685. Gall.

Latinus Latinius, vir doctus ac diligens, ſed *Pontificiis* nugis addictiſſimus. *Paul. Colomeſ.* in Paralypom. ad *Chartophyl.* Eccleſ. p. 18.

Extant Obſervationes & Emendationes in *Tertullianum* in Editione *Pariſienſi Pamelii* 1608.

Extant Lucubrationes 4º. *Romæ* 1659.

JOANNES LEUNCLAVIUS.

Clar. An. D. MDLXV.

NObilis *Angrivarius*, vir doctiſſimus, juris *Romani Græci*que conſultiſſimus, & rerum *Turcicarum* apprimè peritus, ann. 1593. ſexagenario paulò minor obiit. Eruditio ejus, ex Scriptoribus, quos tranſtulit, æſtimari poterit. Tranſtulit autem *Xenophontem*, *Nazianzenum*, *Conſtantinum*, *Manaſſem*, *Michaelem Glycam* & alios. Synopſin quoque 60. librorum βασιλικῶν, i. e. univerſi juris *Romani* cum Annotationibus evulgavit. Edidit præterea 18. libros Hiſtoriæ *Muſulmannicæ*, quos è monumentis ipſorum *Turcarum* excerpſit: *Konig.* in Biblioth.

Joannes Leunclavius, juris *Romani Græci*que conſultiſſimus, & rerum *Turcicarum* apprimè peritus: ad quas linguæ ipſius *Byzantinâ* peregrinatione comparatam cognitionem, exactam ultimæ Hiſtoriæ *Græcæ* lectionem, & acre ac admirandum judicium attulit. Quod non ſolum in ſcriptis ab ipſo, dum viveret, publicatis, ſed in iis, quæ poſt mortem ejus publicata ſunt, elucet. Non ſolùm ſui, ſed & *Conſtantinopolitanæ* Hiſtoriæ, cujus ſpem fecerat, incredibile deſiderium reliquit. *Thuan.* ad ann. 1593.

Amelburni in *Weſtphaliâ* nobili genere ortus eſt, nobilior eruditione rarâ, & linguarum complurium cognitione, *Joannes Leunclavius*, quô *Turcicarum* rerum, avorum memoriâ, nemo peritior fuit. *Joan. Andr. Quenſted.*

Palmam omnibus rerum *Turcicarum* Latinis Scriptoribus rapit *Joannes Leunclavius* nobilis *Angrivarius*, & Epiſcopus *Mindenſis*, *Græcæ* & *Latinæ* linguæ peri-

Digitized by Google

peritiſſimus, & variæ eruditionis, qui cum legato *Cæſareo David de Ungnadio* profectus, magnos fecit progreſſus *Conſtantinopoli* in notitia rerum *Turcicarum*. Valuit ingenio, ac meritò omnibus præferendus eſt, quare & *Thuanus* illum ſemper ſequitur. *Herman. Conring.*

Scripſit & *Carolus Sigonius* de Regno *Italiæ*, quod huc facit & *Joannes Leunclavius Turcica*; uterque mihi bonus & laudatus. *Lipſ.* 3. Cent. Miſcell. Epiſt. 61.

Leunclavius optimus eorum qui de *Turcis* ſcripſerunt. Bene intellexit *Græca Conſtantinopolitana* & inferioris ævi. Omnia ejus ſcripta ſunt utilia, imò neceſſaria. *Græca* Juriſconſultorum intellexit, ſed autorum veterum non intellexit, ut *H. Stephanus*, qui paulò ante obitum multa ſcripſit ad me contra *Leunclavii* editionem *Xenophontis*. *Scaligerana* poſterior.

At in hoc *Interpretandi* ſtudio mirabilis eſt *Ioannes Leunclavius*, ut neminem in eo ſcientiùs verſatum eſſe omninò mihi conſtet. Sententias quippe ita contorquet, ut nihil intercidat, eo verborum numero circumplectitur, ut paria paribus reſpondeant: ipſam quoque vocum conſtructionem & ſitum perſæpè ita obtinet, ut color ipſe integer exiſtat: ſumma adhæc concinnitas, perſpicuitas, incorrupta Latinitatis caſtitas, & ipſum, quod in aliis rarò reperias, αὐτοφυὲς, adeo ut cùm ab hoc diſceſſeritis, nemo ſit anteferendus. Quum reliquos autem aliàs ſemper ſuperare viſus ſit, tum in transferendo *Xenophontis Oeconomico* ſe ipſe profectò ſuperavit. *Huet.* de Clar. Interpr.

* Hic Author inter Hæreticos primæ Claſſis locum habet in *Indice Expurgatorio.*

Extat Hiſtoria *Muſulmannorum Turcarum. Francofurt.* apud *Wechel.* ann 1591. Fol.

Extant Annales *Sultanorum Othomanidarum* ex linguâ *Turcica Latinè* redditi, ibid. ann. 1596. Fol.

Extant etiam impreſſi unà cum *Laonico Chalcocondyla* in Editione *Pariſienſi* anno 1650.

CASPAR PEUCER.

NAtus *Budiſſinæ*, primario *Luſatiæ* ſuper. Oppido, A. C. 1525. Patre *Georgio Peucero*: cive dicti oppidi honeſto Nato *Witteberge* 1545. Philoſophiæ Magiſtri titulo, celebratiſque ibidem 1550. cum Filia *Philipp. Melanthonis* nuptiis, paulò poſt Matheſeos, & impetrato eâdem in Academiâ 1560. Doctoris Medic. Gradu, Medicinæ etiam Profeſſore publ. loco *Jacobi Milichii* conſtitutus eſt. Tum ob libros aliquot Theologicos editos de Religione ſuſpectus *Dreſdæ* primùm, & deinde *Lipſiæ* 1576. carceri ſqualido incluſus, in eo tempus omne à ſomno liberum, precibus, lectione Biblior. & verſibus ſcribendis conſumpſit; ubi chartam ipſi ſuppeditarunt margines & folia vacua libri concordiæ, attramen- Clar. An. D. MDLXV.

Digitized by Google

tum verò cruſtæ panis crematæ & cereviſiâ dilutæ, & calamos anſerum alæ, quas ad pulverem & aranearum telas tollendas impetrarat A.C. 1586. iterum liber dimiſſus, abinde *Serveſta* apud Principes *Anhaltinos* 16.annos valetudine multò, quàm antea firmiore vixit; adeo,ut 1587.alteram uxorem duxerit.Tandem *Deſſaviæ* nullo morbo, ſed maraſmo ſenili obiit Anno Chriſti 1602. ætatis ſuæ 78. Van der *Linden* de Scriptor. medic.

Scripſit plurima, ſed primo loco habentur: Commentarius de præcipuis *Divinationum* generibus---Elementa doctrinæ de *Circulis Cœleſtibus*,& primo motu:---Hypotheſes Aſtronomicæ.

Gaſpar Peucerus Budiſſinæ natus, *Philippi Melanchthonis* Gener, longâ vitâ & ſcriptis ac fortunâ clarus. *Thuan.* ad ann. 1602.

Medicus, Philoſophus & Hiſtoricus magni nominis, Artiſque Medicæ in Academia *Wittebergenſi* Profeſſor,qui tum ob Socerum *Philippum Melanchthonem*, tum ob eximiam eruditionem *Medicam* & *Philoſophicam*, addo etiam ob merita in Academiam non planè vulgaria, magnam ſibi autoritatem concitaverat. *Quenſted.*

Vir ad juvandas bonas literas natus *Melch. Adam.* in Vit. ejus.

Gaſpar Peucer vir doctiſſimus. *Joſ. Scalig.* in Epiſt.1.p.14.

Vir in quo plurimæ literæ,nec vulgares,ſed reconditæ: dignus pro cujus liberatione apud illuſtriſſimum *Saxoniæ Electorem Auguſtum*, omnes qui gratiâ, conſilio, & amicitiâ plurimum poſſunt, intercedant. *Geſner.* in Biblioth.

Gaſpar Peucer magnæ vir eruditionis & minimè vanus. *Bodin.*Meth. Hiſtor. cap.4.

Vir libro,quem de *Divinationibus* ſcripſit,ſed decennali,quem ob conſtantem veritatis de *Perſonâ Chriſti*, & *Cœnâ Domini* profeſſionem ſuſtinuit, carcere longè celebrior. *Scultet.* de *Curriculo* Vit.

Variarum *divinationum magicarum* monſtroſas ſpecies, prodigioſoſque modos *Satanæ* artificio in æternam hominum perniciem doloſè confictos, in hiſtoriis annotatos, & ab *Ethnicis* uſurpatos, eruditè in doctiſſimis ſuis *Commentariis* de *præcipuis divinationum generibus* deſcribit multijugæ lectionis vir *Gaſpar Peucerus*: Ubi plurima lectu digniſſima comperies. *Joan.Wier.* de *Magis Infam.*c.2.

Caſpar Peucerus vir maximus, in cujus libris multa eruditio elucet. *Bibliograph. Curioſ. Germanop.* 1667.

Magnæ doctrinæ & prudentiæ vir. *Conring.* de Urb. *German.*

Palmam inter ejus *Scripta* obtinere videtur *Commentarius de Præcipuis Divinationum Generibus. Melch. Adam.*

Inter recentiores noſtros Scriptores, notiſſimus eſt *Peucerus*, qui volumen amplum conſcripſit *de Divinatione.* Optarem ut Theologiam ſuam prætermiſiſſet, quæ magnam libri ejus partem occupat: De hoc melius ſentirem: Quamvis ne ſic quidem reliquum mihi adeo placeat,ut ab erudito viro expectaviſſem. Exempla enim probata vel experimenta, qualia eadem nuncupare mihi fas eſt, pauca

Digitized by Google

paucà vel nulla habet. Quid autem mens humana in tam abſtruſo argumento deprehendere poteſt niſi quod experientia nititur, excepta Scripturæ Sacræ authoritate? *Meric. Caſaub.* de Credulitate & Incredulitate, p. 134. 135. Anglicè ab Authore heic citatur locus.

* Hic Author inter *Hæreticos* primæ Claſſis rejicitur in *Indice Tridentino.*

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

HUBERTUS FOLIETA.

GEnuenſis Sacerdos, *Italos* inter Scriptores mirè ſemper mihi placuit, cùm ob ſtyli *Ciceroniani* elegantiam, tum ob æqua & vera Hiſtoriarum ejus teſtimonia. Patrem habuit *Auguſtinum Folietam*, qui *Iulio* II. *Leoni* X. *Clementi* VIII. *Romanis* ex ordine Pontificibus à conſiliis fuit, & ob ſapientiæ atque prudentiæ præſtantiam longè gratiſſimus extitit. Hunc *Carolus* V. Imperator, quòd *Leonem* X. ad Fœdus cum *Carolo* adverſus *Gallos Italiæ* incubantes in eundem impuliſſet, *Mazarenſi* in *Siciliâ* Epiſcopatui præficiendum curavit, & quatuor inſuper millibus aureorum nummorum in annos ſingulos auxit. *Ubertus* à Civibus ſuis miſſus eſt in exilium, quòd ſcriptis ſuis vulnera Patriæ ac remedia liberius indicare non dubitaverit. Itaque pro Symbolo ipſi fuit *tæda ſeu fax ardens*, hâc Inſcriptione, *Officio mihi officio.* Ad exilii incommoda & tædium fallendum, Hiſtoriæ ſcribendæ totum ſe dedit, ut qui quas ſtyli pœnas dabat eas nullâ re convenientiùs quàm ſtylo levari poſſe exiſtimaret. Æquo animo exilium tulit, & à patriæ charitate eum nullæ unquam inimicitiæ abduxerunt; imò ſcripſit de patriâ. Excepit eum *Hyppolytus Eſtius* Cardinalis *Ferrarienſis.* Is eum in familiarium ſuorum numerum amanter acceptum, omnibus commodis fovit---Obiit *Romæ* exul, ann. 1588. 5. Septemb. annos circiter 63. *Aub. Miræus.* Clar. An. D. MDLXV.

Scripta ejus hæc ſunt: Hiſtoriæ *Genuenſium* libri 12.----Clarorum *Ligurum* Elogia---De laudibus Vrbis *Neapolis*----De ratione ſcribendæ Hiſtoriæ.----De cauſis magnitudinis Imperii *Turcici*---De linguæ *Latinæ* uſu & præſtantia---De Philoſophiæ & Juris Civilis inter ſe comparatione---De nonnullis in quibus *Plato* ab *Ariſtotele* reprehenditur --- Conjuratio *Ioannis Ludovici Fliſci* ---- Tumultus *Neapolitani* ---- Cædes *Petri Ludovici Farneſii*----De ſacro fœdere in *Selimum* ---De obſidione *Melitæ*---Nomina *Polybiana*----Opuſcula.

Vir *Latinè* ſcribendi facultate præſtans, multa elegantiſſimè & acri judicio ſcripſit: Quæ ſimul edi publicè intereſt. Is unus noſtro ævo dignus fuit, qui ſicuti ſpem fecerat, Hiſtorias ſui temporis *Pauli Iovii* Veſtigiis inſiſtens perſequeretur. Multa ex eo cùm operi Hiſtoriarum inſeruerim, ac plerumque verba ipſa (nam quî meliora potuiſſem?) non ſolùm ingenuè id profiteri, ſed ejus memoriam digna recordatione hîc recolere officii mei eſſe duxi. *Thuan.* ad An. 1581.

Ego tua ſcripta & legeram ante multos annos, & ita probaram,ut ex iis qui tunc excellere putabantur, tibi neminem anteferrem.Hæc de tuis *Liguribus* illuſtribus & diligens,& ornata commemoratio ita mihi placuit,ut, qui conferri tecum hoc in genere poſſit, prorſus neminem eſſe judicaverim. *Paul.Manut.* in Epiſt. quam præmiſ. *Foliet.* Elog.Clar. Ligurum.

' *Hubertus Folieta* nobilis *Genuenſis* animadvertens Patriæ ſuæ Hiſtoriam ab ' *Auguſtino Juſtiniano Nebii* Epiſcopo contextam cum applauſu publico le' ctam non fuiſſe , idem argumentum tractandum ſuſcepit,quod tam felici ſuc' ceſſu præſtitit ut locum non aſpernabilem occupare meritus ſit inter *Ita*' *lia* Hiſtoricos. Accuratiſſimè ac diſertiſſimè *Ligurum* Virorum illuſtrium ' Elogia quoque conſcripſit. Sed acris judicii è Criticis quidam hodiernus,cen' ſet illum in hoc Opere plus affectibus propriis quam veritati obſequutum eſſe, ' eumque culpat quod Viros plurimos inſignis meriti non laudaverit,hac unica ' de cauſa quod à partibus ſuis adverſis ſtarent.*Ant.Teiſſier* Elogiis Viror.Erudi' torum. Gallicè.

Qui magis determinatè de uniuſcujuſque Reipublicæ ſtatu cognoſcere deſiderat , is adire poterit, quos audivi quondam à celeberrimis hominibus ſummopere commendari , *Ubertum Folietam* , qui de *Genuenſium*, & *Nicolaum Contarenum* , ac *Donatum Janottium*,qui de *Venetorum Republicâ*,præclaris olim lucubrationes dedêre. *Gabr.Naud.*in Bibliograph.

Tu *Genua* quæ *Huberti Folieta* natale ſolum fuiſti, nobilis & venerabilis tui Civis , honoribus æternis & animo gratiſſimo maximorum ejus meritorum & præſtantiſſimarum ejus virtutum memoriam revereri teneris ; quandoquidem labore diligenti , ſudoreque multo velut è tenebrarum ſepulcro glorioſas tuas antiquitates eduxit , haſque huc illuc mille modis diſperſas collegit & in elegantiſſimum volumen cum exquiſita dictione multaque facundia redegit,quod in lucem editum Eruditorum manibus evolvitur , cum magna Authoris laude & legentium applauſu. *Ghilini* , Theatro Virorum Literatorum. *Gal.*

Extant Hiſtoriæ *Genuenſium* lib. 12. *Genuæ* 1585. fol.

Extant clarorum *Ligurum* Elogia. *Rom.* 1574. 4o.

GULIELMUS XYLANDER.

Clar. An. D. MDLXV.

VIr doctiſſimus & clariſſimus , natus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* Anno Dom. 1530. Obiit *Heildelbergæ* Anno 1176. *Heildelbergæ Græcas* literas profeſſus eſt. *Plutarchi* parallela & libros *Moralium* latinitate donavit : *Cedreni* hiſtoriam itidem *Latinè* convertit , ut & *Strabonis Geographiam* , & *Diophanti* Arithmetica : *Stephanum* de urbibus recognovit : *Polybium* verò in *Germanicam* linguam tranſtulit. *Scripſit* & Commentarios in *Homerum* : Libros variarum lectionum : Notas in *Horatium* , *&c.*

Gulielmus Xylander Auguſtanus , utriuſque linguæ apprimè peritus, & omnis antiquitatis ac literaturæ cum paucis hujus ævi comparandus; adhæc Philoſophicis

phicis & Mathematicis ſtudiis clarus. Dum vixit, cum ſummâ egeſtate luctatus, atque ob id *fami* non *famæ* ſcribere exiſtimatus. Multa ille magno *rei literariæ* bono vivus edidit;plura quæ promiſit,& quâ erat eruditione & ingenio præſtare potuit, publico daturus, niſi immatura mors eum (quippe tantum XL.annos exegerat) *Heidelbergæ*, ubi profitebatur, intemperantia vitæ accelerata oppreſſiſſet. *Thuan.* ad Ann. 1576.

Fuit ingenii ſubtilitate, judicii perſpicacitate, memoriæ felicitate eximiâ præditus; raro opus ullum ſolitus abſolvere priùs, quàm typographis traderet: tantumque lucubrando ſemper promovit, quantum illi imprimendo abſolverent. *Melch. Adam.* in Vit. *Xyland.*

Excellenti vir ingenio, & omni doctrinâ ſic excultus, ut paucos ſibi pares in literis *Græcis*, *Latinis*, *Hebraicis*, *Chaldaicis*, in *Aſtronomicis*, *Geometricis*, *Phyſicis*, *Arithmeticis*, *Muſicis*, cæteris diſciplinis Philoſophicis haberet, magnus, inquam *Gulielmus* ille *Xyland. Jo. Leunclav.* præfat. in *Dion. Caſſium.*

Xylander, vir eruditiſſimus, beneque de *Diophanto*, ac hoc nomine de ipsâ *numerandi* arte, commeritus. *Voſſ.* de Mathemat.

Xylander egregiè utriuſque linguæ cognitione inſtructus, variâque ac multiplice eruditione refertus. *Boiſſard.* in Icon.

Neque verò ſatis pro merito & virtutibus laudari poſſit *Gulielmus Xylander*, qui quatuor licèt & quadraginta vix confecerit annos, ſummam tamen utriuſque linguæ peritiam, cum elegantioris humanitatis, & Philoſophiæ, ac Mathematicæ diſciplinæ cognitione comparavit, pretioſaſque tot doctrinarum opes huic propemodum uni *interpretandi* ſtudio viſus eſt conſecraſſe; inde factum, ut tam paucis vitæ ſuæ annis, tot ac tanta *Veterum Scriptorum* volumina *Latinis* verbis explanaverit: Nam quæ vix diuturno alii labore, intra perpaucas ille horas vivido mentis acumine & innatâ alacritate profligavit. Summa prætereà, quæ toto vitæ decurſu hominem miſerè torſit, egeſtas, ſponte ſuâ currentem incitabat. Præcipiti autem feſtinatione, id quod properantibus ferè contingit, aliquando lapſus eſt. *Huet.* de Clar. Interpret.

Cauſam *Xylandri* hallucinationum nullam invenio, præter properantiam. Qui enim eum familiariter noverunt, aiunt mercede à mercatoribus invitatum ſcripſiſſe, ut familiam aleret. Nam quemadmodum qui ejus eruditionem compertam habuerunt, per inſcitiam eum peccâſſe nunquam concedent, ita qui tenuitatem fortunarum ejus non ignorabunt, facilè illa παροράματα excuſabunt, atque condonabunt, quia neminem latet eum ſummam vigiliarum ſuarum in celeritate poſuiſſe: quæ, ſi intra modum ſit, diligentia eſt; ſi fines migret, eſt præcipitatio. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 247. ad *Claud. Salmaſ.*

Xylander Auguſtanus doctus erat, & benè legebat: ſed quoties erat ebrius! *Scaligerana* 2.

* Hic Author inter Hæreticos locum habet in *Indice Tridentino*.

Opera ejus cum expurgationibus permittuntur in *Indic. Madrit.* edit. ann. 1667.

Digitized by Google

Varia ejus opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa. De *Gul. Xylandro* hoc diſtichon compoſuit *Iacob. Boiſſard.*

Græcia Xylandro *deberet plurima, ni jam*
Plutarchus Latiam *ferret & ipſe togam.*

JACOBUS AMIOTUS.

Clar. An. D. MDLXX.

G*Allus*, humili loco *Meloduni* patre lanio natus: Julio menſe 1591. deceſſit ſexagenario major. *Concilio Tridentino* interfuit.

Ob magnam eruditionem *Caroli* IX. & *Henrici* III. pueritiæ erudiendæ appoſitus, ab iiſdem admodum opimis ſacerdotiis ditatus, ac Epiſcopatu *Antiſſiodorenſi*, & magni *Eleemoſynarii* dignitate ornatus; qui ſeu ſenii infirmitate, ſive muneris neceſſitate cùm ad gregem ſuum aſſiduus eſſet, *Antiſſiodorenſium* furori, ut tunc tempora erant morigerum ſe nimis geſſiſſe, nec ſatis grato animo memoriam tot beneficiorum ab alumnis acceptorum conſervaſſe pleriſque viſus eſt. Huic *Heliodori Æthiopica*, & *Longi Pamenica vernaculâ* lingua feliciſſimè expreſſa debemus, quanquam ſuppreſſo Interpretis nomine edita ſint. His præludiis periculum ingenii fecit, quod in majorum vigiliarum operibus poſteà exercuit, *Diodoro*, ac præcipuè *Plutarcho*, licet majore plerunque elegantia quàm fide, *Gallicè* redditis. *Thuan.* ad Ann. 1591.

Ego verò de *Amioto* tam honorificè ſentio, ut omnibus quos hactenus viderim, Interpretibus, cujuſcunque ſint linguæ, anteferre non verear, & unicuique pro norma rectè *interpretandi* proponere. Videtur enim expreſſiſſe, quod *Cicero* in *Æſchinis*, *Demoſtheniſque* contrariis orationibus convertendis ſe ſecutum dicit: Quas non convertit ut *Interpretes*, ſed ut *Orator*, ſententiis iiſdem, & earum figuris, verbis ad *Romanam* conſuetudinem aptis, in quibus non verbum verbo reddidit, ſed genus omnium verborum, vimque ſervavit, nec ea annumerare Lectori voluit, ſed tanquam appendere. In quo mihi ſummo judicio *Amiotus* uſus videtur, quòd ſcriptorem difficilem, & obſcurum, ad verbum (quod plerique nimiùm fidi interpretes faciunt) non reddidit, ſed ejus ſenſum fideliter expreſſit. Quam licentiam non modeſtam dicam, ſed penè neceſſariam, ſi non ſumpſiſſet, nihil illâ *Interpretatione* injucundius, & inamœnius eſſe potuiſſet, quæ contra terſiſſima eſt, & pulcherrima. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 24.

Superiorum omnium diligentiam, meo judicio, vicit *Jacobus Amiotus*, *Altiſſiodorenſium* Antiſtes, liberali diſciplinâ eruditus, ingenio acutus, at oratione ita ſubtilis & limatus, ut in eo primum *Gallica* facundia vires ſuas experta fuiſſe videatur: is *Plutarchum* tantâ ſtyli amœnitate, ſed & tam integrâ & tam raró nutante fide interpretatus eſt, ut eorum facilè querelas poſſit contemnere, qui immenſam errorum vim bonæ frugi ſuccreviſſe criminantur. *Huet.* de Clar. Interpret.

Domi-

Digitized by Google

Dominus *Godeau* agnoſcit ſtylum ejus vetuſtatum reverâ ſapere: Addit tamen eum nihilo minùs concinnum eſſe, pluribuſque locis omni exoptanda puritate gaudere: Verum quidem eſſe Linguæ *Græca* Magiſtros plures apud eum errores obſervare qui Authoris intelligentiam ſpectant; illos verò fateri quòd omnibus æqua lance perpenſis, Opus id laude dignum ſit. *Ant. Godeau* Hiſt. Eccleſ. ſub finem 2. ſeculi. Gal.

Quod attinet ad ejus Verſionem Operum *Plutarchi*, licet hoc ſit opus excellens, eique immortalem famam paraverit, Dominus de *Meziriac* in politioribus literis eruditiſſimus, præſertim verò in Lingua *Græca*, ſibi ſumebat demonſtrandum, eam ad bis mille errores craſſiſſimos continere; Quam in rem Dominus *Peliſſon* præclaram hanc ſuam animadverſionem nobis tradidit, quòd quamvis juſtiſſima foret Critice Domini de *Meziriac*, hoc exemplum à labore non tam deterrere debeat quam ad eum excitare animos illorum qui Authoribus *Interpretandis* incumbunt: Nam, inquit, ſi ab una parte deplorandum ſit adeo præſtantem Virum ac fuit *Amiotus*, poſt tantum temporis tantumque laboris ab ipſo inſumptum in hoc opere, ut cuivis notum eſt, non potuiſſe in bis mille locis non peccare; ab altera tamen parte, magno ſolamini eſſe debet quòd duo illa errorum millia, quoniam multò pluribus locis res illi feliciter ſucceſſerit, obſtare non potuerint quin immortale decus ſibi acquiſiverit. *Hiſt. Francica Acad.* Gal.

Amioti Tranſlatio ab omnibus nunc deſeri videtur, non tantùm ob voces obſoletas, quæ ibi occurrunt, ſed etiam propter ejus Periodos, quæ tam prolixæ ſunt tamque obſcuræ, ut per nova membra iterum incipiant quando videntur ad finem perductæ & ſæpe complectantur duas treſve diverſas res, quæ ſeorſim ſcribi deberent. Quod occaſionem præbuit Domino *Sorel Amiotum* conferendi cum Architectis illis parum expertis, qui poſt extructam Domum in qua deeſt cubiculum aliquod vel conclave, eadem ſuperædificant, nulla ſervata ſymmetria. *Ephemerides* Gallicæ *Eruditorum* diei 25. Aprilis 1672.

Laurentius Bouchel Celebris Parlamenti Cauſidicus Domino *Patin* patri aſſeveraverat quòd Amiotus *Plutarchi Vitas* tranſtulerit juxta veterem *Italicam* Verſionem Bibliothecæ *Regia*, hancque in cauſa fuiſſe cur tot errores commiſerit. *Colomeſ.* Opuſc. p. 124. Gal.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

ANTONIUS AUGUSTINUS.

HIſpanus, ob raram antiquitatis, exquiſitam juris *Romani* & Pontificii cognitionem à Pontifice inter lititum dijudicandarum Duodecemviros *Romæ* locum accepit. Poſt hæc *Aliſanius*, deinde *Ilerdenſis* Epiſcopus, tandem Archiepiſcopus *Tarraconenſis* in *Hiſpaniâ* creatus eſt. In apparatu editionis tam *Græcorum*, quàm *Latinorum* Conciliorum, annos LXX. menſes II. totidem dies in his terris commoratus, de XXXI. Maii, anno MDLXXXVIII. emigravit. Clar. An. MDLXX.

Scripſit varia, primum verò locum habent in *Varronem* de Linguâ *Latinâ* Emendationum Notæ : in *Sext. Pomp. Feſtum* Notæ : Familiæ *Romanorum* XXX. Dialogi XI. Numiſmatum *Græcorum*, *Romanorum* & *Hiſpanorum* Antiquitatum, item & Scriptionum Veterum *Hiſpano* Sermone ſcripti : Emendationum & Opinionum Juris Civilis lib. 4. ad *Modeſtinum* : Antiquæ Collectiones Decretalium, cum Notis eruditis: Epitome Juris Pontificii veteris, pars 1. Concilia *Græca* & *Latina*.

Maxima in illo cognitio Antiquitatis, ſumma ſcientia juris antiqui, legumque *Romanarum*, & familiarum: multæ in eo, ut *Romæ* natus videretur, literæ, & elegantia Sermonis *Latini*. *Ciceronem* etiam ſenex legebat aſſiduè, ut eloquentiæ principem. *Juris* verò tanta in eo accuratio, ut veterum aliquis, præſtantiſſimorumque prudentum, *Paulus*, *Ulpianus*, aut *Papinianus* ab inferis extitiſſe, ac revixiſſe, vel animam ex *Pythagoræ* ſententia recepiſſe illorum videtur. Quanta porrò Hiſtoriarum, antiquarumque rerum *Græciæ* & *Italiæ* explicata cognitio! Jus Pontificium & Civile ita luſtravit: hoc adoleſcens, ſenex illud ; ut Principem illum Juriſconſultorum, noſtriſque ævi florem delibatum, uno ore gentes omnes prædicent. *And. Schott.* in orat. Funebr. *Ant. Auguſt.*

Huic gravi malo remedium, quod potuit, adhibuit, doctiſſimus & optimus vir, *Ant. Auguſt.* Eſt ille quidem multo gravioribus literis inſtructus, & iis demum omnibus, quæ conveniunt perſonæ Epiſcopi, quam ſuſtinet: ſed tamen has quoque humaniores literas enixè adjuvit, ut notum omnibus ſtudioſis ipſarum. *Petr. Victor.* l. 38. Var. Lect. c. 9.

Antonius Auguſtinus: Magnum *Hiſpaniæ* lumen, qui politioris literaturæ ac Antiquitatis rarâ cognitione ſibi in *Italiâ* comparata, & *Juris Romani* ac poſtremo *Pontificii* exquiſita ſcientiâ meruit, ut *Romæ* inter XII. viros litium judicandarum à *Pontifice* cooptaretur. Multa, in *Italiâ* dum fuit, & poſteà in Patriâ ad æternam memoriam victura monumenta edidit, ſive edenda *Fulvio Urſino* amico ſuo & in eodem literarum genere, *Juriſprudentiam* excipio, verſanti commiſit. *Thuan.* ad ann. 1586.

Vir Juris & omnis Antiquitatis peritiſſimus. *Conring.* de O.J.G. c. 14.

Vir illuſtriſſimus & excellentiſſimus in omni genere laudis. *Baluz.* in Præfat. ad Regin. de Diſcipl. Eccleſ. ſect. 3.

Benè eſt, quod ſummus vir *Antonius Auguſtinus* ipſius *Feſti* Fragmentum ex Bibliothecâ *Farneſianâ* juris publici fecerit cum eruditis notis. *Voſſ.* de Philolog. p. 35.

Antonius Auguſtinus, vir, & eruditiſſimus, & optimè de literis elegantioribus meritus, *Varronis* verò vindex, aſſertor, patronuſque unicus habendus, imo verò ejus potius *Æſculapius*. *Adrian. Turneb.* l. 23. adverſ. c. 17.

Accepi tuum *Varronem*, quid quæris? tê dignus eſt. Quod ſi operam eandem poſueris in *Feſto*, plurimum tibi *Romanæ Literæ* debebunt. Aggredere. Quid enim tibi non ſuccedet? qui, (ut omittam illa quæ pleno jam Theatro ſpectata ſunt, ingenium, judicium, doctrinam) quantus quantus es, totus labor, totus induſtria es! *Paul. Manut.* in Epiſt.

Neque

Digitized by Google

Neque hoc dictum velim, tanquam ignorem, quantus vir ſit *Auguſtinus*, quem ſanè eruditiſſimum ex ſuis ſcriptis expertus ſum: ſed ut ſciant iſti, longè feliciùs eum potuiſſe tractare hoc negotium, ſi voluiſſet. *Iof. Scalig.* in Præfat. quam ſuis in *Varronem* Libris præmiſit.

Ant. Auguſtinus, Hiſpanus, tam cognitus eſt & inter homines doctos celebratus, ut non opus ſit ejus ſummam doctrinam commemorare, quam quidem ejus doctiſſimi libri in *Ius Civile* & *Pontificium* editi, ſatis teſtari mihi videntur. *Gul. Rovill.* in Promptuar. Icon. Illuſt. Vir.

Antonius Auguſtinus, vir uſque ad miraculum doctus; à quo *Pandecta Florentina*, *Gratianus*, & utrumque jus præcipuam lucem acceperunt. *Arth. Duck.* de Authorit. Jur. Civ. l. 2. c. 6. ſect. 31.

Quum vix attigiſſet viceſimum ætatis quintum, *Iuris emendationes* edidit: qui libellus, ſi molem ſpectes, in ſpeciem exiguus; ſin rerum utilitatem, ponderumque momenta æſtimes, ſinuoſis aliorum voluminibus anteponendus. *Andr. Schott.* in Orat. Funeb.

De numiſmatum inſcriptionumque antiquarum explanatione librum ab *Antonio Auguſtino*, viro ampliſſimo & undecunque doctiſſimo, undecim dialogis digeſtum, *Hiſpanicâ*que linguâ ſcriptum, & in *Italicam Dionyſio Octaviano Sado* tranſlatum, quotieſcunque legi, ſingularem antiquitatis notitiam in eô admirari ſatis non poſſum. Quidam tamen inſunt nævi adeo perpuſilli, ut vel oculos intuentium fallant, vel non offendant. *Ioſeph. Caſtalio* decad. 4. Obſerv. in Critic. c. 1.

Tridentino Concilio interfuit, ubi totis viribus incubuit Eccleſiaſticorum Reformationi, oſtendendo quòd omnia Eccleſiæ mala eorum effreni diſſolutæque vitæ aſcribenda eſſent. Vir erat egregiæ ſtaturæ, corporis habitûs nobilis & magnifici, ejuſq; Majeſtatis quam *Imperio* dignam cenſebat *Euripides*. In eo cernebatur gravitas lenitate temperata, quæ ipſum omnibus venerabilem & amabilem reddebant. Nemo unquam toto vitæ ſuæ regimine majorem integritatem, conſtantiam animique generoſitatem oſtendit; cum exemplari caſtitate atque temperantia vivebat, tantaque liberalitate bona ſua pauperibus diſtribuebat, ut poſt obitum ejus in ejus arcis pecuniæ non fuerint repertæ quæ ſufficerent ad ejus ſepulturam congruenter ejuſdem conditioni. Tam ſublimis erat ingenii, tam ſolidi judicii, tam doctus tamque laborioſus erat, ut cum ſucceſſu quælibet opera poſſet aggredi. In obſcuriſſimæ antiquitatis notitia verſatiſſimus erat, tantumque Doctrinæ theſaurum congeſſerat ut omnium in toto orbe ditiſſimus, ejuſmodi ſaltem opibus, eſſet. *Excellis*, inquiebat ipſi *Paulus Manutius in politiori literatura, ita ut ſi comparatè ad alios aliquid ſim, comparatè ad te nihil ſim. Ant. Teiſſier* Elog. Vir. Erud. Gal.

Fertur Bibliothecam omni librorum, & antiquitatum genere inſtructam *Philippo Hiſpaniarum* Regi eam affectanti teſtamento reliquiſſe. Vir liberalis, humanus, mitiſque fuit, quem nemo domeſticorum XX. retro annis iratum vidit. *Guid. Panzirol.* de Clar. Reg. Interpret.

Extant ejus Dialogorum de emendatione *Gratiani* lib. 2. *Tarraconia* 1586. 4°.

Iidem.

Iidem ex emendatione & cum Annotationibus *Stephani Baluzii*, *Pariſiis* 1672.

Extant in Antiquas Decretalium collectiones Notæ & Emendationes. *Pariſiis* apud *Steph. Cramoiſii* 1609.

Extant Dialogi XI. de Numiſmatibus priſcis *Gracis*, *Romanis* & *Hiſpanicis*, deque antiquitatibus quæ in iis occurrunt, *Hiſpanicè. Tarracona* per *Phil. Mey.* 1587. 4.

Iidem *Italicè* redditi per *Dionyſium Octavianum Sadam* cum Auctario. *Romæ* fol. 1592. apud *Gul. Facciottum.*

Iidem *Latinè* per *Andream Schottum*, qui unum adjecit de priſcâ religione & de diis Gentilium: in quâ editione icones Numiſmatum, *Jacobus Biaus* æri incidit. *Antverpia* 1617. fol. apud *Henricum Ærtſium.*

Extat Bibliotheca *Latina*, *Graca*, mixta, MSS. *Tarracona* in 4o. anno 1586.

Hoc ejus Epitaphium:

D. O. M.

SS. Euchariſtiæ S.

Antonius Auguſtinus, *Antonii* Procancellarii filius, *Cæſarauguſtanus*, Palatii Apoſtoli Auditor, Epiſcopus *Alliſanus*, *Pauli* IV. ad *Philippum* & *Ferdinandum* Reges Legatus, *Siciliæ* Cenſor, *Ilerdenſis* Epiſcopus, maximo plauſu *Tridentino Concilio* interfuit, inde ad *Tarraconenſem* Archiepiſcopatum translatus Juris & Humanitatis vindex clariſſimus, eleemoſynarum largitor excellens, Oraculum Sapientiæ terreſtre, editis aureis libris atque edendis relictis, hoc Sacellum Sanctæ Euchariſtiæ P. C. *Chriſtum* ac Sanctam *Teclam* tutelarem ex aſſe heredes faciens. Obiit pridie Kal. Junii 1586. ætatis 69.

Petrus Joannes Nunneſius Valentinus Orator & Philoſophus hoc illi amicitiæ ergô Epitaphium compoſuit.

JOANNES BODINUS.

Clar. An. D. MDLXX.

NAtione *Gallus*, patriâ *Andegavenſis*, Juriſconſultus & Politicus; anno 1596. Septuagenario major obiit. A Proteſtantium doctrina haud multùm alienus.

Ioannes Bodinus in *Andibus* natus, & puer, ut quidam certò affirmarunt, in *Carmelitarum* Cœnobio vitam religioſam profeſſus, dein voto immaturâ ætate facto ſolutus, gnaviter literis operam dedit; Linguarumque non vulgari peritiâ ſibi comparata, omnium artium circularem ambitum animo ingenti complexus eſt. Cúmque initio in foro *Pariſienſi* patronum egiſſet, contentioſæ illius militiæ

[..]tiæ pertæſus, *Scriptioni* ſe totum addixit, periculóque in *Oppiani Cynegeticis* ingenii facto, quæ & eleganter *Latinè* ac *ſcitè* vertit, & doctiſſimo *Commentario* interpretatus eſt. Mox animum ad majora appulit, & poſt *Methodum Hiſtoricam*, & de re *monetaria* accuratas contra *Malaſtretum* diſſertationes, opus magnum *de Republicâ Gallicè* publicavit. In quo ut omni Scientiarum genere non tincti, ſed imbuti ingenii fidem fecit, ſic nonnullis, qui rectè judicant, non omninò ab oſtentationis innato *Gentis* vitio vacuum ſe probavit. Poſteà & *Dæmonomaniam Gallicè* itidem ſcripſit, in quâ dum materiam ab aliis tantopere agitatam adverſus *Ioannis Wieri* plerumque ſententiam enucleatiùs retractat, magicæ rei ac vetitarum iſtiuſmodi artium crimen minimè effugit— Demum A. 1596. ineunte Maio ſeptuagenario major peſtifera lue correptus, publicato prius *Naturæ Theatro*, quo rerum cauſas & affectiones ad principia ſuá repertas exequitur, quaſi Cygneâ cantione, vitam variis ſtudiis ſic & fortuna agitatam *Laoduni* clauſit. *Thuan.* ad an. 1596.

Ioannis Bodini Andegavenſis feliciſſimum ingenium fuit. Qui cùm ab adoleſcentiâ bonis omnibus literis egregiè imbutus eſſet, inprimiſque Gentium omnium hiſtoriam abſolutiſſimè calleret, illius legendæ methodum libello brevi quidem illo, ſed ſanè luculentiſſimo complexus eſt. Fuit hoc illi famæ ſurgentis auſpicium, quam editis de *Republicâ* ſex libris variâ multiplicique eruditione & ſtupenda *Exemplorum* varietate refertis abundè poſteà confirmavit atque auxit. Neque vero quam *Scriptis* comparaverat exiſtimationem præſentia ſua minuebat, ſi quando in familiari hominum congreſſu de quacunque re propoſita diſertè copioſéque diſputaret. *Scævol. Samarthan.* in Elog.

Affectui plus juſto eum indulſiſſe, viri docti pridem obſervarunt. In gratiam popularium ſæpè falſa aſſerere non dubitavit qualia ſunt, *Imperatorem Romanum Turcæ* tributarium eſſe: *Germaniam* eſſe *Galliæ* provinciam: Principes *Germaniæ Regni Gallici* ligios eſſe vaſſalos: ſtatuens ſecum, licitum ſibi, ſuorum popularium dignitatem honeſto mendacio tueri. *Konig.* in Biblioth.

Bodinus homo temerarius, & inſolens, falsò admodum pro more ſuo & manifeſta mendacia ſcribens, propriaque ſibi convitia perperam in omnes effundens. *Cujac.* Obſerv. l. 181. c. 38.

Auditionibus & incertis rumoribus nimium ſerviens. *Gul. Camden.* in *Hibern.* ſuâ.

Cumprimis legendus eſt *Bodinus* in *Methodo Hiſtoriarum*, qui doctè diſſerit de *Republ. Venetâ*; quanquam *Nicolaus Craſſus* quæratur quòd *Bodinus* ſit iniquior. *Herman. Conring.* de *Rep. Venetâ*.

Paſſim in *Germanos* tota mendaciorum plauſtra evomit. Quòd ſe & ſua nimium prædicare, alios verò inſolenter conculcare, præter meritum ſoleat ac rei veritatem. *Io. Quenſted.*

Ingenium hominis (*Jo. Bodini*) arridebat, placebat multa illa lectio, ſed quoties attingebat res *Germanicas*, videbam hominem errare turpiter, & judicium paſſim deſiderabam----Erat mos *Bodini*, quæcunque de exteris à circumforaneo quolibet audiret, ea abſque aliâ curâ notare & publicare. Jam edidiſſe illum lectiones

ctiones *Turnebi* in *Oppianum* pro ſuis, nemo noſtrorum ignorat: ſed in libris de *Rep.* monitus, pleraque mutavit in melius. Ego primam tantùm editionem legi, ſecundam inſpexi leviter, ſit non inutilis ejus opera, ea certè non eſt, ad quam deduci debeat adoleſcens tanquam ad fontem aut purum rivulum, *Jac. Bongarſ.* in Epiſt. ad *Conrad. Rittershuſ. Francofurt.* 4. April. 1600.

Bodinum exiſtimavi ſemper, hominem rerum quàm verborum ſtudioſiorem, Latinitate utentem haud planè nitidâ, metricarum Legum pueriliter imperitum, *Græcis* literis vix imbutum, *Hebraicorum* morum ac ſententiarum ſatis gnarum non ex interiore linguæ illius cognitione, ſed ex amicitiâ quam coluit cum doctiſſimis *Hebræorum* quæ in illo πληροφορίαν (*firmam fidem*) quæ in *Chriſtianis* requiritur, non parum labefactavit. In hiſtoriis & teſtimoniis citandis video eum à verò ſæpè abire, neglectu malo credere, quàm dolo: quanquam interdum vix eſt ut doli ſuſpicionem effugiat. *Grot.* Epiſt. ad *Joan. Cordeſium*, 19. Septemb. 1634.

In Politicis nullus jaculum extra metam expedivit, excepto *Io. Bodino*, cui uni tantùm cæteri concedunt, quicunque unquam de *Rep.* Libros edidere,

Quantum lenta ſalix pallenti cedit oliva.

Nec immeritò ſanè, cùm animum inquietum ac vaſtiſſimum quem exceperat à natura tam pertinaci ſtudio, tam inexhauſtâ doctrinâ, tam admirabili judicio excultum, ad rerum omnium comprehenſionem attulerit, ut ſuperatis linguarum penè omnium ac ſcientiarum difficultatibus, non modò naturæ Theatrum novis rationibus extruxerit, ſed Regnorum quotquot in Mundo conſtituta fuere, ſpecies, leges, inſtituta, arcana denique & virtutes ac vitia in ordinem ſapientiſſimè reduxerit, ac velut *Phœnix* unicus ſui ſæculi, ſeipſum tandem conſumpſerit in contemplatione altioris illius ſapientiæ, cujus ſecreta revereri potius ac admirari debuiſſet quàm ipſa in medium & examen, velut reliqua, omnia vocare. Sanè quantum ad ejus Remp. ſpectat, fatendum eſt opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtriâ, perfectum judicio, & ita numeris omnibus abſolutum, ut qui ab ipſo diſceſſerit haud diſſimilis videri poſſit nautis illis antiquioribus, qui neglecta vel ignoratâ *Cynoſuræ* præſtantiâ, navigationis ſuæ curſum ad avicularum quarundam placitum dirigebant, ſæpiuſque per cautes & ſaxa præcipites ferebantur *Gabr. Naud.* in Bibliograph. Polit.

Joannes Bodinus Andegavenſis Gallus, Juriſconſultus & Politicus, quem ſupra Aſtra evehit *Naudæus*, nimio amore erga civem occæcatus; celebris præ primis eſt ſex de *Republicâ* libris, in quibus varios locos civiles, veluti eum, qui de Republica optimâ tractat, deinde ordinem & demonſtrationes, modeſtiam etiam erga *Ariſtotelem* alioſve deſideramus. Sæpè nimis ad alia digreditur *Bodinus*, & nimis operoſus eſt in Hiſtoriis recenſendis quæ in ſcientiâ politicâ uno vel altero verbo erant tangendæ, uti præclarè ab *Ariſtotele* obſervatum. Plurima præterea, quæ ſunt privati & publici juris, admiſcet; quibus demptis omnibus, parum remanebit argumenti politici. Denique non tam aliarum rerum publicarum, quàm Gallicanæ

Digitized by Google

Gallicanæ peritiam habuit; hinc plurima ad ſtatum *Galliæ* pertinentia libris de *Rep.* docemur. *G. Th. Mejer.* in præfat. ad Analyſ. Polit. *Ariſtot.* n. 48.

Bodini Reſp. magis ardua & erudita. Non caret carptoribus Mihi quoque nimis ſe diffundere videtur. Sed facilè eſt in operoſo libro quod reprehendas invenire. *Chriſt. Coler.* in Epiſt. de Studio Polit.

Bodinus patrem *Jul. Scaligerum* falsò ignorantiæ Matheſeos arguit, ipſe indoctiſſimus valdéque jejunus, cùm quicquid à multis annis doctrinæ conſecutus eſt, tranſcripſerit ex aliorum laboribus, imo & ex meo libello in *Varronem* de lingua *Latiná*, cujus paginas integras ſuas fecit fur impudentiſſimus, & in unum velut chaos congeſſit, plurima ſcribens quæ ipſe non intelligit. Denique librum de *Methodo legendæ Hiſtoriæ* inſcripſit, in quo nihil minus quàm eâ de re tractat, ut titulo ſuo nullo modo reſpondeat Oratio; quod quidem *Verrius Flaccus* notavit in Originibus *Catonis*, que nihil minus inquirunt quàm *Italiæ* Origines. Porrò ſi quis velit in illum ſcribere, ſcribenda ipſi tradam: neque enim mihi honoris loco ducam aliquid proferre quod meo nomine circumferatur. *Scalig.* 1.

Joannes Bodinus bonus Autor eſt ætatis noſtræ, multóque ſolidiori judicio inſtructus quàm turba Scribillatorum ſeculi ſui; dignuſque qui ab æquis rerum judicibus exiſtimetur. *Montagne* ſuorum Tentaminum. lib. 1. c. 32. Gall.

Cujacius & *Poſſevinus* apertum illi bellum indixerunt: *Cujacius* enim vocat illum temerarium, inſolentem, mendacem; hocque anagrammate nomen ejus deluſit, *Jo. Bodinus, Andius ſine Bono. Poſſevinus* verò, Opera ejus ingenti errorum, hereſeωn & impietatum numero referta eſſe contendit, ut cernere eſt in celebris illius Jeſuitæ Bibliotheca, ejuſque libro cui titulus *Judicium de quatuor Scriptoribus* &c. *Boccalinus* ſcripſit *Bodinum* igne damnatum fuiſſe ab *Apolline*, eo quod libris ſuis aſſeverare ſit auſus, Principes *libertatem Conſcientiæ* ſubditis ſuis concedere teneri. *Mornacus* libro ſuo qui inſcribitur *Feriæ Forenſes*, quatuor hæc carmina in ejus laudem cecinit.

Iani Bodini Gallicam Rempublicam
Qui viderit, majus nihil fatebitur,
In eruditâ luce priſci ſeculi.
Gallus hic, olim quod Quiriti Tullius

Quamvis tamen *Bodinus* eruditionis reconditæ ac non vulgaris facundiæ vir fuerit, à *Sammarthano* & *Loiſ.* fuit obſervatum, eum inter *Pariſ.* Senatûs Cauſidicos clareſcere nunquam potuiſſe, unde etiam cùm ſe in hac arte minus felicem deprehenderet, Forum penitus deſerere apud ſe decreverit, Duciſque *Andegavenſis* miniſterio ſe ſe addicere. *Ant. Teiſſier.* Elog. Vir. Erud. Gal.

Illud velim ex te ſcire, quare Pontificii tam acerbè quotidie in *Bodinum* declament. Certè quòd mancipium ambitionis fuerit, propterea odio illis eſſe eum non crediderim. Aliam ſubeſſe cauſam neceſſe eſt; quam ex te ſcire velim. Hujus igitur tam inopinati odii cauſam, & quare hominem pridem mortuum canes ex tumulo eruant, neque ejus manes quieſcere ſinant, à vobis expecto. *Joſ. Scalig. Car. Labbæo Lugd. Bat.* 4. Kal. Mart. 1607

Digitized by Google

* *Joannis Bodini Andegavenſis Dæmonomania*, ejuſdem de *Republicâ*, & *Methodus* ad Facilem *Hiſtoriarum* cognitionem; item univerſæ *Naturæ Theatrum*, inter libros prohibitos rejiciuntur *Indice Romæ* impreſſo, 8°. anno 1681.

Extat de *Republicâ* Lat. *Par.* 1586. Fol.

Extat Opinionum *Io. Wierii* confutatio. *Francof.* 1603. 8°.

Extat Juris Univerſi diſtributio. *Col. Agr.* 1580. 8°.

Extat univerſæ Naturæ Theatrum *Francof.* 1597. 8°.

Extat Methodus Hiſtorica 1595. 8°.

Pauperrimus obiit; ideoque feceriſſimum fuit Anagramma

JOANNES BODINUS]

ANDIUS SINE BONO.

GULIELMUS CANTERUS.

Clar. An. D. MDLXX.

IN *Batavorum* Urbe *Trajectenſi*, ad veterem *Rheni* alveum, familiâ antiquâ & clarâ natus, Scholam Patriam, cui *Georgius Macropedius* tum præerat, puer frequentavit. Annos 12. natus *Cornelio Valerio, Latina Lovanii* in Gymnaſio Trilingui profitenti, in diſciplinam datur. Hujus lateri annos ampliùs quatuor adhæſit, & admodum adoleſcens Tragœdias *Latinè* conſcripſit. Inde *Lutetiam* profectus, *Ioanni Aurato*, Regio *Græcarum* literarum Profeſſori, & ævi ſui ſummo Poëtæ, contubernalis fuit. Sed turbis civilibus exortis, cùm *Galliæ* Academias pleraſque luſtraſſet, *Italiam* ingeniorum parentem adiit; *Bononiæ Carolo Sigonio* innotuit; eique poſteà *Novarum Lectionum* libros inſcripſit. Pòſt *Lovanium* per *Germaniam* reverſus, tam immodicè ſtudiis totum ſe tradidit, ut mortem properaſſe credatur. In certas operas diem ita partiebatur, ut alia ante meridiem, pomeridianis horis alia ſtudia tractaret. Simile de avunculo ſuo *Plinio* ſcribit & jactat alter *Plinius*: atqui ignavum ac deſidem illum dixeris, ſi cum hoc aſſiduo atque indefeſſo homine compares. Omnes non ſolùm dies appendit & numeravit ad ſtudiorum tractationem, ſed horas etiam ſingulas ad clepſydram diviſit, & attribuit huic lectioni, aut huic ſcriptioni; quod niſi ipſe præfando in *Stobæi Eclogas* à ſe *Latinè* redditas, teſtaretur, incredibile fortaſſe videri queat. Atque his quidem continuis laboribus culmen ſolidæ eruditionis attigit, & in *Græcis Latiniſ*que ad ſummam laudem pervenit: ut doctrina ætatem tranſierit. Bibliothecam habuit inſtructiſſimam, collectis ex mediâ *Græciâ* & *Italiâ* libris calamo exaratis, quos extrudere aliquando decreverat. Sed ut optima quæque in terris diurnare non ſolent, longâ tabe 1575 extinguitur *Lovanii*, cùm tertium & triceſimum ætatis annum nondum attigiſſet: in cujus immaturo interitu magnum *Græcæ Latinæ*que literæ damnum fecerunt. *Aub. Miræus.*

Gulielmus

Digitized by Google

Gulielmus Canterus, primis utriuſque linguæ rudimentis ſub *Ioanne Aurato*, optimo Juventutis Præceptore, *Lutetiæ* factis, induſtriâ propriâ tantum profecit, ut editis quamplurimis *Scriptis* inter eruditiſſimos ſui ſeculi numerari meruerit, plura utique præſtiturus, niſi eum mors immatura eripuiſſet. *Thuan.* ad ann. 1575.

Scripta ejus ſunt: Novarum Lectionum libri 8.—Syntagma de ratione emendandi *Græcos* Autores---Notæ breves in Epiſtolas Familiares *Ciceronis*.---Scholia brevia in *Propertium*---Variarum in *Græcis Bibliis* Lectionum Libellus---*Auſonii* Epitaphia Heroum qui Bello *Trojano* interfuerunt emendata.---Emendationes in *Euripidem, Sophoclem*, & *Æſchylum*, oſtenſâ carminum ratione, antea aut ignoratâ penitus, aut obſcuriore, unâ cum ſententiis inſignioribus *Latino* verſu redditis---Emendationes & Explicationes in Epiſtolas *Ciceronis* ad *Atticum*---Tabella in *Ciceronis* libros de Officiis---Tabella in *Cornelii Valerii* Phyſicam---Notæ in *Arnobium*. Multa etiam tranſtulit.

Gulielmus Canterus, vir magnâ eruditione præditus: præter Patriam, hoc eſt *Belgicam* linguam, ſex calluit exoticas, *Latinam* ſcilicet, *Græcam*, *Hebraicam*, *Germanicam*, *Gallicam* & *Italicam*. *Melch. Adam.*

Studia calidè ille (*Gul. Canterus*) nimis habuit & intentè. Nunquam vidi tam indefeſſum ingenium: Semper ille in libris, chartis; noctu, diu; aſſiduus, accubuus: nec dies ſolum omnes appenſi & numerati ad hanc curam, ſed horæ. Quas ſingulas ad clepſydram dividere, & attribuere ille ſolitus huic lectioni, aut huic ſcriptioni. *Lipſ.* in Centur. 1. Miſcellan. Epiſt. Epiſt. 1.

Fratris tui *Gulielmi* præcipiti morte jacturam & nos fecimus, & *Muſæ* Noſtræ micillæ, adjutoris, & magni quidem ſi vita longior contigiſſet. *Lipſ.* l.4. Epiſt. Quæſt Epiſt. 24. *Theodoro Cantero.*

Si quis abſolutum ſpecimen deſideret hominis ſtudioſi, & ejus qui literis promovendis totus ſe conſecravit, in *Gulielmo Cantero* ad amuſſim expreſſum repeziat—Extant ejus *Novarum Lectionum* libri octo, in quibus cùm plurimis ac diverſiſſimis autoribus integritatem ſuam reſtituat, quantus ipſe librorum helluo fuerit, declaravit. Extat ejus *Syntagma de ratione emendandi Græcos autores*, in quo cùm infinita menda ex diverſis autoribus tollat, tum abundè etiam declarat, quàm non oſcitanter in evolvendis autorum *Scriptis* verſatus fuerit; utroque autem opere ſtudioſis multum difficultatis & impedimenti adimit. Conſimili induſtriâ ac fructu & in reliquis verſatus eſt. *Suffrid. Petrus* de Script. Friſiæ.

Græcè doctiſſimus fuit, quemadmodum è tranſlationibus, quas adornavit, manifeſtum eſt. *Ælii Ariſtidis* enim orationes elegantiſſimè tranſtulit. *Stobæi* quoque duos Eclogarum libros, quorum prior res *Phyſicas*, poſterior *Ethicas* complectitur, *Latinâ* civitate donavit. *Konig.*

Hadriano Junio felicior ab omni laude *Gul. Canterus*, *Ariſtidem* ita vertit, ut non fruſtrà fidem ſuam in *Prolegomenis* venditaſſe viſus ſit; non plus ſibi ſumpſit licentiæ, quàm dabat explanata *Oratoris* copia; *Euripidem*, ut in *Poetis* fieri amat, de verbo ad verbum extulit; & niſi *Lycophronis* obſtitiſſent anguſtiæ, & quæſita obſcuritas, omni eum ex parte adæquâſſet. *Huet.* de Clar. Interpr.

Digitized by Google

'Quoniam ad literas propenſioris eſſet ingenii, magnum brevi tempore pro-
'greſſum in iis fecit, præſertim verò in Veterum Authorum intelligentia & Do-
'ctarum *Linguarum* quas in *Belgio* didicit, & poſtea excoluit in ſuis per *Galliam*,
'*Italiam* & *Germaniam* peregrinationibus. Imo & illis Regionibus Erudito-
'rum amicitiam adeptus eſt in quorum cognitionem venit. Inprimis verò ma-
'gni fecit *Aurati*, *Mureti*, *Sigonii* & *Fulvii Urſini* familiaritatem. Splendidam
'habebat Bibliothecam *Canterus*, quam Theodoro Fratri poſt ſe reliquit *Mo-
'reri* Diction. Gallico majori.

'*Canterus* in Poëtica, in Rhetorica, in Hiſtoria & in Critica verſatiſſimus
'erat. Ejus *Proſa* ejuſque *Carmina Latina* mirabili concinnitate ac elegantia
'ſplendent. *Ant. Teiſſier* Elogiis Viror. Elog. Gall.

Quis hoc legens Elogium non ſtupeſcet, Quomodò ſcilicet *Guliel. Canterus* nondum egreſſus ætatem annorum trium & triginta, tanto uſus fuerit otio ut & conſcribere, & in publicum edere potuerit tot opera, quæ cum ſint omnia bonæ doctrinæ variæque eruditionis plena, optimoque ſtylo elaborata, magno ſunt emolumento toti Literatorum Reipublicæ *Ghilini* Theatro Virorum Literatorum. Italicè.

Octo ejus libri Nov. Lectionum Tomo tertio Lampadis Criticæ inſerti ſunt. Alia ejus opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium:

Nobili, variâque eruditione utriuſque linguæ monumentis claro Viro Gulielmo Cantero Ultrajectino, *qui XXXIII. Annos natus, minus LXVI. diebus obiit XV. Iunii, MDLXXV. Fratri ſuo Cariſſ.* Theodorus Canterus *poſuit*.

PETRUS CIACCONIUS.

Clar. An. D. MDLXX.

HOneſtis, ſed tenuioris rei parentibus, *Toleti Carpetanorum* natus eſt. *Romæ*, cùm annos LVI. vixiſſet, die XXVI. Octobris, anno MDLXXXI. animam efflavit.

Scripta ejus hæc ſunt: Kalendarii *Romani* Veteris explanatio---In *Salluſtium* Notæ---In *Cæſaris* Commentaria Scholia uberiora---In Inſcriptionem columnæ Roſtratæ C. *Duilii* Commentarius---De Ponderibus & Menſuris---De Triclinio Romano---Notæ ad *Arnobium* & *Octavium Minucii Felicis*--- In *Joannis Caſſiani* opera Annotationes doctiſſimæ---In *Tertullianum* conjecturæ. *Deſiderantur & expectantur* Notæ in *Marcum Varronem* de linguâ Latinâ, & Re Ruſticâ: In *Pomponium Melam*: In *Plinii Majoris* Naturalis Hiſtoriæ libros docta Commentaria.

Ciacconius vir exquiſitâ in omni ſcientiarum genere, antiquitatis & omnis politioris literaturæ cognitione clarus: Et quem unum video ex omni literatorum, qui ævo noſtro innotuerant, numero, qui *Æmaro Ranconeto* noſtro comparari

Digitized by Google

parari poſſit. *Thuan.* lib. 4.

Erat raræ ad miraculum uſque eruditionis, ut emendandis antiquis Scriptoribus natum diceres---Si de aliorum ingeniis Scriptiſque, quæ ipſe improbaret, ſententiam rogatus eſſet, Criticus acer & vehemens, nemo ut illi, ac ne ſibi quidem ille ſatisfaceret. *Andr. Schott.* in vit. *Ciaccon.*

Emendavit *Petrus Ciacconius*, cujus codex apud me eſt ſummo in pretio, ut debent eſſe apud omnes bonos omnia viri illius, cum quo nullus ſæculi noſtri mortalis comparandus. *Laurent. Ramirez*, Hypomnemat. ad *Martialis* lib, Spectaculorum, Epigram. 22.

Petrus Ciacconius Hiſpanorum eruditiſſimus. *Laurent. Pignor.* Commentar. de ſervis.

Ciacconius inter ſummos criticos, niſi ſummus dies occupaſſet. *Lipſ.* Comment. in *Senec.*

Quem veterum invenias librum, in quo doctrinæ vel eruditionis aliquid inſit, quem non legendum, examinandum, caſtigandumque ſuſceperit?---Omninò habebat hoc, ut, in ſanandis veterum librorum tanquam plagis, nemo ipsô meliùs medicinam faceret, adeò, ut auctorum eorundem animi, ut ſomniavit *Pythagoras* immigraſſe in ipſum, ſuamque eidem, de iis rebus quæ erant in quæſtione, ſententiam quodammodo aperuiſſe viderentur. *Ianus Nicius Erythr.* Pinacothec.

Ciacconius de *Triclinio* bellè ſcripſit, ſed pleraque parum explicatè. *Iul. Caſ. Bulenger.* ad Lect. Libror. ſuor. de Conviviis.

Ciacconius honeſtus Hiſpanus: multa tamen erravit libro ſuo de *Triclinio*. *P. Ciacconius Hiſpanus* erat doctus: erat presbyter *Romæ. Scal.* 2.

In *Salluſtio* & *Plinianâ* Hiſtoriâ, pluribuſque *Claſſicis*, *Petrus Ciacconius*, *Tolatanus*, non infeliciter adſectaverat G. *Sciop.* de Art. Critic. p. 16.

Inter *Italos Criticos Fulvius Urſinus*, inter *Hiſpanos Petrus Ciacconius*, inter *Gallos Hadrianus Turnebus*, inter *Germanos Iuſtus Lipſius*, familiam ducunt, *Gaſp. Sciop.* Conſult. p. 39. 40.

Patriam quoque præbuit *Toletum Petro Ciacconio*, Presbyt. quem *Ianus Nicius Erythraus in Pinacothecâ* ſuâ, plenum doctrinarum omnium theſaurum, vel potius perenne ſcientiarum omnium flumen vocat, ab aliis *Varro* ſui ſeculi, ut ſummæ doctrinæ, ſic gloriæ contemptor acerrimus dicitur. *Quenſted.*

In *Petro Ciacconio* Religioſo ſeculari, honorandis parentibus orto, mediocris tamen conditionis, *Toleti* quæ *Caſtilia* novæ civitas eſt in *Hiſpania*, anno 1527. collocatæ fuerunt nobiles omnes dotes quæ inſtructiſſimo Literato conveniunt, ſublimis enim ingenii, tenaciſſimæque memoriæ fuit. Linguarum *Græca* ac *Latina* callentiſſimus fuit, ſolitudinem amavit: librorum helluo fuit; dulciſſima converſatio ejus in legendo & componendo poſita erat; nec ullam ambivit fortunam *Ghilini* Theatro. Ital.

Liber de *Romanorum Triclinio* prodiit *Romæ* 1588. in 8°. *Genevæ* 1590. in 8°. *Amſtelodami* 1664. in 12. cum Figuris.

Commentarius in Columnæ roſtratæ *C. Duilii* inſcriptionem à ſe conjecturâ ſupple-

ſuppletam:Prodiit *Lugduni Bat.* ex Offic. *Plantin.* apud *Franciſc. Raphelengium* 8°. 1597.

Prodiit de ponderibus, menſuris & nummis Opuſculum. Additus eſt Com. de columnâ. *Romæ* ex Typogr. Vaticana 8°. 1605. & anteà ann. 1586.

Hoc ejus Epitaphium: in æde S. *Iacobo Apoſtolo* ſacrâ.

Petro Ciacconio, *presbytero* Toletano, *in quo multiplicis doctrinæ copia cum vitæ ac morum integritate certabat qui à* Gregorio *XIII. S. S. Patrum libris, ſacriſque Canonibus & Bibliis perpurgandis præpoſitus, in eo munere obeundo eruditione, judicio, fide ac diligentiâ præſtitit. Eccleſia* S. Jacobi Hiſpanorum, *qui urbem colunt, hæres ab eo inſtituta, monumentum hoc poſuit. Vixit annos 56. obiit anno* 1581. *VII. Cal. Novemb.*

JACOBUS CUJACIUS.

Clar. An. D. MDLXX. GAllus, *Tholoſæ* natus, anno *Dom.* 1590. obiit ſeptuagenarius, magni nominis Juriſconſultus. Mortui vitam & mores *Papirius Maſſonus*, quâ ſolet ſtyli elegantiâ, ad poſteros tranſmiſit. *Scripſit* plurima quæ ad Juriſprudentiam pertinent.

Iacobo Cujacio in Urbe *Tectoſagum* genere humili nato præcelſum ac planè cœleſte ingenium *Natura* conceſſerat, cujus unius ope, nec ullis præterea Magiſtris adjutus, ſupremum illum eruditionis gradum attigit, quo latè conſpicuum & nitentem hâc ætate vidimus, dum incredibili nationum omnium concurſu intima juris & antiquitatis penetralia, quorum aditus penes illum erant, juventuti aperiret ac reſolveret. Docuit enim pluribus in locis, ac præſertim apud *Biturigas*, ubi maximo illius Urbis ornamento longiſſimè commoratus eſt *Scævol. Samarthan.*

Iacobus Cujacius, Tholoſæ natus, rarum non ſolùm *Galliæ*, ſed univerſi *Chriſtiani* Orbis, in quo literæ & Juriſprudentia vigent, ornamentum à ſummis juris conditoribus *Interpres primus & ultimus*: cui, quicquid puræ nativæque lucis ei ſcientiæ undecunque acceſſit, ætas hæc debet, & poſtera debitura eſt. Hæc enim *Elogia* illi à viro doctiſſimo & gratiſſimo *P. Pithœo* meritò tributa ſunt. Huic rarâ felicitate (quod vix aliis poſt mortem datur) contigit, ut vivus videnſque laude, quam meruerat, frueretur; & in *Foro* ac ſubſelliis (ubi purior Juris veteris ſcientiâ, quam ille profitebatur, à *Pragmaticis* noſtris minore in pretio habetur) cùm alii peculiari quiſque nomine ſuo citentur, ipſe per eminentiam *Juriſconſulti* nomine appellaretur. *Thuan.* ad ann. 1590.

Iacobus Cujacius Tholoſas, quod poſteri fortaſſi mirabuntur, ſeipſum in *Græcis* ferè *Latiniſ*que politioribus literis, docente nullo, erudiit: quam ob cauſam à nobis raro præclaroque nomine *αὐτοδίδακτος* appellabitur: ac juris *Romani* radices tantâ curâ effoſſas in lucem protulit, ut cæteri antè ignoraſſe illas, ipſe ſolus poſt

Digitized by Google

poſt multos & quæſiviſſe diligentiùs & penitùs inveniſſe videatur. Sanè nullus hâc ætate, ſive in *Galliâ*, ſive in *Germaniâ*, aut *Italiâ*, aliiſve Provinciis Juris interpres fuit, qui non deberi plurimum *Cujacio* putaverit, ob exponendi Juris *Romani* ſolertiam---Scripſit, atque edidit quamplurima, quæ & ſtylo & gravitate rerum, *Africanum* & *Papinianum* redolent, mentione in iis factâ amicorum per quos profecerat, quod magna ingenia laudem ex alienis habitura perindè ac ſuis ſæpè fecerunt---ut vero *Cujacii* cæteras virtutes ac laudes, plenâ manu in aſtra benevoli Auditores ferebant, ita mirandum in modum ſuſpicere ac prædicare ſoliti erant, & meritò quidem, quòd, ſeu difficiles, ſeu non uſque adeò obſcuras leges expoſiturus eſſet, continuas ſe vel ſeptem aut octo horas ſingulis lectionibus meditandis dirigendiſque impendebat, antequam auditorii ſuggeſtum conſcenderet, ac ſi quâ de re vel tantillum non ſatis ſibi liqueret, ultrò comperendinabat, id à ſe ſibi, ſuæque exiſtimationi tribui prædicans. *Papir. Maſſon.* in vita ejus.

Cujacius Juriſconſultorum Phœnix, doctor meus multis nominibus de me optimè meritus. *Ioſ. Scalig.* in *Varron.* de re Ruſt.

Cujacii Obſervationes Divinum Opus vocat clariſſimus *Thuanus.*

Nullus adhuc tam deſertus in totâ *Legum* vaſtitate angulus fuerit, quem non ingenii doctrinæque luce perluſtrarit. *Petrus Ramus* l. 2. Schol. Mathemat.

Cujacius præſertim *novorum* princeps legendus, vir non in *jure* tantùm, ſed in omnibus literis apprimè exercitatus: Quanquam meâ ſententiâ magis aptus ei, qui animi causâ, & *Romanæ* tantùm *Antiquitatis* noſcendæ, *juri* operam dabit, quàm ei, qui in foro, & in litibus verſari volet; legendus tamen ob juris in doctrinâ excellentiam. *Roland. Mareſ.* l. 1. Epiſt. Epiſt. 40.

Quô doctiorem, acutiorem aut judicii ſincerioris *Iuriſconſultum* nulla ætas vidit, nulla opinor videbit. *Iſ. Caſaub.* Not. in *Lamprid.*

Illa tua, *Cujaci*, velut propria laus, exacta certaque eſſe quæ ſemel ex adyto tui pectoris profuſa. *Lipſ.* Epiſt. Centur. 1. Miſcell. Epiſt. 67.

Jacobus Cujacius, quanta mendarum millia ex *Iuris Civilis* libris & promiſcuè variis Auctoribus exoneraverit, oratione meâ haudquaquam exponere queam. *Sciopp.* de *Arte Critic.* p. 8.

Primores excellentiores eminentioreſq; in Gente noſtra Viri fuerunt *Cujacius*, *Ronſardus* & *Fernelius*. *Cujacius* præterquam quòd præſtans erat Juriſconſultus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcientiſſimus erat. Delector Lectione Obſervationum *Cujacii*, quæ ſcripſit preſſa ſunt atque ſolidiſſima. *Perroniana.* Gall.

Cujacius eſt Margarita *Iuriſconſultorum*. Scripſit ſibi & doctis tantùm---Non omnibus datum, etiam doctis, ſed raræ cujuſdam felicitatis eſt, bonos auctores corrigere, & ſuæ dignitati atque nitori reſtituere; nec quenquam hodiè novi qui id præſtare poſſit præter Dom. *Cujacium*, & Dom. *Auratum*. *Scaligeran.* 1. p. 18. & 67.

Cujacius theoriam juris Veteris *Romani* calluit optimè, practicæ non ignarus tantùm, ſed, ſi quid in eâ ſciret, dediſcendi cupidiſſimus, utpote quod ipſum à Jure *Romano* diverteret. Idem hoc obtinuerat, ne exploderetur: nam diſceſſiſſet,

ſi vel minimum contra lubitum obſtreperent Auditores. Dominus Cujacius tam bonus vir fuit; Diſcipulorum Pater erat, & pluſquam quatuor millium librarum jacturam fecit, quod pecunias Diſcipulis ſuis commodaſſet. Scaligerana 2.

Addendus huc etiam *Jacobus Cujacius*, ætatis noſtræ facilè conſultiſſimus, illius verò artis (*interpretandi*) minimè rudis. In ſexageſimo quippe βασιλικῶν libro interpretando ita verſatus eſt, ut fidei ſuæ promiſſum planè præſtiterit, neque deſciverit à præſcripto *Juſtiniani*, quo leges ſuas κατὰ πόδα verti ſanxit. Aliquos prætereà operis ejuſdem libros in *Latinum* Sermonem tranſcriptos aditurum ſe receperat; verum mors conſilium intercepit. Minimè autem iis aſſentiendum, *qui* (ut videre eſt in *Caſaub.* Epiſt. 263.) *inauditâ mentiendi & falſa fingendi licentiâ, Latinam illam Græcarum Epiſtolarum Interpretationem ei adſcripſerunt, & ſub tam illuſtri nomine obſcuri cujuſdam* & *mediocriter docti* Germani *verſionem*, cæteròqui non aſpernandam, & verborum ac ſententiarum ſatis tenacem *publicarunt*; *quum* Franciſcus Pithæus, *à quo illi habuerunt*, *tam ſæpè mihi in Bibliothecâ ſuâ oſtenderit*, & Baſileæ *neſcio quo caſu ſibi repertam dixerit*. *Huet.* de Clar. Interpret.

Studere ſolebat in tapete proſtratus, pronus in ventrem, libris circa ſe diſpoſitis. Diſcipulos ſuos adeo diligebat ut pecuniam iis dum illa indigerent, commodaret, & Scaliger aſſeverat eum hoc pacto pluſquam quater mille libras perdidiſſe. Miſſam & Proceſſiones frequentabat; quia verò in partes *Henrici IV.* contra Factionem ei adverſam tranſivit, *Proteſtantibus* ipſum aſcendendum eſſe voluit vulgus, & pluries per ſicarios cædes illi fuit intentata. Teſtamento ſuo Eccleſiam *Romanam* nullatenus meminit, ſed uxorem hortatus eſt ut filiam ſuam in *Dei* timore inſtitueret, Scripturæ nihil addendo vel detrahendo. Veruntamen præclarus vir ille hac ærumna exercitus eſt, quod filiam genuerit tam nefariæ proſtitutioni deditam, ut de vitio ſuo gloriaretur, & alta voce prædicaret ſe ſibi non minorem famam ex impudicitate quæſituram, quàm parens ſuus eruditione illuſtris erat. *Ant. Teiſſier* Elogiis Viror. eruditorum. Gall.

Extant Opera omnia in Tomos V. digeſta. *Pariſiis* apud *Seb. Nivellium* 1584. fol.

Hoc ejus Epitaphium:

Jac. Cujacio V. C.

Tholoſa illius dum quondam *Palladia* fuit alumno ſubcinericio, hæredique ex aſſe Poſtumo *Romani Iuris* à ſummis conditoribus interpreti primo & ultimo, cui quicquid puræ nativæque lucis & ſcientiæ undecunque acceſſit, ætas ſua debet, poſtera etiam, ſi quæ Legum cura manet, debitura eſt *P. Pithæus* P. F. Doctori bene de ſe, bene de literis omnibus merito.

M. P.

Digitized by Google

M. P.

Vale, *Cujaci*, nos te ordine, quem *Deus* & *Natura* juſſerit, cuncti ſequemur. Deceſſit IV. Non. Octob. Annos natus P. M. LXVIII. CIↃ. IↃ. XC.

Cujaci Themidiſ*que vides commune Sepulchrum*,
Conduntur ſimul hic, qui periere ſimul.

* Ejus Opera *Lugduni* ſumptibus *Pillihote* 1606. cum expurgationibus permittuntur. *Index Madrit.* edit. an. 1667.

HUBERTUS GOLTZIUS.

V*Enloæ* in *Geldria* oppido natus, die 30. Octobris, ann. 1526. Obiit *Brugis Flandrorum*, die 24. Martii, ann. 1583. Clar. A.D. MDLXX.

Erat Antiquarius eximius & Numiſmatum indagator acerrimus. Unde gloriari haud dubitavit, à nemine tam multa tamque varia numiſmata conſpecta, attrectata, & delineata eſſe, quàm à ſe. *Konig.*

Scripta ejus hæc ſunt: Imperatorum ferè omnium vivæ Imagines, à *C. Iulio Cæſare* ad *Carolum* V. ex veteribus numiſmatibus----Faſti Magiſtratuum, & Triumphorum *Romanorum*, ab Urbe conditâ uſque ad *Auguſti* obitum---Animadverſiones in aliquot faſtorum locos----Catalogus Conſulum ab Auguſti obitu ad *Iuſtinianum*----De Origine, & Statu Populi *Romani*-----Theſaurus rei Antiquariæ----Vitæ & res geſtæ *Iulii Cæſaris*, cum Numiſmatibus ejuſdem, ac *Bruti*, *Caſſii*, *Lepidi*, *M. Antonii*, &c.------Compendioſa eorum quæ poſt cædem *Iulii Cæſaris* uſque ad Triumviratum geſta ſunt, narratio----Faſti Magiſtratuum & Triumphorum *Romanorum*, qui ad *Iulii Cæſaris* tempora pertinent, cum Animadverſionibus in eoſdem----Vita, & res geſtæ *Auguſti Cæſaris*, ex Nummis inſcriptionibus antiquis-----*Sicilia*, & Magna *Græcia*, ſive Hiſtoria Urbium, & Populorum *Græciæ* ex antiquis Numiſmatibus-----Itinerarium per *Italiam*, *Germaniam* ac *Galliam*.

Noſter *Goltzius*, altera in *Græcâ* & *Romana* Antiquitate inveſtigandâ *Varro*. *Lud. Carrio* Comment. 2. Antiq. Lect. c. 3.

Antiquitatum omnis generis altiſſimus Gurges. *Had. Iun.*

Tua virtus, diligentia maxima, eruditio, induſtria, tantarum rerum cognitio, & judicium ita mihi placent, ut vix ullius hominis amplius. *Georg. Fabric.* in lit. ann. 1573. ſcriptis.

Hubertus Goltzius, fulgidiſſimum illud rei Antiquariæ ſidus. *Abrah. Gorlæus* ad Lect. Lit. quas Dactylioth. ſuæ præmiſit.

Goltzius diligens & utilis Scriptor. *Thom. Dempſter.* in Elench. Scriptor.

Hubertus Goltzius, cui Antiquitas *Græca* & *Romana*, ſecundùm *Onuphrium*,

Panvinium, Antonium Auguſtinum, Fulvium Urſinum, debet plurimum, arte cælandi ac Scriptis propriis ad utramque multum contulit, *Thuan.* l. 78.

Magna profectò debetur gratia viro ingenioſiſſimo & laborioſiſſimo, cui *Germania* parem, nedum ſuperiorem, in hoc tali antiquitatis ſtudio non habuit: quique nullum ferè ſpiritum tranquillum duxit, quò aliquid in Reipublicæ literariæ conferret utilitatem. *Melch. Adam* in Vit. *Goltz.*

Vidi Faſtos Conſulares tuos. Quid magis mirer? diligentiam in quærendis tot nummis? felicitatem in reperiendis? an manum & artem in exprimendis? *Lipſ.* l. 2. Epiſtol. Quæſt. Epiſt. 21.

Goltzius nihil me docet, ſcio omnia illa; ſed eſt bonus liber pro Tyronibus. *Scaligerana* poſterior.

Hubertus Goltzius in Pictura, in Sculptura & in Antiquitatis cognitione excelluit. Totam *Germaniam, Galliam & Italiam* Equitis *Marci Laurini* ſumptibus perluſtravit, ſollicitéque perquiſivit ac ſolertiſſimè delineavit vetera omnia *Numiſmata*, quæ in Curioſorum Conclavibus offendere potuit. Eaque à ſe ſculpta Doctis Commentariis explicavit. *Anton. Teiſſier.* Elogiis Vir. Erudit. Gall.

Goltzius adeo ſolerter parallelliſmum fecit inter *Imperatorum Numiſmata* & veteres Hiſtorias, ut plurima luce diei digna dilucidaverit; quæ eatenus in obſcuritate & confuſione delituerant, & ad quæ ſagaciſſimi Commentatores pertingere nondum valuerant. Quoniam verebatur ne illaberentur menda in Operum ſuorum Impreſſionem, quibus eorum pretium vileſcere potuiſſet, intra proprios lares inſignem *Typographiam* ſtruxit, in qua Editiones omnes manibus ejus tractabantur, & ab illo ſolo corrigebantur: Quas etiam ſuis omnibus numeris tam abſolutas præſtitit in arte cælaudi, in characteris munditie & in ſermonis elegantia, ut per univerſam *Europam* cum ſtupore conſpectæ fuerint, ſintque etiamnum inſigni ornatui intra celeberrimas *Bibliothecas*----Tam impensè *Romanam Antiquitatem* amabat, ut illius in ſuâ familiâ, vitam revocare velle videretur, nominibus *Iulii Marcelli* aliiſque ſimilibus quæ liberis ſuis imponebat. *Iſ. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gallicè.

Nullus quoque præterire poſſum, quod mirandum tamen eſt, doctiſſimum cæteroquin *Hubertum Goltzium*, virum cui erudito ſcriptis non & famâ cognitum, *Martinii Smetii Inſcriptiones Antiquas* ſuo nomine publicâſſe; quod hiſce verſiculis *Hadrianus Damman. Gand*, ejus operi præfixis, eleganter ſanè deſcribit:

Sed neque te Goltzi *decuit, quæ* Smetius *olim*
Priva reliquiſſet viduæ, tua dicere, cunctis
Vendereque: os homini! poſtliminione putaſſes
Vindicias peterent Manes *&* poſthuma proles.

Janſon. *Nov. Antiq. p.* 27. 28.

Prodiit liber de Origine & Statu Populi *Romani*, Faſtis *Goltzii* ſubjectus *Brugis Flandrorum*, 1566. in Fol.

Prodiit

Digitized by Google

Prodiit vita & res geſtæ *Cæſaris Auguſti*, Fol. *Brugis Flandrorum* 1580.
Prodiit Theſaurus Rei Antiquariæ 4°. *Antverpiæ* 1580.
Extant Opera omnia, 5. Tomis. *Ant.* 1645.

In Effigiem *Huberti Goltzii* hæc carmina compoſuit *Daniel Rogerius Anglus*:

Goltzion *arte parem pingendi cernis* Apelli,
Sculpendique parem, *culte* Lyſippe, *tibi:*
Notitia Imperii Graii *pariterque* Latini,
Varroni *ſimilem*, Pauſaniæque *ſimul*.

GUIDO PANCIROLUS.

IUriſconſultus, natione *Italus*, Patriâ *Rhegienſis*, natus eſt ann. 1523. *Patavii* obiit ann. 1591. XVI. Kal. Junii. Clar. A. D. MDLXX.

Scripta ejus hæc ſunt; De Rebus deperditis, & de rebus recèns inventis---- Commentarius in Notitiam *Dignitatum utriuſque Imperii*---De Magiſtratibus Municipalibus, & Corporibus Artificum libellus----De quatuordecim utriuſque tam veteris, quàm novæ Urbis, earundemque ædificiis tàm publicis, quàm privatis libellus------Theſaurus variarum lectionum in tres libros digeſtus--- Reſponſorum & Allegationum in *Iure* volumen unum-----De Origine & Auctoritate Juriſconſultorum, & de viris illuſtribus maximè in *Iure*-----De Origine & Auctoritate Equitum-----De *Iuris* Antiquitate----De Numiſmatis Antiquis----Comment. in *Tertulliani* Opera---Volumen, in quo plurimæ novæ legum *Explicationes* continentur.

Guidus Panzirollus, Juriſconſultus doctiſſimus, & elegantiſſimus, & non ſolùm in *Iure Civili*, ſed etiam in omnibus bonis literis, nempe his, quas *Humaniores* vocamus, optimè verſatus, nec in *Romanis Antiquitatibus* mediocriter inſtructus. *Conſtant. Land.* in Explicat. *Numiſmat. Roman.*

Guidus Pancirolus, præceptor meus, vir optimus & eruditiſſimus, cujus ea revera laus fuit, ut, qui eum viderent, loquentemque audirent, redirent ferè doctiores cultioreſque. *Laurent. Pignor.* in Commentar. de *Servis*.

Guidus Pancirolius Juriſconſultus inſigni doctrinâ, & *Criticus* exactus. *Thom. Dempſter.* in Elench. Scriptor.

Guidus Pancirolius Juriſconſultus, & penitioris omnis antiquitatis uberrimus promus condus. *Felix Oſius* in Not. ad Albertin. *Muſati* Auguſtam Hiſt. l. 1. Rubricâ 1.

Supereſt liber ſcriptus ſeculo 5. dictus *Notitia utriuſque Imperii*, abſque quo nemo poterit *Codicem Iuſtinianeum* intelligere. Extat in illum doctiſſimus *Commentarius Pancirolli*, Juriſconſulti *Italici*, tantâ diligentiâ confectus, ut non poteris & curam & judicium viris ſatis laudare. *Herman. Conring.*

Ut nos docet *Notitia Imperii*, & ad illam in nunquam ſatis deprædicandis Commentariis *Guido Pancirolus*. *Herman. Conring.* Diſſertat. 3. de Academicis Antiquit.

Digitized by Google

Guidonis Pancirolli, magnæ gloriæ Juriſconſulti, operoſi ſunt Commentarii in auguſtiſſimum illud opus, inexhauſtum reconditæ antiquitatis Theſaurum, qui *Imperii utriuſque notitia* inſcribitur. *Douſa* Annal. *Holland.* lib.v. p. 220.

Juriſconſultus clariſſimus, ſcripſit eruditiſſimum in *Notitiam utriuſq; Imperii* Commentarium, quem auro contra carum habent doctiores. *Mauris.* de princip. jur. publ. c. 2. n. 36.

De ejus feſtivitate, quâ nulli cederet, & multiplici doctrinâ, quâ ſui Ordinis cæteros ſuperaret, multa etiam ex aliis audivimus------quis quantuſque *Pancirollus* in diſciplinâ Juris fuerit, ipſius conſilia teſtantur. *Caſel.* in Polit. pag. 292.

Panciroli Notitia Imperii optimus liber. *Scaligerana* 2.

Summi *Romani Pontifices* duo, *Gregorius* XIV. *Clemens* VIII. miro illum amore complexi ſunt, & ad Aulæ *Roman.* limina conſultationis ergô, perhonorificè vocavere. At ille quietis amans, & bonæ valetudini ſuæ ſtudens, lucubrationibus etiam eruditiſſimis evulgandis intentus, faſtus hujuſcemodi, & honores omnes nihili ducens, Civitatem (*Patavium*) & Academiam noſtram *Romæ* præferendam cenſuit, nec aliò, procul à *Gymnaſio* ſui delicio, commigrandum. *Iac. Phil. Tomaſin.* in Vit. ejus.

* *Henrici Salmuth* in *Guidonis Panciroli*, rerum memorabilium jam olim deperditarum, &c. libros duos Notæ, 1607. cum expurgationibus permittuntur. Vid. *Ind. Madrit.* Edit. ann. 1667.

Extant de Claris Legum Interpretibus libri IV. *Venetiis* apud *Marcum Anton. Brogiolium* 1637. in 4°. & ibid. anno 1655. in 4°. Editi ab *Octavio Pancirollo* Fratris Filio.

Extat Commentarius in notitiam utriuſque *Imperii Romani Orientalis* & *Occidentalis. Venetiis* ann. 1593. & *Genevæ* in Fol. 1623.

Extat de Rebus memorabilibus mutatis, deperditis, & noviter repertis, cum Comm. *Henrici Salmuth Ambergenſium* Syndici. *Francof.* in 4. 1660.

JOANNES MALDONATUS.

Clar. IA. D. MDLXX.

LOco nobili in *Bœticâ Hiſpaniæ* natus, è ſodalitio *Ieſuitico*, egregiè à teneris annis omni literarum genere excultus, qui ad exactum Philoſophiæ & Theologiæ ſtudium ſingularem pietatem, morum candorem & acerrimum judicium cùm attuliſſet, magnâ cum laude & frequenti omnium ordinum concurſu totos 10. annos *Lutetiæ Pariſiorum* (ubi & eum pueri audivimus) in *Claromontanâ* Scholâ profeſſus eſt; unuſque in causâ extitiſſe meritò creditur, ut ſodalitium illud toti Academiæ valdè inviſum, & alioqui jam prudentioribus ſuſpectum, ob tanti viri gratiam ac commendationem à Senatu, apud quem lis adhuc indeciſa pendebat, tamdiu toleraretur, & eo uſque dum rebus ſodalium in urbe confirmatis *Maldonatus* poſt conciliatam inſigni ſuâ unius eruditione novo ordini celebritatem à *Gregorio* XIII. Pontifice *Romam* evocatus eſt. ubi, vir aſſiduus in ſtudiis & lucubrationibus ſuis exactè digerendis inventus, et

nimiis

Digitized by Google

nimiis vigiliis contracto morbo deceſſit VIII. Id. Jan. cùm paulùm LVI. annum ſupergreſſus eſſet. Nihil vivens publicavit. Poſt mortem ejus, operâ ac curâ *Clementis Puteani* ex eodem ſodalitio viri doctiſſimi prodierunt eruditiſſima Commentaria in IV. Evangeliſtas *Muſſiponti* edita, meliora & integriora multorum judicio futura, ſi ſuperſtite autore edita fuiſſent; quibus tamen ſi pari diligentiâ elaboratæ in *Acti Apoſtolorum* & *Apoſtolicas* Epiſtolas interpretationes, quas ſcripſiſſe illum conſtat, olim accedant, habebunt profectò omnes docti & pii opus paucis in hoc genere comparandum, & quod unum multorum inſtar eſſe poſſit. *Thuan.* ad ann. 1583.

Ioannes Maldonatus, Homo diſertus juxta ac doctus, cujus cupidè leguntur in IV. *Evangeliſtas Commentarii*, variæ pleni eruditionis. *Hiſpan.* Biblioth.

Maldonatus vir judicii exaſciati, & veritatis Hiſtoricæ *Hyperaſpiſtes*, ſi quis alius. *Thuan.* ad ann. 1584.

Maldonatus, ſcriptor ſanè ingenii atque eruditionis nomine laudandus, ſed manifeſto partium ſtudio in ſequiora non rarò abreptus. *Polus* Præfat. 4. Vol. Synopſ.

Cujus in Scripturis explanandis ſolertiam (niſi ubi amor inſanus erga eorum Eccleſiam ipſum excæcavit) nemo Pontificiorum, pauci verò in Eccleſiis noſtris ſuperaverunt. Dom. *Iackson* in Symbolum, Vol. 1. lib. 3. cap. 13. Anglicè.

Acerrimi judicii Explanator inter Jeſuitas. Idem ibidem c. 15.

Maldonatus magni nominis interpres. *Schlichting.* in *Hebræos*.

In *Danielem Maldonatus* acutus & eruditus Interpres. *Matth. Pol.* Præfat. 5. Vol. Synopſ. Critic.

Cardinalis *Perronius* ait *Maldonatum* fuiſſe præſtantem virum, verumque Theologum, cujus elocutio bona erat, qui Linguarum Scholaſticæque Theologiæ peritiſſimus erat, qui eruditus erat Philoſophus, qui deniq; Patrum ſcripta diligenter evolverat. *Perroniana* Gallicè.

Maldonatus in Evangelia maledicus, inſignia tamen quædam habet bona. Cùm omnia è Dom. Beza tranſcripſerit, ei tamen obtrectat. Quando aliquid habet boni, furatur à *Calvino*, & ut agnoſcas, maledicit ei, ut *Euſebius* ex *Africano* conatur furta ſua tegere. *Maldonatus* non poterat mihi verbum *Hiſpanicum* interpretari quod *Iudæus* potuit *res conbtar*. Solent *Iudæi Paſchate* inniti cubito, res conſtat. *Scaligerana* 2.

Sanè etiam in *Maldonati Ieſuitæ* ſcriptis, quæ poſtquam ipſe diem clauſit ſupremum, ſunt edita, nonnulla auctoritate quâdam *cenſoriâ* fuiſſe mutata, & temporis præſentis opinionibus accommodata, audivi qui affirmarent, viros fide dignos. *Iſaac. Caſaub.* Epiſt. 624. *Frontoni Ducæo*, p. 727.

Maldonatus, vir certè eruditus, ſed calami interdum intemperantioris & linguæ maledicentiſſimæ; niſi potius, quod arbitror, *maledicta*, quibus à ſe diſſentientes de Religionis quibuſdam capitibus κατπλάνει, non ſint ab ipſomet profecta, quem *Thuanus* Hiſtoricorum ἀληθέσατος, modeſtiſſimum virum fuiſſe dicit, ſed ab editoribus *Ieſuitis Muſſipontanis*, poſt ipſius Authoris obitum, *Commentariis Evangelicis*, cùm ederentur, interſerta. *Montacut.* Apparat. 7. Sect. 16.

Maldonatus Jeſuitarum virulentiſſimus, & acerbus alienorum Scriptorum Cenſor. *Caſaubon.* ad *Baron.* Exercitat. 13. Ann. 31. Num. 31.

Quum ubique virulentus hic ſcriptor in magnos viros pro ſuâ modeſtiâ, pari petulantiâ & imprudentiâ debacchetur, nuſquam tamen maledicæ linguæ ſuæ laxiores habenas indulſit, quàm in Diſputatione de Eccleſiâ fundatâ ſuper *Petrum Caſaubon.* ibid. Exercit. 15. p. 347.

Maldonatus, acris & magni ingenii vir; ſi affectibus, ſi linguæ, ſi odio veritatis, potuiſſet moderari. *Idem* ibid.

Maldonatus in amplo Auditorio adoleſcentulis frequenti, acumine ingenii Numinis diſpendio ludibundus abutens, duas ſibi invicem contrarias lectiones habuit: Priore rationibus à natura petitis Dei exiſtentiam evincere conatus eſt; Poſteriori verò quod nullus eſſet Deus. *Paquier* Catech. Jeſuit. lib. 2. c. 7. Gallicè.

Lectionibus ejus nec ipſi *Calviniſtarum* miniſtri abſtinebant. Duabus quotidie tribuſvis horis ſubſellia certatim implebant priùs, quam ludum ille ingrederetur, ne excluderentur. Sæpè in aperto atque adeo in viis publicis docere coactus eſt ob multitudinem auditorum, quos nullæ exhedræ capiebant. *Konig.* in Biblioth.

Plurimi Proteſtantes Lecturas ejus frequentabant, eratque ſuſpectus quod iis nimium faveret. *Edward. Leigh.* De Religione & Eruditione. Anglicè.

Extant *Maldonati* Soc. Jeſ. Presb. Opera varia in Fol. 3. Tom. *Pariſiis* apud *Andream Pralard.* Ann. Dom. 1678.

CAROLUS SIGONIUS.

Clar. A. D. MDLXX.

NAtione *Italus*, patriâ *Mutinenſis*, obiit anno Dom. 1585. ætatis LX. Primò *Venetiis*, deinde *Patavii*, tandem *Bononiæ* literas elegantiores docuit. Cum *Franciſco Robortello* & *Nicolao Gruchio*, à quibus maximè circa *Romanas Antiquitates* diſſenſit, ſcriptis certavit.

Scripſit de Regno *Italiæ*----Comment. in Faſtos & Triumphos *Romanorum*---Notas in *Severum Sulpitium*---Librum de Rep. *Hebræorum*---Librum de Rep. *Athenienſium*---Scholia in *T. Livii* Hiſtoriam, &c.

Excellentis doctrinæ & diligentiæ accuratiſſimæ virum appellat *Laurentius Rhodoman.* ad Lector. Epiſt. quam *Diodor. Sic.* præmiſit.

Vir doctrinæ ſingularis & admirandæ induſtriæ *Daſſiliand.* in deſcript. Urb. Ital.

In Romanorum antiquitatibus explicandis ſummam ingenii laudem eſt adeptus. *Bodin.* in Meth. Hiſt. cap. 4.

Marmora in foro *Rom.* effoſſa explicavit & reſtituit *Carolus Sigonius* in *Faſtis*, ſingulari induſtriâ, magno labore, accuratâ diligentiâ. *Georg. Fabric.* de *Româ* c. 1.

Vir diligens & eruditus *Carolus Sigonius Montacut.* in Analect. exercit. 6. Sect. 1.

Carolus Sigonius optimus & præſtantiſſimus *Hiſtoricus Nic. Reuſner.* de Ital.

Vir doctrinæ & judicii magni *Car. Sigonius. Iſ. Caſaub.* Comment. in *Strabonis* lib. 17.

De *Carolo Sigonio Mutinenſi*, quem poſtremum omnium *Venetiis* cognovi,

non

Digitized by Google

non eſt quòd hîc multa dicam, cùm ſuperiùs ſæpe, tum ex inſtituto, tum obiter, de ejus diligentiâ, doctrina, & probitate verba fecerim. Fateor autem, & ex ejus lucubrationibus excuſis, & ex diſputationibus, quas cum eo familiariter *Venetiis* habui, multum in totâ Antiquitate *Romanâ* me profeciſſe, cujus ille mirum in modum peritiſſimus eſt, *Onuph. Panvin.* Comment. ad l. 2. *Faſtor.* ann. Urb. MLXXXIX.

Carolus Sigonius Mutinæ natus perantiquo genere ac nobili multumque naturæ dotibus illuſtris, floruit apud omnes ſingulari doctrinæ ac virtutis opinione; præſertim verò in vetuſtatis arcanis eruendis, & annalibus abditioribus recolendis, cæterorum ſui temporis facilè princeps eſt habitus. *Jo. Imperial.* in Maſ. Hiſt.

Monumentis variis editis ad æternitatem victuris, *antiquitatem Romanam*, iiſdem, quibus *Onuphrius Panvinius*, veſtigiis inſiſtens, & *poſteriora tempora* unus poſt omnes maximè illuſtravit, clarus. *Thuan.* l. 82.

Carolus Sigonius, vir doctiſſimus, & *antiquitatis* reſtaurator omnium, quos *Italia* habet, præſtantiſſimus. *Roſin.* præfat. quam Antiq. Roman. l. 8. præmiſit.

Quis non à *Turnebo* aliquo doctior redeat? Prudentior à *Sigonio*? Diſertior à *Mureto*? Quorum ego non auditum ſolùm magno emerim, ſed viſum. *Lipſ.* Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 22.

Item *Carolus Sigonius* in *Italiâ* abiit, reliquum in eâ Gente lumen. *Id. ibid. Epiſt.* 79.

Totius Antiquitatis (*Sigonio*) peritiorem nec noſtra ſæcula, nec priora tuliſſe, ſi affirmem, facilè me iis probaturum ſententiam noſtram confido, ad quorum manus latina ejus monumenta pervenerint, ut *Faſti*, & de *antiquo jure Romanorum*, & de *veteribus Provinciis*, *Joan. Matth. Toſcan.* in Italiæ peplo, c. 183.

Sigonius vir eximiæ & ſingularis doctrinæ. *Turneb.* l. 5. Adverſ. c. 21.

Erroribus *Livii* exhauriendis bonam fidelemque navavit operam vir eruditiſſimus *Carolus Sigonius*: quem ego & antiquitatis peritiſſimum, & bonorum *Scriptorum* intelligentiſſimum, & eruditiſſimum nominare meritiſſimò poſſum. *Idem* ibid. l. 11. c. 18.

Res in *Occidentali Imperio*, tam ad Eccleſiam, quàm ad *Remp.* pertinentes, quæ comperiri diligentiâ poſſent, ſingulari curâ collegit, eruditiſſimus *Sigonius*; eaſque, quàm veriſſimè in maximâ rerum obſcuritate, Scriptorum diſſenſione, & temporum vetuſtate potuiſſet, luculento ſtylo poſteritati mandavit: à *Diocletiano* & *Maximiano Auguſtis* incipiens, anno 281. & in morte *Juſtiniani* deſinens, qui obiit an. Chr. 565. *Whear.* in Meth. Leg. Hiſt. Eccleſ. ſect. 41.

Bonus eſt ejus *Titus Livius* Frobenianus multis ſcatet erroribus Car. Sigonius & P. Manutius. Optimè tractavit de Jure Romanorum, & de *Româ* omnium optimè: Etiam voluit dare *conſolationem Ciceronis*, ſed *Itali* reſtiterunt. *Scalig.*

Qui penitiùs introſpicere cupient quæ *Populi Romani Comitia* ſpectant *Sigonium* legant, ejuſque formidandum Adverſarium *Grucchium*. *Formidandum* hunc voco, quoniam à *Sigonio* vehementer reformidatus eſt; Dum enim ſuperſtes

fuit *Sigonius* de ipſo nunquam niſi cum elogio mentionem facere auſus eſt, ſed ſtatim ac illum fatis ceſſiſſe novit, crudeliter ipſius famam laceravit. *Novell.* de *Republ.* Literarum Tom. 2. p. 19. Gall.

Vir ingentis, & doctrinæ, & judicii, *Carolus Sigonius Voſſ.* de Art. Poët. p. 35.

Patavino Hiſtorico operam noſtrâ parentumque memoriâ, quà caſtigando, quà *Scholiis* illuſtrando, plurimi navarunt feliciter. Ad veteres Codices Calamo exaratos compararunt H. *Glareanus* ac *Rhenanus*, *Germani*: Vicit verò omnium induſtriam (fatendum eſt enim) hîc, & in omni adeo *Romanâ* Hiſtoria ſumma *Caroli Sigonii* accuratio. *Andr. Schott.* l. 3. c. 38. Obſerv. Human.

Literis Ebraicis nimium alienus, utcunque aliàs vir doctiſſimus. *Selden. lib.* 3. *de Synedr.* c. 12.

Civitas Mutinenſis illuſtrium in qualibet Arte Virorum ſemper feraciſſima, in Orbis lucem edidit *Carolum Sigonium*, eo præciſè ſeculo quo *Italia* ſeſe oſtendebat Seminarium præclariſſimorum in Literis ingeniorum. Uſque adeò inſudavit magnus iſte Vir eruditorum libris evolvendis, ut gloriam ſuam ad celſiſſimum faſtigium evehendo audiverit ſe veterum monumentorum Reſtauratorem vocari. Præter variam doctrinam adeo perfectè calluit Linguam *Græcam* & *Latinam* ut Seculis illis natus videretur quibus *Græcia* & *Latium* Hominum in Scientiis celeberrimorum fœcunditate claruerunt. Nec lucidioribus mentis habitibus deficiens fuit, quibus ſplendidè ſcripta ſua exornavit. *Laurentius Craſſus*. Ital.

Prodiit de *Romanorum* nominibus Liber, Tomo 1. Hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, quos *Fridericus Sylburgius* conjunxit, *Francofurti* ad *Mœnum*, 1588. in fol.

Prodierunt de Antiquo Civium Romanorum Jure libri II. *Venetiis* 1560. in 4°. *Pariſiis* 1576. in fol. *Hanoviæ* 1609. in fol.

Prodierunt de Antiquo *Italiæ* jure lib. III. iiſdem in locis atque temporibus.

JOSIAS SIMLERUS.

Clar. A. D. MDLXX.

NAtus eſt *Capellis* in *Helvetiis*, anno 1530. Obiit anno 1576. In patriâ *Sacras Literas* expoſuit, populumque è ſuggeſtu docuit.

Scripſit de Rep. *Helveticorum* —— Notas in *Antonini* Itinerarium —— Notas in *Æthici* Coſmographiam —— De æterno *Dei* filio —— De Spiritu Sancto —— Epitomen Bibliothecæ *Geſneri*. Plurimaque alia.

Fuit hic vir non ſolùm *Theologia*, ſed & aliarum artium, quæ Theologiæ ancillantur, apprimè peritus, inprimis Mathematum —— Summo iſti Theologo *Petro Martyri* ſummè gratus & acceptus fuit: Adeo ut *Simlerum* ſæpè magno aliquando Eccleſiæ ornamento futurum prædixerit. Moriturus etiam vel hoc nomine plurimum ſe ſibi gratulari vehementerque gaudere, multis audientibus, affirmavit; quòd illum, talem & tantum virum, ſibi *ſucceſſorem* fore ſperaret. Quæ quidem illius ſpes vana non fuit *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Joſias

Digitized by Google

Joſias Simlerus, animi candore & omnijuga eruditione præſtans, *Petro Martyri* Succeſſor in *Scholâ Tigurinâ* datus, ſtylum præcipuè in *Samoſatenos, Arrianos, Neſtorianos, Eutychianos, Macedonianos*, & nuper veluti ab inferis hoc ævo in *Polonia* excitatos *Tritheitas* ſtrinxit; aliis ſcientiis egregiè inſtructus, ac præcipuè *Mathematicis*, quas & per ſe percepit, & ſumma cum laude diu profeſſus eſt, & *inſtrumentis* ingenioſiſſimè à ſe excogitatis illuſtravit. In bonis literis & excelluit, & de *Rep. Helvetiorum* Commentarium magnâ prudentiâ *Thuan*.l.62.

Quis enim in *Mathematicis* diſciplinis, & quidem *αὐτοδίδακτος*, extiterit, non modò qui docentem illum audiverunt, ſed etiam & libri & *Inſtrumenta* nobiliſſima ab ipſo excogitata teſtificantur. Quantus autem in *Hiſtoriâ* fuerit, oſtendunt *Scripta*, præſertim quibus *Patriam* immortalitati conſecravit. Quàm denique in *Theologicis* excelluerit (quæ fuit ipſius propria *Profeſſio* (quantique in ſcribendo, tum acuminis, tum judicii, *Veterum* quoque *Theologorum* lectione confirmati; ſatis ſuperque demonſtrant *Samoſateniani, Arriani, Neſtoriani, Eutychiani*, *Macedoniani*, *Tritheitæ* denique noſtris temporibus rurſum ab inferis excitati, & *divini verbi* gladio fortiſſimè *Simleri* manibus vibrato jugulati. Quid non igitur ab hoc ingenio potuit expectari, ſi paulò firmius corporis domicilium habuiſſet, & niſi mors illum immatura planè ſuſtuliſſet. *Theod. Beza* in *Icon.*

Homo ingenii doctrinæque elegantiſſimæ, *Mathematicarum* diſciplinarum ſtudioſiſſimus, Hiſtoriarum peritiſſimus *Boiſſard*. in Icon.

Vir non minus pietate, quàm eruditione præſtans. *Humfred*, part.2. Jeſuitiſmi.

Sprecherus in deſcriptione *Rhetiæ* eum incomparabilis ingenii virum appellat.

Simlerus magnam nominis claritatem editione illa librorum de *Helvetiorum Republicâ* eſt adeptus. *Jacob. Verheid.* in vit. ejus.

Simlerus de Rep. *Helvetiorum*, bon. *Scaligeran.*2.

Simleri Epitome Bibliothecæ *Geſneri* utiliſſimum eſt opus, quo ſtudioſi carere non poſſunt. Voet. l.2.c.1.Biblioth.Studioſ.Theolog.

Quoad mores ejus attinet; honeſtate, candore ac virtute ornati erant. Adeò bonus ac lenis erat ut nullo unquam iræ motu abreptus fuerit, ipſique dolores quibus affligebatur eum neque difficilem neque moroſum redderent: Licet mediocriter tantum opulentus eſſet, impenſiſſimè tamen in pauperes munificus, & in amicos liberalis erat, ac ſupra modum delectabatur quibuſvis hominibus præſertim verò extraneis benefacere. Conſortium ejus gratiſſimum erat ſummoque gaudio profundebatur, ſi quotidie aliquot horas in colloquiis cum familiaribus tranſigere poſſet. Tantis denique meritis clarus fuit vir ille, ut nullum eo illuſtriorem nunquam tulerit *Helvetia*. *Ant. Teiſſier*. Elog. Vir. Erudit. Gall.

Digitized by Google

Theodorus Beza elegantiſſimo hôc Epigrammate *Simlerum* ornavit.

Simlere, *mi* Simlere, *quo ſuperſtite*
Tot mortui revixerant:
Quos ira nobis numinis, tam pauculis
Ademit annis plurimos:
Simlere, *quem tremuit renatus* Arrius;
Tremuit renatus Eutyches;
Vaſtator ille Poloniæ, *hic* Germaniæ;
Leſi flagella numinis.
Heu ſubita & immatura te mors auferens;
Quàm multa tecum ſuſtulit!
Lamenta amicis quanta, quot juſtiſſimos
Secum dolores attulit!
Quos inter ecce Beza *quondam haud ultimus*
His irrigat te lachrymis.
Beza *repetito vulnere iſto ſaucius*,
Communis *ad tumulum* Patris.

P. Candidus in ejus Effigiem hoc luſit tetraſtichon:

Quâ tibi præſentat Simlerus *imagine vultum*,
Afficit hac oculos pulchra tabella tuos.
Si quoat excellens animi quoque pingier illa
Gratia, nil oculi pulchrius aſpicerent.

Extat Bibliotheca collecta à *Conrado Geſnero*, deinde in Epitomen redacta & novorum librorum acceſſione locupletata, jam verò poſtremò recognita & in duplum aucta per *Joſiam Simlerum Tigurinum*. *Tiguri* in fol. apud *Chriſtoph. Froſchoverum* 1574.
Extant ejus in *Exodum* Comment. ed. fol *Tig.* 1584. 1605.
Extat *Reſp. Helvetiorum Tig.* 1608. 8°.

JOANNES WIERUS, cognomine *Piſcinarius*.

Chr. A. D. MDLXX.

G*Ermanus*, *Gravia* natus eſt Anno Com. 1515. Obiit Anno 1588. Medicinam magnâ cum laude fecit in Aulis *Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Rodolphi II.* Impp. *Wilhelmi Cliviæ* Ducis Archiatros fuit. In pueritiâ *Henricum Cornelium Agrippam* habuit Præceptorem. Reliquit Commentarios de Præſtigiis Dæmonum: Obſervationes Medicas: Epiſtolas Medicinales, &c.

Vir

Digitized by Google

Vir benè de *Reipub. Literariâ*, quin & de *Sagarum* genere meritus. Nam apud *Wilhelmum Cliviæ* Ducem dum verſatur, non ſine ſuſpiriis aliquoties vidit multos *Chriſtiani* vulgi, præſertim vetulas, ob veneficii ſuſpicionem in carceres compingi; Quæſtionibus ſubjici; flammis exuri. Id ei anſam præbuit, ut laudatum multis ſcripſerit *Opus* de *Veneficis* & *Sagis*: in quo quantum in Theologiâ, in Juriſprudentiâ, Medicinâ, Philoſophiâ profecerit, re ipsâ declarat; argumenta ex illarum diſciplinarum fontibus deſumpta adferendo. Etſi autem eo *Scripto* operam non luſit, cùm ex Magiſtratibus non pauci eo nomine gratias ipſi egerint: quippe qui prudentiores cautioreſque eo *Scripto* facti eſſent: non defuerunt tamen, qui in eo & reprehenderent non pauca; & in certamen provocarent. Inter hos fuit *Paulus Scalichius*, *Joannes Campanus*, *Leo Suavius*, nec *Joanni Brentio* uſquequaque ſatisfeciſſe videtur. *Melch. Adam.*

Promiſi me tranſmiſſurum tibi librum clariſſimi hominis, doctoris *Joannis Wieri*, ante annos aliquot *De Præſtigiis Dæmonum*, *Incantationibus*, ac *Veneficiis*, tam ingenioſè, acutè, & doctè ſcriptum, ut ab omnibus doctiſſimis viris in *Burgundiâ* & toto *Belgio*: numinis loco habeatur. *Caſpar. Borcholt.* in lit. *Bartolo Richio*, dat. 7. Aug. 1564.

Quantum voluptatis ceperim ex tuis libris *De Præſtigiis Dæmonum*, vix ſatis verbis explicare poſſum. Video enim ſingularem in iis prudentiam, judicium ſolidum, copiam rerum neceſſariarum, ordinem mirificum, ſedulitatem incredibilem, denique animi pietatem (abſit adulationis ſuſpicio) & religionis *Chriſtianæ* puritatem: eamque paſſim propugnandi adverſus omnes impiorum hominum inſultus, & *Dæmonum* fraudes animoſitatem infractam. *Jo. Ewich*, in lit. dat. *Duisbergi*, Ann. 1563. ipſis Cal. Jun.

Tu, *Wiere*, antiquiſſimorum *Theologorum*, *Juriſperitorum*, atque eorum qui de *Magiâ* ſcripſerunt (ut interim *Medicos* taceam) argumentis innixus, cùm aliquid ſe jam egiſſe putant; nihil prorſus jam actum convincis, & ut habet *Græcorum* diverbium, κυκλῳ περιελκεις. Dignum mehercùle cedro Opus, dignum quòd omnium manibus ſceleratiſſimo hoc tempore circumferatur, dignum quòd omnium mentibus imprimatur. *Balduin. Ronſſ.* in Lit. dat. *Goudæ*. Non. Maii, Ann. 1563.

Joannes Bodinus in *Dæmonomaniâ* ſuâ hunc Auctorem valde reprehendit, ejuſque Opus de *Præſtigiis Dæmonum* ad *Atheiſmum* vergere ait.

Wierus Vir fuit eruditus, Profeſſione Medicus, nec ingenio nec experientiâ deficiens. Qui librum ejus *de Lamiis* (quem ipſe nunquam vidi) legerunt, ei exprobrant quod in Opinione ſua conſtans non ſit. Hoc mihi exploratum eſt, eum libro ſuo *de Præſtigiis* &c. magnam inconſtantiam prodere, imo & quandoque non levem conflictum & repugnantiam, ut homo qui in hoc argumento valde hæſitat, nec novit quid dicturus ſit. *Meric. Caſaub.* de Credul. & Incredul. p. 42. Angl.

* *Joannes Wierus* inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in *Indice Madritenſi* edit. ann. 1667.

Ejus libri 5. de præſtigiis *Dæmonum*, Incantationibus & Veneficiis, prohibentur in *Indice Tridentino*.

Extant opera ejus omnia *Amſtelod.* ap. *Petrum* van den *Berge*, 1660. in 4°.

HIERONYMUS WOLFIUS.

Clar. An. D. MDLXX.

GErmanus, OEtingenſis, exactâ *Lingua Græca* cognitione clarus: qui perluſtratis in adoleſcentia *Gallia* & *Italia* Academiis, cùm ſe *Auguſtam Vindelicorum* tanquam in tutiſſimum ſtudiorum nidum contuliſſet, eas maximè *Scriptis* & induſtriâ ſua illuſtravit, *Fuggerorum* liberalitate ſublevatus: quorum munificentiæ *Zonaram, Nicetam, Gregoram*, primarios Hiſtoriæ *Conſtantinopolitanæ* Scriptores ab illo ſummâ fide *Latinitate* donatos debemus: ubi & *Literas Græcas* in *Annaâ Scholâ* magno Auditorum concurſu profeſſus eſt; tandemque cùm ætatis annum ſexageſimum quartum ageret, ex calculo literatis ferè fatali, VII. Id. Octobr. 1580. intempeſtivâ magis Reipublicæ quàm ſibi morte ad *Deum* migravit. *Thuan.* ad Ann. 1580.

Hieronymus Wolfius. Juriſconſultus & Orator, vir *Græcè* & *Latinè* doctiſſimus, qui plurimos *Græcos* Authores, inprimis *Demoſthenem* & *Iſocratem*. lumina *Oratorum Græcorum*, luculentè & aptè in *Latinum* Sermonem convertit, ſcholiiſque illuſtravit. *Auguſtæ Vindelicorum* Gymnaſio & Bibliothecæ præfuit annos viginti tres. *Quenſtend.* de vir. Illuſtribus,

Hieronymus Wolfius OEtinga Rhetiæ Oppido natus ann. 1516. pereruditus in omni ſcientiæ genere ac *Græcis* præcipuè literis deditus fuit. Acutus Philoſophus, elegans Poëta, præſtans Aſtrologus, Philologus denique incomparabilis, pleriſque *Germaniæ* ac *Galliæ* Academiis perluſtratis, Magiſterii lauream adeptus eſt *Baſileæ*.

Redderet Auſonio *qui rectius ore* Pelaſgos,
Germanos *inter* Wolfius *unus erat.*

Boiſſard. in Icon.

Vir fuit valde diligens imò & multæ Lectionis; ſed qui nec judicio admodum pollebat, nec uſque adeo accuratus erat. Quod in primis cernere eſt duobus Tomis folio, inſcriptis. *De Lectionibus memorabilibus*, qui rariſſimi ſunt hoc tempore, imo & in pretio habentur, licet in iis multa inepta bonis permiſta occurrant. *Judicium Eruditorum* Pariſ. 1685. per Dom. *Baillet.* Gall.

Exquiſitâ linguæ utriuſque facultate prædirus ad Interpretandum acceſſit *Hieronymus Wolfius*: Sic autem de ſuo hoc artificio, vir alioqui verecundus & modeſtus prædicavit, "Nihil ferè addidi, nihil detraxi, nihil immutavi; nec mo-
" dò ſententias appendere, ſed penè etiam annumerare verba, quatenus id diverſa
"Latinæ

Digitized by Google

"Latini Sermonis ratio ſinit, ſum conatus. Nihilominus tamen *Henrico Stephano* neutiquam omni ex parte ſatisfecit. Magna enimverò ars, & haud ſcio an omnium difficillima, quam acuto vir ingenio, elegantioribus doctrinis excultiſſimus, uno ferè hoc in ſtudio tot annos pervolutus, cùm perfectam in ſe, abſolutamque exprimere non potuerit; quodcunque illi defuit, humano id ingenio defuiſſe credendum eſt. *Huet.* de Clar. Interpr.

Præclarè itaque *Wolfius* vixit, qui non ſolùm profuit vivus omnibus, qui *Literas Latinas* & *Græcas* amant, ſed etiam nunc prodeſt mortuus. Reliquit enim ingenii ſui monimenta literis mandata, quæ erudire poterunt etiam poſteros. *Melch. Adam.* in vit. *Wolfii.*

In *Epitaphio Auguſtæ* poſito *Socrates Suevus, Chriſtianæ Philoſophiæ* & Eloquentiæ Princeps, vir ad ſcribendum, dicendum, docendum natus, antiquæ virtutis & fidei *Germanicæ* exemplar appellatur.

* Hic Author in primâ Claſſe Hæreticorum locum habet in *Indice Tridentino.*

Plurima ejus Opera cum Expurgationibus permittuntur in *Indice Madritenſi* edit. ann. 1667.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

HIERONYMUS ZANCHIUS.

Natione *Italus*, patriâ *Alzanenſis*. Scripſit varia, primum verò obtinet locum liber de *Tribus Elohim*. Hoc Symbolo uſus eſt, *ſuſtine & abſtine*. Clar. A. D. MDLXX.

Ex eadem *Italiâ* prodiit *Hieronymus Zanchius Bergomas*, qui paulò poſt *Petri Martyris Vermilii* diſceſſum ob eandem cauſſam *Argentinam* conceſſit, & *Vermilio* in *Angliam* evocato ann. LIV. in munere ſucceſſit. Poſteà *Clavennæ* in *Rhatiâ*, dein *Baſileæ* uſque ad ann. LXXVIII. ac poſtremo *Neapoli Nemetum* docuit, ac tandem *Heidelb.* XIII. Kal. Decemb. defecit an. ætatis LXXV. ad B. *Petri* honorificè ſepultus. *Scripſit*, multa, quæ profundæ in Theologicis ſtudiis eruditionis fidem faciunt; quorum partem, dum vixit, in lucem dedit, partem filii, quos plures reliquit, poſt mortem ejus publicarunt: Summamque in ſcribendo moderationem ſervavit, & à ſciſſurâ olim farciendâ minimè ſe alienum oſtendit. Annum quippe agens 70. Fidei confeſſionem ad *Ulyxem Martinengum* comitem *Barchenſem* & *Patricium Venetum* ſcripſit, & tam ſuo quàm familiæ propriæ nomine, [ſic enim titulus præfert] edendam curavit. Quâ proteſtatur, ſe à *Romanâ Eccleſiâ* non ſimpliciter & in omnibus defeciſſe, ſed in illis duntaxat rebus, in quibus ipſa defecit ab *Apoſtolicâ* atque adeò à ſeipsâ veteri & purâ Eccleſiâ: neque alio diſceſſiſſe animo, quàm ut ſi correcta ad priorem *Eccleſiæ* formam redierit, ipſe quoque ad illam revertatur, & communionem cum eâ in ſuis porrò cœtibus habeat: quod ut tandem fiat, toto animo Deum comprecari. Quid enim pio civi optatius,

Digitized by Google

tius, quàm ut ubi per *Baptiſmum* renatus eſt, ibi etiam in finem uſque vivat, modò in Domino? *Thuan.* ad Ann. 1590.

Hieronymus Zanchius multis in re *Theologicâ* ſcriptis libris optimè de *Eccleſiâ Chriſtianâ* meritus. *Abraham Bucholcer* Index Chronolog.

Vir fuit in Antiquorum Patrum & Philoſophorum Scriptis verſatiſſimus, modeſtiæ ſingularis; pacis Eccleſiarum ſtudioſiſſimus. *Melch. Adam.*

Zanchius ſubtiliſſimus fuit inter *Proteſtantes*. *Labbe* de Script. Eccleſ.

Vir eruditione, modeſtiâ, pietate paucis ſecundus. *Sanderſon.* de oblig. Conſc. Prælect. 2.

* Hic Author *Romano Indice* inter *Hereticos* primæ Claſſis rejicitur.

Omnia ejus Opera continentur 3. Vol. Fol.

MARTINUS CHEMNITIUS.

Claruit A. D. MDLXX.

ABſtulit & hic annus 1586. qui fuit illi climactericus, *Martinum Chemnitium Britzæ*, cui *Fideli* cognomentum, in *Vandalia* natum, qui literas primas ſub *Phil. Melancthone* & *Georgio Sabino Vitenbergæ* & *Francofordiæ* ad *Oderam* imbuit: dein ſe totum Theologicis ſtudiis mancipavit, in quibus aſſiduo labore tantum profecit, ut poſt *Philippi* præceptoris obitum *Theologorum Auguſtanæ* confeſſionis facile princeps inter ſuos habitus ſit; *Friderico* II. *Daniæ* Rege, *Ludovico Palatino*, *Auguſto Saxone*, *Joanne Georgio Brandeburgico* VII. viris, *Julio Brunſvico*, aliiſque principibus ac civitatibus & ordinibus huic doctrinæ addictis in conſilium ſuper Eccleſiaſticis negotiis ſemper adhibitus, aut abſens conſultus. Tandem *Brunſvica*, in quâ XXX. totos annos docuit, tot laboribus defunctis ac Scriptis multis editis VI. Id. April. debitum Naturæ perſolvit. *Thuan.* ad ann. 1586.

Brietza ſibi egregium decus ſuum, & Eccleſiæ univerſæ firmiſſimum fulcrum genuit *Martinum Chemnitium*, magnum & principem *Auguſtanæ Confeſſionis Theologum*, Superintendentem *Brunſvicenſem* graviſſimum, qui ratâ excelluit conjunctione ſummi ingenii & ſummæ eruditionis. Utriuſque condimentum ſingularis pietas fuit & morum gravitas. Non digrediar in conſummati Theologi hujus commendationem, ne laudibus tanti viri tenebras potiùs, quàm lucem affundere videar. *Scripta* ejus vim ingenii & doctrinæ cum inſigni modeſtiâ teſtantur. Fideliſſimam autem operam ſuam in conſcribendo libro *Concordiæ* præſtitit Eccleſiæ Dei, multiſque aliis erudititiſſimis de verâ Religione editis operibus, inprimis *Harmoniâ Evangelicâ*, Examine *Concilii Tridentini*, *De duabus in Chriſto naturis*, de *S. Cœnâ* toto terrarum orbi celebratiſſimus eſt. *Quenſted.* de Vir. Illuſt.

Inter labores ejus primas facilè obtinet ille, quem dogmatibus, decretis, & canonibus *Concilii Tridentini* examinandis & refutandis impendit, utilem ſanè omnibus veritatem amantibus. Ipſe etiam inter primos extitit, qui naturam, artes, & doctrinam Jeſuitarum *Germanis*, quantum illis temporibus patuit, detegere cœpit. *Melch. Adam.*

Chemnitius

Digitized by Google

Chemnitius non poſtremus eſt in Catalogo Hæreticorum; quia examen *Tridentini conciliabuli* non leviter ipſis dolet. *Elias Haſenmull.* in Hiſt.Ord.Jeſ.

Chemnitius vir eximius, atque acerrimus Pontificiarum partium oppugnator. *Gul. Rivet.* Vend.Evang.part.3.c.6.

Ex *Lutheranis* ſatis commendari nequit *Harmonia* à *Chemnitio* ad ſtuporem uſque dexterrimè cœpta, à *Polycarpo Lyſero* fideliter continuata à *Gerardo* dexteritate & fidelitate pari conſummata; ex Pontificiis *Janſenius*, ex *Calvinianis Calvinus*. *Nic.Walter.* in Offic.Biblic.

Gaſmarus in vitâ *Chemnitii* memorat, Cardinalem quendam *Tridenti* ad Legatum *Erici*, Ducis *Brunſvvicenſis*, & *Luneburgenſis* dixiſſe, 'neminem inter *Germaniæ* Theologos hactenus fuiſſe, qui Eccleſiæ *Romanæ* poſt *Lutheri* 'obitum plus nocuerit, quàm *Chemnitius* iſto ſuo ſcripto [*examine Concilii* '*Tridentini.*] Hoc ſe ingenuè confiteri, virum admirari, ei eruditionis palmam 'præ omnibus Theologis *Germaniæ* tribuere, nihil magis optare, quàm ut il- 'lum videre aliquando, & cum ipſo de toto Religionis negotio conferre poſſit. 'Vid. etiam *Konig.* in Biblioth.

Examen Chemnitii, quo *Papiſmi* errores feliciſſimè refelluntur, magno certè loco habendum. *Hottinger.* Biblioth. quadripart.p.330.

Martino Chemnitio, ſi quid ego intelligo, inter omnes Theologos *Lutheranos* eruditionis palma debetur. *Martin. Ruar.* Cent.1.epiſt.p.104.

* *Martinus Chemnitius* in *Indice* appendicis primæ Claſſis locum habet.

Georgius Calaminus hoc cum elogio decoravit:

Magnum Terra virum, magni poſt fata Lutheri,
Si quem felici Teutonis *orbe tulit.*
Certè Chemnitius *fuit is: monumenta librorum,*
Hercule *vel dignus quod labor ille probat:*
Impia dum Latiæ *decreta examinat* Hydræ:
Fœta Tridentino *quæ parit illa ſolo.*
Enthea Syderei tutans & jura ſenatus,
Pugnando Chriſti *pro grege victor ovat.*
Et benè habet: monſtrum vires quodcunque reſumat,
Peſtis Chemnitium *vincere nulla poteſt.*
Ecquis erit ſemper Martinus *in arma paratus?*
Alciden*que dabunt ſecula quæque ſuum.*

Extat ejus *Harmonia Evangelica* inchoata, à *Polycarpo Lyſero* continuata, excuſa fol. *Franc.*1622.& *Genev.*1628. *4to. ibid.* variis vicibus.

Extat *Examen Concilii Tridentini*, 4. partibus. *Franc.*1596. *8vo.*

In effigiem ejus, ita *Chriſtianus Chemnitius*:

Sculptum his lineolis redivivum cerne Lutherum;
Quiſquis Chemnitii *ſcripta verenda legis.*
Non obiit primus, quoniam ſurrexerat alter
Martinus. *Plures, dic, Bone, mitte, Deus.*

GERARDUS MERCATOR.

Clar. An. D. MDLXXV.

ANnum 1594. ferè clauſit mors *Gerardi Mercatoris Iuliaco* oriundi, & *Rupelmondæ* in *Pleumoſiis* nati, qui *Silva-Ducis* ſub *Georgio Macropedio* primis literarum rudimentis initiatus, poſtea *Lovanii* philoſophicis ſtudiis ac mathematicis dein artibus ſe totum mancipavit, & admodum juvenis ad ſculpendas tabulas animum applicuit, *Gemmâ Friſio* præceptore & auctore, atque inde in familiaritatem *Caroli* V. venit, inſtrumentis Mathematicis mirâ arte ejus juſſu fabricatis, quæ Bello contra Proteſtantes ſuſcepto, dum *Cæſar* Caſtra ad *Ingolſtadium* haberet, fortuito incendio liquefacta ac conſumpta ſunt. Poſteà *Lovan.* *Duisburgum* cum uxore ac liberis migravit, & in familiâ illuſtriſſimi *Willelmi Cliviæ* Ducis honoraria ſtipendia fecit, & Cl. *Ptolomæi* tabulas reſtituit, ac elegantiſſimè deſcripſit. Cùmque de edendis totius orbis tabulis jam à ſe elaboratis cogitaret, cognito *Abrahamum Ortelium* idem opus urgere, inchoatum laborem inhibuit, donec *Ortelius* exemplaria omnia ſua diſtraxiſſet, ne aut induſtriæ aut commodis viri amiciſſimi præcipitatâ ſuorum editione officeret. Poſteà jam inclinatâ ætate ad Theologica ſtudia animum adjecit, & *Harmoniam Evangelicam* & alia in ſacros libros conſcripſit, cùm *Chronologiam* antea ſcripſiſſet ad Solis & Lunæ curſum exactiſſimè putatam, quam *Onuphrius Panvinus* harum rerum acerrimus judex tanti fecit, ut omnibus ab aliis ubicunque editis præferre non dubitaverit. Tandem vir tot laboribus pro re literaria exantlatis benè meritus, ſenio confectus *Duisburgi*, ubi Larem poſuerat, deceſſit IV. Non. Decemb. cùm annos LXXXII. menſes VIII. & XXVIII. dies exegiſſet. *Thuan.* ad Ann. 1594.

Tantâ in *Mathematicas* artes propenſione præditus fuit, ut cibo ſomnoque potius ipſi ſtudium eſſet. *Hofman.*

Mathematicorum ſui temporis facilè princeps, ac *Geographorum* noſtri ſeculi *Coryphæus* audire meruit. *Abraham. Ortel.*

Mercator Pinacographus accuratiſſimus, idemque Mathematicus peritiſſimus. *Nic. Fuller.* l. 2. c. 5. Miſcell.

Temporum emendatiſſimus Scriptor. *Bodin.* de Rep. l. 4. c. 2.

Nulli verò juniorum plus *Geographia* quàm ſummo viro *Gerardo Mercatori*, debet. Proxima diu *Ortelio* laus, quia tabulas ex Hiſtoria omnigena utiliter illuſtravit; *Matheſeos* interim ſcientiâ neutiquam cum *Mercatore* conferendus. *Voſſ.* de Philolog. c. XI. ſect. 28.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ego palam de *Mercatore*, liberéque profiteor;ex omnibus *Chronographis*, quos hactenus mihi videre licuit (univerſos autem, qui extant, legi) neminem exiſtere, cui ego, jure ſanè, *Mercatorem* tuum, [ſive res ſpectes,& ordinem,ſive judicium,& induſtriam intueare;ſive motuum cœleſtium,quantum ad hæc attinet, animadverſionem conſideres] longè non præferam. *Onuph.Panvin.*in Epiſt. ad *Jo. Metellum* præmiſſ. *Chronolog.Mercator.*

Chronologiam Mercatoris multum laudat *Ioſephus Scaliger.*

Coſmographus excellentiſſimus vocatur *Calviſio* in Chronologiâ ſuâ.

Coſmographus exercitatiſſimus, Mathematicorum ſui temporis facilè princeps, qui globis artificioſis, radio dimenſis, *cœlum* & *terram* interius & exterius, quà licuit, demonſtravit, & editione *Chronologiæ* utiliſſimam rei literariæ operam præſtitit. *Abrah.Bucholcer.*Indic.Chronolog.

Fuit inſuper ſingularis in eo pingendi, cælandi, ſcribendique peritia. *Valer. Andreas* in Bibl.Belgic.

Verum quidem eſt Librum Chronologicum fuiſſe damnatum in *Indice* Librorum prohibitorum à Pontifice, ut & liber ejus cui titulus *Atlas Geographicus*, ejuſque Harmonia Evangelica, in quibus errorum & hereſeωn ingens numerus occurrit, ſi *Jeſuitæ Poſſevino* ſit habenda fides, qui contendit omnia Mercatoris Opera pluribus pernicioſis doctrinis infecta eſſe, quia moriens confeſſionem & communionem ex uſu *Eccleſiæ Catholicæ* reſpuit, contentus conſolatione cujuſdam Miniſtri qui ad Deum preces pro ipſo fudit. *Ant.Teiſſier.*Elog.Gall.

Gerardus Mercator quibuſvis celeberrimis & Veteribus Coſmographis & Mathemathicis æquiparandus fuit, in obſervatione Polorum, Climatum, & Regionum; eadem opera notum faciens memorandis ſuis laboribus quot omiſſiones & quot lapſus apud multos Profeſſione illi congeneres Scriptores incautos obſervari poſſint. *Laurentius Craſſus.*Ital.

* *Chronologia Gerardi Mercatoris*, quæ à *Sleidano*, & damnatis Authoribus ſumpta eſt, prohibetur,niſi emendetur. Index *Romæ* impreſſus anno 1681. juſſu *Innoc.* XI. Pont.Max.

Extat ejus *Harmonia Evangelica* 2. Vol.4°. *Duisburgi Cliv.*1595.1603.

Extat *Atlas Geographicus Amſtelodami*,1607.1611. & aliàs.

In hunc Auctorem hoc Diſtichon compoſuit *Jacobus Boiſſardus.*

Hic adeò promptas merces Mercator *habebat,*
Totus ut ex illis auxerit orbis opes.

JACOBUS BILLIUS.

PRunans, Abbas Ordinis S. *Benedicti*, Theologus,Mathematicus,Juriſconſultus, Poeta,Natione *Gallus*, Patriâ *Guiſenſis*; Vir *Græcè* doctiſſimus, anno 1581. Clar. An. D. MDLXXV.

Eeeee 2 ætatis

ætatis 47. *Pariſiis* obiit. Multos vet. *Græcos Patres* eleganter tranſtulit, notiſque illuſtravit. Edidit etiam formulas *Græcarum Locutionum*: item *Anthologiam Sacram*. Carmina ejus extant. Sacræ Obſervationes.

Eos produxit ingenii fœtus, quibus & ſummo beneficio Rempublicam *Christianam* affecit, & gloriam ipſe immortalem conſecutus eſt. Plurima enim ex *Damaſceno*, *Chryſoſtomo*, *Baſilio*, cæteriſque ſanctiſſimis legis Divæ Interpretibus; ac potiſſimum ex illo ſingulari ſcriptore *Nazianzeno* qui *Theologi* cognomen eſt meritus, doctiſſimè fideliſſiméque tranſtulit. Plurima & ſuo ipſe ingenio meditatus eſt. Cumque totus in ſcribendi labore ſemper fuerit, tamen, quæ fuit ejus verè *Chriſtiana* modeſtia, nullum unquam attigit, ne tum quidem cum verſibus *Gallicis* animi causâ luderet, quin ad pietatem & Religionem pertineret. Cætera omnia tanquam fluxa & caduca generoſo quodam animi vigore contemnebat. Utebatur familiariter *Gilberto Genebrardo*, viro doctiſſimo, cujus in ædibus *Lutetiæ* dum valetudine parùm firma hoſpitatur, & *Gregorianæ* verſionis nuper à ſe recognitæ novam editionem urget, ſub exitum anni 1581. poſt longa morborum tædia ex phthiſi tandem octo & quadraginta natus annos interiit, elatuſque eſt ad *Severini* fanum & piis eruditorum epitaphiis conſecratus. *Samarthan.*

Vir non plus nobilitate, quàm propria virtute, ac vitæ ſanctimonia & doctrinâ ab omni fuco aliena, linguæque Græcæ exacta cognitione clarus, quam in veteribus Patribus illuſtrandis præcipuè exercuit. *Thuan.* ad Ann. 1581.

Verbis ille paribus ſententias aptè & fideliter comprehendit; ſtylo certè nonnunquam excurrit, verùm ipſe ſe intra metas continuò revocat, & coercet. *Huet.* de Clar. Interpret.

Obſervationes Sacras elucubravit, quæ manifeſtant illum inter ſui Seculi primos Criticos cenſendum eſſe. Ejus *Anthologia* in pretio adhuc eſt. *Poſſevinus* ait pluſquam quinquaginta annos poſt Doctum illum Abbatem nec viſum nec videndum fore virum quemquam *Græcæ* linguæ adeò peritum. Quod elogium aliquatenus immodicum videtur. *Judicium Eruditorum* per Dominum *Baillet.* 1685. Gall.

Jacobus Billius Vir fuit honeſtiſſimus, ſolida erat ejus ſcientia & præter *Doctorum Linguarum* perfectam notitiam; *Patrum* & *Theologiæ* Doctrina inſtructus erat. Præterea nihil erat in *Mathematicis* neque in *Iuriſprudentia* difficile, pulchrum & ſublime, quod ipſi familiare non eſſet. Erat inſuper Poeta *Latinus* & *Gallicus*, cujus invictum argumentum ſunt Poemata ejus quæ nobis ſuperſunt. D. Moreri. Gall.

Billius fuit doctus. *Scalig.* poſterior.

Extat *Anthologia Sacra*, Octoſtichis Verſibus, cum Scholiis. *Pariſ.* 1575.

Extant Sacrarum Obſervationum libri 2. *Pariſ.* 1585.

Extant Notæ in *Iſidori Peluſiotæ* Epiſtolas. *Heidelb.* 1605.

Extat Vita *Gregorii Nazianzeni*, cum Verſione & Scholiis ad Opera ejus. *Pariſ.* 1583.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS HOTOMANNUS.

P*Ariſiis* natus eſt Anno Dom.1524. Obiit *Baſileæ* anno 1590.

Varia compoſuit de Jure & aliis ad antiquitatem pertinentibus, quæ, uti ab authore ante mortem recognita & digeſta erant, ita poſteà *Iacobus Lectius* publicavit. Clar. An. D. MDLXXV.

Franciſcus Hotomannus, Juriſconſultus clariſſimus, Hiſtoriarumque & totius Antiquitatis ſcientiſſimus, claruit *Genevæ Allobrogum* anno 1573. quo *Ius Civile* ibidem docuit. Multa ingenii ſui reliquit monumenta, quibus in æternum victurum nomen per univerſum orbem obtinet. *Boiſſard.* in Icon.

Erat omninò ille vir (*Franciſcus Hotomannus*) habili & fœcundo ingenio, variaque eruditione, ac potiſſimùm eximiâ quâdam in *Romanorum Jure* illuſtrando facundiâ conſpicuus. Quod & poſteris plurima ejus Opera ſplendidiſſimè ſcripta magis ac magis indicabunt. *Scævol.Samarthan.*

De quibus vide eorum Commentaria: *Hotomannum* præſertim Juriſconſultum eximiè antiquitatis gnarum & Juriſprudentiæ myſtam ferè incomparabilem *Caſpar.Barth.* Animadv. ad *Gratii* Cynegeticon, v.374.

Franciſcus Hotomannus inter principes elegantiores Iuriſconſultos ferè princeps. *Idem* l.2. adverſar.c.5.

Franciſcus Hotomannus vir de Iuriſprudentia ſimul & literarum omni genere bene meritiſſimus. *Idem* ibid.l.46.c.9.

Franciſcum Hotomannum, majorem Iuriſconſultum, an *Criticum* elegantiorem, dicam, neſcio. Videat mihi quis obſervationes illius, in *Ciceronis* Orationes, & *Cæſaris* monumenta Commentarios: Stylum ejus conſideret; redivivum in *Galliâ Severum Sulpicium*, vel etiam *Ciceronem*, veriſſimè dixerit. *Gaſp.Sciopp.* de Art.Crit.p.8.

Politiſſimus ſuaviſſimæque apud omnes doctos memoriæ vir, *Franciſcus Hotomannus*, quo ſol meliorem & doctiorem non illuxit alterum. *Gaſp. Sciop.* l.1.Veriſimil.c.19.

Antiquarius eruditiſſimus vocatur *Roſino* Antiq.Rom.

Hotomannum ſola dictio *Latina* commendat ac eloquentia. *Cætera* vulgare ingenium. *Scaligerana* 1.

Hotomanni Franco-Gallia bona eſt; in hac ipſum juvi: Eſt in Catalogo Brutum Fulmen, *an ſit Genevæ*, volo, *an ſit hujus Urbis*, ne emas Fulmen brutum, liber mihi donatus ab ipſo *Hotomanno*, eſt præclarus liber, multa bona dicit, ſed multa addita ſunt in editione *Leydenſi*, præſtat *Genevenſis Scaligerana* 2.

Supereſt ultimum caput, quod de Parlamentis juridicialibus *Hotomannus* dicit: & quia iſto capite colophonem impoſuit ſuis conviciis, injuriis, & famoſo libello, qui Regibus, Reginis, Pontificibus, Ducibus, & hujuſmodi non pepercit, noluit cæteris parcere. Et certè tam ſpurcæ lectioni finis ſpurcior addi debuit, & quia tam malè cœperat, pejus ut finiret, æquum erat. Itaque plurimum afficior,

Digitized by Google

cùm videam egregium Juriſconſultum unico libello nominis & famæ jacturam & naufragium feciſſe----Plura ego, ſed quia non eſt noſtri inſtituti, hæc ſufficiant. Ex quibus manifeſtum eſſe omnibus exiſtimo, ut ſuperius diximus, totam *Hotomanni* orationem plenam eſſe ſeditionis, ſycophantiæ, mendacii, rebellionis: nihil in ea pium, nihil homine *Chriſtiano* dignum, nihil denique præter verborum fucum, *Ant. Matharell.* ad *Hotomanni Francogall.* ann. 1575. primùm editâ. Reſponſione, c.20.

In famoſo libello *Franciſci Hotomanni* plus iracundiæ eſt, quàm ſcientiæ: & qui Juriſconſultum ſe eſſe profitetur, graviter in eo peccat, quod jus ſuum tribuit nemini: niſi fortè antiquo veteri jure, novum nomen, & adhuc inauditum *Hotomannica* ſcientiæ civibus ſuis exul mittit. Exſulem eſſe turpe eſt, & patriæ nihilominus deſiderio teneri, cujus mores, ritus, leges, inſtituta plurimum damnes. Multa & annalium monumentis de *Francis* & *Francogalliâ* ad mendacii ſui defenſionem & oppugnationem ſacroſanctæ veritatis profert. *Jo. Papir. Maſſon.* in judic. de *Hotoman. Francogal.* quod *Ant. Matharelli* reſponſio præmiſſ. reperitur.

Vel illi ipſi qui adverſus ipſum ſcripſerunt fatentur illum multæ lectionis & reconditæ eruditionis virum fuiſſe. *Anton. Teiſſier.* Elog. Eruditorum. Gall.

Franciſcus Hotomannus ut aliorum *Plagio* læderetur, ipſe ſuis in *Briſſonium, Turnebum, Cujacium, Connanum, Coraſium, Budeum, Revardum, Petrum Fabrum,* furtis meritus videri queat, non obſcurè accuſatis ab eo, quem, hìc ultimum nominabimus, *Petro Fabro,* ut de noſtra in eum ſuſpicione nihil hìc dicimus *Thomaſ.* de *Plag.* num. 469.

Hotomannus ex *Paſchalii* libro de *Legato*, omnia furatus eſt *Scalig.* 2.

* *Huic Hotomanno* nonnulli *Sixti* V. *Brutum Fulmen* in *Henricum Regem* tribuunt. Hoc libro *Hotomannus* tantam apud *Pontificios* iniit gratiam, ut in primâ claſſe prohibita ſint omnia ipſius *Scripta* in expurgatoriis ipſorum Indicibus. *Konig.*

Prodiit liber de Populi *Romani* Legibus. *Baſil.* 1557. 8.

Prodiit liber de Populi *Romani* Re Nummaria. *Genev.* 1585. 8.

Prodiit Franco-Gallia. *Francofurti* 1665. 8.

BENEDICTUS ARIAS MONTANUS.

Clar. An. D. MDLXX.

H*iſpalenſis*, obiit ann. 1598. ætatis 71. Vir toto Orbe celeberrimus, qui *Bibliis Regiis Antvverpiæ* præterfuit.

Scripta ejus ſunt: De optimo Imperio, ſive in librum *Joſuæ* Commentarius--- De varia Republica, ſive Commentarius in librum *Judicum*--- In 30. priores *Pſalmos* Comment.---In 12. Prophetas Minores Comment.----In Iſaïam Comment. Elucidationes in 4. Evangelia, in Acta Apoſtolorum, in omnia Apoſtolica Scripta---Comment. in 7. Epiſtolas Canonicas---Comment. in Apocalypſin---Anti-

Digitized by Google

Antiquitates *Judaica*----Rhetorica----Poemata Sacra---Comment. in Pſalmum 55.----Apparatus in *Biblia Regia*.

Benedictus Arias Montanus linguæ Sanctæ apprimè peritus, ac ſummè pius, *Bibliis Complutenſibus* elegantiore formâ recudendis à *Philippo* II. deſtinatus, egregiam admodum operam in eorum editione cum *Fabriciis Boderianis* Fratribus *Falezianis* *Antuverpia* navavit;unde ſibi æmulos tanto odio accendit,& in iis *Leonem Caſtrenſem*,qui de Septuaginta *Interpretibus* Commentarium ſcripſit, ut ad cauſam dicendam citatus *Romam*, vix veniâ impetratâ, pro tantorum laborum præmio ſeceſſum in *Bætica* ſua, in quo ſe bonâ conſcientiâ fretus ſacrorum librorum lectione ac lucubratione ſolaretur, acceperit. *Thuan.*ad ann.1598.

Benedictus Arias Montanus, Hiſpalenſis, Doctor Theologus, omnium penè gentium linguis atque literis rarò certè exemplo excultus, nomen cum omni poſteritate adæquavit: nam præter *Graci* ac *Latini* ſermonis elegantiam,aliarum linguarum notitiam paraverat, ut *Chaldai, Hebrai,Syri,Arabes*,& his affines illo vel Interprete, vel Magiſtro uti potuiſſent. Taceo omnis Philoſophiæ ac Theologiæ cognitionem, vitæque integritatem. *Aub.Miraus*.

Fatendum eſt, *Ariam Montanum* fuiſſe virum magnum,déque *Eccleſiâ,Bibliorum* inprimis *Regiorum* opere (quorum illum curæ *Philippus* II. ejus nominis *Hiſpania* Rex, præfecerat) præclarè meritum. *Voſſ.* de Scient. Mathem. pag. 303.

Quæ ſingula mirari in homine ſolemus, *Benedicte Aria*, ea conſecutum te poſſum dicere univerſa. Quid ſanctius Theologiæ ſtudiô? at tu inter principes *Theolog.* jure cenſeris. Quid in ipſo Theol. rarius, quàm peregrinarum linguarum ſcientia? at tu non dicam benè *Gracè* calles aut *Latinè*; ſed *Hebrai* te,*Syri*, *Chaldai*, *Arabes*, ſi *Sermonis* res ſit,ſuum *Civem* poſſint agnoſcere *Juſt.Lipſ.* Epiſtolic.Quæſt.lib.4.Epiſt.1.

Duplici dolore,& quaſi ictu ſum affectus, cùm tuam Epiſtolam accepi. Etſi priorem non tam intulit ipſa mihi, quàm illatum renovavit, mentione mortis *Aria Montani* noſtri,ô magni rarique viri, & nobis etiam longinquis & exteris ob virtutem & doctrinam chari! *Lipſ.* Epiſt.Cent.ad *Hiſpan.* Epiſt.60.

De me ac de meo labore & induſtriâ [quantulacunque eſt] nihil profiteor, Hoc tamen unum recenſebo: me ſcilicet, continuò immortales *Deo* gratias agere, quod *decem Idiomatum* cognitionem mihi pro ſuâ clementiâ & benignitate impertitus ſit.*Ar.Montan.*Præfat.in Sac.Bib.Quadril.Reg.Edit.

Arias Montanus vir doctus erat, ſed qui magno judicio non pollebat. Legi ejus Antiquitates Judaicas quæ vilis pretii opus ſunt. Singularem habebat Religionem ut *Raphelengius* Pater de *Scaligero* dixit. Impendio laboravit in ſuis ad Antuverpiana Biblia majora *Apendicibus*. *Scaligerana* poſterior.Gall.

Poſt *Pagnini* verſionis examen, conſentaneum eſt ut hîc ſubnectamus judicium quod ferri debet de Ariæ Montani Translatione quæ in Bibliis majoribus *Philippi* II. excuſa fuit, & poſtea denuò impreſſa in *Polyglottis Anglicanis*. Ei ſatis fuit *Pagnini* verſionem recognoſcere, hancque reformare locis illis quos ad literam

literam ſatis non eſſe cenſebat. Sed meritò dictum fuit, dum ſermo erat de *Ariæ Montani* correctionibus, *Quot correctiones, tot corruptiones.* Tantùm enim abeſt ut vitia quæ plurima erant in verſione *Pagnini,* abſtulerit ut illa potiùs multiplicaverit. Ejus tamen methodus, vulgò approbatur, quoniam in hoc opere eorum tantùm particularem utilitatem reſpexit qui *Hebræam* linguam addiſcere cupiunt; Ideoq; aſperitatem in phraſibus anxiè non vitavit, quoniam ad Grammaticæ rigorem textum ſuum interpretabatur. Doctus ille vir qui ſuperius *Pagnini* verſionem ut eximium opus nobis commendavit, Conſilium etiam *Ariæ Montani* ratum habuit, & in ejus favorem dixit, illum fidelis Interpretis laude contentum iiſque proficui qui Linguæ Hebraï. rudimenta incipiunt, ignorantium obtrectationem contempſiſſe. Verum quidem eſt verſionem hanc iis utilem eſſe poſſe qui *Hebræum* idioma diſcere volunt, quoniam *Hebræum* textum verbatim & juxta Grammaticum ſenſum reddit; ſed non tamen cenſeo *Ariam Montanum Fidiſſimi Interpretis* Elogio inſigniendum eſſe; contrà enim jure multò magis cum eo agetur ſi *Ineptiſſimus Interpres* dicatur. An accurati Interpretis titulus ei concedi poteſt Tranſlatori, qui ferè ubique Textus ſui ſenſum evertit? Et re vera, omnis ejus eruditio verſatur in *Hebræis* vocibus ad literam juxta earum uſitatiorem ſignificationem convertere, non attendendo an locis ubi hanc uſurpat congrua ſit, necne. Cùm *Hebræa* vocabula ſunt æquivoca, rationem habere convenit, ut mihi quidem videtur, ſignificationis prout apta hæc eſt locis in quibus occurrunt, & ridiculum eſt quamlibet ſignificationem temerè uſurpare, ſive conſentanea ſive diſſentanea fuerit. Hoc tamen vitium in tota *Ariæ Montani* Verſione regnat, in quo parum judicii oſtendit ---- Verbo ut abſolvam, ſi quis dignetur ſingulas *Ariæ Montani* correctiones perluſtrare, is deprehendet illum ut tyronem potiùs quàm ut limati judicii virum *Biblia* convertiſſe. Nec parum mirari ſubit quòd *Waltonus* Verſionem ejus cæteris omnibus antepoſuerit, & illam in *Anglicana Polyglotta* inſeruerit, in quibus potiori jure locum obtinere debuiſſet aliqua alia quæ vocum *Hebræarum* ſenſum expreſſiſſet, nec tamen à litera longè abiviſſet. Orat. Presb. *Rich. Simon*, Hiſt. Crit. V. T. l. c. 20. Gall.

Benedictus Arias Montanus, inter clariſſimos *Hiſpanos* meritò reponendus, præter alia ingenii monimenta, ad *Poëſin* quoque locupletandam ſeſe accinxit---*Eccleſiaſtem* reddidit *Epicis*, in quibus nihil otioſum, tumenſve, nihil jejunum; quin & *gnomæ* egregiæ hinc inde inſperſæ. *Olaus Borrig.* de Poët. p. 123.

Arias ſæpè *Pagnini* verſionem temerè loco movet, & pro bonis *Pagnini* prava ineptaque ſubſtituit. *Arnold. Boot.* in Animadverſ. Sacr. ad Text. Hebraic. Vet. Teſt.

* Corrigenda in eo ſunt pleraque tam in Commentario ſuo in *Eſaiam*, & Comment. in Prophetas minores, quàm in Elucidationibus in quatuor Evangelia, & Acta Apoſtolorum, & in omnia Apoſtolorum ſcripta, & in Apocalypſin, nec non in libro Generationis & Regenerationis *Adam. Index Madrit.* Impreſſ. Ann. 1667.

Ejus

Digitized by Google

Ejus apparatus in S. Biblia, extat inter Biblia Reg. *Hiſp.* alia ejus Opera variis temporibus atque locis ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium:

Deo Viventium S.

Benedicti Ariæ Montani Hiſpal. *Doctoris Theologi, ſacrorum librorum ex Dei beneficio Interpretis eximii, & Teſtimonii D. N.* Jeſu Chriſti *annuntiatoris ſeduli, Viri incomparabilis, titulis cunctis majoris, monumentis auguſtioris, oſſibus in diem Reſurrectionis Juſtorum aſſervatis, cum honore* D. Alphonſus Frontiberius *Prior Conventûs S.* Jacobi Hiſpalenſis, *in Prioris quondam ſui opt. meriti memoriam P. C. anno* M DCV. *obiit ann* CIƆIƆ. XCVIII. *ætat.* LXXI.

MARCS ANTONIUS MURETUS.

GAllus, ex diœceſi *Lemovicenſi*, eruditorum ſui ſeculi facilè princeps, ſine Præceptore, *Latinè Gracéque* doctiſſimus evaſit. *Pariſiis*, in Collegio Cardinalis *Monachi* tertiam claſſem rexit, cùm *Buchananus* ſecundæ, *Turnebus* verò primæ præeſſet. Hinc, fortunam magis optimam ſectatus, in *Italiam* abiit, & *Venetiis* primò, dein *Romæ* in pretio habitus, obiit anno 1585. ætatis 57. *Hoſman.* Clar. A. D. MDLXXV.

Scripſit Orationes: Varias Lectiones, Poëmata, Emendationes in *Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum, Propertium, Tacitum*, inque *Senecam* Philoſophum: Epiſtolas: multaque alia.

Marcus Antonius Muretus, magnum non ſolùm *Galliæ* noſtræ, ſed ipſius *Romæ* lumen. *Thuan.* Hiſt. l. 80.

Ingenio præſtanti & ad omnia nato præditus, quod in politiori literaturâ præcipuè exercuit, utriuſque linguæ peritiâ clarus, & *Latinè* ſcribendi facultate inſignis, ad quæ omnia acerrimum judicium attulit. *Thuan.* Hiſt. l. 81.

Quis non miretur hominem *Gallum*, & quidem in *Lemovicibus* natum, ſuo ipſius ingenio & abſque ullâ Præceptoris operâ eruditum tantos in literis feciſſe progreſſus, ut præter exactam *Græcæ* linguæ ſcientiam ipſis etiam *Italis* peculiarem illam *Latini* ſermonis laudem unus eriperet? Neque verò id *Muretus* in Oratione ſolutâ ſolùm, ſed in verſibus etiam aſſecutus eſt, in quibus tam erat *Catullo* ſimilis quàm ipſe *Catullus* ſibi. Accedebat ad excellens & divinum illud ingenium incredibilis morum candor & urbanitas, quæ mirificâ ſuavitate hominum animos afficiebat atque attrahebat. *Scævol. Samarthan.* in Elog. *Gallor.*

Nihil unquam (mirum dictu) bis ſcribebat *Muretus*, vix adeo bis legebat id ipſum, quod ſcripſerat; rarò interpolabat, non ſæpè mutabat aliquid, rarius demebat delebátque: ita, cùm uno quaſi tenore fluerent omnia, nihil niſi aptum & accommodatum ad manum mentémque veniebat, ut multo meliora fortuitò illi excide-

Digitized by Google

exciderent, quàm alii, qui eandem incudem aſſiduè tundunt, excudant labore. *Andr. Schott.* in Vitâ *Mureti.*

Marcus Antonius Muretus, vir cumprimis eruditus, & qui in his literis noſtris meo judicio familiam ducit. *Lipſ.* l. 2. Var. Lect. c. 1.

Vir in quo non eruditio ſolùm varia, ſed comitas etiam & lepos multus. *Idem* de Rect. Pronunc. *Ling. Lat.* c. 1.

Cujus ſcripta *Venus* inhabitat pariter cum *Muſis*. *Idem* in l. 1. Annal. *Tacit.* Num. 33.

Muretum ego novi, virum ingenio & eloquio ſuavem, judicio ſæpè bonum, ambitioni, non ſemper extraneum. *Lipſ.* Diſpunct. Not. *Mirandulani* Cod.

Vir cùm omni liberali eruditus doctrina, tum etiam ſingulari eloquentiâ prædîtus *M. Antonius Muretus. Turneb.* Adv. l. 14. c. 6.

Hic *Latinæ* Orationis facundiâ tantam ſibi apud omnes gratiam conciliarat, ut ejus ævi quaſi alter *Tullius* concordibus *Italiæ* vocibus acclamaretur. *Jo. Imperial.*

Edidit *varias Lectiones*, quibus nihil uberius, nihil elegantius fingi poteſt. *Konig.* in Biblioth.

Quantum vir hic eruditione præſtaret, *Variarum Lectionum* liber oſtendit. *Jan. Nic. Erythræus* in Pinacoth.

Mureti Epiſtolæ lectu digniſſimæ. *Geſner.* in Biblioth.

M. Antonius Muretus Lemovix, eloquentiſſimorum noſtræ ætatis hominum numero jure adſcribendus eſt, cui pura, nitida, & elegans Oratio, æternam nominis gloriam peperit, præter ejus multiplicem eruditionem. *Gul. Revil* in promt. Icon. Illuſtr. Vir.

Pauci ſunt in Mundo *Mureti*; qui ſi tam benè crederet in *Deum* quàm optimè perſuaderet eſſe credendum, bonus eſſet *Chriſtianus*. Doleo obiiſſe *Muretum*, de cujus morte ad me ſcripſit *Cujacius*. Animus erat eum reprehendere in multis quæ peroptabam ab eo videri. *Scalig.* 1.

Muretus ſcribebat promptiſſimè, *Muretus* etiam illam *Italorum* rationem ſcribendi fuſam ſecutus eſt. *Mureto* nullus fuit poſt *Ciceronem* qui expeditiùs loqueretur & ſcriberet *Romanè*. *Lipſius* nihil præ illo, & invidebat illi, furatus eſt *emendationes*. Benè intelligebat *Ariſtotelis Rhetorica*. Quid elegantius ejus Oratione de *Tacito* & aliis? *Scalig.* 2.

De ipſo tandem hoc jure optimo proditum, quod in pangendis carminibus *Tibullo* conferendus, in proſa Oratione recentiorum cuilibet præferendus, ſcientiarum porrò, atque inprimis Juriſprudentiæ gloriâ haud inter gregarios collocandus, *Gallica* præconia inſigni, nec interiturâ laude cumulavit. *Joan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Jeſ. *Rapinus* eum in Odis ſuis ſatis liberum non eſſe exiſtimat, hoc autem vitium inde oriri quòd elegantiori *Latinitati* nimis ſollicitè ſtudeat. *Rapinus*, Generalibus in Poeticam Animadverſionibus, Animadv. xxx. Gallicè.

Balzacius *Muretum* jure merito culpat, quod ea omni veneratione & honeſtate

Digitized by Google

neſtate erga *P. Victorium* ſe non geſſerit, quæ ei debebatur cum ob ejus merita, tum ob ejuſdem provectiorem ætatem; Nam aliquod variarum Lectionum ſuarum Caput exorditur eum mendacii quadantenus arguendo. *Falſum eſt*, inquit, *quod* ait *Victorius.* Sed culpa multò dignior eſt quòd *San-Bartholomaanam ſtragem* laudaverit, perinde ac fecit Oratione in laudem *Caroli* IX. Romæ pronunciata. *Anton. Teiſſier.* Elog. Gall.

Non minùs quidem ornatus [*Dionyſio Lambino*] *Martinus Antonius Muretus*, ſed religioſus magis; nec caſtitati minùs quàm elegantiæ aſſervit; nec ſententiam modò exprimit, ſed genus ipſum dicendi, quod licet, imitatur. Quòd ſi plura in eo genere elaboraſſet, inter multos *Interpretes* propè ſingularis extitiſſet; ſed tantum detraxit ex gloriâ quantum ex eo ſtudio decerpſit. *Huet.* & Clar. Interpret.

Quid tandem dicemus cùm eruditiſſimus ipſe *Muretus*, *Variantes Lectiones, emendationeſque Pinciani in Senecam*, ſuas feciſſe dicatur. *Theod. Janſon.* Nov. Antiq. p. 27.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Obiit *Romæ*, ac ſitus in Sepulchro, quod in Æde, *Deo* trino & uno, in *Colle Hortorum*, dicatâ, ſibi vivens extruxerat: Ubi ejus Epitaphium poſuit *Julius Roſcius*:

Hic Marci *caros cineres* Roma *inclita ſervat*,
Quod patria optaſſet Gallia *habere ſinu.*
Stat colle Hortorum, *tumulus ſtat proximus aſtris*,
Quæ propiùs puro contigit ille animo.
Tu ſacros latices lacrymans aſperge, Viator,
Et dic, heu! linguæ fulmina fracta jacent.

JACOBUS PAMELIUS.

AUdomaropolitanæ Urbis Epiſcopus, natus eſt *Brugis* Anno Dom. 1536. 5. Idus Majas, *Adolpho* Patre, *Carolo* V. Imp. à Sanctioribus Conciliis, è nobili *Baronum* de *Pamele* ſtirpe. Montibus *Hannoniæ* obiit Anno Dom. 1587. ætatis ſuæ 52. 13. Kal. Octob. Clar. A. D. MDLXXV.

Scripta ejus hæc ſunt: Commentarii in *Tertullianum*—Commentarii in *Cyprianum* — Liturgica *Latinorum* — Relatio ad *Belgii* Ordines de non admittendis unâ in Republicâ diverſarum Religionum exercitiis—Micrologus de Eccleſiaſticis Obſervationibus — *Caſſiodori* divinæ lectiones — Catalogus Commentariorum Veterum Selectorum in univerſa *Biblia* — Commentarii in librum *Judith* — Commentarii in Epiſtolam *Pauli* ad *Philemon.*

Jacobus Pamelius, vir & ſacræ Antiquitatis peritiſſimus, & cum multis ſcriptis, quibus eam illuſtravit, tum unâ & alterâ *Tertulliani* & B. *Cypriani* editione

 magnam

Digitized by Google

magnam gratiam à doctis & piis omnibus conſecutus. *Thuan.* ad ann. 1587.

De *Tertulliani* & *Cypriani* Scriptis optimè meruit. *Konig.* in Biblioth.

Jacobus Pamelius, operibus ſuis, Notis inprimis in *Tertullianum* & *Cyprianum*, nomen immortale promeritus. *Hofman.* in Lexic.

Pamelii in illuſtrando *Cypriano* diligentia longè majoribus encomiis digna foret, ſi ſincerum & nullis partium præjudiciis addictum animum attuliſſet, nec primitivæ *Eccleſiæ* ſtatum, invito *Cypriano*, ad hodiernos *Eccleſiæ Romanæ* mores accommodare laboraſſet. *Acta Eruditorum.* Vol. 2. p. 42.

Jacobus Pamelius, vir cum primis eruditus — Ejus induſtriam in diſponendis *Cypriani* Epiſtolis cùm magnoperè commendemus, haud tamen poſſumus eidem in omnibus aſſentiri : nam ad exactam rationem *temporum* hiſtoriam contexentes interdum à poſito ab eo ordine cogimur reſilire. Id ipſi viventi minimè diſplicuit *Baron.* Tom. 2. Annal.

Pamelius doctus fuit & bene ſcripſit : fuit nobilis, valde modeſtus in noſtros : ita credebat ut ſcribebat : etiam *Goulartius* in *Cypriano* modeſtè illum tractat. *Scaligerana* 2.

Doctiſſimus *Pamelius* vocatur à *Lipſio*.

Optimum officium ab eo in Eccleſiam & in rem Literariam profectum, in *Tertul.* & S. *Cypr.* editionibus poſitum eſt, quorum Opera novo ordine digeſſit, iis additis novis tractatibus antea nondum evulgatis. Doctos etiam commentarios in eadem elaboravit, ex quibus judicare convenit eum *Antiquitatis Eccleſiaſticæ* cognitionem amplam habuiſſe, & non mediocrem *Criticum* fuiſſe. *Judicia Eruditorum*, Pariſ. 1685. per *Baill.* Gall.

Vir doctus & diligens *Jac. Pamel.* quod *Paul. Manutius* in ordinandis *Ciceronis* ad *Atticum* Epiſtolis cum laude præſtiterat, idem in *Cyprianicis* præſtare conatus eſt. Et huic *Spartæ*, quam ſuſceperat, adornandæ, magnam adhibuit diligentiam; ſed difficultatibus *Hiſtoricis* oppreſſus, & receptæ *Pontif. Roman.* Chronol. nimis adhærens, etiamſi multa præclarè obſervavit, in haud paucis tamen à recto tramite aberravit; quod in Vitâ *Cypriani* ab ipſo collectâ clarius eluceſcit. Ordinem à *Pamelio* editum aliquoties corrigere conatus eſt illuſtriſſimus *Card. Baron.* ſed non multum præſtitit, & *Hiſtoriam* pluribus erroribus maculavit. *Joan. Pearſon.* Epiſc. *Ceſtrienſ.* in Præfat. ad Annal. *Cyprian.*

Prodiit ejus *Rituale Sanct. Patrum Col.* ann. 1676. 2. Vol. 4°.

ABRAHAMUS ORTELIUS.

Clar. An. D. MDLXXV.

SEculi noſtri *Ptolomæus*, *Philippi* II. Regis *Hiſpaniarum* Coſmographus, & immortalis illius Operis *Theatri Orbis Terrarum* autor, vir doctiſſimus, humaniſſimus, atque integerrimus, natus eſt die decimo Aprilis, ann. 1527. *Antverpiæ.* Obiit ibidem die 29. Junii, St. N. 1598. ætatis 75. cùm ſæpè in morbo ſuo vocem iſtam uſurpâſſet : *Nihil ſe in hac vitâ relinquere, quo non poſſit, & velit carere.* Uſus eſt annis vitæ ſuæ poſtremis loco *Symboli* aut *Emblematis* picturâ *Orbis*

Digitized by Google

bis ſeu *Globi Terreſtris*, cum additâ *Inſcriptione: Contemno & orno; Mente, Manu. Abraham. Bucholcer.* Ind. Chronolog.

Scripta ejus hæc ſunt: Theatrum Orbis Terrarum—*Synonyma* Geographica—Theſaurus Geographicus--- Aurei ſeculi Imago, in qua *Germanorum* veterum vita, mores Regio cum Iconibus—Itinerarium per nonnullas *Galliæ Belgicæ* partes—DeorumDearumque Capita ex *Ortellii* Muſæo—Syntagma Herbarum encomiaſticon, earum utilitatem & dignitatem declarans.

Abrahamus Ortelius, Coſmographus ad miraculum uſque politiſſimus & laborioſiſſimus. *David Chytræus* in Paraphraſ. Pſalm. *Buchanan.*

Ortelius in *Theatro Terarrum Orbis*, omnibus ſuam probavit induſtriam, ſcripſit & *Theſaurum Geographicum*; opus eruditum, lectuque jucundum. *Melch. Adam.*

Abrahamus Ortelius rei *Geographicæ* ab ineunte ætate ſtudioſus, maximè eam partem nulli labori aut ſumptui parcens illuſtravit: neque ob id peregrinationes longinquas ſuſcipere, ac multoties totâ vitâ repetere recuſavit: edito pulcherrimo *Orbis Terrarum Theatro*, & renovatâ antiquorum locorum per *Tabulas* propria induſtria eleganter depictas memoria; *Synonymorum*que ingenti opere edito *Thuan.* ad an. 1598.

Vir monſtris ex terrarum orbe amoliendis planè natus. *Merula* in Præfat. Coſmogr.

Edidit etiam *Ortelius Theatrum orbis terrarum*, librum, ut omnia ejus ſcripta, valdè doctum. *Becman.* c. 1. Hiſt. Orb. terrar. n. 5.

Tabulas ex hiſtoriâ omnigenâ utiliter illuſtravit, Matheſeos interim Scientiâ neutiquam cum Mercatore conferendus. *Voſſ.* c. 2. de Philog. ſect. 28.

Anno 1575. clari erat nominis *Abrahamus Ortelius Antverpianus.* Quod deinceps ſemper auxit. Præcipuè nomen peperit *Theatro Orbis Terrarum*, ac *Parergo*, ſive Tabulis *Geographiæ* veteris, & *Synonymis Geographicis.* Etiam *Antiquitatum* earum valdè fuit ſtudioſus, quæ ex nummis vett. *Græcis Romaniſ*que cognoſcuntur uti quoque ex *Saxis* antiquis. *Voſſ.* de Mathem. Scient. p. 259.

Vir eruditiſſimus atque probatiſſimus, deque ſtudiis *Geographicis* optimè meritus *Abrahamus Ortelius. Caſaub.* ad *Baron.* Ann. 38. Num. 68.

Eximius veteris Geographiæ Reſtaurator *Abrahamus Ortelius. Gul. Camden.* in Præfat. *Britan.*

Theſaurum abs Te, mi *Orteli*, vidi & in parte legi: verè Theſaurum. In eo habes quicquid *Græcia* aut *Latium* habuit, in eâ quidem argumenti parte. Placet materies, ordo, induſtria: illa utiliſſima, iſte facillimus, hæc ſumma. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 2. Miſcel. Epiſt. 7.

Theatrum tuum, *Orteli*, vidi: & vis me verum dicere? neſcio an à multis annis cujuſquam labor utilior fuerit in vulgus. Abeant illæ infinitæ *Tabulæ Chartæ. Lipſ.* Epiſt. Quæſt. l. 4. Epiſt. 4.

Ortelium ego non tam *Regium Geographum*, quàm *Regem Geographorum* appellare ſoleo. *Marc. Velſer.*

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Digitized by Google

Hoc ejus Epitaphium, *Juſto Lipſio* Auctore:

Abrahami Ortelii quem Urbs Urbium *Antverpia* edidit, Rex Regum *Philippus Geographum* habuit, monumentum hîc vides. Brevis terra eum capit, qui ipſe Orbem terrarum cepit, ſtilo, & tabulis illuſtravit, ſed mente contempſit, quæ Cœlum, & alta ſuſpexit, conſtans adverſum ſpes, aut metus, amicitiæ cultor, candore, fide, officiis, quietus cultor, ſine lite, uxore, prole, vitam habuit quale alius votum; ut nunc quoque in æternâ requieſcat, votis fave, lector. Obiit quarto Kalendis, Jul. 1598. vixit ann. 71. menſes 2. dies 18.

Joſephus Scaliger in memoriam *Ortelii* hoc Epitaphium ſtruxit:

Quid primum, Orteli *quid ſummum pectore promam,*
Quo poſſim cineri ſolvere juſta tuo?
Exciturus eram doctas in Carmina Divas;
Carmina ſunt meritis inferiora tuis.
Impendendus erat mundus, ſed pectore mundum
Cepiſti; laudes non capit ille tuas.
Laudibus ergo tuis melius deſiſtere. Abunde
Laudatur, cui laus nulla ſat eſſe poteſt.

Aliud, Auctore *Balduino Cabillavo* S. J.

Hic ſitus Ortelius. *Buſti me fallit imago:*
Qui jacet hic umbra vix levis umbra ſua.
Vin' noſſe Ortelium? *Mundi decurre* Theatrum:
Quantum opus eſt Orbis, *tantus & ille Vir eſt.*

JOANNES SAMBUCUS.

Claruit A. D. MDLXXV.

NAtus eſt *Tirnaviæ Hungariæ* oppido A. C. 1531. Fuit *Maximiliani* II. & poſtea *Rudolphi* II. Imperatorum Conſiliarius & Hiſtoricus *Cæſarius*; unáque Medicus elegans, Poëta eruditus, & Antiquarius penè incomparabilis: nec non vir adeo liberalis, ut omnem ferè ſubſtantiam ſuam conquirendis libris, monetis, & ſtudiis antiquis impenderit. Obiit *Viennæ Auſtr.* Apoplexia A. C. 1584. ætatis ſuæ 53. Vander *Linden* de Script. Med.

Scripta ejus propemodum infinita, quorum Catalogum habes apud *Jac. Boiſſardum.*

Joannes Sambucus Tirnaviæ Pannoniæ oppido natus, anno 1531. in pleriſque *Italiæ*

Digitized by Google

Italiæ, Galliæ & *Germaniæ* Academiis cum laude verſatus eſt: conjunxit autem cum literis humanitatem; cum *Latinis Græca*: & quod è ſcriptis ejus facilè apparet, ſcientiam antiquæ Philoſophiæ cum elegantia doctrinæ. Unde in Medicum elegantem, in Poëtam venuſtum & ſcitum, in Hiſtoricum & Antiquarium ſolertem evaſit. *Boiſſard.* in Icon.

Joannes Sambucus, profeſſione *Medicus*, cujus ea fuit in veteribus libris colligendis diligentia, liberalitas in publicandis, ut principibus viris, qui hâc re laudem conſecuti ſunt, quamvis in diſpari fortunâ, æquari debeat: quod *Nonnus Dionyſiacorum* ſcriptor, *Ariſtenetus*, *Eunapius*, *Heſychius* illuſtris, alii ejus beneficio editi abundè teſtantur; alioqui alienâ quàm ſuâ induſtriâ clarior. *Thuan.* ad ann. 1584.

A *Sambuco* heri ad me literæ, ſanè quàm amicæ. Humaniſſimum virum coràm reperi, non pro opinione mea (tecum hoc ſit) literatum. *Lipſ.* Cent. 1. Miſc. Epiſt. 2.

In te ſingularem humanitatem cum ſingulari eruditione conjunctam dilexi, vel, ut magis propriè loquar, amavi. *Lipſ.* in dedicat. 3. poſteriorum librorum *Taciti.*

Vir benè doctus, & omni ratione *Veterum Scriptorum* adjuvandorum ſtudioſus, *Joannes Sambucus*. *Petr. Victor.* l. 37. Var. Lect. c. 18.

Accuratus homo in legendo, & reconditæ doctrinæ, omni laude dignus vir ob eximias ſuas animi dotes, & non minùs, quia aliorum laudis valdè liberalis eſt. *Petr. Victor.* l. 37. Var. Lect. c. 19.

Bonfinii Hiſtoriæ *Hungariæ* addidit *Sambucus Appendicem*, quâ res *Hungaricas* perſecutus eſt uſque ad *Ferdinandum* I. qui ſecundus fuit Rex *Hungariæ* ex familiâ *Auſtriacâ Appendix* quidem non reſpondet eruditioni *Bonfinianæ*, meretur tamen ſuam laudem. *Conring.* de *Hungariâ.*

Joannes Sambucus vir clariſſimus, cùm ipſe multa eruditè ac eleganter conſcripſit, tum etiam plurima ſcripta rara & inventu difficilia maximis laboribus & ſumptibus collegit, quorum non pauca edita ſunt *Geſner.* in Bibliot.

Dominus *Sambucus* celebrior erat plurimorum Manu-ſcriptorum evulgatione, quam propria eruditione. *Paul. Colomeſ.* in opuſc. p. 131. Gall.

Ægrè poterat Natura virum producere *Jo. Sambuco* ad Scientias propenſiorem & in animi labore magis indefeſſum --- In *Horatii Artem Poëticam* Commentarios ſcripſit, quibus manifeſtiſſimum fecit in *Poëſeos* Latinæ veneribus ſe nihil ignoraſſe---Inter inſigniora ejus Opera numeratur Hiſtoria ejus *Hungarica*, quàm non minori elegantia quàm fide contexuit. *Iſ. Bullard.* Acad. Scientiarum Tom. 2. p. 185. Gall.

* *Joannis Sambuci* Opera non permittuntur, niſi corrigantur. *Index Madrit.* Impreſſ. Ann. 1667.

Extant Icones Veterum aliquot & recentium Medicorum ac Philoſophorum, cum Elogiis Tetraſtichis. *Antverpiæ* apud *Chriſt. Plantinum* ann. 1574. Fol. & *Lugd. Bat.* ubi Vitæ ſingulorum & Scripta adduntur, apud *Raphelengium* ann. 1603. & *Amſtelod.* Fol. 1615. apud *Janſonium.*

Hoc

Hoc ejus Epitaphium.

Sambucus *linguas coluit qui doctus* , *&* *artes* ,
Cui natale fuit Pannonis *ora ſolum* :
Cæſaris *hiſtoricus præmiſſi temporis acta* ,
Et dignos ſcripſit cognitione libros.
Aonios *inter meruit quoque nomen* Olores ,
Carmine jucundum qui cecinere melos.
Ante diem quamvis , *Muſis plorantibus* , *ipſum*
E medio tulerit mortis avara manus :
Ipſe tamen ſupereſt meliori parte ſuperſtes ,
In cœlis animâ , *nomine clarus humo.*
Nil in ſolertes Muſarum juris alumnos
Mors habet : *à Muſis doctus obire nequit.*

Obiit Id. Junii MDLXXXIV. Ætat. LIII.

FULVIUS URSINUS.

Clar. A. D. MDLXX. PAtriâ *Romanus* , nobili genere paterno , ſed minus juſto concubitu natus. Septuagenarius obiit Anno *Dom.* 1600.

Scripta ejus ſunt : Notæ in *Ciceronem*, *Virgilium*, *Eutropium*, *Polybium*, *Terentium*, *Dionem Caſſium*, *Catonem*, *Varronem*, *Columellam* de Re Ruſticâ, *Saluſtium* , *Cæſar*. *Livium*, *Velleium*, *Tacit*. *Suetonium*, *Spartianum*, Fragmenta *Dionyſii Halicarnaſſei*, *Appiani*, & *Diodori Siculi* : librum edidit de *Familiis Romanorum* : atque Appendicem ad P. *Ciaconium* de *Triclinio*.

Fulvius Urſinus, patriâ *Romanus*, vir *Græcè Latinè*que doctiſſimus , ac purioris antiquitatis Indagator diligentiſſimus. *Thuan.* ad *Ann.* 1600.

Earum (*nummorum formarum*) exempla paſſim extant in eorum libris , qui ſtudioſè *antiquitates* illas collegerunt. Inter quos *Fulvio Urſino* & *Adolpho Occoni* , doctiſſimis viris , palma conſenſu omnium tribuitur. *Franc. Hotoman.* de Pop. *Rom.* Re Nummariâ , c. 5.

Urſinus quidem doctiſſimus vir eſt, & de literis, ſi quis alius, optimè meritus. *Caſaub.* Epiſt. 12. *Jacob. Bongarſio.*

Fulvius Urſinus , vir præclariſſimè de omni antiquitate meritus. *David Hoeſchel.* in lit. ad *Matth. Wackerum* , quas Legationum excerptis præmiſit.

Fulvius Urſinus , homo linguæ utriuſque omniſque adeò antiquitatis benè peritus, *Andr. Schott.* l. 2. Nodorum *Ciceron.* c. 6.

Vir

Digitized by Google

Vir illuſtris & inſigniter eruditus *Fulvius Urſinus*, de *Eccleſiaſticis* literis optimè meritus. *Baron.* vol. 2. Annal.

Amiciſſimus meus *Fulvius Urſinus*, rerum antiquarum ſolertiſſimus explorator; ad quem velut *Lydium Lapidem* quæque vetera monumenta probanda elucidandaque afferri ſolent, cujus & apud me auctoritas plurimùm valet. *Baron.* ibid. vol. 3.

Fulvius Urſinus, vir inſignis præclarâ eruditione & ſincerâ fide omnibus notus. *Baron.* vol. 4. Annal.

Cujus nomine inter viros *antiquariæ rei* ſtudioſos nomen majus, celebriuſque nullum eſt. *Gaſſend.* de vita *Pierskii* l. 1.

Fulvius Urſinus optimus ſenex optimè de omni meliore *Antiquitate* apud bonos omnes promeritus. *Pignor.* Symbol. Epiſtol. Epiſt. 18.

Magni ingenii raræque eruditionis vir *Fulvius Urſinus*, *Petr. Vict.* l. 36. var. lect. c. 22.

Fulvius Urſinus amicus noſter citra controverſiam *Italiæ* ſuæ flos. *Lipſ.* elect. l. 1. c. 23.

Inter *Italos Fulvius Urſinus* familiam ducit. *Gaſp. Sciopp.* conſult. p. 39.

Scripſit de *Familiis Romanorum* elegantiſſimè, eruditiſſimum de *Triclinio Romano* commentarium. *Jan. Nic. Erythræus* Pinacoth.

Ejus *Virgilium*, & librum de *Familiis Romanorum* quis non admiratur? *Ioan. Matth. Toſcan.* in *Ital.* peplo, c. 194.

Fulvii Urſini Familia, liber divinus: ex quo multa didici. *Fulvius Urſinus* ſtinia mea. *Scaligerana* poſterior.

Fulvius Urſinus pleraſque notas in *Iulium Cæſarem Petri Ciacconii*, quas ipſe, qui ſua ut parvi facere gloriæ contemptor acerrimus, ſic libenter communicare ſolebat cum amicis, non ediderat, tacito ejus nomine ſuis in *Hiſtoricos Latinos* notis admiſcuit. Sed *Ciacconio*, cùm notas ejus ab *Andreâ Schotto* accepiſſet, ſua poſtliminio reſtituit, atque *Fulvianis* ſeparavit *Ioannes Brantius*. *Thomaſ.* de Plag. ſect. 8.

In hunc Auctorem hæc carmina compoſuit *Ioannes Matthias Toſcanus:*

Comprobet Antiquâ ut dignum ſe Fulvius *urbe,*
Illius extinctum ſuſcitat eloquium.
Roma *licet depreſſa, tamen caput erigit, Hydra*
In morem, ingeniis & rediviva viget.

Prodiit liber de *Familiis Romanis*, cum ipſis nummorum figuris, *Romæ* 1577. in fol. *Pariſiis*, editore *Carolo Pantino*, 1663. in fol.

Extant *Imagines & Elogia* illuſtrium ac eruditorum Virorum, ex Lapidibus Antiquis, & Numiſmatibus expreſſæ. *Romæ* anno 1570. in fol.

Extant *Leges & Senatuſconſulta* quæ in veteribus cùm ex lapide, tùm ex ære monumentis reperiuntur, notis illuſtratæ, *Romæ* 1583. 4.

Extat *Appendix* ad *Petrum Ciacconium* de *Triclinio*. *Romæ* 1588. in 8°. *Amſtelodami* apud *Andream Friſium* 1664. in 12.

AUGERIUS GISLENIUS BUSSEQUIUS.

Clar. A. D. MDLXXV.

NObili & vetuſto *Busbequiorum* apud *Flandros* genere natus eſt Cominii Anno 1522. Obiit anno Dom. 1592.

Scripta ejus hæc ſunt: *Turcicæ* Legationis Epiſtolæ quatuor---Conſilium de re militari contra *Turcam* inſtituenda---Itinera duo, *Conſtantinopolitanum* & *Amaſianum*---Epiſtolæ Legationis *Gallicæ* Liber de verâ nobilitate.

Ætate grandior à *Ferdinando Auguſtino Viennam Auſtriæ* evocatus, & ipſi & *Maximiliano* filio in Repub. gerendâ ita ſe probavit, ut nullius ferè magis conſilio & virtute Principes illi niterentur: Hujus etiam Auguſtos liberos *Matthiam*, *Maximilianum*, *Albertum*, & *Wenceslaum*, ephorus prudentiſſimus, optimis moribus informavit. Cumq; in omni adminiſtrationis genere excelleret, tum verò in legationibus virtus ejus enituit: quibus complutibus magnâ cum gloriâ ad ſummos Principes aſſiduè functus eſt. Earum inſignes inprimis fuere *Conſtantinopolitana* & *Amaſiana*; quas etiam literarum monumentis eleganti ſtylo mandavit. *Melch. Adam.*

Augerus Gislenius Busbequius, vir eruditione, rerum agendarum peritiâ, candore & probitate inſignis: qui unam atque alteram Legationem ad *Portam Othomanicam* ſub *Ferdinando Cæſare* magnâ ſuâ cum laude geſſit, & elegantiſſimis ac lectu jucundiſſimis Epiſtolis explicavit. Ex quibus quamplurima in *Annales* meos me tranſcripſiſſe ingenuè profiteor. *Thuan.* ad Ann. 1592.

Generoſiſſimus pariter ac doctiſſimus vir. *Lambec.* lib. 1. de Biblioth. Cæſar.

Vir, quem inter ævi noſtri primos verô elogiô eſt prædicare. *Lipſ.* cent. 2. ad Belgas Epiſt. 78.

Vidimus nuper libellum duplicem *Itineris* & *Conſilii* tui, Libellum: ſed qui, meo animo, *Scholas diſſertationeſ*que ſuperat multorum ſapientum Brevia omnia fateor: & eò placent magis; quia incluſa prudentia, non oſtenſa. Quin genus ipſum dictionis (etſi id minimè inter tuas curas) priſcum adſtrictumque, ſententiis occultum, &, quod verè invideo, ſubtilis brevitas innata tibi, aliis adfectata, *Lipſ.* in Epiſt. ad *Busbeq.* præfix. libb. *Saturnal. Sermon.*

Non contemnenda ad rerum *Turcicarum* cognitionem peti poſſunt ex elegantiſſimis *Augeri Busbequii* Epiſtolis de *Legatione ſuâ Turcicâ*. *Whear.* in Meth. Leg. Hiſt. Civ. Artic. 2.

Augerius Busbequius legationem ſuam conſcripſit. Egregius liber hic eſt. Pulchra in eodem occurrunt. De *Turcis* benè ſcripſit. *Scalig.* poſterior. Gall.

Augerus G. Busbequius, ſummus omnibus laudibus & meritis & contemtis vir. *Barth.* Adv. l. 14. c. 6.

Lynces Aſſyrias ei uſui adhuc hodie commendatas docent eximii viri, & primatibus omnis ævi accenſendi *Augerii Busbequii* Epiſtolæ. *Idem* ibid. 15. c. 13.

Scipio

Scipio Gentilis in Apolog. *Apuleii* eum vocat erudítiſſimum *elegantiarum* arbitrum. p. 349.

Poſteritas conſervat etiamnum ut pretioſas *Relationes* ab illo relictas itinerum ſuorum, tanquam fontem copioſum, ex quo experientiores Politici documenta poſſunt haurire. In pretio cum primis eſt egregia illa Synopſis ejus apud *Turcarum* Imperatorem Legationis, quam non minori elegantiâ quàm accuratione conſcripſit: quæque citatur à Franciſco Hotmanno Tract. ſuo de *Legati Munere* tanquam liber hoc charactere dignus, quique ampla præcepta continet pro illis quorum opera utuntur Principes in præclaris illis functionibus. *Iſ. Bullart*, Acad. Scientiarum. Gall.

Quamvis multùm prætereà juvari poſſint relationibus epiſtolicis præclariſſimi viri *Augerii Busbequii*, & libellis *Ricoldi ſeu Richardi Monachi*, ac *Joannis* cujuſdam *Andreæ*; qui propterea in omnes linguas habentur tranſlati: quoniam vel ipſius *Poſtelli* judicio cæteris omnibus præferri debent, quicunque conati ſunt *Turcicæ* Religionis fundamenta validiſſimis rationibus convellere. *Gab. Naud.* in Bibliograph. Polit.

Extant *Legationis Turcicæ* Epiſtolæ 4. *Par.* 1595. 8°. & *Han.* 1605. 8°.

Hoc ejus Epitaphium *Juſtus Rickhius* compoſuit:

Busbequii *aſpiciens Tumulum, conſide, Viator,*
Sta prope: non luctum poſceris aut gemitum.
Nam quid cum lacrymis virtuti? vita bonorum
Ut nihil infauſti, ſic neque habet Lacheſis.

ABRAHAMUS BUCHOLCERUS.

IN pago *Schonau* propè *Damam*, quæ ſex paſſuum millibus *Wittenbergâ* diſtat, natus fuit anno *Dom.* 1529. IV. Kal. Septemb. Obiit *Freiſtadii Sileſiorum* anno 1584. die 14. Junii ſtyli novi. Clar. A. D. MDLXXVI.

Scripta ejus hæc ſunt: Chronologia magna---Chronologica Iſagoge---Index Chronologicus----Catalogus Conſulum *Romanorum*-----Epiſtolæ Chronologicæ----Admonitio ad Chronologiæ ſtudioſos de enodatione duarum Quæſtionum Chronologicarum, annum *Nativitatis*, & tempus *Miniſterii Chriſti* concernentium----Opuſcula.

Mitto tibi dono Chronologiam *Abrahami Bucholceri*, quæ meo judicio omnes *Chronologias*, quæ ad noſtrum uſque tempus prodiere (salvô tamen pio & utili aliorum labore) ſuperare videtur. Idque non modo exactiſſimâ temporum ſupputatione, ſed etiam eorundem temporum collatione quadam myſticâ & propheticâ, remotâ tamen omni ſuperſtitione: id quod in nullis Chronologiis tam dextrè factum mihi videre contigit-----Quoties Sacra; *Biblia* leguntur, Chronologia hæc non modò ſtudioſis, ſed etiam iis, qui ſibi *Doctores* eſſe videntur,

dentur, à latere eſſe poteſt---Inimitabili penè brevitate ſcripſit---Denique Chronologia hæc loco multorum *Commentariorum* in *Biblia Sacra*, quibus multi magis impediuntur, quàm promoventur, eſſe poterit; præſertim politicis hominibus, & circa rerum gubernacula verſantibus, qui evolvendis multorum *Scriptis* vacare non poſſunt. *Wenceſl. Budowiz.* in lit. ad *Adamum* Filium, anno 1603. ſcriptis.

Abrahamus Bucholcerus, opere *Chronologico* magnam gloriam adeptus. *Thuan.* ad Annum 1584.

Cujus ſe pectore tota vetuſtas condidit. *Jo. Andr. Quenſted.* de Vir. Illuſtr.

Eum virum magnum eſſe & excellentem ingenio, doctrinâ variâ, ac lectione multâ, docent tum, quæ nuper edidit, *Scripta Chronologica* valdè erudita, laborioſè & accuratè conſcripta, tum etiam porrò melius docebunt, quæ modò habet in manibus, & de quibus ſpem facit, ſuperaturus ſine omni dubio in illis omnium conatus, labores & ſtudia qui hactenus in ſimili argumento voluerunt eſſe occupati. *Neand.* Geograph. part. 1.

Bucholceri Chronologia magna omnium eruditorum oculos & admirationem in ſe convertit. *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Facundiæ *Buckolceriana* vix parem reperiat! *Idem ibid.*

Inſignem illum reddiderunt ejus eloquentia, modeſtia, candor, affabilitas, charitas & vitæ integritas. Adeo propriis non ſtudebat commodis ut, tantum abeſt ut à Principibus quibus miniſtrabat remunerationes peteret, quin eorum dona mirabili generoſitate rejecerit. In quo illuſtris Præceptoris exemplum imitatus eſt. *Melancthon* enim *Mauricio Saxonico Electore* rogatus num aliquid ſibi pro ſua ſuſtentatione deficeret, reſpondit huic Principi ſe ſtipendiis ſuis contentum eſſe nihilque præterea cupere: Cumque denuo urgeretur ab Electore ut ei ſignificaret an aliquid ſibi neceſſarium deeſſet, ei regeſſit, quandoquidem ad aliquid ab eo poſcendum adigebatur, ſe ab eo veniam abeundi petere. *Bucholzeri Chronologia* eximia eſt, ab ejus filio *Gotefridio* continuata fuit. Sed Opus Paternum filii lucubrationem longè antecellit. *Ant. Teiſſier*, Elog. Gall.

Sic *Abrahamus Bucholzerus* Chronologus cæteroquin eruditus hîc impingit. In *Iſagoge* enim ſuâ *Chronologicâ* annos diverſos *Natali Chriſti* aſſignat, & illis quas adhibet *Epochis* in diverſa abit, quippe quæ *Characteres* diverſos habent. ---Quum verò facillimum ſit cæſpitare in talibus, haudquaquam ob id convitium dicimus viro eximio, & de re *Chronologicâ* benè merito, ſed iſta tantùm adducimus ad cautelam, ut pateat, quàm ardua ſit *Epocharum* variarum collatio, & quàm difficile ſit hîc non quandoque impingere. Sic hallucinatur idem vir eruditus in applicatione *Olympiadum* ad annum Nati Chriſti, dum natalem Chriſti refert ad *Olympiadis* CXCIII. pro *Olympiadis* CXCIV. tertium, ubi tamen ſphalma *Typographicum* ſuſpicari malim. *Frid. Spanhem.* part. 2. Dub. Evangelic. p. 16. 17.

Edidit *Iſagogen Chronologicam* anno 1596. quam deinde continuavit filius, non tamen pari felicitate, ut mihi videtur; Parens enim gravis eſt & obſervat Hiſtoriæ leges, nec intexit minuta illa, & quæ publicè ſciri parum intersit; ut quando

Digitized by Google

quando iſte Paſtor, in hoc vel illo pago ſit natus vel mortuus; quando hic Conſul, ille Senator, quando hujus Academiæ Profeſſor aut Rector, &c. quæ non niſi de ſummis & præſtantiſſimis viris erant notanda. *Kekerm.* de naturâ & propriet. Hiſtor. c. 4.

Magna diligentiâ celebrium Virorum memoriam perſecutus eſt in *Indice Chronologico*; qui dein primùm à *Godfrido* filio, pòſt ab altero filio, Patri cognomine, *Abrahami Sculteti* operâ potiſſimum adjuto, deinceps ab aliis continuatus, noviſq; acceſſionibus fuit auctus, ita ut ante triginta hosce (*ſcilicet ab anno* 1670. *computandos*) & ampliùs annos jam quintùm editus fuerit. Obſervavit autem Pater meus, *Godfridus Voglerus*, *Godfridum* in plurimis ita non indulſiſſe affectibus, ſicut in tertia editione fuit factum: utut illam alteram editionem acerbè perſtringat in dedicatione frater *Abrahamus*. Poſteriores etiam editiones haud æquè limatum judicium in multis referunt. *Val. Henr. Vogler.* introduct. univerſ. in notit. bonor. Script. c. 2.

Bulcholtzerus Vir bonus erat, ſed Jubilæis totos 50. annos aſſignat. *Scaliger.* poſterior.

* *Abrahami Bucholceri Index Chronologicus*, atque *Iſagoge Chronologica* cum expurgationibus permittuntur. Alia verò ejuſdem *Bucholceri* Opera prohibita ſunt in *Ind. Madrit.*

Extat *Iſagoge Chronologica* 8°. *Francof.* 1577.

Extat *Index Chronologicus* ab O. C. ad annum *Chriſti* 1616. *Francof.* 1616. 8°.

TYCHO BRAHE.

Eques *Danus*, excellentiſſimus Mathematicus, natus eſt *Knudſtorpii* an. 1546. menſ. Decemb. Obiit anno Dom. 1601. Vitam ejus prolixè deſcripſit *Petr. Gaſſendus.* Clar. A. D. MDLXXX.

Scripta ejus ſunt: Liber de Cometâ, ſive novâ Stellâ----Prælectiones habitæ in Academiâ *Hafnenſi*----Oratio habita in Academiâ *Hafnenſi*----Progymnaſmatum Aſtronomiæ inſtaurandæ, libri tres----Epiſtolarum Aſtronomicarum libri duo-----Liber Mechanicorum-----Epiſtola de confectione Elixiris-----Tabulæ *Rodulphinæ*-----Reſponſio Apologetica ad quendam *Scotum Ariſtotelicum* Philoſophum, & Medicum *Galenicum*----Somnium, Lunariſve Aſtronomia---Stellarum octavi orbis inerrantium accurata reſtitutio----Epiſtola ad *G. Peucerum.*

Poſt *Pinellum*, commemorandus venit *Tycho Brahe*, Eques *Danus*, Aſtrorum verâ ſcientiâ, & obſervationibus longo tempore in ſua *Uranopoli*, & magno ſumptu factis, omnium concordibus ſuffragiis Principis Aſtronomorum nomen promeritus. Qui *Cherſoneſo Cimbricâ* relictâ, cùm in *Germaniam* proximam ſe recepiſſet, in Aulâ *Rudolphi Cæſaris* aliquandiu floruit. Cum *Willelmo Heſſo*, qui & in eadem ſcientiâ excellebat, arctâ ſtudiorum neceſſitudine conjunctus: & *Pragæ* hoc anno 1601. 9. Novemb. deceſſit; cùm vitæ annos 54. menſes 9. dies 19. tantùm

rùm exegiſſet. Vir & Scriptis à ſe editis, ſecundum *Ptolemæum, Ioannem Regiomontanum*, & *Nicolaum Copernicum*, inprimis clarus; & poſteà à *Ioanne Kepplero* (cui præclaras ingenii ſui reliquias, ne perirent, quaſi teſtamento legavit) publicatis, illuſtrior. *Thuan.* ad ann. 1601.

Vir illuſtris & generoſiſſimus Dominus *Tycho Brahens*, ſingulare Naturæ Beneficium, & literaturæ ornamentum; quem non tam clara Patria, nobiles genitores, corporis, fortunæque bona alia; quàm excelſa mens, & divinum ingenium, carum, amabilemque *Principibus*, doctiſque viris adeoque univerſis præſtitere. *Jo. Jeſſen.* in Funebr. Orat. vid. *Gaſſend.* in Vit. *Tych. Brahe*, p. 234.

Quinimò florente ætate ad *Cæſarem* accitus, honores ejus aulæ ſibi oblatos conſtanter ſprevit, ſperatos reſpuit, *Mathematicarum* ſtudiis accenſus, ob quæ ab omnibus immortalitati nomen ejus meruit conſecrari. Ut enim *Aſtronomia*, tot retrò actis temporum curriculis penè oblivioni tradita, veris *Phænomenis* reſtauraretur, non ſolùm ejus facultatis peritiſſimos quoſque ad ſe magnis præmiis allexit, & inſignia, ut id ipſum faciliùs aſſequeretur, ejuſdem artis inſtrumenta regiis fabrefecit impenſis; ſed & domos magnificas, ac turres ingentes à fundamentis erexit, in quibus varia per intervalla, *Cœlum, Sydera*, & eorundem motus uno tempore, diverſis inſtrumentis, & aſpectibus ſpectarentur. *Iac. Philip. Tomaſin.* in Elog. Illuſtr. Vir.

Anno 1572. ac 34. proximis annis ſempiternam ſui memoriam literariæ Reip. intulit *Tycho Brahe*, qui in ſiderum obſervatione nulli priorum ceſſit; inque numero fixarum obſervando, non acquievit *Hipparcho*; imò *Ptolemæi*, & *Alphonſinorum* induſtriam exſuperavit. Hujus auroi extant libri *Aſtronomiæ inſtauratæ* quibus, ut antea in *Ptolemæo Copernicus*, ita ipſe in *Copernico* multa correxit. Itaque exinde tres præcipuæ fuerunt *Aſtrologorum* Sectæ: quarum *Tychoniana* foret media inter *Pythagoricam* ſive *Copernicanam*, & *Ariſtotelicam* ſive *Ptolemaicam*. *Voſſ.* de Mathemat. p. 193.

Aſtronomiæ & Chymiæ ſtudiis maximè incubuit: cætera quidem non prorsùs neglexit; ſed tamen quaſi πάρεργα habuit, niſi quod Poëſin totâ vitâ coluit. Id ſcilicet probant, quæ varia ejus *Carmina* interjecimus; in quibus cùm bona, cùm mala, cùm mediocria ſint (& præter alia quidem nonnulla, in quibus videtur non ſatis accuratè ſyllabarum quantitas obſervari) intelligi licet fudiſſe eum illa naturæ potiùs genio, & oblectandi animi causâ, quàm contentione animi, famæve aucupandæ gratiâ. *Petr. Gaſſend.* in vit. *Tych. Brahe*, l. 6. p. 181.

Ticho Brahe luculentiſſimas in Aſtrologiam obſervationes elucubravit pro *Æquinoctiis*. Ad invicem ſcripſimus. Multa me docuit. *Scalig.* poſterior. Gall.

In *Inſtrumenta Mathematica*, quæ ſubtiliſſimè excogitaverat, ducenta aureorum millia inſumſiſſe dicitur.

Tomaſinus, part. 1. Elog. p. 251. memorat, eum cum ad menſam *Cæſaris* (*Rudolfi* II.) aſſideret, urinæ effundendæ verecundiâ præpeditum obiiſſe.

* *Tychonis Brahe* Aſtronomiæ inſtauratæ Progymnaſmata, ejuſdem Epiſtolæ *Aſtronomicæ*, atque de Diſciplinis *Mathematicis* oratio, cum expurga-

Digitized by Google

purgationibus permittuntur in *Indice Madritenſi* edit. Ann. 1667.
Opera ejus omnia prodierunt *Francofurti* ann. 1648.

BARNABAS BRISSONIUS.

GAllus, *Fontanei* in *Pictonibus* naſcitur. Tempore *Ligæ*, *Pariſiis*, à globo ſeditioſorum ſuſpendio necatus anno 1591. *Hofman.* Clar. A. D. MDLXXX.

Scripta ejus hæc ſunt: De Populi *Romani* ſolemnibus Formulis & verbis libri octo--- De Connubiorum jure, lib. 1.---De Nuptiarum ritu, lib. 1.---Antiquitatum, ad *Iuris Civilis* illuſtrationem, libri quatuor---De *Perſarum* Regio Principatu, ſeu Regno, libri tres.

Barnabas Briſſonius Juriſconſultus magni nominis, excellentis ingenii, ſolidæque eruditionis laude, quam ſcripta ipſius teſtantur, clariſſimus. *Gotofrid. Bucholcer.* in Indic. Chronolog.

Dignitate & Doctrina eximius *Barnabas Briſſonius*, *Galliæ*, imò *Europæ*, magnum lumen. *Lipſ.* l. 2. elect. 2. 15.

Quis Muſas novit, & *Briſſonium* non novit? Nec Dii ſcirint, ut indictus nobis ſis, clariſſimum *Galliæ* lumen. *Idem* l. 2. Epiſt. Quæſt. epiſt. 17.

In *Briſſonio* bonæ omnes artes & ſapientia civilis magnam jacturam fecerunt, nec poſt *Cujacium* ex noſtratibus alter fuit, qui *Iuri Civili* & forenſibus formulis ex univerſali literatorum campo decerptis clariorem lucem attulit. *Rodolph. Botoreus* l. 1. Comment.

Barnabas Briſſonius, Juriſconſultus & Criticus, judicio doctrinâque nulli ſecundus. *Thom. Dempſter* in Elench. Script.

Equidem à Rege (*Gallorum Henrico* III.) ipſo audivi, cùm diceret, nullum in Orbe *Chriſtiano* Principem eſſe, qui haberet, quem *Briſſonio* ſuo in literarum gloriâ opponeret. *Scævol. Samarthan.* in Elog. *Gallor.*

Briſſonius, venerabile omni ævo nomen. *Barth.* Adv. l. 15. c. 18.

Barnabas Briſſonius vir *Iuriſprudentiæ* in antiquam dignitatem reſtituendæ natus *Sertor. Urſat.* l. 1. Monument. *Patav.*

Exempla alia paſſim occurrunt apud autores, quæ partim collegit magnæ diligentiæ & eruditionis vir *Barnabas Briſſonius* l. 1. *Formularum. Marcus Zuer. Borhorn.* Quæſt. *Roman.* 1.

Quemadmodum in magnifico opere, *Barnabæ Briſſonii* libro de *Formulis* P. R. abundè docetur. *Frid. Tilemann.* de Hiſtor. delect.

Barnabas Briſſonius, Juriſconſultus, Senatûs *Pariſienſis* Præſes. Opus mirandum, *de formulis & ſolemnibus populi Roman. verbis*, ex ipſis Romanæ Prudentiæ penetralibus magno judicio collegit. *Tobias Magirus* in *Eponymolog. Crit.*

Homo in litium tricis, quàm in Republicâ adminiſtrandâ, magis verſatus--- Feliciſſimo vir ingenio, ſive literarum ſtudia, ſive negotia forenſia tractaret, ex advocato admodum famoſo primùm Fiſci patronus, poſt Vidum Fabrum, dein poſt Pomponium Belleureum Curiæ Præſes creatus, non ſolùm inter literatos

Scriptis

Scriptis pleriſque editis,ſed in Rep.ac præcipuè in foro magnum nomen meruit. *Thuan.* ad ann. 1591.

Quæ ad *Perſici Regni* ſtatum faciunt, operosè congeſſit *Barnabas Briſſonius*, exiguô tamen politicæ Scientiæ fructu. *Conring. de civ. prud.* cap. 14. pag. 309.

Quæ hìc de *Nuptiarum* ritu in medium afferemus, debemus clariſſimis viris *Andreæ Tiraq.* Juriſconſulto,*Carolo Sigonio*, & *Barnaba Briſſonio* Juriſconſulto, qui tantâ induſtriæ laude ritus eos inquiſiverunt,& explicarunt,ut nihil iſtorum monumentis addi poſſe videatur. *Io. Roſin.* de Rom. Antiq.

Librum *Briſſonii* totum perlegi,in quo, ut alteris ad te literis ſcribebam, non eſt diſſimilis ſui, cùm tam in hoc de *Regno Perſarum*, quàm illo de *Formulis* opere,nihil antiquius habuiſſe videatur,quàm veterum teſtimonia congerere,ut volumen procudat,nihil tam metuere,quàm ne liber nimis brevis ſit. Sanè in re neceſſaria,non ſolùm prodeſt hoc facere, ſed etiam negligentia eſt non facere. Rem verò vulgatiſſimam teſtimoniis velle probare,hoc verò eſt, quod *Græci* dicunt, *μύρον ἐπὶ φακῇ* *Joſ. Scalig.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 9.

Liber ejus de *Regno Perſarum* ejus dignitati non reſpondet,neque loco quem in Republica occupabat,& videtur nihil tam anxiè timuiſſe quàm ne liber ſuus ad ſatis amplam molem non excreſceret; neſcio quid in animo ejus verſaretur cùm ſcribebat de *Regno Perſarum*, qui ſucceſſionis legem tam religiosè obſervant, cùm ille in partes illorum tranſiverit qui Coronam Regi ſuo legitimo detrahere conantur. Munus ſuum conſervare voluit inter homines qui illum tandem perdent. Ejus liber de *Actionibus & formulis* plus laboris habet quàm induſtriæ *Guiſiorum* Factio Præſidis munus in eum contulit. Liber ejus de *Regno Perſarum* eſt labor Grammatici,non ejus qui remp. tractabat. Apud poſteritatem benè fortaſſe cedet pruritus gloriolæ,cùm homines inceſſet oblivio dignitatis ejus. *Scalig.* 1. Gall.

Briſſonii Formulæ pauca habent bona;nam maxima pars à ſtudioſis eſt coacervata. Doctus erat & bene ſcripſit; *formulas* non omnes collegit; vellem omnes colligi & edi ſelectiores.*Briſſonius* in ſuo munere capiebat utraque manu. *Scaligerana* poſterior.

Barnabas Briſſonius Juriſconſultus & Criticus, virtute, judicio & doctrinâ eximius, certè nulli ſecundus, quamvis exitu infeliciſſimus.*Nic. Hencl.* in otio *Uratislavienſi*, c. 2.

De veteri nuptiarum apud *Romanos* ritu nemo, opinor, fide majoreque diligentiâ ſcripſit, quàm vir doctiſſimus ampliſſimuſque Præſes *Barnabas Briſſonius*. *Idem* ibid. c. 38.

Torques ergo ſolenne regum apud *Perſas* inſigne,quod miror à diligentiſſimo *Briſſonio* in opere de *Regno Perſarum* prætermiſſum eſſe. *Io.Scheffer* de *antiquor. Torquibus*, §.

Barnabas Briſſonius in eruditis de Perſarum regno libris. *Idem* ibidem §. 8.

Extant libri 8. de Populi *Romani* ſolennibus Formulis & Verbis. *Pariſiis*, per

Sebaſtianum

Sebaſtianum Nivellium 1583. in fol. *Francofurti* ad *Mœnum* per *Iohannem Wechelum* & *Petrum Fiſcherum* 1592. in 4°. *Moguntiæ* typis *Nicolai Heylii*, ſumptibus *Philippi Iacobi Fiſcheri*, 1649. in 4°.

Liber de connubiorum jure prodiit, *Briſſonii* de nuptiarum ritu libello ſubjunctus, *Pariſiis*, in ædibus *Philippi Galteri Rovillii*, 1564. in 4°. ibidem per *Bartholomæum Macæum*, 1605. in 4°. *Lugduni Batavorum* per *Franciſcum Hackium*, 1641. in 12°. *Amſtelodami*, per *Petrum Grandium*, 1662. in 12°.

Libri 4. Antiquitatum ad juris Civilis illuſtrationem prodierunt *Lugduni*, per *Iohannem Tornaſium* & *Gulielmum Gazeium*, 1558. in 4°. *Pariſiis* per *Bartholomæum Macæum* 1607. in 4°. *Henrici Hahnii* curâ, *Helmſtadii*, typis & ſumptibus *Iohannis Heitmulleri*. 1663. in 4°.

Prodierunt de *Perſarum Regno* libri tres *Pariſiis* 1590. in 4°. *ibidem* per *Bartholomæum Macæum*, 1600. in 4°. cum *Friderici Sylburgii* notis, *Heidelbergiæ*, in *Hieronymi Commelini* officinâ, 1595. in 8°.

Hoc ejus Epitaphium, auctore *Iano Paſſeratio*:

Lumen Pariſii *unicum* Senatûs
Exinctum ſcelere hic jacet latronum.
Damnata tenebris valete leges.

Epitaphium *Sibronii*, ſive, in ordinem redactis literis, *Briſſonii*, extat apud *Barclai*. Lib. 1. *Satyric*. h. m.

DEPOSITUM SIBRONII CONSULIS, QUI LUTENTIUM BONO ACERRIMAM CONSECRAVERAT MENTEM, DOMI FORISQUE CLARISSIMUS, OMNIUM IN IUVANDA PATRIA PRINCEPS. QUEM AMPLISSIMIS IN REMP. MERITIS CLARUM POPULUS INTERFECIT NE DISSIMILEM EXITUM SORTIRETUR PRISCIS RERUM PUBLICARUM PATRIBUS, QUORUM EXEMPLO SEMPER VIXERAT.

GILBERTUS GENEBRARDUS.

GAllus, *Ricomagi* in *Arvernia* natus, Archiepiſcopus *Aquenſis* in *Provinciâ*, *Semuri*, *Burgundionum* oppido, ubi ſacerdotium obtinuit, fatis conceſſit, annos natus 60. Anno Chriſti 1597. *Scripſit* propemodum infinita. Clar. An. D. MDLXXX.

Diu literas *Hebraicas* magnâ frequentiâ in Regio Auditorio *Lutetiæ* docuit: in ſcriptis ſuis, quæ plurima & multijugæ eruditionis plena evulgavit, iniquior & acerbior, & vitâ quàm ſtylo temperatior creditus. *Thuan.* ad Ann. 1597.

Arvernia bonis ingeniis fœcunda, cujus è gremio prodiere rogati ordinis tot illuſtres viri, hunc etiam edidit ſacrati ordinis eruditum virum, qui ſanctæ

Digitized by Google

linguæ Regius apud *Pariſios* Interpres *Hebraica* Antiquitatis arcana plurima, & ea maximè quæ ad rationes temporum ſubducendas pertinent, adhibito perſpicacis ingenii lumine perquiſivit ac in lucem protulit. Hoc enim ex fonte ortum eſt *Chronologicum* illud *opus* & alii, qui nunc ſunt in manibus hominum, ſimilis induſtriæ fœtus maximis ab eo vigiliis & laboribus elucubrati. Multa ille ex *Hebrais* & *Gracis* accuratè tranſtulit, multa recognovit, multa commentatus eſt. *Scavol. Samarthan.*

Quin & in hiſce præivit fermè *Gilbertus Genebrardus*, Archiepiſcopus *Aquenſis*, literis *Hebraicis* certè apprimè eruditus & *Rabbinicis*. *Ioan. Selden.* in Oper. de *Jure Natural.* & *Gent.*

Gilbertus Genebrardus, eruditum, ſed petulantiſſimæ procacitatis animal—— Qui Syntagma nobis quoddam Chronorhapſodicum malè conſutum, effudit temerè & feſtinatò, de cloacis *Rabbinorum* & fimiceris, in rebus utriuſque Teſtamenti hauſtum & effutitum, potiùs quàm de Myrotheciis Eccleſiaſticis derivatum: ut montes multo conatu parturientes; murem tandem ridiculum pepererunt. *Montacut.* in Præfat. ad Apparat. Sect. 56.

Rivetus in *Iſagoge* ad S. Script. cap. 8. Sect. 15. petulantiſſimum bonorum omnium inſectatorem, & veritatis hoſtem acerrimum appellat.

Quod *Genebrardus* Monachus de *Rabbinorum* lectione magis tentavit, quàm abſolvit, id nihil aliud eſt, quàm cento ex alienis pannis conſutus. Longè inſtructiorem magiſtrum poſtulat illud opus, quàm *Genebrardum*; qui obtrectando plus famæ apud ſui ſimiles, quàm docendo apud ſtudioſos peperit ſibi. *Scalig.* Epiſt. 243.

Ut dicam quod ſentio, quando & qui mecum ſentiant, habeo viros optimos, *Genebrardi* Chronologiam ex iis, quæ hactenus prodierunt, integriorem puto atque abſolutiorem; licet viri aliqui pii deſideraſſent, minorem *Rabbinorum Iudaeorum* in priore Veteris Teſtamenti Chronologiâ, in ſecundâ verò Novi Teſtamenti, nullam quorundam Hæreticorum fieri mentionem. *Poſſevin.* in Biblioth. Select.

Genebrardus, ſacrarum literarum Profeſſor *Pariſienſis*, doctus ſanè, ſed præfervidi & acris ingenii vir. *Iac. Duport.* præfat. ad Metaph. Pſalm.

Genebrardus, *Hebraica* linguæ peritiâ clarus, qui, multa licet ſacræ Scripturæ Commata, in gratiam *Helena* ſuæ turpiter inflectat nonnulla, tamen non contemnenda Interpretamenta habet. *Matth. Pol.* in Præfat. Vol. 2. Synopſ. Critic.

Genebrardus in *Hebraica* lingua & in Scripturarum Critica Bellarmino doctior dubio procul erat; In ejus tamen Commentariis in Pſalmos omnis accuratio quæ optari poſſet non obſervatur. Ejus methodus, quam eandem habet cum Bellarmino, laude digna eſt, quoniam plurimis locis verſionem Septuaginta & Vulgatam vindicat ab accuſationibus recentiorum *Hebraizantium* qui *Rabbinorum* authoritati nimis tribuunt: ſed non ſemper moderationem ſervat Interpreti neceſſariam, qui ſcilicet nullo partium ullarum ſtudio duci debet. Præterea lapſus qui in ejus operibus viſuntur evidenter arguunt illum in Hebraico idiomate

nos

Digitized by Google

non adeo doctum fuiſſe ac vulgò cenſetur. Or. Pr. *Rich. Simon*. Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 12. Gall.

Plurimum in eadem palæſtrâ laboris ſumſit *Gilbertus Genebrardus*; plurimorum ſiquidem *Rabbinorum* libros vulgò ignorabiles *Romanâ* oratione non infeliciter expoſuit; nam niſi *Latini* ſermonis indoli cum pertinaciâ ſerviiſſet, nec propterea *Ebraicæ* orationis ſectiones neglexiſſet, nativamque illius brevitatem extendiſſet, ejus *Interpretationibus* poteramus acquieſcere. *Huet.* de Clar. Interpret.

Gilbertus Genebrardus, præcipitis vir in *Tremellium* judicii, viciſſim hoc ſibi habet à *Druſio*: ' Neque moror Catholicum *Genebrardum*, qui Quæſtiones ' meas olim legit, & ex iis multa compilavit tacitô nomine meô, quod eſt hominis minimè ingenui, ſed is audit vulgô *plagiarius Thomaſ.* de Plag.

Dominus Genebrardus Arch. *Aquenſis*, de cujus pietate & doctrinâ tam in *Græcis* & *Hebrais* quàm Latinis literis tota gloriatur *Gallia*, meam firmat ſententiam. *Lud. Dorleans* in Nov. Cogitat. ad *Tacit.* p. 388. *Par.* 1622.

Vir ſæculorum memoriâ dignus, & quo *Gallia* ſe jactavit alumno. *Idem* ibid. p. 510.

Annumero etiam Chronologis maximis *Chronologiam Gilberti Genebrardi*, Galli, editam Anno 1589. ſed ità editam, ut hiſtoriæ & hiſtorici leges in pluribus violet, atque adeò impotentiam affectuum effrænem iſtius viri demonſtret. *Keckermann.* de natur. & propriet. Hiſtor. in Auctar. cap. 4.

Or. Pr. *Simon* eum accuſat quòd in *Munſterum* & in *Leonem Juda* immeritò invectus fuerit. Et ſanè nemo hominum à lenitate diſcipuli *Jeſu Chriſti Genebrardo* alienior unquam fuit: Ejus enim Scripta detrectationibus & calumniis in ejus adverſarios ſcatent, & plures contumelias quàm rationes ad illos oppugnandos inſumit. Æquioris animi erga Principem ſuum quàm erga *Eccleſiæ Romanæ* hoſtes non fuit. Nam toto factionis *Guiſiorum* tempore inſolito ardore & ſumma vehementia rebellium partes tuitus eſt. Hac de cauſa læſæ Majeſtatis reus pronuntiatus eſt Senatus-Conſulto quod primo tomo probationum *Eccleſiæ Gallicanæ* refertur. *Ant. Teiſſier* Elog. Viror. Eruditor. Gall.

* *Gilberti Genebrardi* Chronographia in multis locis expurgatur in *Indice Madrit.* Quia in Fine ejuſdem Chronographiæ habentur nonnulla opuſcula *Iudaica*, quæ *Genebrardus Latinitate* donavit, & ferè ad nullum uſum *fidelium*, videntur quoque expungenda. Index *Madrit.* edit. an. 1667.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

MELCHIOR GUILANDINUS.

Clar. An. D. MDLXXX.

NAtus eſt in *Boruſſiâ*. Non ſolùm totam penè *Europam*, ſed etiam *Aſiæ* & *Africæ* magnam partem, ipſamque *Indiam* perluſtravit. Unde à Piratis captus catenis ferreis ad triremium tranſtra alligatus aliquando fuit. Nihilominus reverſus in *Europam* ob inſignem ſimplicium cognitionem *Patavii* Horto medico Præfectus, & ibidem *Medicinæ* Profeſſor conſtitutus eſt. Perpetuam

ferè contentionem reciprocavit cum *Petr. Matthiolo.* Obiit *Patavii*, 1589. Van der *Linden* de Scriptor. Med.

Scripta ejus hæc ſunt: Commentarius in tria capita *Plinii* Majoris de *Papyro* -----Aſſertio *Guilandini* ſententiæ in *Galenum* à ſe pronunciatæ----Apologiæ librum primum edidit, cui titulus *Theon:* ſcripſit etiam duos alios, quorum ſecundus *Pattecion*, tertius *Bion* inſcribitur; qui, an editi ſint; neſcio, inquit *Geſnerus*---De ſtirpibus Epiſtolæ quinque---Manuco Diatæ, hoc eſt, *Avicula Dei* deſcriptio---Epiſtola ad *Conradum Geſnerum*---Synonyma Plantarum & conjectanea MS. *Joannes Georgius Schenck*. D. Medic. excudenda ſe Typographis tradidiſſe ſcribit in ſuis Bibliis Jatricis.

Melchior Guilandinus, Boruſſus, Medicus, juvenis doctiſſimus, cùm aliàs in re medicâ præcipuè, tum in Medicamentorum ſimplicium cognitione, quam multis & longinquis per *Europam* peregrinationibus, & *Mediterranei* Maris ad *Africam* trajectu ſibi comparavit, exercitatiſſimus. *Geſner.* in Biblioth.

Vir ut in omni ſcientiarum genere, ſic in ſimplicium Medicamentorum cognitione verſatiſſimus. *Ioan. Quenſted.*

Vir fuit ſine dubio literatiſſimus, qui inſtar *Gorgiæ* de qualibet re propoſita copioſè atque disertè poterat diſputare. *Caſtellan.* de Vit. Medic.

Hanc *Strabonis* ſententiam *Melchior Guilandinus*, vir multijugâ rerum plurimarum cognitione, & eximiâ doctrinâ præcellens, in tractatu de *Papyro* (docto, *Iupiter*! & laborioſo) ſolidè confutat. *Guid Panciroll.* de reb. deperdit. p. 67.

Melchior Guilandinus, egregiè literis à puero imbutus, præcipuè in *Hiſtoriâ Naturali* ingenium exercuit, & in *Rei Herbariæ* ac *Foſſilium* cognitione excelluit. Pauca tamen, cùm multa expectarentur, ejus extant ſcripta: Eſt inter ea Commentarius de *Papyro* ad *C. Plinium* editus, in quo tamen virum tantæ exiſtimationis multoties hallucinatum eſſe, eruditiſſimus *Ioſephus Scaliger* contrario ſcripto demonſtravit. *Thuan.* ad Ann. 1589.

Guilandinus præter *Medicæ Artis* & præſertim *Botanicæ* peritiam non vulgarem, ne meliorum quidem literarum notitiâ caruit. Iccircò, ubi primùm prodiit illius in locum *Plinii* de *Papyro*, plantâ *Ægyptiacâ*, Commentarius; ea ſecuta eſt doctorum approbatio, ut celebris nominis vir *Dalecampius*, in eundem locum *Plinii* poſteà ſcribens, *Guilandinum*, propter iſtud ſcriptum maximè, mira laudatione afficeret: alii verò qui de Chartâ & toto illo argumento ſcripſerunt, id demum apud *Plinium* probarent, quod *Melchiori* eſſet probatum. Adeo fit ſæpè in literis, ut pro aureis vulgò habeantur, quæ χολοβάφινα tantùm ſunt & felle lita. Nam ſeriò docti & judicio inſtructi ecquod reconditæ eruditionis indicium in tam prolixo Commentario potuerint deprehendere, equidem fateor me ignorare. Nulla quippe rei quâ de agebatur ſingularis notitia, & fruſtrà calcata *Ægyptus*; nulla vetuſtatis ſolida cognitio; Auctorum Latinorum intelligentia mediocris; *Græcorum* ne mediocris quidem. Quippe in *Græcâ* lingua totum ſe de *Lexico* ſuo pependiſſe neque ipſe diffitetur: & res clamat ipſa. Adde levitatem judiciorum; ut cum multa corrigit integerrima

ma: Cùm Auctores, præſertim veteres, temerè & ſine ullâ ratione reprehendit. Omitto planè deſultoriam Scriptionem. Meritò igitur *Joſepho Scaligero* doluit, *Guilandinum*, qui tam malè *Plinium* acceperat, tanto cum plauſu paſſim ab omnibus accipi. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. ad *Thuan.* præfix. Opuſc. *Ioſ. Scalig.*

Matthiolus paſſim in Epiſtolis *Guilandino* varia impingit; arrogantiam, temeritatem, inſcitiam in *Arte Medicâ*, calumniandi libidinem, invidentiam; imò eò progreditur, ut non dubitet *Guilandinum* alicubi *nebulonum omnium principem* pronunciare.

* Ejus Commentarius in tria Capita *Plinii* de *Papyro* Item ejus Aſſertio Sententiæ in *Galenum* à ſe pronuntiatæ: Item ejuſdem Apologia adverſus *Petrum Andream Matthiolum*: Item ejuſdem, de ſtirpibus aliquot, Epiſtolæ quinque, permittuntur, appoſitâ notâ Auctoris damnati, & Operum permiſſorum. Index *Madrit.* edit. ann. 1667.

Extat *Papyrus*, hoc eſt, Commentarius in tria *C. Plinii* Majoris de Papyro, Capita. Acceſſit *Hier. Mercurialis* repugnantia, quâ pro *Galeno* ſtrenuè pugnatur. Item *Guilandini* Aſſertio ſententiæ in *Galenum* à ſe pronunciatæ. *Venetiis*, apud *Ant. Ulmum* 1572 in 4°.

Conjectanea Synonymica Plantarum, operâ *Ioh. Georgii Schenckii* edita: cum *Horti Patavini* Catalogo, ſub annum 1591. *Francofurti*, 1600. in 8°.

FRANCISCUS PATRICIUS.

V*Enetus*, Anno 1597. *Romæ* deceſſit, anno ætatis 67. *Ferrariæ* totos 17. Clar. An. D. MDLXXX.
annos Philoſophiam *Platonicam* profeſſus eſt. Totus in eo erat, ut *Ariſtotelicæ* Philoſophiæ fabricam funditùs everteret atque dirueret. Adverſarios habuit *Theodorum Angelutium* & *Jacobum Mazzonum* qui editis libris eum fortiter impugnarunt. *Konig.* in Biblioth.

Scripta ejus ſunt: Paralleli Militares---Diſcuſſiones Peripateticæ-----Nova de *Univerſis* Philoſophia-----Nova Geometria----Nova Rhetorica----Dialogi tres de ſcribenda Hiſtoriâ, & de arte poëticâ tres decades---Commentarius in *Homerum*, quem infinito multorum annorum labore confecerat; ſed non ediderat. &c.

Franciſcus Patricius literis *Græcis* & *Latinis* egregiè inſtructus, ad Philoſophiæ ſtudia animum applicuit: Sed dum ex ingenio ſuo natas & à communi plerunque ſenſu abhorrentes ſententias in *Scriptoribus* interpretandis conſectatur, à pleriſque reprehenſus, & in *Peripateticis* diſcuſſionibus, ac novâ de *Univerſis* Philoſophiâ, complures adverſarios habuit. Et *novam Philoſophiam* quidem cenſurâ notatam paulò ante mortem retractavit. *Alphonſo* II. perquam familiaris, & à *Clemente* VIII. qui ejus operâ olim uſus fuerat, cùm primùm Pontifex renuntiatus eſt, magno ſtipendio *Romam* evocatus *Parallela militaria* ſtatim publicavit; multaque alia præterea ſcripſit, quæ in amicorum ſcriniis inedita jacent. *Thuan.* ad Ann. 1597.

Franciſcus Patricius Venetus, non hujus modò ſed longo ſuperioris ævi

Italorum ferè omnium multò doctiſſimus, in omni præſtantiſſimarum artium genere, qui occupatiſſimâ in vitâ ac ſummorum virorum negotiis penè omnibus, ac ferè perpetuo itinerum labore diſtrictus, nunquam literarum ſtudia intermiſit, & egregia multa compoſuit, quæ ſummis literatorum omnium laudibus efferuntur. *Jan. Nic. Erythr.* Pinacoth. p. 203.

Multa hujus ſunt præclarè ac propè divinitùs ſcripta, quæ longum eſſet omnia enumerare. Sed inter omnia ejus præclariſſima opera, maximè placet eruditis tractatus ille, cui Titulus *Paralleli militares*, in quibus veterum Imperatorum militaris diſciplina cum ea comparatur atque confertur, quæ noſtris nunc viget in moribus; qui liber eſt mole quidem amplus ac magnus, ſed rerum, quæ in eo continentur, æſtimatione ac pondere longè maximus atque graviſſimus. *Idem* ibid.

De hoc Libro (*Paralleli Militares*) ſic ſcribit *Ioſephus Scaliger* in Epiſt. 119. ad *Iſaac. Caſaubonum*: ' *Franciſcus Patricius* ſolus mihi videtur digitum ad ' fontes intendiſſe: Quem ad verbum alii, qui ſtudium tractârunt, quum ſe' quantur, tamen ejus nomen ne ſemel quidem memorarunt.

Franciſcus Patricius, audacis homo ingenii, ut nomen ſibi compararet, *Ariſtotelis* Philoſophiam refutandam ſibi ſumpſit, Tomis quatuor Diſcuſſionum *Peripateticarum* editis *Baſilea* in fol. Anno 1581. Verùm in ſuperbo hoc opere diligentiam ejus laudamus, judicium deſideramus, audaciam improbamus. *Ioan. Ionſius* de Scriptor. Hiſt. Philoſophic.

Tam felici ſucceſſu *Dialogos* ſuos de *Hiſtoria* conſcripſit, juxta *Naudei* ſententiam, ut aſſeveret *Bodinum* & *Patricium* inter omnes *Authores* qui de hoc argumento egerint, doctiſſimos & acerrimo judicio præditos eſſe. *Ant. Teiſſier* Elog. Erudit. Viror. Gall.

Patricius quantumvis doctus fuerit, & licet ejus ſcripta immortalem famam ei comparaſſent, *Taſſi* tamen gloriam invidebat; in hujus enim *Hieroſolymam* ſeveram criticam exercuit, libro *Italico* cui titulus *Iudicium S. Franciſci Patricii in defenſionem Arioſti*. Quapropter Dom. *Chapelain* arbitrabatur *Taſſum* in *Aminta Patricium* per *Mopſum* depingere voluiſſe; ut qui ibi deſcribatur Italicè tanquam vir cujus lingua ſermones mellitos loquitur, labiaque amicè ſubrident, ſed qui fraudem pectore celat, ſicamque ſub pallio geſtat. *Ant. Teiſſier* ibid Gall. & Ital.

Extat Magia Philoſophica, hoc eſt, *Zoroaſter*, & ejus 320. Oracula *Chaldaica*: *Aſclepii* Dialogus, & Philoſophia magna: *Hermetis Triſmegiſti* Pymander: Sermo Sacerd. Clavis: Sermo ad Filium: Sermo ad *Aſclepium*: *Minerva* Mundi: Et alia Miſcellanea. Nunc primum ex Bibliothecâ *Ranzovianâ* è tenebris eruta & *Latinè* reddita, *Hamburgi*, 1593. in 8°. extat etiam cum *Cæſaris Longini* Trino Magico, ſive ſecretorum Magicorum Opere. *Offenbachii*, apud *Conradum Eifridum*, 1630. in 12°. Ibidem, apud *Iacobum Gothofredum Seylerum* 1673. in 12°.

* *Franciſci Patritii* nova de *Univerſis* Philoſophia prohibetur, niſi fuerit ab

Auctore

Auctore correcta, & *Romæ* cum approbatione R. P. Magiſtri *Sacri Palatii* impreſſa. Index *Tridentin.* in Append. Cert. Auctor.

JOANNES HEURNIUS.

Ultrajectinus, natus eſt anno Dom. 1543. Primos pueri annos in patriâ formavit *Georgius Macropedius* & *Arnoldus Eyckius*: Adoleſcenti *Medicinam* ac *Matheſin Lovanii* tradidit *Gemma Friſius*: *Medici* titulum & inſignia *Doctoralia Ticinenſis* contulit *Academia*. Domum reverſus, ab annorum 12. peregrinatione, ac poſteà Anno Dom. 1581. ætatis ſuæ 38. *Lugdunum Batavorum* accerſitus, ibidem ſummo cum honore famæque celebritate, nec minori tum in docendo, tum in ſcribendo venuſtate, *Medicinam* annos ipſos 20. explanavit, ſcripſitque utiliſſimos in re Medicâ Tractatus. Vivere deſiit Anno 1601. ætatis 58. die 11. Auguſti. *Leidæ* in Templo primario conditus. *Valer. Andreas.* Clar. An. D. MDLXXX.

Elaboravit Commentaria in varios libros *Hippocratis*: item, Reſponſum ad Supremam Curiam *Hollandiæ* quò oſtendit, Nullum eſſe ad aquæ innatationem *Lamiarum* indicium, &c.

In pueritia tardiſſimi fuit ingenii, adeò ut ante Annum undecimum vix elementa prima tenuerit, & ante decimum quintum vix *Grammaticam* perceperit. Poſteà ſummo impetu ſtudia apprehendit, diebus noctes adjungens. *Acad. Lugd. Batav.* edit. *Lugd. Bat.* anno 1613.

Cùm primùm in luculentum hunc Auctorem incidi, ita me affecit, ut non tantùm mihi comparandum, ſed & attentè perlegendum eſſe judicarem: Quod ut feci, incredibile eſt quantam voluptatem atque utilitatem ex eo perceperim. Atque hæc cauſa eſt, cur libros ejus amem, & præſtantiam eorum expertus aliis commendem. Audebo etiam obligare fidem meam, ſtudioſe Lector, promitto ac ſpondeo vobis, qui rerum *Medicarum* ſtudio tenemini, hæc *Scripta* ea eſſe, quæ *Medicum* ſolertem dabunt. Magno enim judicio hoc opus eſt elucubratum à ſummo viro. Quippe qui per triginta annos *Medicâ* exercitatione corroboratus fuerit in *Italiâ*, *Galliâ*, *Brabantiâ*, Provinciâ *Ultrajectinâ*, & *Hollandiâ*, in quâ per annos viginti quantâ cum celebritate *Medicinam* fecerit, *Europa* novit. Quare libri hi omni commendatione digniſſimi. *Zach. Sylvius* in Præfat. ad Lector. *Ioan. Heurn.* Meth. ad Praxin præfixâ.

In *Aphoriſmorum* ambagibus extricandis plures cæcutiunt, ſi habueris otium *Muſam* conſule, ſin minùs, *Laconicum* lege *Paraphraſtem Heurnium*, nervoſum Medicum & doctum. *Zacut. Luſitan.* Introit. ad *Praxin*, Præcept. 15.

Aphoriſmi Hippocratis diligenter verſandi ſunt cum *Commentariis Galeni* & *Hollerii*, aut *Valleſii Heurnii* etiam accurati ſunt, ſed pro *Tironibus* paulò difficiliores. *Albert. Kyper.* Med. ritè diſcendi Method. p. 297.

Heurnius Medicus mihi in omni hoc morbo fidus, peritus, & (quæ laus ei propria) cautus. *Lipſ.* Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 90.

Primus in *Academiâ Leidenſi* propriâ manu *Anatomiam* adminiſtravit, efflagitantibus id ſtudioſis cùm inſolens hoc exercitium *Patriæ* eo tempore eſſet. *Melch. Adam.* in Vit. *Heurn.*

Hunc

Digitized by Google

Hunc (*Ioannem Heurnium*) *Pedarium Iulii Alexandrini Senatorem* non ſine cauſâ vocavimus ſuprà: deprehendimus enim, non pauca eum, ubi *Medicinæ* ſtudioſis modum diſcendi præſcribit, tacitè mutuatum eſſe *Julio*. Quanquam autem ita ſibi cavet, ut *ſenſus* ejus potiùs, eoſque variè disjectos, inque compendium contractos, quàm verba lectori ſuo appendat: eſt tamen, ubi *ungues Aquilini* promicent. *Thomaſ.* de *Plag.* ſect. 461.

Extant Opera ejus omnia, tam ad Theoriam, quàm ad Praxin Medicam ſpectantia, ab *Ottone Heurnio* F. in duos Tomos diſtributa ac edita, *Lugduni Batavorum*, apud *Raphelengium*, 1609 in 4°. *Lugd.* apud *Ioh. Ant. Huguetan* & *Marc. Ant. Ravaud.* 1658. in Fol.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Dan. Heinſio:*

Hìc ille Heurniades, *cui ſe tot maximæ debent*
Nomina, cui debet ſe Medicina, jacet.
Naturæ potius quàm morbi crimine raptus,
Quam toties aliis ſuſtulit artis ope:
Ne tumulo quid deſit, adeſt fidiſſima conjux,
Et vitæ comitem, nunc quoque mortis habet.
Sic olim conjuncta Thoro, nunc juncta ſepulchro
Continuat pactam, nondum aliena fidem.

HIERONYMUS MERCURIALIS.

Clar. An. D. MDLXXX.

NAtus eſt *Forolivii* in *Italiâ* A. C. 1530. *Patre Johanne Mercuriali*: nacto *Patavii* Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris titulo, in patriâ tantâ cum famâ Medicinam exercuit, ut *Mercurii* filius ſalutaretur: hincque 1569. à Senatu *Veneto Patavium* vocatus, principem Medicinæ practicæ interpretandæ locum ibi obtinuit: & 1583. ab Imperatore *Maximiliano* II. inde *Viennam* acceſſitus, magnis præmiis, 300. nempe ducatis, torque aureo, totidem ducatorum pretii, duobus equis generoſis, nec non Comitis & Equitis aurati dignitate, quòd feliciter Imperatorem priſtinæ reſtituerit ſanitati, honoratus eſt A. C. 1587. *Bononiam* ſeceſſit, ibique per aliquot annos Profeſſorem egit, conductus annuo ſtipendio 1200. ducatorum. Abhinc tandem an. 1599. contulit ſe *Piſas*: ubi initio 1200. & annis conſequentibus 2000. aureorum impetrato annuo ſalario, Medicinam ſimiliter publicè docuit. Obiit *Forolivii*, in Patria, in quam animi relaxandi gratiâ divertit, calculi dolore per 30. dies victus 1606. ætatis ſuæ 76. *Vander Linden* de Script. Med.

Scripſit varias Lectiones---- De Arte Gymnaſticâ---- De Morbis Muliebribus Prælectiones---- De Morbis Cutaneis. Multaque alia ad rem Medicinam ſpectantia.

Hieronymus Mercurialis Foro-Livii in *Umbriâ* natus ann. 1530. antiquâ utrinque

que familiâ, nec modicis opibus; *Patavii* cùm tyrocinium in Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis feliciter feciſſet, à civibus ſuis admodum juvenis ad *Pium* IV. legatus miſſus eſt, & ex eâ occaſione in familiam *Alexandri Farneſii* Cardinalis literatorum fautoris eximii conceſſit, in quâ totum ſeptennium manſit, in illoque otio primum ingenii ſui fœtum dedit *Gymnaſticam*. Inde *Patavium* ad Medicam profeſſionem vocatus, jam famâ ejus inclareſcente, à *Maximiliano* Cæſare, cùm graviſſimo morbo laboraret, in aulam evocatus eſt, à quo perſanato multa honorifica munera accepit, & *Patavium* ſub ann. 73. repetiit. Ibi 18. annos Medicinam fecit & docuit. *Bononiæ* poſtea aucto ſtipendio per quinquennium, & poſtremo *Piſis* 14. annis ad ↀↀCC. uſque aureos honorario excurrente idem munus exercuit, & cùm fruſtrà à multis Principibus evocatus eſſet, otium literarium vitæ aulicæ ſemper prætulit, tandem ingraveſcente ætate, patriam repetiit, ubi qui ſemper valetudine proſperâ uſus fuerat, calculi morbo per xxx. dies acerbè vexatus, vitam de Rep. optimè meritam cum morte commutavit v. Eid. Novembr. ad *D. Mercurialis* in odeo à ſe magnificentiſſimè extructo ſepultus, quo & paulo ante v. Kal. Decembr. *D. Mercurialis* reliquias transferri curaverat. Fuit egregia corporis formâ, & ſanctiſſimis ſuaviſſimiſque moribus, adhæc doctrinâ præſtanti, quod multa ejus ſcripta teſtantur, à diſcipulis ferè publicata, ut ſi quid in iis peccatum eſſet, ea citra famæ & exiſtimationis jacturam emendandi ſumma prudentia ac modeſtia libertatem ſibi ſervaret. Quædam & in *Hippocratem* non omnino edita, & in *Ariſtotelis* problemata reliquit. *Thuan.* ad ann. 1604.

Quænam tanta eſt vis ingenii, quod tantum Orationis flumen, quæ tanta dicendi facultas & copia, quæ *Hieronymi Mercurialis Foroliviensis* Medici ac Philoſophi laudibus ex æquo reſpondeat? Illud enim unicum ætatis noſtræ lumen, illud eximium Medicæ facultatis decus, illud maximum acumen ingenii, ad rerum cauſas inveſtigandas, ad Cœli converſionem ac motum, ad ſiderum ortus, occaſus, adſpectus, compoſitioneſque notandas, ad intimam ac reconditam omnium diſciplinarum notitiam percipiendam, ritè à naturâ perfectum illud ſummum eruditionis culmen atque faſtigium, quis, non modò laudibus efferre, verùm etiam dicendo aſſequi poſſit? *Jan. Nic. Erythr.* Pinacoth.

Hieronymus Mercurialis, clariſſimus Medicus, imò ævi noſtri primarius. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 2. Miſcel. Epiſt. 32.

Hieronymus Mercurialis, vir probus, candidus, illuſtri doctrinâ & famâ. *Idem* ibid. Epiſt. 39.

Hieronymus Mercurialis, Medicus excellentiſſimus, omniumque diſciplinarum genere ornatiſſimus: *Boiſſard.* in Icon.

De *Mercuriali* quid quæris? in ore omnium verſatur, diligitur, & de ſingulari ejus virtute & loquuntur omnes, & ſentiunt. *Camil. Paleot.* in Epiſt. ad *Latinium* ſcript. Non. Decem. 1587.

Cum *Mercuriali* frequens eſt mihi conſuetudo. Quid quæris? Convivia, quæ antea averſari ſolebam, nunc me magnoperè delectant; quoniam per ea commodè illius congreſſu mihi frui licet. O quanta hominis eruditio, quàm

Digitized by Google

ſuaviſſimi mores! *Camil. Palaot.* Epiſt. ad *Latin.* ſcript. prid. Calend. Febr. 1588.

Hieronymus Mercurialis, magnus ille ſine controverſiâ *Jatronices*, cui *Medica Ars* ornatum debet ſelectum illum & peculiarem, quo priſtinam dignitatem nunc demum abundè teſtatur. *Paul. Guald.* in Vit. *Vincent. Pinelli.* vid. *Bateſii* Vitas p. 332.

Medicinam tam eloquenter quàm eruditè docuit, exiſtimationemque & admirationem Doctorum Virorum innumeris præſtantibus ſcriptis à ſe compoſitis ſibi demeruit. Sed non minùs virtute quàm eruditione ſua illuſtris fuit. Cùm enim non minori ſollicitudine perfectam ſanitatem in Animo ſuo ſtabilire ſatageret, quàm ægris ad ſe confugientibus valetudinem reſtituere, vitam, innocentia & pietate coruſcam egit. Merita ejus ſingularia non modo magnam celebritatem ei pepererunt, ſed etiam opes immenſas. Hæredibus enim reliquit centum & viginti millia Scutorum aureorum, poſtquam vixiſſet honeſtiſſimè & ſplendidiſſimè, & inſignibus liberalitatibus Amicos affeciſſet, amplaſque eleemoſynas pauperibus erogaſſet. Paulò ante obitum Medicis dixit ſe geminos intra renes calculos habere, eoſque rogavit ut ſtatim ac animam efflaſſet corpus ſuum aperiendum curarent. Quo facto, juxta ejus votum, obſervatum eſt illum minimè hallucinatum fuiſſe; In ejus namque renibus duo ampli calculi reperti ſunt ponderis octingentarum drachmarum. Poſtquam ejus concives eum magna pompa ſepeliviſſent, ſtatuam ei erigi curaverunt. Verba quædam ſuperbiæ ac vanæ gloriæ fuerunt ei exprobrata; dum enim de doctrina ſua loquebatur ſolitus erat dicere neminem ab opinionibus ſuis deflectere poſſe, quin in craſſos errores laberetur. Inter omnia ejus opera ſingularis pretii cenſetur ejus Tractatus de *Arte Gymnaſtica* qui dignus eſt quem legant, non modò Medici, ſed & quotquot potioris literaturæ cultores exiſtunt. *Ant. Teiſſier* Elog. Vir. Erudit. Gall.

Hieronymus Mercurialis Forolivienſis, vir elegantiori doctrinâ planè imbutus, in quo præcipuè omnis generis Scriptorum Medicorum multiplex *lectio* cum accurato judicio vix poteſt ſatis laudari. *Sebaſt. Scheffer.* Introduct. in Art. Med.

* Ejus liber de Hominis Generatione, cum Expurgationibus permittitur, in *Ind. Madrit.* Edit. ann. 1667.

Extant de *Arte Gymnaſticâ* libri 6. *Amſtelodami* 1675. in 4°.

Extant libri 5. de *Morbis Cutaneis*, *Baſileæ* apud *Juntas*, 1601. 1625. in 4°.

Extat *Medica Practica Venetiis* 1627. in Fol.

Extant Conſultationes & Reſponſa Medicinalia Tribus Tomis comprehenſa, *Venetiis* apud *Jac.* de *Franciſcis* 1620. 1624. in Fol.

STEPHANUS VINANDUS PIGHIUS.

Clar. An. D. MDLXXX.

CAmpenſis, *Tranſiſalanus*, laudatiſſimis avunculi ſui *Alberti Pighii* veſtigiis conſtanter inſtitit. Cujus quidem exemplo, *Romæ* ſummos inter doctrinâ

ctrinâ viros diu multumque verſatus, Urbis, omniſque adeò *Romanæ* antiquitatis eam eſt peritiam conſecutus, ut ætas noſtra paucos æquales tulerit, ſuperiorem certè neminem. Quo factum, ut domum ex *Italiâ* reverſum, *Ant. Perenotus* Cardinalis *Granvellanus*, acer præſtantium ingeniorum æſtimator, in familiam adſciverit, & ſuæ, quam habebat copioſiſſimam, præfecerit Bibliothecæ. In eam ſe abdens *Pighius*, ut ſtudiis jam inde à puero totus erat deditus, multa è vetuſtis calamóque exaratis codicibus eruit. Inde ad Scriptionem converſus, *Valerium Maximum* puriore togâ donavit, & *Carolo Philippo Croyo*, primo *Havrechii* in *Hannoniâ* Marchioni, inſcripſit: pòſt à *Gulielmo*, *Cliviæ* & *Juliæ* Duce, evocatus, *Carolo* ejus filio, *Romam* religionis gratiâ cogitanti, comes, vel potiùs *Mercurius*, viæque dux additur. Quo ante diem, patrique ac patriæ laboranti nimis citò è vivis erepto, *Vinandus*, etſi mœrore confectus, ut ad poſteros ſaltem peregrinationis iſtius manaret utilitas, *Herculem Prodicium*, velut boni principis imaginem, evulgavit. Nam ut *Prodicus* Philoſophus finxit *Herculem*, cùm primùm pubeſceret, exiiſſe in ſolitudinem, atque ibi conſidentem diu multumque dubitaſſe, cùm duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius foret; tandemque vincente ratione, in virtutis viam ſe fortiter dediſſe, altera valere juſſâ: ſic & *Pighius* noſter *Carolum Principem*, ut alterum *Herculem*, graphicè exhibuit, atque unà *Italiam Univerſam*, velut in tabellâ ob oculos poſuit. Officium porrò filio impenſum *Gulielmus* parens agnovit, & virum ſcriptis factiſque benè meritum, apud *Coloniam Trajanam* [oppidum hodiè *Sanctenſe* nuncupant à ſanctis Martyribus ex Legione *Thebaâ*, eò loci pro Religione cæſis) Canonicum & Scholarcham renunciavit. Quo Sacerdotio cohoneſtatus *Pighius*, ſedulò munus ſuum obiit, & ſubciſivis horis ſtudia tractans, *Annales* ſeu *Faſtos Romanorum Magiſtratuum* longè copioſiùs quàm *Caſſiodorus*, *Cuſpinianus*, *Sigonius*, aut denique *Onuphrius*, evulgavit. Quorum quidem *Faſtorum* bina inſuper volumina, quæ moriens collegis ſuis commendavit, *Andreas Schottus* typis *Plantinianis* edenda curavit: ut alterum *indefeſſi calami & ſtyli Livium*, *I. Lipſius* meritiſſimum nuncuparit. Obiit anno 1604. ætatis 84. *Aub. Miræus.*

Rerum eſt maximè *Romanarum* eam peritiam ſtudio diligentiâque & obſervatione aſſiduâ *Faſtorum Capitolinorum*, *marmorum*, *numiſmatum* atque *Inſcriptionum* conſecutus, ut quos comparem, *Sigonios* atque *Onuphrios* [bone *Deus*, quales viros!] facilè reperiam; quos verò hoc in genere illi anteponam (quod præfiſcinè dictum volo) inveniam neminem. *Andr. Schott.* in Præfat. quam *Pighii* Annal. Tom. 2. præmiſit.

Reapſe comperi, aliiſque, ſpero, probabo; nullum aptiorem *Commentarium* ad *M. Tullii* hiſtorica, ad *T. Livii* Annales, ad *Dionyſium Halicarnaſſenſem* ac *Dionem*, ad *L. Florum*, ad Scriptorem de viris Urbis *Romæ* illuſtribus, omneſque adeo *Romanarum* rerum Scriptores, extra hos *Pighii Annales*, nec ſperari, ac ne optari quidem poſſe. *Idem* ibid.

Tempora eos refellunt, qui *Auguſtino Eutropium* faciunt juniorem. Ac mirum in iſto etiam aberraſſe virum *temporum* bene gnarum *Stephanum Pighium*

Campenſem in *Annalibus Romanis Voſſ.* de Hiſt. Lat. l. 2. c. 8.

Stephanus Pighius vir de *Valerio*, imò *Annalibus* ſuis *Romanis*, de universâ Antiquitate *Romanâ* præclarè meritus. *Voſſ.* de Conſtruct. c. 25.

Valerium Maximum Stephanus Pighius nobis dedit peritè & religioſè cenſum: & illo modeſtiæ exemplo, quod imitari velim eos, qui hoc *Criticum Stadium* currunt. Et validè valet ſanè per eum *Valerius*. *Lipſ.* l. 2. Elector. c. 11.

Valerium Maximum, ſciolorum ſtylis penè confectum atque exanimatum, *Stephanus Pighius* in ſanitatem, imò vitam, princeps reſtituit. *Gaſp. Sciopp.* de Art. Crit. p. 12.

Extant Annales Magiſtratuum & Provinciarum Senatûs P.Q.R. 3. Tomis, *Ant.* 1615. in Fol.

JOANNES VINCENTIUS PINELLUS.

Clar. An. D. MDLXXX.

ORigine *Genuenſis*, *Neapoli* natus, optimè meritam non ſolùm de *Italia* ſuâ, ſed de toto Orbe *Chriſtiano* animam Deo reddidit anno 1601. cùm ætatis ann. 68. ageret, in cujus laudibus commemorandis, quas alii ſingularibus libris fuſiùs pro merito explicaturi ſunt, ne nimius ſim, nunc *Tito Pomponio* ipſum comparaſſe ſatis habebo, quippe qui *Veneti*, ut ille *Attici*, à ſereniſſima Republicâ, quæ ipſum impensè dilexit, nomen promeritus, & in privatâ vitâ prænobilis familiæ decus ſervans amicis cuncta humanitatis officia ſedulò ac prolixè præſtaret, alioſque quamplurimos, quos mutua virtutis opinione in *Gallia*, *Germania*, *Hiſpania*, ac longinquioribus *Europæ* partibus ſibi conciliaverat, diligenti literarum mutitatione coleret, ut non ſolùm iis, qui quotidiano convictu fruebantur, gratiſſimus, ſed etiam aliis paſſim quamplurimis utiliſſimus eſſet. Bibliotheca ejus inſignis tot annorum ſpatio & ſolerti cura collecta variam fortunam poſt ejus obitum ſortita eſt, & cum hærede conflictata, quod amplius ex *Paulo Gualdo*, *Vincentino*, qui ejus vitam certè dignam quæ ab omnibus legatur, deſcripſit, lector poterit cognoſcere. *Thuan.* ad ann. 1601.

Joannes Vincentius Pinellus, doctus & probus ſupra omnia penè noſtrorum temporum exempla. Ætas noſtra librorum tum veterum tum recentiorum oppidò ferax, paucos vidit in eo genere literarum quas *humaniores* vocamus, quibus non inſcriptum alicubi eſſet *Pinelli* nomen: & ſanè decebat honorificè appellari eum, in cujus *Bibliotheca* viri docti maxima ſtudiorum ſuorum præſidia collocata intelligebant. *Paul. Guald.* in Vita ejus.

Joannes Vincentius Pinellus, vir planè in omni ſtudiorum genere ſingularis, ac propter eximiam humanitatem inter omnes maximè memorabilis, qui non ſolùm pretioſiſſimum ingentis ſuæ *Bibliothecæ* theſaurum totum explicuit, ſed nullum etiam diligentiæ atque impenſæ officium in hoc *Opere* provehendo reliquit. *Car. Sigon.* ad Calcem libror. de Regn. *Ital.*

De *Pinello*, eſt enim juvenis, præter antiquam generis nobilitatem, & *Græcis* & *Latinis* literis impensè eruditus, & cùm liberalium artium ferè omnium cognitionem

Digitized by Google

cognitionem profiteatur, tum in hâc ipſa de ſimplicibus Medicamentis ſcientia, plurimùm excellit, inprimiſque in expendendis doctiſſimorum virorum ſententiis acri pollet judicio, quod & tute ipſe fatebere, cùm illum *intus* & *in cute* [ut dicitur] *noveris*. *Barth. Marantha* in Method. cognoſcendorum ſimplic.

Joannes Vincentius Pinellus, immortalis memoriæ vir, atque in omni optimarum artium genere verſatiſſimus, præcipuè verò in rerum abditarum cauſis, naturæque arcanis perſcrutandis, ſtudioſiſſimus & curioſiſſimus, cujus optimâ, & ſuaviſſimâ conſuetudine utinam mihi diutiùs frui licuiſſet. Sed hanc mihi felicitatem mors invidit, quæ eum rapuit, cùm miram hominis eruditionem, morumque ſuavitatem deguſtare vix cœpiſſem. *Horat. Cornachin.* in lib. ejus *de Logic. Præfat.*

Ioannes Vincentius Pinellus, vir maximi quidem nominis, ſed majoris tamen, & ingenii, & doctrinæ. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. l.3.c.8.

Illuſtri Viro *Vincentio Pinello* cùm ſcribes, quæſo te, ſalutem ei à me dicito, ignoto de facie, non de famâ. Amo virum, magnum meritò apud omnes magnos. *Lipſ.* Epiſt. Miſcell. Cent. 2. Epiſt. 24. ad *Carolum Cluſium.*

Pinellum ego jure æſtimo inter *Italorum* primos. *Lipſ.* Epiſt. 2. Miſcell. Epiſt. 47.

O vulnus, quod *Pinelli* morte acceptum eſt! Abiit æternus ille vir, ipſe nominis & famæ ſecurus: ſed nos in deſiderio, & dolore reliquit, *Muſas* in ſqualore. Quis ſuccreſcet, & dolorem nobis demet, *Muſis* ſqualorem? Non doctrinâ, ſed opibus quoque opus. *Eryc. Putean.* in Epiſt. ad *Peireskium.*

Ioannes Vincentius Pinellus, vir quamvis meritò ab omnibus aliqua laude dignus plurimum laudatus ob multas & magnas animi ſui dotes, nunquam tamen ſatis laudatus. *Petr. Victor.* l.26. Var. Lect. c.16.

Quamvis *Pinellus* doctrinâ tam inſignis foret, plus tamen lectione quàm ſcriptione delectabatur. Nullum emiſit opus. Ut certum tamen perhibent in *Ambroſiana* Bibliotheca Manu-ſcriptum extare cujus Author *Pinellus*. *Ant. Teiſſier.* Elog. Gall.

PETRUS PITHÆUS.

GAllus, *Trecenſis*, Diſcipulus *Turnebi* & *Cujacii*. Fato functus eſt Novembr. 1. Anno *Dom.* 1596. ætatis 57. Scripta ejus propemodum infinita. Clar. An. D. MDLXXX.

Petrus cognomento non tam *Pithæus*, quàm *Pithius*. Ego enim à *Græca* voce *Dea Pithûs* nomen illi eſſe ſuſpicor. *Papyr. Maſſon.*

Petrus Pithæus omni liberali eruditione ornatus, & antiquitatis ignoratæ quaſi *Pithius* alter, oraculis ſuis enarrator & illuſtrator maximus. *Turneb.* Adverſar. l.21.c.28.

Petrus Pithæus immortale illud *Galliæ* decus, quô viro digniorem omni laude alium ne Hiſtoriæ quidem continent. *Caſaub.* Not. in *Capitolinum.*

Petrus Pithæus Juriſconſultus raræ cujuſdam eruditionis vir, natus ad eruenda *Vetuſtatis* Monumenta. *Geſner.* in Biblioth.

Vir ſummâ probitate & eruditione. *Scalig.* de emendat. Temp. l. 6.

Petrus Pithæus, vir præclarè de universâ meritus antiquitate. *Voſſ.* de Philolog. c. 11. ſect. 18.

Petrus Pithæus, vir noſtra ætate maximus, ſive probitatem morum & veram nec fucatam pietatem, ſive ingenium excellens, exactamque & omnium rerum, quas perſpectas habuit, (habuit autem plus quàm alius quiſquam multis retrò ſeculis) reconditam cognitionem, & tum in ſuis tum in alienis cernendis acte & ab omni livore purum judicium ſpectes. Nemo meliùs unquam unum quempiam *Auctorem* novit, quàm ipſe omnes *Antiquos* utriuſque linguæ *Scriptores*, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat *exemplaria*, & concoxerat. Nemo privata & domeſtica negotia exactiùs tenuit, quàm ipſe *Gallicam externam*que *Hiſtoriam*, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, fœdera, conventiones, vel *exterorum* inter ſe, vel nobiſcum geſta, leges, mores, conſuetudines provinciarum, ſingularumve *Urbium*. Quarum omnium rerum à teneris annis, indefeſſo labore, ſibi perfectam notitiam, tum ex vulgatis libris, tum etiam ex Bibliothecis antiquis, archivis regiis, Senatûs, Rationalium, Urbium, Monaſteriorum comparaverat. Inſtrumentorumque ipſorum atque *Actorum* bonam partem propriâ manu deſcripſerat. *In jure* autem *Civili Romanorum* ad illud faſtigium pervenerat, ut de eo celeberrimoque ejus Præceptore *Jacobo Cujacio* dici jure potuerit: "Hunc diſci-" pulo præripuiſſe, ne primus Juriſconſultus eſſet, illum Præceptori, ne ſolus. "*Thuan.* ad Ann. 1596.

Petrus Pithæus in *Eccleſia Romana* Communione natus, educatus, mortuus: in quâ ille ſic vixit, ut non modò eruditione & literis, ſed & probitate, candore & ſapientiâ, cæteriſque bonis artibus excelluiſſe exiſtimatus ſit. Ejus in eruendis *antiquitatis* monumentis ſolertiam, judicium, ac fidem omnes laudant. *Dallæus* lib. de Imagin. p. 509. 512.

Petrus Pithæus, vir immortalitate dignus, Immortalis gratia debetur magno illi *antiquitatis* vindici *Petro Pithæo*, qui *Phædrum libertum Auguſtalem* non modò liberali manu iterum aſſeruit, ſed etiam vitâ redonavit: utinam verò etiam vulnera ipſius perſanare omnia potuiſſet! *Conrad. Rittershuſ.* in Epiſt. ad *Ioach. Camerar.* præfix. *Phædro* cum Not.

Immortalia, nulliſque verborum præconiis adſequenda ſunt in rem literariam merita *Petri Pithæi*, quem virum ſeculo noſtro *fati* quodam peculiari favore datum, cùm pro copia laudata ſit omnis *poſteritas*, volenti nos animo ſæpè in ejus laudes divertimus. *Caſp. Barth.* Adv. L. 30. c. 10.

Anno 1560. ac deinceps, magnum apud omnes eruditos nomen fuit *Petri Pithæi* Juriſconſulti, viri optimè de *Rep. literaria* meriti, præſertim Scriptoribus antiquis. *Voſſ.* de ſcient. Mathem. p. 416.

Petrus Pithæus, vir omnium prædicatione major: cujus obitu nupero quantam Reſp. jacturam fecerit, mecum lugere, quàm multis commemorare malo. *Sciop.* l. 5. Suſpect. Lect. epiſt. 26.

Extincta eſt illa ſeculi noſtri lux; periit illud *Galliæ* noſtræ decus propè unicum; ô triſtem

ô triſtem & forteaſſ fatalem noſtris *Muſis* caſum! nam ubi hodie *Petri Pithœi* ſunt? Poſt amiſſum Magnum *Cujacium* ille fuit cum aliis oppidò paucis, qui dignitatem literarum in hoc regno tueretur. Eo extincto, ne brevi concidat Reſp. literaria metus eſt. *Caſaub.* epiſt. 126. ad *Iac. Gillotum.*

Scaliger ait omnia opera Domini *Pithou* bona eſſe, ſed illi palmam aſcribere videtur quod inſcribitur *Adverſaria Subſeciva* ſeu *Synopſes*; deinde verò *Annalibus Francorum* in folio & in octavo. Dicit tamen illum quandoque de *Antiquitate* perperam judicare, quoniam ſæpe ea rationi præferebat, quæ in veteribus exemplaribus legebat, quamvis illa contrarium ei ſuggeſſiſſet: Cæteroquin autem neminem illo meliùs ſcire Hiſtoriam, Conſuetudines, Leges, Antiquitates variarum Rerumpublicarum quarumlibet Regionum. *Scaligerana* 2. Gall.

Apud hunc (*Petrum Pithæum*) de priſcis *Gallorum* Philoſophis ea lego, quæ totidem propè apicibus & apud *Gilbertum Cognatum*, neutro interim alterius mentionem faciente. Uter alterum vel anticipaverit ſcribendo, vel deſcribendo ſit ſecutus, juxta cum ignaris ſcio, *Thomaſ.* de Plag. num. 520.

Eruditus erat ſupra vulgus: tantam in profeſſione ſua gloriam adeptus eſt, ut frequenter ex Regionibus extraneis ad ipſum mitterentur lites ut judicium, à quo non liceret provocare, de iis ferret. Tam feliciter ipſi ſuccedebant litium compoſitiones ut *Arbitri Sapientis* nomen inde meruerit. Erat præterea æquè modeſtus atque doctus, omniumque benevolentiam incomparabili lenitate ſibi conciliabat, & ardenti affectu quo cupiebat omnia præclara ingenia omneſque honeſtos homines ſibi contemporaneos officiis ſuis ſibi demereri. Uſque adeo ab omni avaritia erat alienus & in egenos munificus, ut pauperibus erogaret quicquid diebus feſtis & Dominicis lucrabatur. Proteſtantium religionem profeſſus eſt uſque ad *Pariſinam* Lanienam; ſed metus mortis illum tunc adegit ad illius doctrinæ abnegationem & ad Romanæ Eccleſiæ communionem adeundam, ut aſſeverat *Joſephus Scaliger*. Alii ſcripſerunt quòd *Petrus Pithou* triennio ante annum 1572. Religionem priſtinam deſeruerit. *Ant. Teiſſier* Elog. Vir. Erud. Gall.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ſibi vivus *Epitaphium* compoſuit:

Pithœus *hîc jaceo, mecum & chariſſima conjux;*
Sic compar vita, compare morte fruor.
Improbe, quid rides? caſti ſacra neſcis amoris:
Nil non, vel cineres, hâc comite eſſe juvat.

JOSEPHUS

Digitized by Google

JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER.

Hoc ejus Symbolum:

FUIMUS TROES.

Clar. An. D. MDLXXX. IUlii *Caſaris Scaligeri* filius, *Gallus*, *Aginni Nitiobrigum* natus eſt, die 4. Auguſti, Anno Dom. 1540. Obiit anno 1609. Menſe Januarii. *Scripſit varia.*

Daniel Heinſius abyſſum eruditionis, ſcientiarum mare, ſolem doctorum, divini *Patris* divinam *ſobolem*, genus Deorum, perpetuum literarum dictatorem, maximum naturæ opus, & miraculum, ac extremum ejus conatum appellabat.

Is Juvenis quantâ ſit eruditione & judicio, quâque in *vetuſtis Scriptis* conferendis induſtriâ, & abſtruſa ſenſibus eruendis acumine, monumenta ab eo edita teſtantur. *Georg. Buchanan.* in Hiſt. Scot. 1668. p. 77.

Senatûs *Critici* princeps, *Joſephus Scaliger. Voſſ.* Inſtitut.Orator.l.4.p.159.

Præclarè admodum, ſi quiſquam alius, de literarum ſtudiis meritus. *Voſſ.*lib.1. Idolol. c. 28.

Julius Scaliger vir incomparabilis, niſi *Joſephum* genuiſſet. *Caſaub.* de 4.ling. pag. 57.

Nihil eſt quod diſcere quiſquam vellet, quod ille docere non poſſet:nihil legerat, (quid autem ille non legerat?) quod non ſtatim meminiſſet: nihil tam obſcurum aut abditum in ullo vetere *Scriptore Græco*, *Latino*, vel *Hebræo*, de quo interrogatus non ſtatim reſponderet: Hiſtorias omnium populorum, omnium ætatum, ſucceſſiones Imperiorum, res *Eccleſiæ* veteris in numerato habebat. Animalium, Plantarum, Metallorum, omniumque rerum naturalium proprietates, differentias, & appellationes, quà veteres, quà recentes, tenebat accuratè. Locorum ſitus, Provinciarum fines, & varias pro temporibus illarum diviſiones, ad unguem callebat. Nullam diſciplinarum ſcientiarumve graviorum reliquerat intactam. Linguas tam multas tam exactè ſciebat, ut vel ſi hoc unum per totum vitæ ſpatium egiſſet, digna res miraculo potuerit videri. Omitto *Mathematica* ipſius ſtudia, & nobiliſſimam *Temporum* diſciplinam;quâ in parte, ut non aſſecutus ſit ſemper, quod quærebat; ea certè præſtitit, quæ juſtam admirationem doctis æſtimatoribus non poſſint non exprimere. *Iſ. Caſaub.* ad *Thuan.Let.* 3.Kal.Quintil. 1610.

Ex *Julii Cæſaris Scaligeri* liberis, ultimus hodie ſuperat *Joſephus Juſtus Scaliger*, qui ſecundùm Patrem nunc inter literatos & in re literariâ principem ſine controverſiâ locum tenet, verè eruditorum *Phœbus*, ut politiſſimi ingenii vir eum indigitavit. De hoc ut plura dicam, nec pudor ejus patitur,nec per ingentia ipſius erga me merita licet; quanquam minimè vereor,ne propterea minus vera de eo prædicare videar; cùm quidquid dixero opinione omnium verò minus ſit. Sed

Sed potius eſt ut tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum quo divinum ejus ingenium cum rarâ morum probitate conjunctum pro jure amicitiæ, quæ mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili ſilentio, ut in ſacris fieri amat, obſignemus. *Thuan.* ad ann. 1558.

Dii Boni! quàm multa ille nova, quàm multa vetera, non lecta, non viſa, non audita aliis depromit! Dæmonium hominis. *Liſp.* epiſt. Quæſt. l. 3. epiſt. 20.

Ille unus eſt, quem miramur, quem æmulamur, imò, ne mentiar, cui invidemus. Felicem *Galliam* hoc ſole cujus claritas non ad eos ſolùm qui *nunc* ſunt, ſed ad *poſteros* diffundetur, quamdiu quidem erit in Terris nomen literarum. *Idem* Cent. 1. Epiſt. 21.

Literarum omnium *Dictator* perpetuus, & per omnia *Diis* magis quàm *Hominibus* comparandus, *Joſephus Scaliger. Gaſp. Sciopp.* præfat. de Art. Crit.

Ejus *Scripta aurea*, tanquam *ancylia*, cœlo delapſa, cum honore & religione quadam omnes eruditi tractare ſolent. *Idem* de Art. Crit. p. 10.

Fuit ille vir, quod etiam omnes invidi fateantur, inviti, ætatis ſuæ doctiſſimus, cui nec ſequentes omnes parem ferent aut videbunt, ut nec tulerunt priores. *Cl. Salmaſ.* ad *Joan. Beverovicium, Leydæ* Non. Decemb. 1652.

Vir tantus, cujus nomen nunquam mihi occurrit, quin illud venerer. *Herald.* Animadverſ. in *Salmaſ. l.* 2. *c.* 19.

Scaligerana Manuſcripta, curioſus admodum eſt liber, ſed aliquantum periculoſus. Trigeſimus eſt annus ex quo illum exſcribendum curavi ex Autographo, quod mihi commodarunt Domini *du Puy* qui intimi Amici mihi fuerunt & honeſti viri. En qua ratione compoſitus fuerit: Juvenis quidam nondum vigeſimum ætatis annum aſſecutus, nomine *Iohannes* de *Vaſſan Campanus Hugonottus* qui *Genevæ* ſtuduerat, literas commendatitias à magno *Caſaubono* Pariſiis accepit ad *Joſephum Scaligerum* & in *Hollandiam* conceſſit. *Iohannes* ille de *Vaſſan* nepos erat Dominorum *Pithou Scaligeri* amiciſſimorum, quem ſingulis hebdomadibus viri Docti conveniebant. *Iohannes* de Vaſſan attentè audiebat & ſcriptis mandabat quæcunque dicebat Scaliger. Hunc ortum habuit liber ille qui hodie in Regia Bibliotheca extat. *Iohannes* de *Vaſſan* è ſua peregrinatione redux *Miniſter* factus eſt, deinde procurante *Cardinali Perronio* & amplæ penſionis annuæ illectamento, Catholicam Religionem amplexus eſt. Sed penſione poſtea non procedente, *Fulienſis Monachus* factus eſt, & antequam in Abbatiam illam ſe reciperet, Domino *du Puy* hoc Manu-ſcriptum dono dedit. *Guido Patin* Epiſt. 154. Gall.

Non minor Parente filius *Ioſephus Scaliger*, cujus & extant *Epiſtolæ*. Ejus Viri maxima ſunt in rem literariam merita, qui velut Pater quidam literarum per univerſam *Europam* ſalutandus eſt. Ex ejus ludo prodierunt, quos *Batavia* habuit, Viri Illuſtres. Ejus *Epiſtolæ* eruditione omnigenâ pleniſſimæ ſunt; præter dictionem enim terſam & argutam proponuntur illic *Philologica*, *Medica*, *Mathematica*, *Chronologica*, & quæ ad Orientalem literaturam pertinent; judicia multa de viris doctis, de libris, quæ legere, quæ excerpere debent harum rerum

 curioſi,

Digitized by Google

curioſi. *Dan.Georg.Morhof.*Polyhiſt.pag.288.

In *Criticis* omnium rectè æſtimantium judicio princeps ſine controverſiâ, ſine æmulo ac rivali dominatur. *Baud.* orat.in obit.*Scalig.*

Quales olim fuere *Reuchlini*, *Merceri*, *Vatabli*, *Pagnini*, &c. & non ita pridem magnus ille *Scaliger*, quem ultimum in ſcenam produco, quòd tanquàm *Aquila* in *nubibus* & orbis *literati* Imperator, ac eruditionis princeps, reliquis palmam præripere & apicem ſummæ laudis obtinere videatur, ita in *Hebrais* non ad ſtuporem, ſed ad miraculum doctus. *Jac.Cruc.* ad *Lud.* de *Dieu*, *Delphis* 8. Kal. Sext.1631.

Inter eos qui linguæ *Hebraica* ſtudio ſummoperè delectati ſunt; fuit *Ioſ. Scaliger* ſingulare *Leydenſis Academia* haud ita pridem decus, qui quantum ejus cognitione & ſibi & aliis profuerit, immortalitate digniſſimo ejus Opere de *emendatione temporum*, ut de aliis taceam, abundè teſtatur. *Thom.Erpenius* Orat. de Ling.*Heb.*& *Arab.*

Cùm illuſtriſſimum *Belgii* lumen & *Hiros* incomparabilis *Ioſ.Scaliger* (ô quæ profuſiſſimæ lachrymæ tantum literarum decus, tantam prudentiæ affluentiam, morte in uno illo extinctam ſatis dignè unquam deflere poſſunt) ad hanc *Hebraiſmi* reſtaurationem me pro illuſtri ſua humanitate cohortatus ſit, debui tanti *Herois* judicium magnifacere. *Buxtorf.*Pater ad *Holland.* Ord. in Theſ. Gram. Ling. S.1609.

Incomparabilis *Scaliger*, invidorum ſcopulus, eruditorum ſcopus, ad cujus literariam qui proximè acceſſerit gloriam, ille cæterorum ſit eruditione Princeps. *C.Barth.*in *Claud.*p.77.

Cujus incomparabilem eruditionem, ingenium ſupra mortales, prius defeſſi ſunt homines laudando [*uſurpabo illud Saluſtii ad Caſarem*] quàm ipſe gloriâ digna faciundo. *Ioh.Wouverius* in *Petron.* p.375.

Eo fuit ingenio, ut fucum ſibi fieri à quocunque tandem vetuſtiſſimo Veteratore & mangone non facilè pateretur. *Rupert.*cap.2. Obſervat.ad *Beſold.* hiſt.

Decus æternum ævi ſui: Vir aut heros potiùs, & quidem Heroe magno ſatus, in tantum laudandus, in quantum virtus & meliores literæ poſſunt intelligi: quarum ille δαιμόνιος ἀνὴρ, magnitudinem, amplitudinem, majeſtatem, denique pœnè ſolus quum animo viderit, ingenio fuerit complexus, divinâ & ſine exemplo felici induſtriâ, per totum vitæ curriculum benè de iis mereri nunquam ceſſavit. *Iſaac.Caſaub.*in *Ænea Tactica* pag.91.ubi ejus obitum deplorat.

Euſebium Scaligeri legi, & ita ſum admiratus, ut nihil ſimile putem me legiſſe. *Iſ.Caſaub.*ad *Joan.Vaſſanium* epiſt.811.

Sanè unicus libellus contra *Serarium* tantâ doctrinæ reconditæ copiâ eſt refertus, ut omnes inimici *Scaligeri*, ſi in unum conveniant, & capita conferant, parem librum nunquam ſint daturi. *Idem* Lit. ad *Thuan.*

Author Novellarum *Reipublica literaria* Junii 1684. arrepta occaſione ab erroribus quos in *Scaligeri Catullo* obſervavit Dom.*Voſſius* junior, ait illum nimis excelſi eſſe ingenii nimiſque eruditum quàm ut bonum Commentarium elaborare poſſet. Nam ex ingenii acumine apud Authores quos commentabatur plus

artis

artis & genii deprehendebat quam reverà iis ineſſet, & profunda ejus literatura in cauſa erat, cur mille relationes videret inter *Authoris* quem legebat ſententias & aliquod Antiquitatis reconditiſſimæ caput. Adeo ut ſibi perſuaderet Authorem ſuum ad ejuſmodi Antiquitatis caput alluſiſſe,& hoc fundamento ſuppoſito locum aliquem emendabat. Fieri etiam poteſt ut cupido elucidandi Myſterium aliquod eruditionis cæteris *Criticis* ignotum,ipſum impelleret ad ſupponendum quod id hoc vel illo Authoris loco lateret. Ut ut ſit *Commentaria* ab eo profecta conjecturis audacibus, ingenioſis & eruditiſſimis ſcatent: ſed parum veroſimile eſt quòd Authores de iis omnibus quæ ipſis affingit cogitaverint.p.532.533.Gall.

Ioſephus Scaliger, ut aliis in *Republ.Litteraria* meritis clarus, ita non inficiandi nominis Poeta fuit------Equidem nubilus eſt in *Caſſandra*,nubilus in *Orpheo*, ſed ſtudio id factum, ut tenebricoſa *Opera Græca* oſtenderet reddi poſſe *Latinâ* etiam caligine, in quâ tamen multum antiquæ lucis, ſi quis intentiùs ſpeculetur. *Borrich.*de Poet.p.118.119.

Jeſ. *Rapinus* teſtatur nec *Iulium*,nec *Ioſephum Scaligerum* in poeſi felices fuiſſe,eo quod ſerò nimis inceperint. Dicit illos non potuiſſe vincere pertinaciam genii ſui qui jam alioſum ſe converterat;& quamvis filius Patre cultior fuerit,nihil tamen illum *in ſua Poeſi venuſtum* habuiſſe. *Rapin.* Animadv. general. in Poetic.Animadv.40.p.123.124.edit.in 4.Gall.

Deriſio & Contradictio ejus eſſentiæ partem conſtituebant. Niſi enim in quibuſdam ſingularis fuiſſet, in omnibus verò peremptorius, neque *Scaliger* fuiſſet, neque *Iulii* filius. *Petr. Heyl.*in ſua Coſmographia.Angl.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

* *Ioſephi Scaligeri* liber de *Emendatione Temporum* prohibetur, donec emendetur.Ejuſdem Epiſtolæ, donec corrigantur, non permittuntur. *Index. Rom.* impreſſ.An.1681.

Hoc ejus *Epitaphium.*

Æternæ Memoriæ Joſephi Juſti Scaligeri Jul. Cæſaris *à* Burden *Fil. Principum* Veronenſium *Nepotis,Viri, qui invicto animo unà cum Parente Heroe Max. contra fortunam aſſurgens; ac Ius ſuum ſibi perſequens, Imperium Majoribus creditum ingenio excelſo, labore indefeſſo, eruditione inuſitata, in Literaria Republicâ, quaſi fataliter recuperavit;ſed præſertim ejus Modeſtia, quod fieri ſibi vetuit, iidem, qui in urbem hanc evocarunt, Curatores Academiæ, ac Vrbis Coſſ. Hoc Loco Monumentum P. C. ipſe ſibi æternum in animis Hominum reliquit. Obiit XXI. Ianuarii MDCIX.*

HENRICUS STEPHANUS.

P*Ariſinus*, Filius *Roberti*, Typographus celebris, eruditione inter primos ſui Seculi. Juvenis ex *Italia* reverſus, *Anacreontem* cum notis edidit, & verſibus *Latinis* expreſſit. Πολύγλωττος excellens, *Scripta* in omni literarum genere edidit in lucem, inter alia & *Gallicæ* Linguæ cum *Græca* conformitatem, tractatu *Regi* Clar. An. D. MDLXXX.

Kkkkk 2 dedicato,

dedicato monſtravit.]De publico impenſè meritus. *Apologia* ejus pro *Herodoto* quibuſdam ingrata eſt. Majoris ſecuritatis cauſâ *Genevam* ſe recepit, unde ſæpè excurſiones faciens, anno 1598. ſeptuagenarius ferè, *Lugduni* obiit. *Hofman.*

Henricus tanto patre digniſſimus filius. Typographicam non ſolùm poſteà exercuit, ſed multa ad juvandam rem literariam propriâ induſtriâ contulit, inter alia edito, æmulatione patris, qui linguæ *Latinæ* penum olim condiderat, *Linguæ Græcæ* copioſiſſimo & multorum *Principum Gazis* præferendo Theſauro. *Thuan.* ad Ann. 1559.

Viri doctiſſimi, & in cognitione *Sermonis Græci* planè ſubacti, *Henricus Stephanus* & *Euſtathius. Tanaquil. Faber.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 18.

Erat in eo viro (*Henrico Stephano*) ſumma ingenii fœcunditas, & ſivè *Græcè* ſive *Latinè* ſcriberet, utriuſque linguæ uſus & facultas omnium paratiſſima. *Samarthan.* in Elog.

Henricus Stephanus inter omnes literarum principes ac Heroas, qui ſuperiori ſæculo *Helleniſmi* ſtudio, *Græcæ*que Linguæ cognitione claruerunt, ut in omni *Græcâ* literaturâ meritò primas obtinuit, ita & in *Poëſi Græcâ*, & inprimis *Homericâ* verè φερώνυμος, *Coronam* adeò aliis omnibus, *lauream*que præripuit. *Duport.* præfat. ad Metaph. Pſalm.

Henricus Stephanus ex omnium confeſſo non modò inter cognatos, ſed etiam inter omnes *Typothetas* qui hactenus claruerunt eruditiſſimus fuit. Fatendum tamen eſt Hebræorum illo callentiorem fuiſſe Patrem ejus, & filii impreſſiones Paternis longè inferiores eſſe, cùm quoad characterum concinnitatem & pulchritudinem, tùm quoad accurationem ipſam. Cùm enim vellet omnes Authores, *Græcos* verò cumprimis à ſe evulgandos, propriis ſuis manibus correctionis reſpectu, & ut Notas iis adjiceret, pertractari, nimis præcipitanter procedebat, ne bina Typographii ſui præla quandoque feriarentur: quapropter exemplaria reviſere & examinare nullatenus ipſi vacabat. *Judicia* Eruditorum per *Baillet.* Pariſ. 1685. Gall.

Scripſit de Linguæ *Gallicæ* cum *Græcâ* cognatione *Henricus Stephanus*, author immortalis operis, quod *Theſaurum Linguæ Græcæ* indigitavit. Ut autem erat ille vir in omni literaturâ meliore conſummatiſſimus, *Linguæ* autem *Græcæ* vel ad miraculum peritus, ita hoc opere defunctus eſt. *Meric. Caſaub.* de 4. Ling. p. 192.

Fruſtra laborant *Gerionius*, *Henricus Stephanus*, & alii in *Gallicæ* Linguæ ex *Græcâ* repetendâ origine ac utriuſque cognatione probandâ, quaſi res ita ſe haberet, cùm certiſſimum ſit, & *hanc*, & *Hiſpanam*, *Italam*que à *Latinâ Romanâ*que corruptâ fluxiſſe. Hinc non mirum ſi ſæpiſſimè ineptiant in ſuis *Etymologiis* frigidiſſimis. *Scaligeran.* 1. p. 99.

Importunum iſtum correctorem Scaliger appellat *Henricum Stephanum*, qui omnes quotquot edidit libros, ſuo arbitrio corrupit. *Scaligerana* ibid. p. 69. & 81.

Henricum Stephanum planè *Interpretem* audeas dicere: eximia in reddendis verbis diligentia; ſumma in exponendis ſententiis accuratio; mira in Charactere exprimendo felicitas, inſignis ad hæc perſpicuitas, pari concinnitudine conjuncta. *Huet.* de Clar. Interpret.

Mirificam

Mirificam de ſe famam admodum juvenis excitavit, cùm ex *Italiâ* reverſus *Anacreontem* Poetam *Græcum* anno 1554. primus evulgaſſet. *Acta Erudit.* Kalend. Maii 1684.

Henricus Stephanus Roberti filius, probus Adoleſens, ac *liberali* doctrinâ ſupra ætatem inſtructus, *Anacreontis Carmen* mihi dedit inventum à ſe fortè (ut aiebat) in *antiqui* libri tegmine. *Petr. Victor.* Var. Lect. l. 20. c. 17.

Dominus *Colomies* refert nobis, *Scaligerum* habuiſſe *Anacreontem* in quo propria manu notaverat, quod *Henricus Stephanus* verſionis Odarum hujus Poetæ non fuerit, author, ſed *Ioh. Doratus. Paul. Colomies.* Opuſc. p. 109. Gall.

Henricus Stephanus edidit *emendationes Lud. Carrionis* in *Agellium* tanquam ſuas. *Phil. Carol.* Animadverſ. in *Agell.* l. 1. c. 6. Animad. 3.

Nihil *laborum* unquam pejus ceſſit *Henrico Stephano*, quàm ſcripta pro *Herodoto Apologia.* Iſto quippe libro cùm graviſſimè in ſacrum *Cucullatorum* ordinem peccaſſe judicaretur, ignibus fuiſſet expiandus, niſi imminenti periculo ſe ſubduxiſſet. *Stephano* itaque fugâ ſibi conſulente, & in nivoſis *Arvernia* montibus latitante, cremata à *tortore*, *effigies* pro ipſo pœnas luit. Unde jocabatur ſæpè, ut erat ingenio cavillator: " Nunquam ſe magis riguiſſe, quàm cùm *Pariſiis* uſtularetur. *Tollius* de Infelicitat. Literat. p. 87:

Henricus Stephanus Gallicè, ſi coævorum quiſquam, benè ſcribebat, ut illud comprobavit Diſſertatione de vita *Catharinæ Medicæ*, quæ peritum artis Magiſtrum ſapit, juxta ſententiam novi Tranſlatoris *Fratris Pauli.* Linguam patriam tam eleganter loquebatur, ut *Henricus III.* ipſi mandaverit Diſſertationem de *Gallicæ linguæ præcellentia* conſcribere. Novellæ *Gallicæ* Reip. literariæ Martii 1684. p. 92. 93.

Henricus Stephanus non minus inordinatum in moribus, quàm eruditum in ſcriptis ſuis ſe præbebat. Moroſus & ruſticanus erat, & cùm propriam filiam, tum generum ſuum doctum *Caſaubonum* averſabatur. Librum contexuit de *Latinitate Lipſiana* ubi de bello adverſus Turcas unicè loquitur, quod ita ridiculum fuit exiſtimatum, ut quidam feſtivè huic inſcriptioni duo vocabula attexuerint. De Latinitate Lipſiana adverſus *Turcam. Ant. Teiſſier.* Elog. Gall.

* *Henricus Stephanus* inter *Hæreticos* primæ Claſſis locum habet in *Indice Tridentino.*

Carmina ejus habentur Tom. 3. *Delit. Gall.* p. 837.

Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

FRIDERICUS SYLBURGIUS.

GErmanus, natus eſt *Wetteræ.* Obiit *Heidelbergæ* anno Dom. 1596. ætatis 60. Erat in *Græcâ* literaturâ inſigniter verſatus. *Græcos* Scriptores complures emendavit, & quàm caſtigatiſſimè edidit, *Herodotum* puta, *Clementem Alexandrinum*, *Dionem Caſſium*. *Juſtinum Martyrem*, *Theodoretum*, &c. *Etymologicon Græcum* magnum à mendis repurgavit, & perpetuis notis illuſtravit. *Henricum Stephanum* in concinnando *Græcæ* Linguæ *Theſauro* egregiè adjuvit. Ob Clar. An. D. MDLXXX.

Digitized by Google

hanc operam & alia merita à *Marpurgenſi* Academiâ annuum ei ſtipendium, de Principum *Haſſiæ* ſententiâ, conſtitutum eſt. *Konig*. in Biblioth.

Vir optimus, doctiſſimus, & de bonis literis benè meritus--Fuit verè vir eximius, humilis, induſtriæ incredibilis, candidus & apertus. In *Editionibus* ipſe ingenuè profeſſus ſemper eſt, quorum operâ ac laboribus ſit uſus, additis etiam nominibus ad quorumcunque Symbolas: ut ſua cuique conſtaret gratia. *Henricum Stephanum* egregiè juvit in comportando *Theſauro* Linguæ *Græcæ*, adeo ut potiſſima pars ejus labore conſtet. *Melch. Adam* in vit. ejus.

Fridericus Sylburgius quàm plurima *veterum*, præſertim *Græcorum*, Scripta partim jam edita, denuo recognita, ac variis lectionibus, Notis, Indicibuſque illuſtravit; partim primùm ipſe ſummâ curâ adhibitâ publicavit: eoque nomine magnam ab omnibus, qui rei literariæ conſultum cupiunt, & à poſteritate non ingratâ inivit gratiam; eoque majorem meruit laudem, quòd in tam laudabili publicæ utilitatis promovendæ ſtudio aſſiduus propriam gloriam contemnere viſus eſt. *Thuan.* ad an. 1596.

Fridericus Sylburgius vir *Græcè* doctiſſimus. *Meibom.* Mecœnas. c. 26.

Vir eruditionis ac induſtriæ ſingularis. *Quenſted.*

Sylburgii Grammaticam *Græcam* magni æſtimat *Voſſius* præfat. in *Clenardi* Gram. *Græc.*

Friderico Sylburgio, Veterano, quanti auctores, quà *Græci* quà *Latini*, quà *Sacri*, quà *Seculares*, vitam ſanitatemque debent! De cujus viri incredibili & indefeſsâ diligentiâ induſtriâque ſatis ex merito dici non poteſt. Vivet ille, quamvis *Heidelbergæ* ſuperiore anno mortuus, vivet perpetuò, in ſuo *Ariſtotele*, in *Dionyſio Halicarnaſſeo* in voluminibus *Hiſtoricis*, in *Clemente Alexandrino*, in *Juſtino Martyre*, in *Theodoreto*, in aliis. *Sciopp.* de Art. Crit. p. 17. 18.

Sylburgius obiit; ô factum male! ô gravem Reipublicæ literariæ jacturam! En quo ſpes mortalium redeant: Nam paucis ante diebus per *Commelinum* mihi ſignificatum erat de multis ipſius cœptis & inchoatis laboribus. Habent *Græcarum* literarum amantes quod doleant. *Caſaub.* Epiſt. 48. ad *Iac. Bongarſium.*

Sylburgius Theſauro Græco Henrici Stephani operam commodavit. *Sylburgii* & *Commelini* editiones ſollicitè exquiruntur. Scalig. 2. Gall.

Fridericus *Sylburgius* inter doctiſſimos ſeculi viros cenſebatur quoad *Græcam* linguam & reliquas humaniores literas. Grammatica ejus *Græca* in magno pretio habetur, & *Rami*, cujus Sectator erat, methodum in illa ſervavit. Judicia Eruditor. Pariſ. 1585. per *Bailletum.* Gall.

* *Friderici Syburgii* Opera, ſi expurgentur, permittuntur. *Ind. Madrit.* edit. ann. 1667.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

FRANCISCUS TOLETUS.

Flor. A.D. MDLXXX. NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Cordubenſis*, humili loco natus eſt Anno 1532. Obiit anno 1596. Primus omnium ex Societate *Ieſu* in Collegium *Cardinalium* cooptatus eſt.

Primus memorabitur *Franciſcus Toletus Cordubâ* utriuſque *Senecæ* cunis no-

biliſſimâ *Bætica* civitate, cæterum humili loco natus; qui animi virtutibus & ſedulâ inſtitutione, quod ipſi à natalibus deerat, ſupplevit. *Salmantica* brevi nomen adeptus magnum, ita ut Philoſophiæ profeſſor prima adoleſcentia fuerit, quod non niſi jam ætate provectâ alii conſequuntur. Poſtea pietatis ſtudiis cùm ſe totum devoviſſet, *Jeſuitico* ſodalitio, quod illo tempore paſſim in *Hiſpaniâ* & præcipuè *Salmanticæ* florebat, nomen dedit, & *Romam* evocatus gymnaſio cùm aliquot annis præfuiſſet, à Sacris concionibus *Pio* V. poſt *Benedictum Palmium* & *Alfonſum Salmeronem* fuit, & magnis negotiis pertractandis *Jo. Franciſco Commendono* Cardinali in *Germaniam* ad *Maximilianum* Cæſarem, & *Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ* Regem, ut de Sacro fœdere contra *Turcas* icendo ageret, legato comes additus non minorem prudentiæ, quàm anteà eruditionis ac pietatis laudem meruit. Dein ſub *Gregorio* XIII. magnis negotiis diſceptandis adhibitus fuit, & ſub *Sixto* V. Bibliis recognoſcendis operam navavit, ac tandem à *Clemente* VIII. *primus* ex eâ *Societate*, in Collegium Cardinalium cooptatus eſt. Ante triennium in negotio de Regis cum *Sanctâ ſede* reconciliatione admodum promptam & egregiam navavit operam, ac tandem hoc anno 1596. 18. Kal. Oct. in palatio *Vaticano* placidè ad Deum migravit 74. annum ſupergreſſus, & ad S. *Mariæ* majoris marmoreo tumulo à Baſilicæ illius ſodalibus, quibus pecuniam ad pios uſus legaverat, honorificè conditus eſt. *Scripſit* multa, quorum præcipua ſunt, quæ in *Ariſtotelem*, deinde in *Ioannem*, *Lucam*, & Epiſtolam ad *Romanos* edita ſunt. Conciones ab eo habitæ & ſcriptis poſteà mandatæ nondum lucem videruntur. *Thuan.* ad Ann. 1596.

Vir fuit doctiſſimus, & cùm aliis, tum verò Philoſophicis ac Theologicis literis ornatiſſimus. *Salmanticam* à primis annis cupiditate literarum profectus, *Dominicum Sotum* habuit inter cæteros Doctorem, qui *Toletum* propter ingenii excellentiam, *Prodigium* appellare conſueverat. A *Pio* V. Pont. Max. anno ſalutis 1569. accerſitus eſt, ut in ſacro Palatio *Concionatoris* munus obiret; Quod tantâ cum laude præſtitit, ut per totos 24. annos apud *Pium* ipſum V. *Gregorium* XIII. *Sixtum* V. reliquoſque ſuccedentes *Pontifices*, maximo Cardinalium, Prælatorum, Oratorum, & Clariſſimorum Virorum concurſu verba fecerit, & Auditorum animos in admirationem adduxerit; non tam verborum elegantiâ, quàm ſententiarum gravitate, reconditæ doctrinæ excellentiâ, Ordinis diſpoſitione, ingenii perſpicuitate ac magnitudine. *Phil. Alegambe* de Scriptor. *Soc. Jeſ.*

Martinus Navarrus eum vocat, excellentem Sacræ Paginæ Doctorem, & acerrimum Gymnaſtam, Eccleſiaſten cum primis urbis & orbis ſuſpiciendum, ſocietatis *Ieſu* ornamentum.

Andreas Eudemon Iohannes, ejus eruditionem, ingenium, ſolertiam, ait, orbem terrarum ſemper miraturum.

Andreas Victorellus hæc de *Toleto* inter multa alia ſcribit. 'Revereor Cardina-
"lis *Toleti* nomen, admiror in Divinâ, humanaque Philoſophia, atque in *Sacra-*
"*rum Literarum* libris explicandis præſtantiſſimum viri ingenium, præſtantiſſi-
"mam eruditionem. Admiror aureum, ſacrumque, quale Veterum Sanctorum
"Patrum, in concionibus eloquentiæ flumen; ſingularem in rebus agendis pru-
" dentiam,

'dentiam, incorruptiſſimos benè inſtitutæ vitæ mores *Cardinalis* optimè de Ca-
'*tholicâ Fide* & Religione meriti.

Ferdinandus Ughellus eum appellat, virum ad *Chriſtianæ Reip.* beneficium natum, propter religioſiſſimæ vitæ exemplum, prudentiam, ſummamque doctrinam longiori vitâ dignum.

Eorum, qui de rebus divinis, & ad æternam ſalutem pertinentibus, ad ſummos Pont. & ampliſſimum purpuratorum patrum conſeſſum verba fecere, *Franciſco Toleto Hiſpano*, è Soc. Jeſu, omnium præſtantium judicio virorum conceſſu, palma tribuitur. Nemo enim inventus eſt adhuc eo theatro dignior; nemo, qui aptius ad eorum, quibuſcum illi res erat, perſonas loqueretur; nemo, qui illi prudentiâ, doctrinâ eloquentiâque anteſtaret, non hâc elegantulâ, & in morem mulieris comptâ, ad aucupium aurium, imperitorum præſertim accommodatâ, ſed illâ forti, ac virili. *Ian. Nic. Erythræus* in Pinacoth.

Franciſcus Toletus, vir cæteris honeſtior, & dignitate præcipuus, ac præcellens doctrinâ, omnique inter *Ieſuitas* exceptione major. *Molinæus* de Monarch. Tempor. Pont. Rom. c. 4.

Multa *Toletus* ſcripta edidit, multos in *Sacras Literas* eximios *Commentarios* conſcripſit, in quibus nullum, quod ſciam, Doctrinæ *Hildebrandicæ* veſtigium, niſi fortè leviter impreſſum, apparet. Memini cùm ante annos viginti & quod excurrit, *Toleti* in *Evangelium Ioannis* Commentarii ad *Theodori Bezæ* manus primùm perveniſſent; qui tum forte eundem divinum *Evangeliſtam* in publicis lectionibus exponebat; virum illum, ut erat doctiſſimus pariter & doctorum candidiſſimus æſtimator, impensè *Toleti* illud opus mihi in privato colloquio laudaſſe. Et meritò. Nam in ejus *Scriptis*, quæ legi, cum excellente rerum Philoſophicarum & Theologicarum notitiâ par certat modeſtia; quæ judicio meo tum in alio quovis Scriptore, tum in *Theologo* potiſſimùm, laus eſt vel præcipua. Ac licèt non negaverim, *Toletum* in ornando *Romano* Pontifice admodum liberaliter aliquandò agere: Nova tamen portenta Sententiarum, qualia *Bellarminus* è fœcundo ſuo pectore multa promiſit, apud illum non invenies. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. 624. ad *Frontonem Ducæum*, p. 725.

Toletus *in* Joannem bene ſcripſit, nemini obtrectat. Scaligerana *poſterior*.

Extat ejus in *Pſalm.* 17. Commentarius, *Ven.* 1602.

Extant in *Pſalm.* 31. Sermones *Col.* 1600. *Mog.* 1604.

Extat in *Lucæ* cap. 12. pr. Commentarius, ſupplementum in reliqua dederunt *Patres ejuſdem Soc.* fol. *Romæ* 1600. 4°. *Pariſ.* 1600. 4°. *Venet.* 1600. fol. *Venet.* 1601. fol. *Col.* 1611. & aliis vicibus.

Extant in *Ioan.* Commentaria, fol. *Romæ* 1588. 1590. *Lugd.* 1599. *Col.* 1599. 1611. 4°. *Brixiæ* 1604. *Lugd.* 1615. 4°. *Venet.* 1589.

Extat in Epiſt. ad *Romanos* Comment. 4°. *Mogunt.* 1604. 4°. *Venet.* 1602. & *Rom.* itidem.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ejus Epitaphium, *Romæ* in S. *Mariæ* Majoris.

D. O. M.

Franciſco Toleto Cordubenſi *S.R.E.Presbytero Cardinali, ſummo Theologo, Verbi Dei Prædicatori eximio, in rebus magnis agendis conſilio & prudentiâ ſingulari, qui ob excellentem virtutem & merita præclara* Clementis *VIII. Pontificis Max. judicio primus in Societatem* Jeſu *ampliſſimam dignitatem intulit. Vixit annos 73. menſes* 11. *dies* 10. *Obiit anno* 1596. *die* 14. *Septembris Sanctæ Dei genitrice hærede inſtitutâ, Presbyteris, qui ad ejus altare Miſſas celebrant, cenſum perpetuò attribui juſſit.* Benedictus Juſtinianus & Petrus Aldrobandinus *Cardinales Executores Teſtamentarii Collegæ optimo, Capitulum & Canonici hujus Baſilicæ Viro Ampliſſimo & optime de ſe merito poſuerunt.*

LÆVINUS TORRENTIUS.

Patriâ *Gandavenſis*; cùm literarum tyrocinium in pueritiâ *Lovanii* feciſſet, *Bononiæ Juris Civilis* & melioris Antiquitatis cognitionem non vulgarem adeptus eſt; doctiſſimorum virorum, qui tunc in *Italiâ* florebant, *Patavii, Romæ, Venetiis* conſuetudine uſus, ingeniumque in pangendis verſibus præcipuè exercuit: Domum reverſus ab *Everardo Marciano* Cardinali *Leodicenſi* Epiſcopo ob ſingularem eruditionem cum ſummâ morum probitate conjunctam in familiam aſcitus, & honorifico ſacerdotio donatus. Demum variis legationibus ſummâ cum prudentiæ laude defunctus, poſt *Franciſcum Sonnium* primum *Antverpiæ* Epiſcopum, eâ dignitate (poſt receptam à *Parmenſi* urbem) ornatus eſt, in eoque munere ſeptuagenario major deceſſit 6. Kalend. Maias, Anno 1595. *Thuan.* Clar. An. D. MDLXXX.

Scripſit Comment. in *Horatii* Opera---Comment. in *Suetonii Cæſares*----Poëmata varia---De Bello *Turcico.*

Vir Sacrâ liberalique doctrinâ ad miraculum uſque excultus fuit, ac *Lyrici* carminis poſt *Horatium*, vel ipſorum *Italorum* judicio, princeps habendus. Hiſtoriam *Romanam* mirificè illuſtravit, & commentarium eruditum in *Suetonii Cæſares* iterum evulgavit. *Horatium* quoque inſigni ac copioſo Commentario ab ipſo illuſtratum *Andreas Schottus* poſt mortem edidit. *Ant. Sander.* de *Gandav.* Erud. Clar.

Lævinus Torrentius vir clariſſimus, & de *Suetonio* nuper, olim de univerſâ antiquitate optimè meritus. *Lipſ.* Elect. l. 1. c. 11.

Torrentius vir non in omni re literariâ ſolùm, ſed in Poeſi (quod mihi quidem eximium eſt: Qui ſcio Poetam præſtantem neminem fuiſſe ſine parte quadam uberiore divinæ auræ) magnus, vel potius ſummus. *Lipſ.* ibid. l. 2. c. 17.

Digitized by Google

Efferant *Bembos*, *Pontanos*, *Flaminios Itali*, attollant cæteri ſuos. Nos *Torrentium*, vel ipſorum *Italorum* judicio, *Lyrici* Carminis poſt *Horatium* principem laudemus, qui perennis perpetuique *Torrentis* inſtar, ſacra carmina ad extremam uſque ætatem mirâ ubertate profudit. *Miraus* in Elog. *Belg.*

Eruditio in *Torrentio* elucebat varia, Hiſtoriæ, Philoſophiæ, rerum Divinarum humanarumque cognitio ſingularis: Eloquentia à natura fluens, ſed aucta ſtudio & uſu legationum. Poëta adhæc fuit excellens; adeoque *Catholicæ* fidicen & princeps *Lyræ* meritò audiebat, Carmen quippe pangebat ſonorum, purum, & *Horatio* ſimillimum. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Quem ego hominem (*Torrentium*) ob egregiam doctrinam, morumque probitatem mirificè diligo. *Latin.* in lit. ad *Archiep. Moguntinum*, dat. 11. Kal. Decemb. 1556.

Torrentius bene ſcripſit in *Suetonium*; *Torrentius* Epiſcopus *Antverpienſis* fuit doctus & bonus. *Scalig.* poſterior.

In Philologicis quid præſtiterit *Torrentius*, me tacente vociferatur *Suetonius*, ab ipſo editus, & Commentariis illuſtratus. *Sciopp.* de Art. Crit. pag. 15.

Adolphus Occo ſcribens ad *Amerbachium* de illo verbis admodum inurbanis loquitur, quibus oſtendit ſe illum non cognoviſſe. Cenſet illum ad *Antiquitatum* notitiam animum leviter appuliſſe, in quo non minùs hallucinatur, quàm cùm aſſeverat Commentarios quos in Suetonium nomine ſuo excudendos curavit, ab illo concinnatos non eſſe. *Judicia Erudit.* Pariſ. 1685. per *Bailletum*. Gall.

Extant Poemata varia. *Antverpiæ* ap. *Plantinum* 1594. 8°.
Extant Comment. in *Suetonium* ibid. 1592. 4°.
Extant Comment. in *Horatii* opera. Ibid. ann. 1607. in 4°.

Obiit *Antverpiæ*, ibidemque ſepultus cum hâc inſcriptione:

D. O. M.

Levinus Torrentius *Patriâ* Gandavenſis, *literis & legationibus*, *domi, foriſque ſpectatus*, *ex Archidiacono*, & Leodicenſis *Principis vicario generali*, 2. Antvverpienſium *Epiſcopus*. 3. Machlinenſium *Archiepiſcopus*, *deſignatus*, *Collegii Soc.* Jeſu *apud* Lovanienſes *fundator*, *ad rerum ſtatus Belgici Concilium adſcitus, dum præcipitantem Remp. fractis viribus, animo infracto*, *conſiliis ſuſtento* Bruxellæ *diſceſſit 6. Kal. Maias* 1595. *Vixit annos* 70. *M.* 1. *D.* 18.

MICHAEL

MICHAEL MONTANUS.

GAllus, nobilis *Petrocorius*, à Patre ſummâ curâ educatus, *Latinam* linguam ante vernaculam, ab erudito quondam *Germano*, ipſi à primâ infantia admoto, hauſit. Præceptores habuit *Nicolaum Gruchium*, qui de *Comitiis Romanorum* ſcripſit, *Gulielmum Guerentium*, qui Commentariis *Ariſtotelem* illuſtravit, *Georgium Buchananum* & *M. Antonium Muretum*. *Græcam* linguam per ludum addidicit, inſtrumentorum Muſicorum ſono quotidie è ſomno excitatus. Obiit an. 1592. ætatis 59. *Hofman.* Clar. An. D. MDLXXX.

Michael Montanus, mihi ſtudiorum & voluntatum conſenſione conjunctiſſimus. Vir libertatis ingenuæ: Quam *conatus* ejus [ſic enim immortalia ſui ingenii monumenta indigitavit] ad omnem poſteritatem teſtabuntur. *Thuan.* ad ann. 1592.

Thales ille *Gallicus Michael Montanus* ſcripſit librum *Gallicum Guſtuum* titulo: probum, ſapientem, & valdè ad meum guſtum. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 43.

Cùm fide remiſiſti *Montanum* meum, an noſtrum potius, quia vos quoq; eum amatis. Profectò vir ille magnus eſt, & factus ad Mores judiciumque formandum, ſed maximè ad robur animis ingignendum, ſine quo quid niſi fluctus hæc vita? Aſſiduè in metu, ſpe ſumus, & ab omni undâ cupidinum rapimur: firmat hæc *ſapientiæ Anchora*, quam ille navigio noſtro aptat. *Idem* Epiſt. Cent. 2. ad *Belgas*, Epiſt. ad *Remaclum Robertum.*

Magnam *Montani* eruditionem teſtantur elegantes illi & ingenuâ loquendi libertate non minus quàm doctrinæ varietate amabiles *Miſcellaneorum* libri ab eo *Gallicè* conſcripti, quos titulo ſanè ſuperbiore dignos modeſtiſſimè *Conatus* appellavit. Quantam porro ſibi pepererit ex illius pulcherrimi operis editione vel apud exteras nationes eruditionis & ſapientiæ opinionem tum patuit, cùm ipſa illa *Roma*, quæ inter omnes totius orbis terræ *Civitates* principem ſibi locum vendicat eum ultrò in *Civium* ſuorum numerum allegit atque cooptavit. *Sçav. Samarthan.* in Elog. *Gallor.*

Quanto in pretio ſemper habita ſint Scripta *Montani*, inde judicium facere licet, quòd eorum *Editio* toties repetita ſit: Malus enim liber vetuſtatem non perfert. Nec verò ſine ratione, aut felicitate quadam Genii ſolùm, ſcriptor iſte tantam meruit famam. Nam præter alia multa, quæ ex ejus lectione haurire licet, attenti lectoris judicium maximè format, & inſtruit. Quo nomine inter aliquot *Scriptores*, quos *Gallia* tulit, præcipuè numerandus, &, ſi fas dicere, primariis illis, qui de *moribus* antiquitùs ſcripſere, quodammodo accenſendus venit. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 3. Epiſt. 22.

Dum *Montanum* hîc ſapientem prædico, ſimul recordor judiciorum, quæ vehementer diverſa vel potius adverſa patitur vir ille: Aliis ejus ingenium, ſtylum, judicium laudibus ad cœlum extollentibus; quibuſdam humiliter deprimentibus & pene nullo çenſu cenſentibus. Hoc in eo putidum nimis,

puerilis jactantiæ eſt, quòd toties delamentatur ad nauſeam & irriſum legentis, quàm ſit labili ac nullâ prorſus memoriâ: Cùm domeſtico teſtimonio ipſe ſibi fidem demat, tot lectiſſimis poetarum verſibus, tot ſapientum dictis velut ad nutum paratis, tam aptè ſcriptis ſuis inſtar *emblematum* intextis. Uti & hoc in eo ambitioſum, quòd negat ſe recordari ſervorum, niſi eos officiorum nominibus appellet. Videor mihi in ſcenâ audire *Petronii Eumolpum*, cui tanta familia ſcilicet erat, ut *Carthaginem* capere poſſet. Gloriæ namque cupiditatem ſpecie contemnentis manifeſtiùs oſtentat, quàm ſi palam præ ſe ferret. *Thom. Lanſius* in Orat. p. 305.

Equidem ſi punctum omne fert ſcribendi dicendique rectè, qui facillimè feliciſſiméque cogitata mentis enunciare novit, vix quiſquam hâc facultate cum *Montano* conferri poteſt. Senſus & conceptiones ejus ſummovent plebem: Sermone tum quidem humile aut abjectum quidquam ſonat, cùm res minutas exſequitur, & poſitas in quotidianâ conſuetudine vivendi. Verbis è trivio quæſitis dignitatem ac ſplendorem conciliat. *Idem* in Orat. contra *Galliam* p. 306.

Prolixæ digreſſiones, cum ratiociniis nimium diffuſis, & nimis frequentes citationes Latinæ tria ſunt quæ *Critici* hactenus in *Montanei* Tentaminibus cenſurâ notarunt, quamvis hæc eſſe mirifica fateantur, eaque ſemper præclarorum virorum delicias meritò fuiſſe. *Ephemerid.* Gallic. *Eruditorum*, die Lunæ 2. Aug. 1677.

Author *Scrutinii veritatis* ait *Montaneum* rerum à ſe propoſitarum rationes ferè nunquam afferre, aut ſaltem nullas ferè unquam ullatenus ſolidas afferre; eum quantumvis liberalis ingenii quandoque tamen inſulſam eruditionem affectare; humanæ mentis mediocrem tantum cognitionem eum habere; vanam ejus gloriam & arrogantiam ubique in libro ſuo ſe ſe prodere; eum paſſim ſe ipſum commendare; vanam ejus gloriam nunquam manifeſtiùs patere quàm cùm proprios nævos propalat: quandoquidem eos tantùm memorat de quibus Mundani gloriantur, ſuperbiorem & tumentiorem eum videri dum ſe ipſum culpat quàm dum ſe ipſum laudat. Denique *Montaneus* memoriæ felicis non erat, ſed judicio adhuc infelicior. Ejus nævi bonum quid admiſtum habent: falſæ ſunt ejus ideæ, ſed ſpecioſæ: ejus dictio irregularis & audax eſt, ſed jucunda: Ejus ſermones argumentis malè confirmantur, ſed egregiè mente concepti ſunt. In toto ejus libro nativæ ſolertiæ lumen quoddam ſplendet quod ſummopere delectat. Licet merus ſit Exſcriptor, Exſcriptorem tamen non redolet, vivida & audax ejus imaginatio facit ut è propriâ penu promere videatur etiam ea quæ tantummodò ex aliis exſcribit, omnia denique habet ad delectandum & ad illudendum requiſita. Author Scrutinii Veritatis Tom. 1. lib. 11. c. 5. Gall.

Præter *Montanæi* Tentamina, extat ejus Interpretatio *Gallica* Dialogorum de Hominis Natura, Latinè à *Raymundo Sebono* Hiſpano conſcriptorum. Ibidem Gall.

CHRISTO-

CHRISTOPHORUS CLAVIUS.
Societ. Jeſ.

NAtione *Germanus*, Patriâ *Bambergenſis*, à primâ adoleſcentiâ Filius Societatis, cùm alias ſcientias imbibit, tum verò Mathematicas avidiſſimè ac ſtudioſiſſimè didicit, & magnâ cum laude diu *Romæ* profeſſus eſt, tantumque felicitate ingenii, atque labore aſſiduo profecit, ut non cum recentioribus tantum Mathematicis, ſed etiam cum antiquiſſimis illis & peritiſſimis ſit comparandus; ex quo factum eſt, ut illum alii Mathematicarum diſciplinarum ſcientia præſtantiſſimi, *Euclidem* noſtri ſeculi appellent; alii verò malle ſe à *Clavio* vituperari, quàm ab aliis laudari ſcribant. Vir magnus, qui recudendis ejus operibus noviſſimè præfuit, non dubitat appellare, inſigne Mathematicorum ſidus, patriæ ſuæ gloriam, ſocietatis noſtræ decus, Eccleſiæ *Chriſtianæ* ornamentum; virum denique maximarum virtutum & eruditionis laude celeberrimum, in quo illud maximè admirandum extiterit, quod cum tantâ eruditionis famâ, ac nominis ſui claritudine, tam inſignem pietatem ac modeſtiam perpetuò conjunctam retinuerit, ut nullum ſibi hominem unquam ſeipſum aliis omnibus poſtponeret. Tandem ætate meritiſque gravis *Romæ* vitâ defunctus eſt, die 6. Febr. anno 1612. ætatis 75. *Phil. Alegambe* in Biblioth. Scriptor. Soc. Jeſ. Clar. An. D. MDLXXX.

Plurima ſcripſit, inter quæ primum locum tenent ſequentia: Commentarius in *Euclidis* Elementa Geometrica. Item in Sphærica *Theodoſii*----Geometria Practica----Comment. in Sphæram *Joannis* de *Sacro-Boſco*---Gnomices lib. 8.---*Romani* Calendarii à *Gregorio* XIII. reſtituti, explicatio.

Chriſtophorus Clavius, Mathematicorum noſtri ævi facilè princeps---Nullam ille Mathematicæ diſciplinæ partem intactam reliquit, imò nullam emiſit, quam non penitus intelligentiâ comprehenderit, dilucidè explicatéque docuerit, doctiſſimiſque interpretationibus, tanquam Nutrices omnia minima manſa infantibus in os inſerunt, ita ille auditoribus ſuis, quò faciliùs perciperetur, quaſi comminutam tradiderit. *Jan. Nic. Erythr.* in Pinacoth.

Ex omnibus ejus lucubrationibus, quibus in lucem prolatis, nominis ſui memoriam, omnium ſeculorum poſteritati commendavit, *Euclides*, & Sphæra *Joannis* de *Sacro-boſco*, Commentariis illuſtrata, eſt talis, ut in *Arce* poni poſſit, quaſi *Minerva* illa *Phidiæ*, in quâ nihil eſt niſi abſolutum atque perfectum. *Idem* ibid.

Anno CIↃIↃCC. & aliquanto antè, magnâ in æſtimatione fuit *Chriſtophorus Clavius Bambergenſis*----Cujus operâ in corrigendis *Faſtis* Papa *Gregorius* XIII. uſus fuit. *Clavius* verò ingenuè agnoſcit, in *Calendario* ſuo malè eſſe æquatas *epactas*, ſic ut *Paſcha* aliquando poſſit incidere in *Novilunium*. Sed modum, rationemque demonſtravit, quo *Calendarium* aliquando iterum corrigi poſſit. *Voſſ.* de Mathemat. p. 197. & 384.

De *Aſtrolabio Clavii* tale eſt judicium *Poſſevini* in Bibliothecâ ſelectâ, l. 15.

c. 8. ‘ *Aſtrolabio* demonſtrativo, ſine Inſtrumento per ſolum Circinum, & re-
‘ gulam, omnia, quæ ad *Primum Mobile* pertinent, inveniuntur certiſſimè: ita ut
‘ jam centies latiùs pateat, quàm antea. Opus à nemine hactenus tentatum, ac noviſſimè à *Chriſtophoro Clavio* editum *Romæ* CIↃIↃXCIII.

Certè non video quid Mathematica ſtudia *Clavio* contulerint, qui his adeo infans eſt, ut mediocriter literis humanioribus tinctus, hæc meliùs intelligat, quàm ille qui toto vitæ ſuæ tempore nihil præter Mathematica tractavit. *Joſ. Scalig.* Canon. Iſagog. l. 3.

Infantiorem: imperitiorem, & magis ridiculum, reperies neminem [*Chriſtophoro Clavio*:] ſi quidem unius *Geometriæ* ſcientiam excipias, quam in eo etiamſi ſtipes eſſet, propter longum tempus quo illud ſaxum volvit, aliquam oportet eſſe. Quinquaginta enim annos publicè *Euclidem* legit. Hoc unum excipe, tantus eſt ſtupor hominis, ut in iis etiam quæ ad *Matheſin* ipſam pertinent λιβηείδης τυφλώτερος ſit *Idem* Epiſt. 106.

Nihil vidi ineptius, jejunius, falſius & impudentius libro *Clavii* in Elenchum noſtrum de Anno *Juliano*---Scito librum *Clavii* in meum Elenchum eſſe multorum. Neque enim ſtilus *Clavii* eſt, neque unus. *Idem* in Epiſt. 29.

Clavius, quem *Jeſuitæ* tanti æſtimant, ingenium eſt tardum, hebes, ſubtilitatis & elegantiæ expers, craſſus equus *Germanicus*. Petroniana. Gall.

Calendarium Reformatum *Chriſtophori Clavii* ferè omnium ingeniorum approbationem adeptum eſt; quidam alii eius inſtitutionem damnarunt. *Joſephus Scaliger* inter iſtos unum ex intelligentioribus, & ad iudicandum de eo magis idoneis ſe exhibuit: Sed *Clavius* illud rationibus adeo luculentis adſtruxit, ut doctus iſte *Criticus* eius opiniones impugnare deſtiterit; imo & palam profeſſus fuerit ſe ſibi glorioſum reputare Viro tantæ celebritatis manus dare. Facile poſthac fuit *Clavio* aliorum Obiectionibus reſpondere irritoſque reddere conatus eorum quibus tentabant conſtitutionem evertere tam validis argumentis ſtabilitam, ſapienti nimirum explicatione ab ipſo evulgatâ. Quo non minorem gloriam ſibi comparavit quam laboribus quos ad hanc Reformationem ſuſceperat. *Iſaac. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

Sixtus Senenſ. l. 4. eum magno adiumento fuiſſe ad reſtituendum Calendarium *Gregorianum* memorat.

Extant Opera eius omnia Tom. 5. impreſſa *Moguntiæ* annis 1611. & 1612.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Bernardo Bahuſio*, Soc. Jeſ.

Clavius *è Terris cùm jam vix Sydera noſſet;*
Da Deus *hæc propiùs cernere, dixit: obit.*

JOSEPHUS

JOSEPHUS ACOSTA, Soc. Jeſ.

NAtione *Hiſpanus*, Patriâ *Methymnenſis*. Vir fuit ingenio præſtanti, acri judicio, labore indefeſſo, facundiâ doctrinâque præſtans, qui omne diſciplinarum genus didicit, & profeſſus eſt. Obiit die 15. Febr. anno ſalutis 1599. ætatis fermè 60. *Alegambe.* Clar. An. D. MDXXXXV.

Scripta ejus hæc ſunt: De *Chriſto* revelato lib. 9.---De Temporibus Noviſſimis lib. 4.----Tractatus de procurandâ *Indorum* ſalute----De Naturâ novi Orbis --Hiſtoriæ Naturalis & Moralis *Indiæ*, lib. 7.----Concionum Tomi tres---Concilium *Limenſe* III. digeſſit, & *Latinè* conſcripſit.

Joſephus Acoſta, vir certè pius, eruditus, & cordatus. *Montacut.* Apparat. 1. ſect. 88.

Videatur hâc de re *Joſephi Acoſtæ*, Jeſuitæ *Hiſpani* Hiſtoria [*Indica*] elegantiſſimè conſcripta. Hic omnia, quæ ad naturalem, civilem & ſacram conſtitutionem pertinent, eâ prudentiâ, fide & pietate deſcripſit, ut ego non dubitem eum inter nobiliſſimos Hiſtoriarum Scriptores recenſere. Hiſtoria nondum *Latinè* verſa cum magno literarum damno; certè, ſi quis liber in *Latinum* ſermonem verti debet, hic eſt. Ego certè illius hiſtoriam non niſi cum ſummo ſtupore & admiratione legi. Scripſit etiam idem *Acoſta* alium quoque librum de ratione propagandi *Religionem* in *Indiâ* itidem ſatis elegantem. *Herman. Conring.*

Joſephi Acoſtæ Hiſtoriam *Americanam* valdè commendat *Chriſt. Funcius* in Breviario Orbis hodiè Imperantis p. 412. aitque ' Auctorem complexum eſſe ' Hiſtoriam *Americanorum* naturalem, civilem, & Eccleſiaſticam, eâ fide & accuratâ curâ, ut non dubitet eundem inter politiſſimos hujus argumenti Scriptores referre. Nunquam, nunquam illius Hiſtoriam *Novi Orbis* legere licet ſine admiratione. Sunt enim revera ibidem omnia ſtupenda. Nominatim deſcripſit vaſta illa regna, *Ingarum*, *Mexicanum*, & *Peruvianum*, quomodo ſe habuerint ante occupationem *Hiſpanorum*. Potuit autem nemo melius *Acoſtâ* argumentum hoc tractare: ipſe enim per 18. annos in *Americâ* vixerat, fuerátque longe doctiſſimus & patientiſſimus *Jeſuita*, ſincerò omnia enarrans, Prodeſt igitur hoc Opus *Acoſtæ* Theologis, Politicis, & Mathematicis. *Chriſtoph. Funcius* in Brev. Orb. hod. Imp. p. 412.

Non ſatis conſtat ſibi *Acoſta*. Ait ad *Peruviam*, & maritima Maris Auſtralis, ferè per totum annum, ſpirare *Auſtros*. Idem alibi ait, ad eas oras, ſpirare potiſſimùm Ventos Marinos. At Auſter illis terreſtris eſt, ut & Boreas, & Eurus, tantúmque *Zephyrus* eſt illis marinus. *Franc. Bacon.* in Hiſt. Ventorum.

Lectu digniſſimus & diligentiſſimus Scriptor. *Corn. Martini* in Comp. Theol. pag. 258.

Inter rerum *Americanarum* Scriptores facilè excellit. *Georg. Calixt.* de verit. Relig. Chriſtian. num. 6.

Acoſta, librum [de *Americâ*] pridem legi, & memini eorum quæ dicit, ea

Digitized by Google

ea mihi ſe nondum probant. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad Fratrem, *Lutet.* 11. Januar. 1642.

Vir fuit ingenio non vulgari, laborioſus, facundus & prudens. *Aub. Miræus* in Biblioth. Eccleſ.

Extant libri 9. de *Chriſto Revelato, Lugduni* 1592. in 4°.

Extant libri duo de Naturâ Novi Orbis, *Coloniæ* 1596. in 8°.

Libros 7. Hiſtoriæ Naturalis & Moralis *Indiæ Theodorus* de *Bry* inſeruit Parti 9. ſuæ Hiſtoriæ Occidentalis.

JANUS DOUSA.

Clar. An. D. MDLXXXV.

NOrdovicus, natus eſt anno 1546. Obiit anno 1604. *Lugdunenſis* Academiæ condendæ autor, & ejuſdem per 29. annos Curator fuit.

Scripta ejus ſunt: Commentariolus in *Q. Horatium Flaccum*-----Appendix Succidanea ad eundem-----Epigrammatum, Satyrarum, Elegiarum, Sylvarum libri----Nova Poëmata *Lugdunenſia*-----Epodôn liber ex puris Jambis -----Odæ *Britannicæ*----Notæ ad *Saluſtium*----Centurionatus ad *Plautum*---Præcidanea ad *Petronium Arbitrum: Catullum: Tibullum*----Shediaſma Succidaneum ad *Tibullum*----Epiſtolæ Apologeticæ duæ, una de Annalibus *Bataviæ*, altera pro Prætore *Nortvviceno*, peregrinitatis reo----Annales *Hollandiæ*, carmine----*Echo*, ſive *Halcedonia*, carmine.

Multiplex erat in viro lectio, incredibilis penè memoria, *Græcarum* ac *Latinarum* literarum; Hiſtoriæ Veteris ac novæ nihil erat quod ipſum fugeret; nihil de quo rogatus non *ex tempore* reſponderet. Unus ille *Bataviæ Varro*, & *Academiæ Commune* Oraculum. *Melch. Adam.*

Janus Douza Nordovicus, nobiliſſimâ *Bataviæ* familiâ ortus: qui *Muſis* cum *Marte* optimè convenire ſuo exemplo docuit. Poëticâ præcipuè delectabatur; in quâ ingenium varii generis Carminibus editis exercuit: etiam *Patriæ Annales* ſcripſit multiplici lectione, & admirabili memoriâ promeritus ut *Bataviæ Varro*, & *Academiæ Commune Oraculum* vocaretur. *Thuan.* ad ann. 1604.

Celebrant eum Monumenta ſua nobiliſſima, inter quæ ſunt, Notæ ad *Saluſtii* Hiſtoriarum libros doctiſſimæ, & Præcidanea pro *Q. Valerio Catullo*, celebrant eum ingenioſiſſima, politiſſimaque carmina, quæ totis Voluminibus edita ab ipſo in publico proſtant, quibus & vivus ſibi illuſtre decus comparavit, nominiſque ſui celebrationem ad omnem poſteritatem tranſmittet. *Boiſſard.* in Icon.

Tot mihi in illum [*Ianum Douzam*] juſti amoris cauſæ, tot admirationis ſunt. Omitto Poëſim, & cum Poëſi ſupra hoc ſeculum doctrinam: probitas, & ingenui mores, & quæ nihil gratiæ cauſa facit, gratia, dî boni, in quo homine paria ſunt, aut erunt! Vt verè de illo hoc elogium & ad præſtationem, quod dicitur, ſcriptutus ſim, *vera proles Muſarum*, & *alumnus Gratiarum*. Nec abripit amor me-

Digitized by Google

me. Judicio hoc ſcribo, ſi quid unquam: & peto quæſoque (vita tantùm mihi aut fama apud poſteros ſit) ita hæc legant, non quaſi laudem ab amico, ſed ſententiam à jurato teſte. *Lipſ.* Electorum l. 1. c. 5.

Douza, vir clariſſimus, magnus ille elegantiæ *Plautinæ* ſoſpitator. *Tanaquil. Faber* l. 2. Epiſt. Epiſt. 36.

Horatius, Catullus, Tibullus, & Petronius, operam *Iani Douzæ* Domini à *Noortwvik* egregiam experti ſunt. *Sciopp.* de Art. Crit. p. 17.

Quidam Autor Anonymus maximoperè commendat operoſiſſimum illud Poëma, quod in vocalem illam *Nympham*, quæ *Echo* dicitur, magno ſpiritu luſerat: Cui eo in genere ſimile aut ita copioſum literæ aut iſthæc ſecula nondum aſpexerant. Vide *Konig.* in *Biblioth.*

Ianus Douza, nobilis Batavus, Annales Hollandorum à multis fabulis liberatos collegit; aliàs etiam verſibus ſuis ita inclaruit, ut magnum quoque inter Poëtas noſtri ſeculi nomen invenerit. *Conring.* diſſert. MSS. de Rebuſp. in deſcript. *Batav.* Fœder.

Vir, ut nobilitate inter ſuos, ita doctrinâ apud omnes clariſſimus. *Grotius.*

Inter primos, quos curandis regendiſque ſtudiis (Lugduni Batav.) ordines impoſuere, *Janus Douza* fuit, cui genus, geſtique honores, & toleratum Lugduni obſidium apud poſteros carminum gloriâ prementur: in queis tamen ejuſdem nominis filius præcellit, idem Patri *Annalibus Hollandiæ* condendis ſocius & par majoribus meditamentis, nî mors immatura juvenem ſummæ eruditorum expectationi abſtuliſſet. *Grot.* lib. 5. Hiſtor.

Qui tàm felici conſortiò doctrinam cum virtute & ornamenta literarum cum inſignibus nobilitatis conjunxit.

Jucundiſſimum erat boni iſtius viri conſortium, totas *Propertii* Elegias recitabat, Parentis mei omnia carmina memoria tenebat, ut & *Sannazarii*, *Pontani* & aliorum. Solertia ingenia impensè amabat, ut *Heinſius*. Nemo filiorum ei ſimilis eſt. Omnes admodum ſimplices ſunt, ut Parentum uterque. Miſellus *Ianus* tam bonus & ingenuus erat. Annum more totum octiduum mortem ejus deflevi. *Scalig.* 2. Gall.

Non poſſum quin dicam Nobilem *Douzam* inæqualitate ſtyli & intempeſtivis *Digreſſionibus* mirum in modum *Hiſtoriæ* majeſtatem læſiſſe. *Douza* filius ſupplere potuiſſet aliquando hunc defectum, niſi eum immatura mors terris eripuiſſet. *Dominic. Baudius*, Epiſt. Cent. 2. Epiſt. 71.

Laudibus quibus *Ianum Douzam* omnes eruditi *Belgæ* condecorarunt, aliàs ſplendidiores ſuperaddere cuperem; ſed elegantes calamos ſuos in tam luculentum argumentum exhauſerunt, adeoque fruſtra ſermonibus meis illum illuſtriorem reddere tentarem. Si Poëſin ejus cum *Virgiliana* & *Tibulliana*, & eloquentiam ejus cum *Ciceroniana* contulero, *Paſchaſius* incœptum meum præverit, juſto illo Elogio parallelo quod de illâ adornavit in ſuis Epigrammatibus. Si *Hollandici Varronis* titulo illum nobilitem; hoc jam ante me in mentem venit iis qui Poſteritati notam fecerunt ejus humaniorum literarum peri-

Mmmmm tiam

tiam perfectam. Si perſuadere velim eum Provinciæ illius rariſſimum ornamentum fuiſſe; hæc veritas ſatis elucet in Elegiis quas *Daniel Rittershuſius* & *Ioſephus Scaliger* ad ejus jacturam lugendam compoſuerunt. Si denique dicere auſim eum *Parnaſſi* filias in *Leidenſem* Academiam introduxiſſe, poſtquam ejuſdem inſtitutionis inſtrumentum principale fuiſſet, nihil novi proferam, nec ullo Elogio ipſum inſigniam, quod non occurrat in Oratione funebri quam doctus *Heinſius* coram hoc cœtu in ejus honorem pronunciavit. *Iſaac. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

In hunc Auctorem hæc Carmina compoſuit *Stephanus Paſcaſius*:

Audiit Aonidum *turbâ admirante Dearum*,
Duſa, *arte ingeni! Carmina fuſa tui*,
Carmina ſelectis æquantia flumen Iambis
Miratuſque, Deæ *cedite*, Phœbus *ait*:
Duſa *mihi Muſa eſt*, *ſunt Muſica* Duſica, *Muſa*,
Quondam Heliconiades, *ſint modò* Duſiades.

*Hic Author Romano Indice inter Hæreticos primæ Claſſis locum habet.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

PETRUS FABER.

Clar. An. D. MDLXXXV.

S*Anjoranus*, vir maximus *Fabrorum* illuſtre nomen raro & admirabili doctrinæ ſuæ ſplendore magis ac magis illuſtravit. Ut enim *Cuiacius*, *Duarenus*, *Hotomannus*, & alii ſi qui ſint eorum ſimiles, nobilium hac ætate Juriſconſultorum familiam duxiſſe non injuriâ prædicentur, in eo tamen ſuperior quodammodo cenſeri *Faber* poteſt, quòd non tranquillo tantùm otio privatiſque ſtudiis, ſed & civilium rerum aſſiduâ tractatione utilem ſe hominum ſocietati maximè præbuerit. Ejus quidem judicium, prudentiam, fidem in conventu *Rotomagenſi* Rex admiratus, non alium digniorem exiſtimavit, qui poſt varia Togæ munera laudatiſſimè obita primarius tandem Præſes in *Tectoſagum* civitate ſibi natali ſupremo *Senatui* præficeretur. Sed non longè poſteà fuit cùm ſexagenarius pro tribunali jus dicens XIII. Kal. Jun. anno 1600. apoplexiâ repentè ſuffocatus interiit; famâ tamen æternùm ſuperſtite, poſtquam eas de *Iure* publicavit Commentationes innumeris ingenii doctrinæque luminibus ornatas atque diſtinctas quæ donec *Romana* loquentur literæ, maximo ſemper in honore & pretio ab eruditis omnibus habebuntur. *Scæv. Samarthan.*

Compoſuit 3. libros Semeſtrium: tres libros Agonoſticon ſive de re athleticâ. Vett. commentarium in Tit. de regulis Juris, &c.

Digitized by Google

Ad clarum familiæ in *Novempopulonia* decus probiſſimos mores & ſingularem Antiquitatis omniſque divini & humani Juris cognitionem attulit [*Petrus Faber*.] & doctiſſimis ſcriptis Præceptoris ſui *Cujacii* veſtigiis inſiſtens teſtatam ad poſteritatem fecit. *Thuan.* ad ann. 1600.

Quid ego hîc dicam, aut ſuſpicer? æmulationem cadere in illum virum? non ætas, non eruditio ejus permittunt: quarum illa gravis & inclinata, hæc meo ſemper judicio magna. Multa in viro illo variaque lectio, accurata collectio, & in penetrando digerendoque judicium pariter & acumen *Lipſ.* ad *Belg.* Cent. 1. Epiſt. 10.

Petrus Faber in omni reconditarum literarum officinâ affatim perpolitus. *Iac. Guther.* l. 2. de Offic. domûs *Auguſtæ*, c. 5.

P. Faber, vir undiquaque ad invidiam uſque eruditiſſimus; quod ſcripta ipſius electiſſima plus ſatis clamant *Ian. Gruter.* part. 2. Chron.

Vir rari, conſtantis & admirabilis cujuſdam ingenii, judicii, modeſtiæ. Dii faciant, ut ad id exemplum multi hodiè ſcribant. *Lipſ.* Elect. 1. c. 22.

De illuſtri Viro, *Petro Fabro*, Senatûs *Tholoſani* Præſide, ut nulla unquam ætas tacitura ſit, tribus *Semeſtrium* libris & uno ejus *Agoniſtico*, perfectum eſt: in quibus infinita, quæ omnes Critici diſcere & admirari poſſint, propoſuit. *Gaſp. Sciop.* de Art. Crit. p. 9.

Equidem ſic cenſeo, cùm hæc ætas noſtra, plurimos eruditione clariſſimos viros tulerit, unum tamen extitiſſe te qui *Varro* ſeculi noſtri appellari & vir undecunque doctiſſimus audire poſſis jure, imò debeas. Ignorans ſim & iniquus æſtimator genii ingeniique tui, ſi aliter ſentiam, qui ex tuorum librorum lectione tantum quotidie & honeſtæ voluptatis & ſolidæ eruditionis percipiam. *Caſaub.* Epiſt. 137. ad *P. Fabrum*.

Literæ tuæ gratæ mihi ſuaveſque fuerunt, quòd in illis ingenii dexteritas, & elegantioris doctrinæ nitor emicat. *Ioann. Calvin.* ad *Pet. Fabrum*. Epiſt. 225.

Petrus Faber Sanjorianus primarius *Tholoſani* Senatûs Præſes, qui *Semeſtria* & *Agoniſtica* ſcripſit, fuit unus ex doctiſſimis *Galliæ* viris, ſed merus eſt compilator, nihil dijudicat. In omnibus *Galliæ* urbibus nulla eſt antiquior familia jam à ducentis vel 300. annis vel bello claruerunt, vel Judices in ſupremis Franciæ Curiis fuerunt. Innumeræ ſunt *Fabrorum* familiæ. *Scaligerana* poſterior. Gall.

Vir eminentiſſimæ eruditionis. *Grot.* lib. 2. de J. & B. P. c. 16. n. 1.

Vir doctrinâ & dignitate clariſſimus. *Gudelin.*

Petrus Faber, cùm legem quamdam *Pauli* Juriſconſulti emendâſſet, in eâque re *Briſſonium*, qui jam anno 1588. emendationem hanc ipſi præiverat, nominaviſſet, non item *Hotomannum*, qui quindecennio poſt idem placuerat, ab hôc ideo accuſatus *Plagii* ſic ſe defendit, ut neget ſe *Plagiarium*, quippe qui ſua *Briſſonio* reſcripſerit. De *Hotomanni* verò conſenſione nihil ſibi tùm ait conſtitiſſe: quam ſi maximè notam habuiſſet, taciturum ſe fuiſſe tamen, ne ſimul neceſſe haberet, ejus è *Briſſonio*, qui prior ſcripſerat, *Plagium* prodere. *Thomaſ.* de *Plag.*

Digitized by Google

Extant ejus *Semeſtrium* Libri 3. in quibus varias Antiq. *Romanas* inprimis explicat. *Coloniæ Allobrogum*, per *Steph. Gamonetum* 1611. in 4°.

Extat *Agoniſticon* ſive de Re athleticâ Veterum, ludis gymnicis, Muſicis & Circenſibus. *Lugduni* per *Franciſcum Fabrum*. 1592. in 4°.

Extat Commentarius ad *Tit.* de Regulis Juris. *Lugduni* apud *Guilielm. Rovillium* fol. 1566.

PHILIPPUS SYDNEIUS.

Clar. An. D. MDLXXXVI

Miles, Patre *Henrico Sydney*. Ordinis Aureæ *Periſcelidis* Equite, *Hiberniæ* Prorege, ac *Walliæ* Præſide, Matre verò Dominâ *Mariâ*, *Ioannis Dudley*, Ducis *Northumbrienſis*, filia natu maximâ, *Penshurtiæ* in Agro *Cantiano* natus eſt, ſub exitum anni 1554. *Elizabetha* Regina eum ſuo *Cautionario* oppido *Uliſſingæ* & Caſtello de *Rammekens* in *Zelandiâ* præfecit. Sed [proh dolor!] in primo ætatis vere & flore, immatura mors eum vitâ orbavit. Quippe, in quodam prælio prope *Zutphaniam* in *Geldriâ*, dum equum tertium [binos enim quibus vectus fuerat interfecerant hoſtes] conſcenderet, vulneratus eſt 22. Sept. anno 1586. Obiit verò decimo ſexto Octobris.

Scripſit Anglicè Comitiſſæ *Pembrochienſis Arcadiam.* Poëma cui Titulus *Aſtrophel* & *Stella.* Apologiam pro Arte Poëtica. Pſalmos *Davidicos.* MS. *Wiltoniæ* in Biblioth. Comitis *Pembrochienſis.* *Anglicè* ex *Gallico* vertebat maximam partem libri à *Philippo Morneio* exarati, inſcriptique de *Veritate Chriſtianæ Religionis.* Id operis abſolvit *Arthurus Golding*, Generoſus. Edit. *Lond.* 1587.

Sydneius equo perfoſſo, dum alterum aſcendit, glande femore trajectus, paulò poſt magno ſui deſiderio bonis relicto, in flore ætatis expiravit, vix quatuor menſes patri ſuperſtes. Cui *Lyceſtrius* avunculus in *Angliam* reverſus, exequias magno apparatu, & militari ritu in templo S. *Pauli Londini* ſolvit, *Iacobus* Rex *Scotorum* Epitaphio parentavit, utraque *Academia* lacrymas conſecravit, & *Novum Oxoniæ Collegium* elegantiſſimum *Peplum* contexit. Hæc & ampliora viri virtus, ingenium ſplendidiſſimum, eruditio politiſſima, moreſque ſuaviſſimi meruerunt. *Gul. Camden.* in Annal. *Elizab.* ſub ann. 1676.

Quid plura? pacis bellique peritiſſimus, Poëta, Orator, Juriſconſultus erat egregius; de quô haud facilè dixeris gladio an ſtylo magis inclaruerit; quorum altero interiit, altero in omne ævum ſuperfuturus eſt. *Ant.* à *Wood.* in Hiſt. & Antiq. Univerſ. *Oxon.* p. 265.

Corporis tui bona intueor; ad robur pariter factus es, & ad decorem. Animi cultiſſimus ille: & uberrimæ in te ingenii judiciique dotes. Externa ſtirpe nobiliſſimus es, opibus ſplendidiſſimus. Nec quidquam facilè tibi deeſt, quod *Naturæ* aut *Fortunæ* adeſt. Macte his dotibus! eo magis, quòd non ad ambitionem, ut pleraque iſta nobilitas, aut ad pompam abuteris: ſed confers eas, quà potes, ad tuam & publicam ſalutem. Idque domi & foris, togâ & ſago: cum vegeta illa animi vis

ad

Digitized by Google

ad omnia ſufficiat: & *Marti* ita lites, ut *Sacrum* nunquam deſeras *Sophia* & *Muſarum*. Sed libo hoc laudum tuarum limen, non penetro. Quia ut ſacrarum ſilentio potiùs, quàm plauſu ſpectamus: ſic tuas ego virtutes quas veneror, non exſequor, adoro penè dixerim, non adorno. Tu tantùm, ô *Britanniæ* tuæ clarum ſidus, [cui certatim lucem affundunt *Virtus*, *Muſa*, *Gratia*, *Fortuna*] tenuem obſcurumque hunc laborem à me libens accipe, & pauliſper inſtar doni pendere patere in *Famæ* templo. *Iuſt. Lipſ.* in Epiſt. præfix. Dialog. de Rect. Pronunciat *Lat. Ling.*

Natura te maximis animi & corporis dotibus ornavit: *Fortuna* verò nobilitate & opibus, ac ſplendidis neceſſitudinibus: *Tu* autem à primâ pueritia animum magno ſtudio excoluiſti iis artibus, quæ contendentibus ad virtutem magno adjumento eſſe ſolent. *Hubert. Languet.* in Epiſt. 72.

De quo idem dicere poſſum quod de *Homero Auguſtinus* dixit, eum ſuaviſſimum & jucundiſſimum eſſe etiam in ſuis Vanitatibus. Sed *Arcadiam* ſuam non tam deperibat, ut *Epiſcopus Heliodorus* amatorium ſuum librum; Optaſſet enim inſtante morte (conſulto priùs ſuper hac re Paſtore quodam) eam ſuppreſſiſſe. *Edvv. Leigh.* de Piis & Eruditis Viris. Angl.

Anglicæ Aulæ ita eſſentialis erat ut mutila hæc videretur, dum ejus conſortio carebat; Cùm & in rebus & in verbis perfectus eſſet Magiſter, ut ex ejus *Arcadia* liquidò conſtat. Doctor *Fuller.* de Præclaris *Angliæ* Viris. Angl.

De hoc Authore ſic cecinit Poëta.

Quòd ſit ab Antiquo tantum cantatus Homero,
Felicem Macedo *Rex vocat* Æacidem.
O me infelicem! quia tu Divine Philippe,
Felix carminibus non potes eſſe meis.
Qui ſcribenda facit, ſcribitve legenda beatus
Ille, beatior es tu, quòd utrumque facis.
Digna legi ſcribis, facis & digniſſima ſcribi:
Scripta probant Doctum, te, tua facta, probum.

De ipſius Arcadiâ;

Ipſe tuam moriens (ſed conjuge teſte) jubebas
Arcadiam *ſævis ignibus eſſe cibum.*
Si meruit mortem, quia flammam accendit amoris,
Mergi, *non uri debuit iſte liber.*
In librum quæcunque cadat Sententia: nullâ
Debuit Ingenium morte perire tuum.

Digitized by Google

Extat *Arcadia* Comitiſſæ *Pembrochienſis* vernaculâ linguâ ſcripta, unà cum Additamentis per W. *A.* & *R. B. Londini* 1629.

JANUS GULIELMUS.

Obiit A. D. MDLXXXIV.

L*Ubecæ* natus eſt Anno Dom. 1555. *Avarici* obiit Anno 1584.

Scripta ejus hæc ſunt: *Quæſtiones Plautinæ*, in quibus doctrinæ (verba ſunt *Lipſii*) notæ uberes; & acris judicii---Libri veriſimilium--- Aſſertio adverſus *Carolum Sigon.* in qua eruditè demonſtrat, non eſſe aut *M. Tullii*, aut ſatis dignam *M. Tullio* eam quæ illius nomine venditatur, *Conſolationem*---Manes Palmeriani Poëmata. Vertit *Euripidis* Tragœdias nonnullas *Latinè*.

Adoleſcens cultiſſimi ingenii. Cùm nondum attigiſſet 30. vitæ annum, deceſſit: eo magis deploranda morte, quòd multa, & inter ea novam *Ciceronis* operum ad MS. exemplaria diligentiſſimè collatorum, & amplius ſexcentis clauſulis ſuppletorum *Editionem* paratam haberet: quam & ego vidi, hactenus magnâ rei literariæ jacturâ aut diſperditam aut ſuppreſſam. Cujus familiaritate, dum *Lutetiæ* eſſet, diu magnâ cum animi oblectatione uſus, hoc verè profiteri poſſum, me ſemper ab amiciſſimi *Juvenis* colloquio meliorem ac doctiorem diſceſſiſſe. Tanta erat in eo morum probitas, tantum in literis judicium, tanta in ſermocinando ſuavitas: ut alium vix meminerim (multos autem audivi) qui *Latinè* ſimili cum facilitate & puritate loqueretur: ut omittam raram in *Poeticâ* facultatem, ſive *Græca* verteret, ſive verſus ex ingenio faceret. Amicitiam non tam ætatis ſimilitudine, quàm ſtudiorum conſenſione contractam, immatura mors diremit, non tamen omninò ſolvit: cujus hoc qualecunque monumentum ad poſteritatem extare volui. *Thuan.* ad Ann. 1584.

Sanè amabam adoleſcentem inſigni indole, magnâ ſpe: nec facilè ingenium videram [juvenile quidem] magis mihi ad guſtum. Libelli judicio meo teſtes. Quos in *Critico* iſto genere paucos edidit; ſed probos doctoſque, & quos haud temerè invidiæ dens atteret aut lima labentis ævi. *Lipſ.* elect. l. 2. Epiſt. 16.

Jani Gulielmi literas accepi: paulò antè etiam librum *Quæſtionum*. Quem ego ita probo, ut negem aliquid melius in hoc genere vidiſſe ab aliquot annis. Rectam viam adoleſcens ille ingreſſus eſt, & ingenium in eo ac judicium pariter magna. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 47.

In *Jani Gulielmi* morte valdè indolui. De vultu aut facie non eum noveram: optimè de animo. Nec cenſeo melius aut rectius ingenium fuiſſe hoc ævo. Sed *Deo* ita viſum, optimos quoſque traducere ad optimam illam vitam. *Idem* ibid. Epiſt. 38.

Ex Scriptis limatiſſimis quæ *Gulielmi* ſunt, facilè apparet, hominem eum accuratè eruditum fuiſſe. *Io. Pet. Lotich.*

Janus Gulielmus. flos *Germaniæ* ingeniorum illibatus. *Caſp. Barth.* animadv. ad *Gratii Cyneget.* 5. 1.

Valde

Valde ego, ſi quiſquam alius, amo & colo elegantiſſimum *Iani Guilelmi* ingenium: cui ſi ſuperſtiti eſſe diutius licuiſſet, ne nos *Germani* exteris nationibus unquam invideremus. *Caſp. Sciop.* l. 1. ſuſpect. lect. epiſt. 8.

Ianus Guilelmus Lubecenſis, quum nondum annos 27. natus in *Galliâ* obiiſſet, hoc elogium omnium doctorum & bonorum ſecum abſtulit, *Nullum hôc præclarius & elegantius ingenium noſtro ævo extitiſſe*. Sed de hujus Juvenis laudibus aliàs diximus; quamvis *Guilelmus* nullius laudibus indigeat, & omnibus *veriſimilium* & *Plautinarum Quæſtionum* ſuarum lectoribus ex facili ſe, probitatem ſuam, & ſtylum ſuaviſſimum, queat probare. *Sciop.* de Art. Critic. pag. 16. 17.

Nec fruſtra cecinit *Ianus Guilelmus roſas, eleges, epigrammata; manes Palmerianos*; in omnibus enim vividus & vegetus calor. *Borrich.* de Poët. p. 131.

Guilelmus juvenis eruditiſſimus, *Bituricis* obiit, ardente febre peremptus. Diebus Canicularibus vini lagenam offendit quam plenam hauſit, eodemque momento animam efflavit. *Scalig.* poſterior. Gall.

Carmina ejus habentur Tom. 2. *Delit. Germ.* p. 447.

Extant *Quæſtiones Plautinæ* in *Lamp. Criticâ Gruteri*, Tom. 3.

Ianus Gruterus, polyhiſtor hujus ætatis incomparabilis, quanti fecerit *Muſas Gulielmianas*, integro *Carminum Libello*, *Manibus Gulielmianis* dicato, abundè ad poſteritatem teſtatum reliquit, ubi, inter egregia alia Elogia, iſthunc defuncto literarium obeliſcum, quovis marmore diuturnioren, erexit:

Memoriæ Sacr.

Jano Gulielmo Lubecenſi, *Sanctiſſimis moribus juveni, & verè flori illibato ingeniorum, ad æternitatem* Romani *nominis nato, ejuſdem ſempiterno damno denato*: Janus Gruterus *amico incomparabili amiſſione ejus perpetuis tenebris quotidianâ miſerabili ejulatione damnatus: Hos Titulos, hoc Monumentum chartaceum, quia marmoreum non poteram, diſcedens terram tibi dico levem.*

JOANNES PASSERATIUS.

TRecenſis, *Gallus*, Orator & Poëta optimus, natus eſt circiter annum ſuperioris ſeculi 1528. Muſis ubi à primis velut crepundiis conſecratus eſſe videretur, aſſiduus in eo fuit, ut ingenium cultura ſupra vulgaris eruditionis conditionem, altius efferret. Quod cùm multorum admiratione feliciter ipſi ſucceſſiſſet: tantam fidem apud eruditiſſimos quosque commeruit, ut in numerum *Profeſſorum Regiorum in Acad. Pariſienſi* cum ſingulari applauſu cooptatus fuerit. Honeſtiſſimam ita provinciam nactus *Romanæ* facundiæ divitias ſtudioſis auditoribus feliciter uſque eo explicavit, ut celebre *Paſſeratii* nomen paſſim lateque in ore doctiſſimorum honorificentiſſimè vigeret, vigeatque etiam nunc. Nec minus in *Plauti Sarſinatis*, compluriumque eruditioris ſeculi ſcriptorum lucu- Chr. An. D. MDLXXXV.

Digitized by Google

luculentâ interpretatione magnâ cum laude verſatus eſt. Tandem cum doctiſſimarum lucubrationum [quæ ipſi erant aſſiduæ] nullum modum, nullum finem faceret, ex continuis laboribus oculorum vitium contraxit, ut ab obrepente viſûs caligine à publicis prælectionibus, non ſine gravi auditorum dolore ferias facere cogeretur. Verumenim verò oculorum illud glaucoma accurata ingenii acies abundè compenſavit. Quam igitur animis intus diu præviderat vitæ melioris beatitudinem, eam ex voto demum conſecutus eſt, annorum 73. Senex, poſtquam ex *Paralyſi* ſ[illegible]iori iſthuic ævo fato eriperetur *Pariſiis Anno Salut.* 1602. *Ioan. Petr. Lotich.* in Biblioth. p. 69.

Scripta ejus *Latina* ſunt: Orationes & Præfationes--Conjecturarum liber--De Literarum inter ſe Cognatione, & permutatione---Commentarii in *Catullum, Tibullum, Propertium*---Kalendæ Januariæ. Multa *Gallicè* ſcripſit & verſu & proſa oratione.

Hic eſt ille *Paſſeratius* origine *Trecenſis*, utrâque linguâ doctiſſimus, qui primus apud *Pariſios* in Scholâ Regia reconditas veræ *Latinitatis* opes aliquantò majore curâ & ſtudio perveſtigavit, juventutique aperuit; cum *Turnebus, Auratus, Lambinus*, cæterique priùs in eadem Scholâ profeſſi *Græcis* potiſſimùm interpretandis operam & induſtriam impendiſſent. Poterat quidem ex umbra & ſcholaſtico otio in apertam fori lucem prodire, & ad rerum adminiſtrationem ſe conferre. Nec enim ei deerant opportuna civilis diſciplinæ præſidia, cujus puros limpidoſque fontes apud *Biturigas* à diuturnâ *Iacobi Cujacii* conſuetudine affatim hauſerat & imbiberat. Sed *Petro Ramo* eloquentiæ doctori delectus à Rege ſucceſſor in eâ demum profeſſione conſenuit, nobilemque doctrinæ ſuæ famam vel apud remotiſſimas orbis Terræ nationes longè latéque propagavit: cùm nihil vulgare, nihil è medio ſumptum afferret, ob idque politiſſimi quique homines etiam ex ipſo Senatu celebre ejus auditorium frequentarent, ac velut ex nitidis & fragrantibus ejus hortulis lectiſſimos *Romanæ* elegantiæ flores admirabili cum voluptate excerperent. *Scævol. Samarthan.* in *Elog. Gallor.*

Ioannes Paſſeratius Latinæ Linguæ Profeſſor digniſſimus: qui felicitate verſus pangendi, etiam *Gallicos*, & ſolutâ oratione ſcribendi, ac bonos ſcriptores interpretandi, diu magnam laudem in *Pariſienſi Academiâ* meruit. Homo emunctæ naris, & cui aliena vix placerent, ultimo elogio vovit, ne *manes ſui malis carminibus onerarentur.* Itaque pauci mortuum laudarunt, dum verentur ne voto ejus minus reſpondeant. *Thuan.* Ann. 1602.

Iacob. Gillot in Senatu *Pariſienſi* Conſiliarius monet nos in quadam ſua ad *Ioſ. Scaligerum* Epiſtola, ſe à *Paſſeratio* audiviſſe, librum ſuum de *Cognatione Literarum* ſibi adeo placere, ut nullum ſuum ſcriptum præter illud in lucem venire vellet. Gall.

Accepi *Paſſeratii* libellum *de cognatione Literarum*, magis utilem nobis quàm Authori glorioſum. Rari erunt qui eo ſciant uti. Nos quanti ſit ex eo æſtimare poſſumus, quod paucorum hominum eſt, & plures habebit qui non capiant quàm

qui

Digitized by Google

qui eo capiantur. Ego ſanè in cenſum bonorum eum dedico. *Ioſ. Scalig.* epiſt. ad *Car. Labbaum.*

Paſſerat. valde ignarus erat; vix octo legerat libros: benè inſtituebat juventutem: duo verba *Latinè* ſciebat, *omnes reprehendebat*, non erat tantus quantus habebatur. Tricaſſinus erat bonus Pedanus ad inſtituendam juventutem. *Scalig.* poſterior.

Fatendum eſt omnium qui in *Gallia Latinæ Linguæ* illuſtrandæ allaborarunt neminem majori gloria quàm *Ioannem Paſſeratium* id præſtitiſſe. *Iſ. Bullart.* Acad.Scient. Tom. I. Gall.

Diffitendum non eſt quin *Paſſeratius* Latina carmina ſcitiſſimè componeret. Nihil purius, nec forſitan magis nativum apud nos extat. Præter has duas inſignes qualitates, dicere poſſumus ejus verſus multam eruditionem inſuper continere, imò & elegantiam quandam, quæ à Vulgarium Poëtarum fœtibus eos diſcriminat. Sed omnibus perpenſis, nihil ineſt illis *vigoris* illius *cœleſtis* qui *Poëticus Furor* ſeu *Enthuſiaſmus* dici ſolet, nec mirabilis illius characteris qui artis peritum Lectorem demulcet & abripit. *Iudicia Eruditorum* per Dom. *Bailletum* Pariſ. 1686. Gall.

A noſtris quoque Regibus *Carolo* IX. & *Henrico* III. amabatur; illi quidem *Venationis* cupidiſſimo, libellum de *Arte Venandi Gallico* verſu ſcriptum, obtulit, quem amici *Ronſardus*, *Bellajus*, *Baifius*, *Pimpontiiſ*que & alii Poëtæ noſtrates magnoperè probarunt. *Latinus* quoque fuit eximius, ut oſtendunt 25. *Poëmatia* ejus jam excuſa, quorum quinque ad *Memmium* ſcripſit. *Henrici* verò tertii elogium edidit, veteribus conferendum. *Ioan. Papyr. Maſſon.* in Elog. *Ioan. Paſſerat.*

In hunc Auctorem hæc carmina compoſuit *Jo. Pet. Lotichius:*

Qui tenet arguti cognomen Paſſeris,*autor.*
Argutis cantat carmina docta modis.
Hinc longæva trahens diuturnæ ſæcula vitæ
Dauliacas *dulci carmine vincit aves.*

Carmina ejus habentur Tom. 3. *Delit. Gal.* p. 1.
Extant Orationes ac Præfationes. *Par.* 1606. 8°.

Hoc Epitaphium ipſe vivens ſibi compoſuit:

Hic ſitus in parvâ Janus Paſſertius *Urnâ,*
Auſonii *Doctor regius eloquii,*
Diſcipuli memores, tumulo date ſerta Magiſtri,
Ut vario florum munere vernet humus;

Hoc culta officio, mea molliter oſſa quieſcent,
Sint modo carminibus non onerata malis.

Veni, Abii: Sic vos Veniſtis: Abibitis omnes.

BENEDICTUS PERERIUS, *Soc. Ieſ.*

Clar. An. D. MDLXXXV.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Valentinus*, vix adoleſcentiam ingreſſus, animum appulit ad Societatem, & *Valentiæ* ad numerum Noſtrorum aggregatus eſt anno ſalutis 1552. Inde in *Siciliam*, mox *Romam* miſſus, in omni ſcientiarum genere diligenter ſe exercuit, eximiamque eruditionem conſecutus eſt. Dicendi artem publicè *Romæ* docuit, Philoſophiam *Ariſtotelis* enarravit, & quatuor penè Artium curricula docendo confecit; magnâ auditorum frequentiâ, atque applauſu. Ab humanis deinde ac Philoſophicis diſciplinis, ad divinas & theologicas gradum fecit. D. *Thomam* per multos annos interpretatus eſt: Sacras Literas explanavit, ubique doctus, ubique diſertus, ſuique ſimilimus. Commutavit vir maximè religioſus atque eruditus caducam hanc vitam cum æternâ *Romæ*, ubi perpetuò vixit, die 6. Martii, anno ſalutis 1610. ætatis 75. ſocietatis 58. ejus eruditionem nullus penè Scriptorum, qui ejus meminit, illaudatam præterit--- In hujus autem Viri Scriptis tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehenſio, ut ſupervacaneum ſit lucernam Solis lumini inferre. *Alegambe.*

Elaboravit Commentarios in *Geneſin* & *Danielem*: Tom. 4. Diſputationum in *Geneſin*: Tomum 1. Diſputationum in *Exodum*: Tomos 2. Diſputationum in Epiſtolam ad *Romanos*, & tres Tomos in Apocalypſin. Extant etiam 15. libri ejus Phyſicorum.

Benedictus Pererius vir *Sacris Literis* nobiliter imbutus. *Montacut.* apparat. 11. §. 3.

Benedictus Pererius vir *Græcè*, quod apparet, benè doctus, & in omni politiori literaturâ verſatus cumprimis. *Idem* Apparat. 5. ſect. 70.

Benedictus Pererius Sacrorum Librorum accuratus Interpres. Card. *Io. Bona* Notit. Auctor.

Pererius eximiâ *Hiſtoriarum* peritiâ inſtructus, magno etiam acumine, nec minore diligentiâ, *Commentarium* ſuum in *Danielem* elucubravit. *Matth. Polus* in Præfat. ad 3. Vol. Synopſ. Crit.

Magni nominis & eruditionis Jeſuita *Pererius*. Commentaria ejus in *Geneſim* docta & laborioſa. *Montac.*

Benedictus Pererius Philoſophus, & Theologus Societatis *Ieſu*, edidit IV. Tom. Comment. & Diſputat. in lib. *Geneſeos*, qui & *Romæ* & *Lugduni* & *Coloniæ* excuſi ſunt, referti inſigni eruditione, ac perſpicuitate, quæ illius in ſcribendo eſt propria— In Comment. ſuis in *Danielem* materiam *Chronographiæ* eorum temporum accuratè eſt perſecutus. *Ant. Poſſevin.* Apparat. Sac.

Doctiſſi-

Digitized by Google

Doctiſſimus & fideliſſimus *Geneſeos* explicator *Lambec.* prodr. Hiſt. Lit. 5.

Pererius Jeſuita ingentem librum conſcripſit *Quæſtionum* in *Geneſin*, cui multùm eruditionis ineſt; & quamvis omnium Textus vocum explicationi non immoretur, utiliſſimus tamen eſt, quoniam ſolidè Quæſtiones à ſe propoſitas expedit, arduaſque difficultates, quæ occurrunt in Scripturis dilucidat. Patrum ſenſus quorum ſynopſin congeſſit, referre prælertim ſtudet: Verùm quia Patres Scripturæ literalem ſenſum perpetuò ſecuti non ſunt, potior Operis illius pars inutilis eſt iis qui Bibliorum literalem ſenſum tantummodo exquirunt. Or. Pr. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. l. 2. cap. 12. Gall.

Pererius in *Danielem* aſinus eſt. Peſſimus author eſt, graviter erravit: *Danielem* nequidem legerat, niſi quando illum commentatus eſt. *Scalig.* poſterior. Gall.

Quod autem ad *Pererium* ſpectat, nullam video rationem cur in *Cœleſtes influxus* adeò infenſus eſſet, cùm etiam admittat *Qualitates occultas*, iiſque doctrinam ſuam ſuperſtruat; quæ non rarò è *cœleſtibus influxibus* arceſſuntur, & iiſdem inconvenientibus obnoxiæ ſunt, &, ut antea dictum fuit, à quibuſdam, qui cæteris hominibus oculatiores cenſeri cuperent, *Aſinorum aſylus* nuncupantur *Meric. Caſaub.* de Credulitate & Incredulitate Angl.

Opera ejus 2. Vol. fol. prodierunt *Colon. Agrip.* 1622.

TORQUATUS TASSUS.

Poeta *Italus* celebris, *Neapolitanus*. Jam in pueritiâ, egregio carmine edito, futuræ eruditioni & gloriæ præluſit. Nuncium Papæ in *Galliam* ſecutus, *Carolo* IX. innotuit: Dein *Ferrariam* vocatus, ibi *Hieroſolymam Liberatam* edidit. Primus *Paſtores* in ſcenam introduxit in *Amyntâ*, omnium Comædiarum *Paſtoralium*, principe. Litem cum Academia *Florentina* de *Cruſca*, quæ *Hieroſolymam* ejus ſub cenſuram vocavit, nactus: *Ferrariæ* quoque negotio adhuc difficiliori implicitus eſt, à quo tempore omnia ejus retro ſublapſa ſunt. *Ticinum* inde ſe recepit, hinc *Neapolim* profectus, tandem, *Card. Aldobrandino*, nepote Clementis VIII. invitante *Romam* pervenit. Obiit anno 1595. ætatis 51. cùm jamjam lauru cingendus eſſet. *Hofman.* Clar. An. D. MDLXXXV.

Vir admirabili ac portentoſo ingenio, qui inſanabili in adoleſcentiâ furore correptus, nihilominus per dilucida intervalla, tanto judicio, elegantiâ, ac caſtiſſimo ſtylo plurima & ſoluta & pedibus aſtrictâ oratione ſcripſit; ut miſericordiam, (quâ plerique ejus vicem proſequebantur) tandem in ſtuporem verterit; dum furore illo [qui in aliis mentes efferat aut hebetat] ingenium ejus veluti defæcatum, in rebus inveniendis expeditius, inventis aptè digerendis acutius, & ſententiarum gravitate ac verborum delectu ornandis copioſius à morbo ſurgit; & quod saniſſimus quiſque vix ſummâ curâ ac labore per otium extenderet, ipſe poſt violentam mentis emotæ agitationem ſponte ac felicitate mirâ perficit; ut non alienatione mentis percuſſus, ſed œſtro divino percitus videretur. *Thuan.* ad Ann. 1595.

Taſſus multorum judicio aliquantulum ad *Antiquos* acceſſiſſe, & eorum artem

 ſatis

ſatis videtur, ſervaſſe, niſi quòd acuminibus ſententiarum, & argutiis à recentioribus uſurpatis nimis indulſit, quæ non ſatis poëmatis gravitatem decent, quam ubique ſervare oportet. *Roland. Mareſ.* l. 2. Epiſt. 15.

Taſſus in *Hieroſolymâ* ſuâ *Liberatâ* & verbis magnificus eſt, & apparatu, ſed τὸ πρῶτον opopœiæ minimè aſſequitur, ſiquidem *fabulæ* diſpoſitio ad mentem *Stagiritæ* exigenda, quod inter alios eruditè docuit *Petrus Mambrunus*. Suavis quoque eſt *Taſſi* Fabula, *Amyntas*. *Borrich.* de Poët. p. 10.

De laudatiſſimo ejus *Hieruſalem Liberata* Poëmate, quod ab Academicis *Florentinis*, & aliorum oblaterantium morſibus, nuper *Paulus Benius* egregiè vindicavit, omnibus *Parnaſſi* cultoribus ingenuè adſtipulantibus, *Sic ſancimus*, ipſum & quod ad fabulam, & mores, & phraſim, & alia, quibus *Heroici Carminis* abſolutus effingitur Character, *Epica* hucuſque *Italici* nominis omnia ſuperaſſe. *Jo. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Taſſus in Operum ſuorum deſignatione terſior eſt, in Fabulæ ſuæ diſpoſitione ad artis regulas exactior, & in omnibus Poëmatis ſui partibus cæteris omnibus *Italis* plenior & perfectior. Sed res tot amatorias iis permiſcet, ut inſtituti ſui gravitatem & characteris ſui dignitatem frequenter obliviſcatur. *Rapin.* Animadv. in Poëticam part. 2. Animadv. 16. Gall.

Annos octodecim natus præclarum Poëma compoſuit *Rinaldo* inſcriptum, quod admirandi ejus genii quaſi primus flos extitit, quodque ei conciliavit exiſtimationem eorum omnium qui erudito palato ejuſmodi ſcripta deguſtant. Et ſanè ſi de *Odyſſea* dixit *Longinus Senis* quidem eam eſſe fœtum, ſed *Senem* illum fuiſſe *Homerum*: ſic etiam cum illuſtri Dom. *Menagio* dicere poſſumus, *Rinaldo* Juvenis quidem opus eſſe, ſed juvenem illum eſſe *Torquatum Taſſum*. Annum viceſimum ſecundum nondum exceſſerat, cùm *Ieruſalem Liberata* auſpicatus eſt, Poëma illud incomparabile, quod omnibus ſuis numeris abſolutiſſimum eſt omnium quotcumque ab *Auguſti* ſeculo in lucem venerunt, ex omnium ſagacium *Criticorum* ſententia, cumprimis verò Domini *Balzacii*, qui cùm multa eloquentia multaque ratione dixit, *Virgilium in cauſa eſſe, Cur Taſſus in Epica poeſi primus non teneret, Taſſum verò, cur Virgilius unicus non eſſet. Ant. Teiſſier*, Elog. Erudit. Vir. Gall.

Extat *Hieroſolyma Liberata Italicè* ſcript. fol. ann. 1644.

Extat *Amyntas Italicè* ſcripta cum Annotationibus *Ægidii Menagii* in 4°. 1655.

Obiit *Romæ*, & ſepultus eſt in Eccleſiâ *S. Onuphrii* cum hâc Inſcriptione.

Hoſpes,

Quicunque es, ſi Muſarum *hoſtis non es, adſiſte & lege:* Torquati Taſſi *monumentum hic vide; nec vide tantum, ſed venerare, & cole: plura meretur, Pietas quàm poſſit tua: Saltem quod poſſis, meritò & lubens dato. Eheu! Sic periit* mel illud

Digitized by Google

lud Charitum, Medulla Muſarum, Flos ingeniorum; *Quid dicam ultra?* Ultimus Naturæ labos. Bonifacius *Cardin.* Bevilaqua *Heros æterno, cippum hunc, utinam æternum! ex voto D.D.*

ULYSSES ALDROVANDUS.

Natus eſt *Bononiæ* in *Italiâ*: ubi Profeſſionem Philoſophicam & Medicam ſuſtinuit, naturæ operum incomparabilis perſcrutator: remotiſſimas Orbis regiones peragravit, ſaltem ut naturales res, inprimis verò aves exoticas, earumque cauſas, intimius cognoſceret, quæ ut ad vivum depingerentur, veriúſque exſculperentur, ſuo ære per triginta & amplius annos Artifices varios totius penè *Europæ* celebriores conduxit, eaque propter tantos ſumptus fecit, ut inde ad extremam paupertatem redactus, viſuque orbatus, in *Xenodochio Bononienſi*, ut nonnulli referunt, admodum ſenex obierit A. C. 1605. Vander *Linden.* Clar. An. D. MDXC.

Scripſit Tractatus 120. plurimis voluminibus comprehenſos: ubi inprimis eminent quæ de *Avibus*, *Quadrupedibus*, & *Piſcibus* ſcripſit. Apud *Jo. Imperialem in Muſæo* Hiſt. p. 145. omnia ejus Opera recenſentur; quibus addi poteſt *Antidotarium Bononienſe*, cujus Author *Aldrovandus* eſſe aſſeritur.

Ulyſſes Aldrovandus, illuſtri *Comitum Aldrovandorum* familiâ oriundus, in gymnaſio *Bononienſi* Naturalis Hiſtoriæ profeſſionem tam feliciter implevit, ut omnium ante ſe genitorum diligentiſſimus, etiam poſt futuris hujus palmæ gloriam præripuiſſe videatur. Quippe adgreſſus eam *Medicinæ* partem, quæ materiam remediorum ex Animalibus deſumit, ut eorum figuram atque naturam ad poſteros fideliori ſtylo tranſmitteret, haudquaquam *Authorum* evolviſſe monumenta contentus, inſpiciendi causâ, regiones etiam remotiſſimas animo prorſus *Ulyſſæo* peragravit. Pictori cuidam eâ in arte unico, triginta & amplius annos *aureorum* ducentorum ſtipendium perſolvit. *Aub. Miræus* de Script. Eccleſ. part. 2.

Hic ſagacitatis exquiſitæ vir, qui nobis tot animalium formas incognitas ante oculos objecit, Naturæ veluti novercantis injuriâ, oculis captus eſt, & qui perſpicacis ingenii luce, cauſas rerum abditas illuſtrarat, in triſti cæcitatis caligine, ſupremam vitæ partem exegit. *Idem* ibid.

Omnium quicunque vel ſcripſère vel ſcripturi ſunt, operoſiſſimus & conſummatiſſimus extitit *Zoologus*, *Ulyſſes Aldrovandus* Philoſophus & Medicus *Bononienſis*, quem non dicam commendare, ſed admirari ſatis, aut condigno, pro immenſis *Zoologiæ* gratiâ impenſis, cum ſumptibus, tum laboribus, mactare præconio, nemo unquam poterit. Attamen cùm ne à centeſimo quidem, propter ſumptuoſiſſimi & in plurimos digeſti majores Tomos Operis, tanti induſtria Viri, proprio redimenda ære ſit, opulentis potiùs quàm quibus *anguſta domi res eſt*, ſuadendus Autor. *Georg. Caſp. Kirchmaier.* in Præfat. ad *Jo. Sperlingii Zoologiam.*

Ulyſſes Aldrovandus incomparabilis naturæ operum perſcrutator, varietate doctrinæ, ubertate Scriptorum, reconditis eruditioris ingenii viribus, cunctos ferè cùm præſentis, tum elapſi ſæculi homines ſuperavit. Nulla quippe dirior,

Digitized by Google

apud alium officina, gummatibus, lachrymis, radicibus, herbis, lapidibus, animalibus, gemmis, quàm quæ in ſuis paratur libris; ut profectò admirabilem univerſi referre videatur mercatum, dum incogniti cujuſque climatis fœtus, legentium mire ſubjicit oculis, exprimitque vires. Dignus pernobili *Ulyſſis* nomine, qui ſicut è *Græciâ* ſecedens totius propè orbis ambitum peragraſſe fertur, ita hic generoſo mentis impulſu, naturæ infra cœlum ubique luxuriantis delicias colluſtravit. *Io. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Græcarum literarum ignorantiam in *Aldrovando* notat *Ezech. Spanhemius* in tractatu de Præſtantia & uſu Numiſm. Antiq.

Ulyſſes Aldrovandus multis in locis miram prodiit Metricæ Artis inſcitiam: quod non à me dicitur, ut detraham nomini *Aldrovandi*, viri induſtriâ ſua, poſt doctiſſimum *Geſnerum*, in enarranda nobis animantium natura, pulchrè de ſtudiis promeriti. *Voſſ.* de Idolol. l.3.cap.91.

Memoriam hujus Auctoris Cardinalis *Mapheus Barberinus*, poſteà *Urbanus* P. P. VIII. hiſce verſibus celebravit:

Multiplices rerum Formas, quas Pontus *&* Æther
Exhibet, & quidquid promit & abdit Humus,
Mens haurit, ſpectant oculi, dum cuncta ſagaci,
Aldrovande, *tuus digerit arte Liber.*
Miratur proprios ſolers Induſtria *fœtus,*
Quamque tulit moli ſe negat eſſe parem.
Obſtupet ipſa ſimul rerum fœcunda Creatrix,
Et cupit eſſe ſuum quod videt Artis *opus.*

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

OBERTUS GIFANIUS.

Clar. A. D. MDXC.

B*urenſis Batavus*, Juriſconſultus, natus eſt Anno 1534. Obiit *Pragæ*, Anno 1609. Septuagenario major. *Argentorati* Philoſophiam, *Altdorfii* & *Ingolſtadii* Juriſprudentiam docuit. Tandem in Aulam Cæſaream vocatus, & Conſiliarii Cæſarei titulo exornatus eſt.

Scripſit Comment. in Ethicam & Politicam *Ariſtotelis*---Collectanea & Indicem in *Lucretium*---Obſervationes in Linguam Latinam---Comment. in Inſtitutiones Juris---Antinomias Juris Civilis & Juris Feudalis --- Tractatus de Renunciationibus---Oeconomiam Juris---Notas in Corpus Juris Civilis---*Lecturas Altdorfinas*---Scholia brevia in *Homeri* opera---Comment. de Imperatore *Juſtiniano*---Indicem Hiſtoricum Rerum *Romanarum*.

Is prima literarum rudimenta in *Belgio* ſuo cum imbibiſſet, induſtriam ſuam primùm in *T. Lucretio* exercuit. Quem poſt *Michaëlem Marullum Byſantium*, qui

qui tantum authorem miſerè interpolaverat,& ſecundùm *Dionyſium Lambinum* noſtratem, qui in eo laudabilem operam navavit, nobis meliorem dedit. Dein totum ſe Juris ſcientiæ ac Philoſophiæ ſtudiis mancipavit, & voce & Scriptis rem literariam multùm promovit. *Thuan.*

Obertus Giphanius, aulæ *Cæſareæ* Conſiliarius, Juriſconſultus, & Philoſophus celeberrimus, Scriptis doctiſſimis notus, qui ſi conſtantiam in Religione eruditioni tantæ conjunxiſſet, aulamque nunquam acceſſiſſet, inter laudatiſſimos Anteceſſores referri meriti ſuo potuiſſet. At *Lipſium* in mutatione Religionis expreſſiſſe videtur, popularem ſuum *Quenſted.* & *Georg.Remus* in Epiſt. quadam ad *Io. Caſelium.*

Illud Juris Aſylum & *Germaniæ* noſtræ Sol *Hubertus Giphanius.Gaſp.Sciopp.* 4to.Vol.p.93.

Obertus Giphanius Juriſconſultorum noſtrâ memoriâ facilè princeps. *Idem* Comment. in *Priapeia*,p.2.

Lucretium edidit cum Indice, de quo vetus illud pronunciare poſſum; *Melius eſſe tacere, quàm pauca loqui. Idem* de Art. Crit. p.10.

Ævo avorum noſtrorum non ignobile ingenium *Oberti Giſanii* fuit, licet de ejus *Collectaneis* docti homines,ut potè *Duſa,Lambinus, Carrio, Fruterius;Schottus*, & alii non ſemper benè ſenſerint. *Barth.* l.3.Adverſar.c.21.

Obertus Giſanius, diligens & maximè induſtrioſi ingenii vir. *Barth.* l. 5. Adv. c.10.

Obertus Giphanius, vir eruditiſſimus, mihique ob raras excellentiſſimi ingenii dotes cariſſimus *Ioſ.Scalig.*Comment.in *Copam.*

Obertus Giſanius, juris Scientiâ, omnique politioris literaturæ laude clarus, hoc teſtimonium veritati, non amicitiæ damus. *Marc. Velſer.* l. 8. *Rer. Auguſtan.*

Juriſconſultus omni literarum ac ſcientiarum parte excultiſſimus: quem non immeritò *Germaniæ Cujacius* indigitare poſſis. *Io. Strauch.* ad tit. C. de *Beryto* c. 4. num.11.

Giſanius doctus erat ejus *Lucretius* optimus eſt. Aliquid boni ad ipſum in *Lucretium* poſtea tranſmiſi, quod ſibi ſervavit, dixitque ſe nihil accepiſſe, ut ſcilicet id ſibi arrogare poſſit. *Ieſuita* quidam *Italus* ei morienti adfuit, plurimaque ejus ſcripta diripuit Romamque abivit. *Lucio Fruterio* ejus *Agellium* ſuffuratus eſt qui prelo, mox ſubjiciendus erat. *Giſanius* in *Gallia* tam honeſtus vir fuit. Imperatoris Conſiliarius fuit, & quoniam ubi adeſt uxor lautiùs vivendum eſt intra proprios lares, ſuam ablegavit *Noribergam*; 25. Ducatorum millibus dives erat, & in ſubtegulanea cella hoſpitabatur. Liberis utebatur ut ſervis; unus filiorum ejus erit Ieſuita. *Scalig.*2.Gall.

Giſanius, cùm ultimam manum non admoverit, illius Verſio *Politicorum Ariſtotelis*] ſæpe non ſatis polita, ſæpe ambigui ſenſûs, interdum non una, ſed duplex eſt: cæteroquin futura omnium optima. *Conring.* Introd. in Polit. Ariſt. c.9.p.648.

Profeſſor primum Altorfinus, poſtea Cæſ.Majeſtatis Conſiliarius,qui non tam

veræ

veræ Religionis, quàm veræ Philoſophiæ perpetuus & ſtrenuus aſſertor extitit. Laudem hîc noſtram merentur ejuſdem nova *Verſio & Commentarii in Politica Ariſtotelis*, quibus nihil, quàm ultima & pars & ultima manus deſunt. *Mejeri* in Præf. ad Analyſ. Polit. Ariſt. ſect. 47.

Hubertus Giſanius Juriſperitiſſimus erat, in Philoſophiciſque & politioribus literis eruditiſſimus. Plura ſcripta in publicum emiſit, quæ ſagacium Criticorum exiſtimationem promeruerunt. Ejus in *Ariſtotelem* Commentarii præſtantiſſimi ſunt, & in *Juſtiniani Inſtituta* omnium etiam optimè commentatus eſt, *Scioppii* quidem judicio. Quod ad ejus in *Lucretium* Annotationes attinet, bonarum obſervationum numero refertæ ſunt; ſed *Lambinus* ipſum accuſabat quòd eas ſibi ſuffuratus eſſet; quod fecit ut in *Giſanium* inveheretur, diceretque eum ſuâ tantùm importunitate, pertinacia, ſuperbia, impudentia, ruſticitate inſignem eſſe, ut denique etiam exprobraret ei perfidiam qua in *L. Fruterium* uſus erat. *Ant. Teiſſier*. Elog. Viror. Erudit. Gall.

Obertum Giſanium Janus Douza Senior mordaciſſimis carminibus, licèt non apertè nominans, ſed alibi *Fannium*, alibi *Buranum* appellans, perſtringit, quòd ſcripta *Lucæ Fruterii*, à moriente ſibi, ut ederet commiſſa, in rem ſuam verterit, & ut prælo *Fruteriana* committerentur, pugnantibus reſtiterit: quin & in *Victorem Giſelinum* admiſſi *Plagii* reum agit. *Thomas* de *Plag*, ſect. 425.

Obertus Giſanius in vertendo *Homero* induſtriam ſuam conſumpſit; atque utinam ſermonis caſtitas ſummæ ejus fidei reſpondiſſet, interpretandorum Poëtarum egregium ſpecimen haberemus. *Huet.* de Clar. Interpret.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

JUSTUS LIPSIUS

Hoc ejus Symbolum:

MORIBUS ANTIQUIS.

Clar. A. D. MDXC.

NAtione *Belga*, natus eſt in *Iſcano* municipio Anno 1547. die 18. Octobris. *Lovanii* obiit die 23. Martii, Anno Chriſti 1606. ætatis 59. Docuit *Jenæ*, *Lugduni*, & *Lovanii*

Scripſit permulta: omnia egregia. Inprimis laudem merentur ejus Comment. in *Tacitum*, Civilis doctrina, Monita Politica, Manuductio in Philoſophiam *Stoicam*, notæ in *Senecam*.

Juſtus Lipſius diligentiâ, judicio, multiplici lectione admirandus, *Criticorum* ſuada, medulla. *Dempſter*. in Elench. ſcript. *Roman*.

Apex ille eruditionis reconditæ, *Juſtus Lipſius*. *Jan. Gruter*. in Not. ad *Plin. Panegyric* c. 2. ſect. 5.

Interiorum literarum decus, *Juſtus Lipſius*. *Laur. Pignor*. in Menſâ *Iſiacâ*, c. 3.

Vir acutiſſimus ingenii, & judicii dexterrimus. *Barth*. l. 19. adv. c. 15.

Lipſius

Digitized by Google

Lipſius omnem gloriam nomine ſuo concludit, vir famâ Orbi notus Ocellus *Belgii*, univerſi Phœnix, Sol antiquitatis, Hiſtoriæ omnis Promus & Condus, ſapientiæ & prudentiæ anima. *Nic. Vernulus.*

Vir, frementibus invidis, optimè de totâ re literariâ meritus. *Band.* l. 2. Epiſt. 21.

Belgarum, dum viveret, doctiſſimus *Juſtus Lipſius*. *Voſſ.* l. 4. Inſtitut. Orator. c. 6. num. 2.

Juſtus Lipſius, victuris ad omnem poſteritatem *Scriptis* ſatis ſe illuſtrem toto Orbe præbuit. *Thuan.* ad Ann. 1606.

Lipſius, glorioſum ævi noſtri ſpecimen. *Sciop.* Suſpect. Lect. l. 2. Epiſt. 17.

Illius de *Conſtantiâ* liber quàm diu vivet? *Sciop.* de Art. Crit. p. 2.

Quem virum [*Juſtum Lipſium*] per omnia diis, quàm hominibus ingeniô propiorem, uti lumen unicum & numen ævi noſtri colo & veneror præter omnes, quos ille admiratores cultoreſque ubique habet plurimos. *Valent. Acidalius* Lection. in *Patercul.* p. 512.

Vir incomparabilis judicii & ingenii admodum felicis. *Barth.* l. 56. adverſar. cap. 9.

Exactiſſimum illius divini ingenii judicium. *Lud. Carrio* lib. 11. Antiq. Lect. cap. 4.

Exquiſiti cenſor judicii. *Conring.* in Præf. ad *Tacit.*

Ut ævo ſuo *Titus*, ſic noſtro *Lipſius* verè Delicium Humani generis fuit. *Aub. Miræus* in Vitâ *Lipſii.*

Acre omninò & felix ingenium fuit *J. Lipſio*, in tollendis Veterum Scriptorum mendis, & eluendis maculis, & neminem habet fortaſſe parem: Sed ut hominem ſe noſſet, aberravit interdum à ſcopo. *Lælius Biſciola* lib. 14. c. 13. Horar. Subſeciv.

Lipſius ſuaviſſimæ quidem, ſed inimitabilis, &, ut ipſe judicabat, ne tentandæ quidem aliis eloquentiæ vir. *Dan. Heinſ.* Orat. 1. p. 11.

Romanos mores veteraque tempora interpretando plurimum claritudinis *I. Lipſius* ſibi locoque addidit, amœna morum gravitate ſupra profeſſionem ſpectabilis, & ſuâ quadam eloquentiâ pleroſque alliciens: nam cum floridum ipſi & profluens Natura haud abnegaret, alterum maluit dicendi genus, conciſum quidem, nec ſine feſtivitate, ſed verè novum obtentu antiqui, quod cùm imitarentur, quibus ingenii judiciique non idem fuit, ad corruptiſſima quæque deventum eſt. Cùm verò *Lipſium* metus publicus & privata injuria mutandas ad partes impuliſſent, accitur è Gallia Joſephus Scaliger. *Grot.* lib. 5. Hiſtor.

In *Traſea* (libro ab ipſo edito) multa inſunt, quæ non ad famam magis, quàm ad publicum honorem. *Band.* Cent. 3. Epiſt. 28.

CL. v. *I. Lipſii Politica* meô punctô, & opinor, omnium rectè ſentientium judiciô palmam obtinent inter omnia Viri ſummè de literis meriti monumenta. *Band.* Cent. 3. Epiſt. 5.

Lipſii Politicorum opus utinam tam completum & omnibus Rerump. formis accommodatum, quàm eſt accuratum & planè è genuinis fontibus deductum.

ctum. *Jo. Andr. Boſius* de Compar. prudent. Civ. nu. 11.

De *Lipſii* noſtri obitu non poteſt te latere. Negari non poteſt, in illius morte, & literis jacturam, & amicis luctum ſummum contigiſſe. Amavi hominem, ut amicum, colui, ut benè de literis meritum. *Joſ. Scalig.* Epiſt. l. 2. Epiſt. cxx.

Audiſti, ut opinor, V.C. *Juſtum Lipſium* è vivis exceſſiſſe; multum detrimenti cepit res literaria; & magnum ſeculi jubar extinctum eſt. Integriore tamen famâ deceſſiſſet, ſi nunquam rem habuiſſet cum divis illis ſuis *Virginibus. Baud.* Epiſt. Cent. 2. Epiſt. 59.

Quanquam in ſummi illius viri judicio hâc quidem in parte, non ita multum præſidii ponendum: cùm nemo diffiteri poſſit, eum modum minimè tenuiſſe in vocibus priſcis, Poeticis, duris: ut eruditioni ejus non paulò amplius debeant literæ, quàm ſtyli exemplo. *Voſſ.* l. 4. Inſtitut. Orator. num. 7. cap. 6.

Nec probare illa *Lipſii* poſſum, viri ab ingenii elegantiâ & variâ eruditione, quàm dictione laudatioris. *Voſſ.* l. 1. de Hiſt. Lat. c. 19.

In *Juſti Lipſii* ſtylo, Scriptoris ætate noſtrâ clariſſimi, iſtæ apparent dotes: Acumen, Venuſtas, Delectus, Ornatus vel nimius, cùm vix quicquam propriè dictum ei placeat, tum Schemata nullo numero, tandem verborum copia: deſunt autem Perſpicuitas, Puritas, Æquabilitas, Collocatio, Junctura & numerus Oratorius. Itaque Oratio ejus eſt obſcura, non paucis *Barbariſmis* & *Solæciſmis*, plurimis verò *Archaiſmis* & *Idiotiſmis*, innumeris etiam *Neoteriſmis* inquinata, comprehenſio obſcura, compoſitio fracta & in particulas conciſa, vocum ſimilium aut ambiguarum puerilis captatio *Sciop.* in *Paſcaſio Groſippo.*

Juſtum equidem *Lipſium* ſummè ſemper amavi, propter eximias ingenii, doctrinæ, judicii, morum etiam integritatis, quæ in eo enituere, dotes, ejuſque pari ferè, ac Antiquorum Opera in honore habui. Verùm maceror, & doleo illum verba antiqua nimis frequenti in uſu habuiſſe: Sed magis, eidem deeſſe ſermonem purum, & merè *Latinum.* Certè phraſis quæ corpus eloquentiæ facit, tota ab illo eſt, & in eâ nullum, quem ſequeretur, auctorem habuit. Quod utique in linguâ, quæ intercidit, & jam in nullius populi eſt uſu, facere non licet. Naturæ quidem ſuæ, & genio vir ut doctus, ſic nonnihil audax in ſcribendo, indulſit: cui laxum, & fluxum ſcribendi genus cordi non eſſet, conciſa verò, & adſtricta magis eſſent ad guſtum, quique fracta & elumbia, qualem eſſe *Ciceronis* compoſitionem olim *Brutus* judicavit, rejiceret, atque aſpernaretur. Inde Oratio ejus crebrâ *Parentheſi* interrumpitur, & tota *interrogatiunculis* ſcatet. *Roland. Mareſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 49.

Quod ad *Juſti Lipſii* Epiſtolas attinet, eæ mihi cum *Plinianis* venuſtate quodammodo certaturæ videntur, niſi mala, cujus auctor eſſe ambiit, Latinitas, ut pleraque ejus *Scripta*, ita etiam eas corrumperet, & infuſcaret: tantum acuminis, & argutiarum, tantum doctrinæ, tantum moralium documentorum iis paſſim aſperſum eſt. *Mareſ.* Epiſt. l. 2.

Lipſii ad *Polybium* tandem vidi. Et vis dicam liberè quid ſentiam? Opus eſt,

Digitized by Google

eſt, labore magno, judicio recto, ingenio denique talis viri conceptum feliciter ac formatum. Nemo negaverit unum illum hodiè res veteris *Reipublicæ Romanæ*, & noſſe eximiè & explanare omnium elegantiſſimè. Veruntamen quod inter nos liceat [μόνοι γὰρ ἔσμεν] mirari interdum ſubit, cur hanc potiſſimam rationem tractandi ejus argumenti elegerit? Nam ad *Polybii* lucem quid admodum attulerit ſui, nondum videre potui. Multa ille quidem meliùs vertit quàm priores feciſſent *Interpretes:* Sed magnam eorum partem *Turnebus*, aliique ſibi vindicant. De cætero, ſi quid in *Græcis* illis obſcuri fuit, lucem id adhuc deſiderat. Non enim alluxit *Fax Lipſiana* illis locis. *Caſaub.* in Epiſt. 21. ad *Bongarſium.*

Noviſſimus omnium qui ante nos in explicatione *Polybii* aliquam poſuerunt operam, fuit *Juſtus Lipſius*, vir clariſſimus, & de meliorum literarum ſtudiis excellenter benè meritus. Hic ſi integrum *Polybium*, aut unam aliquam è tribus illius partibus *Latinè* expreſſiſſet; atque ad hoc inceptum tantam *Græcæ* Linguæ peritiam attuliſſet, quanta in eo fuit cognitio veteris *Hiſtoriæ* totiuſque *Antiquitatis*, & *Latinæ* dictionis facultas: poſt *Lipſium* in eandem Palæſtram deſcendere, hoc verò fuiſſet, poſt *Roſcium*, in Scenâ geſtum velle agere. *Caſaub.* Præfat. ad *Polyb.* 3. Vol. p. 80.

Juſtus Lipſius in Libello de *Conſtantiâ*, tanquam in *Darii* Scrinio, res ipſas quas habebat pretioſiſſimas, elegantiam videlicet, & omnes ingenii ſui ac judicii gemmas, artificioſè concluſit. *Gab. Naud.* Bibliograph. Polit.

Multi cenſuerunt librum ejus de *Conſtantia* cæteris omnibus anteponendum eſſe. Quidam dicunt ſtylum *Variarum* ejus *Lectionum* eſſe omnium puriſſimum & elegantiſſimum. Quod ad ejus Tractatum de *Politica*, quamvis textuum variorum è pluribus lectis Authoribus excerptorum merus cento is ſit, quem filo ex ſuo penu deſumpto conſuit, idque multò majori labore quàm induſtria, illum tamen in ſuis Epiſtolis ipſe commendat, eodem affectu quo *Matres* ardentiùs amare ſolent infirmiſſimos & imperfectiſſimos ſuos natos. Sed eruditi & acris judicii viri non ſuffragantur ipſi, nec ſcriptum illud unquam magni æſtimarunt, ut à *Mottæo* le *Vayer* obſervatum eſt. *Ant. Teiſſier.* Elog. Viror. Eruditorum. Gall.

Tertia Centuria Epiſtolarum Lipſii omnium ejus operum peſſimum eſt: Optima autem ſunt ejus in *Tacitum* Commentarii, ejus Orationes de *Concordia*, & in *Ducis Saxoniæ* obitum. Ejus *Electa* ejuſque *Saturnalia* ſunt præclariſſimi libri. *Græcus* tantum fuit quantum ad proprium uſum opus erat. Quam miſerandum *Lipſii* judicium de *Seneca* Tragico. Poetices prorſus ignarus eſt. *Scalig.* poſterior. Gall.

De *Lipſii* Epiſtolis dici hîc multa poſſent. Conſiderari illæ vel ratione dictionis, vel ratione rerum poſſunt. Vehementer ſenex à juvene diſcrepat. Cùm enim in juventute ſuâ *Ciceronianam* dictionem ſequeretur, maturioribus annis penè novum eloquentiæ genus ſibi finxit, in quo argutiæ, adagia, hemiſtichia, Græcæ ſententiæ, quorum in familiaribus inter eruditos Epiſtolis uſus eſſe poteſt; Tales enim Epiſtolas illa ornant, in cæteris locum non habent, ubi enthymemati-

 bus

Digitized by Google

bus agendum, & ſermo πεπλασμένος requiritur. *Mareſius* lib. 1. Epiſt. 7. ſermonem Poeticum in illo agnoſcit, qui *Statium* referat, ſibi pro ſummo Poëtâ habitum, cujus ſcriptio valdè ſit adſtricta, & crebrâ parentheſi interrupta. Idem ibid. Epiſtol. 49. ad *Heinſium* in illo reprehendit antiquorum verborum nimium uſum, audaciam in ſcribendo, dictionem parentheſibus & interrogatiunculis interruptam. Reſpondet illi N. Heinſius: *Non deſunt Lipſio ſuæ Veneres. Habet neſcio quid, quò lectorem trahat, & quod prorſus improbare non poſſis. Ut non tam illi ſuccenſeam, quàm ineptiſſimis mortalibus, qui imitandum ſibi illum proponunt, idque tam præpoſterè, ut vitia ejus exprimant plerumque, virtutes non aſſequantur. Imitatus neminem Lipſius, ac proinde nemini imitandus. Memoriam ego tanti viri ſanctè veneror. Nec negarim tamen, magnâ illi ex parte labem eam deberi, quam tu Belgis noſtris non immeritò adſcribis.*

Quod niſi ὁ Θαυμάσιος Scaliger *juventuti noſtræ peſſum eunti ſalubribus ſuccurriſſet monitis, in Lipſii locum à Curatoribus hujus Academiæ opportunè ſubrogatus, futurum vix erat, ut tantam tot præclarorum ingeniorum, quæ annis 50. proximis in Bataviâ noſtrâ eluxerant, meſſem mirarentur exteri. Nec labes tamen illa ſolos Belgas & Germanos, ſed Gallos etiam veſtros, infeciſſe videri poteſt.* Magnam partem de illo vera ſunt, quæ in *Excerptis Scaligeranis* dicuntur. *Henricus Stephani* Latinitatem *Lipſii* ſingulari libro notavit. Neque unquam ego ſuaſerim, ut, antequam aliquis robur in ſtylo acquiſiverit, inexercitatus adhuc *Lipſianæ* Lectioni adſueſcat, aut ejus floſculos in uſus ſuos excerpat. Qui illum imitati ſunt, infeliciter rem ſuam geſſerunt: Nam vel exſcripſerunt nonnulla, ac ſententias quaſdam compilarunt, vel planè inepti fiunt, dum dictionem ejus exprimere tentant, per ſe non laudabilem. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 301. 302.

Vide *Patricium* qui *Italicè* ſcripſit *Parallela Militaria* ſatis bona; ex quibus *Lipſius* magnam partem eorum, quæ de *Militiâ Romanâ* commentatus eſt, videtur hauſiſſe. *Salmaſ.* Epiſt. l. 1. Epiſt. 93.

Lipſii Saturnalia Petro Fabio adſcribuntur à *Caſpare Scioppio*, in Not. ad *Priap.* p. 14.

Juſtus Lipſius à *Mureto* ſemel iterumque appellatus de *Plagio*, reſpondit illi quidem, ſed ita, ut certiùs nobis de improbis ejus quibuſdam affectibus, quàm innocentiâ conſtet. *Thomaſ.* de *Plag.*

* Ejus Orationes octo falsò illi adſcriptæ, *Jenæ*que potiſſimum habitæ, prohibentur, cautè Legendus in iis, quæ de *Fato* ubique diſſerit. *Index Madrit.* Edit. ann. 1667.

Opera ejus omnia curâ *Balth. Moreti* ſex Tomis diſtincta, *Antverpiæ* Folio anno 1637.

Hoc Epitaphium, quod ſibi ipſe ſcripſit, viſitur *Lovanii* in æde *D. Franciſci:*

Quis hic ſepultus, quæris? Ipſe ediſſeram.
Nuper locutus & ſtilo & linguâ fui,

Nunc

Digitized by Google

Nunc altero licebit. Ego ſum Lipſius :
Cui litera dant nomen & tuus favor.
Sed nomen, ipſe abivi, abibit hoc quoque :
Et nihil hic Orbis, quod perennet, poſſidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et ſcena imago, &, verbo ut abſolvam, Nihil.
Extremùm hoc te alloquor :
Æternùm ut gaudeam tu apprecare.

Lapidis Sepulchralis Inſcriptio in dictâ urbe & æde :

Juſti Lipſii quod claudi potuit, hîc jacet. S. P. Q. *Antverp.* inclyti viri famæ orbi notæ virtuti Cœlo receptæ, H. M. P.

Ejuſdem alterum Epitaphium : Auctore Anonymo :

Si ſimplex animi candor, ſi neſcia fuci
Integritas ſimiles nos facit eſſe Diis.
Nemo te propius, Lipſi, *ſe æquabit Olympo,*
Nam te candidior nemo, nec integrior.

Alterum ejuſdem :

Nemo te lacrymis, Lipſi, *neque laudibus ornet.*
Non lacrymæ, at plauſus funera ſancta decent.
At qui te laudare volet velut Icarus *alter*
Nominis Oceano mergitur ille tui.

RICHARDUS HOOKER.

NOn procul ab *Exoniâ* natus ſub initium Anni 1554. Collegii *Corporis Chriſti* Scholaris anno 1573. Socius & Artium Magiſter 1577. Rector de *Drayton. Beaucamporum* in Comitatu *Buckinghamienſibus* Anno 1584. Eccleſiæ *Templariorum Londini* Magiſter 1585. Rector de *Boſcum*, juxta *Sariſburiam* 1591. & noviſſimè de *Biſhopsbourn*, prope *Cantuariam* Anno 1594. Hujus viri obitum, nec meliùs, nec digniùs exprimere licet, quàm in verbis *Gulielmi Laud* Archiepiſcopi *Cantuarienſis.* Quæ in hujus Authoris libro de *Eccleſiaſticâ Politeiâ* ad ſe tum pertinente deſcripſerat (liber autem iſte nunc penes eſt *Gulielmum Fulman*, *Corporis Chriſti* Collegii nuper Socium) verba hæc ſunt : *Richardus Hooker vir ſummis doctrinæ dotibus ornatus, de Eccleſiâ præcipuè* Anglicanâ Clar. An. D. MDXC.

glicanâ *optimè meritus*, *obiit Novembr.* 11. *circiter horam ſecundam poſt Meridiem, anno* 1600.

Scripſit de *Eccleſiaſticâ Politeiâ* lib. 4. *Lond.* 1594. *Angl.* Quibus & Quintum addidit, ſeorſim editum *Lond.* 1597. *Angl.* Tres illi, qui nunc circumferuntur, poſt obitum ipſius publicati, valdè mutili & imperfecti (ne quid gravius dicam) meritò habentur. Scripſit etiam atque edidit *Anglicè Tractatum* de *Juſtificatione*, atque varias *Conciones* & *Reſponſum* ad Supplicationem *Gualteri Travers*, ad *Regium Concilium* factam.

Richardus Hooker Theologus, modeſtiâ, temperantiâ, manſuetudine,& cæteris virtutibus imitandus, & ſupra multiplicem eruditionis laudem celebris,quam libri de *Eccleſiaſtica Politeia*, patriâ linguâ editi, digniſſimi qui *Latinè* loquantur, abundè teſtentur. *Camden* in Annal. *Elizab.* ſub an. 1599.

Etſi vel ſingula omnium totius *Europa* Academiarum Collegia perſcrutaremur, vix, aut ne vix invenire fas eſſet, unum aliquod, in quo ejuſdem ſæculi,ex eadem Patriâ, tres Theologi, quales erant *Juellus, Hookerus*, & *Rainoldus*,omnis eruditionis *Triumviri*, ſimul floruere. *Ant.* à *Wood* in Antiq. Univ. *Oxon.*

De primis quatuor libris *Eccleſiaſtica Politeia*, audi qualem *Clemens* VIII. Pontifex, cùm eorum partem aliquam Dr. *Thom. Stapleton Latinè* interpretatus eſſet, ſententiam tulerit. *Credo* (inquit) *vix ullum doctrina genus reperiri poſſe,quam non indagaverit Author iſte;cujus ingenio omnia* [*quantumvis difficillima*] *cedere neceſſe eſt. Verè quidem Authoris nomine digniſſimus,cujus Operi,quò magis inveterascet, eò major indies veneratio accedet; quippe in quo ea immortalitatis ſemina conduntur, (ſi modò de toto opere, ex ejus parte conjectare fas ſit) qua poſteritas alet, quaque ſemper adultiora ipſa æternitas intuebitur.*

Nonnemo *Schiſmaticorum Malleum* appellat.

Carolus I. *Britannia* Rex, ejus lectionem liberis ſuis, cùm eis valediceret, ſeriò commendabat.

Theologi noſtri illum *Venerabilis* compellatione inſignire ſolent.

Cùm primùm Rex *Jacobus* Regnum ſuum adiviſſet Archi-Epiſcopum *Whitgift* percontatus eſt de amico ſuo D. *Hooker* qui libros ſcripſit de *Politia Eccleſiaſtica*; ad quod reſpondit eum obiiſſe annum unum ante Reginam *Elizabetham*;quæ triſtem de ejus obitu nuncium audierit cum gravi mœrore. Ad id regeſſit Rex. Mihi verò non minùs moleſtus fuit ille nuntius, quòd me privari oporteret conſpectu & colloquio illius viri, cujus libri mihi adeo ſatisfecerant. Et reverâ Domine mihi plenius ſatisfactum eſt unius folii,imo vel unius paragraphi lectione in D. *Hooker* ſcriptis, quamvis illa eſſent tantùm de Templorum ſtructura, vel de Muſica Eccleſiaſtica, vel ſimilibus, quàm lectione peculiarium Tractatuum quibus prolixè agebant alii Authores, quamvis erudiriſſimi de unico iſtiuſmodi argumentorum; & animadverto apud D. *Hooker* non occurrere ſermonem affectatum, ſed gravem, energicam & evidentem rationis manifeſtationem, eamque munitam authoritate Scripturæ, Patrum,& Scholaſticorum,omnibus Sacris & Civilibus Legibus. Quamvis autem plerique alii benè ſcribant, proximo tamen ſeculo peribit eorum memoria; ſed dubio procul in ſingulis paginis

ginis libri D.Hooker Animi Divini effigies conſpicitur,ejuſmodi veritatis & rationis imagines, tamque ſacratis coloribus depictæ, ut exoleſcere nunquam poſſint, ſed Authoris memoriam immortalem redditura ſint. Vide *Iſ.Waltonum*, in vita D. *Richardi Hooker*. Angl.

Epitaphium ſequens diu poſtea fuit evulgatum in D. *Hooker* memoriam ab Equite *Wilhelmo Cooper*, qui etiam ſplendidum Monumentum ei conſtruxit in *Bornenſi Templo*, & profitetur ſe illum ut Patrem ſuum Spiritualem revereri, idque *eleganti* carmine Anglico, quod hîc verbatim interpretamur.

Quamvis ſagacis *Hookeri* famâ, vel pretioſi nominis memoriâ dignum quicquam eloqui nemo valeat: Quamvis hi ſumptus fiant in gratiam Viri,qui Monumentum ære perennius in ſuis Libris ipſe ſibi erexit: Æquum tamen eſt ut Nos, ſi non ejus Meritum, ſaltem noſtram ejus Venerationem palàm hîc faciamus. Ceremoniarum Eccleſiaſticarum Patronus hic fuit: Quomodo igitur abſque omni ceremonia ſepultus relinqueretur? An id fieret quoniam eius Mors æquè ac eius Vita, Humilitatis exemplar debeat eſſe? An verò quòd Defuncto magis glorioſum foret quærere, Cur abſque ulla pompa tumulatus fuerit? Verùm qui hîc obſcurè tam dudum jacuit, ad altiores jam honores evectus eſt. O vos homines ambitioſi, diſcite nunc moniti ſapientiùs vos gerere. Humilitas vera eſt exaltationis via. Hinc eſt quod non ſine Numine incitatus fuerim ad Virum hunc Humilem his Evangelii verbis compellandum, *Amice,aſcende ſuperius*. Angl.

JOHANNES RAINOLDUS.

APud *Pinhavves* propè *Exoniam*, in agro *Devonienſi* natus, menſe Septembri aut circiter, anno 1549. in Collegii *Corporis Chriſti* Scholarem, è Coll. *Mertonenſi* electus anno 63. & Socius probationarius 66. Linguæ *Græcæ* in Collegio ſub eodem tempore Profeſſor. S.T. Doctoratu inſignitus Anno 85. Et poſt aliquot annos *Decanus Lincolnienſis* electus eſt. Verùm *Academico* vitæ genere oblectatus, *Decanatum* ſuum cum Doctore *Cole* pro munere Collegii *Corporis Chriſti* præſidentario permutavit. Clar. An. D. MDXC.

Scripſit Cenſuram librorum Apocryphorum Vet. T. contra Pontificios.De cæteris quæ publicata ſunt vide Catalogum novum *Bodleianum*.

Tam admirabiles in pietate & literis reconditioribus,inprimis verò in Theologicorum Myſteriorum Scientiâ progreſſiones fecit,ut *Academiæ* lumen,*Europæ* decus, *Divinæ* Gloriæ buccinator, *Sanctitatis* eximium exemplar, & diligentiſſimus in *Pontificios* Scriptor fuerit. Cuius Volumina quotquot in lucem prodierunt extant omninò inconfutabilia: Sed in ipſo curſu, proh dolor! Mors eum oppreſſit. Nam ingratus Mundus tantâ ſtellâ fuit planè indignus. Vid. *Heriologiam Anglicam* Impreſſ. ann. 1620. fol.

Rainoldo

Digitized by Google

Rainoldo à Linguæ *Græcæ* prælectura, nomen & fama crevit. Author autem in quem legere ſuſceperat, ipſe *Ariſtoteles* erat, cujus de *Rhetoricâ* eximios libros, pari Commentario illuſtravit, in quo non minus, quàm in ipſo libro tanquam gemino alveo decurrit, *aureorum flumen rerum*, & *verborum*. Erat autem vir iſte, memoriâ uſque ad ſtuporem felici, in omni librorum genere, præcipuè verò S. *Auguſtini* Scriptis verſatiſſimus; adeo ut ipſe ſolus vel altera *Bodleiana*, vel *tertia Academia* non immeritò dictus ſit. Accepi, Doctorem *Albericum Gentilem* in hac *Academiâ Iuris Civilis* tum *Regium* Profeſſorem, cùm fortè Quæſtiones quædam in ea facultate, inter ipſum & *Rainoldum*, ultro citroque commeaſſent diſcutiendæ, fateri non erubuiſſe, hunc virum leges illas vel ſeipſo [quantus ille autem] perſpectiores habuiſſe. *Ant. à Wood* in Hiſt. & Antiq. *Univerſ. Oxon.* p. 237.

Multa de eo dicenda nobis adſunt. Quandoquidem verò ejus & jam facta eſt, & amplius à me fiet mentio, ſufficiat inpræſentiarum, hoc de illo affirmare, fuiſſe *Theologum* in *Patrum*, *Scholaſticorum* & *Rabbinorum* Scriptis, verſatiſſimum, in *Græcis* & *Philologicis* criticum exactiſſimum, oratorem quoque facundiſſimum, pium inſuper & benignum, probum & inculpatum. Literarum denique & ſtudioſorum indigentium faventiſſimum, & in regendo Collegio, diſciplinæ tenaciſſimum. *Ant. à Wood.* ibid.

Vir celebertimus Theol. Angl. longè doctiſſimus. *Dallæus* de cultu Relig. Præf. p. 8.

Rainoldus in erudititiſſimo Opere Prælectionum ad libros *Apocryphos*, quod citationibus omnis generis Autorum teſſellatum eſt. *Voet.* Præf. ad *Theſes.*

Ioannes Rainoldus Academiam in ſuo pectore geſtaſſe ferebatur. Sane *Scripta* ejus omnigenam eruditionem, antiquitatis ſummam notitiam, inprimis Colloquium cum *Harto* Jeſuita arguunt. *Lati* Compend. Hiſt. Univ.

Viri pereruditi *Ioannis Rainoldi* exceſſum ignoravi hactenus; qui magnâ, ut tu quidem ais, *Anglicanæ Eccleſiæ*, ut ego judico, omnium *Eccleſiarum*, jacturâ contigit. Quanti ego Doctrinam ejus fecerim, non ſemel ex me audire potuiſti: & certè, vicem potiùs noſtram, quàm illius doleo; qui ad portum quietis delatus, nos in tempeſtatibus reliquit; quas evadere facile eſſet, ſi illis lectiſſimis plantis exciſis, aliæ meliores, aut certè non deteriores, ſuccreſcerent. *Ioſ. Scalig.* Epiſt. l. 4. epiſt. 446.

Iohannes Rainoldus eruditus & pius *Oxoniæ* Doctor, cujus nomen non minùs ultra mare quàm hîc celebratur. In hoc ſolo continebatur locupletiſſima Bibliotheca: omnibus Facultatibus, omnibus Studiis, omni Doctrinâ refertus erat: Memoria, & Lectionis copia hujus viri ferè Miraculum erant, Doctoris *Hall* Decad. Epiſt. ep. 7. Ang.

Ad parietem Borealem Sacelli *Corporis Chriſti*, ſub humana Effigie, habitu Doctorali ad medium uſque veſtita, hæc legas:

Jo. Rainoldo *S. Theol. D. eruditione, pietate, integritate incomparabili, hujus Coll. Præſ. qui obiit Maii* 21. *anno* 1607. *ætat. ſuæ* 58. Jo. Spencer. *Auditor, Succeſſor, Virtutum & Sanctitatis admirator H. M. amoris ergô poſuit.*

* Hic

* Hic Autor inter Hæreticos primæ Claſſis rejicitur in Indice Expurgatorio.

ANTONIUS POSSEVINUS *Soc. Jeſ.*

Natione *Italus*, patriâ *Mantuanus* A *Gregorio* XIII. graviſſimis negotiis & legationibus adhibitus eſt. Bis ad *Moſcorum* Principem abiit, & inter *Moſcos* & *Polonos* pacem feliciter compoſuit. *Scripſit* Bibliothecam ſelectam, & Apparatum Sacrum tribus tomis conſtantem: multaque alia. Obiit *Ferrariæ* die viceſimo ſexto Februarii, Anno Dom. 1611. ætatis 78. Clar. A. D. MDXC.

Antonius Poſſevinus, ut erat magnâ variâque eruditione multarumque rerum experientiâ inſtructus, & prætereà ſummè induſtrius ac laborioſus (adeo quidem ut noctu pedem campanulæ adligaret, ut ſtatim atque obdormiiſſet, à ſomno excitaretur) ſub finem ſuperioris ſeculi inter alia publicavit *Apparatum Sacrum* ad *Scriptores Veteris & Novi Teſtamenti*, &c. In quo circiter octies mille *Auctores* partim indicantur, partim expenduntur: additis paſſim cenſuris, expurgationibus, emendationibus, correctionibus *Verſionum* aliiſque. Prodiit vaſtum hoc opus primo *Venetiis* annis ſeculi hujus III. & VI. ſed multò locupletiùs *Coloniæ Agrippinæ* anno VIII. *Doctiſſimum* atque *Laborioſiſſimum Opus* meritò vocat *Voſſius*: qui tamen paſſim errores ejus adnotavit: quos ſanè haud paucos admiſit. In *Proteſtantes* etiam ſæpiùs invehitur. *Bellarmino* tamen non uno nomine præferri meretur. *Ioan, Andr. Boſius* Introduct. in Notit. Scriptor. Eccleſ. cap. 2.

Præclaram laudem inter *Italos* meretur *Antonius Poſſevinus* Jeſuita doctus, miſſus legatus ad magnum Ducem *Moſcoviæ*, ut *Sacra* ſuſciperet *Romana*, ſed irrito conatu. *Herman. Conring*. de *Moſcov*. Imper.

Antonius Poſſevinus fuit vir multæ eruditionis & magnæ dexteritatis in rebus perficiendis. *Idem* de Repub. *Suecicâ*.

Poſſevinus vir variæ eruditionis, multæque lectionis. *Voſſ.* de Hiſt. *Lat.* p. 799.

Poſſevinus in doctiſſimo ac laborioſiſſimo Sacri Apparatûs Opere ſæpius jam nobis memorato. *Idem* ibid. p. 819.

Dominus Naudæus ſcribit quòd in hoc *Apparatu* nimia fuerit ejus facilitas & negligentia; quapropter mediocribus tantùm *Geniis* placere poſſit. *Kekermannus* ſcribit eum in ſcribendo nullam ſervare methodum; quæcumque fecit meras eſſe lacinias & rhapſodias malè contextas, & indigeſtè congeſtam molem conſtituentes, adeo ut vix ullus eorum uſus eſſe poſſit, niſi cum multo judicio multaque prudentia legerit ipſa. Germanus quidam anonymus, dicit eum, cùm ibi quandoque judicium ſuum de Authoribus ſubjicere ſibi ſumſerit, in hoc tædioſum eſſe, quòd affectibus ſatis liberum ſe non exhibuerit, eum eſſe plenum præjudiciis quibus Patriæ Profeſſioniſque ſuæ homines moveri conſueverunt; ejuſque *Criticen*, dum ſolus & ſine duce ambulat, non admodum eſſe tutam & certam. His addi poteſt quòd malè *Latinè* loquatur, nec Solœciſmos

anxiè præcaveat, quòd prolixis digreſſionibus frequenter abducatur extra ſuum argumentum, Hiſtorias, verbi gratiâ Populorum, Locorum &c. adhibendo. Cæterùm tamen nemo diffiteri debet, quin ejus *Bibliotheca* ejuſque *Apparatus* Herculei laboris fructus ſint, ingenſque utilitas ex iis percipi poſſit, ſi aliquis Vir idoneus & limati judicii eos ad incudem revocare dignaretur, additioneſque ac correctiones iis neceſſarias elucubrare. Judicia Eruditorum per *Bailletum* Pariſ. 1685. Gall.

Antonii Poſſevini non eſt æqua apud Doctos æſtimatio. Sunt, qui illum, in cœlum ferunt laudibus; ſunt, qui illum compilatorem, non multæ curæ & judicii habent. *Bibliotheca Selecta* 18. libris conſtat. Multa hîc pertinentia ad rationem ſtudiorum, & rei literariæ in univerſum, interponit judicia, in quibus multa reprehendit *Iacobus Gaddius*, ſed non magni faciendum eſt ejus judicium, ut qui ſæpiſſimè ineptus autorum cenſor eſt. Verum tamen eſt, Vagis & longè quæſitis excurſibus fatigare illum lectores. *Sixti Senenſis Bibliothecam Sanctam* paſſim vellicat, quæ tamen viris doctiſſimis in pretio eſt. *Apparatus* ejus *Sacer* majore in pretio nonnullis habetur, multaque habet de Scriptoribus Veteribus & novis judicia, ex aliorum ſæpe ſenſu formata. Utiliſſimum tamen ille laborem ſuſcepit, in quo aliqua condonari debent, *Bailletus* ſuadet, ut correctio errorum, ab aliquo viro docto ſuſcipiatur. Annectit Catalogos Manuſcriptorum, quæ ad res Eccleſiaſticas pertinent, magno ſtudio ex omnibus eruditi Orbis Bibliothecis conquiſitos; cui ſi ſimiles in cæteris diſciplinis collectiones haberemus magno profecto uſui eſſet. Judicia ejus de *Machiavello* magnam ipſius oſcitantiam & imprudentiam arguunt, ut oſtendit in Præfatione Principis *Machiavellici Conringius. Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 178.

Utilem magis (*Geſnero*) dedit operam *Eccleſiæ Antonius Poſſevinus*, è ſocietate *Ieſu*, in *Apparatu Sacro*; quanquam & is, homo *Italus*, hallucinatur interdum, & fere circa nomen aut cognomen Scriptoris exteri. *Valer. Andreas* in Præfat. *Biblioth. Belgic.*

Poſſevini Bibliotheca ſelecta, quamvis admodum manca & mutila, (ex livore ſcil. & protenſo odio Hæreſeων, quo fit, ut innumeros præſtantiſſimos autores prætereat) lectu tamen utiliſſima. *Voet.* Biblioth. l. 2. ſect. prior. cap. 1.

Neque hoc tanti erat, ut verbo attingeretur à nobis: niſi mirari ſubiiſſet, *Poſſevinum*, dum in *Apparatu Sacro*, more ſuo, *Suffridum* exſcribit, non correxiſſe illud leviculum. *Voſſ.* de Hiſt. *Lat.* p. 274.

Doctor Raynoldus illum vocat *Campiani hæredem ex aſſe* ratione plagiorum ejus; & de eodem dicere ſolebat, ſcopis illi opus eſſe. Angl.

Fœda *Antonii Poſſevini*, quantumvis & doctrinæ variæ & ingenii magni, *plagia* quorum & à *Iacobo Gaddo Florentino* fuerit accuſatus, ac ſuperba quidem & præſidentia, iniqua tamen, deque rebus & viris ſibi ignotis improba judicia, crebrò ſe deprehendiſſe ait celeberrimus *Conringius* dedicatione in *Machiavelli Principem. Thomaſ. de Plag.* num. 689.

Ne vidit quidem *Machiavellum*, quem refutavit, vitio ipſi Familiariſſimo; ſic enim in *Apparatu Sacro* etiam Lucæ Trelcatii celebris Reformatæ Religio-

nis

nis Theologi Synopſin methodi Sacræ Theologiæ Scriptis Catholicis annumerat, quô ſine dubio abſtinuiſſet, ſi vel vidiſſet Scriptum, aut Autorem cognoviſſet. *Machiavellum* verò ipſi haud viſum eſſe indicio eſt; quòd tres libros ejus refutet, cum ille tantum unus ſit & exiguus 26. capitibus conſtans. *Becman.* in Meditat. polit. cap. 1. ſect. 6.

Extat Bibliotheca ſelecta, de Ratione ſtudiorum, 2. Tomis *Romæ* 1593. & *Coloniæ Agrippinæ* 1607.

Extat Apparatus Sacer de Scriptoribus Eccleſiaſticis, 2. Tomis *Venet.* 1603, 1606. Et *Col. Agrip.* 1608.

SCÆVOLA SAMARTHANUS.

GAllus natus eſt *Iulioduni* anno Dom. 1536. Obiit anno 1623. Clar. A. D. MDXC.

Scripta ejus ſunt: Pædotrophiæ, ſive de Puerorum educatione libri tres ---Lyricorum lib. 2.----Sylvarum lib. 3.-----Elegiarum lib. 1.----Epigrammatum libri 2.---Sacra Cantica.---Elogia *Gallorum* doctrinâ illuſtrium.

Ante *Scævolam* nemo *Gallorum* auſus erat *Epicum* Poëma *Latinum* longioris contextûs ſuſcipere, ſaltem lectione dignum, aut quale iſtud, in quo omnes numeri *artis Poeticæ*, omnes gratiæ elegantiarum, omnes doctæ *antiquitatis* regulæ conſpiciuntur: unde acceptiſſimum evaſit apud omnes cultioris ingenii viros, & præ aliis apud *Italos. Ioan. Vigil. Magir.* in vitâ *Scævol. Samarthan.*

Dii boni! quem mihi Librum miſiſti à noſtro *Samarthano* conſcriptum? non liber eſt, ſed ipſæ *Muſæ*, totum noſtrum *Helicona* teſtem appello. Quin & ſi de eo judicium mihi conceſſum ſit, velim equidem illum omnibus hujus ſeculi Poëtis anteponere; vel ſi *Bembus, Haugerius,* divinuſque *Fracaſtorius* ægrè laturi ſint. Dum enim perpendo quàm aptè ſuavitatem *Carminis* puræ terſæque Dictioni, fabulam Hiſtoriæ, Philoſophiam arti Medicæ conjunxerit, libet exclamare---*Deus, deus ille, Menalca*---ſeculumque iſtud felix dicere, quod nobis talem tantumque virum protulerit. *Petr. Ronſard.* in Epiſt. ad *Iadum Anton. Bayſium,* præfix. Opp. *Samarthani.*

Nihil in *Carminibus* tuis video, quod omnem noſtri temporis *Poëticen* non longè exſuperet: etiam *Pindarica* planè divina ſunt. *Pædotrophia* tua nobilioris quidem telæ quàm *Venatio Bargei* eſt, quamvis & ille Poëta ſit non inconcinnus: ſed dulcedo illa quam tantopere proſequitur, maſculo verſuum tuorum robore deſtituta eſt. Victuri proculdubio ſunt & ego quoque vitam ab illis hauriam. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. *Lugd. Bat.* ſcriptâ Menſ. Feb. 1598.

Samarthani Poëmata & Elogia vidi; illa doctè, hæc & prudenter ſcripta. Felicem etiam filiis patrem? gaudeat & fruatur. *Lipſ.* in Epiſt. ad *Dominic. Bandium.*

Samarthanus vir, cùm ob morum candorem ac ſummam integritatem, tum

Digitized by Google

ob raram eruditionem & excellentem ingenii fœlicitatem, mihi clariſſimus. *Thuan.* ad annum 1588.

Elogia virorum doctrinâ illuſtrium tantâ elegantiâ & ſtyli puritate ſcripſit, ut quàm proximè accedat, & ſi auſim dicere, vix cedat, quidem eloquentiſſimis priſcorum temporum *Scriptoribus Magir.* in vit. ejus.

Hoc Opus valde laudat *Ioſephus Scaliger*, qui dixit: "Beatos illos qui laudantur à laudato viro, etiam ſermone tam terſo ac nitido.

Aſſidua ipſius pro Patria ſalute ſollicitudo, non obſtitit quin identidem illis præſtantibus Scriptis operam navaret, quæ in Eruditorum manibus jugiter florebunt. Ejus de *Pædotrophia* ſeu Puerorum educatione Poema Latinum optimis Veterum Poeſibus comparari poteſt: Illiuſque admiratores fuerunt *Iuſtus Lipſius*, *Scaliger*, *Iacobus Auguſtus Thuanus* & *Ronſardus*. Diſertum inſuper calamum exercuit in *Latinis Odis Pindaricis conſcribendis*: Quarum lectio *Pontificem Urbanum VIII.* frequenter cum multa delectatione & attentione occupavit. In Gallica Poeſi non fuit minus felix: *Christiana Metamorphoſes*, quas rhythmico carmine contexuit, ejus in hoc ſcribendi genere peritiam ſatis arguunt. Sed an dum verba facio de ſublimibus illis fœtibus, ſilentio prætereeam præclarum illud Opus quod illuſtrium *Galliæ* Virorum, qui ſeculo ipſius in Literarum profeſſione excelluerunt, memoriæ conſecravit? Doctorum gloria nunquam majori pompâ & reverentiâ fuit celebrata. Quoniam ingenii imaginem tantum delineat, ejus Elogia ſuccincta, quidem ſunt, ſed ſplendidiſſimis Eloquentiæ *Latinæ* veneribus condecorata. Et ſanè in hocce labore non minùs propriæ famæ quàm magnorum iſtorum Diſciplinarum Geniorum celebritati litavit: Quandoquidem horum nomina Honoris Templo inſcribens, eidem ſuum inſculpſit, eo ſplendore quem tempus delere nunquam poterit. *Iſ. Bullart. Acad.* Scientiarum. Gall.

Noſtrorum vitas *Samarthanus* ſcripſit, verſu, quàm proſâ melior, cujus ſoluta oratio etiam *poëſin* redolet. *Rol. Mareſ.* l. 2. epiſt. 25.

Latiniſſimum è *recentioribus* authorem vocat *Balzacus*.

Divinum Poetam appellat *Borrichius*, p. 118.

Dominus *San-Marthanus* Præclarorum Virorum Elogia non autem eorum vitam conſcribere aggreſſus, de iis eloquenter, ut *Orator* loquutus eſt, non autem accuratè ut *Hiſtoricus*. Dom. *Gallois*. *Ephemeridibus Eruditorum* diei 9. Auguſti 1666. Gall.

Scævolæ Samarthani ſuaviſſima Muſa. *Scaligerana*. 1.

Samarthanus Vir diſertus, Latinè benè ſcribit, & benè loquitur Gallicè. *Scaligerana poſterior*. Gall.

Extant *Scævolæ* & *Abelii* ejus Filii Opera *Latina* & *Gallica*, *Pariſiis* 1633. 4°.

Scævola Samarthanus unà cùm Fratre *Ludovico*, additamenta dedit ad *Claudii Roberti Galliam Christianam*, quibus ſeries omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum totius *Galliæ* deducitur. Tomis 4. *Pariſiis* in fol. an. 1656.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS JUNIUS.

NObili genere natus *Biturigibus*, Anno Chr. 1545. Obiit peſte Anno 1602. ætatis 57. *Lugduni Batavorum*. Theologiam primò *Heidelbergæ* docuit: Tandem *Lugduni Bat.* ſedem poſuit, ibique per decennium Profeſſoris munus ſuſtinuit. In juventute ſeductus à nonnemine atheiſmi crimine laborare cœpit, à quo tamen mirabiliter liberatus eſt. *Scripſit* plurima, quæ Tomis 2. in fol. prodierunt *Genevæ*, an. 1607. Clar. A. D. MDXC.

Certè *Franciſcus Iunius*, *Biturix*, non temerè hâc ætate cum præſtantiſſimis ſive Theologis, ſive Philologis contendendus videtur. *Gaſp. Sciopp.* de Art. Crit. p. 15.

Ille vir magnus, quem jure laudas; *Iunium* intelligo; Cui tu, mi *Grutere*, adhære, & recondita multa hauri ex arcano illo uberique penu. *Lipſ.* Epiſt. Cent. 2. Miſcell. Epiſt. 91. ad *Regnorum Gruterum*.

Quis paulò humanior te non novit? Et quis novit qui non amet? At tu tamen affectum in me largiter ſanè declaraſti, cùm epiſtolâ ſuaviſſimè ſcriptâ, tum munere adjuncto, quod meritò mihi carum. *Hæc intellige de Iunii Curopalate ſub nomine Hebræo Nadabi Agmonii ab eo vulgato A. 1588. de quo prolixè Voſſius in opere de Hiſt. Græc.* p. 368. *)* Monumentum enim ingenii tui eſt, parùm illud ad guſtum vulgi fateor: Sed *Ambroſia* & *Nectar* nobis, quibus paulò acrior judicii ille ſenſus. Sanè in implicatiſſimo ſcripto utilem ſubtilemque operam navaſti, & lumen prætuliſti locis in queîs æternùm fortaſſe caligaſſemus. Multiplex notitia linguarum hoc tibi dedit, ut talia iſta interpretari noſtro ævo poſſis unicè, & dixeram pene unus. De iis quæ Epiſtolis ad *Atticum* obſervitaſſe te ſcribis & offers, mittere, valde velim. *Lipſ.* ad *Franc. Iunium* Ep. 14. Cent. 2. Miſcell.

Franciſcus Iunius vir nunquam ſatis laudatus— Ego certè ita ſentio, neminem inter *Theologos* noſtros repertum fuiſſe qui minus jurarit in verba cujuſquam Magiſtri, qui aliorum Sententias æquiùs expenderit, & veritatis diligentior fuerit indagator. *Andr. Rivet.* Animadverſ. ad *Grotii* Vot. pro Pace.

Poſſem *Tertullianum* ſuſcipere explicandum; ſed eam provinciam audio jam à *Franciſco Iunio* eſſe ſuſceptam; qui ſi acerrimo illi, quo pollet, ingenio minus indulſerit, non alium ille *Afer* vindicem poſcere debet. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. ad *Jacob. Bongarſium*, *Gen.* 18. Kal. Jan. 1595.

Franciſcus Iunius, vir ita æquus & moderatus, ut ob id calidiores Proteſtantium alii, ei & malè vellent & maledicerent. *Grot.* vot. pro pace Eccleſiaſt.

Franciſco Iunio multum debeo; ſed dicam quod res eſt: Multum ille vir vidit de vero, quò minùs verum omne aut agnoſceret, aut eloqueretur; retinebat eum *Calvini* auctoritas, quam ei in qua erat parte omninò tuendam cenſebat. *Grot.* ibid.

Viro ſanè eximio *Franciſco Iunio* multum debeo ob *Opera* ejus, multò plus

Digitized by Google

ob vitæ exemplum, quod mihi perpetuò ob oculos verſatur. *Idem* in Epiſt. ad *Ger. Ioan. Voſſium, Lutet.* 21. Jan. 1645.

Franciſcus Iunius Leydenſis civitatis decus, Oraculum Textualis & Scholaſticæ Theologiæ, Linguarum dives, in diſtinctionibus ſubtilis, in Argumentis invictus. Doctoris Hall. Dec. Epiſt. Epiſt. 7. Angl.

Tranſlatio illa Veteris Teſtamenti edita ſæpiùs, & quâ hodiè utuntur multi, magnum ipſi nomen peperit. *Iac. Verheiden.*

Franciſci, Iunii Scholia, brevia quidem, ſed eruditione multifariâ & ſummo judicio limata, cujus vel pauca verba ingentia æquant aliorum volumina. *Iunii labores non ſpernendos* dixit *Hugo Grotius*: Rectè ſanè, at addere potuiſſet, & addent quotquot *Iunii labores* æquis oculis uſurpaverint, plurimi æſtimandos, & in primis *Interpretum* ſubſelliis collocandos. *Matth. Polus* Præfat. Vol. 1. *Synopſ. Crit.*

Supereſt ut examinemus *Latinam Tremellii* & *Iunii* Verſionem, quæ apud *Proteſtantes*, in *Anglia* præſertim, initio plurimi æſtimata fuit *Druſius* qui inter doctiſſimos & ſagaciſſimos Proteſtantium Scriptores claruit, non potuit temperare ab illa damnanda plurium locorum reſpectu. Quod moleſtiàs ipſi creavit, quoniam hujus verſionis plurimi erant approbatores. Hanc tamen ad incudem revocare & in accuratiorem verſionem reformare coacti fuerunt: Sed quia methodum vitioſam ſecuti ſunt, in ſua Tranſlatione ritè procedere non poterant. Unde etiam altera hæc Editio damnata fuit à *Conſtantino l'Empereur*, qui & ipſe Proteſtans erat & in *Hebraicis* eruditus. Hic Author aſſeverat ſe à *Tremellii* & *Iunii* Verſione recedere teneri, quia modo quodam vertendi utuntur, quo ſæpius in errorem abducuntur. Presbyter Oratorii *Rich. Simon* Hiſt. Crit. V. T. l. 2. cap. 21. Gall.

Nihil ferè *Iunio* magis familiare, quàm obſcuritas. Dr. *Tho. Tvviſſus* Animadverſ. ad *Arminii* collationem cum Junio.

Franciſcus Iunius, vir deſultorio ingenio: qui multa conatus, an adſecutus ſit quod moliebatur, Doctorum erit judicium. *Thuan.* ad Ann. 1602.

Hæc de *Iunio Thuanus*, à quo tamen multi egregiam laudem retulere, cùm nec alteram *Iunianarum* virtutum partem poſſiderent-----*Iunius* autem Theologorum, qui, iiſdem quidem Caſtris, in hoc Religionis per orbem diſſidio, militarent, nullo inferior habebatur----Cogitemus denique, haud alterum fortaſſe ad ſacra ſtudia tractanda attuliſſe plura majoraque tum adjumenta, tum ornamenta, quàm à *Iunio* factum fuit. Quippe qui diligenter legiſſet jam puer *Latinos, Græcos*, Grammaticos, Oratores, Poëtas, Hiſtoricos, Philoſophos: qui *Iuris* ſcientiam addidiſſet: qui *Habraicè*, *Chaldaicè*, *Syriacè* eſſet doctiſſimus: qui tentâſſet etiam aliqua *Arabic.* quanquam eo tempore. quo arduum eſſet reperire ulla ad linguam hanc ſubſidia, quæ poſteà Divinâ bonitate ſuppeditârunt multa magnaque: Adhæc qui tantâ curâ devoraſſet & concoxiſſet *Doctores Scholaſticos*, *Aquinatem*, & *Scotum* ante omnes: quique, ut recentes magni nominis *Interpretes* legiſſet, ita aſſiduè penè verſaſſet SS. *Patres*; innumera ad eos obſervaſſet, in *Græcis* inprimis; Cujus rei teſtimonia luculenta, tum in *Niceni Concilii* libris ab

ab eo tranſlatis; tum in toto *Ioſepho Clemente* integro, ac pluribus aliis ab eo illuſtratis, correctiſque oſtendere ipſi poſſumus, ac poſſunt item ſimilia alii in aliis. Sed quid his inſiſto? Sanè ingenium viri, & diffuſiſſimam eruditionem, multi faciliùs carpent, quàm æmulabuntur. *Voſſ.* præf. ad lib. de *Hiſt. Lat.*

Franciſcus Iunius & *Theodorus Marſilius* diverſâ viâ eundem finem ſunt conſecuti, ignorantiam. Hic omnia legendo, ille nihil, cùm tamen doctiſſimum ſe exiſtimaret, doctiorem etiam in Græcis *Caſaubono* & *Stephano* quos nihil faciebat. Ejus Reſponſiones in *Bellarminum* bonæ, ſed facilè eſt talia ſcribere, & mendacium refellere.

Junius omnes ſpernebat, ſe præclariſſimum ſui ſæculi, præcedentium & futurorum eſſe opinabatur. Plurium linguarum peritus cenſeri volebat; ut & Medicus, Juriſconſultus. Soli ejus diſcipuli eum magnifaciunt, ignari qui neſciunt quid ſint viri docti---- *Iunius* meus ſimius & obtrectator ſimul me in ſuis Annotationibus in *Geneſin* imitari tentavit. O quantas ineptias in ſua *Biblia* inſeruit! Nihil legerat, cæteris tamen doctior eſſe volebat, ſibique fidem haberi. Jeſuitæ illo & doctrinâ & ſcientiâ potiores ſunt. *Iunius* judicio pollebat, ſe ingenii ſui acumine omnia aſſequi poſſe putabat. *Scaligerana* 2. Gall.

Ferunt illum in humanioribus literis verſatum fuiſſe. Puto eum inter Humaniorum ſtudiorum ſectatores *Theologia* peritum, inter *Theologos* verò Humaniorum literarum callentem exiſtimatum fuiſſe. *Perroniana*. Gall.

* *Franciſcus Iunius* inter Hæreticos primæ Claſſis locum habet. *Franciſci Iunii* vita ab ipſomet conſcripta, *Lugd. Bat.* impreſſa rejicitur in Decreto 12. Decembr. 1624.

Permittuntur ejus in *Tertulliani* Opera caſtigationes, & Notæ, 1608. ſi expurgentur. Index *Madrit.* edit. an. 1667.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Ioanne Meurſio*:

Junius *ergo abiit,* Batavæ *lux aurea gentis*;
Et quem vix orbis, nunc brevis urna capit?
Quis lamenta mihi dictet, quis flebile carmen,
Atropos, *inque tuum non bona vota caput?*
Siccine tam Sancto tollis de vertice crimen;
Divaque queis poteras parcere, fila ſecas?
En, facinus pullat Eccleſia *luget amictu,*
Et ſua Gymnaſium *nobile damna gemit.*
Et plorat pietas, *& ſparſos ſciſſa capillos*
Perſolvit cineri triſtia juſta pio.
Sertaque dat lachrymis Virtus *manantia, mittit*
Inferius tumuli in vertice cana Fides.
Sic tamen æterno decurrunt ordine fata:
Vertitur arbitrio ſors ſua cuique Dei.
Illaque adhuc ratio eſt, animum qua temperet ægrum:
Debuit hoc cælo, quòd dedit, ipſe ſuo.

ANDREAS

ANDREAS SCHOTTUS, Soc. Jeſ.

Clar. A. D. MDXC.

A*Ntverpiæ* natus eſt Ann. Dom. 1552. Obiit anno 1636. ætatis 84. *Toleti* & *Cæſaraugustæ* eloquentiam, Hiſtoriam, & *Græcas* literas docuit. Vocatus in *Italiam* Oratoriam tribus annis *Romæ* profeſſus eſt. Reliquum tempus *Antverpiæ* tranſegit.

Scripta ejus ſunt: Obſervationum humanarum libri quinque--- Adagia Sacra Novi Teſtamenti-----Notæ in *Senecæ* controverſias----Notæ in *Pomponium Melam*, *Aurelium Victorem*, in *Æmilium Probum*, in *Procli Chreſtomathiam*, &c. *Photii Bibliothecam Latinè* tranſtulit---Adagia *Græcorum* ex *Zenobio*, *Diogeniano*, *Suidâ* & aliis collegit, Scholiiſque neceſſariis illuſtravit. Multaque alia ſcripſit & tranſtulit.

Vir fuit ob candorem animi & bonitatem ac manſuetudinem naturæ, quam religioſâ modeſtiâ ac comitate exornaverat, ipſis etiam fidei hoſtibus carus, & in pretio ac veneratione; quorum laudes *Schotto* dictæ, ſcriptæque, paſſim in ore & manibus ſunt. Heroës etiam non ſecularis duntaxat dignitatis viri; ſed & Eccleſiæ principes, *Schottum* unicè coluerunt. Ipſe etiam *Urbanus* VIII. Pontifex Opt. Max. *Schottum* extremis vitæ diebus per Cardinalem Nepotem *Franciſcum Barberinum*, literis datis, magnâ benevolentiæ & amoris teſtificatione, peramanter ſalutari à ſe voluit. *Alegambe*.

And. Schottus & *Ianus Druſius*, exemplo ſuo & libris Criticis, quàm non negligenda ſint Theologo Philologica, præclarè docuerunt. *Sciopp*. de Art. Crit. pag. 16.

Vir fuit de *Latinis Græciſ*que literis, ac tam ſacris quàm externis præclarè meritus. *Voſſ*. de Scient. Mathem. c. 70. Sect. 29.

Andreas Schottus vir non uno nomine præclarè meritus de *Rep. Literariâ*. *Idem* de Philolog. c. 6. Sect. 2.

Nunquam feſſus ſcribendo fuit, aut ſatur legendo. *Aub. Miræus* in Biblioth. Eccleſ.

Andreas Schottus; in quô viro præter pietatem in *Deum*, animi candorem, humanitatem, & multam accuratamque doctrinam inexplicabile prorſus & incredibile quoddam ſtudium rem literariam omnimodis adjuvandi. *Phil. Rhubenius* l. 1. Elector. c. 12.

Amicus noſter *Andreas Schottus*, vir de literis immortaliter benè meritus. *Barth*. Animadverſ. ad *Phœbadii* cap. 28.

Humanitatis oculus *Andreas Schottus*. *Idem* l. 15. Adv. c. 6.

Vir ad literarum ſtudia promovenda natus. *David Hoeſchel*. Not. ad *Photii* Biblioth.

Quem virum (*Andream Schottum*) jam olim novi, & quia novi, amo. Eſt inter eos, qui rem non ſpeciem in doctrinâ habent. *Lipſ*. Cent. 3. Epiſt. 31.

Andreas Schottus, vir bono publico natus *Lipſ*. Cent. 5. Epiſt. 89.

Schotti Notæ ad *Senecam* patrem ſunt bonæ & eruditæ. *Idem* Cent. 1. ad *Belgas*. Epiſt. 22.

Vir

Vir admodum Reverendus *Joannes Pearſonus* illum ignorantiæ accuſare non dubitat, quippe qui in rebus *Philoſophicis* haud benè verſatus ſit, & in explicandis *Autoribus* miſerrimè lapſus ſit. *Ioan.Pearſon.*prolegom.ad *Hierocl.* de Provid. & Fato.

Andreas Schottus, homo quidem bonus & eruditus, ſed quem ſucceſſus (*Commentario in Pomponium Melam*) potius quàm voluntas deſtituit. *Iſ.Voſſ.*Præfat.in *Pompon.Melam.*

Vir altæ eruditionis audit *Andreas Schottus* apud *Caſaubonum* Præfat. in *Athen.*

Andreas Schottus, vir clariſſimus, qui omnem Antiquitatem callet, eamque lotis manibus contrectare amat, parum tamen & ipſe felix in exſcribendo. *Laurent.Pignor.* in Epiſt.30.

Andreas Schottus maximum inter omnes ſuo ſeculo commercium coluit quo ad politiorem literaturam, Omneſque Eruditi ad ipſum ex omnibus *Europæ* plagis referebantur, ipſumque quaſi ſuum centrum ſpectabant. Et ſanè omnibus dotibus inſtructus erat, neceſſariis ad reſpondendum utiliter eorum expectationi, eorumque indigentiæ, multa eruditione & honeſtate, & candore, ſinceritate, generoſitate, ſolida pietate, & ſummo ſtudio quoſvis homines, cujuſcumque Regionis & Religionis ſibi demerendi & literarum perfectionem promovendi. Judicia Eruditorum per *Bailletum*, Pariſ.1685.Gall.

Sincerè fatendum eſt gloriam quam celebris ille Scriptor in Republica literaria ſibi peperit aliunde quàm ab ejus *Verſionibus* ipſi advenire. ibid.

Photii Bibliothecam perfunctoriè admodum in *Latinum* ſermonem vertit vir aliàs doctiſſimus *Andreas Schottus*; adeò ut *Thomas Gatakerus*, vir laude major, tralationem hanc [licèt *Schotti* nomen præferat] ejus fuiſſe vix crediderit. *Colomeſ.*in Paralipp.ad Chartophyl.Eccleſiaſt.p.38.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

FAMIANUS STRADA, *Soc. Jeſ.*

Clar. An. D. MDXC.

NAtione *Italus*, Patriâ *Romanus*. Artis *Rhetoricæ* per annos quindecim publicus *Romæ* Magiſter.

Scripſit Proluſionum Academicarum libros tres----De Bello *Belgico*----Orationes Varias----Poemata-----De artificio contexendæ Orationis Libros IV. ----De Affectibus Oratoriè concitandis lib.1.----Epitaphiorum à ſe compoſitorum lib.1. Et alia quædam.

Joannes Baptiſta Saccus, Senatus *Mediolanenſis* à Secretis, librorumque pro Regis Cenſor, *Aneſio* Præſidi ſcribens, de *Proluſionum Academicarum* libris hoc judicium tulit: 'Quæris quid de *Strada* ſentiam? Vir hic ſublimi admodum 'ingenio eſt, & excelſo, quodque de *Angelo Politiano* diſertiſſimi olim 'homines tradidere, verſatili & ad omnia facto: Judicio acri & perpolito: do'ctrinâ variâ & admirabili: eloquentiâ rarâ, imò ſingulari, certè ſupra modum

Digitized by Google

‘ hujus ævi: prudentiâ & rerum cognitione tantâ, ut humanarum Actionum & ‘ caſuum nihil prorſus eum fugere videatur. *Proteus* eſt, novaſque ſubinde formas ‘ invenit, in quas ſe vertat. Illud verò palmarium ei eſſe duco, quòd ubique *Scri-* ‘ *ptorum* ſuorum joca ſimul & ſeria miſcet, & cùm lepidus ſit, & feſtivus, joco- ‘ ſuſque ad effuſos uſque riſus provocandos, nihil tamen interim ei deperit de ‘ pietate, modeſtiâ, gravitate vel decoro: adeo ut omne ferat punctum.

Magnus ille, & verè *Heroicus Hiſtoriarum* Scriptor, ille famâ noſter *Famia-nus Strada*, res *Belgicas Latinâ* ſtyli majeſtate complexus, turbatæ *Europæ* cauſas, initia, progreſſus, tam accuratè expoſu t, ut ſuum non ſuo ævo, ornare viſus ſit, noſtrum antiquo. Habent ſuum *Romani Saluſtium, Livium, Tacitum*, nos *Stradam*, qui ut *Belgas* deſcriberet, *Romanus* eſſe debuit, ingenio, judicio, eloquio inſtructiſſimus. Libera, plena, & elegans ubique narratio eſt, aurum eſt. Civiles autem ſententiæ, velut *gemmæ* interlucent, tam aptè collocatæ, ut ſine tumore emineant, ſine affectatione exſurgant. Æqualitas interim ſumma eſt, gravitas moderata, ſubtilitas facilis, veritas incorrupta. *Eryc. Putean.* in Epiſt. ad *Sylveſtrum Petraſanctam.*

Vir ingenuus, liber, & veritatis hiſtoricæ amantiſſimus. *Gab. Naud.* in Epiſt. 84. p. 636.

Liviani, Saluſtiani, Ciceroniani in *ſolutâ* oratione, *Ovidiani, Statiani, Virgiliani* in *Carmine* ſtyli, cùm libet, imitator, inter plurimos caſtigatæ *Latinitatis* Scriptores delectus eſt unus, à quo Magni *Alexandri Parmæ* & *Placentiæ* Ducis, *Belgiique* domitoris, res præclarè geſtæ hiſtoricâ, eaque prudenti, & eleganti narratione poſterorum memoriæ tradantur. *Andr. Victorell.*

Jam verò de politioris Literaturæ parente, totiuſque antiquitatis archetypo *Famiano Stradâ Romano* Patrum Jeſu incomparabili ſocio, quid attinet plura dicere? Quis ejus libellis vel parumper legendis addictus, non ſentiat animum inuſitatâ comptiſſimæ lectionis dulcedine titillari? *Suada* ipſi verè connata, ac ſermonis lenocinium, quo dum aurei fluminis inſtar exuberat, vetuſtiorum exæquat laudes, recentiorum exuperat. Nihil pulchrius, quàm ſe ad cujuslibet, vel poëtæ, vel oratoris ſtylum effingere. Nihil dignius quàm optimè ſe confingendo præcellere, quod utrumque vir æternâ colendus memoriâ, incredibili commendatione adeptus eſt. *Ioan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Strada meretur laudari à prudentiâ & eloquentiâ, tametſi in nonnullis Latinitatem non obſervaverit, & meruerit ſcuticam magni *Grammatici*, *Gaſparis Scioppii*, cujus liber eſt *Infamia Famiani*; attamen Scriptor ille eſt præclarus. *Herm. Conr.* de Rep. Belgic.

Meretur magnam laudem *Famianus Strada*, qui non dubitavit *Romæ* de Bello *Belgico*, præclaros edere *Commentarios*; ſcripſit duobus Tomis res à *Parmenſi* geſtas: dum verò faveat *Hiſpaniæ*, illius fides interdum claudicat. *Idem* in *Hiſpan.*

‘ Stylus ex variis ſtylus mixtus vitioſus ſemper eſt. Hoc autem Jeſuita *Strada* ‘ in ejus *Belgica Hiſtoria* vitio laborat; quippe qui tum propria imaginationis ‘ venuſtate, tum multorum authorum lectione mentem diverſis characteribus ſibi

Digitized by Google

ſibi repleverat. *Illa* autem farrago quæ in ejus ſcribendi ratione occurrit, quantumvis jucunda, ejus tamen perfectionem minuit. *Rapin.* Animad.in Hiſtoriam Sect. 10. Gall.

Quantum potuiſſet *Famianus Strada Epico* carmine præſtare, nî Hiſtoriæ & eloquentiæ cum cura aliò avertiſſet, liquidò declaravit in *Proluſ.*ſuis *Acad.* in quibus jam *Lucanum* inducit canentem, jam *Lucretium*, jam *Claudianum*, jam *Ovidium*, jam *Statium*, jam denique *Maronem*, eo judicio, illâ proprietate dictionis ſingulorum retentâ, ut ſi ipſi in vivis eſſent, non puderet eoſdem humaniſſimi officii. Præſertim verò certamen *Philomelæ* & *Fidicinis* dexteritate admirabili reddidit. *Borrich.* de Poet. p.106.

Quiſquis Patris *Famiani Stradæ* Jeſuitæ labores eruditos attenderit, abſque manifeſti livoris nota non poterit linguam ab ejus laudibus cohibere. *Laurentius Craſſus.* Ital.

Extat de bello *Belgico* Decas prior ab exceſſu *Caroli* V. ad ann. 1578. *Romæ* fol.1640.

Extat Decas poſterior ad annum 1590.*ibid.* fol.1647.

Italicè prodiit idem opus in 4to. *Romæ* anno 1638.

FRANCISCUS VIETA.

Gallus, vivere deſiit Anno 1603. Extant ejus continuatio Algebræ proportionalis: Harmonicon Cœleſte: Relatio Calendarii *Gregoriani*: adverſus *Chriſtophorum Clavium* expoſtulatio: Pſeudomeſolabum: *Apollonius Gallus*: Munimen adverſus novam *Cyclometricam*, &c. Clar. An. D. MDXC.

Initio anni 1603. 7. Kalend. Mart. *Lutetiæ Pariſiorum* anno Climacterico ſuo ad Deum migravit *Franciſcus Vieta Fontenaio* in inferiore *Pictonum* provinciâ natus, vir ingenioſâ & profundâ meditatione: Cujus vi nihil illi inacceſſum in abſtruſioribus ſcientiis: nihil quod acumine mentis poſſet confici, difficile confectu fuit. In *Mathematicis* præcipuè induſtriam, inter alias occupationes & negotia, [à quibus capax & indefatigabile ejus ingenium nunquam vacavit] tota vitâ exercuit. In quibus adeò excelluit, ut quicquid ab *Antiquis* in eo genere inventum, & *Scriptis* (quæ temporis injuriâ aut perierunt, aut abſolverunt) proditum memoratur, ipſe aſſiduâ cogitatione invenerit & renovarit, & multa ex *ſuo* ad illorum ingenioſa reperta addiderit. Tam profundâ autem meditatione fuit, ut ſæpius viſus ſit totum triduum continuum in cogitatione defixus ad menſam lucubratoriam ſedere, ſine *cibo* & *ſomno*, niſi quem cubito innixus, nec ſe loco movens, ad refocillandam per intervalla naturam, capiebat. Scripta ejus rara, neque tamen pauca, quòd ea ſumptu ſuo cudenda curaret, & *exemplaria* penes ſe retineret: quæ amicis, homo longè ab omni avaritiâ poſitus, & harum rerum peritis liberaliter diſtribuebat. *Thuan.* ad An.1603.

Franciſcus Vieta, ſubtilitate & inventionum acumine *Mathematicorum* noſtri ſeculi facilè Princeps. *Iſ.Caſaub.* Epiſt.586. ad *Thuanum.*

Digitized by Google

Vietam Mathematicorum noſtri ſeculi *Coryphaum* appellat *David Rivaltus* à *Fluranti* Prolegom. *in Archimedem.*

Anno 1590. magnum meritò *Franciſci Vieta* nomen fuit. Cujus utinam ſupereſſet *Harmonicon Cœleſte Voſſ.* de Mathemat. p. 196.

Anno 1591. *Franciſcus Vieta Gallus* publici juris fecit *Munimen* ſuum adverſus *novam Cyclometricam*. Quo opere *Scaligeri* in *Cyclometricis paralogiſmos* detexit, unde acris initio contentio fuit: ſed poſtquam, quantus eſſet *Vieta Scaliger* perſpexit, ſuo quidem pretio eum cum animo ſuo æſtimavit: Sed ſic, ut humanitas aliquid patiens, non multùm ejus laudes prædicaret. *Idem* de Scient. Mathem. p. 337.

Vietam ingenioſiſſimum hominem vocat *Seth. Calviſius* in Elencho *Calendarii Gregoriani* cap. 30.

Vieta, excelſi inſtar *Gigantis*, omnes alios vaſtis meditationum ſuarum paſſibus videtur ſuperaſſe. *Iacob.* de *Billy* præfat. in *Algebram* ſuam.

Continuationem *Algebræ proportionalis*, quam *Vieta* reliquit, *acutiſſimum Opus* vocat *Joſephus Blancanus* in Chronolog. Mathematicorum.

Inter eos, qui *liberalium Artium* cultura cæteros antecelluerunt Mortales, atque præclaris Monumentis ſuis apud Poſteros gloriam ſibi paraverunt immortalem minimè poſtremis annumerandus eſt Vir inſignis *Franciſcus Vieta*, *Fontenaenſis*. Analyſeos ſpecioſæ Autor primus. Quantum enim ex hoc aliiſque inventis ipſius colligere liceat fructum, vel inde patet, quòd ab eo uſque tempore, quo viri eruditi ejus *Analyſi* incubuerunt, ſcientia hæc ampliſſimum incrementum ceperit, ac *Matheſis* tanquam ſepulta è tenebris lucidum caput extulerit. *Franc.* à *Schooten* in Epiſt. ad D. *Iacobum Golium* Oper. *Viet.* præfix:

Hadrianus Romanus, cùm problema omnibus totius Orbis Mathematicis conſtruendum propoſuiſſet, *Vieta* illud continuò ſolvit, & cum caſtigationibus & auctario, & *Apollonio* præterea *Gallo* ad *Romanum* remiſit, tantâ cum *Romani* admiratione, ut confeſtim ille iter in *Galliam* corripuerit, ut hominem ſibi antè ignotum conveniret, & poſteà arctam cum eo amicitiam coleret. *Thuan.* ad ann. 1603.

Extant ejus Opera Mathematica *Lugd. Bat.* 1646. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

BONAVENTURA VULCANIUS.

Clar. An. D. MDXC.

NAtus eſt *Brugis Flandrorum* Anno 1538. Obiit anno 1610. *Leydæ Græcam* linguam per triginta duos annos magno cum fructu profeſſus eſt. Vertendo *Græcos* autores optimè de *Re literaria* meruit. Inter alios *Cyrillum* de *Adoratione in Spiritu & Veritate* primus tranſtulit: *Arianum* de *Geſtis Alexandri Magni* novâ *Interpretatione* donavit, *Agathiam Græcè* & *Latinè* cum Notis edidit. *Carmina* varia ſcripſit. *Konig.* in Biblioth.

Antiquitatum & politioris literaturæ indagator ſagaciſſimus, cùm veterum Auctorum Optimorum monumenta plurima integritati & priſtino nitori reſtituit, atque *Græcorum Latinitate* donavit tum ipſe præclara *Opera* in omni genere Artium & Diſciplinarum ſcripſit. *Geſner.* in Biblioth.

Bonaventuræ Vulcanii Græcarum literarum in Leidanâ Academiâ Profeſſoris, nobile ingenium nunquam feriari aut quieſcere oportuit; qui ſimul editione *Callimachi*, *Bionis*, & *Moſchi*, *Iſidori*, *Martiani Capellæ*, *Agathiæ*, & *Apuleii* denique, incredibilem omnium de ſe expectationem concitavit & accendit. *Sciopp.* de Art. Crit. p. 18.

Bonaventura Vulcanius, amicus meus ſummus, plurima in eo labore (*interpretis*) ingenii ſui & doctrinæ monumenta edidit; in verbis quidem parùm ſe torquet, breviter tamen & preſsè, ſplendidè quoque ac perelegantèr *interpretatur*; ut cùm Scriptiones ejus perlegas, vix melius ullum *interpretandi* genus eſſe putes: & in eo quidem ſtudio totum ferè longiſſimæ vitæ tempus contrivit. *Huet.* de Clar. Interpret.

Callimachum, Bionem, Moſchum jam nunc à Te accepi: uno partu trigeminos, ratum & felicem ingenii tui fœtum. Publicâ causâ (verè dicam) tibi debeo: privata magis, quia duos ex iis mihi inſcribis, hoc eſt, immortalem me facis. Quô quid homini ab homine majus dari poteſt? Vivent enim amœniſſimi Poetæ; illi, quamdiu *Muſæ*: & cum iis tuus labor, & cum labore tuo meum nomen quod Muſæo illi peplo intexuiſti amicâ & doctâ nimis acu. *Lipſ.* Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 65.

Indignus ſit quem *Muſæ* ament, qui *Vulcanium* Ἑλικωνιάδων Μουσάων τὸν παιδικὸν non amet. Ego facio, & ex animo quidem. *Caſaubon.* Epiſt. 249.

Bonaventura Vulcanius vir de bonis *literis* optimè meritus. *Pignor. Symbol.* Epiſt. pag. 211.

Cujus ſit Religionis ipſe neſcit, Religionumque diſcrimen ignorat. Feliciter ſatis exprimit quæcunque interpretatur. Scaligerana 2. Gall.

Bonaventura Vulcanius homo rectiſſimè de literis merens. *Marc. Velſer.* in Epiſt. ad *Scalig.* p. 795.

Inter plurimas inſignes qualitates quæ *Brugenſis* in Flandria. Civitatis famam & celebritatem augent præcipua ſapientiorum judicio, eſt quod Orbi produxerit *Bonaventuram Vulcanium Petri* filium, cui merita inſignis eruditionis miræ facundiæ conjunctæ, amorem & venerationem omnium vaſtæ illius Provinciæ primariorum Literatorum ipſi conciliaverunt. *Ghilini*, Italicè.

Carmina ejus ſervantur Tomo 2. *Delit. Belg.* pag. 652. Alia ejus Opera variis in locis atque Temporibus ſunt impreſſa.

CÆSAR BARONIUS.

Cardinalis, *Annalium Eccleſiaſticorum* conditor, *Soræ* in Regno *Neapolitano* natus eſt triceſimo Octobris 1538. Obiit *Romæ* trigeſimo Junii, Anno Dom. 1607. Clar. An. D. MDXC.

Miſit in ævorum perennitatem *Annalium Eccleſiaſticorum* Tomos 12. Spiſſum Opus & Operoſum, cui glorioſè immortuus eſt, Tomo duodecimo à deceſſu ipſius edito. *Nomenclat.* Cardin. *Roman.* Eccleſ.

Annales ſuos amplius quadraginta annorum ſtudio elucubravit. *Rainoldus.*

Quis neſcit Cardinalem *Baronium* Operam in *Hiſtoriâ Eccleſiaſtica* adeò in-

ſignem poſuiſſe,ut omnibus ſuâ diligentiâ palmam præripuerit: Hic enim eſt,qui primus omnium, totius Orbis Chriſtiani res geſtas, præſertim autem quæ ad Eccleſiam pertinebant,in continuam ſeriem annorum ſic digeſſit,ut ſi unius Urbis Faſtos concinnaret: qui neſcio unde ex abdito,tam multa planè priùs ignota primus prompſit in lucem;qui Antiquorum Epiſcoporum in magnis Urbibus, ſucceſſiones; Veterum Hæreſeωn originem, progreſſum & finem; tempora Eccleſiæ, ſive tranquilla, ſive turbulenta tam accurata diligentiâ explicuit, qui denique merita ſua in Eccleſiam,ſi immoderato partium ſtudio non corrupiſſet,dignus erat ſine controverſiâ,cui omnes,& veteres & recentiores,qui illam eruditionis partem unquam attigerunt, aſſurgerent, & faſces ſubmitterent. *Iſ. Caſaub.* in Prolegom.ad Exercitat.ad *Baron. Annal.*

Neque tamen ſic immenſi laboris (*Baronii*) *Annalium* pretium elevamus,ut non quantum ejus Arti *Roma* debet ac ingenio, tantum diligentiæ propemodum debere univerſum Orbem Chriſtianum agnoſcamus, ob illa tot ab eo eruta monumenta (licet in eorum cenſum non pauca ſubleſtæ nimis fidei relata ſint,quæ(ſine illo fuiſſet)æternis forte damnata tenebris latuiſſent. Qui nec ita *partium ſtudio* ducimur, ut doctrinæ Temporum conditorem laude fraudatum ſuâ velimus, abeſſet modò ſuccus loliginis & ærugo. Nam quæ tandem *Ars* inchoata ſimul & perfecta eſt? Quin eum inter principes *Chronologos* non illibenter putamus, & verſatile hominis ingenium, & eruditionem ſanè multijugam, & benè *Latinum* ac rotundum Eloquii genus complectimur, nec arbitramur ei parem tum fuiſſe,poſtquam à *Sirmundo* diſceſſeris,illius *Ordinis* virum: eumque adeò magis interdum quàm *Scaligerum* ſequimur. *Alex. Mor.* in Præfat. præfix. *Euſeb.* Chronico.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam *Baronius*,quantâ potuit maximâ diligentiâ excoluit, & ſedulitate. Erat autem illa ſumma, etiam penè prodigioſa. Univerſam enim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ molem ſeptenis vicibus retractavit: toties illum Orbem ſtudiorum, confectum reſumpſit inchoandum, priuſquam manum admoliretur, conſcribendis, quas meditabatur & apparabat, Hiſtoriis, & Annalibus Eccleſiaſticis. Planè novo & inaudito exemplo,ab omni retrò antiquitate,heroico conatu, & prædicando-----Inſtituti iſtius ratio, illa fuit, ut qui confeſſioni *Romanæ* adhærerent, haberent in promptu, & ad manum, quod Centuriis *Magdeburgicorum* opponere poſſent. *Montacut.* Præfat.ad Apparat.ſect.58.59.

Nihil eorum quod cauſam Pontificiam juvare videretur, omiſit.Majori tamen ferè ſuo diſpendio,quàm cauſæ commodo. Partium enim ſtudium immenſo labori multùm detraxit. *Hottinger* Biblioth.Quadripartit.p.413.

In Hiſtoricis *Baronio* encomium ad ſuperſtitionem laborioſiſſimi ſcriptoris nemo adjudicabit; niſi compedes ei aliundè injectæ libertatem ademiſſent, magnus eſſe potuiſſet. *Idem* ibid.p.419.

Quis inter Pontificios celebrior Author *Baronio*, & magis factus ad Papæ nutum? *Molinæi* Hyperaſpiſt.

Cui in Hiſtoriâ texenda, iſte videtur unicus eſſe propoſitus ſcopus, ut quæcunque fabulæ faciunt ad *Papiſmi* commodum, eas ſuo nomine confirmet. *Dan. Chamier.*

Cæſar

Cæſar Baronius vir ſacra prophanaque doctus. *Lipſ.* in Not. ad lib. 2. de *Cruce.*

Baronius vir quem meritò boni & docti amant. *Idem* in Epiſt. Cent ad *Ital.* & *Hiſpan.* Epiſt. 6.

Baronium ob incomparabilem in *Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ* concinnanda diligentiam magnis laudibus accumulant, non tantùm *Scaliger* & *Caſaubonus*, ſed etiam alii noſtrorum: Omnes tamen teſtantur ipſum non tantum creberrimè in *veritatem, Hiſtoriæ* veram vitam, craſsè peccare, ſed etiam penè ſemper in *Chronologicis* errare pueriliter. *Rob. Baillius* in Op. ſuo Hiſt. & Chronolog. Impreſſ. *Amſtelod.* 1668. Fol.

Judicio verò non exiguo opus eſt in *Centuriatoribus* legendis; nec in *Baronio* minori; quem interea negare non poſſumus præclarè meritum eſſe de *Antiquitate Eccleſiaſtica Voſſ.* de Philolog. p. 78.

Cui intima totius vetuſtatis penetralia tam erant cognita & familiaria, quàm eſt mihi domus mea. *Montacut.* Apparat. 9. ſect. 48.

Utinam magnus ille *Caſaubonus* examini Annalium ſupervixiſſet, ut purgatam ab erroribus & corruptione *Hiſtoriam Sacram* legeremus. Plus enim, ut rectè notatum à quodam, *Annales Baronii*, quàm *Controverſia Bellarmini* nocuerunt. *Georg. Horn.* Præfat. ad Lector. *Sulpit. Severi.*

Baronius fabularum rigidus eſt aſſertor & defenſor------Hodie Papa prætendit Dominium directum in *Siciliam.* Fateor aliquando *Pontificem* habuiſſe jus directi Dominii, verùm pòſt mutatum. *Reges* enim *Arragoniæ* dicunt ſibi ab *Urbano* Papa jus plenum conceſſum eſſe. *Curia Romana* hoc negat. Rex *Hiſpaniæ* hodie pleno jure *Siciliam* poſſidet, nihilque juris concedit Papæ, ita ut, ſi quidam ex Sacerdotibus ad *Papam* recurrant, ſuſpendii pœnâ plectantur. Scripſit *Baronius* contra hanc ſpiritualem Monarchiam in Tomo undecimo, & affirmat, quòd *Bulla*, quam primo Regi *Neapolitano* & *Siciliæ Rogerio* donatam aſſerunt, falſa & ſuppoſititia ſit. Quod *Philippum* adeo offendit, ut non dubitaverit manu *Carnificis* Tomum illum XI. comburi curare, quamvis eſſet *Papa* ſtudioſiſſimus *Rex.* Hic Tomus, tam *Neapoli*, quàm in *Sicilia*, Nobilibus ſub pœna tranſportationis, aliis ſub pœna triremium interdictus eſt. *Baronius* quidem Epiſtolâ ad Regem datâ, ſe defendere voluit, ſcripſiſſe juſſu Pontificis Tomum illum ſed nihil effecit, excuſaverat nempe ſe quaſi *Petrus & Clemens* VII. hoc juſſerit. Ita *Philippus*, cùm obſervaret Pontificem *Siciliæ* inhiare, ejus audaciam repreſſit, Quomodo verò exceptus *Baronius* ab *Hiſpanis*, eleganter deſcribit *Thuanus* libro 134. Obtinuiſſet *Papatum Baronius*, quo tempore eligebatur *Paulus* V. ni obſtitiſſent *Hiſpani Herman. Conring.* in *Hiſpaniâ.*

Baronius ſcriptor parum accuratus, & rerum veteris populi *Judaici* non admodum intelligens. *Caſaub.* Exercit. ad *Baron.* p. 537. num. 92.

Hæc temeritas *Baronio* familiaris eſt, ut, in rebus etiam non magni momenti quæ ſibi in Patrum libris diſplicent, illa audacter affirmet eſſe alienâ manu eorum verbis aſſuta. *Dallæus* de uſu Patr. c. 4. p. 119.

Baronius optimus eſt quatuor *Romæ* Evangeliſtarum. Alii nihil habent quàm ſubtilitates

Digitized by Google

ſubtilitates & Sophiſticos ſermones. Ejus præſertim Annalium liber primus innumeris fatuitatibus & falſitatibus ſcatet. *Baronius* Hiſtoria eſt, bonus eſt, ſed cariùs conſtat. Sæpe hallucinatur, nulla tempora obſervat. Tot errores commiſit uſque ad Juſtiniani tempora: *Baronius* negotiis tractandis ineptus eſt, ad Papatum parum eſt idoneus. [hact. Gallicè] *Baronius* melior *Bellarmino*, nam ſaltem contexuit Hiſtoriam, & omnis Hiſtoria bona eſt, docet me aliquid, non *Bellarminus*. *Baronius* ſi mihi daretur, acciperem, ſed non emam. Nihil habet quàm quod *Centuriatores* fecerunt: & illos perpetuò reprehendit; putat ita tegere ſua furta. Baronius eſt Bibliothecarius nihilque in *Græcis* intelligit. *Baronius* quò magis procedet, eò minora falſa dicet in Hiſtoria; ſed prima illa tempora Apoſtolorum, & pòſt, ſunt valde obſcura; deinde alia ſunt valdè ficta, ut *Epiſtola Chriſti* ad quendam *Abgarum Regem*. Baronius citat Epiſtolas Symmachi, videntur *Chriſtianæ*, ſed tamen non fuit; ſapiunt vetuſtatem, ſed nihil habent ſimile illis quas *Iuretus* edidit. Baronius ſine ullo judicio componit Hiſtoriam. *Scaligerana* poſterior.

Dominus *Naudæus* qui minimè mendax erat dixit mihi ſe audiviſſe à *Luca Holſtenio Hamburgenſi*, qui *Romæ*, Canonicus eſt S. *Joannis Lateranenſis*, pluſquam bis mille falſitates apud *Baronium* ab illo indicari poſſe, imo & probari per *Manuſcripta Bibliotheca Vaticanæ* cujus hodie cuſtos eſt. *Guido Patin* Epiſtolis ſelect. Ep. 85. Gall.

Laudanda ſanè ſingularis illa *Baronii* diligentia in Anno Chriſti natalitio, qui vera *Annalium Chriſtianorum* baſis, eruendo, ubi erudita multa & operosè conquiſita. *Frid. Spanhem.* part. 2. Dub. Evangelic. p. 47.

Extant ejus *Annales Eccleſiaſtici* 12. Tomis *Antuverpiæ* ex officinâ *Plantinianâ*, quæ editio præſtantiſſima eſt.

Epitaphium *Tauruſii* & *Baronii* Card. *Romæ* in S. *Maria de Vallicella*.

Franciſco Mariæ Tauruſio & Cæſari Baronio Sorano *ex Congregatione Oratorii S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, ne corpora disjungerentur in morte, quorum animi divinis virtutibus inſignes, in vita conjunctiſſimi fuerant, eadem Congregatio unum utrique monumentum poſuit.* Tauruſius *vixit annos* 82. *menſes* 9. *dies* 14. *obiit* 3. *Idus Junii* 1608. Baronius *vixit annos* 68. *menſes* 8. *obiit pridie Calendas Junii* 1607.

PAULUS SARPIUS, Ord. Servorum.

Clar. An. D. MDXCV.

V*Enetiis* natus eſt Anno Dom. 1552. Septuageſimo primo ætatis anno *Venetiis* à Sicariis confoſſus eſt.

Struxit Hiſtoriam *Veneti* interdicti ſeptem libris: item Hiſtoriam *Concilii Tridentini* ſub nomine *Petri Suavis Polani*.

Ad decimam ſextam Centuriam *Magdeburgicam* pertinet *Hiſtoria Concilii Tridentini*, anno 1542. indicti, ann. 1545. inchoati, & ad ann. 1563. producti.

Hiſtoria

Hiſtoria mehercule auro (dicam?) imo gemmis pretioſiſſimis contra, non cara, & omni ære diutiùs perennatura à P. M. *Paulo Veneto* Ordinis *Servorum* ſcripta: viro eruditionis admirandæ, exquiſitiſſimi judicii, indefatigabilis induſtriæ, modeſtiæ denique & integritatis vix æquiparandæ. Quod quidem Elogium, vir & dignitate, pariter & eruditione perilluſtris, fidiſſimus ejus *Interpres Anglicus* D. *Nathaniel Brent*, Eques Auratus, Collegii *Mertonenſis* Præfectus, (qui primus illud pretioſiſſimum κειμήλιον maximo *Eccleſiæ* bono, in oras haſce occidus protulit, & publicâ luce donavit) ei præliminari ſuâ Epiſtolâ meritiſſimò tribuit; idque non temerè; utpote qui literatâ ejus conſuetudine, ac propiori familiaritate aliquandiu fruitus, penitus eum noverat. Sed & *Opus* ipſum tantundem luculenter præſtat; ex libellis memorialibus, Commentariiſque Legatorum; ex Principum, & Rerumpublicarum Epiſtolis, aliiſque ſcriptis; à Præſulibus, Theologis, Legatiſque ipſis, qui eidem *Conventui* interfuere, diligenter adſervatis concinnatum; tanto labore, tantâ accuratione, ſtudio & fide, (ſicuti doctiſſimus idem & clariſſimus *Eques* ibidem obſervavit) ut omnes in eo genere *Hiſtorias*, ſive veteres, ſive recentiores, facilè provocare poſſit. *Whear.* in Relect. Hyem. ſect. 45.

Cognovi in *Italiâ* hominem ſanè multâ eruditione, magno judicio, & integritate, rectiſſimoque animo. Licet haud libenter illos audiret, qui *Romanam Eccleſiam* nimis deprimunt; nihilominus ab illis etiam abhorrebat, qui ejus abuſus tanquam *Sancta Inſtituta* defendunt. Et erat cæteroqui *Veritatis* amicus ſingularis, & aſſecla conſtantiſſimus. *Gul. Bedel.* in Epiſt Dedic. ad *Interdict. Venet. Hiſt.*

Venetiis cognovimus *R. M. Paulum Venetum* à quo aliqua didiciſſe non erubeſcimus, ſed & gloriamur; quum eò doctiorem ſubtilioremque, quotquot adhuc videre contigerit, neminem cognoverimus, natum ad Encyclopædiam, non tantùm Venetæ Urbis aut Italiæ, ſed Orbis ſplendor & ornamentum. *Jo. Bapt. Porta* lib. 7. Magiæ Natural.

Neque verò meo is præconio indiget, quem *Opus* ipſum loquitur ingenii felicem, magni rectique judicii virum, omni genere doctrinæ liberaliter eruditum, atque ad maximam probitatem animique manſuetudinem utrâque prudentiâ, divinâ & humanâ, ac iſtâ, tam morali quàm civili cumulatiſſimè excultum—Quod ad *Hiſtoriæ* iſtius exædificationem attinet, ſive res, ſive verba ſpectes, & in rebus, ſi temporum ordinem, ſi conſilia, acta, eventus: & in rebus geſtis, ſi declarari non ſolùm deſideras, quid actum aut dictum ſit, ſed etiam quomodo: & cùm de eventu dicitur, ut cauſæ explicentur omnes: vel casûs vel ſapientiæ vel temeritatis; *Hæc*, & alia ejuſmodi, quæ dicendi ſcribendique *Magiſtri* requirunt in *Hiſtoriarum Scriptore*, ille adeo plenè accuratéque exequitur, ut in unius *Concilii* coagmentatione, omnes *Hiſtoriæ* conſcribendæ numeros impleſſe, atque hoc nomine majorum gentium *Hiſtoricis* accenſendus meritiſſimò credatur. *Adam Nevvton.* Eques Aurat. *Interpres Latin.*

Magna Authoris ingenuitas, qui multa *Synodi Tridentinæ* arcana detexit. Dignus proinde *Cardinalis Pallavicino* viſus, qui impugnaretur

 potiùs

potiùs quàm refutaretur. Nihilque *Cardinalis* aliud ferè obtinuiſſe dicitur, quàm quòd in ipsâ *Italiâ* avidiùs legeretur. *Hottinger* Biblioth. Quadripart p. 329.

Ioannes Leonicenus ait Patrem *Paulum* Sanguinis *Circulationem* inveniſſe, Venarumque *Valvulas*, ſed rem propalare non eſſe auſum, ne quam in ſe procellam excitaret. Jam plus ſatis ſuſpectus erat, illoque uno Paradoxo nihil ulteriùs fuiſſet opus ad illum in Hæreticum transformandum in *Inquiſitionis* Regionibus: Adeo ut arcanum ſuum unico *Aquapendenti* crediderit, qui livori ſeſe exponere refugiens & moleſtis eventibus qui poterant ſequi *Dogma* quod ab innumeris Viris ut capitale adverſus Antiquos crimen traductum fuiſſet, ſecretum à Patre *Paulo* ſibi concreditum ſollicitè cavit revelare ſuſpectis Hominibus. Obitûs ſui horam præſtolatus eſt ad librum de *Valvulis* & *Venis* à ſe compoſitum in *Veneta* Reipublicæ manus tradendum: quoniam autem in illis plagis vel minimæ novitates animos terrent, liber in S. Marci Bibliothecam reconditus fuit. Sed cum Aquapendens Anglico cuidam juveni cui nomen Harveius admodum curioſo, qui Patavii ſub ſe ſtudebat, rem aperire non dubitaſſet, eodemque tempore Pater *Paulus*, idem *Angliæ* Legato amicè detexiſſet, duo illi *Angli in Patriam* reduces in Libera Regione verſantes *Dogma* iſtud propalârunt, eoque pluribus experimentis confirmato, ejuſdem integram gloriam ſibi vendicarunt. *Novella* Gallicæ Reip. Literariæ. Tom. 1. pag. 335. 336. Gall.

Carolus Fracaſſatus in Epiſtolâ præliminari ad *Malpighium* ait, *Italum* quendam hoc *Inventum* ante *Harvæum* excoluiſſe. Is nempe eſt Pater *Paulus Servita*, quem *Joannes Walæus* (epiſt. 1. ad *Bartholinum*) etiam in ſcenam protraxit, *Circulationiſ*que hujus primum auctorem prædicat. Nimirum nec lux eſt abſque umbrâ, neque gloria ſine invidiâ. Iſtius autem commenti fabulam jampridem à te mihi narratam memini. Nempe, *Legatum Venetum*, ad ſuos reditum parantem, libro tuo de *Circulatione Sanguinis* à te donatum fuiſſe; eundemque poſteà Patri *Paulo* legendum exhibuiſſe: Indeque virum hunc celebrem, memoriæ causâ, pluſcula tranſcripſiſſe; quæ, ipſo mox defuncto, in hæredis manus inciderint: creditumque poſteà multis, *eundem* Scripti hujus *auctorem* extitiſſe: habereque te literas à *Patre Fulgentio*, ipſius ſodali, ad te ſcriptas, quæ rem eandem clarè exprimerent *Georg. Ent.* in epiſt. ad *Gul. Harvæum* præfix. Apolog. pro *Circul. Sang.*

Pater *Paulus* Vir fuit vaſta eruditione conſummatiſſimaque prudentia æque clarus; ſimulque fuit & unus è maximis Theologis & ex ſeculi ſui ſapientiſſimis viris. Verum celebrem Concilii *Tridentini Hiſtoricum* commendare adeo ſupervacaneum eſt, ut plura in ejus laudem loqui meritò deſinere poſſim. Verùm hôc *Bedelli* dignitas multùm augeri neceſſariò hinc debet, quòd *Italus* Vir, qui, præter cautelam in illa Regione ſingulis ingenitam, & prudentiam quâ quis in ſua agendi ratione ad cuilibet pluſquam quivis alius, diffidendum adigitur, cum omnium gentium hominibus cautiſſimè verſari cogebatur, rigido illo regimine quo adminiſtratur Reſpublica cujus civis erat, *Bedellum*

dellum tamen ad intimum affectum & conſortium admiſerit, eique ut *Henricus Wotton* defuncto Regi aſſeveravit, reconditiſſimas cordis ſui cogitationes aperuerit, adeo ut *Bedellus* palam profiteretur ſe plus ab eo didiciſſe in omnibus Theologiæ cùm Speculativæ, tum Practicæ partibus, quàm à quovis alio quicum per totam vitam ubivis verſatus eſſet—Pater *Paulus Bedello* tradidit inæſtimabilia Manuſcripta Hiſtoriæ *Tridentini* Concilii, ſimul cum Hiſtoria Interdicti & Inquiſitionis. Horum prius cenſebitur in ævum Exemplar primarium illis omnibus imitandum, qui in Hiſtoria quavis ritè conſcribenda felicem ſucceſſum exoptant. Doctor *Burnettus* in Vita Epiſcopi *Bedelli.* Anglicè.

P. *Paulus* omnium qui Humanitatis limitibus circumſcripti ſunt humillimus fuit. Genuinum Exemplar præcepti celebris, *Quantò doctior, tantò ſubmiſſior*; ſoluſque ſufficiens ad demonſtrandum quòd Scientia rectè ordinata non inflet. In *Poſitiva* excellens, in *Scholaſtica* & *Politica* Theologia excellens: Rarus Mathematicus, etiam in abſtruſiſſimis Diſciplinæ partibus, qualia ſunt *Algebra* & *Theorica*; & tamen ſimul ita peritus Hiſtoriæ *Plantarum*, ac ſi præter Naturam nullum unquam librum legiſſet: Denique Magnus Canoniſta, qui titulus fuit ejus Ordinarii Miniſterii in Republica. Et ſanè interdicti Pontificii tempore præcipua conſilia Senatus ab ipſo hauriebat. Quando ſeorſim legebat vel ſcribebat, ejus mos erat ſedere chartaceo caſtello ſedili & capite circumſeptis; in ea enim opinione erat, cum noſtrate Domino à *S. Albano,* quòd omnis aer prædatorius ſit & ſpecialiter nocivus quando ſpiritus cum maxima celebri contentione occupantur. Equitis *Henrici Wottoni* Character P. Pauli Angl.

Quantus vir *Paulus Sarpius* fuerit, non ignotum eſſe poteſt illis, qui interiorem rei literariæ notitiam habent. Fuit ille ſacri ordinis homo, Monachus, Minorita, ſed ſummi Ingenii. Extat ejus *Hiſtoria Concilii Tridentini*, magnâ prudentiâ & ingenuitate ſcripta, ſub nomine *Suavis Polani,* quam inter abſolutiſſima Hiſtoriæ Specimina numerat *Guido Patinus* epiſt. 170. Totum Reip. *Venetæ* ſtatum moderatus fuit conſiliis ſuis. Vindicavit jura ejus adverſus Pontificem, quâ de causâ ſummè inviſus fuit Pontificiis, & in mortem ejus aliquoties conſpiratum, ut Sicariorum manibus per vim vix extorqueretur: Illum enim omnibus Hæreticis pejorem habuerunt, ut qui arcanorum Pontificii Statûs Proditor erat. Spargebatur de ipſo fama, quòd abitum ad *Reformatos* meditaretur, quæ non omninò de nihilo eſt: Scio enim ſupereſſe epiſtolas manu ejus ſcriptas, ad *Iſaacum Caſaubonum*, quibus ſollicitat ipſum de gratiâ Regis *Angliæ* ſibi conciliandâ; ſi fortè illic fortuna iniquior ipſum abigeret. Vita ejus conſcripta eſt *Italicâ* Linguâ; poſteà in Linguam Gallicam converſa prodiit *Lugduni Batavor.* in 12. anno 1661. ſub titulo. *La Vie du Pere Paul.* Multa ſunt in hâc deſcriptione memorabilia ad omnem rem literariam: habuit enim excellentiſſimum Ingenium, quod per omnes Scientias, artes, & linguas ſe diffuderat. Promptus erat conſilio, animo ſemper præſens, extrema vitæ pericula ſummâ generoſitate contemnens, &,

ut breviter dicam,ſui temporis Phœnix. Multa enim ille in Phyſicis & Mathematicis demonſtravit extemporali penè ſolertia, quæ deſperata aliis videbantur. Celebratam apud Medicos *Circulationum* primus ille ante *Harvei* tempora oſtendit, quod cùm objiceret *Bartholinus* Anglis, ægrè admodum tulerunt,ejus inventionis gloriam dubiam ſibi reddi. Sed dolendum eſt, omnes illius viri chartas periiſſe, ac diſtractas poſt mortem ejus fuiſſe: nihil enim horum ſerio ſcripſit, & data operâ, ſed quaſi aliud agendo, cùm vacatio eſſet à publicis negotiis. *Dan. Georg.Morhof.* in Polyhiſt. p. 222. 223.

Ineptum eſt & malignum Cardinalis *Perronii* de *Paulo Sarpio* judicium in excerptis illis ſuis; qui de illo ita Gallicè loquitur. *In illo viro nihil eminentis animadverto, Judicio & intelligentia ſanus eſt, ſed inſignem eruditionem nullam habet, nihil non vulgare & paulo pluſquam Monachale obſervo.* Adverſus Solem hoc loqui eſt. Qui norunt, quantas qualeſque res geſſerit *Sarpius*, quibus ille doctrinis excelluerit, illi non ſupra *Monachum*, ſed & ſupra *Cardinalem*, ac ipſum hunc *Perronium*, ſapuiſſe largientur. *Idem* ibidem pag. 293. 294.

* *Hiſtoria del* Concilio Trident. *&c. di* Pietro Soave Polano edita in lucem per *Marcum Antonium* de *Dominis* Archiepiſc. olim *Spalat.* cum ejuſdem Præfatione, & Dedicatoriâ, prohibetur in Decreto, 22. Novembris 1619.

NICOLAUS SERARIUS. Societ. Jeſ.

Clar. An. D. MDXC.

Natione *Lotharingus*, patriâ *Rambervillanus*, quod oppidum eſt in *Metenſis* Epiſcopi ditione. Natus eſt Anno 1555. Societati Jeſu nomen dedit Anno 1572. Obiit die viceſimo Maii, anno ſalutis 1609. ætatis ſuæ 54. in Collegio *Moguntino*. *Herbipoli* & *Moguntiæ* Sacras Literas interpretatus eſt 20. propè annos.

Struxit Commentarios in *Joſuam*, *Judices*, *Ruth*, *Tobiam*, *Eſther*, Libros *Maccab.* &c. Extant etiam ejus quinque libri rerum *Moguntiacarum*: item, tres libri de Sectis *Iudæorum*, contra *Scaligerum* & *Druſium*.

Ad Sacras Literas explicandas, tuendas, ornandas, non diſputatricem modò illam Theologiam, verùm etiam omnium Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum atque adeò Poëtarum lectionem conferebat. Itaque ajebat ſe multorum hominum miſerari vicem, qui cum hiſce velut *Ægypti* Spoliis, Dei Arcam exornare poſſent, ætatem in iis ſine fructu contererent. Cum his etiam *Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, *Syriacæ* Linguarum cognitionem copularat, quæ ipſis quoq; adverſarii ejus commendationem expreſſit. His ille quidem armis vincere hoſtem poterat, qui ut ſe vinci quoque ſineret, admirabili candore animæ, morumque ſuavitate, quâ & Sermones omnes temperabat, adniſus eſt. Id quod admirabilius inde quoque fit, quòd fervidus naturâ, &, niſi longâ atque acri meditatione ſe fre-

Digitized by Google

fregiſſet, ad iram eſſet proclivior. *Alegambe.*

Nicolaus Serarius, Hebræarum Antiquitatum callentiſſimus vir, utinam paulò modeſtior. *Montacut.* exerc. 2. ſect. 2.

Lucis Iubar Eccleſiæ Germanicæ, dicere non dubitavit. *Cæſ. Baronius* ad Ann. Chr. 1126.

Nicolaus Serarius Eccleſiaſticæ Antiquitatis diligentiſſimus perveſtigator, hoſtis *Hæreticorum Jo.* Card. *Bona.*

Nicolaus Serarius, dum hæc ſcribimus, vivit, vitâ longiore dignus, magnis ingenii, doctrinæ perſpicuæ, atque linguarum dotibus præditus. *Ant. Poſſev.* Appar. Sac.

Serarius, Loioliticus magiſtellus, cui nihil tam dolet, quàm hactenus ſe non potuiſſe perſuadere cuiquam docto ſe *Hebraicè* ſcire, aliquid cornicatus eſt in noſtra *Euſebiana*, de Succeſſione *Herodianarum.* Et mirum in modum æſtuat, ut probet Patres melius genus *Herodis* ſciviſſe quàm *Ioſephum.* Tanta eſt impudentia *Aſini.* An è dignitate meâ ſit, aut è *Republicâ Literariâ*, illi reſpondere, nondum conſtitui. Nam magna jactura temporis fuerit ad omnes canum lattatus conſiſtere, & iter inceptum toties morari. *Ioſ. Scalig.* Epiſt. 122. ad *Caſaubonum.*

Cùm ſcripſiſſet *Scaliger*, *Herodem* alienigenum falsò fuiſſe creditum à Veteribus; *Serarius Scaligerum* non multò aliter excepit, quàm ſi alter *Iudas* Dominum noſtrum prodidiſſet. Ego *Serarium* non parvi facio; doctus vir fuit, multarum literarum, multæ induſtriæ; in hoc tamen libello contra *Scaligerum* virum profectò bonum non egit, falſa tuetur, falſis argumentis, & ſine causâ veriſſimam viri incomparabilis obſervationem ὑπὸ ἐμφύτου κακοηθείας ſiniſtrè interpretatur, quaſi nefas eſſet hâc in parte à ſententiâ *Veterum* diſcedere. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 698. ad *Thuan.*

Serarius Jeſuita omnibus Scripturarum Interpreti neceſſariis dotibus inſtructus fuit: præterquàm enim quòd Linguarum *Græcæ* & *Latinæ* ſufficienter ſciens erat, & multò meliùs quàm ſolent qui Commentarios in Scripturas elucubrant, huic argumento ſtuduerat, & in Sacrorum Codicum ſtylo exercitatus erat: Imo & Rabbinorum ſcripta legere poterat, ut palàm fecit Diſputationibus ſuis cum *Druſio* & *Scaligero.* Verùm ejus Methodus ſatis critica non eſt, nimiumque inutilis eruditionis Commentariis & Quæſtionibus ſuis admiſcet. Denique quamvis eruditus ſit Author iſte, ſatis accuratus non eſt; Judicium ejus & doctrina ſuis in Biblia Prolegomenis magis elucent, ubi plures refert Quæſtiones, quas ſolidè paucisque verbis pertractat. Oratorii Presbyter. *Rich. Simon* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 12. Gall.

Opera ejus edita ſunt tribus Tom. fol. *Moguntiæ* 1627.

MARCUS VELSERUS.

Clar. An. D. MDXCV.

PAtricius, & Duumvir *Auguſtanus*, bono publico natus eſt anno Chriſti 1558. die viceſimo *Iunii*: Obiit anno 1614. die 13. Junii. A teneris Artium ac virtutum ſtudiis excoctus, maturitatem ingenii, judicii, & doctrinæ feliciter eſt conſecutus, nec imitatus eos, qui ſibi nati ac ſuis Camœnis inglorio in ocio conſeneſcunt, omnemque ſcientiam vitâ umbraticâ finiunt, aut bracteatis næniis metiuntur. Vivido hic virtutis ardore ſtatim ſe in lucem protulit, patriæque *Reip.* ac *Literariæ* totum impendit. Itaque ut mens generoſa cœlo affinis motu gaudet: ita & ipſe in *Italiam* progreſſus, edidit *Antiquitates Auguſtanas*, felix famæ ſurgentis auſpicium & pium. Exinde aliis atque aliis ad unguem factis monumentis obligavit ſibi *rem literariam*. *Annales Boicos* ſcripſit libris quinque tantâ perſpicuitate, tantâ fide, tantâ prudentiâ, tanto nitore; ut meditanti videantur adſtitiſſe hinc *Muſæ* & *Gratiæ*; hinc, *Conſus*, *Apollo*, *Suada*, *Venus*. *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Velſerus noſter, illud Margaritum *Germaniæ* ſuæ. *Pignor.* Symbol. Epiſt. epiſt. 13.

Reipublicæ Auguſtanæ æternum decus. *Montacut.* Antidiat.

Me tacente, *Scripta* illius, omneſque viri eruditi, opem ipſius munificam, paratiſſimamque experti, quantus vir fuerit, ſatis loquuntur. *Gaſſend.* in Vit. *Peireskii.* p. 28.

M. Velſerus vir illuſtriſſimus, & propter ſummam eruditionem merito ſuo omnibus venerabilis. *Meric. Caſaub.* pietas.

Marcus Velſerus, nomen omni poſteritati venerandum. *Euſthat. Swart.* l. 1. Analect. p. 58. cap. 13.

A quô quum tantis beneficiis adfectus ſim, quanta nunquam ſperare debui, ab ingenio & eruditione ejus multiplici, maximè *Antiquitatum* & *Hiſtoriarum* ſtudio, in præſens prædicando, me abſtinebo, ne beneficia ſumma verbis compoſitis compenſare velle videar. *Sciop.* de Art. Crit. p. 19.

Quotuſquiſque enim *eruditorum* eſt, qui non optimè conſultum putet *rei Literariæ*, recuſis ac publico velut redonatis egregiis *Velſeri* monumentis; quæ longo jam tempore nullo pretio potuerunt comparari, ac legi tamen ac pervolvi diligenter ab omnibus omnino merebantur? Non fert inſtituti ratio, ut in laudationes clarorum virorum excurramus: aſt ſic tamen nobiſcum omnes ſentient, quibus *Velſerii Commentarios* inſpicere contigit, ut fuit vir in omni vitâ *literarum* amantiſſimus, ac in ornandis iis promovendiſque incredibili ſtudio, ita *Boicas* præcipuè *Antiquitates* neminem eo certiùs eruiſſe, aut illuſtraſſe rectiùs. *Acta Erudit.* Calend. Jun. an. 1682. vol. 1. p. 169.

Cujus viri (*Velſeri*) uſumfructum pænè equidem tibi invideo: in quo theſaurum earum rerum habes, quæ homini ingenuo appetendæ ſint, vel amandæ.

Vetuſtas

Digitized by Google

Vetuſtas, inquam, vel artium vel morum: & utroque titulo in *Europâ* noſtrâ claret. *Lipſ.* Cent. 4. Miſcel. ep. 97.

Magnus ille vir etiam in priſco & magno ævo fuiſſet. Toto animo eum amo. *Lipſ.* Cent. ad *German.* & *Gallos*, Epiſt. 80. ad *Martin. Delrium.*

Accepi *Annales* veſtros, eruditionis, elegantiæ & optimæ frugis plenos. *Ioſ. Scalig.* ep. 143.

Habent tandem *Boii* tui hiſtoriam rerum ſuarum eâ diligentiâ è tenebris erutam, eâ ſtyli felicitate compoſitam ut quid amplius in eâ quidem parte deſiderent reliquum ſit nihil. Utri potius gratuler, illine genti, an tibi, neſcio: ſed gratulor certè utrique ex animo; tibi, quod opus ſuſceptum, ut erat te dignum, graviter & ex fide perfeceris: Genti nobiliſſimæ & noſtræ συγγενεῖ, uti probas, quòd virtutum ſuarum dignum tandem ſit nacta præconem *Iſ. Caſaub.* epiſt. 269.

Boica Velſeri devoravi, nihil jam diu eſt, ita me rapuit in admirationem. Mirum mihi, quòd toties *Æmilium* veſtrum notet, qui tamen accuratus valdè Scriptor; ſed iſtius hominis diligentiam nihil fugit. *Georg. Mich. Lingelshem.* in ep. 38. ad *Bongarſium.*

Boica tua legi cum admiratione & diligentiâ & elegantiâ, qua *Veteres* certè æquas; Veteres, inquam, notæ melioris; Itaque & quòd me exemplo privatim donaveris, exulto; & quòd tam accuratum *Opus* publicum feceris, huic ſeculo noſtro gratulor, *Iac. Bongarſ.* in ep. ad *Velſer*, 1602.

Hæc tibi parum videbuntur, *Amice Lector*, erudita & ſolida, ſi cum iis contuleris, quæ diu poſt ſcripta legi ejus *Hiſtoriæ* initio, quam de rebus *Boicis* prudenter, doctè & eleganter ſummo judicio vir, atque doctrinâ, cum pari Nobilitate conjunctâ, *Marcus Velſerus* condidit, & ad me ex *Germaniâ* liberaliſſimè dono miſit, hominem ſibi planè ignotum. *Lal Biſciol.* Tom. 2. Hor. Subſ. l. 1. c. 7. n. 84.

Atque hactenus Nobiliſſimus idemque doctiſſimus vir, *Marcus Velſerus, Reip. Auguſtanæ* Duumvir, *Bojorum* res narrando perduxit; quos ego eodem jure felices appellem, neceſſe eſt, quo *Achillem Alexander*; quòd & ipſi talem laudum ſuarum nacti ſunt *præconem*, digniſſimum certè, qui *Livio* veterum *Bojorum* res *Romanæ* Hiſtoriæ inſerenti, *Succeſſor* daretur; eóque minus moleſtè fero, eum ſeculi noſtri *Tacitum* à quibuſdam indigitari: etſi enim eo nomine non ampliſſimè laudatum intelligo, *Boiis* tamen glorioſum erit, ſuæ quoque genti *Livium* & *Tacitum* laudatores obtigiſſe. At enim quia illi egregiè cœpti curſûs metam mors invidit, nos, quo poſſumus pede, certiſſimo duce deſtituti, cujus manibus benè precamur, iter proſequemur. *Andr. Brunner.* in *Boicis.*

Dictio (in hiſtoriâ *rerum Auguſtanarum*) *Romanam* dignitatem, ſine ullis ambagibus, ſapiens. Nihil in eâ turgidum, nihil laxum: ſi quâ in re immoratur, id ad rem ſolidè explicandam facit. *Poſſevin.* Biblioth. ſelect.

Extant rerum *Auguſtanarum* lib. 8. *Venetiis* 1594. fol.

Extant rerum *Boicarum* lib. *Auguſtæ Vindel.* 1602. in 4°.

Extant Inſcriptiones antiquæ *Auguſtæ Vindelicorum*, in 3. partes tributæ & notis illuſtratæ. *Venetiis* apud *Aldum* 1590. in 4°.

PHILIP-

PHILIPPUS MORNÆUS.

Clar. An. D. MDXCV.

GAllus, *Pleſſiaci* Dominus, Theologus, Juriſconſultus, & Philologus non minus eruditione quàm virtute militari inclaruit. Tanti fuit nominis inter Reformatos *Galliæ*, ut vix quiſquam *Pontificiorum* cum eo congredi in *Religionis* negotio auſus fuerit. Condidit librum titulo *Myſterii Iniquitatis*: alium de *Euchariſtiâ*: Opus item de Religione *Chriſtianâ*. Exaravit etiam admonitionem de *Meſſiâ* ad *Iudæos*. Obiit undecimo Novembris, Anno 1625. ætatis 74. *Konig.*

Vir tam pacis quàm belli artibus clariſſimus, è *Pleſſiacâ* familiâ: Scriptis publicis, de *Eccleſiâ* optimè meritus: inter quæ *Myſterium Iniquitatis*: de *Euchariſtiâ*, &c. qui poſtremus liber, linguâ vernacula ſcriptus, cùm ob ſtyli elegantiam, per omnium volitaret manus, Theologi Pontificii periculum veriti, paſſim in Concionibus in eum invehebantur. Hinc cum collatione inſtitutâ. *Rege* præſente ac *Proceribus*, *David Perronius* Epiſcopus *Ebroicenſis*, quædam falsò, quædam verbis truncatis in illo, ex *Patribus* & *Scholaſticis* allegata à *Mornæo*, contenderet, Anno 1600. hic ſibi à *Perronio* editionibus caſtratis ac mutatis impoſitum conqueſtus libello edito cauſam defendit *Henrico* IV. Regi à quo *Salmurii* Præfectus datus, chariſſimus fuit. *Hofman.* in Lexic.

Supra omnes hodie ponunt *Philippum Mornæum*, doctorum nobiliſſimum, & nobilium doctiſſimum: quem virum? quem unum, *Platonis*, *Demoſthenis*. & *Auguſtini*, ſimul compoſitorum *Idea* vix exprimat. *Thom. Lanſ.* in Orat. pro *Gall.* pag. 175.

Philippus Mornæus Pleſſæus, vir inſigni facundiâ, & in explicandis negotiis ſolertiâ præditus. *Thuan.* ad Ann. 1589.

Non ignoras quantum excoluerint iſtam materiam Philoſophicâ ſubtilitate *Raimundus Sebundus*, Dialogorum varietate *Lud. Vives*, maxima autem cùm eruditione tum facundiâ veſtras *Mornæus Hug. Grot.* in lim. Oper. de Verit. R. C. *Hieron. Bignonio* dicati, *Lut.* 1640.

Quantus vir fuerit illuſtris *Mornæus Pleſſiaci* Dominus, quantumque, ille Conſilio, gladio, calamo, pro tuenda veræ religionis & patriæ libertate ſub ductu ſereniſſimi Regis *Navarreni*, poſtea *Galliarum Henrici* IV. geſſerit, neminem ignorare arbitror; cui hiſtoriæ rerum *Gallicarum* jam inde à lanienâ *Pariſ.* an. 1572. & deinceps, adhæc tam multa ac varia Herois illius ſcripta partim *Latina*, partim *Gallica* æternitati conſecrata, ſi non perſpecta, ſaltem inſpecta fuerint: Ne quid dicam de vita ejuſdem non ita pridem à viro erudito & diſerto *Gallicè* deſcripta. Inter ſcripta omni exceptione majora, materiæ congeſtæ & laboris immenſitate, autorum ac teſtimoniorum adductorum multitudine, uſus quaſi univerſalis ad quoſcunque literatorum ordines & ſtatus, ad quæcunque Reipublicæ & Eccleſiæ negotia ac conſilia extenſione, ſtyli gravitate, ſe maximè commendare videtur *Myſterium iniquitatis* ſeu *Hiſtoria Papatûs*: cujus lectio tam avidè certatim frequentata, ut omnium editionum exemplaribus diſtractis, ſolum deſide-

Digitized by Google

deſiderium quamplurimis lucem hanc quærentibus relictum ſit. *Paul. Vinck* Ep. Phil. Mornæi Myſt. Iniquit. præfixâ.

Tu ex iis, quibus *Hebræorum* monumenta in pretio, ut præclara tua ſcripta ſatis ſuperque teſtantur. Vehementer ſanè, poſt aliorum tuorum lectionem, delectatus ſum *Admonitione* tuâ ad *Judæos* de *Meſſiâ*, in quâ ſecretiores quoſque *Hebræorum* Libros, ad argumenti tui probationem, affluentiſſimè producis. *Buxtorf.* Pater Epiſt. ad *Mornaum*, in Tract. de Abbreviatur. *Hebraicis*, Baſ. 1613.

Philippi Mornai ſententiam exponam ex libro ejus *Gallicè* ſcripto de *Veritate Religionis Chriſtianæ*, cui ſimilis in hoc argumenti genere nullus antehac prodiit. *Jo. Leunclav.* in Pandect. Hiſt. Turc.

Quod ad D. *Pleſſai* Perſonam attinet, addictiſſimus ei famulus ſum, totius *Galliæ* ſcitiſſimum Scriptorem illum cenſeo, cum de Religione non agitur, rariſſimum & excellentiſſimum *Ingenium*, magnæque literaturæ. *Jul. Caſ. Buling.* ſcribens adverſus Præfationem libri de *Eucharistia.* Gall.

Quandoquidem ante aliquot dies rumorem ſparſerunt quidam Impoſtores quòd *Neraci* D. *Pleſſæo* dixerim eum nihil ſcire, neque *Græcè*, neque *Latinè*, neque *Hebraicè*, tam effronti ac impudenti calumniæ perſcripto hoc teſtimonio volui occurrere. In eos enim eò non minùs indignor quàm ipſi reprehenſione digni ſunt, vel potius caſtigatione, ſi debitè juſtitia exerceretur, quòd me quantum in ipſis eſt, tam turpi probro implicuerint, quo magis offendor quàm ipſe Dominus *Pleſſæus*. Cùm enim tanta ſint ejus merita, ut nemo niſi omnino perfrictæ frontis fuerit illa diffiteri audeat, iis impudentior eſſem, ſi dotes quibus illum exornavit Deus non agnoſcerem, cæcus ſi quod unicuique patet non viderem, malignus ſi quod diffiteri nequeo non faterer —— Quomodo dixiſſem eum eſſe Linguarum rudem, cùm præclara ejus Scripta, quæ præ omnibus hujus ſeculi demiror, contrarii me arguerent? Præterquam quòd ejus condiſcipuli me certiorem fecerunt, quod propriis ſumptibus *Judæos* conduxerit in *Italia* ad *Hebraiſmum* accuratè perdiſcendum, imò nullum Poëtam *Græcum* quantumvis arduum extare, quem à ſtudiorum primordiis non didicerit. Sed quorſum probationes ejuſmodi? Id in ejus Scriptis perſpicio, id in mea Conſcientia lego: quapropter rem hanc aliter referre non valeo. Paucis verbis dicam, *Deus* autem cordis mei teſtis eſt, eum bonarum literarum ſcientiorem eſſe, earumque ſenſu & experientiâ antecellere vel celeberrimos & facundiſſimos Adverſariorum: Et hoc unicum adeo ipſos urit. *Joſ. Scalig.* in Judicio MS. apud D. de la *Renaudiere Cadomenſem Medicum*, olim aſſervato. Gall.

* Hic Author inter *Hæreticos* Primæ Claſſis rejicitur in *Indice Romæ* impreſſo. Anno 1681. Ejuſdem liber inſcriptus *Myſterium Iniquitatis* prohibetur in *Decreto Romæ* 1613. Ejuſdem de *Sacrâ Euchariſtiâ*, ſicut & alia omnia ejus Opera prohibentur in decreto 16. Martii 1621.

Extant ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa.

JOANNES MARIANA, Soc. Jeſ.

Clar. An. D. MDXCV.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Talabricenſis*, ſeptemdecim annos natus, ſe *Societati Jeſu* dedicavit. *Toleti* obiit die 17. Februarii, Anno 1624. ætatis 87.

Reliquit 3. libros de Rege & Regis Inſtitutione: De Monetæ mutatione: Triginta Libros Rerum *Hiſpanicarum*: Scholia in V. & N. T. ut & 7. Tractatus de adventu S. *Jacobi* in *Hiſpaniam*. Multaque alia.

Joannes Mariana, maximo vir ingenio, peracri judicio, ſingulari memoriâ, multorum annorum ſtudio, omne diſciplinarum genus diligentiſſimè excoluit, & ad S. Theologiam, raram omnium Liberalium Artium, & Hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum Prophanæ cognitionem; & præterea *Latinæ*, *Græcæ* atque *Hebraicæ* Linguæ peritiam adjunxit. *Alegambe*.

Joannes Mariana, ſingulari vir judicio, ſcripſit 30. Annalium *Hiſpaniæ* libros diſertè admodum gravique ſtylo, ut *Thucydidis* prudentiam ac *Taciti* acumen unus complexus eſſe videatur. *Hiſpan.* Biblioth.

Joannes Mariana veritatis amator, & pietatis optimus cultor, qui erudito ſtylo poſtremam manum appoſuit rerum *Hiſpanicarum* Hiſtoriæ, *Hiſpanus* & ipſe, ſed affectu privato carens, dignus Profeſſor *Societatis Jeſu Baron.* ad Annum *Chr.* 688.

Idemque *Baronius* Tomo 3. ait illum Res *Hiſpanicas* accuratiſſimè perſecutum.

Inter *Latinos* omnibus palmam præripuit *Joannes Mariana Hiſpanus*, rerum *Hiſpanicarum* cognitione nemini ſecundus. Valuit verò *Mariana* inſigni eloquentia, prudentiâ, & magnâ libertate dicendi, hinc & libertatis ſtudioſiſſimus in Reges ſuos ſæpè eſt mordax. Eſt itidem ſuperſtitioſiſſimus homo, quo nomine etiam inter ſuos malè audit. Tantam libertatem ſibi aſſumpſit, ut & libellum ediderit de membris *Societatis*, quem licèt ſupprimerent Jeſuitæ, tamen in mediâ *Româ* editum eſſe conſtat, rariſſimus hodie eſt inventu. Prodiit & alius ejus libellus, *De Inſtitutione Regis*, multa præclara continens, in quo liberrimè judicat, quomodo Reges inſtituendi ſint: Non dubitavit autem & apertè quoque docere, ſi Rex vel anathemate factus vel excommunicatus, ac nonnihil receſſit à *Romanâ Eccleſiâ*, licere in illum gladio, igne ſcilicet animadvertere. Eâ tamen pietate videri voluit, ut dixerit, Regem veneno tolli non licere, quaſi verò. Combuſtus verò hic eſt liber ob talem doctrinam horrendam *Pariſiis*, & coacti fuere Jeſuitæ diſſenſum profiteri. Non dubitavit & *Mariana* Sicarium *Henri* IV. Regis *Galliæ* inter *Sanctos* memorare. *Herman. Conring.* de Regno *Hiſpan.*

Mariana in ejus Hiſtoria *Hiſpaniæ* à neoticorum nemine ſuperatus fuit, nec incepti magnitudine, nec ſtyli nobilitate, Cæteris accuratior eſt; ſanaque mente de ſingulis judicat. *Rapin.* Animadv. in Hiſt. Sect. 28. Gall.

Joannis Marianæ Scholia, exigua quidem mole, ſed uſu non contemnenda,

da, & cum judicio exarata. *Matth. Paul.* Præfat. ad Lector. Vol. 1.

Scholia, ſive Notæ *Marianæ* in Vetus Teſtamentum etiam utiliſſimæ poſſunt eſſe ad ſenſus literalis Scripturarum intelligentiam, quoniam ad propriam vocum *Hebraicarum* ſignificationem exprimendam ſtudium præcipuum adhibuit. Sic in principio *Geneſeos* ſagaciter obſervavit verbum *Hebraicum bara* quod *Creare* verti ſolet, propria ſignificatione non deſignare *ex nihilo facere*, ut vulgò creditur; imò ipſos Authores *Græcos & Latinos* qui in ſuis Linguis vocem *Creare* excogitârunt, hunc ſenſum ei alligare non potuiſſe, quandoquidem quod nunc Creatio, ſeu ex nihilo productio dicitur, iis penitùs incognitum fuit. Quamvis ejus Notæ breves admodum ſint, aliquas tamen obſervationes prætermittere potuiſſet quæ meræ ſunt eruditionis, nihilque ad Textûs ipſius elucidationem conferunt. Ejuſmodi digreſſiones raro tamen apud ipſum occurrunt, dicique poteſt *Marianam* accenſendum eſſe peritiſſimis & ſagaciſſimis *Scholiaſtis* qui à nobis in Biblia legantur. Verùm quidem illum mediocriter tantum calluiſſe Linguas *Græcam & Hebraicam*, ſed illum defectum quadantenus ſupplent ingenii ejus acumen & magna animi ejus contentio. Optimum ſenſum plerumque deligit, & ne quidem in diverſis quas refert interpretationibus, tædioſus eſt, Frequenter admodum citat Vetus Vulgatæ exemplar quod *Gotticum* denominat & cujus in Hiſpanicis Eccleſiis uſus olim erat. Or. Pr. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 12. Gall.

* *Joannis Marianæ* Tractatus ſeptem prohibentur, donec corrigantur. Totus iſte Tractatus de Mutatione Monetæ expungatur. Tractatus de Morte, & Immortalitate, expurgandus. *Index Madrit.* edit. an. 1667.

Extat *Hiſtoria Hiſpaniæ* 32. Libris. *Toleti* 1592. typis *Jo. Roderici. Moguntiæ* anno 1605. & in *Hiſpaniâ* Illuſtratâ Tomo 2.

Extat de Ponderibus & Menſuris Tractatus. *Toleti* 4°. 1599. apud *Thom. Guſmanium.*

JANUS DOUZA, Filius.

PHilologus ac Poëta, & quod in tenerâ adhuc ætate mireris, Philoſophus ac Mathematicus inſignis, primuſque Bibliothecæ *Lugduno-Bataviæ* Præfectus, paternis ſiſtens veſtigiis. Obiit anno 1597. nondum expleto 26. ætatis anno, *Hagæ Comitis. Val. Andreas.* Clar. A. D. MDXCVI.

Scripta ejus ſunt: Notæ in *Catullum, Tibullum, Propertium*—Spicilegium in *Petronii Arbitri* Satyricon—Animadverſiones breves in *Plauti* Comœdias—Declamatio in laudem umbræ: addito *rerum Cæleſtium* Libro---- Annales *Bataviæ* Patris ſui proſâ oratione pertexuit----Poëmata varia.

Hic acceptam à parente nominis claritatem ingenii ſui luce illuſtravit. Trium linguarum exquiſita cognitio, Antiquitatis legumque Romanarum intelligentia, & Mathematicæ totius, totiuſque Philoſophiæ notitia *Meurſ. Athen. Batav.*

Janus Douza filius, Juvenis admirabili ingenio, excellenti doctrinâ cum rarâ

 morum

Digitized by Google

morum ſuavitate conjunctâ præditus,cùm ex peregrinatione longinquâ rediiſſet, quaſi in portu naufragium fecit, anno ætatis 26. ereptus. *Thuan.* ad ann. 1596.

Cùm eſſem apud D. *Scaligerum*,multus nobis ultro citroque ſermo fuit de Te, ac Patre tuo;nec parcus veſtrarum laudum. Tuam de *Cœlo* Poëſin in cœlum effert homo, & optimus talium æſtimator, & minimè à naturâ aut diſciplinâ factus ad aſſentandum.Valdè item capitur iis verſibus,quos in effigiem ſuam & patris compoſuiſti. Mihi quidem, qui nec omnium hebetiſſimus ad ea ſtudia ſum,nec multùm acutus, ita placent,ut negem quidquam elegantius fieri poſſe,quodque propius accedat ad genium puræ putæ antiquitatis; ex quo myrothecio promendum eſt quidquid probabitur probis *Baud.* Cent. 1. Epiſt. 27. ad *Jan. Douz.* fil.

Certè omnia magna mihi de Te ſpondeo, ſupra eos qui nunc, & qui fuere in *Batavia* (non inflandi tui causâ dixerim :) vive tantum , & curſum hunc quem cœpiſti tene. *Lipſ.* in Epiſt. Cent. 3. ad *Belg.* Ep. 2.

Cùm ab eo ſermone diſceſſi , quicquid ſupereſt admirationis in te conſumo, adoleſcens doctiſſime; Facilè enim ex iis quæ adhuc vidi , quam frugem factura ſit hæc ſeges, quæ adhuc in herbâ eſt, auguror. Deus optimus Maximus (adoleſcens nobiliſſime) tua ſtudia proſperet , tuam juventutem regat , vitam totam omnibus bonis cumulet. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. 15.

Patrem æmulatus *Janus Douza* filius, anno ætatis ſuæ, ſi ſatis ſincerè memini, 16. novam eamque pulcherrimam *Plauti* editionem dedit : Illos *Amorum* Triumviros , *Catullum*, inquam, *Tibullum* & *Propertium*, recenſuit, ſuiſque Animadverſionibus doctiſſimis explanavit : Et, quod omnes,me tamen tacente, intelligunt nimio plura ejus in rem Literariam bene promerita futura fuerant , niſi Deus nuper optimum illum, & ſummæ ſpei juvenem , heu ! præmaturè nimis & patri nobiliſſimo & nobis omnibus eripuiſſet. *Gaſp. Sciop.* De Art. Crit. p. 17.

Janus Douza mirabilis erat ingenii, quo feliciter perficere potuiſſet quicquid aggredi voluiſſet. Ornamentum univerſi orbis illum vocat *Joſephus Scaliger* , dixitque in ætatis flore eum ad ſapientiæ & eruditionis gradum ejuſmodi aſcendiſſe, ad quem virtute ac eruditione clariſſimi viri , vix ætate provecta pertingere potuerunt. *Grotius* Annalium libro 5. nobis aſſeverat , ejus Poëtica ſcripta paternis longe præſtare, quamvis tantam in Republica literaria Poëſi ſua Pater ejus famam ſibi paraverit ; Imo hunc ab illo adjutum fuiſſe in *Hollandicorum* Annalium compoſitione. *Ant. Teiſſier.* Elog. Viror. Erud. Gall.

Janus Douza uterque pater & filius, luculenti Poëtæ. Filium tamen vitâ priùs deſtituit, quàm ad ſummum *Parnaſſi* culmen perveniret. Maturior eſt ejuſdem *Cœleſtium* liber , *Epico* perſcriptus : nec incomptæ *Sylvæ* ; & in *Elegis* ſunt , quæ jure laudes,item in *Odis*, *Jambiſ*que : reliqua cum veniâ ætatis legenda. *Borrich.* de Poët. p. 141. 142.

* Ejus libri *Rerum Cœleſtium* , & in laudem *Umbræ* ; ejus oratio funebris , *Aſini* ; ejuſque oratio funebris, *Pediculi* ; inter libros expurgandos numerantur in *Indice Madrit.* edit. anno 1667.

Extat Declamatio in laudem *Umbræ Lugd. Bat.* 1618. 8°.

Extant *Bataviæ* & *Hollandiæ* Annales inchoati ; à Patre verò adhuc ſuperſtite con-

Digitized by Google

continuati & perfecti. *Lug. Bat.* 1601. 4o. Extant Poëmata *Lug. Bat.* 1607. 8o.

Conditus eſt *Hagæ* Comitis unà cum *Patre* ſuo, ubi hoc Epitaphium reperitur:

D. S.

J. Douza Jani *F. hìc cubat*, *qui vixit Ann.* 25. *Menſ.* 11. *Dies* 4. Jani Douzæ *Patris*, *& filii.*

Uterque Douza, *uterque* Janus *hìc cubat*,
Paterque, *filiuſque: Morte quâ, rogas?*
Pater dolore, natus aſthmate, è via
Sibi labore quod crearat, occidit.
Precari at ipſe ne gravare mortuis,
Negata vivo utrique quæ fuit quies.

DOMINICUS BAUDIUS.

Hoc ejus Symbolum.

ΑΙΕΝ ΑΡΙΣΤΕΥΕΙΝ.

INſulenſis *Flander*, Juriſconſultus, Hiſtoricus, & Poëta doctiſſimus. Natus eſt anno 1561. Obiit anno 1613. Primò Theologiæ Operam dedit: mox eâ deſertâ, ad Juris ſtudium ſeſe tranſtulit, cui cùm per quindecim menſes ſtrenuè incubuiſſet, *Doctoris* gradu dignus habitus, eoque inauguratus eſt. *Lugduni* eloquentiam profeſſus eſt. *Scripſit* Poëmata. Item tres libros de *Induciis* Belli *Belgici*; Epiſtolas, &c. *Konig.* in Biblioth. Clar. An. D. MDC.

In *Baudio* vivente memoriam, ingeniumque plerique admirati ſunt: geniumque hominis *Epiſtolæ* ejus paſſim produnt, quas ſcribere ad amicos incredibili felicitate ſolet, in quibus ita ſe expreſſit, ut in iis vivere adhuc & ſpirare videatur. *Valer. Andr.* in Biblioth. *Belgic.*

Sed quid narras, *Baudium* in numerum *Profeſſorum* adlectum? Felicem, imò immortalem *Scholam Lugdun.* hoc tibicine! Utinam ad vos advolare liceret & audire. *Florem illibatum populi ſuadæque medullam. Jo. Wower* in Epiſt. ad *Petrum Scriverium.*

Dominicus Baudius vir ſummus & clariſſimus, quibuſvis noſtri ævi ſi non ſuperior, certè æqualis, ſive veram eruditionem, ſive rerum uſum, & Juris ſcientiam ſpectes. Is evocatus ex *Galliâ*, ægrè retentus in Academiâ *Lugdunenſi* vivit. Hunc pater tuus aliique præcipui in hâc Urbe viri penes me viderunt; ejus incredibilem eruditionem, memoriam, ingeniumque, ſupra mortales admirati ſunt. *Idem* in Epiſt. ad cognatum ſuum *Nicb.* à *Vechta.*

Digitized by Google

'*Legi*, mi *Baudi*, quam miſiſti orationem, quæ vel ſi *Iliade* prolixior fuiſſet,
'tamen cupidos adhuc nos dimiſiſſet, nec planè dum ſatiatos. Equidem hoc mihi
'non ſumo, ut de talibus judicium purem ferre me poſſe: Si quid tamen uſu
'longo conſecuti ſumus, neque in totum linguæ *Latinæ* ſumus ἀμύητοι, quid ſit
'*Latinè ſcribere* non ſcimus, niſi hoc eſt ita loqui; ut tu loqueris. Sive proſa ora-
'tione à te ſcripta lego, videor colloquentem mecum audire, ſine fuco, ſine
'cincinnis & meretriciis ornamentis, quibus inſana hæc juventus *Sermonis ele-*
'*gantiam* metitur, *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 276.

Legi his diebus incredibili cum voluptate *Carmen aureum*, quo virum divinum [*Scaligerum*] & novum ejus opus *Euſebianum* laudaſti. Nihil poterat neque *elegantius*, neque *Latinius*. Jam ſententiarum gravitas cum perſpicuitate ita certat, ut neſciam utrum potius mirer; taceo pietatem quam totum carmen ſpirat. *Idem* Epiſt. 465.

Baudium auditorem tuum hîc vidi, cujus doctiſſimis poëmatiis valdè captus ſum. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 5. ad *Juſt. Lipſ.*

Budius doctus eſt *Baudius* habet ſtylum non *Ciceronianum*, ſed ſeculi *Domitiani*, omnes *Baudii* Epiſtolas aſſervo *Scalig.* 2. Gall.

Amicus verò noſter dum viveret, & quando *Dordrechtum* divertiſſet, hoſpes ſuaviſſimus, *Dominicus Baudius*. Poëta idem elegantiſſimus & diſertiſſimus. *Voſſ.* de Analog. l. 1. c. 42.

Dominicus Baudius, Iuſulenſis *Flander*, Jambis potiſſimùm inclaruit, immò omnibus ferè in hoc articulo numeroſior; non infelix tamen, ſive *Epico*, ſive *Elegiaco* verſu. In *Gnomis* tamen *Jambicis* ſecuriùs regnat, & diſertiùs philoſophatur. *Borrich.* de Poët. p. 410.

Epiſtolis Baudii, ſi quis legerit, propter egregium ſtylum, operam non luſerit; alioquin vix ullæ res lectu & ſcitu dignæ ibi comparent. *Voet.* Biblioth. ſtudioſ. Theolog. l. 2. c. 4. p. 284.

His adde *Dominicum Baudium*, virum ingenii felicitate cum veteribus comparandum. *Paul. Colomeſ.* in Opuſc. p. 40. 41.

Baudii Epiſtolæ in tyronum manibus ſunt. Nemini ignotus *Baudius*, ſalibus & facetiis ubique diffluens. Vir fuit doctiſſimus, Poëta inprimis in Jambis feliciſſimus. Dictio ejus, ſi judicium *Scaligeri* in *Excerptis Puteaneis* audimus, ſapit phraſin *Neroniani* temporis. Eſt enim in illo quidam flos ſermonis ad poëtiſmum aliquantum accedens, & colorem aliquem è *Plauti* argutiis trahens, qui ipſi ſcriptor familiaris fuit quem imitaretur, & ita imitatus eſt, ut non eſſet κακόζηλος. Epiſtolare enim argumentum inprimis inter familiares non reſpuit jocos & ſales. Vir fuit meliore fortunâ dignus, ſi ipſe faber ejus eſſe potuiſſet. Habuit familiaria vitia, quæ vehementer ipſi obſtiterunt ad altiora tendenti. Venerem & Bacchum; amoribus enim paulò plus, quàm licebat per honeſtatem & ordinem, deditus fuit; Quod occaſionem dedit eleganti illi Centoni Virgiliano quem *Dan. Heinſius* in ipſum diſſimulato nomine ſcripſit, qui reperitur inter Poëmata ejus p. 426. Acceſſit poſteà, vel in famam vel in infamiam *Baudii*, quòd *Petrus Scriverius* ederet librum cum titulo: *Dominici Baudii Amores*, in quo ille congeſſit omnes, quæ de

hôc

Digitized by Google

hô . . gumento habentur in *Baudio*, Epiſtolis, adjectis aliis ſimilis argumenti, non omiſſo etiam Centone illo *Heinſiano*, cui *Dom. Baudii* nomen præſcripſit, quod diſſimulârat in Poëmatibus ſuis *Heinſius*. Omnia in illo libro lepida, grata futura iis, quos trahit illa voluptas; amatoribus ſcilicet, ſed eruditis. Nec mirum eſt, delectatum fuiſſe hôc labore *Petrum Scriverium*, qui & ipſe totus ad has delicias compoſitus fuit, ſi fides habenda eſt illis, quæ narrat *Colomeſius* in *Opuſculis* ſuis; illic enim mirabilis hiſtoria de illo habetur, p. 101. quam illic vide *Dan. Georg. Marhof.* Polyhiſt. p. 306.

Petrus Scriverius de Effigie *Dominici Baudii* hæc Carmina compoſuit:

Vane, quid affectas os magni reddere Baudi,
Pictor? ad hunc hominem non ſatis aptus eras.
Nullus Apelleis *color eſt geniuſque tabellis*,
Lyſippum *fruſtra* Praxitelem*que voles.*
Optimus ipſe ſui pictor, morumque ſuorum,
Quos jocus & docti compoſuere ſales.
Una vel in medium procedat Epiſtola Baudi,
Vera *redit facies*, aſſimilata *perit.*

In eundem ſequentia compoſuit *Hugo Grotius*:

Quem legis, & laudas, ſi vis noviſſe, Poëtam,
Verſibus & vitâ Baudius *unus erat.*
Vidimus hunc ipſum qualem tibi carmina monſtrant:
Ingenium Domini læta papyrus habet.
Talis erat, ſeu cum fluitarent proſpera, ſeu cum
Immeritum premeret ſævior aura caput.
Liber & intrepidus, nec qui concederet unquam
Fortuna magnis Regibus eſſe minor:
Nulli ſponte nocens, & amabilis hoſtibus ipſis,
In quo, ſi noſſes, perderet ira locum:
Inſenſus Sceleri: ſed non ut lege ſeverâ
Viveret, antiquæ ſimplicitatis amans,
Melle madens, & quo non incorruptius alter
Miſcuit innumeris ſeria mille jocis:
Et ſi cuncta ſimul permittis dicere, vates
Tejus *arguto miſtus* Ariſtophani.

* *Dominici Baudii* Orationes, ejuſdemque Poëmatum nova Editio, inter libros prohibitos numerantur. Vid. *Indic.* Lib. *Prohibit.* edit. juſſu *Innocent.* XI. *Romæ* 1681.

Extant Epiſtolarum Centuriæ III. *Amſtelod.* 1639. 12°.

Extant

Extant Orationes aliquot, à morte *Bandii* ſimul editæ, 1619. 8°.
Extant de Induciis Belli *Belgici* libri III. 1613. 4°.

GULIELMUS CAMDENUS, Clarentius,

Clar. A. D. MDC.

LOndini natus eſt Anno Dom. 1550. Obiit nono die Novembris ann. 1623. *Scripſit* Hiſtoriam *Britannicam*: item Hiſtoriam de Rebus *Elizabethæ* Reginæ,

Criticus accuratus, Philoſophus omnibus numeris abſolutus, Linguarum *Græcæ* & *Latinæ*, nec non rei *Hiſtoricæ* peritiſſimus, maximè autem rerum antiquarum cognitione inſtructus erat *Camdenus*; quibus nominibus non tantum apud *Anglos*, genere & eruditione claros, in pretio fuit, verùm apud *exteros* quoque celeberrimos ſummo in honore verſabatur, quales fuere *Ortelius*, *Lipſius*, *Douza*, *Scaliger*, *Thuanus*, *Gruterus*, *Peireskius*, &c. quorum perinde & aliorum haud paucorum è literis, ad *Camdenum* quidem datis mihique perlectis, facilè colligendum, coævis omnibus, priſcorum ſeculorum monumenta rimantibus, ipſum fuiſſe antehabitum. Enimvero popularibus *Anglis*, quotquot eandem materiam unquam illuſtrarunt, longè videtur antecelluiſſe, & proinde Inſularum *Britannicarum Pauſanias* meritò à quibuſdam nuncupatur, utpote cujus famâ diuturnius non erit Gentis *Britannicæ* nomen. *Anton.* à *Wood.* in Antiq. Univerſ. *Oxon.* p. 270.

Antiquitatis ſtudioſus & impenſiùs amans, præſertim ſuæ *Patriæ*, nihil quod ad ejus veritatem eruendam momenti aliquid habere videretur omiſit; tandemque *Hiſtoriam Britannicam* publicavit. Unicum illud & incomparabile Opus, quo *Britanniæ* noſtræ *Antiquitatem*, & ſuæ antiquitati *Britanniam* reſtituit, quo pulcherrimam terram (à toto orbe diviſam) toti terrarum orbi conſpicuam & illuſtrem reddidit: hôc uno opere quid luculentius? quid limatius? quid accuratius, vel *Pauſanias*, vel *Strabo* vel quivis alius veterum Geographorum dare potuit? Vetuſtis induit novitatem, obſcuris lucem accendit, dubiis fidem conciliavit— *Annales* Rerum *Anglicarum*, & *Hibernicarum*, regnante *Elizabetha*, aggreditur, ſuo tempore abſolvit, ejuſque primam partem edidit; in quo opere, perfectæ Hiſtoriæ numeros omnes reperiri, haud credo quenquam eſſe qui diffitebitur, niſi judicium præjudicio obnoxium nimis habeat & occæcatum. *Whear.* in Commemorat. *Gul. Camden.*

Annales *Elizabethæ* ſuſcipit *Camdenus*, perficitque ſtylo tam plenè Regio, tam undequaque & rei & ſibi conſono, quaſi virginalem tantæ Majeſtatis ſplendorem libro ſuo maritare ſtatuiſſet; ut pari famæ conſortio poſteris ſemper audiant, *Elizabetha* & *Camdenus*. *Tounleius* Orat. in Memoriam. *Camden.*

Strabo Britannicus, & *Pauſanias Anglicus* à plurimis vocatur.

Gulielmus Camdenus, vir in reconditis Antiquitatum apothecis longè peritiſſimus. *Brian. Twyn.* de Acad. *Oxon.* p. 2.

Camdenus vir impensè doctus. *Bochart.* in Geog. Sac.

Camdenus nobilis *Britanniæ* ſuæ illuſtrator. *Barth.* Adverſ. l. x. c. 17.

Camdeni

Digitized by Google

Camdeni Britannia bona *Scaligerana* 2.

Limatiſſima *Camdeni* noſtri Britannia. *Douza* lib. 1. Annal. Holland.

Extat præclara Hiſtoria *Wilhelmi Camdeni* de rebus geſtis *Elizabethæ*. Primam Hiſtoriæ partem edidit dum vixit; poſteriorem edere noluit ob odii metum; alteram verò partem debemus *Nicolao Peireskio*, Baroni *Gallico*, eruditorum ad ſtuporem Patrono. Lectu digna illa Hiſtoria, quia mira multa invenias. *Herman. Conring.*

Non *Anglos* ſolùm tuos, vir doctiſſime, opere illo tuo (*Hiſtoriâ Britannicâ*) ſemper victuro tibi obſtrinxiſti, ſed omnes quotquot ubique ſunt veteris *Hiſtoriæ* amantes & cupidi---Omnia in tuis ſcriptis mirificè mihi placent, ingenium, diligentia, eruditio, &, quod ſupra omnia eſt, judicium. *Caſaubon.* in Epiſt. 101.

Munus à te accepi, vir ornatiſſime, per mihi gratum, *Britanniam* tuam: quam illuſtraſti ingenii & induſtriæ clarâ face. Multum *Patria* tibi debet, multum *exteri* nos; qui per te pulcherrimam *Inſulam* videmus, etiam cùm non videmus. Perge in hoc & ſimili ſtudiorum genere, quod abeſſe non poteſt quin tibi famam, poſteris æternum ferat fructum. *Lipſ.* in Epiſt. ad *Camden.*

Camdenum auctorem hîc ſequor, ſcriptorem longè graviſſimum. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Epiſt. p. 138.

De ſuâ *Britanniâ* benè meritus *Gulielmus Camdenus*. *Pet. Gaſſend.* in Vit. *Peiresk.* p. 52.

Capio Judicem te, *Gulielme Camdene*, qui *Britanniæ* tuæ nebulas claro ingenii ſole nuper illuſtraſti. *Lipſ.* Comment. in l. 12. Annal. *Taciti.*

In *Camdeno* ut eluxit veritatis ſtudium, dos apprimè requiſita Hiſtoriam ſcribenti, ſic maximè valuit Oratione ad Hiſtoriæ compoſitionem accommodatâ: nam nec melliſluus *Cæſaris* ſtylus, nec lepos *Curtii*, nec acumen *Taciti* deſunt illi; ita ejus Stylus naturali pulchritudine exurgit, ſententiarum punctis tanquam luminibus aſpergitur, & in animos legentium placidè ſe dimittit. *Lud. Molinæus* Orat. habit. in Regiâ Acad. *Oxon.* in laud. *Gul. Camdeni.*

Cambdenus eruditus & ſagax ille Vir Hiſtoriam *Elizabethæ* Regni conſcripſit, ea fidelitate eaque cura, tam terſo ſtylo tamque acri judicio, ut abſque controverſia ea ſit potiſſima pars *Anglicæ* noſtræ Hiſtoriæ. Sed ipſe paſſim profitetur ſe multa illis reliquiſſe, qui Eccleſiæ Hiſtoriam aggreſſuri eſſent. Quapropter quod ad hujus Regni exordia ſpectat, ut illum, ea fide, quæ tam inſigni Scriptori debetur, in omnibus ſequuturus ſum, ſic etiam cùm in quædam inciderim, quæ vel ipſum latuerunt, vel quæ in Hiſtoria tam ſuccincta prolixiùs enarrare minimè neceſſarium duxit, non verebor præter ea quæ ſcripſit aliquid ſuperaddere, quamvis fama meritò ipſi debita ſuperfluum videri faciat, aliud quicquam rebus ab ipſo tractatis adjicere. Doct. *Burnetus* ſuæ Reformationis Hiſtoriæ parte 2. lib. 3. p. 377. Angl.

Dominus de *Thou*, cùm generalem Hiſtoriam contexere in animo haberet, commercium colere cœpit cum omnibus *Europæ* Viris qui maxime idonei erant quæ vera eſſent ad ipſum tranſmittere: Magnum itaque cum *Camdeno* commercium habuit. Cùm autem *Camdeni* volumen primum in lucem exiiſſet, ſe verè ad

ipſum ſcripſit deprehendens id adeo diſcrepans eſſe ab iis, quæ in mutuis ipſorum Epiſtolis exarata fuerant, præſertim reſpectu *Scotorum* Reginæ. De quibus quod verum erat ipſi confeſſus eſt *Camdenus*, ſcilicet Regem *Jacobum* illud neceſſariò reviſere voluiſſe, idemque poſtea tradidiſſe in manus Comitis *Northamptonii*, qui erat Ducis *Norfolciæ* frater, qui propter illam Reginam capite truncatus fuerat, & plurima ex illo eraſa, plurimaque alterata fuiſſe. Hoc moleſtiſſimum fuit *Camdeno*, qui ſollicitus fuit ne poſterioris partis idem eſſet fatum: Et ea propter illam extra Angliam ad præſtantem illum Virum tranſmiſit, ut poſt ſuum obitum fideliter typis mandari poſſet. Hoc in *Anglia* notiſſimum eſt, Et *Secundæ Partis*, ultra mare ad Extraneum tranſmiſſio, facile quemvis inducit ad credendum eam hujus veram rationem fuiſſe. D. *Burnetti* Replicatio ad D. *Varillas*. p. 59. Angl.

* *Gulielmi Camdeni Britannia*, ejuſdemque *Annales Elizabethæ* cum *Expurgationibus* permittuntur. Ejuſdem verò Actio in *Henricum Garnetum* Soc. Jeſu, &c. verſa in *Latinum* ab eodem *Camdeno*, omninò prohibetur. *Index Madrit*

Extant Annales Rerum *Anglicarum* & *Hibernicarum* regnante *Elizabethâ*. *Lugduni Bat*. ex offic. *Elzevirianâ* 1625. in 8°.

Extat Deſcriptio *Britanniæ Londini* apud *Georg. Bishop*. 1607. cum Tabulis Chorographicis, Fol.

Sepultus eſt in Eccleſiâ S. *Petri Weſtmonaſterienſis* porticu Auſtrali, Choro proximâ, 10. Novemb. Anno Dom. 1623. Parieti verò Occidentali ſupra tumulum, infixa eſt effigies Viri dimidiata, ex marmore albo dedolata, & ejuſmodi inſcriptione inferius poſitâ, ornata.

Qui fide Antiquâ & operâ aſſiduâ *Britannicam* antiquitatem indagavit, ſimplicitatem innatam honeſtis ſtudiis excoluit: Animi ſolertiam Candore illuſtravit *Gulielmus Camdenus* ab *Elizabetha* R. ad Regis Armorum (*Clarentii* titulo) dignitatem evocatus. Hîc ſpe certa reſurgendi in *Christo* S. E. Q. Obiit Anno Dom. 1623. Novemb. 9. ætatis ſuæ 74.

ISAACUS CASAUBONUS.

Clar. An. D. MDC.

Gallus, Delphinas, natus eſt anno 1559. Obiit anno 1614. Primo *Genevenſis* Profeſſor, pòſt *Lutetiæ Pariſiorum* Regius Bibliothecarius, tandem Regis *Iacobi* I. Magnæ *Britanniæ* Conſiliarius factus eſt.

Confecit Exercitationes contra *Baronium* Cardinalem: Comment. in *Hiſt. Aug. Scriptores, Suetonium, Strabonem, Theophraſtum, Diogenem Laertium, Theocritum Polyænum, Perſium*, multaque alia ſcripſit.

Scaliger eum eruditorum *Phœnicem Heinſius* eruditionis *Solem* & ætatis decus appellabat. *Petrus Matthæus* dicere ſolebat, *Caſaubonum* tot *Palladas* quot libros edere.

Iſaacus Caſaubonus vir magnus, & veluti Sol quidam Philologiæ. *Paul. Colomeſ.* Obſerv. Sac. p. 25.

Incomparabilis vir & ſeculi ſui decus immortale, *Iſaacus Caſaubonus*, nunquam

Digitized by Google

quam ſine laude nominandus, nunquam ſatis laudatus *Salmaſ.* Præf. ad Hiſt. Auguſt. Script.

Iſaacus Caſaubonus, vir longè latéque doctiſſimus, & mihi, dum viveret, amiciſſimus, meritiſque in rem literariam clariſſimus, in Hiſtoricis recenſendis verſatiſſimus *Salmaſ.* Not. in *Ælii Spartian. Hadrian.*

Cujus eruditio præconium meum longè ſupergreſſa eſt: equidem ſeculo gratulor quòd habeat, quem antiquis opponat. *Iohann. Wouver.* de Polymath. cap. 12.

Erat invictus operis & laboris, & in omnes de publico benè merendi occaſiones ſemper intentus. *Meric. Caſaub.* de IV. ling. p. 47.

Caſaubono ſtatim à teneris unguiculis ſincero veræ pietatis lacte imbuto ſuppetebat rara Linguarum Orientalium cognitio, in *Græciâ* vix ſecundum, nedum parem habebat. Non deerat ſacræ, non deerat Hiſtoricæ veritatis illuſtrandæ ſtudium. *Jac. Capel.* Præfat. ad Vindic. pro *Iſ. Caſaub.*

Vir Nectare & Ambroſiâ qui alatur, & Sarrano qui dormiat oſtro digniſſimus. *Remus* in *Themiſt.* p. 159.

Immortale Galliæ decus, quô digniorem omni laude alium ne Hiſtoriæ quidem continent. *Rittershuſ.* in *Salvian.*

Vir ſeculi noſtri eruditiſſimus *Iſaacus Caſaubonus*--- Cujus auſpiciis hâc ætate admirabilis curſus factus ad omnem doctrinæ excellentiam eſt. *Petr. Cunæus* Repub. *Hebræor.* p. 53. p. 54.

Caſaubonus, vir ille plurima ſcit, pauca ignorat. Quàm multa quotidie eruit, quæ fruſtrà alibi requiras! *Dominic. Baud.* in Epiſt. Cent. 2. Epiſt. 9. ad *Iohann.* à *Wouvveren.*

Iſaacus Caſaubonus vir ætate noſtrâ vix cuiquam comparandus. *Gaſp. Sciopp.* Suſpect. Lect. l. 4. Epiſt. 13.

Virum magnum ac doctiſſimum ſæpiùs eum appellat *Bochartus* in Sacrâ Geographiâ.

Muſarum favus *Iſaacus Caſaubonus Voſſ.* l. 2. Inſtit. Orator. p. 218.

Animadverſionibus *Iſaaci Caſauboni* in Philologum *Naucratitam* nihil hic Sol eo in genere videt eruditius. *Idem* ibid. l. 4. p. 214.

Nihil vidi abſolutius Commentario *Caſauboni* in *Suetonium Joſ. Scalig.* Epiſt. l. 1. Ep. 29. ad *Ian. Douzam* F.

Quùm primum mihi ſalivam moviſſent *Theophraſtei Characteres* tui, dicam ſeriò, de poteſtate mei exivi, neque me continere potui, quin ea de te prædicarem quæ & meritum tuum; & amor meus poſtulabant: quanquam quicquid de te dixero, omne infra virtutes ingenii tui fuerit. Omnia me tua delectant, eruditio, judicium, Oratio, *Idem* Epiſt. 35.

Caſauboni ad *Suetonium* vidi eruditum Opus. Adoleſcentem magni ingenii, & ſi vivit ac temperat, omnibus numeris perfectum. *Lipſ.* in Epiſt. Cent. ad *German.* & *Gal.* Epiſt. 24. ad *Joſ. Scalig.*

Animadverſiones tuas in *Athenæum* accepi, gratum ſanè donum remittente Agnoſco amorem, quem jure tamen deberi mihi ſcio amanti. Quod ad ipſas,

 quid

MARCUS VELSERUS.

Clar. An. D. MDXCV.

PAtricius, & Duumvir *Auguſtanus*, bono publico natus eſt anno Chriſti 1558. die viceſimo *Iunii*: Obiit anno 1614. die 13. Junii. A teneris Artium ac virtutum ſtudiis excoctus, maturitatem ingenii, judicii, & doctrinæ feliciter eſt conſecutus, nec imitatus eos, qui ſibi nati ac ſuis Camœnis inglorio in ocio conſeneſcunt, omnemque ſcientiam vitâ umbraticâ finiunt, aut bracteatis præmiis metiuntur. Vivido hic virtutis ardore ſtatim ſe in lucem protulit, patriæque *Reip.* ac *Literariæ* totum impendit. Itaque ut mens generoſa cœlo affinis motu gaudet: ita & ipſe in *Italiam* progreſſus, edidit *Antiquitates Auguſtanas*, felix famæ ſurgentis auſpicium & pium. Exinde aliis atque aliis ad unguem factis monumentis obligavit ſibi *rem literariam*. *Annales Boicos* ſcripſit libris quinque tantâ perſpicuitate, tantâ fide, tantâ prudentiâ, tanto nitore; ut meditanti videantur adſtitiſſe hinc *Muſæ* & *Gratiæ*; hinc, *Conſus*, *Apollo*, *Suada*, *Venus*. *Melch. Adam.* in vit. ejus.

Velſerus noſter, illud Margaritum *Germaniæ* ſuæ. *Pignor.* Symbol. Epiſt. epiſt. 13.

Reipublicæ Auguſtanæ æternum decus. *Montacut.* Antidiat.

Me tacente, *Scripta* illius, omneſque viri eruditi, opem ipſius munificam, paratiſſimamque experti, quantus vir fuerit, ſatis loquuntur. *Gaſſend.* in Vit. *Peireskii.* p. 28.

M. Velſerus vir illuſtriſſimus, & propter ſummam eruditionem merito ſuo omnibus venerabilis. *Meric. Caſaub.* pietas.

Marcus Velſerus, nomen omni poſteritati venerandum. *Euſthat. Sovart.* l. 1. Analect. p. 58. cap. 13.

A quô quum tantis beneficiis adfectus ſim, quanta nunquam ſperare debui, ab ingenio & eruditione ejus multiplici, maximè *Antiquitatum* & *Hiſtoriarum* ſtudio, in præſens prædicando, me abſtinebo, ne beneficia ſumma verbis compoſitis compenſare velle videar. *Sciop.* de Art. Crit. p. 19.

Quotuſquiſque enim *eruditorum* eſt, qui non optimè conſultum putet *rei Literariæ*, recuſis ac publico velut redonatis egregiis *Velſeri* monumentis; quæ longo jam tempore nullo pretio potuerunt comparari, ac legi tamen ac pervolvi diligenter ab omnibus omnino merebantur? Non fert inſtituti ratio, ut in laudationes clarorum virorum excurramus: aſt ſic tamen nobiſcum omnes ſentient, quibus *Velſerii Commentarios* inſpicere contigit, ut fuit vir in omni vitâ *literarum* amantiſſimus, ac in ornandis iis promovendiſque incredibili ſtudio, ita *Boicas* præcipuè *Antiquitates* neminem eo certiùs eruiſſe, aut illuſtraſſe rectiùs. *Acta Erudit.* Calend. Jun. an. 1682. vol. 1. p. 169.

Cujus viri (*Velſeri*) uſumfructum pænè equidem tibi invideo: in quo theſaurum earum rerum habes, quæ homini ingenuo appetendæ ſint, vel amandæ.

Vetuſtas

Vetuſtas, inquam, vel artium vel morum: & utroque titulo in *Europâ* noſtrâ claret. *Lipſ.* Cent. 4. Miſcel. ep. 97.

Magnus ille vir etiam in priſco & magno ævo fuiſſet. Toto animo eum amo. *Lipſ.* Cent. ad *German.* & *Gallos*, Epiſt. 80. ad *Martin. Delrium.*

Accepi *Annales* veſtros, eruditionis, elegantiæ & optimæ frugis plenos. *Ioſ. Scalig.* ep. 143.

Habent tandem *Boii* tui hiſtoriam rerum ſuarum eâ diligentiâ è tenebris erutam, eâ ſtyli felicitate compoſitam ut quid amplius in eâ quidem parte deſiderent reliquum ſit nihil. Utri potius gratuler, illine genti, an tibi, neſcio: ſed gratulor certè utrique ex animo; tibi, quod opus ſuſceptum, ut erat te dignum, graviter & ex fide perfeceris: Genti nobiliſſimæ & noſtræ συγγενεῖ, uti probas, quòd virtutum ſuarum dignum tandem ſit nacta præconem *Iſ. Caſaub.* epiſt. 269.

Boica Velſeri devoravi, nihil jam diu eſt, ita me rapuit in admirationem. Mirum mihi, quòd toties *Æmilium* veſtrum noter, qui tamen accuratus valdè Scriptor; ſed iſtius hominis diligentiam nihil fugit. *Georg. Mich. Lingelsheim.* in ep. 38. ad *Bongarſium.*

Boica tua legi cum admiratione & diligentiâ & elegantiâ, qua *Veteres* certè æquas; Veteres, inquam, notæ melioris; Itaque & quòd me exemplo privatim donaveris, exulto; & quòd tam accuratum *Opus* publicum feceris, huic ſeculo noſtro gratulor, *Iac. Bongarſ.* in ep. ad *Velſer*, 1602.

Hæc ibi parum videbuntur, *Amice Lector*, erudita & ſolida, ſi cum iis contuleris, quæ diu poſt ſcripta legi ejus *Hiſtoria* initio, quam de rebus *Boicis* prudenter, doctè & eleganter ſummo judicio vir, atque doctrinâ, cum pari Nobilitate conjunctâ, *Marcus Velſerus* condidit, & ad me ex *Germaniâ* liberaliſſimè dono miſit, hominem ſibi planè ignotum. *Lal Biſciol.* Tom. 2. Hor. Subſ. l. 1. c. 7. n. 84.

Atque hactenus Nobiliſſimus idemque doctiſſimus vir, *Marcus Velſerus, Reip. Auguſtana* Duumvir, *Bojorum* res narrando perduxit; quos ego eodem jure felices appellem, neceſſe eſt, quo *Achillem Alexander*; quòd & ipſi talem laudum ſuarum nacti ſunt *præconem*, digniſſimum certè, qui *Livio* veterum *Bojorum* res *Romana* Hiſtoriæ inſerenti, *Succeſſor* daretur; eóque minus moleſtè fero, eum ſeculi noſtri *Tacitum* à quibuſdam indigitari: etſi enim eo nomine non ampliſſimè laudatum intelligo, *Boiis* tamen glorioſum erit, ſuæ quoque genti *Livium* & *Tacitum* laudatores obtigiſſe. At enim quia illi egregiè cœpti curſûs metam mors invidit, nos, quo poſſumus pede, certiſſimo duce deſtituti, cujus manibus benè precamur, iter proſequemur. *Andr. Brunner.* in *Boicis.*

Dictio (in hiſtoriâ *rerum Auguſtanarum*) *Romanam* dignitatem, ſine ullis ambagibus, ſapiens. Nihil in eâ turgidum, nihil laxum: ſi quâ in re immoratur, id ad rem ſolidè explicandam facit. *Poſſevin.* Biblioth. ſelect.

Extant rerum *Auguſtanarum* lib. 8. *Venetiis* 1594. fol.

Extant rerum *Boicarum* lib. *Auguſta Vindel.* 1602. in 4°.

Extant Inſcriptiones antiquæ *Auguſta Vindelicorum*, in 3. partes tributæ & notis illuſtratæ. *Venetiis* apud *Aldum* 1590. in 4°.

PHILIP-

PHILIPPUS MORNÆUS.

Clar. An. D. MDXCV.

GAllus, *Pleſſiaci* Dominus, Theologus, Juriſconſultus, & Philologus non minus eruditione quàm virtute militari inclaruit. Tanti fuit nominis inter Reformatos *Galliæ*, ut vix quiſquam *Pontificiorum* cum eo congredi in *Religionis* negotio auſus fuerit. Condidit librum titulo *Myſterii Iniquitatis*: alium de *Euchariſtiâ*: Opus item de Religione *Chriſtianâ*. Exaravit etiam admonitionem de *Meſſiâ* ad *Iudaos*. Obiit undecimo Novembris, Anno 1625. ætatis 74. *Konig.*

Vir tam pacis quàm belli artibus clariſſimus, è *Pleſſiacâ* familiâ: Scriptis publicis, de *Eccleſiâ* optimè meritus: inter quæ *Myſterium Iniquitatis*: de *Euchariſtiâ*, &c. qui poſtremus liber, linguâ vernacula ſcriptus, cùm ob ſtyli elegantiam, per omnium volitaret manus, Theologi Pontificii periculum veriti, paſſim in Concionibus in eum invehebantur. Hinc cum collatione inſtitutâ. *Rege* præſente ac *Proceribus*, *David Perronius* Epiſcopus *Ebroicenſis*, quædam falsò, quædam verbis truncatis in illo, ex *Patribus* & *Scholaſticis* allegata à *Mornæo*, contenderet, Anno 1600. hic ſibi à *Perronio* editionibus caſtratis ac mutatis impoſitum conqueſtus libello edito cauſam defendit *Henrico* IV. Regi à quo *Salmurio* Præfectus datus, chariſſimus fuit. *Hofman.* in Lexic.

Supra omnes hodie ponunt *Philippum Mornæum*, doctorum nobiliſſimum, & nobilium doctiſſimum: quem virum? quem unum, *Platonis*, *Demoſthenis*, & *Auguſtini*, ſimul compoſitorum *Idea* vix exprimat. *Thom. Lanſ.* in Orat. pro *Gall.* pag. 175.

Philippus Mornæus Pleſſæus, vir inſigni facundiâ, & in explicandis negotiis ſolertiâ præditus. *Thuan.* ad Ann. 1589.

Non ignoras quantum excoluerint iſtam materiam Philoſophicâ ſubtilitate *Raimundus Sebundus*, Dialogorum varietate *Lud. Vives*, maxima autem cùm eruditione tum facundiâ veſtras *Mornæus Hug. Grot.* in lim. Oper. de Verit. R. C. *Hieron. Bignonio* dicati, *Lut.* 1640.

Quantus vir fuerit illuſtris *Mornæus Pleſſiaci* Dominus, quantumque, ille Conſilio, gladio, calamo, pro tuenda veræ religionis & patriæ libertate ſub ductu ſereniſſimi Regis *Navarreni*, poſtea *Galliarum Henrici* IV. geſſerit, neminem ignorare arbitror; cui hiſtoriæ rerum *Gallicarum* jam inde à lanienâ *Pariſ.* an. 1572. & deinceps, adhæc tam multa ac varia Herois illius ſcripta partim *Latina*, partim *Gallica* æternitati conſecrata, ſi non perſpecta, ſaltem inſpecta fuerint: Ne quid dicam de vita ejuſdem non ita pridem à viro erudito & diſerto *Gallicè* deſcripta. Inter ſcripta omni exceptione majora, materiæ congeſtæ & laboris immenſitate, autorum ac teſtimoniorum adductorum multitudine, uſus quaſi univerſalis ad quoſcunque literatorum ordines & ſtatus, ad quæcunque Reipublicæ & Eccleſiæ negotia ac conſilia extenſione, ſtyli gravitate, ſe maximè commendare videtur *Myſterium iniquitatis* ſeu *Hiſtoria Papatûs*: cujus lectio tam avidè certatim frequentata, ut omnium editionum exemplaribus diſtractis, ſolum deſide-

Digitized by Google

deſiderium quamplurimis lucem hanc quærentibus relictum ſit. *Paul. Vinck* Ep. Phil. Mornæi Myſt. Iniquit. præfixâ.

Tu ex iis, quibus *Hebræorum* monumenta in pretio, ut præclara tua ſcripta ſatis ſuperque teſtantur. Vehementer ſanè, poſt aliorum tuorum lectionem, delectatus ſum *Admonitione* tuâ ad *Judæos* de *Meſſiâ*, in quâ ſecretiores quoſque *Hebræorum* Libros, ad argumenti tui probationem, affluentiſſimè producis. *Buxtorf.* Pater Epiſt. ad *Mornæum*, in Tract. de Abbreviatur. *Hebraicis*, Baſ. 1613.

Philippi Mornæi ſententiam exponam ex libro ejus *Gallicè* ſcripto de *Veritate Religionis Chriſtianæ*, cui ſimilis in hoc argumenti genere nullus antehac prodiit. *Jo. Leunclav.* in Pandect. Hiſt. Turc.

Quod ad D. *Pleſſæi* Perſonam attinet, addictiſſimus ei famulus ſum, totius *Galliæ* ſcitiſſimum Scriptorem illum cenſeo, cum de Religione non agitur, rariſſimum & excellentiſſimum *Ingenium*, magnæque literaturæ. *Jul. Cæſ. Buling.* ſcribens adverſus Præfationem libri de *Eucharistia.* Gall.

Quandoquidem ante aliquot dies rumorem ſparſerunt quidam Impoſtores quòd *Neraci* D. *Pleſſæo* dixerim eum nihil ſcire, neque *Græcè*, neque *Latinè*, neque *Hebraicè*, tam effronti ac impudenti calumniæ perſcripto hoc teſtimonio volui occurrere. In eos enim eò non minùs indignor quàm ipſi reprehenſione digni ſunt, vel potius caſtigatione, ſi debitè juſtitia exerceretur, quòd me quantum in ipſis eſt, tam turpi probro implicuerint, quo magis offendor quàm ipſe Dominus *Pleſſæus*. Cùm enim tanta ſint ejus merita, ut nemo niſi omnino perfrictæ frontis fuerit illa diffiteri audeat, iis impudentior eſſem, ſi dotes quibus illum exornavit Deus non agnoſcerem, cæcus ſi quod unicuique patet non viderem, malignus ſi quod diffiteri nequeo non faterer —— Quomodo dixiſſem eum eſſe Linguarum rudem, cùm præclara ejus Scripta, quæ præ omnibus hujus ſeculi demiror, contrarii me arguerent? Præterquam quòd ejus condiſcipuli me certiorem fecerunt, quod propriis ſumptibus *Judæos* conduxerit in *Italia* ad *Hebraiſmum* accuratè perdiſcendum, imò nullum Poëtam *Græcum* quantumvis arduum extare, quem à ſtudiorum primordiis non didicerit. Sed quorſum probationes ejuſmodi? Id in ejus Scriptis perſpicio, id in mea Conſcientia lego: quapropter rem hanc aliter referre non valeo. Paucis verbis dicam, *Deus* autem cordis mei teſtis eſt, eum bonarum literarum ſcientiorem eſſe, earumque ſenſu & experientiâ antecellere vel celeberrimos & facundiſſimos Adverſariorum: Et hoc unicum adeo ipſos urit. *Joſ. Scalig.* in Judicio MS. apud D. de la *Renaudiere Cadomenſem Medicum*, olim aſſervato. Gall.

* Hic Author inter *Hæreticos* Primæ Claſſis rejicitur in *Indice Romæ* impreſſo Anno 1681. Ejuſdem liber inſcriptus *Myſterium Iniquitatis* prohibetur in *Decreto Romæ* 1613. Ejuſdem de *Sacrâ Euchariſtiâ*, ſicut & alia omnia ejus Opera prohibentur in decreto 16. Martii 1621.

Extant ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa.

JOANNES MARIANA, Soc. Jeſ.

Clar. An. D. MDXCV.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Talabricenſis*, ſeptemdecim annos natus, ſe *Societati Jeſu* dedicavit. *Toleti* obiit die 17. Februarii, Anno 1624. ætatis 87.

Reliquit 3. libros de Rege & Regis Inſtitutione: De Monetæ mutatione: Triginta Libros Rerum *Hiſpanicarum*: Scholia in V. & N. T. ut & 7. Tractatus de adventu S. *Jacobi* in *Hiſpaniam*. Multaque alia.

Joannes Mariana, maximo vir ingenio, peracri judicio, ſingulari memoriâ, multorum annorum ſtudio, omne diſciplinarum genus diligentiſſimè excoluit, & ad S. Theologiam, taram omnium Liberalium Artium, & Hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum Prophanæ cognitionem; & præterea *Latinæ*, *Græcæ* atque *Hebraicæ* Linguæ peritiam adjunxit. *Alegambe*.

Joannes Mariana, ſingulari vir judicio, ſcripſit 30. Annalium *Hiſpaniæ* libros diſertè admodum graviqué ſtylo, ut *Thucydidis* prudentiam ac *Taciti* acumen unus complexus eſſe videatur. *Hiſpan.* Biblioth.

Joannes Mariana veritatis amator, & pietatis optimus cultor, qui erudito ſtylo poſtremam manum appoſuit rerum *Hiſpanicarum* Hiſtoriæ, *Hiſpanus* & ipſe, ſed affectu privato carens, dignus Profeſſor *Societatis Jeſu Baron.* ad Annum *Chr.* 688.

Idemque *Baronius* Tomo 3. ait illum Res *Hiſpanicas* accuratiſſimè perſecutum.

Inter *Latinos* omnibus palmam præripuit *Joannes Mariana Hiſpanus*, rerum *Hiſpanicarum* cognitione nemini ſecundus. Valuit verò *Mariana* inſigni eloquentia, prudentiâ, & magnâ libertate dicendi, hinc & libertatis ſtudioſiſſimus in Reges ſuos ſæpè eſt mordax. Eſt itidem ſuperſtitioſiſſimus homo, quo nomine etiam inter ſuos malè audit. Tantam libertatem ſibi aſſumpſit, ut & libellum ediderit de membris *Societatis*, quem licèt ſupprimerent Jeſuitæ, tamen in mediâ *Româ* editum eſſe conſtat, rariſſimus hodie eſt inventu. Prodiit & alius ejus libellus, *De Inſtitutione Regis*, multa præclara continens, in quo liberrimè judicat, quomodo Reges inſtituendi ſint: Non dubitavit autem & apertè quoque docere, ſi Rex vel anathemate factus vel excommunicatus, ac nonnihil receſſit à *Romanâ Eccleſiâ*, licere in illum gladio, igne ſcilicet animadvertere. Eâ tamen pietate videri voluit, ut dixerit, Regem veneno tolli non licere, quaſi verò. Combuſtus verò hic eſt liber ob talem doctrinam horrendam *Pariſiis*, & coacti fuere Jeſuitæ diſſenſum profiteri. Non dubitavit & *Mariana* Sicarium *Henri* IV. Regis *Galliæ* inter *Sanctos* memorare. *Herman. Conring.* de Regno *Hiſpan.*

Mariana in ejus Hiſtoria *Hiſpaniæ* à neotericorum nemine ſuperatus fuit, nec incepti magnitudine, nec ſtyli nobilitate, Cæteris accuratior eſt; ſanaque mente de ſingulis judicat. *Rapin.* Animadv. in Hiſt. Sect. 28. Gall.

Joannis Marianæ Scholia, exigua quidem mole, ſed uſu non contemnenda,

Digitized by Google

da, & cum judicio exarata. *Matth. Paul.* Præfat. ad Lector. Vol. 1.

Scholia, ſive Notæ *Marianæ* in Vetus Teſtamentum etiam utiliſſimæ poſſunt eſſe ad ſenſus literalis Scripturarum intelligentiam, quoniam ad propriam vocum *Hebraicarum* ſignificationem exprimendam ſtudium præcipuum adhibuit. Sic in principio *Geneſeos* ſagaciter obſervavit verbum *Hebraicum bara* quod *Creare* verti ſolet, propria ſignificatione non deſignare *ex nihilo facere*, ut vulgò creditur; imò ipſos Authores *Græcos & Latinos* qui in ſuis Linguis vocem *Creare* excogitârunt, hunc ſenſum ei alligare non potuiſſe, quandoquidem quod nunc Creatio, ſeu ex nihilo productio dicitur, iis penitùs incognitum fuit. Quamvis ejus Notæ breves admodum ſint, aliquas tamen obſervationes prætermittere potuiſſet quæ meræ ſunt eruditionis, nihilque ad Textûs ipſius elucidationem conferunt. Ejuſmodi digreſſiones rarò tamen apud ipſum occurrunt, dicique poteſt *Marianam* accenſendum eſſe peritiſſimis & ſagaciſſimis *Scholiaſtis* qui à nobis in Biblia legantur. Verùm quidem illum mediocriter tantum calluiſſe Linguas *Græcam & Hebraicam*, ſed illum defectum quadantenus ſupplent ingenii ejus acumen & magna animi ejus contentio. Optimum ſenſum plerumque deligit, & ne quidem in diverſis quas refert interpretationibus, tædioſus eſt. Frequenter admodum citat Vetus Vulgatæ exemplar quod *Gotticum* denominat & cujus in Hiſpanicis Eccleſiis uſus olim erat. Or. Pr. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 12. Gall.

* *Joannis Marianæ* Tractatus ſeptem prohibentur, donec corrigantur. Totus iſte Tractatus de Mutatione Monetæ expungatur. Tractatus de Morte, & Immortalitate, expurgandus. *Index Madrit.* edit. an. 1667.

Extat *Hiſtoria Hiſpaniæ* 32. Libris. *Toleti* 1592. typis *Jo. Roderici*. *Moguntiæ* anno 1605. & in *Hiſpaniâ* Illuſtratâ Tomo 2.

Extat de Ponderibus & Menſuris Tractatus. *Toleti* 4°. 1599. apud *Thom. Guſmanium*.

JANUS DOUZA, Filius.

Philologus ac Poëta, & quod in tenerâ adhuc ætate mireris, Philoſophus ac Mathematicus inſignis, primuſque Bibliothecæ *Lugduno-Bataviæ* Præfectus, paternis ſiſtens veſtigiis. Obiit anno 1597. nondum expleto 26. ætatis anno, *Hagæ Comitis*. *Val. Andreas.* Clar. A. D. MDXCVII.

Scripta ejus ſunt: Notæ in *Catullum, Tibullum, Propertium*—Spicilegium in *Petronii Arbitri* Satyricon—Animadverſiones breves in *Plauti* Comœdias—Declamatio in laudem umbræ: addito *rerum Cœleſtium* Libro---- Annales *Bataviæ* Patris ſui proſâ oratione pertexuit----Poëmata varia.

Hic acceptam à parente nominis claritatem ingenii ſui luce illuſtravit. Trium linguarum exquiſita cognitio, Antiquitatis legumque Romanarum intelligentia, & Mathematicæ totius, totiuſque Philoſophiæ notitia *Meurſ. Athen. Batav.*

Janus Douza filius, Juvenis admirabili ingenio, excellenti doctrinâ cum rarâ

Digitized by Google

morum ſuavitate conjunctâ præditus, cùm ex peregrinatione longinquâ rediiſſet, quaſi in portu naufragium fecit, anno ætatis 26. ereptus. *Thuan.* ad ann. 1596.

Cùm eſſem apud D. *Scaligerum*, multus nobis ultro citroque ſermo fuit de Te, ac Patre tuo; nec parcus veſtrarum laudum. Tuam de *Cælo* Poëſin in cœlum effert homo, & optimus talium æſtimator, & minimè à naturâ aut diſciplinâ factus ad aſſentandum. Valdè item capitur iis verſibus, quos in effigiem ſuam & patris compoſuiſti. Mihi quidem, qui nec omnium hebetiſſimus ad ea ſtudia ſum, nec multùm acutus, ita placent, ut negem quidquam elegantius fieri poſſe, quodque propius accedat ad genium puræ putæ antiquitatis; ex quo myrothecio promendum eſt quidquid probabitur probis *Baud.* Cent. 1. Epiſt. 27. ad *Jan. Douz.* fil.

Certè omnia magna mihi de Te ſpondeo, ſupra eos qui nunc, & qui fuere in *Batavia* (non inflandi tui causâ dixerim :) vive tantum, & curſum hunc quem cœpiſti tene. *Lipſ.* in Epiſt. Cent. 3. ad *Belg.* Ep. 2.

Cùm ab eo ſermone diſceſſi, quicquid ſupereſt admirationis in te conſumo, adoleſcens doctiſſime; Facilè enim ex iis quæ adhuc vidi, quam frugem factura ſit hæc ſeges, quæ adhuc in herbâ eſt, auguror. Deus optimus Maximus (adoleſcens nobiliſſime) tua ſtudia proſperet, tuam juventutem regat, vitam totam omnibus bonis cumulet. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. 15.

Patrem æmulatus *Janus Douza* filius, anno ætatis ſuæ, ſi ſatis ſincerè memini, 16. novam eamque pulcherrimam *Plauti* editionem dedit: Illos *Amorum* Triumviros, *Catullum*, inquam, *Tibullum* & *Propertium*, recenſuit, ſuiſque Animadverſionibus doctiſſimis explanavit: Et, quod omnes, me tamen tacente, intelligunt nimio plura ejus in rem Literariam bene promerita futura fuerant, niſi Deus nuper optimum illum, & ſummæ ſpei juvenem, heu! præmaturè nimis & patri nobiliſſimo & nobis omnibus eripuiſſet. *Gaſp. Sciop.* De Art. Crit. p. 17.

Janus Douza mirabilis erat ingenii, quo feliciter perficere potuiſſet quicquid aggredi voluiſſet. Ornamentum univerſi orbis illum vocat *Joſephus Scaliger*, dixitque in ætatis flore eum ad ſapientiæ & eruditionis gradum ejuſmodi aſcendiſſe, ad quem virtute ac eruditione clariſſimi viri, vix ætate provecta pertingere potuerunt. *Grotius* Annalium libro 5. nobis aſſeverat, ejus Poëtica ſcripta paternis longe præſtare, quamvis tantam in Republica literaria Poëſi ſua Pater ejus famam ſibi paraverit; Imo hunc ab illo adjutum fuiſſe in *Hollandicorum* Annalium compoſitione. *Ant. Teiſſier.* Elog. Viror. Erud. Gall.

Janus Douza uterque pater & filius, luculenti Poëtæ. Filium tamen vitâ priùs deſtituit, quàm ad ſummum *Parnaſſi* culmen perveniret. Maturior eſt ejuſdem *Cœleſtium* liber, *Epico* perſcriptus: nec incomptæ *Sylvæ*; & in *Elegis* ſunt, quæ jure laudes, item in *Odis*, *Jambiſ*que: reliqua cum veniâ ætatis legenda. *Borrich.* de Poët. p. 141. 142.

* Ejus libri *Rerum Cœleſtium*, & in laudem *Umbræ*; ejus oratio funebris, *Aſini*; ejuſque oratio funebris, *Pediculi*; inter libros expurgandos numerantur in *Indice Madrit.* edit. anno 1667.

Extat Declamatio in laudem *Umbræ Lugd. Bat.* 1618. 8o.

Extant *Bataviæ* & *Hollandiæ* Annales inchoati; à Patre verò adhuc ſuperſtite con-

continuati & perfecti. *Lug. Bat.* 1601. 4o. Extant Poëmata *Lug. Bat.* 1607. 8o.

Conditus eſt *Hagæ* Comitis unà cum *Patre* ſuo, ubi hoc Epitaphium reperitur:

D. S.

J. Douza Jani *F. hìc cubat*, *qui vixit Ann.* 25. *Menſ.* 11. *Dies* 4. Jani Douzæ *Patris*, & *filii.*

Uterque Douza, *uterque* Janus *hìc cubat*,
Paterque, *filiuſque*: *Morte quâ*, *rogas?*
Pater dolore, *natus aſthmate*, *è via*
Sibi labore quod crearat, *occidit.*
Precari at ipſe ne gravare mortuis,
Negata vivo utrique quæ fuit quies.

DOMINICUS BAUDIUS.

Hoc ejus Symbolum.

ΑΙΕΝ ΑΡΙΣΤΕΥΕΙΝ.

INſulenſis *Flander*, Juriſconſultus, Hiſtoricus, & Poëta doctiſſimus. Natus eſt anno 1561. Obiit anno 1613. Primò Theologiæ Operam dedit: mox eâ deſertâ, ad Juris ſtudium ſeſe tranſtulit, cui cùm per quindecim menſes ſtrenuè incubuiſſet, *Doctoris* gradu dignus habitus, eoque inauguratus eſt. *Lugduni* eloquentiam profeſſus eſt. *Scripſit* Poëmata. Item tres libros de *Induciis* Belli *Belgici*; Epiſtolas, &c. *Konig.* in Biblioth. Clar. An. D. MDC.

In *Baudio* vivente memoriam, ingeniumque plerique admirati ſunt: geniumque hominis *Epiſtolæ* ejus paſſim produnt, quas ſcribere ad amicos incredibili felicitate ſolet, in quibus ita ſe expreſſit, ut in iis vivere adhuc & ſpirare videatur. *Valer. Andr.* in Biblioth. *Belgic.*

Sed quid narras, *Baudium* in numerum *Profeſſorum* adlectum? Felicem, imò immortalem *Scholam Lugdun.* hoc tibicine! Utinam ad vos advolare liceret & audire. *Florem illibatum populi ſuadæque medullam. Jo. Wower* in Epiſt. ad *Petrum Scriverium.*

Dominicus Baudius vir ſummus & clariſſimus, quibuſvis noſtri ævi ſi non ſuperior, certè æqualis, ſive veram eruditionem, ſive rerum uſum, & Juris ſcientiam ſpectes. Is evocatus ex *Galliâ*, ægrè retentus in Academiâ *Lugdunenſi* vivit. Hunc pater tuus aliique præcipui in hâc Urbe viri penes me viderunt; ejus incredibilem eruditionem, memoriam, ingeniumque, ſupra mortales admirati ſunt. *Idem* in Epiſt. ad cognatum ſuum *Nich.* à *Vechta.*

Digitized by Google

'*Legi*, mi *Bandi*, quam miſiſti orationem, quæ vel ſi *Iliade* prolixior fuiſſet,
'tamen cupidos adhuc nos dimiſiſſet, nec planè dum ſatiatos. Equidem hoc mihi
'non ſumo, ut de talibus judicium putem ferre me poſſe: Si quid tamen uſu
'longo conſecuti ſumus, neque in totum linguæ *Latinæ* ſumus ἀμύητοι, quid ſit
'*Latinè ſcribere* non ſcimus, niſi hoc eſt ita loqui; ut tu loqueris. Sive proſa ora-
'tione à te ſcriptia lego, videor colloquentem mecum audire, ſine fuco, ſine
'cincinnis & meretriciis ornamentis, quibus inſana hæc juventus *Sermonis ele-*
'*gantiam* metitur, *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 276.

Legi his diebus incredibili cum voluptate *Carmen aureum*, quo virum divinum [*Scaligerum*] & novum ejus opus *Euſebianum* laudaſti. Nihil poterat neque *elegantius*, neque *Latinius*. Jam ſententiarum gravitas cum perſpicuitate ita certat, ut neſciam utrum potius mirer; taceo pietatem quam totum carmen ſpirat. *Idem* Epiſt. 465.

Baudium auditorem tuum hîc vidi, cujus doctiſſimis poëmatiis valdè captus ſum. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 5. ad *Juſt. Lipſ.*

Budius doctus eſt *Baudius* habet ſtylum non *Ciceronianum*, ſed ſeculi *Domitiani*, omnes *Baudii* Epiſtolas aſſervo *Scalig.* 2. Gall.

Amicus verò noſter dum viveret, & quando *Dordrechtum* divertiſſet, hoſpes ſuaviſſimus, *Dominicus Baudius.* Poëta idem elegantiſſimus & diſertiſſimus. *Voſſ.* de Analog. l. 1. c. 42.

Dominicus Baudius, Iuſulenſis *Flander*, Jambis potiſſimùm inclaruit, immò omnibus ferè in hoc articulo numeroſior; non infelix tamen, ſive *Epico*, ſive *Elegiaco* verſu. In *Gnomis* tamen *Jambicis* ſecuriùs regnat, & diſertiùs philoſophatur. *Borrich.* de Poët. p. 410.

Epiſtolas Baudii, ſi quis legerit, propter egregium ſtylum, operam non luſerit: alioquin vix ullæ res lectu & ſcitu dignæ ibi comparent. *Voet.* Biblioth. ſtudioſ. Theolog. l. 2. c. 4. p. 284.

His adde *Dominicum Baudium*, virum ingenii felicitate cum veteribus comparandum. *Paul. Colomeſ.* in Opuſc. p. 40. 41.

Baudii Epiſtolæ in tyronum manibus ſunt. Nemini ignotus *Baudius*, ſalibus & facetiis ubique diffluens. Vir fuit doctiſſimus, Poëta inprimis in Jambis feliciſſimus. Dictio ejus, ſi judicium *Scaligeri* in *Excerptis Puteaneis* audimus, ſapit phraſin *Neroniani* temporis. Eſt enim in illo quidam flos ſermonis ad poëtiſmum aliquantum accedens, & colorem aliquem è *Plauti* argutiis trahens, qui ipſi ſcriptor familiaris fuit quem imitaretur, & ita imitatus eſt, ut non eſſet κακόζηλος. Epiſtolare enim argumentum inprimis inter familiares non reſpuit jocos & ſales. Vir fuit meliore fortunâ dignus, ſi ipſe faber ejus eſſe potuiſſet. Habuit familiaria vitia, quæ vehementer ipſi obſtiterunt ad altiora tendenti. Venerem & Bacchum; amoribus enim paulò plus, quàm licebat per honeſtatem & ordinem, deditus fuit; Quod occaſionem dedit eleganti illi Centoni Virgiliano quem *Dan. Heinſius* in ipſum diſſimulato nomine ſcripſit, qui reperitur inter Poëmata ejus p. 426. Acceſſit poſteà, vel in famam vel in infamiam *Baudii*, quòd *Petrus Scriverius* ederet librum cum titulo: *Dominici Baudii Amores*, in quo ille congeſſit omnes, quæ de hoc

Digitized by Google

hô..gumento habentur in *Baudio*, Epiſtolas, adjectis aliis ſimilis argumenti, non omiſſo etiam Centone illo *Heinſiano*, cui *Dom. Baudii* nomen præſcripſit, quod diſſimulârat in Poëmatibus ſuis *Heinſius*. Omnia in illo libro lepida, grata futura iis, quos trahit illa voluptas; amatoribus ſcilicet, ſed eruditis. Nec mirum eſt, delectatum fuiſſe hôc labore *Petrum Scriverium*, qui & ipſe totus ad has delicias compoſitus fuit, ſi fides habenda eſt illis, quæ narrat *Colomeſius* in *Opuſculis* ſuis; illic enim mirabilis hiſtoria de illo habetur, p. 101. quam illic vide *Dan. Georg. Marhof.* Polyhiſt. p. 306.

Petrus Scriverius de Effigie *Dominici Baudii* hæc Carmina compoſuit:

Vane, quid affectas os magni reddere Baudi,
Pictor? ad hunc hominem non ſatis aptus eras.
Nullus Apelleis *color eſt geniuſque tabellis*,
Lyſippum *fruſtra* Praxitelemque *voles.*
Optimus ipſe ſui pictor, morumque ſuorum,
Quos jocus & docti compoſuere ſales.
Una vel in medium procedat Epiſtola Baudi,
Vera *redit facies*, aſſimilata *perit.*

In eundem ſequentia compoſuit *Hugo Grotius*:

Quem legis, & laudas, ſi vis noviſſe, Poëtam,
Verſibus & vitâ Baudius *unus erat.*
Vidimus hunc ipſum qualem tibi carmina monſtrant:
Ingenium Domini læta papyrus habet.
Talis erat, ſeu cum fluitarent proſpera, ſeu cum
Immeritum premeret ſævior aura caput.
Liber & intrepidus, nec qui concederet unquam
Fortuna magnis Regibus eſſe minor:
Nulli ſponte nocens, & amabilis hoſtibus ipſis,
In quo, ſi nolles, perderet ira locum:
Inſenſus Sceleri: ſed non ut lege ſeverâ
Viveret, antiquæ ſimplicitatis amans,
Melle madens, & quo non incorruptius alter
Miſcuit innumeris ſeria mille jocis:
Et ſi cuncta ſimul permittis dicere, vates
Tejus *argnto miſtus* Ariſtophani.

* *Dominici Baudii* Orationes, ejuſdemque Poëmatum nova Editio, inter libros prohibitos numerantur. Vid. *Indic.* Lib. *Prohibit.* edit. juſſu *Innocent.* XI. *Romæ* 1681.

Extant Epiſtolarum Centuriæ III. *Amſtelod.* 1639. 12o.

Extant:

Extant Orationes aliquot, à morte *Baudii* ſimul editæ, 1619. 8°.
Extant de Induciis Belli *Belgici* libri III. 1613. 4°.

GULIELMUS CAMDENUS, Clarentius,

Clar. A. D. MDC.

L*Ondini* natus eſt Anno Dom. 1550. Obiit nono die Novembris ann. 1623.
Scripſit Hiſtoriam *Britannicam*: item Hiſtoriam de Rebus *Elizabethæ* Reginæ,

Criticus accuratus, Philoſophus omnibus numeris abſolutus, Linguarum *Græcæ* & *Latinæ*, nec non rei *Hiſtoricæ* peritiſſimus, maximè autem rerum antiquatum cognitione inſtructus erat *Camdenus*; quibus nominibus non tantum apud *Anglos*, genere & eruditione claros, in pretio fuit, verùm apud *exteros* quoque celeberrimos ſummo in honore verſabatur; quales fuere *Ortelius*, *Lipſius*, *Douza*, *Scaliger*, *Thuanus*, *Gruterus*, *Peireskius*, &c. quorum perinde & aliorum haud paucorum è literis, ad *Camdenum* quidem datis mihique perlectis, facilè colligendum, coævis omnibus, priſcorum ſeculorum monumenta rimantibus, ipſum fuiſſe antehabitum. Enimvero popularibus *Anglis*, quotquot eandem materiam unquam illuſtrarunt, longè videtur antecelluiſſe, & proinde Inſularum *Britannicarum Pauſanias* meritò à quibuſdam nuncupatur, utpote cujus famâ diuturnius non erit Gentis *Britanniæ* nomen. *Anton.* à *Wood.* in Antiq. Univerſ. *Oxon.* p. 270.

Antiquitatis ſtudioſus & impenſiùs amans, præſertim ſuæ *Patriæ*, nihil quod ad ejus veritatem eruendam momenti aliquid habere videretur omiſit; tandemque *Hiſtoriam Britannicam* publicavit. Unicum illud & incomparabile Opus, quo *Britanniæ* noſtræ *Antiquitatem*, & ſuæ antiquitati *Britanniam* reſtituit, quo pulcherrimam terram (à toto orbe diviſam) toti terrarum orbi conſpicuam & illuſtrem reddidit: hôc uno opere quid luculentius? quid limatius? quid accuratius, vel *Pauſanias*, vel *Strabo* vel quivis alius veterum Geographorum dare potuit? Vetuſtis induit novitatem, obſcuris lucem accendit, dubiis fidem conciliavit— *Annales* Rerum *Anglicarum*, & *Hibernicarum*, regnante *Elizabetha*, aggreditur, ſuo tempore abſolvit, ejuſque primam partem edidit; in quo opere, perfectæ Hiſtoriæ numeros omnes reperiri, haud credo quenquam eſſe qui diffitebitur, niſi judicium præjudicio obnoxium nimis habeat & occæcatum. *Whear.* in Commemorat. *Gul. Camden.*

Annales *Elizabethæ* ſuſcipit *Camdenus*, perficitque ſtylo tam plenè Regio, tam undequaque & rei & ſibi conſono, quaſi virginalem tantæ Majeſtatis ſplendorem libro ſuo maritare ſtatuiſſet; ut pari famæ conſortio poſteris ſemper audiant, *Elizabetha* & *Camdenus*. *Tounleius* Orat. in Memoriam. *Camden.*

Strabo Britannicus, & *Pauſanias Anglicus* à plurimis vocatur.

Gulielmus Camdenus, vir in reconditis Antiquitatum apothecis longè peritiſſimus. *Brian. Twyn.* de Acad. *Oxon.* p. 2.

Camdenus vir impensè doctus. *Bochart.* in Geog. Sac.

Camdenus nobilis *Britanniæ* ſuæ illuſtrator. *Barth.* Adverſ. l. x. c. 17.

Camdeni

Digitized by Google

Camdeni Britannia bona *Scaligerana* 2.

Limatiſſima *Camdeni* noſtri Britannia. *Douza* lib. 1. Annal. Holland.

Extat præclara Hiſtoria *Wilhelmi Camdeni* de rebus geſtis *Elizabethæ*. Primam Hiſtoriæ partem edidit dum vixit; poſteriorem edere noluit ob odii metum; alteram verò partem debemus *Nicolao Peireskio*, Baroni *Gallico*, eruditorum ad ſtuporem Patrono. Lectu digna illa Hiſtoria, quia mira multa invenias. *Herman. Conring.*

Non *Anglos* ſolùm tuos, vir doctiſſime, opere illo tuo (*Hiſtoriâ Britannicâ*) ſemper victuro tibi obſtrinxiſti, ſed omnes quotquot ubique ſunt veteris *Hiſtoriæ* amantes & cupidi---Omnia in tuis ſcriptis mirificè mihi placent, ingenium, diligentia, eruditio, &, quod ſupra omnia eſt, judicium. *Caſaubon.* in Epiſt. 101.

Munus à te accepi, vir ornatiſſime, per mihi gratum, *Britanniam* tuam: quam illuſtraſti ingenii & induſtriæ clarâ face. Multum *Patria* tibi debet, multum *exteri* nos; qui per te pulcherrimam *Inſulam* videmus, etiam cùm non videmus. Perge in hoc & ſimili ſtudiorum genere, quod abeſſe non poteſt quin tibi famam, poſteris æternum ferat fructum. *Lipſ.* in Epiſt. ad *Camden.*

Camdenum auctorem hîc ſequor, ſcriptorem longè graviſſimum. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Epiſt. p. 138.

De ſuâ *Britanniâ* benè meritus *Gulielmus Camdenus. Pet. Gaſſend.* in Vit. *Peiresk.* p. 52.

Capio Judicem te, *Gulielme Camdene*, qui *Britanniæ* tuæ nebulas claro ingenii ſole nuper illuſtraſti. *Lipſ.* Comment. in l. 12. Annal. *Taciti.*

In *Camdeno* ut eluxit veritatis ſtudium, dos apprimè requiſita Hiſtoriam ſcribenti, ſic maximè valuit Oratione ad Hiſtoriæ compoſitionem accommodatâ: nam nec mellifluus *Cæſaris* ſtylus, nec lepos *Curtii*, nec acumen *Taciti* deſunt illi; ita ejus Stylus naturali pulchritudine exurgit, ſententiarum punctis tanquam luminibus aſpergitur, & in animos legentium placidè ſe dimittit. *Lud. Molineus* Orat. habit. in Regiâ Acad. *Oxon.* in laud. *Gul. Camdeni.*

Cambdenus eruditus & ſagax ille Vir Hiſtoriam *Elizabethæ* Regni conſcripſit, ea fidelitate eaque cura, tam terſo ſtylo tamque acri judicio, ut abſque controverſia ea ſit potiſſima pars *Anglicæ* noſtræ Hiſtoriæ. Sed ipſe paſſim profitetur ſe multa illis reliquiſſe, qui Eccleſiæ Hiſtoriam aggreſſuri eſſent. Quapropter quod ad hujus Regni exordia ſpectat, ut illum, ea fide, quæ tam inſigni Scriptori debetur, in omnibus ſequuturus ſum, ſic etiam cùm in quædam inciderim, quæ vel ipſum latuerunt, vel quæ in Hiſtoria tam ſuccincta prolixiùs enarrare minimè neceſſarium duxit, non verebor præter ea quæ ſcripſit aliquid ſuperaddere, quamvis fama meritò ipſi debita ſuperfluum videri faciat, aliud quicquam rebus ab ipſo tractatis adjicere. Doct. *Burnetus* ſuæ Reformationis Hiſtoriæ parte 2. lib. 3. p. 377. Angl.

Dominus de *Thou*, cùm generalem Hiſtoriam contexere in animo haberet, commercium colere cœpit cum omnibus *Europæ* Viris qui maximè idonei erant quæ vera eſſent ad ipſum tranſmittere: Magnum itaque cum *Camdeno* commercium habuit. Cùm autem *Camdeni* volumen primum in lucem exiiſſet, ſe verè ad

quam ſine laude nominandus, nunquam ſatis laudatus *Salmaſ.* Præf. ad Hiſt. Auguſt. Script.

Iſaacus Caſaubonus, vir longè lateque doctiſſimus, & mihi, dum viveret, amiciſſimus, meritiſque in rem literariam clariſſimus, in Hiſtoricis recenſendis verſatiſſimus *Salmaſ.* Not. in *Ælii Spartian. Hadrian.*

Cujus eruditio præconium meum longè ſupergreſſa eſt: equidem ſeculo gratulor quòd habeat, quem antiquis opponat. *Iohann. Wouver.* de Polymath. cap. 12.

Erat invictus operis & laboris, & in omnes de publico benè merendi occaſiones ſemper intentus. *Meric. Caſaub.* de IV. ling. p. 47.

Caſaubono ſtatim à teneris unguiculis ſincero veræ pietatis lacte imbuto ſuppetebat rara Linguarum Orientalium cognitio, in *Graciâ* vix ſecundum, nedum parem habebat. Non deerat ſacræ, non deerat Hiſtoricæ veritatis illuſtrandæ ſtudium. *Jac. Capel.* Præfat. ad Vindic. pro *Iſ. Caſaub.*

Vir Nectare & Ambroſiâ qui alatur, & Sarrano qui dormiat oſtro digniſſimus. *Remus* in *Themiſt.* p. 159.

Immortale Galliæ decus, quô digniorem omni laude alium ne Hiſtoriæ quidem continent. *Rittershuſ.* in *Salvian.*

Vir ſeculi noſtri eruditiſſimus *Iſaacus Caſaubonus*--- Cujus auſpiciis hâc ætate admirabilis curſus factus ad omnem doctrinæ excellentiam eſt. *Petr. Cunaus* Repub. *Hebraor.* p. 53. p. 54.

Caſaubonus, vir ille plurima ſcit, pauca ignorat. Quàm multa quotidie eruit, quæ fruſtrà alibi requiras! *Dominic. Baud.* in Epiſt. Cent. 2. Epiſt. 9. ad *Iohann.* à *Wouvveren.*

Iſaacus Caſaubonus vir ætate noſtrâ vix cuiquam comparandus. *Gaſp. Sciopp.* Suſpect. Lect. l. 4. Epiſt. 13.

Virum magnum ac doctiſſimum ſæpiùs eum appellat *Bochartus* in Sacrâ Geographiâ.

Muſarum favus *Iſaacus Caſaubonus Voſſ.* l. 2. Inſtit. Orator. p. 218.

Animadverſionibus *Iſaaci Caſauboni* in Philologum *Naucratitam* nihil hic Sol eo in genere videt eruditius. *Idem* ibid. l. 4. p. 214.

Nihil vidi abſolutius Commentario *Caſauboni* in *Suetonium Joſ. Scalig.* Epiſt. l. 1. Ep. 29. ad *Ian. Douzam* F.

Quùm primum mihi ſalivam moviſſent *Theophraſtei Characteres* tui, dicam ſeriò, de poteſtate mei exivi, neque me continere potui, quin ea de te prædicarem quæ & meritum tuum, & amor meus poſtulabant: quanquam quicquid de te dixero, omne infra virtutes ingenii tui fuerit. Omnia me tua delectant, eruditio, judicium, Oratio. *Idem* Epiſt. 35.

Caſauboni ad *Suetonium* vidi eruditum Opus. Adoleſcentem magni ingenii, & ſi vivit ac temperat, omnibus numeris perfectum. *Lipſ.* in Epiſt. Cent. ad *German. & Gal.* Epiſt. 24. ad *Joſ. Scalig.*

Animadverſiones tuas in *Athenæum* accepi, gratum ſanè donum remittente Agnoſco amorem, quem jure tamen deberi mihi ſcio amanti. Quod ad ipſas,

quid niſi te dignæ ſint; nec vel conetur aliquis tale, niſi interiore quadam & varia doctrinâ, quam tibi conſenſu tributum imus, *Caſaubone*, qui aliquid ſapimus aut judicamus. *Lipſ.* in Epiſt. Cent. ad *Germ.* & *Gall.* Ep. 69.

Magnus ille literatum vindex *Iſ. Caſaubonus* tam luculentis & eruditis Animadverſionibus *Suetonium* illuſtravit, ut nihil à quoquam adjici potuiſſe videatur; ab eo tamen ſive majoribus negotiis diſtricto, ſive humani ingenii lege, nonnulla prætermiſſa fuiſſe dubitari non debet. *Boxhorn.* in Lit. ad *Dan. Heinſ.* dat. *Lugd. Bat.* Anno 1631. Kal. Aug.

Caſauboni in excolendo *Polybio* induſtriam *Auguſtus Thuanus* & *Fronto Ducaeus* ſummopere extulerunt: ea verò utrique potiſſimum placuit *interpretandi* ratio, quam hoc opere transferendo tenuiſſet, ut non facilè dici poſſe crederent, *Polybiumne Caſaubonus*, an *Caſaubonum Polybius* convertiſſet. *Huet.* de Opt. Interpret. Gen.

Præter Caſaubonum hodie nullus doctus apud Calviniſtas. In *Caſauboni Perſio* condimentum piſce ſapidius eſt. *Theophraſti* Characteres & *Athenaeus Caſauboni* optimi ſunt. D. *Caſaubonus* eleganter Latinè ſcribit. Affectu peccat in Epiſtola quam de Serarii libro ad me ſcribit. Ejus Epiſtolas ſemper aſſervo. Caſaubonus doctiſſimus eſt omnium qui hodie vivunt. *Caſaubonus* non ſcribit ut *Itali* fusè. Plurima novit quæ *Lipſius* ignorat. *Caſaubonus* non debebat intereſſe colloquio Pleſiæano, erat Aſinus inter Simias, doctus inter imperitos. *Scalig.* poſterior. Gall.

Jeſſ. *Vavaſſor* obſervavit *Caſaubono* ſæpiùs excidere *Gallicismos* & errores *Grammaticos* in ejus *Latinitate*. D. *Mottaeus* le *Vayer* ipſum culpat quòd tenero nimis affectu amaverit Authores in quos laboravit, quodque pravum morem ſecutus fuerit plerorumque ex Scholiaſtis & Interpretibus, cæteros omnes *Authores* deprimentibus, ut meritum illius extollant, quem vel explicandum vel interpretandum ſuſcipiunt; Inter alios verò contendit eum de *Cornelio Tacito* contemptim locutum eſſe, ad hoc tantùm ut *Polybio* famam conciliaret. *Judicia Eruditorum Pariſ.* 1685. Gall.

Auguſtus Buchnerus referebat, *Caſaubonum* pro *Exercitationibus* contra *Baronium* à Rege *Angliæ* quotidiè coronatum vel ducatum accepiſſe. *Konig.* in Biblioth.

Petrus Molinaeus, in literis ad *Jac. Montacutium*, *Bathonienſem* Epiſcopum, an. 1610. *Caſaubonum* arguit, quod ad *Papiſmum* incliner, ejuſque apoſtaſia metuenda ſit, niſi in *Angliâ* ſervetur.

Multa ſunt in *Caſauboni* Epiſtolis ſingularia, quæ tam ad hiſtoriam literariam quam Civilem illius temporis pertinent: Stylus familiaribus ſcatens elegantiis & argutiis; Græcæ linguæ flores, adagia ubique apparent. Compoſitio quidem *Ciceroniana* non eſt, neque, ut ipſe fatetur, ſe multùm cruciavit in verborum delectu; ſed tamen miram omnia elegantiam ſpirant. Etenim compoſitio interdum omnem ſermonis faciem commutat, cujus exemplum habemus in *Camerario*, de cujus ſtylo *Philippus Melanchthon* l. 4. Ep. 206. ita judicat: Quòd, cùm anteà *Ciceronis* verbis & phraſibus uteretur compoſitionem verò periodorum aliam haberet

beret, poſteà, cùm etiam hanc ad *Ciceronis* normam inſtitueret, ſeipſum quaſi ſuperârit. Qui Græcis formulis in ſcribendis Epiſtolis delectantur, multas tum ex *Caſauboni*, tum ex *Reineſii* Epiſtolis colligere poſſunt. Recenſentur hîc quoque ſæpè Arcana quorundam eruditorum, quorum nomina non ſunt addita, quæ detexit aliquâ ex parte *Colomeſius* in Clave Epiſtolarum *Scaligeri* & *Caſauboni*, quæ addita eſt corpuſculis ejus literariis. Non tamen ille omnia notavit. *Rittersbuſius* in Epiſtolâ ad *Richterum* ſcribit, ſe plures habere *Caſauboni* Epiſtolas, p. 201. Ab eo credo impetravit plurimas *Gronovius*, quas editioni ſuæ adjecit. Extat ad *Richterum* ejus de illâ re Epiſtola. Ejus Epiſtolas *Richterus* quadam ad *Gronovium* Epiſtolâ Romæ combuſtas nunciat, p. 240. latitant & in Bibliothecâ *Gudianâ* multæ *Caſauboni* Epiſtolæ. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 287. 288.

* *Iſaaci Caſauboni* Epiſtolæ quotquot reperiri potuerunt; item Epiſtola de morbi ejus mortiſque causâ in Decreto 26. Octob. 1640. Ejuſdem Corona Regia ab *Euphormione* in lucem edita, in Decreto 18. Decemb. 1646. Item in primum Tomum *Annalium Baronii* in Decreto 12. Decemb. 1624. prohibentur. Vide *Ind.* Librorum prohibit. *Alexandri* VII. P. M. juſſu edit. *Romæ* 1664.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium; quale legitur *Londini* in Templo *Weſtmonaſterienſi*:

ISAACUS CASAUBONUS.

[O Doctiorum quidquid eſt, aſſurgite
Huic tam colendo Nomini]

Quem Gallia *Reip. literariæ bono peperit*; Henricus *IV.* Francorum *Rex inviĉtiſſimus* Lutetiam *literis ſuis evocatum, Bibliothecæ ſuæ præfecit, charumque deinceps dum vixit, habuit. Eòque terris ereptô* Jacobus *Mag.* Brit. *Monarcha, Regum doctiſſimus, doctis indulgentiſſ. in* Angliam *accivit, munificè fovit, poſteritaſq; ob doctrinam æternùm mirabitur. H.S.E. invidiâ major. Obiit ætern. in* Chriſto *vitam anhelans Kal. Iul.* 1614. *Ætat.* 55. *Viro op. immort. digniſſ.* Th. Mortonus *Ep.* Dunelm. *jucundiſſimæ quoad frui licuit conſuetudinis memor Pr. S. P. CV. MDCXXXIV. Qui noſſe vult* Caſaubonum, *non* Saxa *ſed* Chartas *legat ſuperfuturas marmori, & profuturas poſteris.*

MARTINUS ANTONIUS DELRIO,
Soc. Jeſ.

Patriâ *Antvverpienſis*; ſed, quod nomen etiam indicat, *Hiſpaniâ* Origine, genere nobili natus Anno 1551. ipſo Pentecoſtes meridie. Obiit *Lovanii* ex acerbiſſimis Calculi cruciatibus An. D. 1608. Octob. die 19. Ætatis. 58. Clar. An. D. MDC.

Digitized by Google

Reliquit Adagia Sacra Vet. & N. T. Diſquiſitiones Magicas: Notas in *Geneſin. Canticum, Threnos:* Comment. in *Senecam* Tragicum, &c.

Ipſo pueritiæ exordio vegetum, acre emicuit ejus ingenium, ad literas aptum atque incitatum: cui cùm acceſſiſſet contumax ſtudium, eò brevi evaſit doctrinæ, ut annos 19. natus, plus minus mille & centum Auctorum Sententias acri judicio expenſas congeſſerit in unis Adverſariis ad *Senecam*: quem ideo *Juſtus Lipſius* ævi noſtri *miraculum* appellans, negabat ſe ſcire an ſint non pauci eorum Scriptorum quos ille diligenter evolutos proferebat. *Græca Latinæ*que adjunxit linguas *Hebraicam* & *Chaldaicam*; cùm diſertus etiam eſſet *Flandricè, Hiſpanicè, Gallicè* ac *Germanicè*. Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum quidquid toto *Belgio* erat, excuſſerat. Fuit vir animi candore ſummo, ut, quod ab eo dicebatur, ſincerum confirmatumque omnes arbitrarentur. Nullus fuit eo unquam magis integrè virtuti amicus, & honeſtati, ubicunque ea demum eſſet, in quocunque eſſet. In ipſis hoſtibus quidquid non illaudatum eſſet ingenuè amplectebatur, & efferebat. Non opinionibus vulgi rapiebatur: in omnibus rationem ſequebatur ducem, cætera ſuſque deque habebat. *Allegambe.*

Delrius, Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, Flandricè, Hiſpanicè, Italicè, Gallicè, Germanicè ita loquebatur (ſunt diſtinctè novem Idiomata) ut in pleriſque eloquentiſſimus, in nullo hoſpes eſſet. *Quintus Ennius*, teſte *Gellio*, tria corda habere dicebat, quod loqui *Græcè, Oſcè*, & *Latinè* ſciret. Num igitur non novem corda habuerit *Delrius*, qui novem linguas percalluit?---Prodigio ſimile eſt vel ipſa ſola Auctorum in *Jure* nomina meminiſſe, quos ille Epiſtolâ ad Parentem ſuum ſe perlegiſſe commonſtrat. Fuit verè (quod *Tullius* de *Catone*) librorum helluo. *Drexell.* Antifod. part. 1. c. 5.

Delrius vir maximis hujus ævi Heroibus adnumerandus, Poëta, Orator, Hiſtoricus, Juriſconſultus, Theologus, variorum item Idiomatum ſcientiſſimus, *Ant. Sander.* de *Brugenſ.* erud. claris.

Multijugæ lectionis vir, *Ant. Delrio. Voſſ.* l. 3. de Idolol. c. 44

Poëtas, Oratores, Hiſtoricos omnes, cum ſacros, tum prophannos, Philoſophos, Theologos, omnium denique diſciplinarum Scriptores ſic exhauſerat, nihil ut ignorare, &, quod diſceret, deeſſe videretur. Sacrarum literarum lectione potiſſimùm ſub vitæ exitum delectabatur, ut dolendum profectò ſit, virum *Hebrais, Græcis, Latiniſ*que linguis apprimè inſtructum, in medio illuſtrandæ Scripturæ divinæ curſu, Orthodoxæ Eccleſiæ ereptum. Sed & nos *Belgæ* magnum certè lumen patriæque decus amiſimus, quod ad funeſti hujus Belli *Hiſtoriam*, quam ad *Joannis Auſtrii* exceſſum deduxerat, ex fide proſequendam, homo rerum uſu, judicioque præſtans [quæ duo in Hiſtorico potiſſimum requiri ſolent] longè aptiſſimus videretur. Inter ingenii monumenta, quæ cùm ad Theologiam, tum ad Juriſprudentiam literaſque humaniores illuſtrandas varia poſteris reliquit, maximè laudantur tenenturque manibus *Diſquiſitiones Magicæ*, novum ſcilicet, atque, ut *Lipſius* appellat, *doctum opus. Aubert. Miræus.*

Pleraque ex iſtis probaſſe olim me ſcio *M. Ant. Delrio* (eum honoris & amoris causâ nomino) clariſſimo viro, & non ad hoc ſæculum amico: cujus fides certa

certa mihi fuit, rebus incertis *Lipſ.* l. 1. Elect. c. 26.

M. Ant. Delrio Juriſconſulto, pro adverſariis in *Senecam*, pro Notis in *Claudianum* in *Senecam Solinum*, alios denique, quum multùm antè deberemus, nunc nuper Latinæ Tragœdiæ nomine plurimum debere cœpimus. *Sciopp.* de Art. Crit. p. 14.

Lutum & ſtercus Generis Humani *Martinus Delrio*---Quô invidentiorem maledicentiorem, arrogantiorem bipedem hodiè neminem credo vivere. *Joſ. Scalig.* in epiſt. 133. 134.

Salmaſius ejus Editionem *Solini* non magni æſtimat. *Salmaſ.* Prolegom. in *Jul Solin.* Polyhiſt.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

JOANNES DRUSIUS.

Aldenardenſis, Flander, natus anno 1550. die 28. Junii Obiit. 1616. die 12. Febr. *Hebraicas Oxoniæ* literas ab anno ætatis 22. quadriennio; *Lugduni*, apud *Batavos* Septennio, & reliquo vitæ tempore *Franekeræ* apud *Friſios* profeſſus eſt. Clar. An. D. M D C.

Scripſit Præterita in Novum Teſtamentum: Notas in *Siracidem*: Comment. in loca difficiliora Pentateuchi: Obſervationes Sacras: Quæſita per Epiſtolas, multaque alia.

Joannes Druſius Linguæ S. Profeſſor celeberrimus, Linguarum Orientalium cognitione apprimè imbutus. Opera ejus nota ſunt. *Quenſtedt.*

Vir Linguæ *Hebraicæ* peritiſſimus, & in Scriptis *Rabbinorum* verſatiſſimus. *Leigh* in Tract. de Erudition. & Erud.

Magnus ille *Druſius*, vir nulli in literaturâ *Hebraicâ* ſecundus. *Jac. Cruc.* l. 1. Epiſt. ep. 1.

Admonuit me etiam de non paucis *Ioannes Druſius*, vir certè magnam diligentiæ & eruditionis laudem plurimis editis Tractatibus meritò conſecutus. *Theod. Beza* Præf. ad Lector. Annot. ad N. Teſtam.

Crede mihi ſine fuco & fallaciis affirmanti, is tu mihi es, *Druſi* doctiſſime, cujus judicio probari noſtras Scriptiunculas, imò verò ipſum me ſeriò gaudeam. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 71.

Joannes Druſius ſui ſeculi peritiſſimis Linguæ Sanctæ meritiſſimè accenſebatur, proprrique meriti adeo perſuaſus erat ut, *Divini Grammatici* nomen ſibi tribuiſſet----Multi dicunt eum *Serario Hebraicæ* Linguæ callentiorem fuiſſe, licet in omnium aliorum ſcientia *Ieſuita* iſte illum longiſſimè ſuperaret. Judicia Erud. per *Baillettum* Pariſ. 1685. Gall.

Rabbinos non legit. Suo adverſus *Serarium* libro hunc, leniter nimis tractat. Quam miſerum eſt *Druſii* judicium. Nihil præter ſuam Grammaticam novit. *Serarium* doctrina non exæquat, niſi quoad *Hebraam Grammaticam*. Liber ejus de

de *Nomine Dei Tetragrammate Jehova* præclarus eſt. Filius eſt Patre doctior in *Hebrais*. *Druſius Lipſii* Simius miram habet Latinitatem: non Latinè ſcribit. *Druſius* præ *Buxtorfio* nihil eſt. Triginta ſunt anni ex quo Grammaticam docet, nihilque prætereà novit, & mirum eſſet niſi ſciret optimè. Ego benè ſcio quid ſit *Druſius*, eſt doctus in *Grammaticis* & in Textu *Hebræo Druſius* noluit unquam ſubſcribere confeſſioni noſtræ, & propterea illi malè volunt ſui Collegæ. *Druſius* neſcit quid ſit Religio. Noſtræ Confeſſioni non ſuffragatur. *Lovanii* inter Papiſtas educatus eſt. Druſius non eſt Doctus, licet ſe putet eſſe doctiſſimum. *Scalig.* poſterior. Gall.

Druſius, qui ſeptimum inter Criticos illos locum occupat, cæteris omnibus, meo quidem judicio, anteponendus eſt; nam præterquàm quod in Lingua *Hebraica* doctus erat, & per ſe ipſum Judaïcos libros conſulere poterat, Veteres Græcos Tranſlatores accuratè legerat adeo ut meliorem ſibi formaviſſet ideam Linguæ Sacræ, quàm cæteri Critici, qui unicè Rabbinorum lectioni incubuerunt. Ad quod addi poteſt quòd Divi Hieronymi & quorundam aliorum Patrum Opera perlegiſſet. Verbô ut abſolvam, *Druſius* omnium Criticorum, qui in hac Synopſi comprehenduntur, doctrina & judicio præſtantiſſimus eſt. Or. Pr. *Rich. Simon.* Hiſt.Crit.V.T.lib. 3. c. 15. Gall.

* *Ioannis Druſii* Opera prohibentur, donec emendentur. Vid. *Indicem Romæ* impreſſ. ann.1681. 8°.

Extant in *Ruth* & *Eſtheram* Annotationes cum Scholiis. *Amſtel.* 1632. 4°.

Extant in *Iobum* Scholia. *Amſtel.* 1636. 4°.

Extant in *Prophetas Minores* Comment. ſive lectiones. *Amſtel.* 1627. 4°.

Hoc ejus Epitaphium, Auctore *Paulo Buſio* JC.

Qui priſcos ritus, qui mores Gentis Judæ
Norat, & haud ulli ceſſerat ingenio:
Qui doctus Latiâ, Graiâque, *& quotque ab Ortu*
Lingua unquam nota Druſius *unus erat.*
Aſt idem, haud alius quo Vatum oracula nuper
Terſius explicuit, conditur hôc tumulo.

Aliud, Auctore S. *Siccamâ.*

Maximus exiguo tegitur ſub marmore Druſus,
Si tamen Heroës marmoris urna tegit,
Druſius Hebrææ *vindex, & gloria linguæ,*
Per quem obſcura minus pagina ſacra cluit.
Pignore quo tantùm Franckera *culta ſuperbit,*
Quantum Scaligero Leida *Diſerta ſuo.*

Qui

Qui vita ſatur & fama qua circuit orbem,
Dum ſtudium & pietas creſcere poſſe negant,
Creſcere quo poſſet Cœlum reſtabat avitum,
Cœlum adit, & patrio ſtella recepta polo eſt.
Filia cum genero tanti cognominis hæres
Hic cineres poſuit: cætera fama tenet.

JACOBUS DAVYUS PERRONIUS.

CArdinalis Magnus *Franciæ* Eleemoſynarius, Epiſcopus *Ebroicenſis*, dein Archiepiſcopus *Senonenſis*, natus eſt viceſimo quinto Novembris Anno 1556. Obiit *Pariſiis* quinto die Septembris anno Dom. 1618. Clar. A. D. MDC.

Scripſit varia, quæ duobus magnis voluminibus continentur. *Gallicè*

Iacobus David Perronius adoleſcens in *Peripatetica* Philoſophiâ,& *Scholaſtica*, ex eâ natâ Theologiâ egregiè doctus, ad hæc peramœno & faceto ingenio & verſibus *Gallicè* pangendis felici, qui *Philippi Portæ* viri optimi & optimâ fortunâ,quam adeptus eſt, digniſſima commendatione in aulam ſe inſinuaverat,ejuratâ, in quâ educatus fuerat, *Proteſtantium* doctrinâ, *Thuan.* ad ann 1591.

Cardinalis ad ſtuporem doctus, velut ſcribendi ambiguus pauca emiſit ſermone patrio, ſed prorsùs ad amuſſim,quæ nativi *idiomatis* interſtrato nitore,& ſingulari expolitione verborum delectu ubique adhibito, multoperè commendentur. *Nomen lat.* S. R. E. Cardinalium.

Iacobus Perronius,vir ſanè præſtantiſſimus,ingenio & eruditione admirandus, facundia *Neſtor*, atque ut Theologus nemini ſecundus, ſic & Poeta *Latino* ac *vernaculo* ſermone elegantiſſimus *Pub. Mirans.*

Iacobus Perronius doctus & eloquens ad miraculum: quem ſi amplius laudare voluero, fucos faciam, cùm ſit major omni laude. *Spondan.* in Annal. ad Ann. 1618.

Auctoritate es inter tuos, & ingenii atque doctrinæ fama apud omnes. *Iſ. Caſaub.* 710. p. 900.

Cardinalis *Perronius*, magnus ille & curioſus *Antiquitatis* indagator. *Ioan. Dallæus* de ver. uſ. Patr. p. 155.

Cujus nomine nullum ferè eſt apud adverſarios illuſtrius. *Idem* de Pſeudepig. Apoſtol. l. 1. c. 1.

Cardinalis Perronius Gallicani Cleri ac *Romanæ* purpuræ decus ſingulare. *Phil. Labbe* de Script. Eccleſ. Tom. 2. p. 489.

Petrus Molinæus in Præfatione libris adversùs Cardinalem *Perronium*,cui titulus, *Novitas Papiſmi* de *Perronii* Reſponſione ad Regem *Iacobum* ſic judicat: Nullum inter Adverſarios Opus tam elaboratum, reperio. Sed modica ejus Linguæ *Græcæ* & humaniorum Literarum peritia, facit ut frequenter ceſpitet. Gall.

Circa annum 1623,prodiit Cardinalis *Perronii* liber contra ſereniſſimum Regem *Iacobum*. Liber quem *Pontificii* immenſum quantum laudibus extollunt.

Digitized by Google

Et eſt ſanè omnium, qui *Romanam* fidem *Gallicè* propugnaverunt, eruditiſſimus & ſubtiliſſimus *Gul. Bates*, in vit. *Petr. Molin.* p. 716.

De *Stylis* judicium ferre poſſum, quoniam totos 25. annos probatos omnes Authores *Latinos*, *Græcos*, & *Italos* evolvi; totis 15. annis *Ciceronis* Oratorem in perula ſemper geſtavi. *Perroniana* p. 306. 307. Gall.

Omnia illa ſunt ex uſu Aulæ, inter Aulicos & Fœminas; ut de Cardinali *Perronio* dicebat *Joſephus Scaliger*, qui ut in Aula doctus exiſtimaretur, apud Mulieres diſſerebat de Fluxu & Refluxu Maris, de Ente *Metaphyſico* & de principio *Individuationis*. *Guido* Patin Epiſt. 67. Gall.

Cardinalis ille *Ebroicenſis* magna laborat ambitione. Doctus non eſt, loculejus, Fœminis gratus eſt. *Pariſiis* cùm degerem *Perronius* umbra mea fuit, me continuò ſequebatur cùm Magnates conveniebam, hoc inficias non ibit. *Scaligerana* poſterior. Gall.

Perronius Mornai inſignem de *Euchariſtia* librum fruſtrà aggreſſus, caſtratis mutatiſque editionibus *carni* impoſuit; *Mornao* edito ſcripto cauſam ſuam defendente. *Hofman*.

Dominus *Faulkand* vocat eum Magnum, Eloquentem, & Sagacem Cardinalem *Perronium*, eumque *Bellarmino* atque *Baronio* anteponit, aſſeritque de ejus libro adverſus Regem *Jacobum*, eum fuiſſe Architectum glorioſiſſimi Ædificii quod unquam, ut quidem arbitrabatur, exſtructum fuiſſet in Eccleſiæ *Romanæ* honorem. Angl.

Quòd *Picherellus*, qui Eccleſiæ Romanæ erroribus valde addictus non erat, ab hac palàm diſſenſerit in Tranſubſtantiationis Dogmate, non admodum mirandum eſt: Mirari magis ſubit, quòd Vir adeo eminens inter Romanos, ſcilicet Cardinalis Perr., quiq; tam multa ſcripſit in Tranſubſtantiationis patrocinium, nunquam tamen illum ullatenus crediderit. Hoc nihilominus eum quibuſdam Amicis paulò ante mortem confeſſum liquidò nobis conſtat, quòd nimirum hanc Doctrinam monſtroſam cenſeret; ſe quidem omnes adhibuiſſe conatus ad illam, quantùm fieri poterat, infucandam in Scriptis ſuis; ſed malæ cauſæ patrocinium ſe ſuſcepiſſe, quamque nemo tueri poſſet. *Iſaacs Wake* Præfatio præmiſſa diſſertationi ſuæ de Sacra Euchar. Angl.

Hoc ejus Epitaphium in Cathedrali *Senonum*:

H C. F R. L. M. Ætn. P P.

Jacet hîc quod claudi potuit *Jacobi Davii Perronii*, qui S. R. E. TT. S. *Agnetis* in agone Presbyter Card. annos quaterdenos, Archiepiſcopus *Senonum*, *Galliarum* & *Germaniæ* Primas, Magnus *Franciæ* Eleemoſynarius duodenos, inter homines mortales ternos & ſexagenos mortalis homo vixit; mortalis eſſe deſiit Non. Sept. An. Chriſti 1618. At vivet poſthac, æternumque apud omnes gentes atque nationes gloria immortalis, quam ex Hæreſi toties reportatæ victoriæ, Acta in *Italia*, *Franciâque* conſtituendis ac conforman-

dis

Digitized by Google

dis Eccleſiæ nutantis rebus felicia, juſta, & præclara; Libri denique quos plurimos atque diviniſſimos incomparabilis ingenii clariſſima monumenta reliquit, ei meritiſſimò pepererunt.

ARNOLDUS PONTACUS.

GAllus *Burdegalenſis*, è nobili *Pontaciorum* familia: Epiſcopus *Vaſatenſis* fuit. Obiit Anno 1605. Clar. A. D. MDC.

Anno 1604. *Arnoldus Pontacus* præclarè de *Chronologiâ* meritus eſt *Notis* & *Animadverſionibus* ſuis ad *Chronicorum* tres Scriptores; *Euſebium Pamphil. Hieronymum*, & *Proſperum Aquitanicum*. *Pontacus* hic, vir maximæ eruditionis, Epiſcopus *Vaſatenſis* fuit, & utrique Concilio *Regio* à Conſiliis. Huic *Gilbertus Genebrardus* ſuam dicavit *Chronologiam*; ipſe autem duos poſteriores libros emendavit, & adauxit. *Voſſ.* de ſcient. Mathemat.

Quum hæ *Notæ* propè ad exitum perductæ eſſent *Chronicon Euſebianum* τοῦ μακαρίτου Domini *Arnoldi* Epiſcopi *Vaſatenſis*, viri doctiſſimi & humaniſſimi, miſſu ipſius accepimus, quod licèt eâ animi alacritate à nobis exceptum eſt, quam & *Authoris* virtus & *Operis* meritum exigebat; tamen hoc noſtrum gaudium proprium eſſe repentinus de ejus viri morte nuncius non paſſus eſt--- Quanti ego illius mores doctrinamque fecerim, facioque, ſciunt atque teſtari poſſunt, qui hominem de facie ſibi ignotum ex ſolâ prædicatione noſtrâ, atque ſolam fidem noſtram ſequuti, amare atque obſervare cœperunt. Quum igitur ille optimus, modeſtiſſimus & doctiſſimus vir, tantum diligentiæ & laboris ad *Euſebii Chronici* reſtitutionem attulerit, quantum in hoc genere ſcribendi, aut nemo aut pauci ante eum præſtare potuerunt, facere non poſſum quin & ejus *Editionem*, & ſtudium incredibile quo illam excoluit, diligentiam indefeſſam, quâ tot ſcriptos *Codices* inter ſe contulit, quibus poſſum laudibus commendem. *Joſ. Scalig.* ad *Euſeb. Chron.* in addend.

Mirati eramus paulò antè, & meritiſſimè quidem, viri præſtantiſſimi, longéque doctiſſimi *Arnoldi Pontaci* Epiſcopi *Vaſatenſis* fidem, induſtriam, & in affectâ pariter ætate diligentiam propè ſine exemplo, in tot conferendis antiquis *membranis*, ex quibus pulcherrimam illam ſuam ejuſdem *Euſebii* editionem concinnavit: quæ prius ab ipſo ſuſcepta, quàm de tuo conſilio quicquam reſciſſet, (ut ſæpius ipſum mihi literis ſignificaſſe teneo) eodem ferè tempore edi cœpta eſt, cum Tuâ. Sed *Præſulis* ampliſſimi immaturus obitus, & tibi fructum vel jucundiſſimum amicitiæ quâ eratis invicem juncti; & ipſi gaudium ademit, quo nunc fungeretur inæſtimabili, cùm videret *Opus* à ſe feliciter inchoatum, feliciſſimè à Te eſſe conſummatum. Conſtat mihi, ipſum, ſi jam viveret, quâ eruditione fuit, quò erga Te affectu, & candore in æſtimandis tuis virtutibus, non minus acrem *Operis* tui adversùs invidos & obtrectatores vindicem futurum, quàm aſſiduum tuarum laudum apud bonos præconem, *Iſ. Caſaub.* ad *Ioſ. Scalig.* 8. Kal. Sextil. an. 1607.

Digitized by Google

Arnoldus Pontacus in iis, quæ ad B. *Hieronymi Chronicon* magnâ induſtria, nec doctrinâ minore, annotavit *Voſſ.* de vit. Serm. l.2. c.3.

Ut obſervavit doctiſſimus & diligentiſſimus *Arnoldus Pontacus* in ſuis ad Chronicum *Proſperi* notis *Voſ.* de Hiſt. *Pelag.* p. 31.

Arnoldus Epiſcopus *Vaſatenſis Pontacus*, cujus ſæpe mentionem habuimus vir *Hebraicarum* literarum & *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* perititiſſimus, *Spondan.* Not. in *Baron.* epitom. ad ann. 389. Num. 16.

Nullatenus timeo Euſebii editionem à Dom. de *Bazas Pontac.* non quòd ejus eruditionem non magni faciam, nec agnoſcam eum eſſe valde peritum *Hebraicæ* præſertim linguæ Hiſtoriæq; *Eccleſiaſticæ*; Sed quod Tu facies ille neqnaquam facere poterit, imo quamvis id facere poſſet, id tamen non faceret aut facere non auſit. Euſebius liberè tractari debet, & à Viris qui nullam cenſuram pertimeſcant. Extant Exemplaria rebus quas addiderunt Monachi adeo referta, ut pauca poſt tua legitimæ notæ deprehenſa fuerint. J. *Gillottus* ad *Scaligerum* pag.95. Synopſeos Epiſtolarum ad ipſum ſcriptarum. Gall.

CONRADUS RITTERHUSIUS.

Clar. A.D. MDC.

B*Runſwicenſis*, Juriſconſultus, & Philologus, natus eſt anno 1560. Obiit An.1613. *Altdorfii* Juriſprudentiam 21. annos publicè profeſſus eſt. Mortuo. *Caſp. Panſa.* & *Chriſt. Adamus Wenzelick* parentaverunt.

Præter *Juridica* Scripta, Commentarium in *Oppianum*, *Salvianum*, *Guntherum*, *Phædrum*, *Plinii* Epiſtolas ad *Trajanum*, *Malchum*, *Iſidorum Peluſiotam* edidit. Dicitur etiam *Lexicon* ex *Patrum Græcorum* & *Latinorum* Scriptis collegiſſe. Varia Carmina compoſuit.

Verè fuit vir hic inſignis, alter ſui ſæculi *Scævola*, Orator, Poëta, Philologus & Philoſophus eximius, *Græcæ* & *Latinæ* Linguæ callentiſſimus; ita ut perpetuò cum, *Literarum* Principibus, *Homero*, *Platone*, *Ariſtotele*, *Demoſthene*, *Herodoto*, *Xenophonte*, *Thucydide*, *Iſocrate*, aliiſque tam ſacris quàm prophanis Scriptoribus, *Græcis*, *Græcè*: cum *Cæſare*, *Tullio*, *Varrone*, *Marone*, *Horatio* & aliis *Latini Idiomatis* proceribus *Latinè* ſcribendo & dicendo certare poſſet. Linguæ etiam *Hebrææ* non hoſpitem fuiſſe, inde apparet, quòd *Pſalmorum Davidicorum* maximam partem eâ felicitate metris *Romanis* expreſſit, ut *Hebraicè* docti pronuncient, neminem ferè omnium *Paraphraſtarum* ita fontes aperuiſſe, & acu, quod aiunt rem tetigiſſe. *Melch. Adam.* in vita ejus.

In *Patrum* lectione ſingulari cum ſtudio eſt verſatus, quod teſtatur *Lexicon* ex *Patrum Græcorum* tum *Latinorum Scriptis* collectum & digeſtum, Opus immortalitate & luce publicâ dignum: *Idem* ibid.

De omni literaturâ præclariſſimè meritus eſt *Conradus Ritterhuſius. Ioan. Andr. Quenſted.*

Gruterus gemmam omnium doctorum atque bonorum inæſtimabilem, eum appellavit. Vide plura apud doctiſſimum *Ritterhuſium*, cujus manibus æternam felicitatem precamur. *Barth.* l. 29. Adverſ. c. 3.

Utinam

Digitized by Google

Utinam, mi *Ritterſhuſi*, interiora animi mei noſſes! ſcires quàm ſoleat mihi eſſe gratum quicquid à te fuerit profectum. *Salvianum* verò qui pluris faciat quam ipſe facio, non facile invenias. Itaque pro eâ operâ, quæ illi optimo *Scriptori* à te eſt impenſa, ago tibi pro meâ virili grates gratiſſimas. Bene de literis meritus es, bene de ſtudiis pietatis, bene de nomine *Gallico*, *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. 605.

Tu mihi mittis elegantiſſimos *elegos* tuos, mihi in *Ambroſia* loco gratos, tanquam priſcâ illâ & nativâ verborum ſignificatione, variatum quoque Sententiarum intertexturâ nitidiſſimos. *Sciopp.* l. 3. ſuſpect. lection. epiſt. 20.

Ritterſhuſius Vir eſt honeſtus & doctus *Rigaltius* immerito ipſum laceſſivit in ejus Phædrus. Scaligerana *poſterior*. Gall.

* *Cunradi Ritterſhuſii* differentiarum *Iuris Civilis* & *Canonici*, ſeu *Pontificii*, libri ſeptem prohibentur. Ejuſdem liber cui Titulus *Ius Iuſtinianeum* hoc eſt, Novellarum Imp. *Iuſtiniani Auguſti* expoſitio Methodica, prohibetur in Decreto 10. Martii 10. 1619.

Extant Carmina ejus Tom. 3. *Delit. Germ.* 483. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS.

GAllus, natus eſt *Pariſiis* anno Dom. 1553. Obiit anno 1617. Clar. A. D. M DC.

Condidit Hiſtoriam rerum per totum Orbem geſtarum ab A. C. 1545. uſque ad An. 1608. ſtilo luculento. Extant ejuſdem Hieracoſophion ſive de re accipitrariâ libri tres; item, Conſtantia *Iobi*, *Eccleſiaſtes*, *Threni. Ieremiæ*, &c.

Vir genere, doctrinâ, dignitate maximus, & inter hujus ævi Hiſtoricos principe loco dignus. *Whear.* in Meth. Leg. Hiſt. ſect. 45.

Incomparabilis noſtri temporis Hiſtoricus nuncupatur *Conrado Ritterſhuſio* ad *Salvianum*.

Iacobus Auguſtus Thuanus ſuæ ætatis Hiſtoriam ſummo judicio & fide, ſine odio & gratiâ, ad *Dei* gloriam & publicam utilitatem prudentiſſimè conſcripſit. Opus & ſtyli elegantiâ, & graviſſimarum rerum copia ac majeſtate cum quibuſvis ſive veterum ſive recentium in eo genere Scriptis conferendum. *Lanſii* Orat. pro *Gall.* p. 177.

Thuanum ego virum divinitùs datum cenſeo ſæculo iſti in exemplum pietatis, integritatis, probitatis, & ut uno verbo dicam, πάσης ἀρετῆς καὶ καλλονῆς ψυχῆς. *Caſaub.* Epiſt. 204.

Vir immortali laude dignus, & Hiſtoricæ veritatis lumen. *Montacut.* Antidiat.

Iacobus Auguſtus Thuanus, vir illuſtris, ingenii celſiſſimi, ac juris publici optimè conſultus. *Quenſted.*

Vir non minus eruditione quàm officii dignitate nobilis, & ſi quis alius, veri ſtudioſus. *Morton.* Cauſa Reg. c. 3.

De præclariſſimo Hiſtoriarum monumento quod ſæculo imputaſti, valdè omnes boni te amant. Ego aliter quàm ſilendo pronunciare non poſſum, omnia enim infra dignitatem verba erunt. Cùm cætera tacitus admirator, tum inprimis dignam ſummo *Senatore* fidem, veritatem, libertatem, *Baud.* Centur. 1. Epiſt. 86.

Inter multa quæ in re admiratura eſt *poſteritas*, ego illud unicè obſtupeſco, unde tibi modò in fori arce, modò in ſummâ *Republicâ* verſanti otium, unde vis indefeſſa animi, ut res tot ac tantas aut ſcribendas cognoſceres, aut cognitas ſcriberes. *Grot.* in Epiſt. 16. Non. Jun. An. 1615. *Roterodami.*

Orbis totius Hiſtoriam ita complexus es, ut talem nemo vel ab otioſiſſimo homine unquam expectaverit: Tanta rerum copia, tantus verborum nitor---- Tuum illud virorum maxime, *Opus* immortale, quamquam & ſermonis elegantiam ab ipsâ antiquitate reduxit, & rerum varietate placere nemini non poteſt, nullâ tamen in parte melius meretur de legentibus, quàm quòd eos viros bonos facit. *Idem* Epiſt. 11. 9. April. 1610.

Præcipuo loco ponendus eſt *Thuanus*, Parlamenti *Pariſienſis* Præſes, Scriptor eloquentiâ, doctrinâ, libertate, prudentiâ & fide nemini inferior, præſertim in rebus *Gallicis*, quibus ipſe interfuit; in reliquiarum *gentium* hiſtoriâ non parem ubique fidem meretur, quia alios ſequi neceſſum habuit. Unde factum, ut etiam ſtylus alicubi diverſus deprehendatur. Verba namque Autorum, quibus uſus eſt, plerumque retinuit. Quæ ad Religionis Hiſtoriam pertinent, ſummâ æquitate ac moderatione quanquam Religioni *Pontificiæ* addictus tractavit, idcirco *Politico-Catholicus* appellatur: à quibuſdam etiam ut *Atheus* & profanus traducitur. *Auctor. Anonym.* in Biblioth. Politicâ Curioſâ.

Thuanus ut laboris compendium faceret, dum ex variorum ad ipſum miſſis chartis libelliſque opus contexit, retentis *autorum* verbis Hiſtoriam nobis dedit non ejuſdem genii & linguæ. *Caſp. Barlæus* in Epiſt. 504. ad *Petr. C. Hopfr.*

Dominus de *Thou*, cùm generalem Hiſtoriam contexere in animo haberet, commercium colere cœpit cum omnibus Europæ Viris qui maximè idonei erant, quæ vera eſſent ad ipſum tranſmittere: Magnum itaque cum *Camdeno* commercium habuit. Cùm autem *Camdeni* volumen primum in lucem exiiſſet, ſeverè ad ipſum ſcripſit, deprehendens id adeo diſcrepans eſſe ab iis quæ in mutuis eorum Epiſtolis exarata fuerant, præſertim reſpectu *Scotorum* Reginæ. De quibus quod erat verum, ipſi confeſſus eſt Camdenus, ſcilicet, Regem *Jacobum* illud neceſſariò reviſere voluiſſe, idemque poſtea tradidiſſe in manus Comitis *Nortamptonii*, qui erat Ducis *Norfolciæ* frater, qui propter illam Reginam capite truncatus fuerat, & plurima ex illo eraſa, plurimaque alterata fuiſſe. Hoc moleſtiſſimum fuit *Camdeno*, qui ſollicitus fuit ne poſterioris partis idem eſſet fatum: Eapropter illam extra *Angliam* ad præſtantem illum virum tranſmiſit, ut poſt ſuum obitum typis fideliter mandari poſſet. Hoc in *Anglia* notiſſimum eſt: Et ſecundæ partis, ultra mare ad extraneum tranſmiſſio, facile quemvis inducit ad credendum eam hujus veram rationem fuiſſe. Doctoris *Burnetti* Replicatio ad Dom. *Varillas* pag. 59. Anglicè.

Cumprimis

Digitized by Google

Cumprimis laboravit *Thuanus* odio zelotarum Religionis *Pontificiæ*, licèt ipſe fuerit *Pontificius*; ſed quia ſcelera ſuorum non dubitaſſet divulgare adeo verè, & uſque adeò veritatis habitâ ratione, ut ne *Papæ* quidem pepercerit, incurrit in odium inprimis *Ieſuitarum*. Primum ejus *Volumen* in *Indicem Expurgatorium* relatum erat *Romæ*; in *Indice* tamen *Coloniæ* edito non conſpexi illud. Jactant plerique id factum eſſe propter Præfationem doctiſſimam, quæ *Pontificios* vehementer mordet. *Thuanus* autem eſt me quidem judice hujus & ſuperioris ſeculi *Hiſtoricus* maximus, ob inſignem *παῤῥησίαν*, & ſtudium veritatis. Dolendum tamen eſt de illâ temporis injuriâ, quæ reliqua ejus *Hiſtorica* prodire prohibet. *Herman. Conring.* de *Gall.* Regn.

Jacobus Auguſtus Thuanus ut in Hiſtoricis ſeculi noſtri ſecundus eſt nemini, ita *Poëſeos* gloriâ cedit pauciſſimis; quod vel ex tribus ejuſdem *De Re Accipitrariâ* libris diſcimus: Nec *ſomnio* illius *Epico*, *Chiverniumm Franciæ Cancellarium*, quicquam vigilianius. *Borrich.* de Poëta. p. 119.

E junioribus tres libros *De Re Accipitrariâ* elegantiſſimo Carmine ſcripſit *Jacobus Auguſtus Thuanus. Voſſ.* de Philoſoph. p. 58.

Inter plurimos ejus labores cum immortali celebritate circumferuntur præfatæ Temporum ejus Hiſtoriæ, digniſſimæ quæ ab eruditiſſimis ingeniis legantur; non tamen omnibus Principibus gratæ, ſive ob aliquam Authoris affectum naturalem; aut ob immodicam calami ejus libertatem circa hominum actiones, aut quod alienas Juriſdictiones nimis accuratè deſcribat. Ardenti quodam *Gallicæ* Gentis ſtudio Patriæ multùm adulatus eſt. Non defuerunt qui à Catholiciſmo ipſum exiſtimarint alienum; Sed defenſione & in vita & in morte non caruit. Mundo non autem famæ mortuus eſt anno 1616. *Laurentius Craſſus.* Ital.

Chytræum ſequitur in pleriſque rerum Germanicarum narrationibus, verbis ejus nonniſi leviter mutatis. *Conring.* 15. de urbibus German. Sect. 15.

* Ejus Hiſtoriæ prohibentur in edicto 14. Novemb. 1609. & 30. Jan. 1610. Cum expurgationibus permittuntur in *Ind. Madrit.* 1667.

Præferendæ ſunt *Editiones Pariſinæ*, ab ipſo *Thuano* procuratæ, prima editio an. 1604. & *Genevenſis*, in quâ nonnulla Autoris juſſu ab editore *G. Mich. Lingelsheimio* expuncta, ſinguliſque libris præmiſſus Indiculus Scriptorum, quibus in concinnandâ quâque parte Hiſtoriæ uſus erat. *Boëcler* ad lib. 2. Tac. Hiſt. 92.

Hoc ejus Epitaphium:

Jacobo Auguſto Thuano, Chriſtophori *filio in Regni Conſiliis Adſeſſori, Ampliſſimi Senatûs Præſidi: literarum quæ res divinas & humanas amplectuntur, magno bonorum & eruditorum conſenſu peritiſſimo: Variis legationibus ſummâ ſinceritate ac prudentiâ functo; à Principibus avo ſuo laudatiſſ. eximiè culto: Hiſtoriarum ſcriptori, quod ipſæ paſſim loquuntur, celeberrimo, Chriſtianæ Pietatis antiquæ retinentiſſimo. Parciſſimè cenſuiſſe videtur, qui tali viro ſeculum defuiſſe dixit.* Jacobus Auguſtus Thuanus. Jacobi Auguſti *filius*

Digitized by Google

lius, Ampliſſimi Ordinis Senator & Præſes, tam ſui, quàm Fratrum ac Sororum affectibus obſequens faciendum curavit.

SETHUS CALVISIUS.

Clar. A. D. MDCV.

GErmanus, natus eſt anno 1556. Obiit anno 1615.

Anno Dom. 1605. *Sethus Calviſius* juris publici faciebat *Chronologiam* ſuam: in quâ *Ioſephi Scaligeri* inprimis inſtitit veſtigiis. Atque idem anno 1611. & ſequenti, in lucem dabat *Elenchum Calendarii* à Papâ *Gregorio* 13. comprobati. Duo hæc verò ſibi *Calviſius* in *Elencho* illo propoſuit: ut ex fundamentis *Aſtrologiæ* refelleret *Calendarium Gregorianum*; atque ut novam *Calendarii* rationem, eamque veriorem, & expeditiorem adferret. *Voſſ.* de Mathemat.

Solus ille optimus & eruditiſſimus vir repertus eſt, qui inter *Chronologos* nugari deſiverit. Opus eſt præſtantiſſimum, utiliſſimum, & omni doctrinâ refertiſſimum: *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 240.

Unus tandem, qui inſtar omnium erit, accuratiſſimus & harum literarum peritiſſimus *Sethus Calviſius Germanus*, nuper eruditiſſimum & conſummatiſſimum *Chronicon* edidit, quod totum rationum noſtrarum inſiſtit monumentis: Opus Heroicum, & æternitate dignum. *Scalig.* Epiſt. 439.

Vivet igitur, vivet opus hoc, Sacrarium Temporum, Scrinium æternitatis perpetuorum Faſtorum conditorium. Jam deſitum eſt in *Chronologia* nugari. Nihil in eo ineptum, nihil futile. Omnia plana, perſpicua, ita inter ſe apta, ut ultimo à primis pendeant, media utriſque hæreant. Omnia denique inter ſe reſpondent, & paria cum rationibus noſtris faciunt. *Idem* Epiſt. 308.

Vidi ſuperioribus diebus recentem *Scriptorem*, cujus nomen ex tuis literis primùm mihi innotuit, *Sethum Calviſium* Miratus ſum & magis magiſque miror indies, quî potuerit hactenus tantum ingenium in tenebris deliſere. Sed mihi videtur homo ſimplex, de nominis ſplendore parùm cogitaſſe. Itaque totus ſemel in lucem prodiens majore miraculo nos perculit. Sunt tamen nonnulla in ejus divino opere, de quo velim à te ipſum moneri. Nam quid attinebat *Natalem* à *Comitibus*, & reliquos id genus nuperos *Scriptores*, quorum pars etiamnum vivit, toties laudari: hoc nos iniquo animo ferebamus, in tam erudito viro, & tam reconditæ doctrinæ. Qui ſi nobis eſſet notus, per literas cum ipſo ageremus, ut in proximâ editione hoc ἄβλέπτημα emendaret. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 444. *Ioſ. Scalig.*

Accendit cupiditatem meam tuus ille *Sethus Calviſius*: cujus ingenium quotidie magis me capit: in ſummâ doctrinâ ἀπλὺσαλον ϰ̀ ἀπανεργόπλον: Ille quidem omnia tibi debet, quantus eſt: Sed & tu opinor illi aliquid; quòd ad tua θαυμασιώτατα ſcripta rudioribus iter ſternit. *Caſaub.* Epiſt. 447. ad *Scalig.*

Viri de Republicâ literariâ optimè meriti in eo ſemper fuerunt, ut hæc duo ſtudia (*Hiſtoricum* & *Chronologicum*) amicè conjungerentur, conjunctâ mutuâ diligentiâ excolerentur, ne forte alterum ſine alterius culturâ aliquid amitteret lucis,

lucis aut debitæ dignitatis. In horum numero profectò haud ultimum ſibi vendicare videtur locum excellentiſſimus & famigeratiſſimus *Chronologus Sethus Calviſius*, dum ante luſtra aliquot boni publici cauſa ejuſmodi opus *Chronologicum* elaboravit, quod, teſte *Scaligero*, diu fuit in expectatione, quod multos habuit admiratores, plurimos emptores. *Epiſt.* præfix. edit. 4æ *Calviſ.*

Sethus Calviſius tantam in exquiſitiſſimo opere ſuo *Chronico* oſtendit ingenii acrimoniam ac judicii dexteritatem, ut ſi pares aliquos in hoc genere, ſuperiores ſanè ævo noſtro nullos habuiſſe videatur. Totos viginti annos accurati operis ſui *Chronologici* impendit elaborationi, idque ejuſmodi firmavit *Demonſtrationibus*, ut non ſolùm in totâ *Germaniâ*, ſed etiam apud exteras Nationes mirificè commendata ſit Viri induſtria, nec quiſquam in tantis *Chronologorum* diſſenſionibus facilè inventus fuerit, qui craſſæ cujuſdam falſitatis *Calviſii Chronologiam* arguere, aut convincere *Aſtronomicâ* potuerit veritate. *Theod. Spizel.* in Templo Honor. reſerat.

Sethus Calviſius nupera ſuæ *Chronologiæ* editione, operoſam adeò diligentiam adhibuit, ut nihil quicquam omiſerit, quô verum Hiſtoriarum tempus exquiſitè doceatur. *VVhear.* in 6. Meth. Leg. Hiſt. Civ. Sect. 6.

Sethus Calviſius, vir citra controverſiam in re Chronologicâ verſatiſſimus, ſed nimiùm pronus ad innovandum. *Montacut.* Apparat. 11. Sect. 41.

* Inter *Hæreticos* primæ Claſſis rejicitur *Sethus Calviſius* in Ind. Madrit. edit. 1667.

GALILÆUS GALILÆI.

FLorentinus, celeberrimus Mathematicus, ſuperioribus annis claruit. *Patavii* diſciplinas Mathematicas docuit. Inde *Piſas* à Magno *Hetruriæ* duce vocatus eſt, à quo ſingulis menſibus centenos argenteos nummos magnos, quos *Laminas* vocant, ſalarii loco accepit. Condidit librum, titulo Nuncii ſiderei: item, Dialogum de Syſtemate mundi, in quo ſententiam ſuam de Terræ circa Cœli orbes, nullo agitatos motu converſione aperuit. A quæſitoribus Fidei, *Romam* evocatus & palinodiam publicè canere juſſus eſt. Eidem *inventionem* ſtellarum *Medicearum* tribuunt. Vixit 84. annos, luminibus, ut aiunt, tandem orbatus. *Konig.*

Clar. An. D. MDCV.

Inter eos, qui benè atque præclarè, virtute ingenii, maximarumque rerum ſcientiâ, noſtrâ memoriâ, de *Florentinæ* Civitatis nomine ac dignitate meruerunt, primum ſine dubio locum ac numerum obtinet *Galilæus Galilei*, *Florentiæ* nobili ac vetere proſapiâ, non tamen legitimo toro natus. Etenim quiſnam eſt in toto Orbe terrarum locus ita remotus, ta à nobis locorum intervallo disjunctus, quæ natio tam efferata, tam barbara, ubi aliquis ſit bonis literis honor, in quâ *Galilæi* nomen, omnium ſermonibus ac literis, ſummo cum ejus patriæ, quæ talem virum genuit, honore ac laude non uſurpetur; *Ian. Nic. Erythr. in* Pinacoth.

Digitized by Google

Etſi *Galilæus* præ aliis ad res Aſtronomicas impetu quodam ferebatur, in Philoſophiâ tamen naturali magnâ cum laude verſatus eſt, & in naturam motûs [cui fidem faciunt ſcripta cedro digniſſima] ſupra Antiquos longiſſimè penetravit. *Vit. Hobbian.* Auctar. p. 48.

Inter admiratores, ſi me dixero ſemper fuiſſe, nihil mentiar. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Galilæum*, Septembr. 1636.

Ab *Archimede* nihil ferè actum eſt in *Geometriâ Mechanicâ* uſque ad *Galilæum*, qui exacto judicio magnâque interioris *Geometriæ* notitiâ inſtructus, pomœria ſcientiæ protulit primus, idemque *Solidorum* reſiſtentiam ad *Geometriæ* leges revocare cœpit. *Acta Erudit.* An. 1684. p. 319.

Inter omnes Philoſophos recentiores, qui celeberrimi fuerunt, ſunt *Galilæus Italus: Bacon, Hobbes, Boile Angli; Gaſſendi, Des-Cartes Galli, Van Helmont Belga.* Galilæus omnium ſolertiſſimi ingenii eſſe videtur. Hinc, meo quidem judicio, Neotericæ Philoſophiæ Parens vocari poteſt. Ejus Methodus cum illa *Platonicorum* valde affinis eſt, jucundus eſt ejus ſtylus: & multos tegit nævos ſuo ſcribendi modo. Quamvis è prioribus Philoſophis non pauca exſcripſerit, omnia ex proprio penu deſumpſiſſe videtur, eorumque velut autographum cenſetur, pluribus locis ubi merum apographum tradit. *Rapin.* Animadv. in Philoſophiam. Sect. 18. Gall.

Tanti apud *Gallos* æſtimatus fuit, ut nonnulli illius tantùm videndi causâ, iter in *Italiam* inſtituerint, & à fide digno viro, *Diodatum* quendam nobilem, literis ac virtutibus clarum, *Florentiam* è *Gallia* eo ſolùm nomine contendiſſe, & cum per tredecim dies ſummâ animi oblectatione, de variis *Naturæ* Arcanis ſermonem cum *Galilæo* habuiſſet, ſat ſibi eſſe propter eum *Italiam* vidiſſe ratus, cæteris aliis negotiis neglectis, in *Galliam* quam maximis itineribus celeraſſe. *Leo Allat.* Apes Urbanæ.

Nulla in toto orbe Gens exiſtit apud quam aliquo in pretio ſint Literæ, cui *Galilæi* nomen non innotuerit, quæque gloriam quam præclaris ingenii ejus inventionibus meruit ei non tribuat. Admodum inſignem locum meritò tenere poteſt inter Viros eruditos qui *Florentinam* Civitatem celebrem reddiderunt, Cui natales debet, ſed ex illegitimo concubitu; cùm ope *Tubi*, cujus Adinventor eſt, immenſis Ætheris Regiones pervagatus ſit, abſque Oculorum perſtrictione ſplendidam Solis lucem intuitus ſit, Lunæ Sphæram penetraverit, maculaſque in hac & umbras exploraverit, in Firmamento novas repererit & incognitas Stellas, quas *Medicæas*, à Principum ſuorum cognomine, denominavit. *Iſ. Bullar.* Acad. Scientiarum. Gall.

Nullus unquam Matheſeos Profeſſor extitit qui Scientiam adeo neceſſariam, & adeo nobilem explanaverit cum majori perſpicuitate & puritate, quàm Galilæus, hodie *Florentiam* urbem Patriam incolens, filius *Vincentii Galilæi*, Nobilis politiorum Literarum notitia ſatis celebris, ob varia ejus circa Muſicam opera. Nemo faciliori ratione majorique efficacia reſolvit dubia difficilia & intricata, quæ in ejuſmodi Diſciplinis occurrunt; quod ei facillimum erat propter continua ſtudia & publicas illius Scientiæ lecturas, quibus feliciſſimum

Digitized by Google

mum, & acutiſſimum ingenium ſemper occupavit, quam explicavit non modò *Piſæ* tribus annis, rogatu *Ferdinandi* Primi *Thuſciæ*, Magni Ducis, cui notiſſima erant ejus promerita: Sed etiam *Patavii* toto 18. annorum ſpatio, magno Diſcipulorum confluxu ex variis Gentibus, præſertim verò Nobilium & Magnatum inſigniorum *Ghilini*, Italicè.

Ille mihi videtur meliùs Philoſophari quàm Philoſophorum vulgus, quatenus ab Erroribus Scholæ, quantum poteſt, recedit, & materias Phyſicas rationibus Mathematicis examinare conatur. Eatenus ſanè illi omnino aſtipulor, & puto nullam aliam inveſtigandi veri rationem eſſe. Sed mihi videtur in hoc graviter errare, quòd Digreſſiones ubique faciat nullique materiæ explicandæ ſatis immoretur; quod indicio eſt illum non examinaſſe ordine materias omnes, ſed quorundam tantùm particularium effectuum rationes indagaſſe, omiſſis primis Naturæ cauſis, & ſic abſque fundamento ædificaſſe. Porrò quia ejus Philoſophandi modus eſt vero propior, eò faciliùs errores ejus cognoſci poſſunt, quemadmodum faciliùs eſt judicare utrum à rectâ viâ recedant, qui illam nonnunquam ſequuntur, quàm qui nunquam. *Renat. Deſcart.* par. 2. Epiſt. Epiſt. 91.

Vir in omni *Mathematum* parte ſummus, in Philoſophiâ cæterâ non infimus *Galilæus Galilæi*, Jeſuitarum in ipſum odio ac Principis *Thuſci*, ſub quo vixit, ſocordi metu coactus *Romam* ire, ideo quòd *Terram moviſſet*, non vetante veſtro *Hortenſio*, durè habitus ut majus vitaret malum, quaſi ab Eccleſia edoctus ſua *Scita* reſcidit. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Voſſ. Lut.* 17. Maii 1635.

Extant Opera ejus omnia *Italicè* in *Bolognâ* 1656. in 4°.

Extat *Syſtema Coſmicum*. Ex *Italico Latinè* redditum per *Matthiam Berneggerum* Profeſſorem *Argentorat. Londini* apud *Thomam Dicas* 1663. in 8°.

Hoc ejus Epitaphium:

Galilæo Galilæi Florentino, Philoſopho & Geometræ verè *Lynceo*, Naturæ *Oedipo*, Mirabilium ſemper inventorum Machinatori; qui inconceſſâ adhuc Mortalibus gloriâ Cœlorum Provincias auxit, & Univerſo dedit incrementum. Non enim vitreos Sphærarum Orbes, fragileſque ſtellas conflavit, ſed æterna Mundi corpora *Medicea* beneficentiæ dedicavit, cujus inextincta Gloriæ cupiditas, ut oculos Nationum, ſeculorumque omnium videre doceret, proprios impendit oculos; cùm jam nil amplius haberet Natura quod ipſe videret. Cujus inventa vix intra rerum limites comprehenſa Firmamentum ipſum non ſolùm continet, ſed etiam recipit, Qui relictis tot ſcientiarum monimentis, plura ſecum tulit, quàm reliquit. Gravi enim, ſed nondum affectâ ſenectute novis contemplationibus majorem gloriam affectans inexplebilem ſapientiæ Animam, immaturo nobis obitu, exhalavit, Anno Dom. 1642. Ætatis ſuæ 78.

Xxxxx 4 DAVID

DAVID HOESCHELIUS.

Clar. An. D. MDCV.

GErmanus Bibliothecarius *Auguſtanus*, celebris Philologus, natus eſt ann. 1556. Obiit ann. 1617. Edidit *Siracidem* cum Notis; complures Græcos Autores (*Procopium*, *Photium* &c.) in lucem protraxit, adeoque de re literariâ optimè meruit. *Konig.*

Fuit *Hoſchelius* atque eſſe nunquam deſinet in Doctorum memoriâ lucidiſſimum, non *Germaniæ* tantùm, ſed & totius *Europæ* ſidus, quod ſummi paſſim viri magnifecerunt, & admirati ſunt. Omnes *Davidem Hoeſchelium* ſuſpexerunt, ejuſque certatim ambierunt amicitiam, & familiaritatem, hunc *Græcarum literarum Phoſphorum*, hunc *ruenti Græciæ divinitus ſuſcitatum tibicinem*, hunc *veterum librorum reſtitutorem*.

[*Lateri propior quô nemo* Minervæ,
*Gratior aut Phœbi Pieridumve cliens
Fuerit*]

crebrò ſalutaverunt, hunc immortali laude digniſſimum eſſe judicarunt, eò quòd egregium de *Republicâ Literariâ* benè merendi animum nunquam depoſuiſſet. *Theoph. Spizel.* in *Templo Honor.* referat.

David Hoeſchelius, vir *Græcarum* literarum peritiſſimus, & judicii recti. *Caſaub* Epiſt. 482.

Vir eruditus & induſtrius. *David Hoeſchelius. Lipſ.*

Quantum & hoc præſens, & futura ſecula, tot bonis auctoribus, quos edidiſti, demerearis, ſcriberem tibi, niſi ſcirem te hoc non facturum, niſi intelligere, quantum eo ipſo literas juves, quæ per negligentiam quotidiè pereunt. *Joſ. Scalig.* Epiſt. 389.

Davide Hoeſchelio nemo unquam magis idoneus extitit ad Bibliothecæ gubernationem------Plures *Græcos* Authores ipſi debemus, cum Notulis quæ nihil inutile uſquam continent. *Colomiez* Biblioth. Select. 195. 196. Gall.

Hoeſchelius Lutheranus quidem, ſed Doctus. Niſi ipſum tueretur *Velſerus*, jam expulſus fuiſſet. Pædagogicam admodum ſapit: Sed bonus vir eſt *Hoeſchelius* in ſuo *Procopio* Epiſtolarum mearum, & *Caſauboni* fragmenta quædam excudi curavit. *Hoeſchelius* non eſt magnus *Græcus*, ſed diligentiſſimus. *Scaligerana* poſterior. Gallicè.

Præclarum quoque in *Interpretando* ſibi paravit nomen *David Hoeſchelius*, quô quum nemo eruendis Antiquorum ſcriptis feliciùs incubuerit, tum in iis *Latinè* quandoque reponendis vix ulli primas conceſſit: quòd ſi ſententias non aliquando compleret de ſuo, quæ aliàs ejus eſt in rependendis verbis diligentia, cæterorum luminibus obſtrueret. *Huet.* de Clar. Interpret.

David Hoeſchelius in quodam *Plutarchi* loco pro ὠφελείας legit ἀφελείας *Petrus Faber*, qui ante annos viginti eandem iſti loco medicinam adhibuerat, ipſum

ipſum propterea, licèt blandis verbis, inſimulat *Plagii*. Nobis illa inſimulatio admodum præceps videtur. *Thomas* de *Plag.* num. 467.

* Auctor iſte, *David Hoeſchelius*, *Lutheranus* licèt, varia edidit veterum Auctorum *Græcorum* Opuſcula cum Scholiis, in quibus vix occurrit, quod offendat: exceptis Epiſtolis Dedicatoriis, quæ plerumque ſunt ad Hæreticos. Vid. *Ind. Madrit.* Edit. ann. 1667.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa ſunt.

FRIDERICUS TAUBMANNUS.

GErmanus, in oppidulo *Franconiæ Wonſeſio* natus eſt ann. 1565. Obiit ann. 1613. *Wittebergæ* Poëſin & literas humaniores per 18. annos profeſſus eſt. Compoſuit Commentarios in *Plautum* & *Virgilium*. Scripſit etiam Diſſertationem de *Linguâ Latinâ*. Clar. A. D. MDCV.

Literarum *Græcarum* & *Latinarum* vindex acerrimus, barbariei extirpator longè feliciſſimus, Poëta incomparabilis, ut habet *Lapis Sepulchralis*. Principum ob ſales amor & delicium, charus æqualibus, jucundus amicis, magnus omnibus, benè de bonis literis elucubratis Operibus nulli non notis meritus eſt, inprimis lucubrationibus erudítiſſimis in *Plautum* & *Virgilium*. *Quenſted.*

Magnus *Apollo* vocatur *Pareo*.

Feſtivitatis & Salinarum Arbiter, ſi quis alius mortalium. *Baud.* in Epiſt. quadam.

Homo hominum in illo tractu (*Saxoniâ*) literatiſſimus. *Lipſ.* Centur. 5. Miſcel. Epiſt. 87.

Certè induſtria & elegantia ſimul ingenii tui in concinnando hoc opere (*Plautino*) ſic apparent, ut alii omnes, qui conati, ad tuam accurationem & lucem luſcitioſi videantur. *Lipſ.* ibid.

Taubmannus, omnium *Interpretum* longè optimus. *Tanaquil. Fab.* lib. 2. Epiſt. 16.

De iſto autem tuo opere [*Plautino*] nihil aliud dicam, quàm, in eo ubique & judicii & ingenii, & induſtriæ tuæ manifeſta extare veſtigia: ut, cùm in illud omnium ſuperiorum *Interpretum* labores contribueris plus præſtiteris, quàm ipſi: quòd ii quiſque pro parte ſuâ *Plautum* ſibi devinxerunt; tu ex omnium illorum lucubrationibus totum tuum feciſti. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 465.

Id unum agebat ſemper *Taubmannus*, ut divinæ Poëſeos penetralia juventuti reſeraret; linguam *Latinam* perpurgaret; & bonorum Auctorum editione illuſtraret. Præſtitit hoc omnium doctorum calculo egregiè, ſi quiſquam unquam, in *Plauto* & *Virgilio*. *Melch. Adam.* in Vit. ejus.

Fridericus Taubmannus Poëta melior quàm facilè quis credat. *Barth.* lib. 16. cap. 3. Adverſar.

Vir doctus, probus, ingenuus, *Fridericus Taubmannus*. *Idem* l. 16. c. 14.

Erat *Taubmannus* noſter humanus, affabilis, comis, facundus, placidus, candidus, omnium horarum homo, in ſeriis gravis & ſerius, in aliis jucundus, &

citra omnem affectationem, quæ ſtultorum index eſt, non ſine naturalibus quibuſdam gratiis ac veneribus, liberaliter eruditéque jocoſus, candido ſemper *Mercurii*, nunquam nigro *Momi* ſale ſermones ſuos conſpergens, aut dicaciter alios perſtringens, vel mordaciter inſectans; ſed præſentibus omnibus honeſtam hilaritatem felicitate ſingulari concilians, ut non immeritò, ſi non generis humani, ſaltem virorum eruditorum, aut Academiæ noſtræ *Deliciæ* appellari potuerit. Quo nomine cùm aliorum quorumvis, tùm in primis Principum multorum gratiam & amorem ſingularem promeruit. Erat præterea pro modo facultatum liberalis erga egenos, maximè ſtudioſos, quorum non pauci, benè merendi & juvandi ſtudium ejus ſunt experti. Sæpè alicui opitulaturus, ipſe aliunde mutuo numulos accepit. Erat & officioſus, cùm in expediundis aliorum negotiis, tum intercedendo, tum commendando, tum ad interrogata reſpondendo, tum modis quibuſcunque aliis. *Eraſm. Smidius* in ejus Parentatione.

Præceſſit obitum ejus ſignum quoddam non contemnendum, aut ſilentio involvendum. Inter primos ſtatim dies morbi ſui, quo extinctus eſt, manè expergefactus viſus eſt ſibi videre prope lectum ſuum arcam oblongam, & in eâ virum ſibi ſimilem jacentem. Cumque initio deceptionem viſûs aut imaginationem inanem eſſe putaret, elevato capite prodigium attentiùs aſpexit, & rem ſeſe aliter non habere deprehendit. Quo viſo tantum abeſt ut exterritus fuerit, ut hilariter aliis referret, & præmonitionem divinam agnoſceret. Cui eventus etiam nimis verè reſpondit. *Idem* ibid.

Quæ in Virgilium ſcripſit mera ferè eſt Compilatio eorum quæ ex *Scaligeri Poetica* & ex duobus *Ioviani Pontani* Dialogis, *Actio*, ſcilicet & *Antonio* corraſerat, juxta obſervationem Authoris Anonymi *Bibliographiæ*. Tam timidus autem tamque parum propriæ peritiæ ſibi conſcius erat, ut de ſuo iis ferè nihil addere ſit auſus. Opus poſthumum eſt. Hujus autem reſpectus haberi debet cùm vitia quædam in iis occurrant. *Judicia Eruditorum* Pariſiis 1685. per *Baillettum*. Gall.

Fridericus Taubmannus præter alia Opera, quibus meruit immortalis eſſe, *in Poeſi* quoque multum veræ gloriæ ſibi peperit, ut in *Epicis* & *Elegiacis*, ita præſertim in *Lyrico* genere: Una fortaſſis politioribus minùs probabitur audacior in fabricandis novis & *Latio* inuſitatis vocibus libertas, quam tamen in lepido, & jocoſo metro excuſabit lectoris ingenuitas. *Borrich.* de Poët. p. 137.

* *Friderici Taubmanni* Opera, ſi corrigantur, permittuntur. *Index Madrit.* 1667.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium in Templo Parochiali *Witteberga* erectum:

Friderico Taubmanno Woſenati Franco, *viro pietatis zelo publicè notiſſimo, literarum* Græcarum *&* Latinarum *vindici acerrimo, Barbariei extirpatori feliciſſimo*, Europæ *totius luminis ſplendidiſſimo, Poetæ incomparabili, & humanitatis*

nitatis in celeberrima Wittebergenſium *Academiâ Profeſſori clariſſimo, marito & patri deſideratiſſimo Anno Chriſtiano* 1613. *die* 24. *Martii, ætatis* 48. *piè in Chriſto defuncto monumentum hoc vidua & liberi mæſtiſſimi affectu pio & grato P. C.*

FRANCISCUS BACONUS.

BAro de *Verulam*, Vice-Comes Sancti *Albani*, ſummus *Angliæ* Cancellarius. Natus eſt *Londini* in Palatio *Eboracenſi*, viceſimo ſecundo Januarii, Ann. 1560. Obiit nono die Aprilis, ann. 1626. in ædibus Comitis *Arundellæ* in Villâ de *Highgate* prope *Londinum*. cl. A. D. MDCX.

Symbolum ejus.

MEDIOCRIA FIRMA.

Scripſit Hiſtoriam Regni *Henrici* VII. Regis *Angliæ*: Hiſtoriam Ventorum: De Augmentis Scientiarum: Sermones Fideles: Sylvam Sylvarum. Multaque alia.

Seculi, & gentis ſui decus, ornator & ornamentum literarum. -- Illi Philoſophia *Ariſtotelica* inſipida viſa fuit, non propter vilipendium *Auctoris*, quem ſummis ſemper laudibus evehere in more habuit, ſed propter inefficacitatem viæ; ejuſmodi nimirum cùm eſſet hæc Philoſophia, quæ ad Diſputationes & Contentiones ſolùm nata, ad productionem autem Operum, quæ vitæ humanæ commoda eſſent, ſterilis omninò eſſet. Vit. *Bacon.* præfix. Opp.

Ille magnus *Peireskius* qui in rebus Naturæ maximè verſatus eſt, ſuſpexit Genium, comprobavitque Inſtitutum *Cancellarii Anglorum* Magni, *Franciſci Verulamii*, quem ſæpiùs doluit non conveniſſe, ſuperſtitem adhuc, cùm fuit, venitque poſtremùm *Pariſiis*. *Gaſſend.* in Vit *Peiresk.* l. 6. p. 237.

Henrici Septimi vitam & res geſtas, haud ita pridem nobis repræſentavit Nobiliſſimus Vice-Comes Sancti *Albani*, adeò feliciter adeoque plenè, ut Hiſtoricorum præſtantiſſimos, ſi non ſuperaverit; certò prorsùs æquaverit. *Whear* in Meth. Leg. Hiſt. Civil.

Henrici Septimi Hiſtoriam perſecutus eſt ſeorsìm, eleganter admodum, Cancellarius Regni *Angliæ Baco* de *Verulamio*, qui multum prudentiæ inſeruit, etiamſi non ſit facundus & probè *Latinus* Scriptor. Meritò verò legenda Hiſtoria ejus *Henrici Septimi*, utpotè qui prudentiſſimè rexit Rempublicam. *Herman. Conring.*

Baconi habemus librum ſanè magno judicio ſcriptum de rebus *Henrici* VII. *Grot.* in Epiſt. ad *Maurerium*, 26. Jul. 1629.

Quid ſuavius aut magis politicum *Franciſci Baconi* de *Verulamio*. hiſtoriâ, quam potiſſimâ gratiâ perpetuæ & feliciter congruenterque tranſlatæ comparationes

tiones

Digitized by Google

tiones condiunt? hoc enim de induſtriâ exemplum nominare libet rei, quam deſcriptione, etiam curioſâ, vix ſatis commendaveris. Renovatur denique antiqui moris uſus; quem in *Auguſti* vitâ *Tranquillus* deſcripſit. *Ioh. Boecler. de* eloquent. Politici n. 39.

Sapientiſſimus quondam Angliæ Cancellarius; qui præcipuè noſtro ſeculo velut claſſicum ceciniſſe, & ſignum ſuſtuliſſe videtur, ut in rebus Philoſophicis aliquid ulterius & exquiſititius inveſtigaretur, quàm quô hactenus Scholarum parietes reſonuerant. Sic ut ſi quæ eſt pulchriùs noſtro tempore efflореſcentis Philoſophiæ gratia, iſti viro non minimâ ex parte debeatur. *Sam. Puſendorf.* Specim. Controverſ. cap. 1. ſect. 5.

In ejus effigiem ita *H. Conringius*:

Magnus honore tuis, ſed major, Baco, *fuiſti*
Ingeniô atque atque auſis; ars tibi ſola deeſt.

Magnus ille *Cancellarius* dici poteſt unus ex iis qui Scientiis promovendis maximè allaborarunt. Cum enim illas imperfectiſſimas à Veteribus nobis eſſe traditas animadverteret, Recentiores verò modicos tantùm progreſſus in iis feciſſe, duos conſcripſit libros, ut doceret quibus modis eædem perfici poſſent. Prior inſcribitur, *De Augmentis Scientiarum*, in quo ſtatum præſentem in quo verſantur Scientiæ nobis exhibet, quæque deſiderentur, ut ad perfectionem adducantur nobis oſtendit. Verum aſſerit magnum profectum non eſſe ſperandum in his adinveniendis, niſi adhibeantur alia media quàm quæ hactenus adhibita fuere: demonſtrat enim *Logicam* qua nunc utimur aptiorem eſſe ad *Scholarum* Diſputationes fovendas quàm ad veritatem elucidandam, eâque nos potiùs doceri de vocibus vitilitigare quàm rerum ſubſtantiam penetrare. Unde etiam dicit *Ariſtotelem*, cui artem hanc acceptam ferimus, *Phyſicam* ſuam *Logicæ* ſuæ accommodaſſe, cùm contra *Logicam* ſuam *Phyſicæ* debuiſſet attemperare, illumque naturalem ordinem invertendo, finem mediis ſubjeciſſe. Ad hujuſmodi confuſionem tollendam magnus hic *Cancellarius* alterum Librum elaboravit, quem *Novum Organum* inſcripſit, quo novam *Logicam* docet: cujus præcipuus ſcopus eſt bonam *Inductionem* contexere, quemadmodum Logicæ Ariſtotelicæ finis principalis eſt bonum formare *Syllogiſmum*. Præclarum eſt hoc Opus, fuitque ſemper ab hoc Authore conſideratum, ut omnium quæ elucubravit exquiſitiſſimum. imo illum in hoc elaborando octodecim annos inſudaſſe perhibent, ante illius evulgationem. *Eruditorum Ephemerides.* Gal. 8. Martii 1666.

Opus illud *Novi Organi* (cui ipſe inter opera ſua primas tribuit) neutiquam ſanè cogitatio umbratilis aut cerebri proprii Commentum fuit; ſed veluti fixa & radicata notio, multorum annorum, & laboris improbi proles. Vid. in *Vit. Baconis.*

In libris ſuis componendis, verborum vigorem & perſpicuitatem præcipuè ſectabatur;

Digitized by Google

ſectabatur, non elegantiam aut concinnitatem ſermonis: Inter ſcribendum aut dictandum, ſæpè interrogavit, num ſenſus ejus claré ſatis & perſpicuè redditus eſſet? quippe qui ſciret, æquum eſſe, ut verba famularentur rebus, non res verbis. Neque verò verborum minutiis & alluſionibus capiebatur, ſed eas ſemper ex compoſito & de induſtriâ effugit, probè ſciens, ejuſmodi futilitates nihil aliud eſſe, quàm deviationes & aberrationes à ſcopo propoſito, & gravitati & dignitati ſtyli, non modicum officere & detrahere. Siquidem apud ſuos eloquentiæ *Anglicanæ* Artifex habitus eſt. *Ibidem.*

Baconus eſt ingenium vagum qui de rebus nunquam enucleatè diſſerit: Nimia ejus doctrina eum accuratum eſſe non ſinit. Pleraque ejus dogmata ulterioris meditationis potius anſam præbent, quàm *Axiomata* quæ ſequi teneamur. Ejus opiniones aliquid acuti & ſplendentis habent; & ſi verum de ipſis dicere velimus ignis ſcintillas potiùs quàm conſtantem & nativam lucem referunt. *Rapin.* Animadv. in Philoſ. Sect. 18. Gall.

Plus elucet ingenii in Baconi Moralibus, quàm in cæteris ejus Operibus. Omnia ibi ſcitè cogitata, ſed neſcio an omnia vera. *Rapinus* in *Ethicam* Sect. 9. Gall.

Baconus amorem *Philoſophiæ* apud *Anglos* excitavit. Ingenium fuit vaſtum quoad Phyſicam, non tamen in iis quæ de Phyſicis pertractavit felicior fuit quàm in ſua *Ventorum* Hiſtoria; quamvis paulò nimium credulus dici debeat relationibus hujus materiæ ſibi ſubminiſtratis. Idem. Animadv. in Phyſicam Sect. 9. Gall.

Eques *Nicolaus Baconus* primus fuit Magni Sigilli Cuſtos in quem tota dignitas & authoritas Magni Cancellarii collata fuerit. Nec tamen ad altiorem hunc honorem evectus, nativæ modeſtiæ limites exceſſit: Licet enim Doctiſſimis Pientiſſimis noſtræ Gentiſq; accenſendus eſſet; in illa tamen amplitudine modeſtiam ſervavit qua cum ſuis concivibus in altiſſimum gradum evectis verſabantur Veteres *Græci* & *Romani*. Parens fuit magni Equitis *Franciſci Baconi* S. *Albani* Vice-Comitis & *Magni Angliæ Cancellarii*, qui *Anglicæ* Gentis decus ſummum extitit, ſi quis alius. *Burneti* Hiſtor. Reform. Par. 2. l. 3. pagin. 380. Angl.

Quando quis ſuperioris Seculi Scriptores, cum illis confert, qui noſtro Seculo excellunt, valde conſpicuum eſt inter utroſque diſcrimen. Ipſe etiam Eques *Franciſcus Baconus*, qui primus idiomate noſtro purè ſcripſit, ut etiamnum optimus Authorum noſtratium cenſetur, quibuſdam locis tamen inſolentibus adeò utitur figuris, ut hodie Judicum ſeveriorum approbationem conſequi non valerent. *Burnetti* Præf. in *Utopiam Mort.* Angl.

Quoad ſcribendi elegantiam, claruit Eques *Franciſcus Baconus S. Albani* Vice-Comes, qui præter ejus *Novi Organi* eruditiſſimos libros, Regnum Henrici Septimi Stylo tam dulci ſcripſit, ut inſtar *Mannæ* omnium palatis ſapiat, Eques *Rich. Baker* in ſuo Chronico. Angl.

Extant omnia ejus Opera in fol. *Francofurti* ad *Mœnum* anno 1665.

Hoc ejus Epitaphium, in Cancello Eccleſiæ S. Mich. *apud S.* Albanum.

Franciſcus Bacon Baro de *Verulam*, Sancti *Albani* Vicecomes ; ſeu notioribus Titulis Scientiarum lumen, Facundiæ lex ſic ſedebat. Qui poſtquam omnia Naturalis ſapientiæ & civilis Arcana evolviſſet, Naturæ decretum explevit, compoſita ſolvantur Anno Dom. MDCXXXVI. Ætatis LXVI. Tanti viri Mem. *Thomas Meautus* ſuperſtitis cultor, defuncti Admirator. H. P.

GUALTERUS RAULÆUS.

Clar. An. D. MDCX.

EQues Auratus, in Parochiâ de *Budeley*, in Agro *Devonienſi* natus, inter Commenſales *Orielenſes* eſſe cœpit Anno Dom. 1574. ætatis 16. ubi tempus Gradum *Baccalaurei* in Artibus requiſitum propemodum complevit, ſtudiis *Academicis*, maximè autem politiori literaturâ quàm optimè inſtructus. Ne ſingula perſequar, ſub *Elizabethâ* Regii Satellitii Capitaneus, & *Quinque Portuum Guardianus* fuit, illam verò *Indiæ Occidentalis* partem detexit quam in Dominæ *Reginæ* honorem *Virginiam* nuncupavit. In Turrim denique *Londinenſem* propter ſuſceptam quam ipſe Scriptis mandavit *expeditionem*, compingitur. Demum prævaluere Comitis *Gundamauri*, *Hiſpanorum* legati, artes, is enim viri mortem nolenti Reg. *Jacobo* extorſit, & *Weſtmonaſterii*, in veteris *Palatii* Areâ 29. Octob. Anno 1618. capite plectendum curavit.

Scripſit Tractatum qui adminiſtrandi Regni Artem continet: *Gujanæ* Deſcriptionem Obſervationes in *Artem Nauticam*, aliaque ad *Mare* ſpectantia: Pro expeditione ſuâ *Guianenſi* Apologiam: Monita filio ſuo Poſteriſque conſcripta: Prærogativam *Parlamentorum* in *Angliâ*: Orbis Terrarum Hiſtoriam.

Vir quidem erat eximiis tam Corporis quàm Animi dotibus locupletatus, cui Ingenium, Judicium, & Facundiam, vix alibi ſparſim reperienda, prodiga quaſi in cumulum congeſſit *Natura*. His acceſſit præfracta Induſtria, quâ mentem denique Doctrinæ tenaciſſimam omnimodâ ſcientiâ mirificè excoluit. Ut quod res eſt dicam, ſic natus ſic erat eruditus, ut *Belli Paciſque* munia feliciſſimè obierit, quod enim verò & ipſi tandem in perniciem vertebat, dum tam infinitis meritis & *exteris* metum incuteret, & *Gentilitiorum* ſuorum invidiam excitaret. *Orbem* non modò *terrarum*, ſed & literarium peragravit, & in utroque *Regiones* priùs ignotas detexit; omnibus utilis præterquam ſibi, vir, ſi quis alius, præteriti temporis exemplis, & ſequentium imitatione major. *Anton.* à *Wood.* in Hiſt. & *Antiquit. Univerſ. Oxon.* p. 109.

---Hos autem ſequi poſſunt nonnulli ex *recentioribus*: quos inter, principem locum obtinere meretur *Gualterus Raulæus* noſtras, *Eques Auratus*, vir clari nominis, & ob ſingularem fortitudinem ac prudentiam meliori fato dignus. Is *Univerſalem Hiſtoriam* ab initio Mundi uſque ad *Macedonici* Imperii, ſive tertiæ *Monarchiæ* occaſum, ex probatiſſimis *Auctoribus* coagmentavit, noſtræ

ſtræ quidem Gentis idiomate vernaculo, ſed accurato admodum judicio, methodo perſpicuâ, ſtilo eleganti ac virili. *Whear.* Meth. Leg. Hiſt. ſect. 6.

Si plura deſideres, elegantem ipſius de *Guianâ* librum conſulas, in quo & regiones accuratè quaſi *Indigena* deſcribit, multa de *Guianæ* opulentiâ ex ſplendentibus *Marcaſitis* ibi inventis, ex *Hiſpanicis* Scriptis, ex *Barbarorum* fide, quos minimè intellexit, & ſpe credula; nonnulla etiam quæ fabuloſa videntur de *Amazonibus*, & *Gente* cui ex humerorum prominentiâ vultus in pectore, enarrat: Sed quod nuſquam Gentium *Poeta* & peregrè navigantes reperiunt. *Gul. Candem.* ad an. 1595.

Eques *Gualterus Raleigh* poſtquam in *Turri* aliquandiu detentus fuiſſet magnam illam *Minervam* enixus eſt, Scilicet *Hiſtoriam Mundi*: Qui liber ob accuratam *Chronologiam*, curioſam Contexturam, & omnigenam Eruditionem integri Seculi Opus videtur. Is Hiſtoria eſt quæ nullum hactenus *Detractorem* ſortita eſt, quæque ſi Authoribus quibuſdam ſit adhibenda fides, æmulationem excitavit ipſius Regis *Jacobi* qui ſcribendo ſe à nemine ſuperari poſſe arbitrabatur. Quòd Vir qui majorem vitæ ſuæ partem *Actione* occupaverat tam ſubacto judicio, tamque criticè de *Temporibus* & rebus *geſtis*, ſcripſerit non minus eſt Miraculum quàm ipſe Liber. Diſceptatur adhuc, An *Seculum* quo vixit plus *Calamo* quàm *Enſi* ejus debeat, cum hic *Novo Orbe* ſubigendo, ille verò *Veteri* tam ſplendidè deſcribendo adhibitus fuerit. Hiſtoria eſt cujus unicus Nævus ſeu potius Defectus eſt, quod media ejus pars deſideretur; Cujus hæc fuit occaſio, ut referunt Authores noſtri: Paucis aliquot diebus antequam morti traderetur, Dominum *Walterum Burr* accerſivit, qui antea primum Volumen *Hiſtoriæ* ejus *de Mundo* excuſerat, eumque manu deprehendens, poſt alios quoſdam Sermones, rogavit quomodo id divenderetur? Hoc autem reſponſum remiſit Dominus *Burr*, *Tam lentè divenditur ut me ad incitas redegerit.* Ad quæ hujus verba Eques *Walter*, pluteum ſuum conſcendit, prehenſaque altera Hiſtoriæ ſuæ Parte, quam perduxerat uſque ad ætatem in qua vivebat, manuque pectus ſibi percutiens atque ſuſpirans dixit, *Ah mi Amice! An te Pars prior ad incitas redegit? Te ulterius eò non adiget Pars poſterior; Mundus hic ingratus eâ eſt indignus:* Protinuſque ad focum properans, eam in ignem injecit, pedeque detinuit, donec conſumpta eſſet. Tanta hæc quoad Eruditionem jactura fuit quantam *Chriſtianus Orbis* facere unquam potuiſſet; Eoque major quòd nullâ aliâ quam Authoris manu reparabilis eſt. Id enim ſæpe Authoribus evenit, quod Excellentibus *Pictoribus*, ut ſcilicet eorum *Opera* in pretio non ſint niſi poſt eorum obitum; Poſteritas verò Prototypa deprehendat inimitabilia. Vita Equitis *Walt. Raleigh* excuſa *Londini* 1677. pag. 176. &c. Angl.

Extat Orbis Terrarum Hiſtoria in fol. *Londini* impreſſa 1677.

ROBERTUS BELLARMINUS, Soc. Jeſ.

Clar. An. D. MDCX.

CArdinalis, Natione *Italus*, patriâ *Politianus*, natus eſt quarto die Octobris, anno Dom. 1542. In *Societatem Jeſu* receptus eſt viceſimo die Septembris anno ſalutis 1560. ætatis ſuæ 18. Obiit anno Dom. 1621. die 17. Septembris ætatis ſuæ 79.

Reliquit Libros Controverſiarum, quibus præſertim ſibi purpuræ honorem & gloriam peperit, tum Conciones, Reſponſionem & Apologiam ad *Jacobum Angliæ* Regem, deinde de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* volumen, *Davidici Pſalterii* interpretationem, ac poſtremis vitæ ſuæ annis, de Gemitu Columbæ, de Arte bene Moriendi, aliaque Opuſcula edidit.

Robertus Bellarminus, in *Romanâ* arenâ præcipuus Athleta, & *Pontificatûs* propugnator acerrimus, qui contra Ordinis ſui decreta & votum initiationis, *Cardinalis* factus eſt, & *Capuanus* Archiepiſcopus. Tantæ is apud ſuos autoritatis eſt, ut alter *Athanaſius* atque alter *Auguſtinus* ſeculi noſtri, *Spiritûs Sancti Amanuenſis*, validus *Eccleſiæ Dei Coloſſus*, Fidei *Hyperaſpiſtes*, & *Hæreſium ſtrator*, &c. audiat, & cum hoc elogio à *Clemente* VIII. Papâ Cardinalis nominatus ſit: Hunc eligimus, quia non habet parem Eccleſia Dei, quoad doctrinam, & quia eſt nepos optimi & Sanctiſſimi Pontificis (nempe *Marcelli* II.) qui dixiſſe fertur, non videre ſe, quomodo, qui *Papale* faſtigium tenerent, ſaluti ſuæ conſulere poſſint. *Quenſted.*

Vir magnus eſt *Cardinalis Bellarminus*, & de *Romanâ Eccleſia* benè meritus, inquiunt multi. Non jam diſputo, benè an ſecus de *Eccleſiâ Romanâ* eſſe meritus dici queat, is cujus *Scripta* tantum juſtiſſimæ invidiæ *Sedi* illi & *Pontifici* conflarunt. Poterat certè *Bellarminus* & de R. E. & de univerſo nomine *Chriſtiano* mereri haut paulò melius, ſi ingenium quo excellit & doctrinam pro charitatis fervore ſuccenſus, ad tollendam potius quàm augendam *Eccleſiæ* ſciſſuram contuliſſet; ſi quanto ſtudio & diligentiâ Principibus terribilem *Papæ* omnipotentiam, & Spiritum Superbiæ *Eccleſiæ* exitiabilem, tot lucubrationibus ſuis acerrimè propugnavit, tantum ſtudii & diligentiæ impendiſſet, ut malis Eccleſiæ per aliquot jam ſecula aſſiduè gementis, & ad priſtinam diſciplinam revocari geſtientis, aliquod pro ſuâ virili, remedium procuraſſet. Tunc verè *Magnus Bellarminus* ab univerſi Orbis *Chriſtianis* audiret: tunc unanimi concentu, *Principes* pariter & Principum *ſubditi*, laudes ejus nomenque celebrarent. Nunc quo pacto ſine perfidiæ notâ fideles *Principum* ſubditi laudabunt, quæ contra *Regum Jura* & in *Principum* certam *perniciem* Card. *Bellarminus* ſcripſit tam multa? *Caſaub.* Epiſt. 624. ad *Frontonem Ducæum*, p. 723.

Vir erat, haud inficior, admirandæ induſtriæ, doctrinæ, lectionis ſtupendæ *Bellarminus*: qui ut primus ita ſolus immanem illam molem, & immenſum chaos controverſiarum, ſtupendâ ingenii dexteri felicitate, artificio ſingulari excoluit, in ordinem redegit confuſum prius: accuratâ diligentiâ, & multorum annorum ſtudio eleganter expolivit: præripuit ille palmam ſecuturis omnibus, & ſibi

Digitized by Google

& ſibi deſponſatam vel deſtinatam cuicunque laudem abſtulit. Nam ab illo, qui tractant hodiè *Controverſias*, ut ab *Homero* Poëtæ, ſua omnia ferè mutuantur. *Montacut.* præf. ad Apparat. ſect. 56.

Methodus quam ſuo in *Pſalmos* Commentario ſecutus eſt Cardinalis *Bellarminus* bona eſt, eoque digna. Hebraicum Textum examinat, qui eſt Prototypum, deinde duas Verſiones veteres quas authenticas declaravit Eccleſia. Non eſt tamen criticus, & mediocriter tantùm *Hebraicæ* Linguæ peritum ſe prodit: adeo ut quandoque labatur. Quoniam poſt *Genebrardum* ſcripſit, ab illo tranſumſit ferè omnia quæ Grammaticam & Criticen ſpectant, paucis tantum immutatis. Sunt etiam loca quæ magis ad literam & juxta ſenſum Hiſtoricum explanare potuiſſet: Sed veroſimillimum eſt eum hoc conſultò feciſſe ut Chriſtianis utilior foret Commentarius ſuus. Oratorii Presbyter *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 12. Gallicè.

Bellarminum judico virum doctum, ingenio felici, judicio ſubtili, lectione multiplici præditum, qui ſolet apertiùs & ſimpliciùs agere, quàm reliqui Papiſtæ conſueverunt, & argumentum presſiùs urget, & arctiùs ad cauſam adhæreſcit. *Whitaker* in præfat. de Scriptoribus.

Staturâ fuit puſillæ proximâ, collô brevi, nec ſanè nimis eleganti formâ: quamvis ejus animi ingeniique probitas pulchritudoque in ore emicaret. *I. Nicius* in Pinacoth.

Bellarminus nihil in Hebraicis ſcivit conſideratu dignum. Ferunt eum adornaſſe Grammaticam quæ bona perhibetur. Licet mihi dono darentur Bellarmini Opera, ea reſpuerem; Lectorum enim oculos perſtringere conatur. *Bellarminus* nihil eorum credit quæ ſcribit; planè eſt Atheus. *Scaligerana* poſterior. Gall.

Cardinalis *Bellarminus* egregii eſt ingenii & dilucidisſimi; cum incidit in aliquod Argumentum accuratè diſcuſſum & examinatum ab aliis, hoc mirificè illuſtravit, ingenii ſui acumine ac puritate; Sed cum Argumentum reperit adhuc intricatum, & valde confuſum, mens ejus in ea perſtringitur. Sæpius utitur Verſionibus *Patrum Græcorum*, ipſos fontes negligendo, quod miror; Græcè enim eruditus erat. *Perroniana*, Gallicè.

Magnam ſibi paravit famam libro ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*: cujus ope innotuit ut multæ lectionis & ingenii ſagacis Vir. *G. Calixtus* celebris Proteſtans dicebat hoc omnium Scriptorum ejus optimum eſſe. Partium ſtudio culpatur; quòd Authores quoſdam damnaverit inſpecto tantùm titulo librorum, qui diſſerunt de disſidiis inter *Papas* & *Principes* Seculares; quòd quaſdam Verſiones improbaverit Authorum bonæ notæ eo prætextu quòd ab Hæreticis elucubratæ fuiſſent, quamvis in iis fidi fuerint Interpretes. Fatendum etiam eum quandoque in *Criticis* hallucinari & *Chronologicis*. Verùm duo iſti nævi ultimi venia digni ſunt, ſi attendatur ingens obſervationum ejus egregiarum numerus, Optandum eſſet ut Authorum probatis editionibus uſus eſſet, plus ſolaminis & auxilii ex ipſis percepiſſet. Judicium Eruditorum Pariſiis per *Baillettum.* 1685. Gall.

Sapienter *Patres Curiæ Pariſienſis* fecere; qui *Inſtitutionem Marianæ* Jeſuitæ ultricibus flammis addixerunt: ſed ſapientiſſimè, quòd *Roberti Bellarmini* Cardinalis, cujus ore tota *Jeſuitica Societas* loquitur, librum de temporali poteſtate Papæ adversùs *Gulielmum Barclaium* librum SCto, damnaverunt, & ſub pœnâ læſæ Majeſtatis habere, retinere, communicare, excudere, vendere vetuerunt. Hoc decretum eſt Anno 1610. *Herman. Conring.*

In *Elenčticis* primæ jure debentur, ſi ſtudium ſpectes, & eruditionem, *Bellarmin. Hottinger*. Biblioth. Quadripart. p. 419.

Eſt tamen *Baronius Bellarmino* melior, homine ad *Strophas, Sophiſmata, Mendacia* apto, nulli alii rei idoneo. Norma illi *veri* eſt non *Sacra Scriptura*, ſed libido *Papæ*, quem ut *Deum* in terris conſtituat, quàm ſceleſtè, quàm ſæpè mentitur. *Caſaub.* Epiſt. ad N. N. *Londini* v. Eid. Mart. 1613.

Sub initium porrò hujus ſæculi *Robertus Bellarminus* librum edidit de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui inter præcipuos hujus argumenti libros non immeritò numeratur; bis *Coloniæ*, tertiùm *Lugduni* impreſſus. Niſi quòd & ipſe *Proteſtantium* Scriptorum planè nullam habeat rationem, idque ex omnibus manifeſto odio. *Valentin. Henr. Vogler.* Introduct. Univerſal. in Notit. Scriptor. c. 6.

* Tractatus de Poteſtate Pontificis *Romani* in Temporalibus adverſus *Gulielmum Barclaium*, cenſurâ notatus & vetitus in *Galliâ*.

Extant Opera ejus 7. Tomis, *Ingolſt.* 1601. & *Col. Agr.* 1617.

Hoc ejus Epitaphium, quod in Collegio Cardinalium reperitur:

Die 17. Septembris 1621. Reverendiſſimus Dom. Robertus Bellarminus, *Presbyter Cardinalis, de Monte* Politiano, *ex Venerabili Societate* Jeſu, *hâc die, horâ duodecima de regione mortuorum tranſivit ad regiones vivorum. Vir Clariſſimus, Theologus eminentiſſimus, ac fidei Catholicæ propugnator acerrimus. Hæreticorum malleus, æquè pius, prudens, humilis, ac ſummè eleemoſynarius: Sacrum Collegium Cardinalium, ac univerſa Curia* Romana *tanti viri amiſſionem, non ſine lachrymis maximè indoluêre.*

JOANNES BUXTORFIUS, Senior.

Clar. An. D. MDCX. HAmmoniâ *Weſtphalus*, ex familiâ inter ſuos illuſtri: cùm *Baſileæ* ſtudiorum causâ degeret, ob eximiam in *Hebraica* literaturâ peritiam, S. Linguæ hujus Cathedræ ibi tum vacanti admotus, ſpem de ſe conceptam tam magnificè implevit, ut brevi *Rabbinorum Magiſter*, meritò audiret. Obiit anno 1629. Ætat. 65. *Baſileæ Hofman.* in Lexic.

Scripſit Epitomen Grammatices---Manuale *Hebraicum*----Lexicon *Hebraico--Chaldaicum*---Theſaurum---Grammaticam *Chaldaico--Syriacam*----Synagogam *Judaicam*-----Abbreviaturas *Hebræorum*------Epiſtolas *Hebraicas*----Præfuit

Digitized by Google

fuit Operi *Biblico*, cui *Tiberiadem* adjunxit. Affecit Concordantias & Lexicon. *Chaldai o-Rabbinico-Thalmudicum*, &c. Reliquit *Babylonian*, adhuc *dividendum*.

Joannes Buxtorfius, Linguæ *Hebrææ* in Academiâ *Baſileenſi* Profeſſor, *Hebraiſmi Phœnix*, doctiſſimus *Chriſtianorum Rabbi*. *Quenſted*.

Doctiſſimus *Buxtorfius*; & Lexicographorum doctiſſimus; ſæpiſſimè vocatur à *Bocharto* in Geograph. Sac.

Buxtorfius in admirando Opere *Syntactico*, quod Clariſſimus *Ludovicus de Dieu* ſibi Clavem Scripturæ *Biblicæ* eſſe adfirmat; ac omnibus Theologiæ ſtudioſis commendat. *Dilher*. Tom. 2. Diſputat. Academic.

Buxtorfii Lexicon *Chaldaicum*, *Talmudicum*, & *Rabbinicum*, Opus triginta annorum, cui nihil tale Sol unquam aſpexit aut ſimile. *Edm. Leigh*.

Ut nuper obſervatum eſt à doctiſſimo amico noſtro *Joanne Buxtorfio*, Linguæ *Hebraicæ* & omnium *Iudaicorum* Inſtitutorum peritiſſimo. *Iſ. Caſaub.* ad Annal. *Baron.* An. 34. num. 127.

Quô [*Buxtorfio*] *Hebraicarum* literarum intelligentiorem, magiſque in *Rabbinicis* & *Talmudicis* exercitatum *Europa* habet neminem. *Voſſ.* in Orat. in obit. *Thom. Erpenii*.

Buxtorfius Synagogam Iudaicam elaboravit quæ bona eſt, ſed plures voces non intelligit, quas perperam interpretatur. *Buxtorfius* alius planè Vir eſt quàm *Waſerus*. Doctus eſt, imò unicus Doctus Hebraicè. Hodie nullum præter eum habemus Virum in Hebraicis præclarum. Mirum quomodo *Buxtorfius* ametur à *Iudæis*: In illa tamen *Synagoga Iudaica* illos valde perſtringit. Reliquit multos errores in Epiſtolis *Iudaicis*. *Scaligerana* 2. Gall.

Buxtorfius Hebræorum decus immortale. *Mayer.* in Philolog. Sac.

Eruditiſſimus pariter ac laborioſiſſimus *Buxtorfius*, cujus præclarâ & indefatigabili operâ, in ipſa adyta intimaque idiomatis *Hebræi* penetralia in dies ſingulos ſtudioſi magis ſemper magiſque deducuntur. *Edv. Leigh*, Not. in Crit. Sac. præfat. ad Lector.

Suis Lucubrationibus tantam nominis celebritatem fuit conſecutus, ut non tantum *omnia Exemplaria* brevi tempore diſtracta, & aliquoties magno numero recuſa, verùm etiam, ut nullus in *Orbe Chriſtiano* locus daretur in quo *Buxtorfius* non eſſet admirationi. Omnia pulpita *Linguæ Sanctæ* Præceptorem, & propemodum unicum agnoſcere cœperunt *Buxtorfium*. *Iudæi* per totam *Germaniam*, *Poloniam*, *Moraviam*, *Bohemiam*, *Italiam* creberrimis illum *literis* fatigarunt, adeò ut non *Centurias*, ſed *Myriadas Hebraicarum* Epiſtolarum à diverſis *Iudæis* exaratarum in ipſius *Bibliotheca* reperire ſit: quin integræ *Synagogæ* ex omnibus Mundi angulis *Buxtorfium* publicis *literis* ſalutarunt, & mirum in modum deprædicarunt. *Dan. Toſſan.* in Orat. de Vit. & Obit. *Ioan. Buxtorf.* vid. *Henning. Witte* in Memor. Philoſoph. p. 313.

Duo Buxtorfii qui multam, inter proteſtantes cumprimis, famam ſibi pepererunt, in pleriſque Scriptorum ſuorum nihil niſi præconceptam exiſtimationem Rabbinicarum opinionum exhibent, cæteris Authoribus minimè conſultis. Or. Presb. *Rich. Simon*, Præfat. Hiſt. Crit. V. T. Gall.

Plerique

Plerique eorum qui hodie ſuam in *Hebraïca* lingua peritiam venditant, nullum ferè magiſtrum alium habent quàm *Buxtorfii* Lexicon, quod omnibus præſtare cenſuerunt, quia omnium compendioſiſſimum & maximè methodicum eſt. Omnium tamen anguſtiſſimum eſt in *Hebraicarum* vocum ſignificatione. Normam ſibi præfixit Rabbinorum libros. Idem Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 2. Gall.

Cavendum autem à quibuſdam *Rabbinorum* & *Cabaliſtarum* commentis & fabellis, quas inter explicandas *Hebraicas* voces ſparſim miſcet *Buxtorfius*. *Index Madrit*. 1667. p. 56.

* *Lexicon Buxtorfii*; ejuſdemque liber, cui titulus, *Ioannis Buxtorfii* Theſaurus Grammaticus Linguæ Sanctæ *Hebraicæ* duobus libris methodicè propoſitus, expunctis autem Litteris Dedicatoriis, permittitur in Decreto 4. Julii 1661.

Extat Manuale *Hebraicum* & *Chaldaicum*. *Baſil*. 1602. 1613. 1630. 1658. in 12°.

Extat *Synagoga Judaica*. *Baſil*. 1603. 1641. 1661. in 8°. *Hanov*. 1614. 1622. in 12°.

Extat Lexicon *Hebraicum* & *Chaldaicum*. *Amſtelod*. 1654. in 8°.

In obitum Summi Viri *Joan. Buxtorfii* ſic cecinit *Ludovicus* de *Dieu*:

Siccine Muſarum privaſti luce parentem
Tetra lues? nunquam lux ea morte perit.
Ætherea quamvis non veſcitur amplius aurâ,
Æterna hunc fama vivere fata volunt.
Tu mea mens moritor, tu ſanctam deſere linguam:
Tu Targum, Talmud, abjice, perde, cave:
Si tibi quando viri moritur nomenque decuſque,
Qui tibi, dum vixit, vivere mente dedit.
Plangite, Judæi, *qui veſtram diſcere linguam*
Vos docuit, cecidit, nec rediturus abeſt.
Plangite Rabbini, *qui vobis veſtra recluſit*
Abdita, jam irato abſcondidit illa Deo.
Plangite, quos Chriſtus *cara ſibi morte redemit,*
Dux vobis, doctor, luxque decuſque jacet.

Hoc ejus *Epitaphium*:

C. S.

Ioanni Buxtorfio Camenſi Weſtphalo, Linguæ Sanctæ in *Baſ. Athenæo* Profeſſori per Ann. 38. Quem Linguarum *Orientalium Hebrææ, Chaldææ, Syræ*, exacta cognitio cum Monumentis Literar. incomparabilibus Urbi & Orbi admirabilem reddiderunt; Lue peſtiferâ magnis Laboribus eheu! præmaturè

turè erepto, *Margareta Curionia* Conjux Liberique mœſtiſſ. Mirat. Parent. deſideratiſſ. C. L. P. P. B. Ann. 65. & Ann. 1629. Ibid. Sept.

JOANNES AUDOENUS, vu'gò *OWEN.*

Natus in Villâ *Armon*, in Comitatu *Caernarvanienſi*, bonarum literarum elementa, auſpiciis Doctoris *Beſon*, in Scholâ *Wintonienſi* hauſit; Collegii verò *Novi* Socius emicuit Anno 1584. eundemque exuit anno 1591. quô tempore LL. *Baccalaureatu* ornatus comparuit, & *Ludo* deinceps *Literario*; *Trylegiæ* haud procul ab urbe *Monumethenſi*, præfuiſſe perhibetur. Epigrammata ſcripſit. Clar. A. D. MDCX.

Virum hunc *Ingenii* eximii dotibus inſtruxerat *Natura*; *Arte* verò *Poëticâ*, inter Coævos præſertim excelluit, id quod *Epigrammatum* libri ab ipſo editi ſatis teſtantur; in quibus liberius quidem jocatur, vitiaque humana haud inſulsè plerumque notat; ſalibus & facetiis ſeculi quo vixit ingenio accommodati: Morbo Poëtas inter epidemicos, egeſtate nimirum, graviſſimè conflictabatur. Doctoris autem *Ioannis Wiliams*, Epiſcopi *Lincolnienſis*, magnique *Sigilli* cuſtodis, popularis verò ſui, patrocinio ſublevatus, annis benè multis melius habuit. Porrò dicitur, ipſum ab hæreditate admodum amplâ dimotum, quam ab Avunculo locuplete expectaverat, ob hæc ipſa quæ ſuperiùs apposui *Carmina*: adeo fatali lege *Mendicitas Poëtas* conſequitur & *Vates* ingenio, acuto nimis telo, pereunt ſuo *Ant.* à *Wood* in Hiſt. & Antiquit. *Oxon.*

Ioannem Ovvenum Cambro-Britannum ipſe *Muſa* enutriiſſe videntur, adeo in *Epigrammatis* ejus pleriſque nervi, argutiæ, venuſtas inter ſe de palmâ contendunt. Non turget, non inhorreſcit, non anxiè quærit *Sales* ſuos, ut qui ſponte ſe offerunt, & calamo currenti propemodum innaſcuntur. Sed, ne quid diſſimulemus, in ſordibus & obſcœnis frequentiùs volutatur, caſtoſque animos ſæpè exulcerat. Quoties ipſi acumen parit ſpurcities? quoties furtum meretriculæ: quoties cavilla! Viciſſet *Martialem*, niſi hâc parte ad eum acceſſiſſet propiùs. Eſt &, quanquam rarius, ubi in Quantitate *Syllabarum*, eſt ubi in Dictionis *Latinæ* munditiem impingit, quod ipſi cum celebratiſſimo aliàs *Barclaio* commune. Sed hos nævos magnis redimit virtutibus. *Borrich.* de Poët. p. 55. Multa ingenioſè ſcripſit *Ovvenus* in iſto Carminum genere: ſed intercurrunt non pauca vilioris monetæ. Magno applauſu apud *Anglos* leguntur. *Caſp. Barlæus* in Epiſt. 888.

Notetur proprium ejus de ſeipſo judicium:

Qui Legis iſta, tuam reprehendo, ſi mea laudas
Omnia, ſtultitiam: ſi nihil, invidiam.

Ingeniis ſui ſeculi elegantiſſimis accenſendus erat quodque Poëtæ rarò contingit, ejus id fuit judicium; eaque prudentia ut animadverteret genium &

 dotes

Digitized by Google

doteſ ejus *Epigrammatis* limitibus coerceri debere, ſuique ſatis compos fuerit, ut illos non tranſiluerit. *Judicia Eruditorum Pariſiis* 1686. Per *Bailletum*. Gal.

Ioannes Ovvenenius Oxonienſis Britannus, Poeta ſalaciſſimus hunc honorem Seculo noſtro conſecutus eſt, ut inter prima ingenia collocaretur quoad argutorum Epigrammatum Latinam compoſitionem. In gloriæ ejus incrementum, à ſuis Conterraneis frequentiſſimè *Martialis Anglicus* cognominatus fuit, ob ſententiarum acumen, carminumque jucunditatem, quippe quæ non legantur quin feſtivitas cum Satyra in eorum contextu ſociata mirificè lectorem delectent. Periti artis Poeticæ æſtimatores qui hujus ingenii pondus ex ejus evulgatorum lectione trutinaverunt, judicârunt eum eſſe Poetam argutiſſimum, undequaque floridum, parum tamen cultorem genuinarum Latinæ Poeſeos phraſeon, quibus vel Veteres vel neoterici ipſorum imitatores uſi ſunt: Quia ſcilicet *Ioannes* de ſtyli ſublimitate & puritate, verborumque ad locutionis exornationem delectu parum ſollicitus fuit, mentis conceptus quocumque tandem modo exprimere contentus. Si verò debitis circunſtantiis Scripta ſua ſtipaviſſet, Poetis innumeris palmam dubio procul præripuiſſet. *Laurentius Craſſus*. Italicè.

* Hic Author propter *Epigrammata* varia rejicitur inter *Hæreticos* primæ *Claſſis*, maximè autem propter *Diſtichon* illud:

> *An* Petrus *fuerit* Romæ *ſub judice lis eſt*;
> Simonem Romæ *nemo fuiſſe negat*.

E vivis migravit eodem ferè tempore quo eruditiſſimus *Camdenus*, an. nimirum 1623. inque Navi Eccleſiæ Cathedralis *Paulinæ Londini* terræ mandatus eſt, funere Antiſtitis præfati (*Ioannis Williams*, Epiſc. *Lincolnienſis*) impenſis ſolemnem in modum deducto, qui viri porro effigiem, lauro tempora redimitam, Columnæ tumulo propinquæ affigendam curavit, *Epitaphio* iſto inferius appoſito.

> *Parva tibi ſtatua eſt, quia parva ſtatura, ſupellex*
> *Parva, volat parvus magna per ora liber:*
> *Sed non parvus honos, non parva eſt Gloria, quippe*
> *Ingenio haud quicquam eſt majus in orbe tuo.*
> *Parva domus texit, Templum ſed grande; Poëta*
> *Tum verè vitam, quum moriuntur, agunt.*

THOMAS DEMPSTERUS.

clar. An. D. MDCX.

S*Cotus*, nobilis ſtemmate profatus, amiſſis in patriâ fortunis, cùm ea Religioni Reformatæ Pontificiam judicaret poſthabendam, *Lutetiam Pariſiorum* venit

Digitized by Google

venit. Juris peritus, humanioribus in eâ urbe literis, quas juventuti tradebat, rem gloriamque conſequebatur. Tandem in *Bonenienſium* Academiâ Profeſſor, obiit anno Dom. 1625.

Scripta ejus ſunt: Commentarii in *Roſinum*, de Antiquitatibus *Romanorum*--- Commentarii in *Corippum* Poëtam *Africanum*, & *Claudianum*---Epiſtolarum libri quatuordecim --- Coſmographia --- Mythologia --- Judicium de unoquoque ætatis cujuſvis Hiſtorico ---- Libri quinque & triginta *Hiſtoria Scotia*, &c.

Erat *Thomas Dempſterus*, utì refert *Matthaus Peregrinus*, indefeſſus in legendo, ita ut quatuordecim diei horas in librorum lectione continuare ſoleret. Mentis acumine ſatis valuit, ſed memoriæ tenacitate longè plurimùm, adeò ut multoties diceret, ignorare ſe quid ſit oblivio. Nihil adeo abditum in Antiquitatis monumentis, cujus non meminiſſet; ita ut *Franciſcus Coſpius*, vir in literis omni comparatione major, *Dempſterum* magnam Bibliothecam loquentem compellare conſueverit. Stylus ei copioſus, confragoſus tamen. Moribus apertus & ſimulandi neſcius; ſive amore odiove quempiam proſequeretur, utrumque palam. Ut amicis obſequentiſſimus, ita inimicis maximè infenſus. *Aub. Miraus.*

Nicius Erythraus refert, hominem admodum contentioſum fuiſſe, & leviter re vel verbo laceſſitum, continuò ad arma rixaſque decurriſſe: unde factum, ut omnibus formidabilis fieret. Illi verò gloriam (ut ait *Erythraus*) multiplex rerum ſcientia, reconditæ exquiſitæque literæ, & incredibilis memoriæ magnitudo confecerat. *Ian. Nic. Erythr.* in Pinacoth.

Neque enim hîc aſſentior *Dempſtero*, reconditæ alioquin doctrinæ & multiplicis eruditionis viro. *Fel. Oſius* in Not. ad *Albertini Muſſati* prolog. Hiſt. Auguſt.

Benè de *Corippo* meritum eruditiſſimum virum *Thomam Dempſterum*, nulla ætas negabit. *Barth.* Adverſar. l. 21. c. 13.

In *Galliis* eum [*Claudianum*] tractat *Thomas Dempſterus*, cujus nuper Antiquitates commodo ſanè optimo juventutis publicatæ ſunt. *Euſtath. Suvart.* l. 2. Analect. c. 11.

Multiſciæ lectionis & eruditionis vir *Dempſterus. Dilher.* Diſput. Acad.

Thomas Dempſterus, eruditus *Scotus*, beneque de literis meritus *Voſſ.* de Vit. Serm. l. 1. c. 10.

Eccleſiaſticam *Scotia* Hiſtoriam 19. libris nobis tradidit, ubi de Regionis illius Literatis multa refert. Sed quamvis cætera doctus eſſet, non ideo æquioris animi cenſor, nec ſolidioris judicii, nec ſincerioris conſcientiæ Vir fuit. Optaſſet *Eruditos* omnes *Scotos* eſſe: Librorum qui nunquam extiterunt titulos commentus eſt ad Patriæ ſuæ gloriam illuſtrandam, variaſque alias fraudes commiſit, quibus apud Literatos nomen ſuum infame reddidit, *Iudicia Eruditorum. Pariſ.* 1685. per *Bailletum.* Gallicè.

Verùm *Angli*, atque *Hiberni* arguunt *Dempſterum* commentum eſſe pleraque, ut *Scotos* ſuos ad eruditionis palmam efferret. Videndi præ cæteris *Uſſerius*,

Digitized by Google

Woraeus, &c. *Ant. Teiſſier* in Catal. Auctor, & Bibliothec.

Dempſterus in ſuum *Scriptorum Scotiæ* Catalogum, pro libidine ſuâ *Anglos*, *Wallos* & *Hibernos* paſſim retulit, & ad aſſertiones ſuas firmandas, finxit ſæpiſſimè Authores, Opera, locos, & tempora. *Iac.Warrhaus* de Scriptor. *Hibern.* p. 119.

----Commenti genus eſt illi homini(*Dempſtero*) non minus familiare, quàm librorum qui nunquam ſcripti ſunt ex ipſius otioſo deprompta cerebro recenſio. *Iac. Uſſer.* de *Britan. Eccleſ.* Primord. 463.

Thomas Dempſterus, homo multæ lectionis, ſed nullius planè judicii. *Uſſer.* Antiquit. *Britan.* Eccleſ. c. 1.

Quod verò *Dempſterus* Hiſt. *Scot.* lib. 6.num.536.affirmat, *Faſtidium* noſtrum *Scotorum Chronicon* ſcripſiſſe, id homini nugivendulo, & in Gentis ſuæ rebus penè ſemper ineptienti condonandum eſt. *Gul. Cave* ad Ann. *Chr.* 420.

Prætereo *Muſcam* ejus, lepidum Carmen, ſed non indoctum, & in quo eas *Dempſterus* ſignavit lineas, quæ manum *Apelleam* clarè teſtentur. *Borrich.* de Poët. p. 151.

* *Scotia* illuſtrior *Thomæ Dempſteri* prohibetur. Liber quoque inſcriptus *Hiberniæ*, ſive Antiquioris *Scotiæ* vindiciæ adverſus immodeſtam Parecbaſim *Thomæ Dempſteri* in Decreto 17. Decembris 1623. prohibitus fuit. *Thomæ Dempſteri* de antiquitate *Romanorum* liber, prohibetur, donec corrigatur, in decreto 16. Martii 1621.

Extant ejus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis *Scotorum* lib. 19. *Bononiæ* Typis *Nicol. Thebaldini* 1627. 4°.

Extat Romanarum Antiquitatum Auctarium ad *Ioan. Roſinum*, unà cum *Roſino* excuſum *Coloniæ Allobrogum*, Typis *Gabr. Cartierii* 1613. in 4°. *Coloniæ Agrip.* apud *Kalcovium* 1662. 4°.& curâ *Screvelii Lugd. Bat.* cum fig. æn. anno eodem.

Hoc ejus Epitaphium.

Lugete, Boni, lugete, Docti, Thomas Dempſterus *inclytus ille veſter hic conditur, ubi* Aſtream, *Poëſim, literas ſatius condi fuerat.* Scotia *glorioſè genuit*, Italia *providè rapuit*, Felſina *piè tumulavit. Æthere ſpiritus, hoc lapide cinis, ſcriptis ingenium, ubique gloria eminet, colitur. Tot magna diutius tam arcto claudi limite invidioſum fuerat, Academia Noctis tanti ſui ſyderis occaſum deflens, lacrymarum vitali ore magis quàm celsè loquacem vobis exponit lapidem.*

FRONTO DUCÆUS, *Soc. Jeſ.*

Clar. An. D. MDCX.

NAtione *Gallus* Patriâ *Burdegalenſis*, parentem habuit in eâ urbe Senatorem. Obiit ann. 1623. die 25. Septembris. Vir fuit eruditione, & morum ſuavitate carus etiam iis, qui iniquiore animo in Societatem erant; ut vulgò paſſim à maledictis in noſtrum ordinem vibratis exceptum eum eſſe vellent.

Anti quitatis

Digitized by Google

Antiquitatis totius cognitione maximè nobilis fuit. Certè ad laborem fuit impigerrimus, perdius in libris & pernox, tantâ ſui abjectione & deſpicientiâ, ut nullum domi tenuiorem crederes. *Phil. Alegambe.*

Multa S. *Patrum* Opera recenſuit Notiſque illuſtravit, ut *Gregorii Nazianzeni*, *Nyſſeni*, *Baſilii*, *Chryſoſtomi*. Scripſit præterea Collectanea in *Clementem Alexandrinum*. Denique etiam edi curavit Bibliothecam *Græcorum Patrum*.

Fronto Ducæus Theologus, doctrinâ & candore morum vir inſignis. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 496. ad *Joſ. Scalig.* 562.

Fronto noſter, vir profectò melior, quàm ut pro germano *Loiolitâ* poſſit haberi. Is te ſingulari reverentiâ ſemper coluit, & præſtantiam eruditionis tuæ cum omnibus bonis miratur: neque ſuorum Sycophantias moratur, ſed, quo candore eſt abominatur. Utinam hoc ingenio omnes familiæ illius ſodales eſſent! firmiore heic pace uteremur: quam quotidie τὸ θεοσυγὲς γένος concutit, & novis ſubinde arietibus labefactat. *Caſaub.* Epiſt. 483. ad *Scalig.*

Fronto Ducæus, vir Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudioſisſimus---Vir inſignis doctrinæ ac pietatis. *Baron.* Vol. 9.

Fronto Ducæus, Vir doctisſimus, & cui *Chryſoſtomus* noſter plurimum debet. *Henric. Savil.* Not. in Pſalm. *Chryſoſt.*

Homo eximiè eruditus *Fronto Ducæus*. *Montacut.* Apparat. 9. Sect. 9.

Fronto Ducæus eſt honeſtisſimus *Jeſuita*. Omnes illi Senatores *Pariſienſes* amant *Ducæum*, etiam *Caſaubonus*, ſed dolent eſſe *Jeſuitam*. *Scaligerana* poſterior.

Fronto Ducæus, Jeſuita, vir omnigenâ eruditione pollens. *Paul. Colomeſ.* Obſerv. Sac. p. 19.

Magnus ille vir *Philippus Mornæus Pleſſius*, ingenuè fatetur ab alio ſe nullo adverſario, inter multos, acerbiorem ac luculentioren quàm ab illo plagam accepiſſe.

Jeſuita *Fronto* inter ſeculi ſui præſtantiſſimos Viros claruit cum ob ingenii ejus elegantiam, tum ob judicii ejus ſoliditatem, inſignemque ſapientiam & modeſtiam, Ubique eximiam Linguæ *Græcæ* notitiam, amplamque in Eccleſiaſticis eruditionem prodit. *Judicia* Erudit. Pariſiis 1685. per Bailletum. Gal.

UBBO EMMIUS.

GRethanus, *Friſius*, Hiſtoriarum & Græcæ Linguæ Profeſſor, Primuſque Rector Academiæ *Groningæ*. Natus eſt Anno 1547. die 5. Decembris. Deceſſit anno 1625. die 9. Decembris. Clar. An. D. MDCX.

Scripta ejus hæc ſunt: *Friſicarum* Rerum Hiſtoria, in Decades ſeptem diſtincta---De *Friſiâ* & *Friſiorum* Republicâ, deque Civitatibus, Foris, &c.---De Agro *Friſiæ*, deque urbe *Groningâ* --- Opus Chronologicum novum, cum Canone Chronico- Chronologiâ Rerum *Romanarum* --- *Græcia* vetus, ſive de *Græcorum* Rebuſpublicis.

Digitized by Google

Dotes ingenii & vis ignea in hiſtoriâ ſcribendâ maximè effulſerunt. In eo enim ſcriptionis genere ingenium habuit planè ſubactum. Nam in omni omnium populorum ac gentium hiſtoriâ verſatiſſimus, de cujuſque gentis ac cujuſlibet temporis hiſtoriâ rogatus *extempore* diſſerebat, recitatis omnibus locorum, temporis, & perſonarum circumſtantiis, haud ſecus ac ſi præmeditatus & paratus accederet ad hiſtorias iſtas exponendas. Nec erat ſuperficiaria hæc (*Hiſtoriarum*) cognitio, quæ multis contigit, ſed quæ paucis, exacta, ſolida, ad interiora penetrans atque deſcendens. *Nic. Muler.* in Elog. *Emmii.*

Moliebatur divinum illud *Opus Chronologicum*, novâ formâ, nec ulli hactenus uſurpata conceptum in quô illuſtriores omnium hiſtoriarum eventus in ſua tempora digeſti inter ſe comparantur haud minore labore quàm induſtriâ. Ejus liber de Rebus Græciæ eſt opus rei literariæ utiliſſimum, præſertim viris ad *Reipublicæ* Clavum ſedentibus, aut Principum conſilia regentibus gratiſſimum. *Idem* ibid.

Nec in *Friſonum* geſtis recenſendis lectoris otio abutemur; ſupervacuum exiſtimantes ea iterare, quæ ab *Ubbone Emmio*, legitimo *Friſiæ* ſuæ Hiſtorico fideliſſimè perſcripta. Cujus ea in Patriæ ſuæ Antiquitatibus inveſtigandis curioſitas, ea religio fuit, ut meo quidem animo, parum, ſeu potius nihil, aliorum induſtriæ reliquum feciſſe videatur. *Ian. Douſ.* l. 1. Annal. *Hollandic.*

Citra aſſentationem dicam, quare enim apud te? Nihil ſimile tuis Scriptis poſt *Buchananum* in eo genere me legere memini, ſeu fides, prudentia, ac ingenua libertas; ſive orationis elegans ſimplicitas ac perſpicua brevitas ſpectetur. *Thuan.* in Lit. ad *Emmium* an. 1604. ſcript.

A *Friſiæ* ordinibus invitatus [*Suffridus Petrejus*] origines, Colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis ſuæ illuſtranda ſuſcepit, in quibus altiùs repetendis, dum admiſtis fabularum figmentis nimiùm ſtylo indulget, multorum reprehenſiones incurrit, ut *Ubboni Emmio*, qui eandem provinciam ſummâ fide ac admirandâ ſimplicitate poſtea exſecutus eſt, potiùs lampada tradidiſſe, quàm ei in ſcribendâ hiſtoriâ Patriâ præluxiſſe videatur. *Thuan.* ad Ann. 1597.

Friſica gens mea Hiſtoricum accepit *Ubbonem Emmium*, nulli, quamvis veterum, temerè ſecundum, judicio politico, ſtyli elegantiâ & accuratè tractatâ narrationes H. *Conring.* de C. P. cap 14.

Diſertiſſimus *Friſicarum* rerum explicator, condignus utique patriâ ſuâ Hiſtoricus, parque tantæ rerum moli ſuſtinendæ. *Douſa Fil. annal. Holland.* 10.

Vir eruditiſſimus, cujus præter *Opus Genealogicum, veterem Græciam. & deſcriptionem Friſiæ*, extat, *Hiſtoria rerum Friſicarum* ab anno Chriſti CCCCXLIX. uſque ad 1564. tantâ prudentiâ ac elegantiâ ſcripta, ut palmam cunctis prioribus præripiat, eoque digna, quæ frequentiùs ſtudioſorum hominum manibus teratur. Variè primùm & particulatim, ſed poſteà unô volumine juncta excuſa eſt in *Batavia Lugduni 1616. Ioh. Andr. Boſius* de compar. Prud. Civ. n. 55.

Quanti & probitatem tuam & doctrinam ſemper fecerim, non ſolùm ego mihi conſcius ſum, ſed & illi, qui me de te ea narrantem ſæpiſſimè audiverunt, quæ virtus tua & meritum à me expreſſit. Certè, ſi nihil aliud ſaltem divina *Hiſtoria*

Digitized by Google

ria tua *Friſica* hoc à me exigebat, quam ego judico non ſolùm iis, qui ſimilem ſcribere volent, *conatum*, ſed & iis, qui jam ſcripſerunt, laudem præripuiſſe. *Ioſ. Scalig.* in lit. ad *Emmium* ann. 1608. ſcript.

Ubbo Emmius de Origine *Friſiorum*, bonus & rarus. Scaligerana *poſterior*.

Ubbo Emmius vir fuit longè doctiſſimus: præcipuè verò Hiſtoriâ *Friſiæ* inclaruit. *Voſſ.* de Mathemat. p. 237.

Suffridus Petri vir benè doctus, ſed qui in *Friſiæ* rebus, atque omni literaturæ laude longè cedat *Emmio. Idem* de Hiſt. Lat. l. 2. c. 40.

* *Emmii* Opera, appoſitâ notâ Auctoris damnati, permittuntur, ſi expurgentur. *Index Madrit.* Edit. ann. 1667.

Extat Hiſtoria Rerum *Friſicarum*, & *Friſiæ* Orientalis deſcriptio Chorographica. *Lugd. Bat.* in Fol. ann. 1616. Progreditur autem ab Anno 449. ad an. 1564.

Extat Opus Chronologicum novum libris 5. diſtinctum, cum Canone Chronologico. *Groninga* 1619. in Fol.

Extat *Græcia* Vetus, ſive de *Græcorum* Rebuſpublicis 1628. 8°. *Lugd. Bat.*

Extat de Agro *Friſiæ* inter & *Amaſium* & *Lavicam* fl. deque Urbe *Græninga* in eodem agro, & de jure utriuſque Syntagma, cum ſerie Magiſtratuum præcipuorum, 8°. *Groninga* 1646.

Conditæ ſunt corporis exuviæ in inferiore parte Templi Academici Groningenſis juxta liberos: Conditorio Saxum inſtratum, cui hoc Epitaphium memoriæ cauſâ inciſum:

Immortali Memoriæ Clariſ. & Pientiſ. Senis Ubbonis Emmii, *Friſii Grethani, Primi Acad. Groning. Rectoris, Theologi ſinceri, Philologi eximii, Hiſtorici abſoluti, viri prudentiæ ſingularis; Qui per omnem vitam ſuâ ſorte contentus, labore indefeſſo, de Eccleſiâ & Republ. patriâ quàm optimè meritus. Verè piâ demùm ac placidiſſimâ morte defunctus heic corpore quieſcit.* Margaretha *à* Bergen *vidua & liberi ſuperſtites mærentes H. M. P. vixit in terris Ann.* LXXVIII. *dies* 4. *Abiit in Cælos anno Chriſtiano* MDCXXV. *die* 9. *Decemb. Iul.* Nicol. Mullerus M. D. Author.

GULIELMUS GILBERTUS.

GLoceſtrenſis, Philoſophus & Medicus *Londinenſis*, tres ampliſſimos Commentarios de Naturâ *Magnetis* edidit. Quibus magis mihi probavit doctrinam ſuam, quàm *Magnetis* Naturam. Nam incertior ſum, quam dudum. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 200. Clar. A. D. MDCX.

Quidam *Anglus* ante triennium libro de *Magnete* edito, nihil dignum expectatione eâ, quam excitârat, protulit. *Ioſ. Scalig.* Epiſt. ad *Caſaub.*

Gilbertus noſtras, cùm Naturam *Magnetis* laborioſiſſimè, & magnâ judicii firmitudine & conſtantiâ, nec non experimentorum magno comitatu & fere agmine perſcrutatus eſſet, confinxit ſtatim Philoſophiam conſentaneam rei apud ipſum

Digitized by Google

Dotes ingenii & vis ignea in hiſtoriâ ſcribendâ maximè effulſerunt. In eo enim ſcriptionis genere ingenium habuit planè ſubactum. Nam in omni omnium populorum ac gentium hiſtoriâ verſatiſſimus, de cujuſque gentis ac cujuſlibet temporis hiſtoriâ rogatus *extempore* diſſerebat, recitatis omnibus locorum, temporis, & perſonarum circumſtantiis, haud ſecus ac ſi præmeditatus & paratus accederet ad hiſtorias iſtas exponendas. Nec erat ſuperficiaria hæc (*Hiſtoriarum*) cognitio, quæ multis contigit, ſed quæ paucis, exacta, ſolida, ad interiora penetrans atque deſcendens. *Nic. Muler.* in Elog. *Emmii.*

Moliebatur divinum illud *Opus Chronologicum*, novâ formâ, nec ulli hactenus uſurpata conceptum in quô illuſtriores omnium hiſtoriarum eventus in ſua tempora digeſti inter ſe comparantur haud minore labore quàm induſtriâ. Ejus liber de Rebus Græciæ eſt opus rei literariæ utiliſſimum, præſertim viris ad *Reipublicæ* Clavum ſedentibus, aut Principum conſilia regentibus gratiſſimum. *Idem* ibid.

Nec in *Friſonum* geſtis recenſendis lectoris otio abutemur; ſupervacuum exiſtimantes ea iterare, quæ ab *Ubbone Emmio*, legitimo *Friſiæ* ſuæ Hiſtorico fideliſſimè perſcripta. Cujus ea in Patriæ ſuæ Antiquitatibus inveſtigandis curioſitas, ea religio fuit, ut meo quidem animo, parum, ſeu potius nihil, aliorum induſtriæ reliquum feciſſe videatur. *Ian. Douſ.* l. 1. Annal. *Hollandic.*

Citra aſſentationem dicam, quare enim apud te? Nihil ſimile tuis Scriptis poſt *Buchananum* in eo genere me legere memini, ſeu fides, prudentia, ac ingenua libertas; ſive orationis elegans ſimplicitas ac perſpicua brevitas ſpectetur. *Thuan.* in Lit. ad *Emmium* an. 1604. ſcript.

A *Friſiæ* ordinibus invitatus [*Suffridus Petrejus*] origines, Colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis ſuæ illuſtranda ſuſcepit, in quibus altiùs repetendis, dum admiſtis fabularum figmentis nimiùm ſtylo indulget, multorum reprehenſiones incurrit, ut *Ubboni Emmio*, qui eandem provinciam ſummâ fide ac admirandâ ſimplicitate poſtea exſecutus eſt, potiùs lampada tradidiſſe, quàm ei in ſcribendâ hiſtoriâ Patriâ præluxiſſe videatur. *Thuan.* ad Ann. 1597.

Friſica gens mea Hiſtoricum accepit *Ubbonem Emmium*, nulli, quamvis veterum, temerè ſecundum, judicio politico, ſtyli elegantiâ & accuratè tractatâ narrationes H. *Conring.* de C. P. cap 14.

Diſertiſſimus *Friſicarum* rerum explicator, condignus utique patriâ ſuâ Hiſtoricus, parque tantæ rerum moli ſuſtinendæ. *Douſa Fil. annal. Holland.* 10.

Vir eruditiſſimus, cujus præter *Opus Genealogicum, veterem Græciam. & deſcriptionem Friſiæ*, extat, *Hiſtoria rerum Friſicarum* ab anno Chriſti CCCCXLIX. uſque ad 1564. tantâ prudentiâ ac elegantiâ ſcripta, ut palmam cunctis prioribus præripiat, eoque digna, quæ frequentiùs ſtudioſorum hominum manibus teratur. Variè primùm & particulatim, ſed poſteà unô volumine juncta excuſa eſt in *Batavia Lugduni 1616. Ioh. Andr. Boſius* de compar. Prud. Civ. n. 55.

Quanti & probitatem tuam & doctrinam ſemper fecerim, non ſolùm ego mihi conſcius ſum, ſed & illi, qui me de te ea narrantem ſæpiſſimè audiverunt, quæ virtus ſua & meritum à me expreſſit. Certè, ſi nihil aliud ſaltem divina *Hiſto-*

ria

ria tua *Friſica* hoc à me exigebat, quam ego judico non ſolùm iis, qui ſimilem ſcribere volent, *conatum*, ſed & iis, qui jam ſcripſerunt, laudem præripuiſſe. *Ioſ. Scalig.* in lit. ad *Emmium* ann. 1608. ſcript.

Ubbo Emmius de Origine *Friſiorum*, bonus & rarus. Scaligerana *poſterior.*

Ubbo Emmius vir fuit longè doctiſſimus: præcipuè verò Hiſtoriâ *Friſiæ* inclaruit. *Voſſ.* de Mathemat. p. 237.

Suffridus Petri vir benè doctus, ſed qui in *Friſiæ* rebus, atque omni literaturæ laude longè cedat *Emmio. Idem* de Hiſt. Lat. l. 2. c. 40.

* *Emmii* Opera, appoſitâ notâ Auctoris damnati, permittuntur, ſi expurgentur. *Index Madrit.* Edit. ann. 1667.

Extat Hiſtoria Rerum *Friſicarum*, & *Friſiæ* Orientalis deſcriptio Chorographica. *Lugd. Bat.* in Fol. ann. 1616. Progreditur autem ab Anno 449. ad an. 1564.

Extat Opus Chronologicum novum libris 5. diſtinctum, cum Canone Chronologico. *Groningæ* 1619. in Fol.

Extat *Græcia* Vetus, ſive de *Græcorum* Rebuſpublicis 1628. 8°. *Lugd. Bat.*

Extat de Agro *Friſiæ* inter & *Amaſium* & *Lavicam* fl. deque Urbe *Grœningæ* in eodem agro, & de jure utriuſque Syntagma, cum ſerie Magiſtratuum præcipuorum, 8°. *Groningæ* 1646.

Conditæ ſunt corporis exuviæ in inferiore parte Templi Academici Groningenſis juxta liberos: Conditorio Saxum inſtratum, cui hoc Epitaphium memoriæ cauſâ inciſum:

Immortali Memoriæ Clariſ. & Pientiſ. Senis Ubbonis Emmii, *Friſii Grethani, Primi Acad. Groning. Rectoris, Theologi ſinceri, Philologi eximii, Hiſtorici abſoluti, viri prudentiæ ſingularis; Qui per omnem vitam ſuâ ſorte contentus, labore indefeſſo, de Eccleſiâ & Republ. patriâ quàm optimè meritus. Verè piâ demùm ac placidiſſimâ morte defunctus heic corpore quieſcit.* Margaretha à Bergen *vidua & liberi ſuperſtites mærentes H. M. P. vixit in terris Ann.* LXXVIII. *dies* 4. *Abiit in Cœlos anno Chriſtiano* MDCXXV. *die* 9. *Decemb.* *Iul.* Nicol. Mullerus M. D. Author.

GULIELMUS GILBERTUS.

G*Loceſtrenſis*, Philoſophus & Medicus *Londinenſis*, tres ampliſſimos Commentarios de Naturâ *Magnetis* edidit. Quibus magis mihi probavit doctrinam ſuam, quàm *Magnetis* Naturam. Nam incertior ſum, quam dudum. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 200. Clar. A. D. MDCX.

Quidam *Anglus* ante triennium libro de *Magnete* edito, nihil dignum expectatione eâ, quam excitârat, protulit. *Ioſ. Scalig.* Epiſt. ad *Caſaub.*

Gilbertus noſtras, cùm Naturam *Magnetis* laborioſiſſimè, & magnâ judicii firmitudine & conſtantiâ, nec non experimentorum magno comitatu & fere agmine perſcrutatus eſſet, confinxit ſtatim Philoſophiam conſentaneam rei apud ipſum

ipſum præpollenti. *Franc.Bacon.* in Var. loc.

Equidem ſcio neminem in hâc materiâ (de *Magnetis.* Natura) ſanè difficillimâ, illum ſibi habere parem: Nam quod alii vix attingunt verbo, illud *Gilbertus* noſter ampliſſimè diduxit, & ab ovo quaſi rem inchoavit, & clariſſimè ac acutiſſimè explicavit. *Scaliger* quanquam cætera omnia ſubtiliter, tamen non ſatisfacere potuit rei veritati in hac quæſtione. Ad *occultas qualitates cum* cæteris provocat Philoſophis. Verùm ignoranti nihil non occultum & abſconditum eſt. *Wolfgang. Lochman.* præfix. de *Magnet.*

Authori noſtro nec acumen nec argumentum deficit, quo non tantùm delectare, ſed & erudire ſolertem Naturæ indagatorem valeat. *Ibid.*

Dolere *Peireskius* ſolebat non agnitos ſibi *Gulielmum Gilbertum* auctorem libri de *Magnete*, nec *Thomam Lydiatum* celebrem Mathematicum.

Gaſſendus in Vitâ *Peireskii Gilbertum* magni facit.

Mirabilis ille naturæ *Magnetis* Scrutator, Doctor *Gilbertus*, cujus & Doctoris *Harvæi* beneficio, Gens noſtra ſibi arrogare poteſt, quòd ultimo hoc ſeculo coronam meruerit ob Philoſophiæ ſolidam Doctrinam, ut antehac pluribus continuis ſeculis ob acutas ſubtileſque Theologicas Speculationes. Equitis *Ken. Digby* Tractat. de *Corporibus*. c. 20. Angl.

Proprietatum *Magnetis* notitia certa ſufficientique deſtituebamur, uſque ad tempus quo Deo viſum eſt unum è Popularibus noſtris excitare; ſcilicet Doctorem *Gilbertum*, qui novum ad perpetuam ſui gloriam tramitem ad Philoſophiam ingreſſus eſt, & inſigne Trophæum ſuper *Magnetem* erexit, qua laude perenni apud poſteros celebraretur. Vide plura apud *Carpent.* Geographiæ lib. 1. cap. 3. Anglicè.

Gilbertus meliùs quàm cæteri *Magnetis* experimenta elucidavit. *Rapin.* Animadv. in Phyſicam, §. 9. Gall.

Poſtremò ex hac apud *Ptolomæum* de *Lapide Herculeo* narratiunculâ intelligimus, non ſolùm in *Indiâ Magnetem* naſci, ſed ibi etiam natum, ſingulari efficacitate valere. Clara & teſtata hæc quoque res eſt, certiſſimo recentiorum etiam *Authorum* experimento, nominatim verò doctiſſimi *Gilberti* noſtri, artis tam *Magnetica*, quàm *Medica* ſcientiſſimi: qui ex *Indiâ Orientali*, *Chinâ*, & *Bengala*, Magnetes omnium præſtantiſſimos peti aſſerit. *Nic. Fuller.* l. 4. c. 19. Miſcel. Sacr.

-----Nec, ut recentiores illos commemorem, acumine ſimiles *Antiquis*, & propè pares, *Galilæum*, *Gaſſendum*, *Gilbertum*, *Merſennum*, *Carteſium*; *Iſaac. Barrovv.* Opuſc. pag. 87.

In hunc Auctorem hoc Epigramma compoſuit *Ioannes Ovven.*

Stare negas Terram; nobis miracula narras:
Hæc cùm ſcribebas, in rate forſan eras.

Lib. 1. Epigram. 14.

DANIEL

DANIEL SENNERTUS.

NAtus *Uratiſlaviæ* Anno Chr. 1572. Patre *Nicolao Sennerto*, Calceario & Cive: *Witteberga* 1598. Philoſophiæ Magiſter, & ibidem 1601. *Medicinæ* Doctor, pauloque poſt anno nempe 1602. ejuſdem Profeſſor Publicus, nec non tandem etiam Electoris *Saxoniæ* Archiater conſtitutus eſt. Obiit *Wittebergæ* 1637. 65. Opera ejus omnia in ſex Tomos diviſa, prodiere *Lugduni*, an. 1676. in Fol. Clar. An. D. MDCX.

Verùm quoniam quædam in *Liddelio* deficiunt, ideò maximoperè ſuaſerim Clariſſimi *Sennerti Inſtitutiones Medicas* his conjungi, ex quibus hoc commodi habere poteris, ut & ſine Interprete eas intelligere, & plurimorum *Auctorum* ſententias cognoſcere, atque *dubia* quoque quædam non levia, quæ artem noſtram obſcuram faciunt, pervidere poſſis: quæ omnia cùm ſine gravi labore & judicio præſtare non potuerit, nactus eſt admiratores & laudatores plurimos, aliquos verò ita infatuavit, ut eum ſuſpiciant tanquam artis noſtræ ſupremum *Dictatorem*, paucos verò ad invidiam concitavit. Ego quid de *Sennerti* cenſeam laboribus ingenuè & liberè proferam, neque cujuſquam verebor judicium. Cenſeo *Scripta* ejus plurimis laboribus fuiſſe congeſta ex variis *Autoribus*, ut ideò *Locorum Communium* inſtar eſſe poſſint: addo, plurima ab ipſo benè fuiſſe annotata, quæ alii *Autores* malè propoſuerunt: addo & hoc, quædam ab ipſo quoque primùm inventa fuiſſe: eaque non mala: atque ideo ſi cujuſquam *Autoris*, certè ejus lectionem proficuam fore *tyronibus* Medicinæ, atque etiam in arte provectioribus planè & ſine metu ediſſero. Sed tamen eo inſaniæ nunquam pervenero, ut eum numeris omnibus abſolutum cenſeam; ſcio hominem eum fuiſſe, atque ideo in plurimis errare potuiſſe: ſcio & hoc plurima brevius, accuratiùs, ordinatè magis, ac verius proponi poſſe, quàm ab ipſo factum eſt; ſed ſi hæc gloriam magni viri obſcurare debent, quis tandem famam merebitur? Propterea virulentiæ & invidiæ plenum pronuncio *Plempii* eſſe judicium quod *Auditoribus* ſuis communicavit, in Epiſtola quadam, quam *Lindanus* in *Medullâ ſuâ* Medicinæ Manuductioni ſuæ propoſuit. *Albert. Kyper.* Method. edit. *Lugd. Bat.* 1643. 12. p. 291. 292.

‘ Judicia Virorum quorundam Clariſſ. præfixa *Sennerti* Operibus editis
‘ *Lugduni* 1666. in Fol.

Ingenii divini Monumentis in eam prorupiſti famam, ut & *Itali* ipſi *Germani* hominis judicium æſtimare & venerari ſe publicè dicant. Quod certè teſtimonium tanto habendum eſt potius, quantò majorem eſſe horum ambitionem ſcimus. *Dan. Bucret.* D. M. *Venet.* 1617. die *Paſch.*

Pervolve, & nocturnâ diurnâque verſato manu *Inſtitutiones Dan. Sennerti*, in quibus prolixiori Orationis ſerie fundamenta artis pleniſſimè enarrantur, & longè fortè ſolidiùs, quàm factitatum à *Fuchſio*, *Valleriolâ*, *Riolano*, *Heurnio Duncano*, *Liddelio*, cæteriſque de genere hoc. Unus iſte erit tibi inſtar omnium, quem ſi noris, omnes noris. *Petr. Lauremberg.* in *Lauru Delphicâ.*

Digitized by Google

Recreavit me mirifice iſtius (Part. l. 1. *Practica*) Lectio: utque animi mei ſenſa ex candido tibi per tot annos perſpecto pectore explicem, nihil habeo (& Conſcientiam teſtor) quod in eo deſiderem. Perſpicuitas in omnibus, ἀκριβὴς deciſio Controverſarum Quæſtionum, methodus accurata quidem, interim perfacilis, materia Medica indicationibus curativis in totum correſpondens mihi plurimùm arridet. Perge itaque, clariſſime *Sennerte*, nec dubita te laborem *Deo Reipubl. literariæ* gratum & utilem ſuſcepiſſe; eum ut matures etiam atque etiam te rogo. Immortalem inde apud Bonos laudem conſequeris. Gratulor facultati Medicæ & ejus ſtudioſis quod nucleum *Medicinæ* Dogmaticum tam facili labore, te duce, conſequuntur. *Ioan. Georg. Magnus* D. 14. Jan. 1624. *Berlini.*

Librum tuum de *febribus* denuò & diligenter quidem nunc perlegi, & deprehendi quæcunque ibi ſcripta ſunt optimis rationibus, iiſque firmiſſimis omnia eſſe munita. Utinam verò *Authores* parem ad iſtam materiam diligentiam vel ſaltem conſimile judicium attuliſſent. Quæſo te per ſalutem *Medicæ Artis*, ut porrò in aliis quoque idem præſtes. Sic ſane talentum cœlitus commiſſum non defodies, ſed optimè uſurpabis cum magno ſanè tuo lucro. *Georg. Lothus* D. & Profeſſ. Med. Aulicus *Regiomont.* 28. Novemb. 1629.

Ut taceam reliquos, ſoli *inſtitutionum* libri, & nobilis tuæ *Praxeos* pars prima, adeò me affecerunt, & tam profunde ad animum penetrarunt, ut juratem ipſe mihi, præter *Biblia Sacra* nullum amplius Authorem Medicum alium, pro *Praxeos* meæ Scipione & itineris comite, domi foriſque me uſurpaturum, ſi modò, mihi tam beato reſiduos quoque libros videre contingeret. *Philip. Tuſcher* M. D. & *Suvibuſianæ* Diœceſ. Ordinarius. *Suvibuſ.* 21. Sept. 1628.

Tantus vir, qualem *Sennertum* eſſe omnibus in confeſſo eſt. *Gabr. Naud.* in Ep. 78. ubi librum ejus *Hypomnematum* præclarum opus vocat.

* Ejus *Phyſica Hypomnemata* inter libros prohibitos numerantur in Indice Expurgatorio. Vid. Ind. *Rom.* Impreſſ. Anno 1681.

JANUS GRUTERUS.

Per Anagr.

GRATUS in VERSU.

Clar. An. D. MDCX.

BRabantus Juriſconſultus, & Philologus celebris, *Antuverpiæ* natus eſt ann. 1560. Obiit ann. 1627. *Heidelbergæ* literas amœniores tractavit, ubi & Bibliothecæ præfuit, quam libris rariſſimis, *Hebraicis*, *Chaldaicis*, *Arabicis*, *Græcis* atque *Latinis* auxit atque locupletavit. *Konig.*

Scripſit Poemata varia — Suſpicionum libros 9. in quibus varia Scriptorum loca emendata & explicata------Notas Criticas in *Senecæ* Philoſophi Opera omnia: In *Senecæ* Tragœdias: In *Statii Papinii* Poëmata: In *Martialis* Epigrammata: In *Salluſtium*: In *Livium*: In *Tacitum*: In *Florum*: In *Velleium Paterculum*

Digitized by Google

terculum: In *Plinii* Epiſtolas: In *Panegyriſtas* Veteres: In *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores: In *Plautum*: In Querolum, incerti Comœdiam: In Mimos *Publij Syri*------Inſcriptionum Veterum *Roman.* ingens vaſtumque volumen----- Lampadem ſive Theſaurum Criticum, hoc eſt Scriptores Criticos, Tomis ſex diſtinctos----Chronicon Chronicorum----Florilegium Magnum,---Ethico-Politicorum Tomos tres----Bibliothecam exulum, ſive Enchirididion Divinæ humanæque prudentiæ.

Vir fuit *Græcè Latinè*, omniſque adeò Antiquitatis, admodum peritus. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Vir multæ eruditionis ac Poëta ſuavis: *Iuſto Lipſio* ab ingenii amœnitate ac doctrinâ clariſſimus. *Sander*, de Clar. *Gandavenſibus.*

Ianus Gruterus incomparabilis judicii & lectionis Criticus, ſeculi noſtri alter *Varro Bonifac.* in Ludic. Hiſt. p.591.

Præſtantiſſimus *Gruterus*, vir intimè bonus, prudens, & ſupra quam credibile, eruditus, & acutus. *Barth.* in Adverſar. p.852.

Summi limatiſſimique judicii vir *Janus Gruterus. Idem* ibid. p.1420.

Vir emendandi prudentiſſimus ac perſpicaciſſimus. *Idem* lib. 12. Adverſar. cap.10.

Vir eruditiſſimus & de bonis literis optimè meritus. *Scalig.* Animadverſ. in *Euſeb.*

Caſaubonus Notis in *Ælium Lampridium* illum ut eruditiſſimum & clariſſimum virum celebrat.

Suſcipionum tuarum libros vidimus, nec pauca in iis peracuta. *Lipſ.* Epiſt. Cent. ad *German. & Gall.* Epiſt.6.

Gruterus luculentam Operam navavit *Martiali.* Vix eſt, ut quiſquam meliùs de priſco aliquo autore ſit meritus. *Scalig.* Epiſt.216.

Janus Gruterus Senecam cum libris priſcis & Chirographis contulit: quod fecit induſtriè & ſic perfectè, ut nimius videri quibuſdam aut μικρόλογος poſſit. Non mihi, qui in *Critico* amo ſedulitatem & fidem: & hanc etiam in *Grutero* Operam, quòd aliorum paſſim notas aut Interpretationes adjecit. Uſui mihi fuit, ingenuè fateor: & amo virum è meâ olim diſciplinâ, nunc & docendo factum: *Lipſ.* Introduct. Lector. *Senec.* 1. Vol.

De nobiliſſimo *Jano Grutero*, etſi ille omnibus bonis & doctis, qui jam in ore famæ ſunt, amicis utitur, quantum ſibi bonas literas ſcriptis ſuis, edito præſertim poſt Pincianum & alios *Senecâ*, & novem *Inſcriptionum* libris, devinxerit, nemini non conſtare poteſt. *Sciopp.* de Crit. p.14.

Cujus inter laudes eximias non minimum ea locum meretur, quòd nullus hôc virô, nec diffitente invidiâ, præclariùs ſit meritus de tot Scriptoribus Romanis. *I. G. Voſſ.* in Orat. memoriæ Th. Erpenii dictâ.

Vidi quæ *Ianus Gruterus* ad *Tacitum* annotavit. Diligentiam ejus in colligendis variè ſententiis improbare nefas ſit. Sed (quod liberè liceat) commiſſiones meræ ſunt, &, ut flagitioſiſſimi *Caligulæ* non abſonum dictum in re ſimili uſurpem, *arena ſine calce.* Videtur ſibi propoſuiſſe ad imitandum rationem illam, quam

quam ſecutus eſt *Lipſius* in admirabili & præſtantiſſimo opere de *Civili Doctrina*. Sed, Dii boni! quàm longo intervallo, quàm non paſſibus æquis veſtigia ſectatur. *Baud.* in Cent. 2. Epiſt. 13.

Grutterus non curat utrum Charta ſit cacata, modò libros excudat. Omninò idoneus eſt ad veteres libros reviſendos: In *Martialem* & in *Senecam* Tragicum optimè laboravit; in *Philoſophum* verò ex aliis corraſit. *Commelinus* retulit mihi *Gruterum* ſtultum, imò valdè ſtultum eſſe. Dum ſtudendo aliquid non capit, ſtomachatur, ſuoſque libros in humum abjicit *Scaligerana* poſterior. Gallicè.

Leguntur illius *Carmina* variæ ætatis, varii generis, ſed quæ vetuſtate quidam peculiari ac propriâ ſemper uni reſpondent authori. Ubique etiam elegantiarum & ſapientiæ tantum miſcuit, quantum Poetæ antiquo & *Romano* eſſet ſatis, & cuivis Philoſophorum non parum. Et hæc tamen pleraque per ludum tantum in jocum codicillis inferebat. Ut cætera quibus amicis gratulatus eſt, non attingam, ſola *Bibliotheca Exulum*, non multò priùs luci data, quàm luci Author ereptus, planè ta'is eſt, ut non Hominis, ſed ipſius *Virtutis* manibus videatur perſcripta. Singuli verſus, ſingula ſunt oracula. Quod ſi ſecundum *Neoptolemum Nevianum*, *paucis eſt Philoſophandum*, ex hoc libro eſt Philoſophandum, quippe molis tam exiguæ, ut vix manum, ſapientiæ verò tantæ, ut titulum ſuum non impleat modò, ſed etiam ſuperet. Jam *Inſcriptiones veteres*, cùm etiam in *Saxis*; & *Marmoribus* conſeneſcerent, nec in illâ duriſſimâ materiâ durabiles eſſent, *æternitatem*, ſi qua poteſt eſſe in *rebus humanis*, à *Grutero* acceperunt. *Balthaſ. Venator.* in Panegyr. *Jan. Gruter.* ſcripto, p. 258. 259. Tom. 1. Memor. Philoſophor. noſtri Sec. per *Henning. Witten.*

* Quædam corrigenda ſunt tam in *Jani Gruteri* Notis in Hiſtoriæ *Auguſtæ* Scriptores, quàm in ejuſdem Annotationibus in *Salluſtium*. *Index Madrit.* Impreſſ. ann. 1667.

Extant Suſpicionum lib. 9. *Witteb.* 1591. in 8o.

Extat Bibliotheca Exulum. *Argent.* 1624. in 12mo. *Francof.* 1625. in 8o.

Extat Lampas, ſive Theſaurus Criticus, Vol. 7. *Francof.* 1607. 8o.

Extant Inſcriptiones totius *Orbis Romani* Antiquæ. *Francof.* 1616. in Fol.

In hunc Auctorem hæc Carmina compoſuit *Sam. Roſenbomius*:

Gratus *es in* Verſu, Grutere *diſertè, ſonoro,*
Ut te vix alter gratior eſſe queat.
De locuplete penu tu cuncta recondita promis,
Ore ſuſurranteis ac imitaris apes.
Quæ veluti Nectar delibant nobile florum,
Et ſtipant liquidis cerea regna favis.
Sic tu, quicquid habet Latium, *vel* Græcia *quicquid,*
Congeris ingenii fertilioris Opus.
Hujus opes quoties ſummis deguſto labellis,

Hinc

Illico me ſaturum lectio prima facit.
Cauſam quæris? habe: Quo daps eſt dulcior, ejus
Gignit eò citiùs copia dividiam.

HENRICUS SAVILIUS.

EQues *Anglus*, *Elizabethæ Anglorum* Reginæ à ſtudiis *Græcis* & Anagnoſta, *Mertonenſis* apud *Oxonienſes* Collegii Præſes fuit. Obiit Anno 1621. Septuagenario major. Clar. An. D. MDCX.

Prælectiones in *Euclydem* confecit. Idem Operum S. *Chryſoſtomi* optimam & pulcherrimam editionem procuravit. Extat ejuſdem tractatus de *Militiâ Romanâ*. Editio *Chryſoſtomi* octo mille libris *Anglicanis Savilio* conſtitit.

Vir præſtantiſſimus, & ad miraculum eruditus *Savilius*. *Rich. Montacut.* Not. ad *Phot.* Epiſt. 2.

Nobiliſſimus *Henricus Savilius*, inter ſplendidiſſima hujus *Academiæ* ornamenta æternum memorandus. *Whear.* in Meth. Leg. Hiſt. §. 27.

Vir nobilitate atque eruditione juxta celeberrimus *Henricus Savilius*. *Idem* ibid. §. 28.

Savilius vir doctiſſimus, *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 232.

H. Savilius, vir & eruditionis diffuſiſſimæ, & fidei optimæ. *Ioan. Dall.* de libr. Suppoſ. *Dionyſ. Areop.* & *Ignat. Antioch.* p. 38.

Henricus Savilius, excellentis ingenii & admirandæ eruditionis vir. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. ad *Front. Ducæum*, *Lutet. Pariſ.* Id. Maiis 1602.

Sanè quanti *Savilium* faciam, non ignoras tu, qui ad eruditiſſima ipſius *Scripta* intelligenda tantâ me operâ juviſti. *Idem* ad *Ioan. Coceum Lond.* prid. Id. Sept. 1596.

Hic *Chryſoſtomus* à *Savilio* editur, privatâ impensâ, animo regio. Ejus ferè lectione ærumnas meas levare ſoleo. *Idem* ad *David. Hoeſchelium. Lond.* Kalend. Aug. 1611.

In Notis tuis nihil diſplicet præter brevitatem & paucitatem. Cæterùm cùm cogito & ſumptuum, quos feciſti, immenſitatem, & non ferendos labores, quos per aliquot annos, quà *Exemplaria Chryſoſtomi* conquirens, quà legens & relegens, quà emendans, quà invicem comparans ſuſtinuiſti, abſolvo te ab omni culpâ, imò miror potiùs quòd reliquis laboribus (qui alium quemvis non invicti planè animi oppreſſiſſent) hunc etiam *Notas* tuas ſcribendi & alienas corrigendi addere voluiſti. *Ioan. Boiſ.* Not. in Homil. in *Geneſ.*

Quod doctè & accuratè obſervavit *Savilius*, ut pleraque alia in his *Hiſtoriarum* libris, quà illuſtrandæ *Taciti* hiſtoriæ, quà oſtendendo in quibus *Tacitus* ipſe incurioſiùs aut minus explicavit rerum geſtarum ordinem, aut contraria ſibi ipſi & repugnantia ſcripſerit. Quæ omnia ſummâ induſtriâ, diligentiâ, judicio, ab eo relata. *Ioſ. Mercer.* in Not. ad *Tacit.* l. 1. Hiſt.

Eruditiſſimus, & omni literaturâ politiſſimus *H. Savilius* in doctiſſimis ad

Tacitum Notis: quas *Reip.* intererat, aliâ etiam linguâ, quàm *Anglicâ* in vulgus dari. *Idem* in Not. ad *Tacit.* l.1. Annal. c.74.

Annus & hic apud nos abſtulit *Henricum Savilium*, Equitem omni virtutum, omniumque ſcientiarum genere inſtructiſſimum, qui plurima eruditionis ſingularis monumenta edidit---Sicut boni omnes vivum ſummoperè dilexerunt propter doctrinam quæ in eo eximia fuit; ita in mortuo ornando, mutuâ æmulatione certarunt. *Robert. Johnſton.* de *Reb. Britann.* l.18.

Noſter utrâque arenâ [& *Theologicâ* & *Philoſophicâ*] inter exercitatiſſimos valens *Athleta*, *Græcæ* & *Romanæ* linguæ, omniſque in ea elegantiæ *arbiter* ſcientiſſimus, & per cuncta legi ac ſciri digna acerrimo graſſatus judicio. *Iſaac. Gruter.* in Lit. ad Lect. quas *Henr. Savil.* Comment. in *Tacit.* præmiſit.

Anno 1610. *Henricus Savilius*, Eques *Britannus*, ſuas in *Euclidem* prælecturas juris faciebat publici. Vir eo nomine de ſtudiis benèmeritus; magis autem, quòd *Profeſſionem Mathematicam* de ſuo inſtituerit in Academiâ *Cantabrigienſi*: & quòd, magno Eccleſiæ bono, *Etonenſi* prelo dederit longè optimam, & pulcherrimam editionem B. *Chryſoſtomi Voſſ.* de Scient. Mathemat. p.339.

Dominus *Savilius B. Chryſoſtomi* Opera ſummâ curâ recognovit, ad normam plurium Veterum Manuſcriptorum magno labore & ingentibus expenſis conquiſitorum per totam *Europam*, imò & in ipſa *Græcia*, in quam homines data opera ablegaverat. Sed quantumvis accuratè hanc editionem emendatam evulgare conatus fuerit, plura tamen ejus loca corrupta remanſerunt, quorum genuinum ſenſum divinari difficile poteſt. *Ephemerid.* Eruditorum Kal. Febr. 1666. per *Gallois. Gall.*

Eques iſte præclarus optima B. *Chryſoſtomi* exemplaria ſollicitè conquiſivit eruditorumque Virorum operam adhibuit ad illa tranſcribenda & Annotationibus illuſtranda, quo facto eadem propriis ſumptibus luculentiſſimis characteribus impreſſa evulgavit; Quod onus ſubivit & geſtavit nunquam ſub ipſo fatiſcens, quamvis tanti fuerit ponderis ut cujuſvis vulgaris hominis illa fracturum fuiſſet. Sed Papiſtæ Pariſienſes ſuos in Anglia *Emiſſarios* habuerunt, qui Equitis hujus eruditos labores clam ſurreptos ſchedatim ſingulis hebdomadibus prout è prelo prodibant in *Galliam* tranſmiſerunt. Tunc *Fronto Ducæus* (Cardinalis Gallus, ut quidem arbitror,) illorum impreſſionem ibi accuravit, cum *implicita fide* atque *Obedientia cæca*, ideſt totidem *Literis* prout illos ex *Anglia* recipiebat, adjunctis tantum *Latina Tranſlatione* & quibuſdam aliis parvi momenti Additionibus. Geminæ itaque B. *Chryſoſtomi* Editiones ſtadium eodem tempore per Orbem decurrerunt, certantes ultra alteram tanquam acceptior & publicè vendibilior prævertere poſſet. Equitis *Henrici* Editio aliquot menſibus ante *Pariſinam* lucem vidit; ſed hæc illam preſſo pede ſecuta eſt & ob additam Verſionem *Latinam*, quamvis cariùs ideò conſtaret, priorem venditionis promptitudine anteivit. Sed nuper *Chryſoſtomus Savilianus* gradum valdè acceleravit, adeo ut pauca hujus impreſſionis exemplaria remanſerint. Doctor *Thomas Fuller.* de Præclaris Angliæ Viris. Vide *Eboracenſem Comitatum.* Anglicè.

Extat

Digitized by Google

Extat Commentarius de *Militiâ Romanâ*. *Heid*. 1601. in 8o.

Extant Prælectiones 13. in Principium Elementorum Euclidis. *Oxon*. 1621. in 4*to*.

Non longè à Sepulchro *Alexandri Fisher*, è regione autem *Bodleiani*, collocatur Monumentum [*Henrici Savilii*] Honorarium, ſplendidum abundè ac magnificum, ubi dimidiatam viri Imaginem depictam conſpicis, togâ induti, manumque libro clauſo imponentis. Ex utroque ejus latere ſurgit Columna è Marmore nigro dedolata, viri effigiem utrinque habens. Virorum ad dextram poſitorum primus, qui manu librum tenet, D. *Chryſoſtomus*; alter verò, qui virga Sphæram monſtrat *Ptolomæus* eſſe dignoſcitur, quod Inſcriptiones ſupra eoſdem poſitæ oſtendunt. Reliquorum duorum, ad Columnam utique ſiniſtram comparentium, primus manu alterâ virgam, alterâ circinum habet, & *Euclides* inſcribitur, uti noviſſimùs ille, qui manu librum tenet, *C. Tacitus*. Supra hos omnes cernuntur Genii bini, ſedentes; quorum alter faciem viri primitùs dicti in ſpeculo intuetur, alter verò ejuſdem nomen in Librum Vitæ redigit. Denique in ſupremâ Monumenti parte conſpicitur Famæ Imago, Clypeo *Saviliano* incumbentis, Buccinamque inflantis; & ſub omnibus hiſce ſimulacris comparet ejuſmodi Inſcriptio.

M. S.

Henricus Savile *Miles Collegii* { Mertonenſis *Cuſtos*. / Ætonenſis *Præpoſitus*. }
Fui.

Exuvias corporis fruſtrà ſit qui hic quærat,
Servat Prænobile depoſitum Ætona,
Perennem virtutum ac Benefactorum memoriam
Quibus Collegium utrumque, Academiam imprimis
Oxonienſem *complexus eſt, ipſumque adeo*
Mundum habet ſibi debendi reum.
Affectus inſuper pientiſſimæ uxoris
Poſſidet iſte lapis.

B. M. P. Margareta *conjux obſequentiſſima*;
In hoc uno quod poſuit piè immorigera.

Obiit anno CIƆIƆCXXI. Feb. 19.

Anton. à *Wod.* de Colleg. *Mertonenſi.*

TRAJANUS BOCALINUS.

ROmanus, vir acri ingenio, ad jocandum cum aliquo maledicto facetus, omni elegantiâ doctrinæ excultus, ſcripſit librum, in quem omnia in monte Par- Clar. An. D. MDCX.

te Par-

te *Parnaſſo* acta, ac *Romam* perlata referuntur. Idem librum, cui *Lydii Lapidis* nomen fecit, edidit, qui ipſi ultimum exitium attulit. Quia enim in eo libro oſtendere conabatur, *Regis* cujuſdam potentiſſimi Opes non eſſe tam validas, ut labefactari non poſſent, die quodam *Venetiis*, ubi ſe tutum fore ſperabat, à quatuor validis hominibus ſacculis arenâ plenis, ita contuſus commitigatuſque eſt; ut ex ea verberatione ſupremum diem obierit; nec *Apollo* eum incolumem præſtare potuerit, cui ſummam rerum omnium tribuerat. Inepti ſunt, qui in *Boccalini* libris artem Chymicam contineri, aliis perſuadere conantur. *Konig.* in Bibliothecâ.

In *Trajano Boccalino* Cive Romano enituit *Hermathena* multiplicis eruditionis, & orbiculata illa ſeries omnium Scientiarum, quam *Græci* appellant *Encyclopediam*. Inter has excellebat *Politices* cognitio ſingularis; hinc *Trajanus* ſal omnis eruditi conventûs, & ſpirans liber Principibus, ac Senatoribus editus Linguâ, calamoque liberior, quàm ferret ævum adeò ſervum. Ridens plerumque verum dixit, ſeriò pupugit ludens *Boccalinus* in Orbis Theatro Satyrus palliatus acuminibus, & ſalibus facetiarum callidè temperans gravitatem ſententiarum. Complura Opera immortalitati conſecravit, quibus cenſura delapſi præſens tempus damnabat pœna mortuorum culpas viventium flagellans. Prudenter ille quidem, ſi generatim ſemper ſcribens pepercîſſet ſingularibus: quos aliquando tenui, atque perſpicuo velo potiùs ornatos, quàm tectos laceſſivit. *Iac. Gadd.* in Elog.

Elegans admodum atque amœnum à naturâ ingenium obtinuit *Boccalinus*; quod etiam multarum rerum eruditione ac ſcientiâ expolivit atque auxit. At in eâ præſertim Arte fuit excellens, quæ in Rebuſpub. in Civitatibus rectè adminiſtrandis tota verſatur. Et in quadam ad *Scipionem* Card. *Burgheſium* ſcripta Epiſtolâ, ſe *Commentarios* in *Cornelium Tacitum* editurum ſpondet, qui nondum apparuerunt; quos ego Commentarios, pro ſingulari hominis ingenio, omni elegantiâ doctrinâque refertiſſimos eſſe, non ambigo. *Jan. Nic. Erythr.* in Pinacoth.

Manuſcriptum aliàs Commentarium ejus in *Tacitum* legi, ſed in eo tam parum reperi quod quærebam, ut à me impetrare nequiverim eundem typis mandatum relegere, ne oleum & operam denuò perderem. Memini me tunc hoc de illo judicium tuliſſe, quòd Oratoris potius quàm Politici more *Tacitum* commentetur, cùmque Tacitus plura paucis, *Bocalinus* pauca pluribus verbis dicat. Neſcio an excuſus liber ad artis normam accuratius elaboratus ſit. Vide *Taciti Moralia* Domini *Amelot* de la *Houſſaie*. Gall.

Omnes Politici Opus hoc magni æſtimant, nimirum *Boccalini* Commentarium in *Corn. Tacitum*. Imò non deſunt qui aſſerant neminem hactenus hoc Authore Politicæ adyta intimiùs penetraſſe, nec *Taciti* ſenſum feliciùs aſſecutum eſſe; à quo *Paulus* III. & *Clemens* VIII. Exemplar Politicæ deſumpſerint, unde tantam in ſuo Regimine celebritatem ſibi paraverunt. *Eruditorum* Ephemeridum Gall. Tom.7.p.24.

Bocalinus admodum varius ac volubilis eſt in ſuis de Authoribus judiciis, ut ſcribit

Digitized by Google

ſcribit *Gabriel Naudæus* Conſilio ſuo de ſua Bibliotheca conſtruenda. Alii verò etiam obſervarunt eum præconceptas ferè tantum opiniones ſuas ſecutum eſſe. *Judicia Eruditorum* Pariſ. per *Bailletum* 1685. Gall.

Eques *Iſaacus Wake* vocat Bocalini Collectiones *Parnaſſi* primam in Proſa Satyram. Celebris verò *Seldenus* ait ſe Humani cujuſvis libri quàm iſtius jacturam patientiùs quoad ſtudia ſua toleraturum. Angl.

Cum Ingenioſis Seculi noſtri Scriptoribus, qui Antiquorum quoad Inventiones æmuli fuerunt, de ſuperioritate jure merito contendere poteſt *Trajanus Boccalinus Romanus*, Architecti cujuſdam Filius. Is licet liberaliter à Natura ſolertiſſimo ingenio ditatus, ad laborem nihilo minùs ſero ſe accinxit, donec rerum, multis labentibus annis acquiſita notitia, animum ejus ad ſtudium appulit; Quò forſitan impulſus fuit, vel quòd res eſſet anguſta domi, vel quòd multos ſtudioſos literarum iter ingreſſos in favore apud Magnates eſſe animadverteret. *Laurentius Craſſus*. Italicè.

* *Boccalini Parnaſſus*, ejuſque Commentarii in *Tacitum*; prohibentur in *Indice Romæ* impreſſo anno 1681.

Prodiit *Boccalini Parnaſſus Italicè. Venet.* 1630. 4°.

Pietra del *Paragone politico*. Coſmopoli 1632. 8°.

CHRISTOPHORUS HELVICUS.

GErmanus, *Sprenlingæ* natus eſt Anno 1581. die 26. Decembris. Obiit anno 1617. *Marpurgi Græcam* & *Hebraicam* Linguam, tandem etiam Theologiam profeſſus eſt. Clar. An. D. MDCXV.

Scripta ejus multa & varia, palmam verò hæc cæteris præripiunt: Syſtema Chronologicum---De *Chaldaicis* Bibliorum Paraphraſibus---Lexicon *Hebræum* Didacticum---Vindicatio locorum Veteris Teſtamenti à corruptelis Pontificiorum---De Carminibus atque Dialectis *Græcorum* --- Elementale *Hebraicum* & *Chaldaicum* --- Libri Didactici, Grammaticæ Univerſalis, *Latina, Græca, Hebraica* & *Chaldaica*.

Præcelſum ac planè Cœleſte ingenium *Natura* huic viro conceſſerat, cujus ope ſupremum illum eruditionis gradum attigit, quô noſtrâ ætate latè conſpicuum & nitentem vidimus --- Tantos in ſtudiis ſublimioribus fecit progreſſus, ut ſive *Linguarum Cardinalium* & *Orientalium* peritiam quis ſpectet, ſive omnium *Gentium* Hiſtoriam, & quæ illius lumen eſt, inſignem *Chronologiæ* notitiam, ipſamque eruditionem *Theologicam* reſpiciat, haud facilè quempiam inveniat *Helvico* anteponendum, ſiquidem in *Philoſophicis* etiam Diſciplinis tantam ſibi paravit Scientiam, ut cum quovis viro docto de *Argumento* quolibet acutè & eruditè conferre ſententias potuerit, ita perfectam, ita exquiſitam trium linguarum intelligentiam eſt aſſecutus, ut in iis natus potius, quàm edoctus videretur. *Theod. Spizel.* in Templ. Honor. reſerat.

Quanta fuerit ingenii ejus felicitas, in pueritia patuit, de quâ, qui eum in

Digitized by Google

primis literis erudiverunt, ingentem concepere ſpem, nec fefellit eos expectatio. Præter enim ſummos in Scientiâ Theologicâ honores; quos magno cum applauſu conſecutus eſt, & *Profeſſorii* muneris dignitatem, admirandos fecit profectus in exactâ cognitione Linguarum, *Græca*, *Hebraica*, *Chaldaica* & *Syriaca*; quibuſcum conjunxit Hiſtoriarum Sacrarum Prophanarumque cognitionem, & Rerum Aſtronomicarum ac Arithmetices tantam Scientiam, quanta in hominem cadere poteſt. Acquiſivit autem hæc omnia plurimâ lectione & vigiliis ac labore incredibili, ut abundè apparet ex *Theatro* ejus *Hiſtorico* ſive Syſtemate Chronologiæ, quo quidem Opere vix quicquam uſquam in eo genere ſol adſpexit perfectius, concinnius, limatiuſque, quod cùm omnium propè Doctorum teratur manibus, aliquoties excuſum & recuſum, noſtro non eget præconio. *Boiſſard.* in Icon.

Chriſtophorus Helveticus fuit homo multarum lectionum, laboris patiens, in Aſtronomicis & Arithmeticis exercitatus, rerum & circumſtantiarum obſervator accuratus, Linguarum (*Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, *Chaldaicæ* & *Syriacæ*) peritiſſimus, in Scriptis tum Sacris, tum Profanis verſatiſſimus. *Joan. Schup.* in Dedicat. præfix. *Helvico.*

Amiſimus talem virum, cui *Deus* omnia cumulatiſſimè dona conceſſiſſe videtur, fundamentalem rerum Theologicarum notitiam, in Religione ſinceritatem, in docendo dexteritatem acutam in Philoſophicis Scientiis ſubtilitatem, in conferendo gravitatem cum manſuetudine & animi præſentiâ conjunctam, ingenii & judicii felicitatem, inſignem in rebus *Criticis* & *Philologicis* perſpicaciam, accuratam in *Chronologicis* & *Hiſtoricis* diligentiam, eximiam Linguarum *Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, *Chaldaicæ*, *Syriacæ* peritiam. *Henning. Witte* in Memor. Theolog.

De ipſius in *Chronologicis* accuratâ diligentiâ, & haud vulgari ſcientiâ, præter ſcripta edita, literæ ab excellentiſſimis Chronologicis. *Setho Calviſio*, & *Joanne Behmio* ad ipſum ſcriptæ teſtantur; in quibus ingenii & judicii acumen admirati de multis cum ipſo contulerunt. *Idem* ibid.

Vir eruditiſſimus, cujus *Theatrum Chronologicum*, ſi rectè adhibeatur, ſtudioſis magno poterit eſſe uſui. *G. Calixt.* in Appar. Theolog. p. 178.

Quantum ei in *Hebraicis* præſtantiſſimus *Hebræus*, *Joannes Buxtorfius*, Profeſſor *Baſileenſis*, tribuerit, ex literis ipſius ad *Helvicum* datis abundè ſatis patet.

Primùm hoc mihi credas velim, *Helvicum* non ſatis locupletis eſſe fidei in hac Chronologiæ parte, quæ Virorum Scriptis illuſtrium ætatem ſignat: Dein hoc quoque habet *Helvicus*, quòd ferè plerumq; recentiores Scriptores ſequatur, ut *Eclogarios*, *Bibliothecarios*, &c. quale aliquid quoq; in *Calviſio* improbarat *Scaliger* quemadmodum ex Epiſtolis ejus apparet; quamvis *Calviſii* opus, ex quo totus eſt *Helvicus*, mirificè laudaret. *Tanaquill. Faber* Epiſt. l. 1. epiſt. 63.

Tractatum *Helvici* de *Chaldaicâ Bibliorum Paraphraſi* ſummoperè commendat *Andreas Rivetus* in Iſagoge ad ſac. Scriptur. c. 9.

* *Chriſtophori Helvici* Theatrum Hiſtoricum & Chronologicum, inter libros expurgandos recenſetur: ejuſdem cætera prohibentur in *Ind. Madrit.* edit. an. 1667.

Extat

Extant ejus Theatrum Hiſtoricum & Chronologicum. *Francof.* in fol. 1666. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

In hujus Auctoris effigiem hæc carmina compoſuit *Jacobus Boiſſardus:*

Helvici *hac facies : genio qui inſignis* Hebræus,
Theologus , Latius, Græcus *&* *Hiſtoricus.*
Proh dolor ! hoc Patriæ Decus ingens morte peremptum
Heu jacet ! at Scriptis vivit ubique ſuis.

PHILIPPUS CLUVERIUS.

ANno 1580. *Gedani*, celeberrimo in *Boruſſiâ* emporio, patre, ibidem rei monetariæ præfecto, ex nobili antiquâ, in *Bremenſium* agro, *Cluveriorum* gente, natus eſt. Obiit anno Dom. 1623. ætatis 43. *Italiam*, *Germaniam* & *Siciliam* antiquam ampliſſimo commentario illuſtravit. Clar. An D. MDCXVI.

Magnum *Germaniæ* Ornamentum doctiſſimus *Cluverius* noſter. *Voſſ.* in Hiſt. *Pelag.*

Cluverius vir ſtupendæ lectionis & curæ. *Dilher.* Diſput. Acad.

Vir accuratiſſimus *Philippus Cluverius. Laurent. Pignor.* in Epiſt. 26.

Philippus Cluverius vir ſingulariter eruditus, de antiquâ & novâ Geographiâ optimè meritus. *Ioan.* Card. *Bona.*

Geographorum ſuæ ætatis habitus eſt princeps: præſertim quatenus in *Geographiâ* hiſtoriam potius attendimus, quàm Matheſin. Nulli unquam labori pepercit in evolvendis Scriptoribus, vel antiquis, vel novis, unde Geographiam lucem capere poſſe arbitraretur. *Voſſ.* de Mathem.

Inter veteris autem illius *Geographiæ* excultores equidem familiam ducere, & omnium Principem arbitror *Philippum Cluverium.* Nec dubito, idem mecum ſenſuros, qui quidem animo defæcato volumina illius, ſaltem illa, quibus *Germaniam*, *Italiam* & *Siciliam* antiquam illuſtravit, legerunt : aliter enim alios nonnullos in *Batavis* judicaſſe, non me fugit: ſcio verò etiam illos partium & certaminum quorundam ſtudio nimium fuiſſe deditos. Produnt certè Scripta illa viri induſtriam in *Geographico* illo ſtudio incomparabilem. Et quidni, cùm non gravatus fuerit, pedes univerſam *Italiam* & *Siciliam* luſtrare, quò utramque eò accuratiùs poſſet enarrare. Produnt eadem lectionem infinitam, judicium acre ſimul & elegans. Nec tamen ab omnibus illa erroribus vacua dixerim. Ego fateor, in haud paucis à *Cluverio*, in *Germaniæ* cumprimis rebus, diſſentio: quas meas ſententias tibi etiam, clariſſime *Buno*, video probari. Nec tamen minus principatum in hoc doctrinæ genere illi tribuere, vel tantillum dubito: idq; quandoquidem in longè plurimis, imò in propè infinitis, non tantùm conatus omnium antegreſſos ſuperaverit, me judice, ſed etiam meliorum ſpem præceperit: ad quam doctrinæ vim collati errores nihil ſunt, niſi nævi exigui in corpore formoſiſſimo. *Herman. Conring.* in lit. ad *Ioan. Bunon.* ann. 1661. ſcript. *Phil. Cluver.* Geogr. præmiſſis.

Fuiſſe autem *Cluverium*, non duntaxat antiquæ, ſed & recentis noſtræ Geographiæ longè peritiſſimum, luculentiſſimo ſanè argumento eſt poſthumus ille libellus, quô per epitomen veteris noſtrique Orbis deſcriptionem eſt perſecutus. Nec verò vel huic quicquam ſimile videas. Quis enim alius veterem novamque Geographiam unâ operâ docuit? Utut haud negaverim, multa ſatis etiam hîc reperiri perquam mendoſa: quæ tamen jure excuſationem mereantur, quoniam ultima manus non acceſſerit, ſed fœtum immaturum mors præpropera informem propemodum multis partibus reliquerit. *Idem* ibid.

Quantum *Germaniam Cluverianam* inſpexi, neque poſſum non probare diligentiam, quæ egregii aliquid ſolet parturire, ubi vires ſuas colligens uni *Operi* affigitur. Cæterum etſi aliquid remiſiſſe videtur de ferociâ, quæ in libello antehac edito apparebat, vultum tamen audaciæ retinet. Cujus inſigne documentum eſt quòd ſæpè *voces* delet, aut immutat, nullis librorum veſtigiis, ſolâ ingenii ſui fiduciâ. Reprehendendi quoque alios magna eum tenet prurigo, quem morbum eò patientiùs in ipſo qui vivunt ferre debent, quòd *Cæſar*, quod *Strabo*, aliique præſtantiſſimi *Authores* ſæpe ab illo ſupinæ ignorantiæ aguntur rei: cum quibus unà culpari, id verò mihi videtur eſſe laudari. *Hug. Grot.* in epiſt. ad *Joan. Iſaac. Pontanum*, *Roterod.* 20. Jan. 1616.

In quo ſcripto, erudito admodum ac operoſo, de *Germaniæ* limitibus ac terminis, de habitu ac cultu, de Religione Gentis, pietate, armis, jure, oppidis ac populis, adverſus ipſam ſæpè Antiquitatem, ea vel excogitavit, vel ex diſciplinæ ſuæ fundamentis, maximo ingenio produxit; quæ, ut eam, cui ſpiritum ac lucem ſe debere exiſtimabat, in poſſeſſionem veræ laudis ponunt, ſic autori, quantum eruditionis, tantum pietatis adſtruxerunt. *Dan. Heinſ.* in orat. quam in obit. *Phil. Cluver.* conſcripſit.

Dominus *Chriſtophorus Cellarius* libro ſuo, qui inſcribitur *Geographia antiqua* &c. non ſine cauſa obſervat *Cluverium* ea accuratione non elaboraſſe ſuam *Geographiæ Epitomen*, quæ in ejus Antiqua Germania deprehenditur, ut & in ejus *Italia* ejuſque *Sicilia*. Qui illa *Epitome* ad Geographiam addiſcendam uſi ſunt obſervare potuerunt eum frequenter locorum limites perperam deſignare, cùm intra eadem confinia duas diverſas Nationes concludat, quod notari poteſt illis Capitibus quibus de *Pannonia*, de *Dacia*, imò & de *Italia* ſcribit, ſi cum hujus quam ipſe adornavit Tabula conferantur. Sæpe incognita loca vel exiguos pagos memorat, inſigneſque præterit Urbes. Quia tamen magnam ſibi paravit famam, factum eſt, ut qui poſt illum Geographiæ compendia contexuerunt, illum abſque prævio examine tranſcripſerint ſæpiuſque eoſdem quos ipſe errores erraverint. Ipſæ Editiones *Cluverii* Epitomes cui Tabellæ fuerunt adjunctæ, præterquam quod mendis ſcatent, uſque adeo neglectæ ſunt, ut Tabellæ Authoris deſcriptionibus minimè reſpondeant: adeo ut pateat Tabulas illas à quibuſdam aliis, nullo *Cluverii* reſpectu habito, tranſumptas fuiſſe. Biblioth. Univerſ. Tom. 12. p. 392. 393. Gall.

Intrepidus omnium, quæ ipſi exhibita ſunt, aſſervator, & ſub *antiqua Germaniæ* titulo novator maximus. *Grot.* in prolegom. *Hiſtor. Goth.*

Lector

Lector ſtatim in Deſcriptione *Siciliæ* animadverteret, me *Cluverium* maximè ſequi, qui de veteri *Siciliâ* omnium doctiſſimè & luculentiſſimè ſcripſit. *Bochart.* in l. 1. Geogr. Sac. 27. p. 558.

Ejus ad literas natum ingenium, præſertim verò ad Linguas omnibus admirationi fuit. Denas magna cum facilitate loquebatur, nimirum *Græcam, Latinam, Germanicam, Gallicam, Anglicam, Hollandicam, Italicam, Hungaricam, Polonicam, Bohemicam. Moreri* Diction. Gallico.

Extant *Italiæ* antiquæ Libri 4. editore *Dan. Heinſio. Lugd. Bat.* in fol. 1624.

Extat *Germania* Antiqua, item *Vindelicia Noricum* ibid. in fol. apud *Lud. Elzevir,* anno 1616.

Extant *Sicilia* : *Sardinia* : *Corſica* antiqua, ibid. 1619. fol. apud eundem.

JOANNES BARCLAIUS.

NAtus eſt *Aberdoniæ* ex Antiquiſſimâ *Scotorum* familiâ, viceſimo octavo Januar. Anno Dom. 1582. Obiit 12. die Aprilis, Anno Dom. 1621. Clar. An. D. MDCXX.

Scripta ejus ſunt : *Euphormionis Luſinini* ſive Satyricon lib. 5. Argenidis lib. 5. Icon Animorum : Carminum lib. 3. Aliaque Opp. MS.

Quis fuerit, aurea ejus Monumenta ſatis produnt, *Gallia* prædicat, promulgat *Anglia, Roma* eloquitur. Dignus planè quem omnium Gentium vota optent in Civem---Ad immortalitatem *Barclaii* una ſufficiet illius *Argenis*, quam *Richelaus* ævi noſtri miraculum aſſiduis (ut aiunt) verſabat manibus, habebatque quaſi præceptricem ac directricem illius regiminis, quo deinceps *Galliam* venerabilem juxta terribilemque gentibus cæteris fecit. Sed herclè nemo niſi forte non amans, aut ignarus optimarum artium, divini, ut ita loquar, iſtius Operis admiratione non rapiatur : nam ſi cum rerum gravitate majeſtatem characteris ponderas, mirabere in unâ *Argenide Pandoram* donis omnibus à Diis auctam : apiculam variorum florum ſucco gravidam undequaque delibato; habet enim Heroicum *Tullii* vigorem, *Laconiſmum,* & politicam *Taciti, Livii* antiquitatem, floſculos puros *Petronii*, ſales fabuloſos *Naſonis*, poeticam *Maronicâ* vix inferiorem. Ubi ſolutâ, nemo penè diſertius; ubi ſtrictâ, nemo ſolertius. Seria jocis, prophanis ſacra ſic temperat, nemo ut ſit ex templo, ex foro, qui non imbutus modò optimis artibus, ſed & optimis moribus inſtitutus ab hac *Argenidis* lectione abeat. Sed quàm ſuaviter ſuſpenſos animos fallit! Quàm ſolerter triumphantem de vitio, fortunæque ludo virtutem ſub fictis nominibus, & ad ſuſtinendas perſonas idoneis in ſcenam inducit. Vita *Barclaii* præfix. *Argenid.*

Satyricon ſcripſit : quo *Anglicæ, Gallicæ, Belgicæ, Lotharingæ* Aulæ veram ſui temporis delineavit Iconem, tantam apud omnes gratiam promeruit, ut non ſolùm omnes hujus ævi parentes eloquentiæ, ſed veterum in hoc genere ſcripta, ipſiuſque *Petronii Satyricon* ſuperaſſe cenſeretur. Hoc abreptus faſtu adversùs *Sectarios* invehendi munus ſuſcepit, ſed hauſta è Cardinalis *Bellarmini* ſcriptis doctrinâ, vix ipſe Theologicis rudimentis imbutus effudit oleum & operam.

Digitized by Google

Pariter fraudatus honoris, melioriſque ſtatûs acceſſione, humanæ jam cedens iniquitati, ad viridarii cujuſdam ſui culturam animum appulit, ubi tranſumptis undique floribus pretioſioribus, jucundiſſimo aſpectu temporis tædium fallere nitebatur. *Ioan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Fuit enim verò hic morum facilitate præditus, & ingenio fucis aulicis, urbaniſque diſſimulationibus æquè apto: hinc *Romani* proceres hac ejus indolis imbibiti opinione, graviter uſque adeò ſenſere de ipſo, ut *Catholicam* fidem haud ex animo, verùm diſſimulanter profiteri ſuſpicarentur; illius nempe ſectatorem hæreſis, cujus inſtitutum eſt religioni ſe locorum prout occaſio, ac res propria tulerit, devovere. Neque concepta hæc ipſius vel defuncti evanuit nota, quippe Inſcriptionem ac *Statuam*, quam ejus gloriæ filius, in Eccleſiâ S. *Laurentii* extra muros erexerat, cautiore Patres conſilio ſublatam, ac deletam voluerunt. *Idem* ibid.

Amœniſſimi ingenii vir, & quem ſuô meritô omnis elegantiæ compendium mihi vocare videor. *Forſtner.* ad lib. 2. Tacit. Annal.

Argenis Barclaii pleniſſima bonæ frugis. *Conring.* de civ. prud. cap. 14. ubi & *pag.* 322. Ejus *Iconem Animorum* ita ſanè elegantem dicit, ut & æmulandi conatus omnibus videatur præreptus.

Barclaii Argenis haud dubiè præcellit, quicquid placeat illis, quibus lubido eſt, pulcherrimos vultus accuſare, quòd non ſint pulchriores. Præſidium illi viro ingens ex arcanâ ingeniorum animorumque diſciplinâ, cujus eximium ſpecimen dedit in *Icone Animorum*, libello exquiſitæ ſubtilitatis & elegantiæ. In *Barclaio* Regii amores caſtiſſimè, negotia regni graviſſimè, ſubtilitates vitæ accuratiſſimè tractantur. *Joh. Hen. Boecler.* in ſpecim. ſubtilit. polit. n. 39. 40.

Acutiſſimus Politicus *Barclaius*, juvenis viginti annorum ſub *Euphormionis* nomine eâ prudentiâ & majeſtate omnium *Europæ* Rerumpublicarum vitia & virtutes Satyrico ſale perſtrinxit, ut univerſum Orbem in ſtuporem dederit. *Ioh. Andr. Boſius* introduct. in notit. Rerump. cap. 5. ſect. 10.

Scriptioni deditus ſuavi ſtylo *Argenidem* conſcripſit. Opus varium, inventione & elocutione præclarum, ſententiiſque plenum. Meditabundus multa præterea contexuit; ſingularum in primis Gentium mores. Earum characteres dedit eleganti libello, quem *Iconem Animorum* inſcripſit. Nec minori in Carminibus facilitate eruditorum ſuffragia promeruit: quos conciliaverat ſibi grata converſatio, argutus ſermo, ſed & jocoſis ſine ſale adeo facetus; ut multi dubitaverint, ipſum *Euphormionis* auctorem. Nec minus *Gregorio* XV. charus, & *Maphæo Barberino* purpuratorum Principi, literarum acerrimo æſtimatori gratiſſimus fuit: quorum liberalitate familiam ſuam in dies locupletiorem percepit. *Thomaſin.* in Elog.

Joannes Barclaius Latinus oppidò Scriptor & elegans, *Iconem Animorum Argenidem* edidit; ſolutæ orationi ligatam hinc illinc miſcuit; tres inſuper libros inſcripſit *Euphormionis Luſinini Satyricon*: Hoc Scriptum in omnes ferè tam politicos quàm ſacros hominum ordines pugnavit; ſed accuſationibus id urgere inſtituti mei non eſt: ſinamus manes quieſcere. Hoc riſu digniſſimum. A *Barclaio*

Digitized by Google

claii morte homines ſimplices & prorſus albæ mentis quædam præfixo ejus nomine obſtruſerunt edita, (riſum teneatis, amici?) ac ſi literarum hoc ævum à plumbo neſciret aurum diſtinguere. *Drexell.* in Aurifod. p. 258.

Gallus quidam *Satyricon* ad *Petronii* imitationem, Styloque *Petroniano* compoſuit. Plures illi errores inexiſtunt, quos plurimi non animadvertent, ut in Domini *Bezæ* Carminibus, plures occurrunt Gallicismi. *Scaligerana* 2. Gall.

Eſt & quamquam rarius, ubi in quantitates ſyllabarum, eſt ubi in dictionis *Latinæ* munditiem impingit *Joannes Ovvenus*, quod ipſi cum celebratiſſimo aliàs *Barclaio* commune. *Borrich.* de Poet. p. 155.

Prodiit tandem, velut aurum ex Marchaſitâ, & uniones ex Matrice conchâ, *Icon animorum* Joannis Barclaii. Cui ego auctori, non modò præſtanti facundiâ, ſed omni genere laudis, quæ ex literarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, ne ex illis quidem veteribus *Romanis* quenquam antepono. *Gab. Naud.* Bibliograph. Polit.

Quis fuerit *Joh. Barclaius* dicit compendio *Hugo Grotius*:

Gente Caledonius, Gallus *natalibus hic eſt*,
Romam Romano *qui docet ore loqui.*

* *Ioannis Barclaii Euphormio Luſininus*, ſive *Satyricon* in variis editionibus corrigitur *Indice Madrit.* Impreſſ. ann. 1667.

Extant libri 3. Argenidis, cum Notis Variorum *Lugd. Bat.* ex officinâ *Hackianâ* Vol. 2. 8°. 1664. & 1674.

Extat Satyricon, nunc primùm in 6. partes diſpertitum, & Notis illuſtratum, cum Clavi Acceſſit Conſpiratio *Anglicana. Lugd. Bat.* ex Officinâ *Hackianâ*. 1674. 8°.

Hoc ejus Epitaphium:

Heu plangit, meminitque ſui Parnaſſus *alumni*,
Sicque gemit ſparſis Muſa ſecuta comis.
O fatum! Ah! noſtræ cecidiſti gemma coronæ:
Occidit ante ſuum noſter Apollo *diem.*
Parcite Pierides *lachrymis, in latius ora*
Fingite; nam terris veſter Apollo *micat.*
Dum vivent æterna tui monimenta libelli,
Barclai, *vives cuncta per ora virûm.*
Hæc tua per totum te prædicat Argenis *orbem*,
Cum ſcelus imperii, ſed ſine dente notas.
Caſtaliis *puras hauſiſti è fontibus undas*,
Quas modò digeſtas ecce propino libens.
Has quicunque tumens prono non appetet ore,
Tantalus *in mediis ardeat alter aquis.*

Fercula

Digitized by Google

Fercula diverſis dapibus condita miniſtro,
Hoc ſine non ſapiet docta Minerva *ſale.*

THOMAS CAMPANELLA.

Clar. An. D. MDCXX. C*Alaber*, *Stylenſis*, Ordinis Prædicatorum, natus eſt 5. die Septembris, An. 1568. Obiit *Lutetiis* Menſe Maii Anno 1639.

Hoc ejus Symbolum,

PROPTER SION NON TACEBO.

Scripta ejus hæc ſunt: Phyſiologia: Quæſtiones Phyſiologicæ: De ſenſu Rerum: Opuſcula Phyſica: Metaphyſica: Poetica: Atheiſmus Triumphatus: Tractatus Aſtrologicus: Monarchia *Hiſpaniæ*: Tractatus varii Medicinalium.

Scripſit ab anno ætatis vigeſimo, non quæ ab aliis ſcripta erant, ſed in hoc incumbens, ut nova in omnibus ferè ſcientiis excogitaret. *Leo Allat.* Ap. Urban.

Scripſit ingens *Opus*, de *Reformatione Scientiarum*, decem in Codices diviſum, quorum ſinguli, plures in partes diſtribuuntur; unde, nihil acutiſſimo ingenio homini tam fuiſſe propoſitum apparet, quàm relictis veteribus viis ad omnium ſcientiarum notitiam, novum atque directum iter aperire. Scripſit etiam alia permulta, partim edita, partim nondum impreſſa, quorum index à *Jacobo Gaffarello* recenſetur. *Jan. Nic. Eryth.* in Pinacoth.

Amicus etiam noſter *Thomas Campanella* juxta doctrinam ſuarum *Primalitatum Ethicam* novam compoſuit, quæ ſub *Epilogiſmi* nomine cum Philoſophiâ ſuâ Naturali, & *Politicâ* typis commiſſa fuit à *Tobia Adamo*, ſtylo quidem non ita compto delineata, ut *Ciceronianis* arridere poſſit, ſed eâ nobilitate cogitationum, rationumque ſubtilitate, ut omnibus ſapientiæ Myſtis non poſſit eſſe non ſummoperè gratiſſima. *Gab. Naud.* in Bibliograph. Polit.

Secundus ab ipſo fuit *Thomas Campanella*, ardentis penitùs, & portentoſi vir ingenii, qui dum in tenebris, & pædore carceris vitam traduceret, *Civitatem ſolis* delineavit, eâ cogitationum novitate, & ſublimitate ſenſuum, ut præter Philoſophicas ſpeculationes multa etiam contineat queis *Reipublicæ* meliùs adminiſtrari poſſent, & Homines ipſi meliores evadere. *Idem* ibid.

Campanella philoſophatur magnâ ſeveritate, ſed ſuâ *Metaphyſicâ* Methodo; proinde moleſtâ. Docet, obteſtatur, blanditur, ut res tulit, & tractationis ordo: dum ſæpius magis ſuaſoriis, quam fortibus & heroicis argumentis armatus in prælium, magis luctam dixeris fuiſſe, deſcendit; in arduis ceſpitat, hoſtem armis fermè exutum jam dimittit, aut negligit ſæpius; cui periculo ſuſtinendo, præjudicio orbis *Chriſtiani* ſe commiſerit. *Joan. Deckler.* ſcript. Adeſpot. 1686. pag. 323.

Thomi

Thomæ Campanellæ Civitas Solis laude quidem digna, multùm eſt tamen infra *Th. Mori Utopiam*. *H. Conring.* de Civ. Prud. c. 14.

Omnibus hiſce (*Cyriaci Strozzæ ſupplemento, Franc. Patricii Senenſis Opere de Republicâ, Adovardi Gualandi libris de civili facultate, &c.*) præſtant, licet mole exigui & in carcere ſine omni librorum auxilio alienum ad calamum dictati, *Politici Aphoriſmi Thomæ Campanellæ*, quos Latinè verſos partem tertiam Philoſophiæ Realis inſcripſit *Tobias Adami*: arguunt ſanè capax atque verſutum Auctoris ingenium; perinde atque liber *de Monarchiâ Hiſpanica* prodit admirandam. Cæterùm hi *Aphoriſmi* tangunt quidem politicæ Philoſophiæ perquàm multa, plenè nihil exſequuntur: plura etiam docent perperam, quàm à *Grotio* animadverſa ſunt. *Conring.* de Civ. prud. p. 358.

Campanella iſte homo fuit callidus, ſine ulla religione & fide, *Machiavelli* dogmatum acerrimus pariter reprehenſor, & fucatus Doctor A c. 14. uſque ad 31. ejus *Monarchia Hiſpanica* lectorem curioſum meretur. Scripſit hoc opus decennali miſeriâ in pædore carceris, & ægrotus, nullos in ſubſidium habuit libros, imò ipſa *Sacra Biblia* ipſi adempta ſunt, ut ipſi agnoſcendum ſit, ſicubi quædam delirans dixit. *Herm. Conring.* de *Hiſpan.*

Monachus iſte *Campanella*, vir ſtupendi & portentoſi ingenii, in libro ſuo de *Monarchiâ Hiſpanicâ* docet quomodo *Rex Hiſpaniæ* potiri poſſet toto terrarum orbe. Varia ille ſuggerit conſilia, nec probat regimen rigidum *Hiſpaniæ*, & aſſerit facilè fieri poſſe, ut aliquando totum amittat regnum hôc duriſſimo regimine. *Idem* ibid.

Scripſit etiam *Atheiſmum Triumphatum*, qui tamen rectiùs eſt *Atheiſmus Triumphans*, idemque judicium de eo ferendum, quod *Barlæus* de Amphitheatro *Vanini* tulit. *Idem* ibid.

Cardinalis *Richelius* magna beneficia in ipſum contulit. Philoſophiam tradidit quæ paucorum palato ſapuit, quamvis ejus Profeſſor per orbem in magna eſſet exiſtimatione. Ejus quidem popularis qui elogium ejus adornavit, fatetur eum ingenii acumine, exiguo verò judicio præditum fuiſſe, moderationiſque ac ſoliditatis indigum extitiſſe. *Moreri* Diction. Gall.

Præclara ſua virtute ac eruditione dignum ſe præſtitit, qui Seculi ſui Philoſophorum Princeps audiret. *Iſaac. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

* Ob ſingularem doctrinam invidiam ſibi conflavit, apud Inquiſitores delatus, quaſi eam ex inferorum fontibus hauſiſſet: *Neapoli* etiam perduellionis reus factus, quòd regnum illud hoſtibus prodere conatus eſſet. Unde in carcerem conjectus, & 25. an. miſerrimè tractatus eſt. Tandem vinculis elapſus; in *Galliam* tanquam in Portum confugit, Regique illi & Regni Proceribus, quoad vixit, acceptiſſimus fuit. *Konig.*

Extant lib. 4. de ſenſu Rerum & Magiâ *Pariſ.* 1637. 4°.

Extat Atheiſmus Triumphatus. *Romæ* 1630. 4°. *Pariſ.* 1636.

Extant lib. 7. Medicinalium juxta propria Principia. *Lugduni* 1635. 4°.

quam ſecutus eſt *Lipſius* in admirabili & præſtantiſſimo opere de *Civili Doctrina*. Sed, Dii boni! quàm longo intervallo, quàm non paſſibus æquis veſtigia ſectatur. *Baud.* in Cent. 2. Epiſt. 13.

Grutterus non curat utrum Charta ſit cacata, modò libros excudat. Omninò idoneus eſt ad veteres libros reviſendos: In *Martialem* & in *Senecam* Tragicum optimè laboravit; in *Philoſophum* verò ex aliis corraſit. *Commelinus* retulit mihi *Gruterum* ſtultum, imò valdè ſtultum eſſe. Dum ſtudendo aliquid non capit, ſtomachatur, ſuoſque libros in humum abjicit *Scaligerana* poſterior. Gallicè.

Leguntur illius *Carmina* variæ ætatis, varii generis, ſed quæ vetuſtate quidam peculiari ac propriâ ſemper uni reſpondent authori. Ubique etiam elegantiarum & ſapientiæ tantum miſcuit, quantum Poetæ antiquo & *Romano* eſſet ſatis, & cuivis Philoſophorum non parum. Et hæc tamen pleraque per ludum tantum in jocum codicillis inſerebat. Ut cætera quibus amicis gratulatus eſt, non attingam, ſola *Bibliotheca Exulum*, non multò priùs luci data, quàm luci Author ereptus, planè talis eſt, ut non Hominis, ſed ipſius *Virtutis* manibus videatur perſcripta. Singuli verſus, ſingula ſunt oracula. Quod ſi ſecundum *Neoptolemum Nevianum*, *paucis eſt Philoſophandum*, ex hoc libro eſt Philoſophandum, quippe molis tam exiguæ, ut vix manum, ſapientiæ verò tantæ, ut titulum ſuum non impleat modò, ſed etiam ſuperet. Jam *Inſcriptiones veteres*, cùm etiam in *Saxis*, & *Marmoribus* conſeneſcerent, nec in illâ duriſſimâ materiâ durabiles eſſent, *æternitatem*, ſi qua poteſt eſſe in *rebus humanis*, à *Grutero* acceperunt. *Balthaſ. Venator.* in Panegyr. *Jan. Gruter.* ſcripto, p. 258. 259. Tom. 1. Memor. Philoſophor. noſtri Sec. per *Henning. Witten.*

* Quædam corrigenda ſunt tam in *Jani Gruteri* Notis in Hiſtoriæ *Auguſtæ* Scriptores, quàm in ejuſdem Annotationibus in *Salluſtium*. *Index Madrit.* Impreſſ. ann. 1667.

Extant Suſpicionum lib. 9. *Witteb.* 1591. in 8o.

Extat Bibliotheca Exulum. *Argent.* 1624. in 12mo. *Francof.* 1625. in 8o.

Extat Lampas, ſive Theſaurus Criticus, Vol. 7. *Francof.* 1607. 8o.

Extant Inſcriptiones totius *Orbis Romani* Antiquæ. *Francof.* 1616. in Fol.

In hunc Auctorem hæc Carmina compoſuit *Sam. Roſenbomius*:

Gratus *es in* Verſu, Grutere *diſertè, ſonoro,*
Ut te vix alter gratior eſſe queat.
De locuplete penu tu cuncta recondita promis,
Ore ſuſurranteis ac imitaris apes.
Quæ veluti Nectar delibant nobile florum,
Et ſtipant liquidis cerea regna favis.
Sic tu, quicquid habet Latium, *vel* Græcia *quicquid,*
Congeris ingenii fertilioris Opus.
Hujus opes quoties ſummis deguſto labellis,

Mire

Digitized by Google

Illico me ſaturum lectio prima facit.
Cauſam quæris? habe: Quo daps eſt dulcior, ejus
Gignit eò citiùs copia dividiam.

HENRICUS SAVILIUS.

EQues *Anglus*, *Elizabethæ Anglorum* Reginæ à ſtudiis *Græcis* & Anagnoſta, *Mertonenſis* apud *Oxonienſes* Collegii Præſes fuit. Obiit Anno 1621. Septuagenario major. Clar. An. D. MDCX.

Prælectiones in *Euclydem* confecit. Idem Operum S. *Chryſoſtomi* optimam & pulcherrimam editionem procuravit. Extat ejuſdem tractatus de *Militiâ Romanâ*. Editio *Chryſoſtomi* octo mille libris *Anglicanis Savilio* conſtitit.

Vir præſtantiſſimus, & ad miraculum eruditus *Savilius*. *Rich. Montacut.* Not. ad *Phot.* Epiſt. 2.

Nobiliſſimus *Henricus Savilius*, inter ſplendidiſſima hujus *Academiæ* ornamenta æternum memorandus. *Whear.* in Meth. Leg. Hiſt. §. 27.

Vir nobilitate atque eruditione juxta celeberrimus *Henricus Savilius*. *Idem* ibid. §. 28.

Savilius vir doctiſſimus, *Joſ. Scalig.* in Epiſt. 232.

H. Savilius, vir & eruditionis diffuſiſſimæ & fidei optimæ. *Joan. Dall.* de libr. Suppoſ. *Dionyſ. Areop.* & *Ignat. Antioch.* p. 38.

Henricus Savilius, excellentis ingenii & admirandæ eruditionis vir. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. ad *Front. Ducæum*, *Lutet. Pariſ.* Id. Maiis 1602.

Sanè quanti *Savilium* faciam, non ignoras tu, qui ad eruditiſſima ipſius *Scripta* intelligenda tantâ me operâ juviſti. *Idem* ad *Joan. Coceum Lond.* prid. Id. Sept. 1596.

Hic *Chryſoſtomus* à *Savilio* editur, privatâ impenſâ, animo regio. Ejus ferè lectione ærumnas meas levare ſoleo. *Idem* ad *David. Hoeſchelium. Lond.* Kalend. Aug. 1611.

In Notis tuis nihil diſplicet præter brevitatem & paucitatem. Cæterùm cùm cogito & ſumptuum, quos feciſti, immenſitatem, & non ferendos labores, quos per aliquot annos, quà *Exemplaria Chryſoſtomi* conquirens, quà legens & relegens, quà emendans, quà invicem comparans ſuſtinuiſti, abſolvo te ab omni culpâ, imò miror potiùs quòd reliquis laboribus (qui alium quemvis non invicti planè animi oppreſſiſſent) hunc etiam *Notas* tuas ſcribendi & alienas corrigendi addere voluiſti. *Ioan. Boiſ.* Not. in Homil. in *Geneſ.*

Quod doctè & accuratè obſervavit *Savilius*, ut pleraque alia in his *Hiſtoriarum* libris, quà illuſtrandæ *Taciti* hiſtoriæ, quà oſtendendo in quibus *Tacitus* ipſe incurioſiùs aut minus explicavit rerum geſtarum ordinem, aut contraria ſibi ipſi & repugnantia ſcripſerit. Quæ omnia ſummâ induſtriâ, diligentiâ, judicio, ab eo relata. *Ioſ. Mercer.* in Not. ad *Tacit.* l. 1. Hiſt.

Eruditiſſimus, & omni literaturâ politiſſimus *H. Savilius* in doctiſſimis ad

Tacitum Notis: quas *Reip.* intererat, aliâ etiam linguâ, quàm *Anglicâ* in vulgus dari. *Idem* in Not. ad *Tacit.* l.1. Annal. c.74.

Annus & hic apud nos abſtulit *Henricum Savilium*, Equitem omni virtutum, omniumque ſcientiarum genere inſtructiſſimum, qui plurima eruditionis ſingularis monumenta edidit---Sicut boni omnes vivum ſummoperè dilexerunt propter doctrinam quæ in eo eximia fuit; ita in mortuo ornando, mutuâ æmulatione certarunt. *Robert. Johnſton.* de *Reb. Britann.* l.18.

Noſter utrâque arenâ [& *Theologicâ* & *Philoſophicâ*] inter exercitatiſſimos valens *Athleta*, *Græcæ* & *Romanæ* linguæ, omniſque in ea elegantiæ *arbiter* ſcientiſſimus, & per cuncta legi ac ſciri digna acerrimo graſſatus judicio. *Iſaac. Gruter.* in Lit. ad Lect. quas *Henr. Savil.* Comment. in *Tacit.* præmiſit.

Anno 1610. *Henricus Savilius*, Eques *Britannus*, ſuas in *Euclidem* prælecturas juris faciebat publici. Vir eo nomine de ſtudiis benèmeritus; magis autem, quòd *Profeſſionem Mathematicam* de ſuo inſtituerit in Academiâ *Cantabrigienſi*: & quòd, magno Eccleſiæ bono, *Etonenſi* prelo dederit longè optimam, & pulcherrimam editionem B. *Chryſoſtomi Voſſ.* de Scient. Mathemat. p.339.

Dominus *Savilius B. Chryſoſtomi* Opera ſummâ curâ recognovit, ad normam plurium Veterum Manuſcriptorum magno labore & ingentibus expenſis conquiſitorum per totam *Europam*, imò & in ipſa *Græcia*, in quam homines data opera ablegaverat. Sed quantumvis accuratè hanc editionem emendatam evulgare conatus fuerit, plura tamen ejus loca corrupta remanſerunt, quorum genuinum ſenſum divinari difficile poteſt. *Ephemerid.* Eruditorum Kal. Febr. 1666. per *Gallois. Gall.*

Eques iſte præclarus optima B. *Chryſoſtomi* exemplaria ſollicitè conquiſivit eruditorumque Virorum operam adhibuit ad illa tranſcribenda & Annotationibus illuſtranda, quo facto eadem propriis ſumptibus luculentiſſimis characteribus impreſſa evulgavit; Quod onus ſubivit & geſtavit nunquam ſub ipſo fatiſcens, quamvis tanti fuerit ponderis ut cujuſvis vulgaris hominis illa fracturum fuiſſet. Sed Papiſtæ Pariſienſes ſuos in Anglia *Emiſſarios* habuerunt, qui Equitis hujus eruditos labores clam ſurreptos ſchedatim ſingulis hebdomadibus prout è prelo prodibant in *Galliam* tranſmiſerunt. Tunc *Fronto Ducæus* (Cardinalis Gallus, ut quidem arbitror,) illorum impreſſionem ibi accuravit, cum *implicita fide* atque *Obedientia cæca*, ideſt totidem *Literis* prout illos ex *Anglia* recipiebat, adjunctis tantum *Latina Tranſlatione* & quibuſdam aliis parvi momenti Additionibus. Geminæ itaque B. *Chryſoſtomi* Editiones ſtadium eodem tempore per Orbem decurrerunt, certantes ultra alteram tanquam acceptior & publicè vendibilior prævertere poſſet. Equitis *Henrici* Editio aliquot menſibus ante *Pariſinam* lucem vidit; ſed hæc illam preſſo pede ſecuta eſt & ob additam Verſionem *Latinam*, quamvis cariùs ideò conſtaret, priorem venditionis promptitudine anteivit. Sed nuper *Chryſoſtomus Savilianus* gradum valdè acceleravit, adeo ut pauca hujus impreſſionis exemplaria remanſerint. Doctor *Thomas Fuller.* de Præclaris Angliæ Viris. Vide *Eboracenſem Comitatum.* Anglicè.

Extat

Extat Commentarius de *Militiâ Romanâ. Heid.* 1601. in 8o.

Extant Prælectiones 13. in Principium Elementorum Euclidis. *Oxon.* 1621. in 4*to*.

Non longè à Sepulchro *Alexandri Fisher*, è regione autem *Bodleiani*, collocatur Monumentum [*Henrici Savilis*] Honorarium, ſplendidum abundè ac magnificum, ubi dimidiatam viri Imaginem depictam conſpicis, togâ induti, manumque libro clauſo imponentis. Ex utroque ejus latere ſurgit Columna è Marmore nigro dedolata, viri effigiem utrinque habens. Virorum ad dextram poſitorum primus, qui manu librum tenet, D. *Chryſoſtomus*; alter verò, qui virga Sphæram monſtrat *Ptolomaus* eſſe dignoſcitur, quod Inſcriptiones ſupra eoſdem poſitæ oſtendunt. Reliquorum duorum, ad Columnam utique ſiniſtram comparentium, primus manu alterâ virgam, alterâ circinum habet, & *Euclides* inſcribitur, uti noviſſimùs ille, qui manu librum tenet, *C. Tacitus*. Supra hos omnes cernuntur Genii bini, ſedentes; quorum alter faciem viri primitùs dicti in ſpeculo intuetur, alter verò ejuſdem nomen in Librum Vitæ redigit. Denique in ſupremâ Monumenti parte conſpicitur Famæ Imago, Clypeo *Saviliano* incumbentis, Buccinamque inflantis; & ſub omnibus hiſce ſimulacris comparet ejuſmodi Inſcriptio.

M. S.

Henricus Savile *Miles Collegii* { Mertonenſis *Cuſtos.* / Ætonenſis *Prapoſitus.* }

Fui.

Exuvias corporis fruſtrà ſit qui hic quarat,
Servat Pranobile depoſitum Ætona,
Perennem virtutum ac Benefactorum memoriam
Quibus Collegium utrumque, Academiam imprimis
Oxonienſem *complexus eſt, ipſumque adeo*
Mundum habet ſibi debendi reum.
Affectus inſuper pientiſſima uxoris
Poſſidet iſte lapis.

B. M. P. Margareta *conjux obſequentiſſima;*
In hoc uno quod poſuit piè immorigera.

Obiit anno CIↃIↃCXXI. Feb. 19.

Anton. à *Wod.* de Colleg. *Mertonenſi.*

TRAJANUS BOCALINUS.

R*Omanus*, vir acri ingenio, ad jocandum cum aliquo maledicto facetus, omni elegantiâ doctrinæ excultus, ſcripſit librum, in quem omnia in monte *Par-* Clar. An. D. MDCX.

te *Parnaſſo* acta, ac *Romam* perlata referuntur. Idem librum, cui *Lydii Lapidis* nomen fecit, edidit, qui ipſi ultimum exitium attulit. Quia enim in eo libro oſtendere conabatur, *Regis* cujuſdam potentiſſimi Opes non eſſe tam validas, ut labefactari non poſſent, die quodam *Venetiis*, ubi ſe tutum fore ſperabat, à quatuor validis hominibus ſacculis arenâ plenis, ita contuſus commitigatuſque eſt; ut ex ea verberatione ſupremum diem obierit; nec *Apollo* eum incolumem præſtare potuerit, cui ſummam rerum omnium tribuerat. Inepti ſunt, qui in *Boccalini* libris artem Chymicam contineri, aliis perſuadere conantur. *Konig.* in Bibliothecâ.

In *Trajano Boccalino* Cive *Romano* enituit *Hermathena* multiplicis eruditionis, & orbiculata illa ſeries omnium Scientiarum, quam *Græci* appellant *Encyclopediam*. Inter has excellebat *Politices* cognitio ſingularis; hinc *Trajanus* ſal omnis eruditi conventûs, & ſpirans liber Principibus, ac Senatoribus editus Linguâ, calamoque liberior, quàm ferret ævum adeò ſervum. Ridens plerumque verum dixit, ſeriò pupugit ludens *Boccalinus* in Orbis Theatro Satyrus palliatus acuminibus, & ſalibus facetiarum callidè temperans gravitatem ſententiarum. Complura Opera immortalitati conſecravit, quibus cenſura delapſi præſens tempus damnabat pœna mortuorum culpas viventium flagellans. Prudenter ille quidem, ſi generatim ſemper ſcribens pepercíſſet ſingularibus: quos aliquando tenui, atque perſpicuo velo potiùs ornatos, quàm tectos laceſſiivit. *Iac. Gadd.* in Elog.

Elegans admodum atque amœnum à naturâ ingenium obtinuit *Boccalinus*, quod etiam multarum rerum eruditione ac ſcientiâ expolivit atque auxit. At in eâ præſertim Arte fuit excellens, quæ in Rebuſpub. in Civitatibus rectè adminiſtrandis tota verſatur. Et in quadam ad *Scipionem* Card. *Burgheſium* ſcripta Epiſtolâ, ſe *Commentarios* in *Cornelium Tacitum* editurum ſpondet, qui nondum apparuerunt; quos ego Commentarios, pro ſingulari hominis ingenio, omni elegantiâ doctrinâque refertiſſimos eſſe, non ambigo. *Jan. Nic. Erythr.* in Pinacoth.

Manuſcriptum aliàs Commentarium ejus in *Tacitum* legi, ſed in eo tam parum reperi quod quærebam, ut à me impetrare nequiverim eundem typis mandatum relegere, ne oleum & operam denuò perderem. Memini me tunc hoc de illo judicium tuliſſe, quòd Oratoris potius quàm Politici more *Tacitum* commentetur, cùmque Tacitus plura paucis, *Bocalinus* pauca pluribus verbis dicat. Neſcio an excuſus liber ad artis normam accuratius elaboratus ſit. Vide *Taciti Moralia* Domini *Amelot* de la *Houſſaie*. Gall.

Omnes Politici Opus hoc magni æſtimant, nimirum *Boccalini* Commentarium in *Corn. Tacitum*. Imò non deſunt qui aſſerant neminem hactenus hoc Authore Politicæ adyta intimiùs penetraſſe, nec *Taciti* ſenſum feliciùs aſſecutum eſſe; à quo *Paulus* III. & *Clemens* VIII. Exemplar Politicæ deſumpſerint, unde tantam in ſuo Regimine celebritatem ſibi paraverunt. *Eruditorum* Ephemeridum Gall. Tom.7.p.24.

Bocalinus admodum varius ac volubilis eſt in ſuis de Authoribus judiciis, ut ſcribit

ſcribit *Gabriel Naudæus* Conſilio ſuo de ſua Bibliotheca conſtruenda. Alii verò etiam obſervarunt eum præconceptas ferè tantum opiniones ſuas ſecutum eſſe. *Judicia Eruditorum* Pariſ. per *Bailletum* 1685. Gall.

Eques *Iſaacus Wake* vocat Bocalini Collectiones *Parnaſſi* primam in Proſa Satyram. Celebris verò *Seldenus* ait ſe Humani cujuſvis libri quàm iſtius jacturam patientiùs quoad ſtudia ſua toleraturum. Angl.

Cum Ingenioſis Seculi noſtri Scriptoribus, qui Antiquorum quoad Inventiones æmuli fuerunt, de ſuperioritate jure merito contendere poteſt *Trajanus Boccalinus Romanus*, Architecti cujuſdam Filius. Is licet liberaliter à Natura ſolertiſſimo ingenio ditatus, ad laborem nihilo minùs ſero ſe accinxit, donec rerum, multis labentibus annis acquiſita notitia, animum ejus ad ſtudium appulit; Quò forſitan impulſus fuit, vel quòd res eſſet anguſta domi, vel quòd multos ſtudioſos literarum iter ingreſſos in favore apud Magnates eſſe animadverteret. *Laurentius Craſſus*. Italicè.

* *Boccalini Parnaſſus*, ejuſque Commentarii in *Tacitum*; prohibentur in *Indice Romæ* impreſſo anno 1681.

Prodiit *Boccalini Parnaſſus Italicè. Venet.* 1630. 4°.

Pietra del *Paragone politico*. Coſmopoli 1652. 8°.

CHRISTOPHORUS HELVICUS.

GErmanus, *Sprenlingæ* natus eſt Anno 1581. die 26. Decembris. Obiit anno 1617. *Marpurgi Græcam* & *Hebraicam* Linguam, tandem etiam Theologiam profeſſus eſt. Clar. An. D. MDCXV.

Scripta ejus multa & varia, palmam verò hæc cæteris præripiunt: Syſtema Chronologicum----De *Chaldaicis* Bibliorum Paraphraſibus-----Lexicon *Hebræum* Didacticum------Vindicatio locorum Veteris Teſtamenti à corruptelis Pontificiorum-----De Carminibus atque Dialectis *Græcorum* ----- Elementale *Hebraicum* & *Chaldaicum* ---- Libri Didactici, Grammaticæ Univerſalis, *Latina, Græca, Hebraica* & *Chaldaica*.

Præcelſum ac planè Cœleſte ingenium *Natura* huic viro conceſſerat, cujus ope ſupremum illum eruditionis gradum attigit, quô noſtrâ ætate latè conſpicuum & nitentem vidimus ----- Tantos in ſtudiis ſublimioribus fecit progreſſus, ut ſive *Linguarum Cardinalium* & *Orientalium* peritiam quis ſpectet, ſive omnium *Gentium* Hiſtoriam, & quæ illius lumen eſt, inſignem *Chronologiæ* notitiam, ipſamque eruditionem *Theologicam* reſpiciat, haud facilè quempiam inveniat *Helvico* anteponendum, ſiquidem in *Philoſophicis* etiam Diſciplinis tantam ſibi paravit Scientiam, ut cum quovis viro docto de *Argumento* quolibet acutè & eruditè conferre ſententias potuerit, ita perfectam, ita exquiſitam trium linguarum intelligentiam eſt aſſecutus, ut in iis natus potius, quàm edoctus videretur. *Theod. Spizel.* in Templ. Honor. reſerat.

Quanta fuerit ingenii ejus felicitas, in pueritia patuit, de quâ, qui eum in

Digitized by Google

primis literis erudiverunt, ingentem concepere ſpem, nec fefellit eos expectatio. Præter enim ſummos in Scientiâ Theologicâ honores; quos magno cum applauſu conſecutus eſt, & *Profeſſorii* muneris dignitatem, admirandos fecit profectus in exactâ cognitione Linguarum, *Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ* & *Syriacæ*; quibuſcum conjunxit Hiſtoriarum Sacrarum Prophanarumque cognitionem, & Rerum Aſtronomicarum ac Arithmetices tantam Scientiam, quanta in hominem cadere poteſt. Acquiſivit autem hæc omnia plurimâ lectione & vigiliis ac labore incredibili, ut abundè apparet ex *Theatro* ejus *Hiſtorico* ſive Syſtemate Chronologiæ, quo quidem Opere vix quicquam uſquam in eo genere ſol adſpexit perfectius, concinnius, limatiuſque, quod cùm omnium propè Doctorum teratur manibus, aliquoties excuſum & recuſum, noſtro non eget præconio. *Boiſſard.* in Icon.

Chriſtophorus Helveticus fuit homo multarum lectionum, laboris patiens, in Aſtronomicis & Arithmeticis exercitatus, rerum & circumſtantiarum obſervator accuratus, Linguarum (*Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, *Chaldaicæ* & *Syriacæ*) peritiſſimus, in Scriptis tum Sacris, tum Profanis verſatiſſimus. *Joan. Schup.* in Dedicat. præfix. *Helvico.*

Amiſimus talem virum, cui *Deus* omnia cumulatiſſimè dona conceſſiſſe videtur, fundamentalem rerum Theologicarum notitiam, in Religione ſinceritatem, in docendo dexteritatem acutam in Philoſophicis Scientiis ſubtilitatem, in conferendo gravitatem cum manſuetudine & animi præſentiâ conjunctam, ingenii & judicii felicitatem, inſignem in rebus *Criticis* & *Philologicis* perſpicaciam, accuratam in *Chronologicis* & *Hiſtoricis* diligentiam, eximiam Linguarum *Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ* peritiam. *Henning. Witte* in Memor. Theolog.

De ipſius in *Chronologicis* accuratâ diligentiâ, & haud vulgari ſcientiâ, præter ſcripta edita, literæ ab excellentiſſimis Chronologicis. *Setho Calviſio*, & *Joanne Behmio* ad ipſum ſcriptæ teſtantur; in quibus ingenii & judicii acumen admirati de multis cum ipſo contulerunt. *Idem* ibid.

Vir eruditiſſimus, cujus *Theatrum Chronologicum*, ſi rectè adhibeatur, ſtudioſis magno poterit eſſe uſui. *G. Calixt.* in Appar. Theolog. p. 178.

Quantum ei in *Hebraicis* præſtantiſſimus *Hebræus*, *Joannes Buxtorfius*, Profeſſor *Baſileenſis*, tribuerit, ex literis ipſius ad *Helvicum* datis abundè ſatis patet.

Primùm hoc mihi credas velim, *Helvicum* non ſatis locupletis eſſe fidei in hac Chronologiæ parte, quæ Virorum Scriptis illuſtrium ætatem ſignat: Dein hoc quoque habet *Helvicus*, quòd ferè plerumq; recentiores Scriptores ſequatur, ut *Eclogarios*, *Bibliothecarios*, &c. quale aliquid quoq; in *Calviſio* improbarat *Scaliger* quemadmodum ex Epiſtolis ejus apparet; quamvis *Calviſii* opus, ex quo totus eſt *Helvicus*, mirificè laudaret. *Tanaquill. Faber* Epiſt. l. 1. epiſt. 63.

Tractatum *Helvici* de *Chaldaicâ Bibliorum Paraphraſi* ſummoperè commendat *Andreas Rivetus* in Iſagoge ad ſac. Scriptur. c. 9.

* *Chriſtophori Helvici* Theatrum Hiſtoricum & Chronologicum, inter libros expurgandos recenſetur: ejuſdem cætera prohibentur in *Ind. Madrit.* edit. an. 1667.

Extat

Extant ejus Theatrum Hiſtoricum & Chronologicum. *Francof.* in fol. 1666. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

In hujus Auctoris effigiem hæc carmina compoſuit *Jacobus Boiſſardus*:

Helvici hac facies: genio qui inſignis Hebræus,
Theologus, Latius, Græcus & Hiſtoricus.
Proh dolor! hoc Patriæ Decus ingens morte peremptum
Heu jacet! at Scriptis vivit ubique ſuis.

PHILIPPUS CLUVERIUS.

ANno 1580. *Gedani*, celeberrimo in *Boruſſiâ* emporio, patre, ibidem rei monetariæ præfecto, ex nobili antiquâ, in *Bremenſium* agro, *Cluveriorum* gente, natus eſt. Obiit anno Dom. 1623. ætatis 43. *Italiam*, *Germaniam* & *Siciliam* antiquam ampliſſimo commentario illuſtravit. Clar. An D. MDCXVI.

Magnum *Germaniæ* Ornamentum doctiſſimus *Cluverius* noſter. *Voſſ.* in Hiſt. *Pelag.*

Cluverius vir ſtupendæ lectionis & curæ. *Dilher.* Diſput. Acad.

Vir accuratiſſimus *Philippus Cluverius. Laurent. Pignor.* in Epiſt. 26.

Philippus Cluverius vir ſingulariter eruditus, de antiquâ & novâ Geographiâ optimè meritus. *Ioan.* Card. *Bona.*

Geographorum ſuæ ætatis habitus eſt princeps: præſertim quatenus in *Geographiâ* hiſtoriam potius attendimus, quàm Matheſin. Nulli unquam labori pepercit in evolvendis Scriptoribus, vel antiquis, vel novis, unde Geographiam lucem capere poſſe arbitraretur. *Voſſ.* de Mathem.

Inter veteris autem illius *Geographiæ* excultores equidem familiam ducere, & omnium Principem arbitror *Philippum Cluverium*. Nec dubito, idem mecum ſenſuros, qui quidem animo defæcato volumina illius, ſaltem illa, quibus *Germaniam*, *Italiam* & *Siciliam* antiquam illuſtravit, legerunt: aliter enim alios nonnullos in *Batavis* judicaſſe, non me fugit: ſcio verò etiam illos partium & certaminum quorundam ſtudio nimium fuiſſe deditos. Produnt certè Scripta illa viri induſtriam in *Geographico* illo ſtudio incomparabilem. Et q idni, cùm non gravatus fuerit, pedes univerſam *Italiam* & *Siciliam* luſtrare, quò utramque eò accuratiùs poſſet enarrare. Produnt eadem lectionem infinitam, judicium acre ſimul & elegans. Nec tamen ab omnibus illa erroribus vacua dixerim. Ego fateor, in haud paucis à *Cluverio*, in *Germania* cumprimis rebus, diſſentio: quas meas ſententias tibi etiam, clariſſime *Buno*, video probari. Nec tamen minus principatum in hoc doctrinæ genere illi tribuere, vel tantillum dubito: idq; quandoquidem in longè plurimis, imò in propè infinitis, non tantùm conatus omnium antegreſſos ſuperaverit, me judice, ſed etiam meliorum ſpem præceperit: ad quam doctrinæ vim collati errores nihil ſunt, niſi nævi exigui in corpore formoſiſſimo. *Herman. Conring.* in lit. ad *Ioan. Bunon.* ann. 1661. ſcript. *Phil. Cluver.* Geogr. præmiſſis.

Digitized by Google

Fuiſſe autem *Cluverium*, non duntaxat antiquæ, ſed & recentis noſtræ Geographiæ longè peritiſſimum, luculentiſſimo ſanè argumento eſt poſthumus ille libellus, quô per epitomen veteris noſtrique Orbis deſcriptionem eſt perſecutus. Nec verò vel huic quicquam ſimile videas. Quis enim alius veterem novamque Geographiam unâ operâ docuit? Utut haud negaverim, multa ſatis etiam hîc reperiri perquam mendoſa: quæ tamen jure excuſationem mereantur, quoniam ultima manus non acceſſerit, ſed fœtum immaturum mors præpropera informem propemodum multis partibus reliquerit. *Idem* ibid.

Quantum *Germaniam Cluverianam* inſpexi, neque poſſum non probare diligentiam, quæ egregii aliquid ſolet parturire, ubi vires ſuas colligens uni *Operi* affigitur. Cæterum etſi aliquid remiſiſſe videtur de ferociâ, quæ in libello antehac edito apparebat, vultum tamen audaciæ retinet. Cujus inſigne documentum eſt quòd ſæpè *voces* delet, aut immutat, nullis librorum veſtigiis, ſolâ ingenii ſui fiduciâ. Reprehendendi quoque alios magna eum tenet prurigo, quem morbum eò patientiùs in ipſo qui vivunt ferre debent, quòd *Cæſar*, quod *Strabo*, aliique præſtantiſſimi *Authores* ſæpe ab illo ſupinæ ignorantiæ aguntur rei: cum quibus unà culpari, id verò mihi videtur eſſe laudari. *Hug. Grot.* in epiſt. ad *Joan. Iſaac. Pontanum, Roterod.* 20. Jan. 1616.

In quo ſcripto, erudito admodum ac operoſo, de *Germaniæ* limitibus ac terminis, de habitu ac cultu, de Religione Gentis, pietate, armis, jure, oppidis ac populis, adverſus ipſam ſæpè Antiquitatem, ea vel excogitavit, vel ex diſciplinæ ſuæ fundamentis, maximo ingenio produxit; quæ, ut eam, cui ſpiritum ac lucem ſe debere exiſtimabat, in poſſeſſionem veræ laudis ponunt, ſic autori, quantum eruditionis, tantum pietatis adſtruxerunt. *Dan. Heinſ.* in orat. quam in obit. *Phil. Cluver.* conſcripſit.

Dominus *Chriſtophorus Cellarius* libro ſuo, qui inſcribitur *Geographia antiqua* &c. non ſine cauſa obſervat *Cluverium* ea accuratione non elaboraſſe ſuam *Geographiæ Epitomen*, quæ in ejus Antiqua Germania deprehenditur, ut & in ejus *Italia* ejuſque *Sicilia*. Qui illa *Epitome* ad Geographiam addiſcendam uſi ſunt obſervare potuerunt eum frequenter locorum limites perperam deſignare, cùm intra eadem confinia duas diverſas Nationes concludat, quod notari poteſt illis Capitibus quibus de *Pannonia*, de *Dacia*, imò & de *Italia* ſcribit, ſi cum hujus quam ipſe adornavit Tabula conferantur. Sæpe incognita loca vel exiguos pagos memorat, inſigneſque præterit Urbes. Quia tamen magnam ſibi paravit famam, factum eſt, ut qui poſt illum Geographiæ compendia contexuerunt, illum abſque prævio examine tranſcripſerint ſæpiuſque eoſdem quos ipſe errores erraverint. Ipſæ Editiones *Cluverii* Epitomes cui Tabellæ fuerunt adjunctæ, præterquam quod mendis ſcatent, uſque adeo neglectæ ſunt, ut Tabellæ Authoris deſcriptionibus minimè reſpondeant: adeo ut pateat Tabulas illas à quibuſdam aliis, nullo *Cluverii* reſpectu habito, tranſumptas fuiſſe. Biblioth. Univerſ. Tom. 12. p. 392. 393. Gall.

Intrepidus omnium, quæ ipſi exhibita ſunt, aſſervator, & ſub *antiqua Germaniæ* titulo novator maximus. *Grot.* in prolegom. *Hiſtor. Goth.*

Lector

Lector ſtatim in Deſcriptione *Siciliæ* animadverteret, me *Cluverium* maximè ſequi, qui de veteri *Siciliâ* omnium doctiſſimè & luculentiſſimè ſcripſit. *Bochart.* in l. 1. Geogr. Sac. 27. p. 558.

Ejus ad literas natum ingenium, præſertim verò ad Linguas omnibus admirationi fuit. Denas magna cum facilitate loquebatur, nimirum *Græcam, Latinam, Germanicam, Gallicam, Anglicam, Hollandicam, Italicam, Hungaricam, Polonicam, Bohemicam. Moreri* Diction. Gallico.

Extant *Italiæ* antiquæ Libri 4. editore *Dan. Heinſio. Lugd. Bat.* in fol. 1624.

Extat *Germania* Antiqua, item *Vindelicia Noricum* ibid. in fol. apud *Lud. Elzevir.* anno 1616.

Extant *Sicilia* : *Sardinia* : *Corſica* antiqua, ibid. 1619. fol. apud eundem.

JOANNES BARCLAIUS.

NAtus eſt *Aberdoniæ* ex Antiquiſſimâ *Scotorum* familiâ, viceſimo octavo Januar. Anno Dom. 1582. Obiit 12. die Aprilis, Anno Dom. 1621. Clar. An. D. MDCXX.

Scripta ejus ſunt : *Euphormionis Luſinini* ſive Satyricon lib. 5. Argenidis lib. 5. Icon Animorum : Carminum lib. 3. Aliaque Opp. MS.

Quis fuerit, aurea ejus Monumenta ſatis produnt, *Gallia* prædicat, promulgat *Anglia*, *Roma* eloquitur. Dignus planè quem omnium Gentium vota optent in Civem---Ad immortalitatem *Barclaii* una ſufficiet illius *Argenis*, quam *Richelaus* ævi noſtri miraculum aſſiduis (ut aiunt) verſabat manibus, habebatque quaſi præceptricem ac directricem illius regiminis, quo deinceps *Galliam* venerabilem juxta terribilemque gentibus cæteris fecit. Sed herclè nemo niſi forte non amans, aut ignarus optimarum artium, divini, ut ita loquar, iſtius Operis admiratione non rapiatur : nam ſi cum rerum gravitate majeſtatem characteris ponderas, mirabere in unâ *Argenide Pandoram* donis omnibus à Diis auctam : apiculam variorum florum ſucco gravidam undequaque delibato; habet enim Heroicum *Tullii* vigorem, *Laconiſmum*, & politicam *Taciti*, *Livii* antiquitatem, floſculos puros *Petronii*, ſales fabuloſos *Naſonis*, poeticam *Maronicâ* vix inferiorem. Ubi ſolutâ, nemo penè diſertius; ubi ſtrictâ, nemo ſolertius. Seria jocis, prophanis ſacra ſic temperat, nemo ut ſit ex templo, ex foro, qui non imbutus modò optimis artibus, ſed & optimis moribus inſtitutus ab hac *Argenidis* lectione abeat. Sed quàm ſuaviter ſuſpenſos animos fallit! Quàm ſolerter triumphantem de vitio, fortunæque ludo virtutem ſub fictis nominibus, & ad ſuſtinendas perſonas idoneis in ſcenam inducit. Vita *Barclaii* præfix. *Argenid.*

Satyricon ſcripſit : quo *Anglicæ, Gallicæ, Belgicæ, Lotharingæ* Aulæ veram ſui temporis delineavit Iconem, tantam apud omnes gratiam promeruit, ut non ſolùm omnes hujus ævi parentes eloquentiæ, ſed veterum in hoc genere ſcripta, ipſiuſque *Petronii Satyricon* ſuperaſſe cenſeretur. Hoc abreptus faſtu adversùs *Sectarios* invehendi munus ſuſcepit, ſed hauſta è Cardinalis *Bellarmini* ſcriptis doctrinâ, vix ipſe Theologicis rudimentis imbutus effudit oleum & operam.

Pariter fraudatus honoris, meliori ſque ſtatûs acceſſione, humanæ jam cedens iniquitati, ad viridarii cujuſdam ſui culturam animum appulit, ubi tranſumptis undique floribus pretioſioribus, jucundiſſimo aſpectu temporis tædium fallere nitebatur. *Ioan. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Fuit enim verò hic morum facilitate præditus, & ingenio fucis aulicis, urbaniſque diſſimulationibus æquè apto: hinc *Romani* proceres hac ejus indolis imbibiti opinione, graviter uſque adeò ſenſere de ipſo, ut *Catholicam* fidem haud ex animo, verùm diſſimulanter profiteri ſuſpicarentur; illius nempe ſectatorem hæreſis, cujus inſtitutum eſt religioni ſe locorum prout occaſio, ac res propria tulerit, devovere. Neque concepta hæc ipſius vel defuncti evanuit nota, quippe Inſcriptionem ac *Statuam*, quam ejus gloriæ filius, in Eccleſiâ S. *Laurentii* extra muros erexerat, cautiore Patres conſilio ſublatam, ac deletam voluerunt. *Idem* ibid.

Amœniſſimi ingenii vir, & quem ſuô meritô omnis elegantiæ compendium mihi vocare videor. *Forſtner.* ad lib. 2. Tacit. Annal.

Argenis Barclaii pleniſſima bonæ frugis. *Conring.* de civ. prud. cap. 14. ubi & *pag.* 312. Ejus *Iconem Animorum* ita ſanè elegantem dicit, ut & æmulandi conatus omnibus videatur præreptus.

Barclaii Argenis haud dubiè præcellit, quicquid placeat illis, quibus lubido eſt, pulcherrimos vultus accuſare, quòd non ſint pulchriores. Præſidium illi viro ingens ex arcanâ ingeniorum animorumque diſciplinâ, cujus eximium ſpecimen dedit in *Icone Animorum*, libello exquiſitæ ſubtilitatis & elegantiæ. In *Barclaio* Regii amores caſtiſſimè, negotia regni graviſſimè, ſubtilitates vitæ accuratiſſimè tractantur. *Joh. Hen. Boecler.* in ſpecim. ſubtilit. polit. n. 39. 40.

Acutiſſimus Politicus *Barclaius*, juvenis viginti annorum ſub *Euphormionis* nomine eâ prudentiâ & majeſtate omnium *Europæ* Rerumpublicarum vitia & virtutes Satyrico ſale perſtrinxit, ut univerſum Orbem in ſtuporem dederit. *Ioh. Andr. Boſius* introduct. in notit. Rerump. cap. 5. ſect. 10.

Scriptioni deditus ſuavi ſtylo *Argenidem* conſcripſit. Opus varium, inventione & elocutione præclarum, ſententiiſque plenum. Meditabundus multa præterea contexuit, ſingularum in primis Gentium mores. Earum characteres dedit eleganti libello, quem *Iconem Animorum* inſcripſit. Nec minori in Carminibus facilitate eruditorum ſuffragia promeruit: quos conciliaverat ſibi grata converſatio, argutus ſermo, ſed & jocoſis ſine ſale adeo facetus; ut multi dubitaverint, ipſum *Euphormionis* auctorem. Nec minus *Gregorio* XV. charus, & *Mapheo Barberino* purpuratorum Principi, literarum acerrimo æſtimatori gratiſſimus fuit: quorum liberalitate familiam ſuam in dies locupletiorem percepit. *Thomaſin.* in Elog.

Joannes Barclaius Latinus oppidò Scriptor & elegans, *Iconem Animorum Argenidem* edidit; ſolutæ orationi ligatam hinc illinc miſcuit; tres inſuper libros inſcripſit *Euphormionis Luſinini Satyricon*: Hoc Scriptum in omnes ferè tam politicos quàm ſacros hominum ordines pugnavit; ſed accuſationibus id urgere inſtituti mei non eſt: ſinamus manes quieſcere. Hoc riſu digniſſimum. A *Barclaii*

clai morte homines ſimplices & prorſus albæ mentis quædam præfixo ejus nomine obtruſerunt edita, (riſum teneatis, amici?) ac ſi literarum hoc ævum à plumbo neſciret aurum diſtinguere. *Drexell.* in Aurifod. p. 258.

Gallus quidam *Satyricon* ad *Petronii* imitationem, Styloque *Petroniano* compoſuit. Plures illi errores inexiſtunt, quos plurimi non animadvertent, ut in Domini *Bezæ* Carminibus, plures occurrunt Galliciſmi. *Scaligerana* 2. Gall.

Eſt & quamquam rarius, ubi in quantitates ſyllabarum, eſt ubi in dictionis *Latinæ* munditiem impingit *Joannes Ovvenus*, quod ipſi cum celebratiſſimo aliàs *Barclaio* commune. *Borrich.* de Poet. p. 155.

Prodiit tandem, velut aurum ex Marchaſitâ, & uniones ex Matrice conchâ, *Icon animorum* Joannis Barclaii. Cui ego auctori, non modò præſtanti facundiâ, ſed omni genere laudis, quæ ex literarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, ne ex illis quidem veteribus *Romanis* quenquam antepono. *Gab. Naud.* Bibliograph. Polit.

Quis fuerit *Joh. Barclaius* dicit compendio *Hugo Grotius* :

Gente Caledonius, Gallus *natalibus hic eſt*,
Romam Romano *qui docet ore loqui.*

* *Ioannis Barclaii Euphormio Luſininus*, ſive *Satyricon* in variis editionibus corrigitur *Indice Madrit.* Impreſſ. ann. 1667.

Extant libri 3. Argenidis, cum Notis Variorum *Lugd. Bat.* ex officinâ *Hackianâ* Vol. 2. 8°. 1664. & 1674.

Extat Satyricon, nunc primùm in 6. partes diſpertitum, & Notis illuſtratum, cum Clavi Acceſſit Conſpiratio *Anglicana*. *Lugd. Bat.* ex Officinâ *Hackianâ*. 1674. 8°.

Hoc ejus Epitaphium :

Heu plangit, meminitque ſui Parnaſſus *alumni*,
Sicque gemit ſparſis Muſa ſecuta comis.
O fatum! Ah! noſtra cecidiſti gemma coronæ:
Occidit ante ſuum noſter Apollo *diem.*
Parcite Pierides *lachrymis, in latius ora*
Fingite; nam terris veſter Apollo *micat.*
Dum vivent æterna tui monimenta libelli,
Barclai, *vives cuncta per ora virûm.*
Hac tua per totum te prædicat Argenis *orbem*,
Cum ſcelus imperii, ſed ſine dente notas.
Caſtaliis *puras hauſiſti è fontibus undas*,
Quas modò digeſtas ecce propino libens.
Has quicunque tumens prono non appetet ore,
Tantalus *in mediis ardeat alter aquis.*

Fercula

Thomæ Campanellæ Civitas Solis laude quidem digna, multùm eſt tamen infra *Th. Mori Utopiam. H. Conring.* de Civ. Prud. c. 14.

Omnibus hiſce (*Cyriaci Strozzæ ſupplemento, Franc. Patricii Senenſis Opere de Republicâ, Adovardi Gualandi libris de civili facultate*, &c.) præſtant, licet mole exigui & in carcere ſine omni librorum auxilio alienum ad calamum dictati, *Politici Aphoriſmi Thomæ Campanellæ*, quos Latinè verſos partem tertiam Philoſophiæ Realis inſcripſit *Tobias Adami*: arguunt ſanè capax atque verſutum Auctoris ingenium; perinde atque liber *de Monarchiâ Hiſpanica* prodit admirandam. Cæterùm hi *Aphoriſmi* tangunt quidem politicæ Philoſophiæ perquàm multa, plenè nihil exſequuntur: plura etiam docent perperam, quàm à *Grotio* animadverſa ſunt. *Conring.* de Civ. prud. p. 358.

Campanella iſte homo fuit callidus, ſine ulla religione & fide, *Machiavelli* dogmatum acerrimus pariter reprehenſor, & fucatus Doctor A c. 14. uſque ad 31. ejus *Monarchia Hiſpanica* lectorem curioſum meretur. Scripſit hoc opus decennali miſeriâ in pædore carceris, & ægrotus, nullos in ſubſidium habuit libros, imò ipſa *Sacra Biblia* ipſi adempta ſunt, ut ipſi agnoſcendum ſit, ſicubi quædam delirans dixit. *Herm. Conring.* de *Hiſpan.*

Monachus iſte *Campanella*, vir ſtupendi & portentoſi ingenii, in libro ſuo de *Monarchiâ Hiſpanicâ* docet quomodo *Rex Hiſpaniæ* potiri poſſet toto terrarum orbe. Varia ille ſuggerit conſilia, nec probat regimen rigidum *Hiſpaniæ*, & aſſerit facilè fieri poſſe, ut aliquando totum amittat regnum hôc duriſſimo regimine. *Idem* ibid.

Scripſit etiam *Atheiſmum Triumphatum*, qui tamen rectiùs eſt *Atheiſmus Triumphans*, idemque judicium de eo ferendum, quod *Barlæus* de Amphitheatro *Vanini* tulit. *Idem* ibid.

Cardinalis *Richelius* magna beneficia in ipſum contulit. Philoſophiam tradidit quæ paucorum palato ſapuit, quamvis ejus Profeſſor per orbem in magna eſſet exiſtimatione. Ejus quidem popularis qui elogium ejus adornavit, fatetur eum ingenii acumine, exiguo verò judicio præditum fuiſſe, moderationiſque ac ſoliditatis indigum extitiſſe. *Moreri* Diction. Gall.

Præclara ſua virtute ac eruditione dignum ſe præſtitit, qui Seculi ſui Philoſophorum Princeps audiret. *Iſaac. Bullart.* Acad. Scientiarum. Gall.

* Ob ſingularem doctrinam invidiam ſibi conflavit, apud Inquiſitores delatus, quaſi eam ex inferorum fontibus hauſiſſet: *Neapoli* etiam perduellionis reus factus, quòd regnum illud hoſtibus prodere conatus eſſet. Unde in carcerem conjectus, & 25. an. miſerrimè tractatus eſt. Tandem vinculis elapſus; in *Galliam* tanquam in Portum confugit, Regique illi & Regni Proceribus, quoad vixit, acceptiſſimus fuit. *Konig.*

Extant lib. 4. de ſenſu Rerum & Magiâ *Pariſ.* 1637. 4°.

Extat Atheiſmus Triumphatus. *Romæ* 1630. 4°. *Pariſ.* 1636.

Extant lib. 7. Medicinalium juxta propria Principia. *Lugduni* 1635. 4°.

Digitized by Google

In Effigiem ejus hæc Carmina compoſuit *Jo. Bened. Perazzo Veneti.*

Exprimit elatæ ſat Nomen mentis Abyſſum.
Exprimit Agnomen famæ & ubique ſonum.
Multiplici partum portendit codice plauſum,
Quam cupidè eximii cernis Imago viri.
Numinis oſores perdit, fiduſque revelat
Abdita quæve Polo, condita quæve ſolo.
Calluit ingenio cunctas omniſcius Artes;
Fit Cous *Medicis, eſt &* Apollo Cygnis.

PETRUS CUNÆUS.

Clar. A.D. MDCXX.

Natus eſt *Fliſſingæ* apud *Zelandos*, anno 1586. Annorum 14. adoleſcens *Lugd.* apud *Batavos* per omne ferè ſtudiorum genus vagatus, *Hebraicas Græcaſque* literas potiſſimùm arripuit, & ad interiora *Hebraiſmi* ſacraria, *Rabbinicorumque* Commentarios manuductore uſus eſt *Joanne Druſio*, qui *Franekeræ Friſiorum* Linguas, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, ac *Syriacam* profitebatur; ibidemque & Juriſprudentiæ operam dedit; *Doctorque Juris* creatus eſt *Leidæ*, ubi anno 1611. demandata eidem fuerat Linguæ *Latinæ* primùm, deinde *Politicæ* Profeſſio decretumque ab Academiæ Curatoribus anno 1615. ut præter politica, *Jus* quoque *Civile* interpretaretur, quam Provinciam ad extremum vitæ ſuſtinuit. Vivere deſiit anno 1638. menſe Novembri. *Valer. Andreas* in Biblioth. Belgic.

Scripſit Sardos Venales---Satyram *Menippæam* in ſui ſæculi homines ineptè erudito,---*Juliani* Imp. *Cæſares*, ſive Satyram in Principes *Romanos*---Notas & Animadverſiones in *Nonni Panopolitæ Dionyſiaca*----De Republicâ *Hebræorum* libros tres--- Exercitationum Oratoriarum Inaugurationem----Orationum Librum.

Petrus Cunæus, vir *Latinè*, *Græcè*, *Hebraicè* ſcientiſſimus, atque idem eloquentiſſimus, & Juriſconſultiſſimus *Voſſ.* de Hiſt. *Græc.* l. 2. c. 18.

Petrus Cunæus, *Fliſſinganus*, Orientalium Linguarum, & Rabbinicorum Arcanorum ſcientiſſimus. *Hofman.*

Cunæus eſt bene doctus, ſed melancholicus. *Scalig.* poſterior.

Peracris judicii vir *Petrus Cunæus. Paul. Colomeſ.* Obſerv. Sac. p. 71.

Cunæus ſtupendum, & portentoſum ingenium. *Beverovic.* de Vit. Term. pag. 46.

Diu eſt, vir eruditiſſime, ex quo tuum mihi nomen innotuit, & ſingularis doctrina, καὶ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἀκριβὴς ἐμπειρία. Nam quum aliquot *Græca* tua Epigrammata in oculos meos incurriſſent, advertit me ſingularis elegantia & puritas dictionis, ut non antè quieſcerem, quàm de te & tuis ſtudiis eos,

eos, qui iſtinc veniebant,ſedulò eſſem percontatus. Omnes ea narrabant,quæ me facilè tibi conciliarent---In his ego nomen profiteor meum: Qui ingenuè profiteor,à tuorum lectione & meliorem me diſceſſiſſe & doctiorem. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. 578.

Libros tuos de *Republica Hebræorum*,ut omnia tua,exoſculatus ſum. Magnum illorum hîc apud non vulgariter doctos pretium eſt, tum ob obſervationes *Thalmudicas*, quas apud ipſos Autores legere cujuſvis non eſt, tum ob dictionis *Romanæ*, quâ omnibus hujus ſæculi doctis præcellis, puritatem. *Caſp. Barlæus* in Epiſt. 194.

Cunæum de *Republicâ Hebræorum* legi,neque parum inde,quod fateor, profeci: quanquam intercurrunt nonnulla, quæ malim judicii ſeverioris limâ ab illo admorſa fuiſſe, quædam etiam in quibus lauro tibi opus eſſet, cujus eſu riſum coërceres: quale eſt hoc, quod ex epiſtolâ ad *Hebræos* probare conatur, *Melchiſedecum* ipſum fuiſſe *Chriſtum*; in quo ſanè mirificè ſibi placet, cùm nihil in toto libro frigidius & ineptius mihi videatur. *Martin. Ruar.* in Cent. 1. Epiſt. p. 41.

Vidi librum de *Mari Clauſo*,magno molimine & apparatu è *Seldeno* ſcriptum. Sed non difficile erit tibi,cui has partes demandatas ſiunt,Clauſum Mare aperire,utpote & hiſtoriæ veteris,ac juris divini pariter humanique peritiſſimo. Dignum eſt te argumentum, quod demereberis *Batavos* omnes, & quotquot fortunam libero *Mari* experiri amant. *Caſp. Barlæus* in Epiſt. 317.

Quid *Cunæum*,virum eruditiſſimum,retineat,quò minus *Seldeno* reſpondeat, miror. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Lud. Camerar.* 30. Maii 1636.

Cunæi judicium magni feci ſemper, & puto fuiſſe φιλοπατρίδα, eoque magis doleo quòd in eo *Academia* fecit damnum. *Idem* in Epiſt. ad *Ger. Ioann. Voſſ.* Cal. Jan. 1638.

Erat illi [*Petro Cunæo*] dictio tam caſtigata, tam concinna, tam pura ac perſpicua,& minimè affectata ut aureum illud *Latini* ſermonis ſeculum, quod ſub *Auguſto*, & *Iulii Cæſaris* ac *Ciceronis* temporibus fuit, in eo non deſiderares----- Equidem apparuit magnis minimiſque rebus, quàm cordatus eſſet. Si in *Senatu*, ſi in foro dicenda eſſet ſententia, ſi ex ſuggeſto laboranti Academiæ ſuccurrendum, ſi ad Ordinum conſeſſum confugiendum, ſi commendandus aliquis eſſet apud eos qui rebus cum Imperio præſunt,ſemper ſe carum, ſemper virum oſtendit, & admirationem ſui vel invitis extorſit. *Adolph. Vorſtius* in Orat. Funeb. ad diem 6. Decemb. 1638.

Juriſconſultorum eminentiſſimus, *Petrus Cunæus*, vir profundæ eruditionis, &, propter puriſſimæ dictionis elegantiam & venuſtatem, ſeculi noſtri *Cicero*; & ſi quid in *Cicerone* eloquentius eſſe poterit. *Steph. Jo. Stephanus* in not. ad Saxonis Gramm. hiſt. *Dan.* lib. 6.

* *Cunæi* de *Republicâ Hebræorum* libri tres, cum expurgatione permittuntur in *Ind. Madrit.* edit. ann. 1667.

Extant Sardi Venales. *Lugd. Bat.* 1616. *in* 24.

Extat Satyra Menippea, *Lugd. Bat.* 1632. in 12.

Extant libri 3. de Republicâ Hebræorum. *Amſtelod.* 1632. in 24.
Extat exercitationum oratoriarum Inauguratio. *Amſtel.* 1621. in 4°.
Extant orationes Varii Argumenti. *Lugd. Bat.* 1640, *Witeb.* in 8°.
Extat Animadverſionum Liber in *Nonni Dionyſiaca. Hannov.* 1610. in 8°.

In noctem, quâ extinctus eſt vir incomparabilis *Petr. Cunæus*, hæc carmina compoſuit M. Z. *Boxhornius.*

Nox fuit, & nondum perluſtrat Phoſphorus *orbem,*
Nox fuit, & nondum reddidit ille diem.
Nox manet, & ſtertit Phœbus *languetque, ſuumque,*
Ut ſolet, auratum non ſinit eſſe caput.
Nec Jovis Herculeis *iterum laſcivia natis*
Jam vacat; infenſos credimus eſſe Deos.
Cunæo *æternum indixit mors invida noctem:*
Hac quemvis nobis abſtulit illa diem.

THOMAS ERPENIUS.

Clar. A. D. MDCXX.

VUlgo ab *Erpe, Batavus,* naſcitur *Gorcomii* anno 1584. 3. Idus Septembr. Prima literarum tyrocinia poſuit *Lugduni Batavorum,* ibidemque ſtudia abſolvit, Philoſophica, ſimul linguis Orientalibus dans operam, quod ſtudium auſpicatus erat potiſſimùm hortatu *Joſephi Scaligeri,* qui jam tum facilè perſpiciebat, quantum aliquando virum daturus eſſet. Unde inſtitutâ peregrinatione in *Galliam, Germaniam, Italiam*que ubique admiratores ſui invenit. *Venetiis Judæorum* eruditorum ac *Turcarum* copiam nactus, præter *Arabicam* etiam *Turcicam, Perſicam* atque *Æthiopicam* linguas didicit, reverſuſque in Patriam *Lugduni* apud *Batavos* anno 1613. Linguæ *Arabicæ* & cæterarum *Orientalium* Profeſſor à Curatoribus illius Academiæ conſtitutus fuit: Spartamque ſibi oblatam egregiè adornavit, quà docendo, quà ſcribendo & excudendo, inſtitutâ ab ipſo *Erpenio* Typographiâ earundem Linguarum. Vir fuit ſtudii conſtantis & pertinacis, morum elegantiâ atque humanitate ſingulari præditus. Obiit *Leidæ* anno 1624. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Scripſit Grammaticam *Arabicam*--Lexicon---*Arabicum*---Proverbiorum *Arabicorum* Centurias-----*Locmanni* ſapientis Fabulas ex *Arabico*----Teſtamentum Novum *Arabicè*-----Canones de Literarum *Evi* apud *Arabes* naturâ & permutatione----Rudimenta linguæ *Arabicæ*---Grammaticam Hebræam---Arcanum Punctationis revelatum---Orationes tres de Linguarum *Hebrææ* atque *Arabicæ* dignitate---Pentateuchum, *Arabicè*----Hiſtoriam *Ioſephi* Patriarchæ, *Arabicè*,---Pſalterium *Syriacum*, cum Verſione *Erpenii*---Hiſtoriam *Saracenicam.*

Mores [*Thomæ Erpenii*] compoſiti erant & ſuaves, ut facilè omnes in ſui amorem

Digitized by Google

amorem pelliceret. Ingenium felix, non modò ad aliquid capiendum, ſed etiam reſervandum: amicitiam *Londini* iniit cum *Gulielmo Bedello*, viro longè doctiſſimo, atque Orientalium Linguarum peritiſſimo: qui *Erpenium* ad eaſdem excolendas plurimùm hortabatur--- Suada quædam inſidebat viri illius labris quæ ſic Orationem temperabat, ut non ſolùm quæ tetrica viderentur, perſpicuè tractaret; ſed auditorum etiam animos incredibili quâdam perfunderet voluptate. *Voſſ.* Orat. in Obit. *Erpenii.*

Thomas Erpenius cùm aliarum literarum & Philoſophiæ callens, tum *Arabiſmi* & *Grammaticarum* ejus Linguæ *Obſervationum* mirificè curioſus & intelligens. *Caſaub.* Epiſt. 586. ad *Thuan.* p. 663.

Ille vir [*Thomas Erpenius*] videtur mihi divinitùs nactus eſſe ſpartam ornandi linguas exoticas, præſertim *Arabicam*; cujus eam cognitionem labore improbo & magnis impenſis eſt conſecutus, ut ipſis *Arabibus* fuerit miraculo jam ante unum aut alterum annum. Ego certè ſtupore defigor, quoties de illo portentoſo ingenio cogito, *Caſaub.* in Epiſt. ad *Heinſium.*

Quanta in rebus Orientalibus caligo fuit, antequam ſidus illud *Bataviæ Thomas Erpenius Arabicam* literarum orbi noſtro inferret! *Georg. Horn.* in Præfat. ad Lector. *Sever. Sulpitii.*

Vir de inſtaurandæ Arabicæ Linguæ ſtudio apprimè ſollicitus & præclarè meritus. *G. Calixt.* de V. R. C. n. 38.

Thomas Erpenius, linguarum, dum viveret, Orientalium decus & deſtina. *Meric. Caſaub.* de quat. Ling. p. 45.

Vir ſummus, Orientalium Linguarum, maximè Arabicæ, in Occidente Parens, dum vixit, colendiſſimus. *Selden.* in Præfat. ad *Eutychii* Patriarch. Alex. Eccl. ſuæ origines p. 7.

---Quemvis tamen *Arbitrum* per me Lector ſtatuat, nominatim verò ſuum ipſius *Druſii* Conterraneum, *Thomam Erpenium*, integerrimum doctiſſimumq; virum, Linguæ *Arabicæ* non peritiorem tantùm, ſed etiam multò peritiſſimum, idque de *Philarabibus* univerſis (expertus loquor) quàm optimè meritum, & aſſiduè merentem. *Nic. Fuller.* in Append. ad Miſcell. Sac.

Erpenii mors majus eſt damnum *Literarum* quàm aut dici, aut cogitari queat. Spero non defuturos qui memoriam ejus, ut par eſt, celebrent. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Jo. Grotium*, *Lutet.* 28. Novemb. 1624.

*-Hic Author ſi expurgetur, permittitur in *Ind. Madrit.* edit. anno 1667.

Extat *Grammatica Arabica Amſtelod.* 1636. & 1656. in 4°.

Extat Arcanum Punctationis revelatum. *Lugd. Bat.* 1624. in 4.

Extat *Hiſtoria Saracenica Lugd. Bat.* 1622. & 1625. in fol.

In obitum viri Clariſſ. *Thomæ Erpenii* Orientalium literarum in Academiâ *Lugdunenſi* Inſtauratoris incomparabilis.

Omnia dum Leidæ Phœbus *concedit, habebat*
Quas habuit Graius, *quaſque* Latinus, *opes*;

Intulit Erpenius *Muſas* Oriente *petitas*;
Hac deerat Batavis *gloria ſola meis.*
Sublato Domino patrias rediere ſub oras,
Et fugit Batavos *gloria tanta meos.*
O Lugdunenſis *data cui tutela* Minervæ *eſt*,
Et vatum vates diceris eſſe pater,
Heſperias ſaltem, Phœbe, *ô defende Camœnas*,
Jam victi ſpolium mors Orientis habet.

Joannes Rutgerſius.

HENRICUS SPELMANNUS.

Clar. A.D. MDCXX.

A*Nglus*, Eques Auratus, obiit Anno Dom. 1641. ætatis 78. Compoſuit Archæologum, ſive *Gloſſarium*---Librum de Conciliis----Librum de *Decimis*---De non temerandis Eccleſiis.

Eruditiſſimus & nobiliſſimus *Antiquitatum* ſcrutator *Henricus Spelman.* Eques *Anglo-Britannus*, amicus noſter honorandus. *Olai Wormii* Literat. *Danic.* c. 1.

De priſcâ literaturâ benè meritus *Henricus Spelman. Idem.*

D. *Henr. Spelmannus* inſignis & acutiſſimus *Antiquitatum Britannicarum* explorator. *Duck.* de Author. Jur. Civil. *Roman.* l. 2. c. 8.

Neſcio quo fatorum conſilio, huic ultimo ſeculo nec merenti, nec talia æſtimanti, reſervati ſunt eximii illi viri *Martinius Spelmannus*, *Kilianus*, *Voſſius Salmaſius*, *Bochartus*, *Junius*, *Menagius*, *Skinnerus*, qui primi *Etymologorum* nugari deſierunt. *Vid. Edit. Etymologici Ling. Anglic. Steph. Skinner.* in Epiſt. ad Lect. Ann. 1691. fol.

De *Spelmanni Lexico*, partem priorem vidimus ſanè utilem, & in *Saxonicis* maximè *vocibus* accuratam *Grot.* ad *Peireskium Lut.* 16. *Sept.* 1630.

Sed de iſto & aliis, malo adiri eruditum *Spelmanni Gloſſarium*: quod, hactenus dimidiatum, utinam aliquando, modò, ſuperſit, integrum publici faciat juris. *Voſſ.* de Vit. Serm. l. 2. c. 9.

Gloſſarii deinde *Spelmanniani* prodiit pars poſterior, quæ etſi multa obſervatu digna licèt indigeſta contineat, priore tamen longè inferior: ut mirum ſit virum doctiſſimum Operi, quod eruditi quique tot votis tantoque ſtudio expeterent, extremam manum non appoſuiſſe, cùm prioris partis editioni quæ anno 1626. prodiit, annis 15. ſuperfuerit. Obiit enim anno 1641. ætatis 78. Cujus quidem rei cauſam eſſe aliam non arbitror, quàm quòd *Anglicana Eccleſia Conciliorum* Collectioni ac Editioni, veteribuſque eruendis monumentis, totum dediſſet ſeſe *Gloſſarium* verò quantum exigebat dignitas argumenti abſolvere, immenſi nimiiq;

Digitized by Google

nimiique eſſet laboris. *Carol. Freſnerus* Gloſſar. in Scriptor. Med. & Infim. *Latinit*. Præfat. p. 55. 56.

Henrici Spelmannii Vocabularium utiliſſimum eſt illis qui corruptæ Latinitatis Authores legunt, *titulo ſque* veteres & *Chartas* antiquas enucleare aggrediuntur. Id typis mandandum curaverat *Spelmannus* dum viveret uſque ad literam M. Poſt ejus obitum in ipſius Scriptis ad ejus perfectionem neceſſaria fuiſſe reperta perſuadere voluerunt ejus amici; verùm præcedentibus minimè reſpondet ejuſmodi ſupplementum. Nobis etiam idem Author Conciliorum *Angliæ* copiam fecit, quæ imperfecta quoque remanſerunt. Ferunt eorum impreſſionem ex iis quæ ſcripta reliquit abſolvi. Sed Authoris hujus Opera poſthuma vix ſperari poſſunt; cùm enim ætatis, tantùm anno quinquageſimo ad ſtudia ſe accinxerit, prelo ſubjicere feſtinavit, quæcumque digna cenſuit publica luce. Cumque brevi poſtea diem obierit, multùm laborare ipſi non vacavit, nec ulli operum inceptorum ultimam admovere manum. *Ephemerides* Gall. *Eruditorum* 5. Jan. 1665. p. 2.

Tertium MS. accommodavit Nobilis ille doctiſſimuſque Dominus *Henricus Spelmannus* eques Auratus, eruditionis reconditioris, Judicii acerrimi vir, Noſtræ *Britanniæ* lumen gloriaque; amicus inſuper meus ſingularis, in ſtudiis adjutor præcipuus; & qui me primus ad *Antiquitates* eruendas tam verbo quàm exemplo aliquoties ſtimulavit erudivitque. *Gul. Watſius* Præfat. ad fin. *M. Paris*.

Eminens meritum & dignitas pientiſſimi hujus Equitis, cujuſvis laudibus aut calamo non indigent. Præſtantiſſimæ ejus Doctrina, Pietas & Sapientia optimis quibuſque coætaneis ejus notiſſimæ fuerunt: Ejuſque Opera eo vivente in lucem emiſſa, ſimul cum magno applauſu quo illum tum populares, tum exteri Nobiles eruditi, magnique Principes condecorarunt, omni exceptione majora ſunt teſtimonia. Inter omnia cætera ejus merita & Opera nullum eſt illuſtrius quàm ejus erga Deum Pietas, comprobata tùm ſancto ejus vitæ curriculo, tum ſpeciatim erudito & pio ejus Tractatu de *Juribus* & *Veneratione quæ debentur Eccleſiis*: In quo tam accuratè probavit quid Deo debeatur, ipſique reddendum ſit, tum quoad tempus cultui ejus deſtinatum, tum quoad media & loca, quibus ejus cultus eſt peragendus, ut nemo verè Chriſtianus, qui Evangelium amplectitur, lubens non prædicet ſingularia ejus merita inſignemque ejus pietatem. Magna ejus in Regni noſtri Jure Municipali notitia, ut & in aliis quibuſcumque Legibus Divinis & humanis, antiquis & recentioribus, Civilibus & Canonicis,

----Multa tenens antiqua, ſepulta, vetuſta,
Quæ faciunt mores vireſque novoſque tenentem,

cum ſingulari judicio pluribus aliis præcellentem reddunt, idoneumque ad veritatem tradendam, cùm ad ſermonem de humanis Legibus & Authoritatibus deſcendit, poſtquam Opinionem ſuam in Dei Lege firmiter fundavit.

vit. *Jer. Stephani* Præfatione Tractatui *Spelmanni* de Decimis præmiſſa. Anglice.

Henricus Spelmanus, vir nobiliſſimus ac illuſtre *Britanniæ* ſuæ decus. Vide *Steph.* in Proleg. Not. ad Hiſtor. Dan. Sax. Gr.

Variarum antiquitatum peritiſſimus. *Idem* ad lib. 8.

Maximi ingenii Eques. *Hachenb.* Germ. Med. diſp. 4. Sect. 15.

Maximum Equeſtris ordinis decus. *Ibid.* diſp. 5. Sect. 6.

THOMAS JAMES.

Clar. A. D. MDCXX.

IN *Vectâ* Inſulâ, atque opinor *Nevvporte* natus, è Scholâ *Wykehamicâ Oxonium* ad majora ſtudia miſſus eſt, & *Collegii Novi* ſocius emerſit. Anno 1593. Poſt ſeptennium à D. *Thomâ Bodley*, Equite Aurato, utpote cui probè innotuerant viri merita, in *Proto-Bibliothecarium* ſuum cooptatus, ea præſtitit quæ ad Artium ingenuarum fructum egregium haud parum conducerent; ſiquidem ſupellectilem literariam mundiorem reddidit, libroſque omnes in Catalogos bis redegit. Anno 1614. Theologiæ Doctoratum ſuſcepit, & in ſubdecanum *Wellenſem* cooptatus, quod ad *Bibliothecam* ſpectabat munus depoſuit; quo nempe ſtudiis proſequendis litibuſque expediendis (*Eirenarcha* enim nobiſcum erat) aſſiduè magis vacaret. Patrum Antiquorum familiaris erat, in libris, Manuſcriptis præſertim (quorum corruptelas nemo meliùs aperuit) evolvendis indefeſſus, Statutorum porrò & conſuetudinum Academicarum rimator oculatiſſimus. Inter Eccleſiæ *Anglicanæ* Præſules, in *Convocatione* ſolenni, *Oxoniæ* primò *Caroli* I. habitâ, (quo nimirum tempore celebrabantur ibidem *Comitia Parlamentaria*) conſidebat, authorq; fuit ut certis quibuſdam viris demandaretur Manuſcripta *Patrum Sacrorum* opera per Bibliothecas omnes *Anglicanas*, ſive publicas, ſive privatas, ſedulò evolvere; quo ſcilicet *Exemplarium Pontificiorum* errores ac ſphalmata detegerentur. *Ant. à Wod.* Antiq. *Oxonienſ.*

Scripſit varia; hæc verò primum obtinent locum: Ecloga *Oxónio-Cantabrigienſis*---Bellum Papale, ſeu Concordia diſcors *Sixti* Quinti & *Clementis* Octavi, circa *Hieronymianam* editionem---Concordantiæ Sanctorum Patrum, id eſt, vera & pia tertii libri *Canticorum* per Patres Univerſos tam *Græcos* quàm *Latinos* expoſitio-----Vindiciæ *Gregorianæ*----Index Librorum prohibitorum à *Pontificiis*---Index Generalis Sanctorum Patrum---Catalogus Librorum in Biblioth. *Bodleianâ*---Manuductio ad Theologiam---- Apologia pro *Joanne Wiclevo.*

Thomas James Oxonienſis, vir eruditus, & verè φιλόβιβλος, qui ſe totum literis & libris, in *Angliæ* Bibliothecis excutiendis (*Deus* opus ſecundet) id molitur, quod *Reipublicæ Literariæ* inprimis erit uſui. *Camden.* in *Britan.* vid. Comit. *Monmouths.*

De Opuſculo illo, cui titulus *Ecloga Oxonio-Cantabrigienſis*, en tibi Clariſſimi Viri *Joſephi Scaligeri* ſententiam, *Richardo Thomſono* per literas patefactam: Catalogus ille Scriptorum *Oxonienſium* & *Cantabrigienſium* libro-

Digitized by Google

rum mirificè me affecit; præſertim quum videam multa in illis monumenta 'eſſe, quibus res *Gallicæ* & Regni *Francorum* illuſtrari poſſint. Et præterea 'non minorem numerum eorum quibus Tyrannis Pontificia manifeſtò depre- 'hendi poſſit; tum quæ doceant quando cloacæ illæ & colluvies Monachorum 'ſeſe in Europam effuderint: ut *Loiolitæ* hodiè & *Capucini*. Habetis quoque '*Origenem* in *Celſum*, alioſque eximios *Græcos* nondum editos; quos parum 'vexari ab iis puto qui in illis Collegiis degunt. A me certè non raro revi- 'ſerentur, ſi ibi adeſſem.

Fama obtinet libri ejus, qui *Fiſcus Papalis* inſcribitur, editusque *Londini* eſt ann. 1621. Authorem fuiſſe, quem alii tamen *Gulielmo Crashavv Cantabrigienſi*, tribuunt. Utcunque, de *Jameſio* noſtro conſtat, ad induſtriam & memoriam haud vulgarem judicium planè impar adjeciſſe. *Ant. à Wood.*

Sunt qui in Bibliothecis ut Blattæ verſantur, qui libris meliores non evadunt, ſed à quibus libri deteriores fiunt, ut qui digitis ſuis illos tantùm ſordident. Sed cum Doctore *James* non ita comparatum erat: quippe qui in proprium & publicum bonum libris utebatur. Manu-ſcripti cujuſvis ætatem ſola faciei ejus inſpectione dignoſcebat, & ex Characteris forma tempus quo conſcriptum fuerat deſignare poterat. *Thomas Fuller* de Præclaris Angliæ Viris. Angl.

Extat Catalogus Univerſalis Librorum Bibliothecæ *Bodleianæ* ordine alphabetico. *Oxonii* in 4°. ann. 1620. Appendix ad eundem ibid. 1635. 4°.

Extat Ecloga *Oxonio-Cantabrigienſis* in II. libros tributa, quorum prior continet confuſum librorum MSS. in Bibliothecis Academiarum *Oxoniæ* & *Cantabrigiæ*: poſterior verò Catalogum eorundem diſpoſitum ſec. 4. facultates, ordine Alphabetico. *Londini* 1600. in 4°.

HUGO GROTIUS.

BAtavus, Patriâ *Delphenſis*, natus eſt Anno Dom. 1583. IV. Id. Aprilis. Obiit *Roſtochii* Anno Dom. 1645. Clar. An. D. MDCXX.

Hoc ejus Symbolum:

RUIT HORA

Scripta ejus hæc ſunt: De Veritate Religionis *Chriſtianæ* ---- Mare liberum ---- De Jure Belli ac Pacis lib. 3. ---- De Antiquitate Reipublicæ *Batavicæ* ---- De Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra Commentarius ---- Annales & Hiſtoriæ de Rebus *Belgicis* --- Hiſtoria *Gothorum, Vandalorum*, & *Longobardorum* --- Diſſertatio de Origine Gentium *Americanarum* ---- De ſatisfactione *Chriſti* adverſus *Socinum* ---- Apologeticus --- Comment. in omnes Veteris & Novi Teſtamenti libros --- In Conſultationem *Caſſandri* --- Florum Sparſio ad Jus *Juſtinianeum* ---- Tractatus de Fato ------ Notæ in *Martianum Capellam* ---- No-

Digitized by Google

tæ in *Lucani Pharſaliam*-------Syntagma *Arateorum*------Florilegium *Stobæi* -----Notæ breves & Emendationes in *Tacitum*-----*Adamus* exul, & *Chriſtus* patiens, Tragœdiæ Sacræ------Poëmata-------Epiſtolæ-------Votum pro Pace.

Vir ſummi & incorruptiſſimi judicii vocatur *Heinſio* in Animadv. ad *Senec.* Tragœd. p. 512.

Criticus acutus & inſignis. *Dempſter.*

Non divinarum minùs, quàm humanarum rerum ſcientiſſimus. *Voſſ.*

Seculi ſui Phœnix vocatur *Hofmanno.*

Grotium, virum excellentiſſimæ doctrinæ in omni genere literarum vocat. *Salmaſius* Exercitat. in *Solinum.*

Virum acuminis & omnigenæ doctrinæ præſtantiâ incomparabilem appellat *Seldenus* in *Mar. Clauſ.*

Seculi noſtri grande ornamentum, vel miraculum potiùs, vocatur *Voſſio* de Poët. p. 82.

Æternum Bataviæ & ſeculi ſui decus immortale. *Idem* lib. 9. de Idololatr. cap. 7.

In omnibus ſuis lucubrationibus magnus fuit *Hugo Grotius*; ſed in Epiſtolis uti & in Carminibus, incomparabilis ac Divinus *Claud. Sarrav.* in Præf. præfix. *Grot.* Epiſt.

Offertur inter alios viventium primarius *Hugo Grotius Græci, Latinique* ſermonis, nec non *Juris Cæſarei* penitiori ſcientiâ perpolitus. *Jo. Imperial.*

Summus virorum *Hugo Grotius*, lumen illud ac columen literarum: de quo nihil tam magnificum dici aut ſcribi poteſt, quin virtus & eruditio id ſuperaret ſua. *Io. Meibom.* Mecænas, c. 4.

Quo *Batavo* [*Hugone Grotio*] altero ejus terræ cum Magno *Eraſmo* lumine, nihil nunc undique eruditius, vel ſol videt, vel ſolum ſuſtinet. *Voſſ.* de Hiſt. Lat. p. 713.

Inter primarios habendus eſt *Hugo Grotius*, qui in eximiis illis de *Jure Belli* ac *Pacis* libris ipſam *Ebræorum*, quam exhibituri ſumus, diſciplinam è *Talmudicis* tangit, aliaque ex eorum ſcitis ad augendam etiam nonnullis *Chriſtianiſmi* rebus lucem prudenter adfert. *Jo. Selden.* de Jur. Gent. l. 1. c. 2.

Eò quòd conſuetudine maximi viri *Hugonis Grotii* interdum fruar, felicitatem meam ſatis prædicare non poſſum. O virum admirabilem! Equidem ſcivi hoc etiam antè, ſed præſtantiam divini illius ingenii nemo ſatis capiet, niſi qui vultum præſentis viderit, & ſermones loquentis audierit. In vultu probibitas habitat: ſermones doctrinæ exquiſitiſſimæ, & pietatis ſinceriſſimæ ſunt indices. Nec putes ſolùm me illius viri admiratione captum eſſe: omnes docti & pii quibus ille innotuit, ſimiliter ſunt affecti. *Iſ. Caſaub.* Epiſt. 638. d. *Dan. Heinſium.*

Nolo neſcias, doctiſſime *Thuane*, vidiſſe me hîc *Hugonem Grotium*, virum probitatis & doctrinæ admirandæ. Scripſit Hiſtoriarum lib. 21. de rebus Geſtis in Patriâ

Digitized by Google

triâ ab annis circiter 5. pauca adhuc legi, ſed quæ valdè mihi ſunt probata. Sunt aliæ virtutes illius, propter quas pluris etiam illum facio. Nam de hodiernis contentionibus in negotio Religionis & doctè & piè judicat, & in veneratione Antiquitatis cum iis ſentit, qui optimè ſentiunt. *Idem* Epiſt. 739.

Omnes verò, qui de *Bello Belgico* ſcripſerunt, ſuperat [meo quidem judicio] *Hugo Grotius*, ſi quis velit integritatem judicii æſtimare: Hic depoſitis omnibus affectibus unicè ſectatus eſt veritatem, eâ eloquentiâ & nervoſa brevitate, ut cum *Tacito* optimè mereatur comparari. Feliciſſimè imitatus eſt *Tacitum Grotius*. Interim nemo temerè ex *Grotio* Hiſtoriam diſcere poterit, qui planè rerum *Belgicarum* non habet aliquam notitiam. Obſcurus enim æquè eſt, ac *Tacitus*; hinc qui jam prælibârunt Hiſtoriam *Belli Belgici*, eum poſſunt facilè aſſequi. Tribus enim verbis interdum totam Hiſtoriam aliquam habet. *Herman. Conring.* de Rep. Batav. fœder.

Ad res Hollandicas ſeorſim noſcendas inter alia multùm conducit liber *H. Grotii de Antiquâ Rep. Hollandiæ*, qui lectu eſt dignus, niſi quod ille pluſculum nonnihil patriæ indulſerit, & de antiquo ejus ſtatu quædam minus vera tradiderit, quaſi ſcilicet Hollandi non adeò plenè fuerint ſub Francis, ſed quod elegerint Comites pro Arbitrio & nomine tenus tantùm Francos ſint reveriti. De cætero autem eſt elegans liber ſcriptuſque à *Grotio* admodùm adoleſcente. *Conring.* de Rep. Batav. fœder, MSS.

Apud Belgas Reformatos ſcriptus eſt libellus ille perquam egregius *de Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra* ab viro illo tùm doctrinâ omnigenâ longè ac undiquaque inſtructiſſimo, tum judicii ſummi nominiſque paſſim meritiſſimò illuſtris, *H. Grotio. Selden.* lib. 1. de Synedr. Vet. Ebræorum c. 10. p. 426.

Palmam hactenus in diſciplinâ *Juris Naturalis & Gentium* tuliſſe judicatus fuit non præter meritum *H. Grotius*, qui & primus ſeculum ad iſtam diſciplinam æſtimandam evocâſſe videtur, & ita in eadem eſt verſatus, ut circa magnam ipſius partem cæteris nil niſi Spicilegii laborem reliquerit. Quantumcunque tamen ejus viri fama nobis cordi ſit, qui & peculiari nomine ejuſdem filio obſtricti ſumus, fatendum tamen eſt, non pauca ab ipſo planè eſſe præterita, quædam levi duntaxat brachio tractata, quædam denique admiſſa, quæ & ipſum hominem fuiſſe arguerent. Inprimis autem non exiguam nobiliſſimo operi labem adſpergunt, queis paſſim à receptis orthodoxæ Eccleſiæ ſententiis diverſus abit. Qui quidem magnorum ingeniorum infeliciſſimus labor mihi ſemper viſus fuit, circa divina aliquid novare; cùm tanta aliarum rerum ſuperſit copia, in qua alicui innoxiè cornicum oculos configere liceat. Et per iſthæc etiam verè ac utiliter dictis auctoritas detrahitur ac plurimorum aſperrimæ cenſuræ provocantur, qui aliàs contra tales Viros ne hiſcere quidem digni erant. *Sam. Puſendorf.* in Præfat. lib. de J. N. & G.

D. I. E. in *Grotio* hoc taxat, quòd adductis aliquot locis, vel ex Poëta, vel ex Hiſtorico; ſtatim inde univerſale aliquod rectæ rationis dictatum & Gentium jus velit extruere; deinde, quod ſæpiùs etiam decipi ſe à Juriſconſultis Romanis paſſus ſit, & nimis leviter illud juris Naturalis dixerit, quod hi pro tali habent,

 bent,

bent. *Tobias Magirus* in Eponymolog. Critic.

Vir ſine controverſia doctiſſimus, ſed Juris inprimis Juſtinianei, alibi paſſim Cenſor iniquior. *Rebhan.* Præfat. ad Inſtit. Locam.

Laudo & admiror *Grotium*, ſed Theologiam ejus deploro, vel cùm interpretatur Scripturas, vel cùm de Interpretibus ſententiam dicit. *Jo. Boecler.* in Præfat. Comment. ad lib. de J.B. & P.

Vir ſine controverſiâ maximus, & de Rep. literariâ inter paucos meritus, ſed in Chriſti causâ, neſcio quô fatô ad *Socinianos* in devexâ ætate propenſior. *Meric. Caſaub.* de iv. lingg. p. 105.

Nobis relatum eſt Dominum *Grotium* Roſtokii ex Suedia redeuntem febri continua extinctum eſſe. Perhibent id non contigiſſe abſque ſuſpicione veneni à *Lutheranis* propinati, ob ea quæ in gratiam *Papæ* de Antichriſto ſcripſerat; Verùm in illis Regionibus homines veneno tolli non arbitror, ut in quibuſdam Italiæ locis. Ejus religio à 20. retrò annis perſpicuè nota non fuit. In ſua cum Domino *Rivetto* altercatione Catholicorum Romanorum partibus favere videbatur. *Hollandus* erat, & Arminii Sectator fuerat. Reginæ Lutheranæ Legatus erat. In Lutherana Civitate inter Lutherani Miniſtri Brachia diem ſupremum obiit, ille, inquam, cui & Lutherus & Calvinus adeo inviſi erant. Quidam perhibent eum Socinianiſmo infectum à vita migraſſe, talemque in animo fuiſſe, quicquid extrinſecus ſimularet. *Guido Patin.* Epiſt. 7. Pariſ. ſcripta 24. Octobris 1645. Gall.

De *Grotio* rectè ſentis, neminem hactenus eruditius contra *Socinium* ſcripſiſſe. *Martin. Ruar.* in Cent. Epiſt. p. 59.

Dominus *Blondellus* Tractatu ſuo de *Sibyllis* de eo ſcribit quod Vir præſtantiſſimus fuerit, ſive reſpectu ſublimis ejus ingenii, ejuſque eruditionis univerſalitatis, quam nemo ſatis magnifacere poterat; ſive reſpectu diverſitatis Scriptorum ejus. Gall.

Dominus *Balzacius* ait, præter doctrinæ ſoliditatem, diſcurſus evidentiam, & ſermonis Veneres, neſcio quem obſervari probitatis characterem in præclari illius Viri Scriptis omnibus; id autem de *Scaligeri* & *Salmaſii* Operibus neminem affirmare auſum eſſe. *Balz.* Epiſt. 25. lib. 5. ad D. *Chappelain.* Gall.

Vulgò creditur Grotium omnes ingenii ſui vires conſcribendo libro *de Jure Belli & Pacis* adhibuiſſe, eumque de illo dicere potuiſſe, quod *Caſaubonus* dixit de ſuo in *Perſicum* Commentario, Epiſtola quadam ad D. *Perillau* cognatum ſuum, quæ typis mandata non fuit. *In Perſio omnem ingenii conatum effudimus.* *Grotii* Opus præclariſſimum ſanè Scriptum eſt, nec mirari ſubit quòd in *Germanicis* quibuſdam Academiis publicè lectum fuerit. D. *Colomiez*, Select. ſatâ Bibliot. p. 128. 129. Gall.

Inter omnia literatorum Sidera, in *Belgio* nullum felicius, quàm *Grotianum* illuxit. Hic ob acumen magni ingenii meritò eſt tanquam *Aquila* in nubibus; quamvis etiam in multis cæcutiat. *Phil. Andr. Oldenburg.* in Theſaur. Rerump. part. 3.

In Religione varius erat, & in quibuſdam cum *Pontificiis*, in aliis cum *Lutheranis*,

ranis, in nonnullis cum *Remonſtrantibus* & *Photinianis* faciebat. Hinc vir dubiæ atque variatæ Religionis vocatur *Voetio* in Biblioth. ſtudioſ. Theolog.

Grotii Notæ locum etiam ibi invenerunt: Cumque in pretio ſint apud omnes, elogio noſtro peculiari non indigent. Hoc tantùm obſervabo, quod ſcilicet in Poëtarum citationibus nimium quandoque diffuſus ſit, aliorumque innumerorum Authorum profanorum, in quo doctum & eruditione præſtantem virum ſe oſtentare, potius quam ſagacem & Criticum, affectaſſe videtur. Hunc ſi vitaſſet ſcopulum, ejus Notæ multò breviores, nec tunc ideò minus bonæ fuiſſent. Eo inprimis nomine in pretio eſſe debent, quòd Veteres Bibliorum *Græcos* Interpretes cum *Hebraico* Textu frequenter conferat, nec Maſſoræ nimia exiſtimatione imbutus ſit. Varias tamen Lectiones abſque neceſſitate interdum multiplicat; quamvis autem ut plurimum optimam Textus explicationem deligat, advertendum tamen eſt, quod præconceptis *Arminianorum* & *Socinianorum* opinionibus plenus cùm eſſet, duabus illis Sectis quandoque faverit. Cæterum quamvis quædam in *Grotii* Notis carpſerim, in eo præſertim quod profanos authores crebro nimis citet, plura tamen interdum in ejuſmodi citationibus optima occurrunt, quibus plures Scripturarum difficultates explanari poſſunt. Hoc tantùm optaſſem ut ſcilicet juxta Critices regulas profanorum horum Authorum teſtimonia non attuliſſet, præſertim verò Poëtarum, niſi illis in locis quæ hujuſmodi illuſtrationibus indigebant. Nec enim erat neceſſarium, exempli gratia, ut ad vocis *ſigna* explicationem, Geneſeωs c. 1. verſ. 14. *Homeri* verſus duos, Arati verò quinque adduceret. Nec etiam video neceſſe fuiſſe, in ſequentem vocem *tempora*, dicere quòd *Proclus* in ſua Theologia vocet aſtra *Temporis organa* ſeu *inſtrumenta*. Verbô, mihi videtur multò conſultius fuiſſe ſenſum literalem Textûs paucis verbis explicare, nec authoritates ullas citare, niſi ad illas difficultates quæ hujuſmodi elucidatione indigebant. Oratorii Presbyter *Rich. Simon* Hiſt. Crit. V.T.l. 3.c. 15. Gall.

Hugonis Grotii Epiſtolæ à viro maximo profectæ ſummo in pretio eſſe omnibus debent. Tot certè tantaque vir ille ſcripſit, ut ſeculi noſtri *Phœnix* meritò dicendus ſit. Paucæ ejus Epiſtolæ editæ primùm fuerunt, quarum ipſum tamen magnum ſcripſiſſe numerum veroſimile eſt, in tantâ negotiorum civilium mole, in tanto eruditionis apparatu. Ejus Epiſtolæ ad *Gallos* aliquoties editæ ultimaque editio *Lipſiæ* prodiit curante *Geſſenio* 1674. ann. in 12°. in quâ id laudandum, quòd Indicem iis adjecerit, quem ego omnibus Epiſtolis adjectum vellem: Nam & utiliſſimus eſt, & multo labore levat legentes. Nunc tandem opus vaſtum Epiſtolarum *Grotianarum* prodiit, quod hactenus in Bibliothecis Virorum illuſtrium delituerat, quodque *Iſaacus Gruterus* à *Blavio* jamdudum typis deſtinatum teſtatur in quâdam ſuper opera nonnulla *Verulamii* Latinâ Præfatione. Continentur in illis varia, ut fuit ipſi ingenium ad omnia natum, Politica, Eccleſiaſtica, Theologica, Juridica, Philologica, Judicia de libris. Nec deeſt illi Orationis cultus, quanquam ſtylus ipſi interdum ex argumento ſordes aliquas trahat, & ſe ad hominum, quibus ſcribit, indolem componat. Reperiuntur enim interdum Epiſtolæ ſimplici planè humiliq; dictione ſcriptæ, ac ſine ulla moroſâ

Meditatione. Sed cùm rem aliquam unicè agit, nemo ipſo vel dulcior eſt Poëta, vel elegantior Orator, aut nervoſior Hiſtoriographus. Adeò ubique vir ille domi eſt, & velut in fundo ſuo dominatur. Quàm in Politicis Epiſtolis ingenio rerum attemperare calamum debeat earum Scriptor, ille novit, qui in hoc negotio verſatur: ubi verborum cura ſuperſtitioſa quidem non eſt, ſed debent illa ad rei expreſſionem ſingulari ratione eſſe accommodata. In his *Grotii* Epiſtolis multa ſunt, quæ ſtatum Univerſæ Europæ ſuo tempore denudant, quæ aliunde difficulter petuntur. Si ii, qui opus hoc Epiſtolicum ediderunt, Indicem rerum quoque adjeciſſent, optimè ſanè de nobis meriti fuiſſent: Nunc in illo vaſto opere multa latent, quæ non niſi magno labore erui poſſunt. Sunt tamen & ſecundum temporum ſeriem Epiſtolæ diſpoſitæ, quod ad Hiſtoriam magnoperè conducit. Putaverim ego ſanè plures etiamnum ineditas eſſe viri hujus Epiſtolas: ac vidi ego non paucas in Bibliothecâ *Gudianâ*, quas ego in illo opere extare non credo. *Dan. Georg. Morhof.* in Polyhiſt. p. 294. 295.

Poeſis una eſt Profeſſionum quæ *Grotium* ab ingenti primæ notæ Doctorum numero diſtinguere fecerunt, eumque ſupra *Lipſios*, *Caſaubonos*, *Salmaſios* & *Voſſios* extulerunt. *Baillet*, Judiciis Erudit. Poët. *Pariſ.* 1686. Gall.

Hugo Grotius & *Daniel Heinſius Carmine Latino* non ignobiliter ſcripſerunt, niſi quòd ingens illa, qua memoriam onerarunt, literatura impediat utrumque ne res modo illo delicato concipiant, in quo tota verſatur elegantia. *Renatus Rapinus*, Animadv. in Poeticam, parte 2. ſeu Animad. pecul. 16. Gall.

Quid *H. Grotio* undiquaque doctius, etiam in his Sacris? Nihil comptius, aut magis maſculum hiſtoria *Jonæ* epicis ab ipſo expreſſa; nil caſtius elegis, quibus incuſata ſe purgat *Suſanna*; nil gravius geminâ illa Tragœdiâ ſacrâ, in quarum altera *Chriſtus patiens*, altera *Sophompaneas* inducitur, utcunque non evitarint dentes Criticorum omnium. Eſt & Epigrammatis, Sylvis, farragini ſuum decus, licet in omnibus nequaquam idem calor. *Borrich.* de Poet. p. 142.

Hug. Grotii Opera ſequentia inter libros prohibitos numerantur: Apologeticus eorum qui *Hollandiæ Weſtfriſiæ*que, & vicinis quibuſdam nationibus ex legibus præfuerunt ante mutationem, quæ evenit anno 1618. cum refutatione eorum, quæ adverſus ipſum, atque alios acta, ac judicata ſunt. In Decreto 4. Feb. 1627. prohibetur: De Jure Belli & Pacis ibid. Poema collecta, & edita à Fratre *Guliel. Grotio* ibid: De Imperio ſummarum Poteſtatum circa Sacra Comment. Poſthumus prohibetur in decreto 10. Jun. 1658. Annales & Hiſtoriæ de rebus *Belgicis* prohibentur in Decreto 4. Jul. 1661. Diſſertatio ejuſdem Auctoris, & aliorum de ſtudiis inſtituendis ibidem. Vide *Ind. Roma* Impreſſ. ann. 1664.

Grotii opera omnia Theologiæ prodierunt *Amſtel.* 6. Tom. fol.

CORNELIUS à LAPIDE, Soc. Jeſ.

Chr. An. D. MDCXX.

NAtione *Belga*, patriâ *Eburo*, *Bucoldianus*, ditionis ac diœceſis *Leodienſis*: puſillus quidem corpore, at ingenio magnus fuit, diſciplinarum omnium capax, Orator, Philoſophus, Theologus, Hiſtoricus, linguarum *Græca* atq; *Hebraica* peritus:

peritus:cujus in lucubrando,commentando,ſcribendo,in legendis evolvendiſque SS. Patrum atque Interpretum variorum ſcriptis ſtudium continuum & indefeſſum meritò omnibus admirationi eſſe debet. In Sacris Literis erat perdius & pernox,tametſi valetudo plerumque infirma & dubia, vireſque debiles eſſent:quas in Collegio S.J. cùm *Lovanienſi* (ubi & linguam *Hebraicam* unà profitebatur) tum *Romano*,quadraginta,& eo amplius annos pari celebritate doctrinæ ac nominis interpretatus eſt,ſcripſitque in pleroſque libros ſacrosComment.commendata in primis à ſoliditate , brevitate,claritate,ac methodo. Namq;ei hoc propoſitum erat vel maximè,quemadmodum ad Epiſtolas *Paulinas* profando ipſe de ſe teſtatur,atq;id ipſum aliàs non ſemel repetit & inculcat,ut ſcil.ſolidè breviterq; methodicè & clarè S.Scripturæ univerſæ(ſi ita Deo viſum eſſet)ſenſum traderet, maximè genuinum ac literalem,ſtylo ad hoc uſus didactico & methodico.Obiit *Romæ* an.1637. 12. die Mart. ætatis 71 *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Nihil illo videri potuit mitius,nihil modeſtius, nihil temperantius.Obedientia illi ſemper, & veritatis amor præ vitâ fuit. Hanc in omni ſcriptione primam habuit ; illam verò ductricem ad proferendas Scriptiones ad publicam lucem, quas alioquin fuerat æterno damnaturus ſilentio. *Alegambe.*

Ennarrationes ejus pias, doctaſque in *Pentateuchum*,in Prophetas Majores,in D. *Paulum*, obviis ulnis Chriſtianus Orbis excepit. In *Prophetas* alios,in *Apocalypſim*, in *Epiſtolas Canonicas*, aliaſque in alios ſacros libros brevi vulgandas non minus lætè excipiet. *And. Victorell.*

In cujus commentariis , inter multa à re aliena, non pauca reperi doctrina atque acumine pluſquam vulgari conſcripta. *Matth. Pol.* Præf. 1. vol.Synopſ.Crit.

Extant ejus *Commentaria* in *Pentateuchum*,*Prophetas* majores & minores,*Proverbia*,*Eccleſiaſten*,*Cantica*,& Apocryphum *Syracidem* & *Baruch*,totum N.Teſt. Sed quid in iis deſideremus breviter dicemus.1. Interpretationes Pontificiorum ſuorum,& Patrum non ſemper omnes refert.2.Noſtrorum rarò refert , aut non ex profeſſo:aut ſicubi hoc faciat, tantùm occaſionem quærit calumniæ. 3. In plurimis locis difficilibus & illuſtri ac prolixo commentario illuſtrandis , ſæpe jejunus eſt, imò mutus magis quàm piſcis. 4. In Philologicis ſacris hoſpes eſt , & conſequenter admodum parcus: defuit enim ei eruditio in Linguâ *Græcâ* , Inprimis etiam in *Hebræâ*,cæteriſque *Orientalibus*,& conſequenter in iſtarum linguarum idiotiſmis, elegantiis,antiquitatibus.5. In moralibus & practicis, poſtilliſticas quiſquilias, & carbones pro theſauris,ex *Contipratenſi*,Diſcipulo de tempore, legendis, vitis Patrum & ſimilibus fabularum promis condis , plerumque obtrudit. *Voet.* Biblioth. l. 2. c. 4. p. 504.

Breviter ingenium ἐυρετικὸν,ſubtilitas,& judicium ſubactum non ita adfuiſſe illi videtur,ut cum *Toſtato*,*Abulenſi*,*Thomâ*,*Lyra*,*Cajetano*,*Eſtio*,*Zanchez*:nec multiplex eruditio & lectio,ut cum *Abulenſi*,*Ariâ Montano*,*Maſio*, & noſtris *Mercero* ,*Calvino*, *Beza*, *Bucero*, *Muſculo*, *Willeto*,&c. comparari poſſit. *Idem.* ibid.

Admodum ſolemne eſt illis qui Commentarios in *Biblia* elucubrant , eruditionem & Quæſtiones à ſuo Contextu remotas , iis admiſcere. Hoc etiam vitio laborant Commentaria *Cornelii* à *Lapide* : Et tamen Author ille in Operis ſui prin-

principio profitetur ſe velle brevem eſſe paucisque verbis complecti, quæ diffuſiori ſtylo jam obſervarunt alii. Scio quidem hujuſmodi Commentaria, eruditionis plena, hominibus innumeris præſertim verò concionatoribus, arridere, ſed ſagacium virorum palato, ſapere nequeunt, quippe qui ſingula ſeorſim & ſuo loco tractari volunt. Or.Pr. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V.T. l. 3. c. 12. Gall.

Cornelius à *Lapide* integra ferè Biblia 12. Tom. commentatus eſt, ſed duo primi in *Moſis* Libros & in Divi *Pauli* Epiſtolas plus eruditionis quàm alia decem in ſe continent *Guido Patin.* Epiſt. ſel. Ep. 17. Gall.

Corderii commentarium in *Lucam* compilaſſe à nonnemine arguitur. *Konig.*

JOSIAS MECERUS.

Clar. A. D. MDCXX.

GAllus, *Ioannis* filius, obiit circiter annum 1628. Edidit *Nonium*: *Ariſtaneti* Epiſtolas: Notas in *Tacitum*, in *Apulei* Librum, de Deo *Socratis*.

Ioſias Mercerus, *Galliarum* lumen, tanto patre digniſſimus filius. *Montacut.* in Antidiat.

Joſias Mercerus vir erudiſſimus, magni illius *Joannis* filius tali parente digniſſimus. *Iſ. Caſaub.* Not. in *Spartian.* p. 70.

Joſias Mercerus Græcè Latinéque vir doctiſſimus. *Idem* Epiſt. p. 658.

Barthius in *Claudianum* pag. 1244. eum vocat virum acutiſſimum & eruditiſſimum.

Ioſias Superſtes, tanto patre digniſſimus filius, qui præter exactam utriuſque Linguæ peritiam, & raram purioris *Antiquitatis* cognitionem acerrimo judicio excelluit. *Thuan.* ad ann. 1570.

Joſias Mercerus præſtantiſſimi ingenii vir, nec doctrinâ tantùm & eruditione, ſed & ſingulari rerum agendarum ſolertiâ clarus. *Deſider. Herald.* in Animadv. in obſerv. *Salmaſii* in *Jus Attic.* & *Roman.* l. 4. c. 1.

Ioſiam Mercerum jam olim inter inſignes *Galliæ* viros habui, & valdè ſe mihi nunc probavit, eruditis, & probi animi judiciique, ad *Tacitum* Notis. Vidi enim. Et quanquam à me interim divertit, laudare & amare virum debeo: quia & cum causâ & cum modo facit. Utinam ſic in ſtudiis noſtris alii! utinam ne *Critice* hæc ludus fiat, & arena, ut ſic dicam, beſtiarium! At bona hæc via, conferre ſine livore, ſine æmulatione, in publicum: nec detractum ire ingeniis, ut tuum attollas. *Lipſ.* Epiſt. Cent. ad *German.* & *Gal.* ep. 51. ad *Baudium.*

Famæ aliquis radius te quoque illucet à magno illo Patre; cujus eruditio & virtus, clara apud omnes. Et tu ſuccedes, imò præcedes, ſi pergis modò in hoc laudis ſtadio, quod currere cœpiſti recto & felici pede. Nam *Notæ* tuæ ad *Cornelium* noſtrum quas mittis (verè non blandè dicam) vix tuæ ætatis. *Lipſ.* Cent. 1. Miſcell. ep. 32.

Joſiam Mercerum, virum ingenioſiſſimum, & *Græcè* ac *Latinè* doctiſſimum, pænè prætereiram, quòd ipſius, modeſtiâ credo & verecundiâ inſtinctus, nomen ſuis libris præſcribere adhuc noluit. Edidit autem *Nonium* cum Annotationibus

virorum

virorum doctiſſimorum,& nuper *Ariſtaneti* Epiſtolas recenſuit,elegantiſſimè & inimitabili ſuavitate *Latinè* convertit,notis quoque perquam eruditis magis illuſtravit.*Gaſp. Sciopp.* de Art.Crit. p. 28.

Maximus vir *Joſias Mercerus* in edendo *Nonio* longè poſt ſe reliquit *Hadriani Iunii*, *Dionyſii Gothofredi* , aliorumque induſtriam. *Voſſ.* de Philolog. c.5. ſect. 13.

Inter omnes noviſſimorum horum temporum *Criticos* D. *Colomiez* ait neminem ſibi notum eſſe, cujus tam certæ fuerint conjecturæ quàm illæ *Joſiæ Mercerii*,nequidem D. *Salmaſio* excepto. Præcipuus ejus labor eſt editio *Noni Marcelli* quem Divinâ ſolertiâ correxit. *Paulus Colomiez*, ſuis Miſcellaneis Hiſtor. p. 35. 36. Gall.

Amo te, *Mercere*,amabilem multis de cauſis, ſed inprimis quia *Patrem* habuiſti de linguâ *Hebraicâ* optimè meritum,& quia Paternis veſtigiis inſiſtens, dignum te præſtas qui ab omnibus ameris. *Io. Druſ.* in epiſt. p. 14.

Extant Notæ ad *Tacitum*. *Pariſiis* 1608. in 4°. aliaque aliis in locis atque temporibus.

JOANNES MEURSIUS.

Loſduno Batavus, Philologus eximius,natus eſt Anno 1579.Obiit anno 1639. Primò *Lugduni* literas elegantiores docere cœpit. Inde *Soram* migravit, & regius Hiſtoriographus factus eſt,*Græcos Authores* plurimos edidit,quos aut *Latinè* vertit aut Notis eruditis illuſtravit,ut *Alypium*,*Ariſtoxenum*, *Antigonum*,*Caryſtium*,*Apollonium Alex.* *Conſtantinum Porphyrogennetam*, *Conſt. Manaſſem*, *Codinum*,*Euſebium* in Cant. *Heſychium Mileſium*,*Lycophronem*, *Leonem* Imp. *Methodium*,*Nicomachum*,*Palladium*,*Philiſtratum*,*Polychronium* & *Pſellum* in Cant. *Procopium*,*Gazæum*, *Phlegontem Trallianum*, *Theodorum Metochitam*,*Theophylactum*, *Theocritum*,&c.De *Athenienſium* rebus inprimis bene mereri voluit,edendo Regnum *Atticum*, Archontes *Athen.* Fortunam *Atticam*,*Cecropiam*,*Areopagum*;Populos *Atticos*, *Athenas Atticas*, *Piſiſtratum*,*Solonem*, *Eleuſinia*, *Panathenæa*, *Græciam* feriatam,&c. Adhæc *Lat. autores*, ut *Arnobium*, *Apuleium* , *Catonem*, *Macrobium*, *Phædrum*,*Plautum*,&c.Annotationes doctiſſimis meliores reddidit. *Extant* inſuper ejus Lexicon *Græco-barbarum*,*Orcheſtra*,*Græcia* ludibunda,Miſcellanea, *Laconica*, libri de puerperio & funere,tractat. de luxu *Romanorum*. *Guilh. Auriacus*, *Ferdinandus Albanus*. Hiſtoria *Danica*, &c. Scripta certè digniſſima, ut de novo recudantur,& in certos tomos diſtribuantur.*Konig.* in Biblioth. Clar. A. D. MDCXX.

Unus hic [*Jo. Meurſius*] verendus Antiquitatis Arbiter, atque deliteſcentium ejus Scriptorum indagator,& helluo,plura ex *Græcis* revocavit in lucem *Latinaque* reddidit, ac Notis auxit, quàm alii centenis retrò annis præſtitiſſe dicantur. *Jo. Imperial.* in Muſ. Hiſt.

Cujus meritis in rem literariam omnia verba ſunt inferiora.*Euſthat. Swart.*l. 2. Analect. c. 2.

Joannes Meurſius vir multis nominibus præclarè meritus de *Literis Græcii*. *Voſſ.* de Scient. Mathemat, c. 22. Sect. 4.

Ioannes Meurſius vir, præ cæteris de *Græcâ* Antiquitate benè meritus. *Ion. Ionſ.* l. 3. de Script. Hiſt. Philoſoph. c. 19.

Ioannes Meurſius Antiquitatis *Græcæ, Atticæ* tamen inprimis, peritiſſimus fuit, cui & ipſæ *Athenæ*, & *Atticarum* Antiquitatum ſtudioſi plurimum debent. *Idem* ibid. c. 20.

De *Græcorum* Feſtis ſcripſit libros ſex maximo cum literarum emolumento, & literatorum plauſu *Ioannes Meurſius*, Hiſtoriæ Græcæ apud *Batavos* Profeſſor fideliſſimus ac diligentiſſimus. *Nic. Pinell.* in additament. ad *Onuph. Panvin.* de lud. *Circenſ.* l. 2. c. 1.

Ioannes Meurſius, candidiſſimi pectoris, & præclaræ doctrinæ, amiciſſimus Collega meus, quô vix alius literas minori tractabat ambitione. *Voſſ.* de Vit. Serm. l. 2. c. 2.

Vir meritorum in Rempublicam literariam clariſſimorum. *Dilher.* Diſputat. Academ.

Vir fuit inexhauſtæ lectionis, & laboris conſtantis. *Valer. Andreas* in Bibliot. *Belgic.*

Io. Meurſius, doctiſſimus adoleſcens, quem ſæpe miror: & certè ſupra ſuos annos literarum dote diteſcit. *Nic. Rigalt.* Not. in lib. 1. *Phædri*, Fab. 4.

Neque enim poteſt me fugere quicquam tuorum, à quorum lectione nunquam receſſi, niſi doctior. *Iſ. Caſaub.* in Epiſt. 390.

Video te in *Hiſtoriâ*, & omnis generis monumentis poſterioris *Græciæ* mirum in modum eſſe verſatum, quæ pars eruditionis cùm à paucis adhuc ſit culta, bene proculdubio de literis mereris, quando ea profers in lucem, quæ etiam doctiſſimi viri prius ignorabant. *Idem* in Epiſt. 748.

Tot jam ſcriptis illuſtraſti literarum tenebras, tot jam monumentis ad *Æternitatem* vocaſti genus humanum, ut non vivere eum dicam qui indoctus eſt, non ſapere qui feliciſſimam ingenii, eruditioniſque tuæ induſtriam non intelligit. Mitto *Belgas*, in *Italiâ* celebris es, & inter lumina ævi haberis. Jam quoque creſcunt iſti radii, & vel ab *Orcheſtrâ* tua ad me miſſâ, emicant. Sed ſi ſic pergis, nox in omni *Antiquitate* eſſe deſinet, teque *ſolem* ſuum ſæculi conſenſus appellabit. *Eryc. Putean.* Epiſt. Centur. 1. Epiſt. 83.

Meurſius in *Græca* Linguæ & Antiquitatum notitia præſertim excellebat, nec ullus unquam tam inſigne beneficium, hoc quidem capite, Literis præſtitit, quippe qui indefeſſo labore ac inſolita prorſus diligentia, ad varia *Veterum* Opuſcula è tenebris eruenda, emendanda, *Notis* elucidanda, vertenda & evulganda, animum appulerit. *Baillet. Iudiciis Eruditorum, Pariſiis* 1685. Gall.

Quæ contigerunt in *Belgio Ferdinando Albano* imperante, ſingulatim perſecutus eſt, (*Io. Meurſius*) peregregiè, item quæ geſta ſunt *Willelmo Auriaco vivo* inſigni Commentario illuſtravit, niſi quòd in nonnullis credatur iniquior fortaſſe *Hiſpanis*. *Conring.* diſſert. MSS, de Rebuſpp. in tractat. de *Batav. Fæder.*

Vir

Vir de *Atticis* rebus omnium optimè meritus. *Idem* de antiquitat. *Acad.* Supplem. 7.

Poſt *Ubbonem Emmium* multùm adeò laboravit in Atticis *Ioannes Meurſius*, ut omnium diligentiam longo intervallo ſuperaverit; in Grammaticum tamen uſum potiùs, quàm politicum, cui ſolo ſuo *Areopagitico* & *Solone* commodum ſe præſtitit. *Idem* de Civ. prud. c. 14. p. 309. ſeq.

Dania Batavis duobus debet ſapientem ſuarum rerum hiſtoriam, *Ioanni Meurſio* & *Ioanni Iſaacio Pontano Idem* ibid. p. 334.

De Antiquitatibus *Græciæ* plurima jampridem in eruditorum manibus, induſtriâ & eruditione præſtantiſſimi viri *Ioannis Meurſii* verſantur monumenta, quæ tanti habentur, ut nulla in hoc literarum genere iis anteponantur, pauca paria putentur. Et ſanè, ſi judicium ſequamur horum ſtudiorum exactiſſimi Doctoris cenſoriſque *Joannis Georgii Grævii*, nemo hôc virô in evolvendis omnibus omnium ætatum ſcriptoribus, qui ex illætabili illâ *barbariei* nocte ſalvi in lucem horum temporum emerſerunt, fuit diligentior, & in obſervando & conquirendo, quicquid ad veterem Græciam illuſtrandam pertinet, ſtudioſior. *Acta Erudit.* An. 1684. p. 551. 552.

Hoc Symbolum ejus,

ÆTERNITATEM COGITA.

* *Athenæ Batavæ*, ſive de Urbe *Leidenſi*, & *Academiâ*, viriſque claris, &c. *Jo. Meurſii* libri duo, prohibentur in Indice *Romæ* Impreſſ. 1681.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa ſunt.

Epitaphium ei *Soræ* è lapideâ columnâ tale ſuſpenſum eſt: Aſpice heic *Ioannem Meurſium*, nec majora quære elogia, teſtantur viri ſcripta, quòd majus hoc nomine nihil habuit *Sora*.

JOANNES BAPTISTA van HELMONT.

NAtus eſt *Bruxellis*, Anno Chr. 1577. Anno ætatis ſuæ 17. totum Philoſophiæ curſum abſolvit. Ipſe ſe vocare ſolitus eſt *Philoſophum* per *Ignem*. Obiit. An. Chr. 1644. ætatis ſuæ 67. Omnia ejus Opera prodiêre 1667. fol. Clar. A. D. MDCXX.

Iohannes Caramuel Lobkowiz ita de eo ſcribit: *Helmontius* (novi hominem) fuit pius, doctus ac celeber: *Galeni* & *Ariſtotelis* juratus hoſtis: Sub quo ægri non laborabant diù. Nam 2. aut 3. ad ſummum die carebant vitâ aut morbo. Vocabatur præcipuè ad illos, qui ab aliis Medicis deſerebantur, è quibus non paucos reſtituit, vel frendentibus illis, à quibus fuerant condemnati. Prodierunt jam tandem ejus *Opera*, & in ipſis continua contra *Perſpateticos* & *Galeniſtas* ſatyra, mul-

Digitized by Google

is onuſta foliis, fructu tenui, &c. Hæc ille. Vide *Konig*.

Sed & alii novas *Sectas* inſtituere cœperunt. Qualis cumprimis eſt *Joannes Baptiſta Helmontius*, ille qui ſeſe per *Ignem Philoſophum* nuncupare inſolenti titulo voluit, ac ſi hujus beneficio *Philoſophus* evaſiſſet. Ex parte autem hic *Paracelſum* ſectatur, ex parte verò nova multa & hactenus nunquam audita commentus eſt. Ideoque in univerſum omnibus, quotquot hactenus vixerunt, *Medicis* convitium dicere, ſe verò unicum verum *Medicum* à *Deo* ipſo conditum, atque adeo illum quem *Siracides* honorandum dixit, pronunciare, ridiculè & inep è, non dubitavit. Quamvis verò nonnulla habeat haud contemnenda, pleraque tamen *Non ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes*. Multùm certè fallitur qui ejus credit jactabundis vocibus. Uſu tamen *Chemicorum* operum ſic ſatis videtur valuiſſe: at ille neminem verè *Medicum* facit, prout notum eſt. *Sebaſt. Scheff.* in Introduct. ad Medic. p. 43.

Inter quos doctiſſimus & celeberrimus re & famâ Medicus & Philoſophus *Helmontius* cenſendus eſt, vir acris ingenii, & præcellentis literaturæ. Sed ſua nihilominus deliquia & Eclipſes ſuſtinuit hoc ſidus, quod ſuper Candelabrum quidem conſtitutum, ut arderet & luceret, ſcientiæ tamen radios poſteritati ſubſtraxit, & præpoſterâ charitate ſub modio occultavit. Ut proinde meritò *Poſthuma* ejus *Scripta*, ad quæ, veluti fœliciſſimi ominis *Cynoſuram*, literatorum animi confugere debebant, tanquam funeſti ominis, ſidus, crinitum, ac portentoſum *Cometam* effugiant, qui inter umbras & tenebras triſti lumine emicat. Quàm enim hic bonæ memoriæ vir multa & præclara de *Sale volatili* ipſius *Tartari*, adducit! ejus tamen modum & parandi dexteritatem occultavit, duro ac novercali in poſteritatem animo, quam velut Orphanos inter ſuſpiria & lachrymas deſolatam defoſſo in terram talento vitâ excedens dereliquit. *Jo. Zwelfer.* Pharmacop. Reg. Edit. *Dordrecti 1672.* in 4°. p. 720.

Nè quis putet me hîc venari occaſionem clariſſimum *Helmontium* ſuggillandi, dicam me neque hîc, neque alibi (nullius licèt in verba juratum) ejus judicium parvi facere. Eum lubenter lego, & ex ejus lectione me profeciſſe fateor. Quin & agnoſco eum fuiſſe virum magnum, magnæ induſtriæ acerrimi ingenii, ſedulum veritatis Indagatorem. Utinam verò ab eo indecoro, in omnes propè alios ante ſe, pruritu invehendi abſtinuiſſet: Profectò, meo judicio, ſibi famæque ſuæ melius conſuluerat. Non quòd cuivis fas non ſit errores, ſive aliorum, ſive ſuos, corrigere: ſed quorſum attinet in alios ſuo ævo celebres jamdiu defunctos involaſſe? Eſto, eos in plurimis lapſos eſſe: ſatis ſit eoſdem fuiſſe eatenus infelic es. Tu felicior es, fruere ſorte tuâ. Veritas in multis temporis filia eſt. Nam quid irrideamus *Veteres* quòd neſciverint *Circuitum ſanguinis*, *Venas Lacteas*, *Vaſa Lymphatica*, aut ea quæ ad hæc neceſſariò conſequuntur? Multa hoc ſæculum accurato Naturæ ſcrutinio deditum, hujuſmodi, tum *Veteribus*, tum ipſi *Helmontio* ignota, adinvenit. An proptereà virum alioqui ſolertem deſpicatui habeam? Apage. In aliquibus forſitan erravimus omnes. Caveamus igitur, nè duriore cenſurâ alios perſtringamus, nè eâdem noſmet ipſi premamur. Nonne omnes ſumus pariter mortales?

Digitized by Google

tales? Ecquis Philoſophorum è tripode dictat, aut ſpiritu infallibilitatis in rebus naturalibus afflatur: ſatis ſcio de meipſo, me facillimè errare poſſe. In arduis *Naturæ*, cogitationes primæ ferè ſecundis, factâ pleniore inductione, cedere coguntur. Cauto opus eſt, nè præpropere definias, aut de aliis judices. Non hæc nunc dico, quod diſpliceat *Helmontii Latex*, quin potiùs quòd in multis approbem: Ita tamen ut *Scholis* quod ſuum eſt, & *Helmontio* quod ſuum eſt, reſervetur. Dedit ſaltem nomen priore commodius, nec non alia multa de eodem ſcitu digna. *Franc. Gliſſon.* Tractat. de Ventric. & Inteſtin. Edit. *Lond.* 1677. in 4°. p. 236.

Profectò, ut mihi videtur hic Author [*Helmontius* ſcil.] utcunque acerrimi ingenii, in eo fuit minùs felix, quòd *Veterum* placitis rariſſimè aſſentitur, & vix, niſi in iis rebus in quibus illi, ex certiſſimis & demonſtratis *Neotericorum* obſervationibus, manifeſtè coarguuntur. Negat enim *Circuitum Sanguinis*, *Sanguificationem Hepatis* aſſerit, *Lacteas* non agnoſcit, venas, *Lymphæ ductus* ignorat, *Lienis* humorem acidum in *Ventriculum* effundit. *Franc. Gliſſon.* ibid. p. 280. 281.

Poſſem tibi dicere quàm acerbè exceptus etiam fuerit *Helmontius* cùm primùm in lucem prodiit, cùm ut *Enthuſiaſtes* & Lymphatus fuerit traductus; quamvis apud te profiteri tenear, *Hypotheſes* ab ipſo traditas, ad morborum eſſentias detegendas, mediaque ad eorum curationem idonea invenienda, oſtendere eum ſolidâ ratione & inſigni perſpicacitate rerum Naturalium adyta penetrare: Imò ego, qui anniſus ſum, ut annitendum eſſe fateor, ejus intelligentiam aſſequi, quamvis ejus Medicamenta intelligi nequeant, expertus dicere poſſum ejus Doctrinam talem eſſe, ut ſi frequenter conſulatur, Medico peritiam acquiſitura ſit Morborum curationem rite inſtituendi, plus quam quæcunque in hanc rem hactenus dicta fuere. *M. Needhami Medela Medicinæ.* p. 15. Angl.

Multum jam laboravit acutus & perſpicax *Helmontius*, cujus lectionem Popularibus noſtris ſatis commendare non poſſum, nunc ex quo Anglica civitate donatus eſt. Sed ſcito perfunctoriam ejus lectionem nihil profuturam: Decies repetita non ſufficit, quamvis præceptorem à quo dirigatur quis habuerit. Si ad hujuſmodi molimen aptus eſſem nullum unquam Orbi præclarius officium præſtare valerem quàm ſi accurata methodo diverſas Scriptorum illius partes in meliorem quendam ordinem redigerem, quo ſubtiliſſimè ejus Conceptus familiariores, & faciliores evaderent. Et ſanè eò attentius penſiculanda ſunt ea quæ ſcribit, quòd ſicut nobilis *Igniarius* Philoſophus fuit, ſic antequam novum iſtud Studii ſtadium decurreret, indefeſſus veterum ſtudioſus fuerat, quippe qui bis perlegiſſet *Galeni* Opera tædioſa, ſemel verò *Hippocratem* [ejus *Aphoriſmos* memoriter addiſcens] & totum *Avicennam*, omneſque cùm *Græcos*, tum Arabas & complures neotericos Authores, non pauciores ſexcentis, Notaſque ex iis omnibus collegiſſet. Sed tandem profitetur, dum quid in eo profeciſſet ſecum reputat, ſe deprehendere, quod nihil præter laborum pœnitudinem adeptus eſſet, parumque utiliter tot annos impendiſſet. Totam in *Galenum* culpam conjicit, Corruptorem inſignem omnium quæ apud *Hippocratem* & in Scholis tolerabilia erant. *Galenus* iſte gloriam illorum qui ſe anteceſſerant ſibi arrogans, Medicinæ Artem, paucis Regulis priùs comprehenſam, in vaſta volumina ampliavit,

vit,

vit. *Idem* ibidem pag. 239. 240. Angl.

Helmont pater tanti fiebat *Bruxellis*, ut non niſi deſperati ad illum quaſi ad *Sacram Anchoram* confugerent, quorum non exiguum ab *Orci* faucibus eripiebat numerum. At *Zoili* eorum nonnullos quoque *fato* cedere objiciebant, id quod prudenti nulli mirum obtinget, ſiquidem

Non eſt in Medico *ſemper relevetur ut æger:*
Interdum doctâ plus valet arte malum.

fuerit *Helmont* ſatis, plurimos à *Zoilis* morti adjudicatos, vivos reperiiſſe *Lares.* Theorica quæ habet alta ſunt, eruta è *Naturæ Principiis*, ingenii dote, ipsâ *Naturâ* duce, & *Igne* adminiculante; ea profectò digna ſunt, quæ ab homine docto explanentur. *Nic. Franchimont* in Epiſt. præfix. *Franc. Oſwaldi Grembs* Arbori integræ & Ruinoſæ Hominis.

In J. B. *Helmontii* Opera contra *Galeniſtas.*

Claude Scholas, Galene, *tuas: ſatis occiſorum eſt,*
Ohe jam ſatis eſt: plena ſepulchra ſonant!
Namque cruor clyſterque tibi ſunt pharmaca: ſæpe
Das nihil, in Critico ſpes tibi ſola die.
Inter ea in tactu vena, linguæque peruſta,
Totus & urinâ, ſtercoribuſque ſtupes.
Non ægrum juvat hoc; illi Medicina paranda.
Nil opus eſt morbi teſtibus: *at Medico.*
Attamen exſpectas pretium poſt funera magnum,
Sic cunis ægrotum ſpectat, amatque pecus.
Unus Apollineâ *potis eſt* Helmontius *arte,*
Quos alter morti liquerat, eripere!

Jan. Walhornius D. Majeſt. ſuæ Conſiliarius.

PETRUS MOLINÆUS.

Clar. A. D. MDCXX.

GAllus, natus eſt anno 1568. Octob. 18. in agro *Vexinati.* Paſtor primò Eccleſiæ *Aurelianenſis*, dein in *Academiâ Lugduno-Batavâ* docuit; *Sedanum* tandem tranſlatus eſt, obiit *Sedani* 1658. ætatis 90.

Scripta ejus ſunt: Elementa Logica--- Meditationes in Pſal. 123.---Novitas Papiſmi, adverſus *Jac. Perronium* Epiſcopum *Eburonicenſem*---De Peregrinationibus & Altaribus---In Purgatorium, & Indulgentias, ac ſatisfactiones liber, cui titulus eſt *Aquæ Siloe, Gallicè*---Apologia Cœnæ Domini---Anatome errorum *Cuffetelli*---Defenſio Fidei Catholicæ pro Sereniſſimo Majoris *Britanniæ* Rege *Jacobo*---Meditationes de Vanitate, & de Amore *Dei*---Reſponſio ad 32. Quæſita

Petri

Digitized by Google

Petri Cotteni, unà cum 64. Quæſtionibus *Cottono* regeſtis---Acta Diſputationi cum *Petro Cayerio*,excepta ab *Amanuenſibus* ex ore Diſputantium. Et quædam alia minutula.

Molineus quidem multis artibus pollebat;ſed omnium eminentiſſima fuit diſputandi peritia,multo uſu confirmata,mirum ingenii acumen,ſerenum judicium, non unquam irâ aut impatientiâ obturbatum, quæ diſputationes graviſſimè inſtitutas ſolent abrumpere. Dr. *Gul. Bates* in Vit. *Petr. Molin.*

Magnus *Joſephus Scaliger Molineum* fecit maximi. Quando *Molineus Logicam* ſuam *Leydæ* edidit anno 1596. *Scaliger*,perlectâ ejus Præfatione ad Juventutem ſtudioſam,de eâ pronunciavit,*Hac Epiſtola non eſt hujus ævi.* Fuit *Logica* iſta tredecies intra paucos annos prælo commiſſa,& in plurimis Academiis publicè prælecta,utpote intimam (inquit *Bates*) rationalis Philoſophiæ Medullam, in *Topicis* præſertim , aperiens.

Semel cùm *Perronius* in prædio ſuo Nobiles vicinos invitâſſet, tum *Romanæ*, tum *Reformatæ* Confeſſionis, & ſermo de *Molineo* incidiſſet; quidam *Præſidens Chevelier* dixit eum eſſe *Aſinum*, Commotus *Perronius*,Minimè(inquit)cenſendus eſt inter *Aſinos Molineus*; nullus ſeſe illi aſino affricuit, qui non ab eo calce percuſſus abierit.

Cùm vir ingenio & eloquentiâ inſignis *Cuffetellus* librum edidiſſet contra Sereniſſimi *Regis Iacobi* fidei confeſſionem,*Molinæus Regiæ Confeſſionis* Defenſionem libro ſingulari ſuſcepit. Liber *Regi* & *Clero Anglicano* fuit acceptiſſimus. Rexque ſuper hac occaſione cœpit ad *Molineum* ſcribere, & eum poſtea literis ſuis ſæpiùs dignatus eſt, mutuas ab eo literas poſtulans. Aſſervatur in Regis *Scriniis*,quem ego me vidiſſe memini, *Molinæi* ad *Regem* Epiſtolarum Codex. *Gul. Bates* in Vit. ejus.

In libro cui titulus eſt *Novitas Papiſmi*, ſuam in *Græcis* literis peritiam ſimul & *Perronii* ignorantiam ſatis oſtendit. *Idem* ibid.

Noſtrâ ætate & ſtyli perſpicuitas, & rerum varietas maximè commendavit *Molineum*, communem *Galliæ* præceptorem. *Hottinger.* Bibliothec.Quadripart. pag. 197.

Acutiſſimum & eruditiſſimum *Theologum, Petrum Molineum* vocat *Fridericus Spanhemius* parte primâ Dub. Evangel. p. 280.

Miſeras mihi aureolum *Vatem* Veteris in Philoſophiâ Doctoris mei , nunc etiam in Canonico um Cantuarienſium Collegio,Collegæ honoratiſſimi. Magni *Molinæi* nomen adderem, ſi hoc inter nos eſſet opus,qui taciti etiam veneramur nomen,quod orbis prædicat univerſus.*Gers.Jo.Voſſ.*in Epiſt.ad And.Rivet. pag. 375.

Ipſum miror de *Eucharistia* & de *Purgatorio:*Cor meum poſſidet dum lego ejus Conſolationes,ad Fratres ſuos Eccleſiæ Gallicanæ,ut & Tractatum ejus de Amore erga *Deum*. Enixè optarem Gallicam linguam addiſcere ad hoc unum, ut illum intelligerem ; Et jam pridem in votis habui ac etiamnum habeo, ut mihi comparem aliquid eorum quæ ſcripſit. Doct. *Twiſſe.* Angl.

* Hic Author inter Hæreticos Primæ Claſſis rejicitur in *Ind. Tridentino.*

Varia

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

NIC. FABRIC. PEIRESCIUS.

Clar. A. D. MDCXX.

GAllus, Natus eſt in *Belgenſerii* caſtro prope *Tolonem*, primo die Decemb. 1580. Senator Parlamenti *Provinciæ*, ingenio inter primos ſui Seculi: Philoſophus acutiſſimus, Mathematicus eximius. Obiit. *Aquis Sextiis*, Anno 1637. In Academiâ *Romanâ* funebri Oratione, aliquot *Cardinalibus* præſentibus, in literatorum panegyri, honoratus. *Elogia* ejus, linguis quadraginta expreſſa, in uno volumine habentur, cui titulus, *Rangloſſia. Hofman.*

Copioſè, & integris quidem ſex libris, illuſtris hujus *Peireſcii* Vitam deſcripſit *Petrus Gaſſendus*, *Dinienſis* Eccleſiæ præpoſitus, & *Pariſiis* Regius Matheſeos Profeſſor, cujus jam tertia Editio eruditorum manibus aſſiduè teritur. Catalogum MSS. Propriorum Illuſtris hujus Viri prædictus *Gaſſendus* in Auctario ſubnectit, quò nos lectorem remittimus.

Nunquam ſatis laudandus vir *Nicolaus Peireſcius. Salmaſ.* de Primat. pag. 104.

Nicolaus Fabritius Peireskius vir æternâ famâ digniſſimus. *Sarrav.* in Epiſt. ad *Jacobum Palmarium*, *Rothomag.* Non. Auguſt. 1640.

Vir & eruditione & genere nobiliſſimus, nec ſine honoris præfatione nominandus *Fabricius* de *Peireſc*, Regius in *Aqua-Sextienſi* Curiâ Senator, literarum, dum vixit, magnus inſtaurator, & literatorum *Mecænas* planè incomparabilis. *Ant. Clement.* in Vit. *Salmaſii.*

Ampliſſimus Vir, & Antiquitatis Profanæ & Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus *Peireſcius. Io. Morin.* in Opuſc. *Hebræo-Samarit.* p. 95.

Vir ampliſſimus *Nicolaus Peireſcius*, in cujus morte & literæ & literati omnes damnum incredibile fecerunt. *Grot.* in Annotat. ad lib. de Veritat. R. C. cap. 1. ſect. 16.

Porrò in hoſtimentum *Camdenus Peireskium* obſervavit, maximi fecit, eumq; Notis ad *Britannorum* Numiſmata, vocat *Iuvenem nobiliſſimum*, & in re *nummorum* antiquariâ longè doctiſſimum & perſpicaciſſimum. *Ludov. Molinæus* Orat. in laud. *Gul. Camdeni.*

Vir dignitate, eruditione & virtute illuſtris. *Conring.* in cenſur. diplom. Lindav. Ludov. c. 5.

Nobilis Gallus, vir immortalium meritorum. *Rupert.* ad lib. 2. H. de O. J. pag. 17.

Vir ad ornandas & adjuvandas literas omnis generis factus à naturâ, à doctrinâ eruditus, à fortunâ inſtructus. *Io. Boëcler.* in Præfat. Comment. ad *Grot.* de J. B. & pag. 1.

Heu rerum viceſ! heu fata infanda! heu mors acerba & infenſa bonis omnibus, quæ geſtienti lætitiæ interceſſit, Viro illo incomparabili, *Peireſcio*, tunc, cum nihil minùs quàm de ejus occaſu timebatur, è vivis ſublato: ubi enim crinitum ſidus effulſit? ubi de cœlo intonuit? ubi terræ motus & fragores inſoliti: Spectraque

Digitized by Google

Spectraq; & portenta apparuerunt in ejus viri omnium maximi, omnium optimi ſapientiſſimique interitu? Vide *Naud.* Epiſt 56. ad Pet. Gaſſend.

Ego verò clariſſimum *Peireskium* ejus loco ſemper habui, in quo vires ſuas *Natura* potiſſimùm experta eſt, ut hominem produceret, cui nihil deeſſet, quod eximium, honeſtumque *Mortalibus* concedi in hâc vitâ poſſit: illumque pro eo, ac debeo, verbis ornare non poſſim, quorum me pauperem reddit copia meritorum. *Gab. Naud.* in Epiſt. ad *Petr. Gaſſendum*, *Romæ* 17. Kal. Aug. 1637.

Duo ſunt, ob quæ commendatus ſummoperè eſt, alterum eruditio magna, ac omnigena, cum ardore ſciendi inexplebili: alterum cura indefeſſa promovendi artes ingenuas, cum regiâ planè erga omnes literatos munificentiâ. *Gaſſend.* Epiſt. dedicat. ad Vit. ejus.

Omitto alia, quæ in reliquâ literatura fecit Opera. Ejus tantùm Epiſtolas, in admirationis cumulum addam, quæ quidem ſunt ita multæ, atque eruditæ, ut ſi nullum aliud ſcriptionis genus unquam attigiſſet, univerſum tamen omnium doctrinarum, & liberalium diſciplinarum orbem impleviſſe, dici potuerit. Nullum enim adeo præclarum, vel rarum, in bonis artibus naſci poteſt argumentum, de quo *Peireſcius* conſultus, ad eruditiſſimum quemque non ſcripſerit: doctè, frequenter, & copioſè admodum, ut omnes omnium provinciarum urbes, ſuis, non dicam Epiſtolis, ſed voluminibus oppleviſſe videatur, *Buccard.* in laudat. *Peiresku*, p. 271.

Si quis eſt pro quo liceat inverecundum eſſe petitorem, is fuit *Peireſcius*, ſolitus benefacere & ignotis & non petentibus. Celebratus in *Italiâ* eſt Orationibus. Nunc etiam Carmina ex toto Orbe ad ornandam ejus memoriam colliguntur, quadraginta, quod nunquam factum eſt, linguis. Ego, majoribus operum impar, Epigrammate *Latino* proſecutus ſum viri, de publico, ac de me quoque optimè meriti, nomen. *Hugo Grot.* in Epiſt. MS. ad *Caſp. Barlaum*, *Lut.* 16. April. 1639.

De *Antonianâ Columnâ*, ſcriptum nuper mihi eſt à *Senatore Aquenſi* talium curioſiſſimo, qui multa ad inſtitutum pertinentia ſubmiſit ex ditiſſimâ ſuâ antiquariâ ſupellectile, extare ejus in his locis pleraque exemplaria manu expreſſa & tranſcripta. *Salmaſ.* in Epiſt. ad *Voſſ. Leid.* 14. Kal. Jan. 1634.

Quemadmodum nemo unquam tam dilectus fuit quàm ipſe, ſic etiam neminis tantum poſt mortem univerſorum fuit deſiderium. Ejus obitum doluit tota *Romæ* Academia, funebri Oratione auditâ, quam in inſignis illius Genii gloriam, coram illo celebri conſeſſu pronunciavit *Iacobus Bouchard* eruditus Pariſienſis. Docti omnes mortem illius deplorarunt ut liberi mortem patris deplorant; ſeque orphanos poſt *Mecænatis* ſui jacturam reputantes, in calamitate illa exclamaverunt, *Occidit igitur ſpes noſtra? occidit Sol* noſter? Occidêre generis humani deliciæ? Occidit ille, ſolus, qui triſtes hâc tempeſtate Camœnas reſpexit? *Gabriel Naudæus* Româ ſcribens ad *Petrum Gaſſendi* circa illam mortem dolorem ſuum ſic exprimit. Heu rerum vices! heu fata infanda! heu mors acerba, & infenſa bonis omnibus quæ geſtienti lætitiæ interceſſit, viro illo incomparabili, tunc cùm nihil minus, quàm de ejus obitu timebatur, è vivis

ſublato! Ubi enim crinitum ſidus effulſit? Ubi de cœlo intonuit? Ubi Terræ motus ac fragores inſoliti, ſpectraque & portenta apparuerunt in ejus Viri omnium maximi, omnium optimi, ſapientiſſimique interitu? *Iſ. Bullart.* Acad. Scientiar. Lat. & Gall.

Hoc ejus Epitaphium à *Nicolao Rigaltio* ſcriptum:

Hic ſitus Nicolaus Fabri Peireſcius, *Ampliſſimi Ordinis in Aquar. Sext. Curiâ Senator* Chriſtianam *Reſurrectionem expectat: Reconditiſſimos Antiquariæ Supellectilis theſauros ſagacitate, conſilio, liberalitate, cunctis orbe toto diſciplinarum ſtudioſis, aperuit, doctiſſimis unde proficerent ſæpè monſtravit, mirâ beatitate felix, ſeculo ſatis rixoſo notiſſimus ſine querelâ vixit.* 8. *Kal. Jul. Chr.* 1637 *ætatis ſuæ* 57. *Optimo viro, Bonos omnes benè apprecare decet.*

LAURENTIUS PIGNORIUS.

Clar. An. D. MDCXX.

P*Atavii* natus eſt Anno. D[illegible] 1571. die 12. Octobris. Obiit Anno 1631. die 15. Julii.

Opera ejus Latina ſunt: Menſa *Iſiaca*, quâ ſacrorum apud Ægyptios ratio & ſimulacra ſubjectis tabulis æneis ſimul exhibentur & explicantur---De ſervis & eorum apud Veteres Miniſteriis----Notulæ extemporariæ in Emblemata *Andreæ Alciati*---Proſopopœia *Aldinæ Catellæ*---Magnæ *Deum* Matris *Idææ* & *Attidis* Initia---Carmen ad *Urbanum* VIII. P. M.----Miſcella Elogiorum, Adclamationum, Adlocutionum, Conclamationum, Epitaphiorum----Symbolarum Epiſtolicarum liber. *Italicè* varia ſcripſit.

Totius Antiquitatis indagator acerrimus, & in Veterum Numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus. In heroico carmine vera *Muſarum* & *Apollinis* proles audit. Elogiographus egregius paſſim ab omnibus ſalutatur. *Iac. Phil. Tomaſin.* in Vit. *Pignor.*

Laurentius Pignorius vir verè eximius, & qui priſcam illam, propriamque *Italorum* laudem, ſive proſâ ſive verſu ſcribit, fortiter it reſtitutum. *Dan. Heinſ.* in Epiſt. ad *Dominic. Molinum Lugd. Bat.* 13. April. 1622.

Pignorii libellus eſt egregius, & profectò eſt vir ille ſummum omninò *Italiæ* veſtræ ornamentum. *Ioan. Meurſ.* ad *Dominic. Molin.*

Cujus ego [*Pignorii*] omnia & avidè lego, & maximi facio, uti rara ejus eruditio meretur. *Voſſ.* ad *Dominic. Molin. Lugd. Bat.* prid. Id Sept. 1625.

Ob eximiam eruditionem, atque humanitatem mihi chariſſimus vir, *Laurentius Pignorius. Idem* de Hiſt. Lat. l. 3. p. 550.

Hæc omnia Manuſcripta ſuperſunt *Patavii*, apud clariſſimum, & diffuſæ reconditæque eruditionis virum *Laurentium Pignorium. Idem* ibid.

Sileant marmora, taceant æra, obmuteſcant picta, ſculpta, cælata monumenta: omni ære, ac marmore firmius, & perennius, *Pignori* doctiſſime trophæum

iſtud

Digitized by Google

iſtud erit, abs te ſapientiſſimo, prudentiſſimo, feliciſſimo *Antonio Priolo* Principi erectum----Salve interim, *Pignori*, Pignore quolibet carior, ac pretioſior, qui dum aliis immortalitatis ſpecimen impertis, tui memoriam in omnem poſteritatem longiſſimè propagaſti. *Andr. Maurocen.* Epiſt. poſtremâ 246.

Idem præſtitit in elegantiſſimis ſuis Emblematis *Hadrianus Iunius*, ſed in *Alciatinis* ante me adhuc nullus: niſi quòd *Pignorius* plurimas figuras ex venerandæ Antiquitatis monumentis paſſim correxit, & feliciter reſtituit, cui ſanè hac in parte multum debemus. *Ioan. Thuilius* Præfat. Emblem. *Alciati.*

Vir clariſſimus *Laurentius Pignorius* rerum antiquarum rariorumque, ut *Index*, ita & *Vindex* excellentiſſimus. *Felix Oſius* in Caſtig. in Auguſt. Hiſt. *Muſſati* pag. 191.

Vir amiciſſimus, multarum, atque adeo reconditarum rerum notitiâ perinſignis *Laurentius Pignorius.* Idem in Urbe Ætern. l. 1. c. 1.

A quo monumenta propemodum omnia vetera non excuſſa modò, ſed extrita penè ſunt. *Idem* ibid.

Pignorii induſtriam immortali vitâ inter mortales digniſſimam nunc jacere, quis tam alienus ab humanitate eſt, ut æquo animo ſuſtineat? Nam & eum vixiſſe, idem mihi *Maximilianus* noſter conſtanter affirmavit, & tuâ quidem fide. Sed erramus: non vixit, ſed vivit, & cum beatis *Cœlitibus* fruitur aurâ divinæ contemplationis. Neque enim aliter ut ſentiamus, ingenium, candor, ſinceritas, probitas, fides, quæ in ſcriptis ejus eluceſcunt, mihiq; aliunde ſatis cognita, perſpectaque fuerunt, permittunt. *Melch. Haiminsfeld. Goldaſt.* in Epiſt. ad *Dominic. Molinum.*

Extat de Servis, & eorum apud Veteres Miniſteriis Commentarius *Patavii* 4°. Anno 1656. & *Amſtelodami* apud *Andr. Friſium* 1674. 16°.

Extat Menſa *Iſiaca. Amſtelodami* apud *Friſium* 4°. anno 1670.

Extant Magnæ Deûm Matris & *Attidis* initia. *Pariſiis* apud *Nicol. Buon.* 1623. in 4°.

Hoc ejus Epitaphium:

D. O. M.

Laurentio Pignorio, *alteri hujus Eccleſiæ primum Parocho, deinde* Tarviſii *Canonico, pietate ac morum ſanctitate ſpectatiſſimo, literarum omnium, cùm graviorum, tum politiorum, peritiſſimo, penitioris Antiquitatis non minus certo quàm curioſo indagatori, Patriæ, Amicorum, & ſui ipſius Memoriæ luculentiſſimis ſcriptionibus propagatori, Muſarum denique & Gratiarum corculo, & ocello,* Dominicus Molinus *Sen. Ven. Amico, ac Hoſpiti cariſſimo, & jucundiſſ. P. Ob. Ann. 1613. idib. Iunii, vixit Annos 59. Menſ. 8.*

Digitized by Google

PETRUS GASSENDUS.

Clar. A. D. MDCXXV.

GAllus, *Dinienſis* Eccleſiæ Præpoſitus, & *Pariſiis* Regius Matheſeos Profeſſor, necnon Philoſophiæ *Epicureæ* Inſtaurator: obiit anno 1655. ætatis 64.

Scripſit 8. Exercitationes adverſus *Ariſtoteleos*: Octo libros de Vitâ *Epicuri*: Inſtitutionem Aſtronomicam: Vitas *Tychonis Brahe*, *Nicol. Copernici*, *G. Purbachii* & *Ioh. Regiomontani*: Vitam *Nic. Claud. Peireſcii*: Calendarium Rom. &c.

Petrus Gaſſendus Dinienſis Eccleſiæ Theologus, vir primarius, qui novo ingenii acumine, diſertâ Orationis texturâ & admirandorum monumentorum copiâ *Europæ* innotuit. *Leon. Allat.* Ap. Urban. p. 70.

In eo (*Petro Gaſſendo*) peracre ingenium & judicium, incredibile ſtudium, labor indefeſſus, ſingularis in aſſerendâ veritate methodus, varia eruditio, eaque exquiſitiſſima, terſa & elaborata ſcriptio, bonitas eximia & pietas, vitæ gravitas, morumque integritas ſumma, frugalitas priſca, Theologus inſignis, & in Academiâ *Pariſienſi* Regius Mathematum Profeſſor. *Ioan Launoy* in Epiſt. quad. de *Gaſſend.*

Petrus ille *Gaſſendus*, vir profectò capitalis, & mirâ ingenii felicitate, quâ per omnes ſcientias æquè ſe diffundit, haud abſque ſtupore ſpectandus. *Gab. Naud.* in Epiſt. ad *Leon. Allatium*, *Urbini* die 18. Aug. 1632.

-----Nec ut recentiores illos commemorem, acumine ſimiles *Antiquis*, & propè pares, *Galilæum*, *Gaſſendum*, *Gilbertum*, *Merſennum*, *Carteſium*. *Iſaac. Barrovv.* in Opuſc. p. 87.

Nemo aut acriùs aut uberiùs, aut quidem feliciùs *Epicuri* apologiam confecit quàm *Petrus Gaſſendus*, vir quidem magnus, omnique, ſi quis alius doctrinâ eruditus, nec tamen eruditione, quàm aut judicio, aut candore nobilior. *Sam. Parker.* Diſputat. de *Deo*, diſput. 1. §. 12.

Quis eruditorum eſt hominum (ſtudiiſve ſeverioribus deditorum) cui Tu ignotus, qui tibi innoteſcere non ſummo mentis ardore cupiat? Nempe ſæculi noſtri decus ſummum eſſe te, judicant ii omnes qui in Naturæ atque ſcientiarum ſcrutinio paulò profundiùs verſantur. Illud certè habes peculiare atque tibi proprium, quod in omni literarum genere adeo excellas, ut in quâ tu parte maximè verſatus ſis, planè difficile ſit decernere. Ita enim Mathematicas Diſciplinas Philoſophiæ ſtudiis ac linguarum adjunxiſti, ita his omnibus ſtyli nitorem induiſti, ita ingenuum ubique animi candorem, eximiamque generoſæ mentis gratiam, per omnia tua (quæ plurima ſunt) eluceſcere facis, ut impoſſibile eſſe judicem, tua vidiſſe, & te non ſuſpicere atque amare. Ego certè ab Adoleſcente ita tui ipſius amore exarſi, ut ſæpe mihi in animo fuerit *Galliam* tuam proficiſci, eo aut ſolo fine aut præcipuo, ut paſcerem oculos te intuendo. *Seth. Ward.* in Dedicat. præfix. lib. cui Tit. *Aſtronomia Geometrica.*

Jure merito (vir clariſſime) doctus exiſtimaris, utpote qui Philoſophiam, & Mathematicas

Digitized by Google

Mathematicas Scientias calles, eaſque longè aliter quàm vulgus Profeſſorum, doces. Relictâ enim illâ viâ, quæ ab aliquot ſæculis obtinuit, & in Scholas barbaram quandam Philoſophiam induxit, de rebus pulcherrimis eleganter, quantum materiæ difficultas patitur, diſſeris, nec rerum ſublimitatem verbis ſordidis dehoneſtari ſinis. Quod teſtantur egregia tua monumenta ex quibus altiorum ſcientiarum notitiam cum politioribus literis te conjunxiſſe manifeſtè apparet. *Roland. Marcſ.* epiſt. l. 1. epiſt. 33.

Anno 1628. ac deinceps, variâ doctrinâ, inprimis *Matheſi* eluxit *Petrus Gaſſendus*, *Gallus:* cujus ſingularem, & multijugam eruditionem, non potui non mirari, cùm *Belgicam* hanc luſtrans, anno 1629. me non ſemel ſalutatione, & alloquio ſuaviſſimo, dignaretur. *Voſſ.* de *Mathemat.*

Gaſſendi quatuor Epiſtolas de apparente magnitudine Solis humilis,& ſublimis, hiſce verbis laudat *Ioannes Gerard. Voſſius*: " Opus eſt elegans, & erudi- " tum; quodque animum pariter, & fructu paſcat, & recreet voluptate. *Voſſ.* de Mathem. c. 61. ſect. 12.

Petrus Gaſſendus Anno 1624. edebat *Exercitationes Paradoxicas* octo adverſus *Ariſtoteleos*. In quibus *Ramiſtam* ſe prodit & acerrimum *Ariſtotelis* calumniatorem, quanquam nihil minus ſe facturum Præfatione pollicetur. Sed puduit *Gaſſendum* cœpti inſolentis, ut ſex libros reliquos tenebris æternis damnaverit, & cùm *Ariſtotelem* vituperare ſine dedecore non poſſet, ad alterum extremum delapſus, *Epicurum* laudare, ejuſque Philoſophiam illuſtrare cœpit, idque meliori jure & ſucceſſu. *Ioan. Ionſ.* de Scriptor. Hiſt. Philoſoph. p. 313.

Certum eſt nos in bonarum literarum hiſtoria nullum exemplum habere lucidioris, doctioris & acutioris diſcurſûs; nec ſubactioris judicii,vitæque regiminis ſapientioris & moderatioris quàm in hoc Philoſopho. *Sorbiere* Epiſt. 49. Gallicè.

Gaſſendus eſt Author qui ſatis laudari nequit. In tota Vetuſtate nullus reperitur Philoſophus qui ſex ampla volumina tam nervosè conſcripſerit. *Rapin.* Animadv. in Phyſicam, Sect.9.Gall.

Gaſſendus, qui cenſeri tantum voluit *Democriticæ Epicuraeq*;Philoſophiæ reſtaurator pauca è proprio penu loquitur, de ſuo ferè nihil habet præter ſtyli venuſtatem, quæ Authoris mirifici famam ipſi facile conciliavit. Ad ipſum in ejus Phyſica refutandum, ſufficiunt *Ariſtotelis* adverſus *Democritum* ejuſque Diſcipulos Argumenta. Idem in Philoſophiam, animadv. 18. Gall.

Opera ejus omnia in 6. Tomos diſtributa, *Lugduni* anno 1658. prodierunt.

Hoc ejus Epitaphium ſolido marmore albo & nigro poſitum *Lutetiæ* in Eccleſiâ S. *Nicolai Campenſis*,atque in ipſo Sacello Illuſtr. Familiæ Mommorianæ, quod S. *Ioſepho* ſacrum.

Petrus Gaſſendus, Dinienſis *Civis*, *Presbyter*, *ejuſdem* Eccleſiæ *Præpoſitus*, *S. Theologiæ Doctor*, *in Academia* Pariſienſi *Regius Mathematicæ Profeſſor hîc requieſcit in pace. Qui natus eſt anno* Chriſti 1592. *Die 9. Kal. Febr. Obiit.* 1655.

Digitized by Google

1655. *die 9. Kal. Nov. depoſitus eſt 7. Kal.* Henricus Ludovicus Habertus de Montmor. *Libell. Suppl. Magiſter : viro pio , ſapienti , docto , amico ſuo & Hoſpiti poſuit.*

Aliud Epitaphium :

Hic jacet, non unus è Septem Sapientibus, verùm tota ſapientum familia, Philoſophi omnes, Politici, Philologi, Mathematici, Theologi eodem tumulo teguntur, Academia veteris & nova, Lycai, Stoa, hortorum rudera, veſtigia, è quibus jamjam reparanda & multò ſplendidiùs reſtauranda edita doctrina ſapientum templa ſerena. Ubi veluti totidem oracula, ſiſtendi erant redivivi & audiendi Thales, Anaxagoras, Pythagoras, Hippocrates, Democritus, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Zeno, Epicurus, Lucretius, Cicero, Seneca, Plutarchus, Sextus *& quotquot hujuſcemodi Heroum ad noſtra uſque tempora extitere, hic jacent cum Muſis, Pallade & Apolline, Pudor & juſtitia ſoror incorrupta fides nudaque veritas. Quæ univerſa magnum* Petri Gaſſendi *nomen complectitur. Tu Viator erudite! luge ſortem generis humani, cui mors invida eripuit fidiſſimum, diligentiſſimum Naturæ Interpretem, Virtutis, ſolidæ Pietatis, bonæ Mentis Cultorem, Vindicem, Propagatorem integerrimum, acerrimum, feliciſſimum. Vixit ſine querela, ſorte ſuâ contentus, interioris notæ amicis jucundiſſimus viris imperiò, auctoritate, doctrinâ, ſapientiâ præſtantiſſimis acceptiſſimus, chariſſimus; non apud exteros ſolùm, ſed & in patriâ ſuâ amorem & venerationem meritus, conſequutus. Annos LXIII. menſes IX. dies XIII. æternum ſui deſiderium relinquens* Lutetiæ Pariſiorum *A. D. IX. Kal. Nov.* 1655. Abrahamus Pratæus, Thomas Mortellus, Samuel Sorberius, Franciſcus Bernerius, *Amico veteri, Præceptori bene merito, grati animi monumentum M. M. P. P.*

In Effigiem ejus hæc carmina compoſuit Auctor Anonymus :

Hic eſt ille, dedit cui ſe Natura videndam,
Et Sophia æternas cui reſeravit opes:
Invida non totum rapuiſtis ſidera. Vultum
Nantolius. *Mentem pagina docta refert.*

JACOBUS SIRMONDUS, Soc. Jeſ.

Clar. An. D. MDCXXV.

NAtione *Gallus*, patriâ *Arvernus Ricomagenſis*, Rector olim Collegii *Pariſienſis*, obiit anno Dom. 1652. ætatis 93.

Varios autores edidit notiſque eruditis illuſtravit, ut *Sidonium Apollinarem, Gofridum Vindocinenſem, Ennodium Ticinenſem, Petrum Cellenſem, Idacii & Marcellini* Chronica, &c. *Theodoreti Cyrenenſis* Epiſcopi opera, in 4. Tomos diſtincta,

Digitized by Google

ſtinctâ, ejus curâ & operâ lucem publicam aſpexerunt.

Vir totius *Antiquitatis* curioſus inveſtigator, & *Latinè Græcéque* impensè doctus, & in omni pene literarum genere excultiſſimus, *humaniores Literas Theologicis* admodum decorè conjunxit: qui indefatigabili ſtudio penetralia quæque *Bibliothecæ Vaticanæ* perluſtravit; qui inter noſtri ſæculi primos viros diſertos meritò eſt adnumerandus: quæ omnia ſunt *Cardinalis Baronii* de *Sirmondo* Elogia.

Diligens *Sirmondi* noſtri in pervidendis *Veterum* Scriptis perſpicacitas & ingenioſa felicitas *Phil. Labbe* Tom. 2. de Script. Eccleſ. p. 252.

Sirmondus ob candorem tanquam rem raram, à multis laudatur. *Konig.* in Biblioth.

Sirmondi magna ſunt in literas merita. *Grot.* epiſt 128. ad *Petr. Puteanum.*

Vir ille magni judicii optimæque fidei *Sirmondus. Idem* Diſcuſſ. *Rivetiani* Apologetic.

Vidit me hîc dudum *Iacobus Sirmondus*, vir, ut ſcis, eruditiſſimus. Is Regis conſcientiam nunc gubernat, bono ſanè publico. *Hug. Grot.* in Epiſt. 823. ad *Voſſium.*

Iacobus Sirmondus vir eruditione clarus, ut ex notis ejus ad *Sidonium, Ennodium*, *Facundum* & *Concilia Galliæ* apparet. *Idem* epiſt. 882 ad *Ludovic. Camerarium.*

Commentarios in varios *Auctores* ille tantâ elegantiâ, tantoque cum judicio conſcripſit, ut nihil in eo genere perfectius eſſe poſſit. Atque ut vel una ab *Apelle* ducta linea, manum præſtantiſſimi artificis olim indicaſſe dicitur, ſic unica *Iacobi Sirmondi* quantumvis brevis nota, ad doctrinam ejus declarandam abundè ſuffecerit; ſed celeberrimi & præſtantiſſimi omnium judicio ſunt ii libri, qui in contentioſo & pugnaci ſcribendi genere verſantur. *Henric. Valeſ.* Orat. in obit. *Sirmond.*

Nec dubium eſt quin quamdiu ſuus honor *literis* ſtabit, quamdiu *Hiſtoriæ*, quamdiu *Antiquitatis* & *Humaniorum artium* ſtudioſi ſupererunt, tamdiu *Iacobi Srmondi* nomen celebre atque illuſtre inter eruditos futurum ſit. *Idem* ibid.

Ordinis ſui decus *Iac. Sirmondus. Colomeſ.* in Paralipom. ad Chartophyl. Eccl. p. 6.

Nec melioris judicii hominem *Iacobo Sirmondo*, nec diligentiorem *Andreâ Schotto*, reperire facile poſſis. *Barth.* l. 19. c. 6. Adverſar.

Ille verò non ceſſabit unquam laudari, quamdiu literæ vigebunt & ſtudia *Chriſtianæ Antiquitatis* ſuos habebunt æſtimatores. *Idem* ibid. c. 11.

Suo tempore ſagacium *Criticorum* exemplar exiſtimabatur; cum præter ingenii vim, judicii ſoliditatem, animi rectitudinem & ſinceritatem, longam adhuc haberet experientiam characteris Authorum & meriti librorum, quam pertinaci plus quàm ſeptuaginta annorum lectione ſibi comparaverat. *Judicia Eruditorum Pariſiis* 1685. per *Baillettum*. Gall.

Providentia Divina videtur Jeſ. *Sirmondi* vitam prorogare voluiſſe uſque ad obitum *Salmaſii*, ad *Critices* honorem & authoritatem tuendam, quam hic tyrannide

tyrannide ſua dehoneſtabat, & odio iam vilemque reddidiſſet, ſi nullibi niſi in ejus Scriptis extitiſſet. *Idem* ibid.

Doctiſſimum ac candidiſſimum *Sirmondum* Jeſuitam jam ſupra edidimus, non modò confitentem, ſed etiam pugnantem, ac veris validiſque argumentis vincentem *Dionyſii Martyrium* ſub *Domitiano* Principe contigiſſe----Qui *Sirmundi* vel acumen & judicium, vel candorem & fidem norit, non dubitabit, quin ille hæc, & viderit, & ſecutus ſit; ac ne hoc quidem obſcurum, vel apud cordatos ambiguum eſt hunc virum ſive eruditionem, ſive judicium ſpectes, pluris eſſe unum, quam trecentos ſive *Delrios*, ſive *Halloixios*. *Ioan. Dall.* de libr. ſuppoſ. *Dionyſ. Areop.* & *Ignat. Antioch.* l. 1. c. 36.

Magna verò *Iacobi Sirmondi* in Humanioribus Diſciplinis præſtantia: venuſtâ quadam & nativâ floret facundiâ, & legentium animos mira voluptatis ſuavitate perfundit. Hanc tamen dicendi facultatem ad *Auctoris* exemplum coërcet, pluſque *Interpretationis* fidei, & recepto apud *Chriſtianos* homines verborum uſui, quàm elegantiæ ſermonis & munditiæ tribuit. *Huet.* de clar. Interpret.

Extant Concilia antiqua *Galliæ* omnia in unum collecta. Voluminibus 3. *Pariſiis* 1629.

Extat Prædeſtinatus, ſive de Prædeſtinatianorum Hæreſi Tractatus. *Amſtelod.* in 8. 1645. & deinde *Pariſiis* anno 1649.

Extant Opera dogmatica Veterum quinque Scriptorum. *Pariſiis* 1630. 8°.

Extant alia ejus Opera variis in loci atque temporibus impreſſa.

Lutetiæ Pariſiorum in Collegio *Claromontano* Societatis *Ieſu* ex ictero, quem Regium morbum vocant, deceſſit firmâ adhuc valetudine vividus ſenex, Nonis Octobris anno reparatæ per *Chriſtum* ſalutis 1651. vixit annos 93. minùs diebus 5. natus 4. Idus Octobris anno ſuperioris ſeculi 59.

Hoc ejus Epitaphium:

Sirmondum *rapuit vegetos ſuffuſa per artus*
Aurigo: nec mors credidit eſſe ſenem.
Bis confecta novem vita poſt luſtra beatæ,
Telo uſa eſt, juvenes quo ſuperare ſolet.
Exornant tumulos aliorum marmora & aurum;
Sirmondus *tumuli ſit decus ipſe ſui*
Aurea mens vivo, facta aurea, & aurea dicta.
Nec defuncti alius debuit eſſe color.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

GERARDUS

Digitized by Google

GERARDUS JOHANNES VOSSIUS.

Clar. An. D. MDCXXV.

A*Rchipalatinus*, eloquentiâ & eruditione ſeculi hujus inter Principes. Natus anno 1577. *Dordraci* literis incubuit, cum *Erycio Puteano*. Dein eruditarum linguarum notitiâ exactè imbutus, præcipuas *Europæ* urbes inviſit, ubique magnâ veneratione cultus. Reverſus, *Dordraci*, *Lugduni Batavorum*, & *Amſtelodami* docuit. Obiit anno 1650. *Hofman*.

Extant ejus Grammatica *Latina*: Rhetorica: Liber de naturâ Logices: Liber de naturâ Rhetorices: Inſtitutiones Poeticæ: Etymologicon *Latinæ* Linguæ: Liber de Philoſophiâ & Sectis Philoſophorum: Liber de Hiſtoricis *Græcis* & *Latinis*: De quatuor Artibus popularibus: De Scientiis Mathematicis: Tractatus de Gloſſematis vitiiſque *Latini* Sermonis: Theologia Gentilium: Theſes Theologicæ: Harmonia Paſſionis *Chriſti*: Hiſtoria *Pelagiana*: Tractatus de Baptiſmo: De tribus Symbolis: De Arte Hiſtoricâ: Chronologiæ Sacræ Iſagoge: Tractatus duo, de cognitione ſui, & de ſtudiorum ratione: Inſtitutionum Oratoriarum libri 6.

Ego certè ita ſentio, neminem inter *Theologos* noſtros repertum fuiſſe, qui minùs juràrit in verba cujuſquam Magiſtri, qui aliorum ſententias æquiùs expenderit, & qui veritatis diligentior fuerit indagator. *Andr. Rivet.* Apologet. pro verâ pace Eccleſ.

Joſephus Scaliger cùm *Voſſii* inſtitutionum Oratoriarum libros perlegiſſet, ingenuè profeſſus eſt, ſe ab eâ lectione doctiorem evaſiſſe, nec à veteribus ipſis quenquam extare, qui in eo argumento *Voſſio* palmam præriperet. *Caſauboni* verò hoc de *Voſſio* erat judicium, nihil ejus *Rhetoricis* eſſe perfectiùs, nihil nitidius, ſingularem eruditionem, lectionem multiplicem, rectum judicium ubique elucere. *Konig.* in Biblioth.

Non potueras melius conſulere liberis tuis, quàm quòd eorum ſpem *Voſſio* commendas, raræ tum probitatis, tum eruditionis viro. Memini à *Caſaubono* ſummis laudibus prædicari *Oratorias* ejus *Inſtitutiones*. Tum quæ de *Pelagianâ Hiſtoriâ* conſcripſit, maximi hîc ab omnibus fiunt. *Grot.* Epiſt. 38. ad *Aub. Maurerium*.

Eſt mihi vir ille (*Voſſius*) optimè notus, nec quidquam tam magnificum dixero, quin ejus doctrina virtuſque ſuperet. *Baud.* 26. Centur. 2. Epiſt. 26.

Johannes Gerardus Voſſius, omni doctrinarum genere atque omni eruditione mirabiliter excultus. Utinam Orthodoxâ Fide imbutus fuiſſet. *Joan.* Card. *Bona*.

Voſſius vir mirabilis, & de quo meritò dubites utrum majorem à doctrinâ & ingenio, an à modeſtiâ laudem mereatur. *Bochart*. Geogr. ſac. p. 485.

Ejus liber de *Hiſtoricis Græcis* opus miræ eruditionis, ex cujus lectione nos profeciſſe non parùm ingenuè profitemur. *Idem* ibid. p. 864.

Gerardus Iohannes Voſſius tot ſcripſit & tantæ utilitatis libros, ut ejus merita pauci aſſequantur. Quantæ enim in *Hiſtoricorum Græcorum* & *Latinorum* cogni-

tione tenebræ per eum ſunt diſpulſæ doctiſſimis libris de *Hiſtoricis Græcis* & *Latinis*! ut jure doleamus non abſolutum ab eo eſſe laborem ſimilem quo Poëtas *Græcos* & *Latinos* variis tenebris & difficultatibus itidem liberare conabatur quo imperfecto labore tantiſper fruimur dum à felici aliquo ingenio is perficiatur. *Ionſius* de Scriptor. Hiſt. Philoſophic. p. 313. 314.

Vir Clariſſimus *Ioannes Voſſius*, quô nemo rem Grammaticam accuratiùs excuſſit & explicuit. *Gataker* de Nov. Inſtrumenti ſtylo Diſſert. c. 23.

Tuum de *Grammaticâ Arte* accepi, exactiſſimum in hoc genere Opus, ac cui nullum priorum vel priſci ævi vel noſtri poſſit comparari. Non pueris tantùm hæc Scripta, ſed viris, qui hinc haurirent unde doctiores evadant, quæque aliunde doceri non poſſent. *Salmaſ.* l. 1. epiſt. 74.

Quantum me, bone Deus! (ut reliqua jam taceam) ultimi de *Hiſtoricis Græcis* libri ceperunt! Tam felici induſtriâ uſus es, ut quicquid à veteri ævo *Græcia* ſudavit, ignorare jam docti indoctique deſinant, quod omnes unus docuiſti. Quæ divitiæ! quæ deliciæ! Nihil tam abditum, quod non legeris; tam dubium, quod non expenderis; tam obſcurum, quod non illuſtrâris. *Eric. Putean.* in Litter.

Proximis diebus aliquid nactus otii, legi eâ, quâ omnia tua ſoleo, aviditate ac animi affectu, tua de *Idololatriâ*: in quo contra feciſti, quàm nunc fieri ſolet, plerique enim titulos ſuos opere non implent: tu aliter nos decipis, plus dando quàm eras pollicitus. Nam præter omnium *Gentium* hiſtoriam, naturæ nobis pandis myſteria, & in tantâ rerum congerie ſervas, quod difficillimum eſt, ordinem. Præterea quoties *Veterum* aut Scriptura aut ſenſus in dubium venit, oſtendis quàm exacta ſit judicii tui trutina. Tum verò pietatis ac probitatis ſemina ita ubique inſpergis, ut non alium nôrim librum efficaciorem corrigendis ſeculi moribus. *Hug. Grot.* in Epiſt.

Inter tot libros quos celebris *Gerardus Voſſius* conſcripſit, nullus iſto celebrior fuit, & etiamnum eſt (qui ſcil. *Theologia Gentilis* inſcribitur.) Cæterùm quantumvis egregium ſit hoc Opus imperfectum tamen, ut & alia ejuſdem Authoris complura remanſit: hoc tamen diſcrimine, quòd iſtud ei ſemper honorificum ſit futurum, cætera verò dedecori erunt ipſi. Hujuſmodi ſunt inprimis ejus *Etymologicum*, ejus de Poetis *Græcis* & *Latinis* bini Tractatus, ejuſque ad *Chronologiam introductio*, quæ nunquam evulgari conſultum fuiſſet. D. *Colomiez* Biblioth. ſelect. p. 87. &c. Gallicè.

In quo Opere *Etymologico*, ut in aliis ejus Scriptis, non pauca ſunt quæ miram properantiam arguunt. Hæc tamen in quibuſdam feſtinatio, viri illius exiſtimationem haud minuit, digniſſimi ſanè, quem, ob tot præclara in vulgus emiſſa, omnis amet & admiretur poſteritas. *Idem* in obſervat. ſac. p. 31.

Gerardus Iohannes Voſſius, magnum in bonis literis nomen, cujuſque adeò divitiis faciliùs credas inhiaſſe *fures literarios*, de quibus & conquerentem videmus, quàm ipſum ſimile quid patraviſſe. Tamen, quod *Ionſius* [de Script. Hiſt. Philoſ. p. 49.] obſervavit, *Wouwerium* ſuppreſſo illius nomine quandoque ſecutus eſt. *Thomaſ.* de *Plag.* num. 578.

Digitized by Google

Gerardus Joannes Voſſius innumera ex *Martinio* deſumpſit auctoris nomine diſſimulato. *Menag.* Amœnit. Jur.Civil.c.39.p.428.

Aliquando *Remonſtrantium* partes ſecutus eſt *Voſſius*: verum *Andr. Rivetus* in examine Animadv. *Hug. Grot.* p. 68. teſtatur, eum ab *Arminianis* iterum ad *Calviniſtas* tranſiiſſe.

* *Gerardi Joannis Voſſii* Diſſertationes tres de tribus *Symbolis Apoſtolico*, *Athanaſiano*, & *Conſtantinopolitano*; prohibentur in decreto 10. Junii 1654.

Extat Hiſtoria *Pelagiana*. *Amſtelodami* 4°. 1655.

Extant de Idololatriæ ſive Theologiæ apud Gentiles Origine Libri 4. *Amſtelodami*, 1641. in 4°. 2. volum. & deinde additis Libris aliis tribus ibid. anno 1668. in fol. apud *Ioan. Blaeu.*

Extant de Hiſtoricis *Latinis* libri 3. *Francofurti* ad *Mœnum* 1677. 4°.

Extant de Hiſtoricis *Græcis* libri 4. ibid. 1667. in 4°. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium:

Hoc Tumulo plorat Pietas, & candida Virtus,
Et Luctu Pallas *Saxea diriguit:*
Invida Mors ridet, ridet quoque Voſſius *illam,*
Dum calamo Mortem vincit, & Ingenio.

LUDOVICUS CAPELLUS.

G*Allus, Sedanenſis*, Sacræ Theologiæ & Linguarum Orientalium Profeſſor in Academiâ *Salmurienſi.* Vir *Hebraicè* doctiſſimus, Anno 1658. Obiit octogenario proximus. *Spicilegium* in Nov. Teſtam. confecit, in quod multa aliis nec dicta nec obſervata congeſſit. Scripſit etiam *Criticam Sacram*, ut & Opuſculum de Punctis *Hebræorum*. Inter ipſum & *Buxtorfium* æmulatio graviſſima fuit. *Konig.* **Clar. An. D. MDCXXX.**

Vir ſummus, meus olim Præceptor, *Ludovicus Capellus. Bochart.* in *Geog. Sac.*

Magnum *Hebraizantium* oraculum habebatur in *Galliâ Ludovicus Capellus. Ioſeph. Hall.* Epiſc.

Arcanum *Punctationis* abs te Juris publici factum, legi antehac, vir Reverende; Ac jam tum ita judicavi, ſi quid tamen mei judicii eſt, rei inter eruditos diu diſputatæ, eam lucem tuâ diligentiâ allatam, ut dubitare non ſit futurum poſthac niſi pertinacium, ſicut in eo labore alios, qui te præceſſerant, ita in *Sacrâ Critice* etiam iſtum laborem tuum ſuperaſti. In quo neſcio magiſne indefeſſam ſedulitatem mirari debeam, an uberrimam eruditionem, an judicium limatiſſimum; quæ tres laudes in hoc opere ita inter ſe certant, ut in ambiguo maneat cui de tribus prima palma debeatur. Sunt quidem nonnulla, ut rectè notaſti, εὐδιάβλητα [calumniæ obnoxia] ſed omnibus placere, nemini datum eſt;

minimè verò iis qui ſupra vulgus ſapiunt. Contentus eſt magnis potiùs quàm multis laudatoribus. *Hug. Grot.* in epiſt. 174.

Capellum, virum in *Hebràicis* literis Sacrâque Hiſtoriâ egregium, maximi facio. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad Principem de *Lanterc. Lut.* 24. Octob. 1640.

Hanc ſententiam (de *Punctorum vocalium* inventione) poſt P. *Martinium* tuetur eruditè *Ludovicus Capellus* vir clariſſimus in eximio Tractatu de *Punctorum Hebræorum* antiquitate. *Frid. Spanhem.* 3. part. Dub. Evangelic. Dub. 129.

Erudito ſanè *Lud. Capelli* Tractatu pugna de *Punctorum Antiquitate* ita depugnata videtur, ut lis illa hodie ſit ἐρήμη δίκη. *Spanhem.* ibid.

Præ cæteris *Capellus* fortiter, & ut fusè, ita eruditè *Puncta* à *Maſſorethis* fuiſſe inventa probat, Opere eo, quod nomine ſuo præterito, de *Revelato Punctorum Arcano* inſcripſit----Facile adſentio doctiſſimo *Capello*, qui accentuum, ut vocant, punctorumque omnium doctrinæ extremam manum additam exiſtimat à nobili *Maſſoretha Ben Aſcher. Voſſ.* de Art. Grammatic. l. 1.

Communis fere eſt doctorum ſententia, luculentiſſimè à R. viro *Lud. Capello* proprio opere demonſtrata, *Puncta* illa quæ vocant *Hebraica*, non niſi ſerò & aliquot poſt *Christi* manifeſtationem ſeculis, jam extincto *Hieronymo*, in uſu eſſe cœpiſſe. *Ioan. Dall.* Epiſt. ad *N. N. Lut.* Kal. April. 1636.

De *Punctorum* Antiquitate adeat qui volet, librum cui titulus eſt *Arcanum &c.* à *Thoma Erpenio* amici nomine non diu editum in lucem, quo in libro Quæſtio hæc non minus luculenter quàm copioſè pertractatur, novitaſque *Punctorum* exquiſitiſſimis & validiſſimis rationibus adſtruitur. *Simeo Muiſius* in Caſtigat. Animadverſion. *Morini*, p. 159.

De *Punctis* poſt mortem *Christi* auditis, omnium diligentiam ſuperavit *Anonymus* Author *Diatribes* de verâ Antiquitate *Vocalium*, quam clariſſimus *Erpenius* 1624. edidit. Ille enim ſententiam iſtam adeo validè confirmavit, rationeſque quæ in contrarium vulgò afferuntur, adeò ſolidè refutavit, ut doctiſſimorum Theologorum qui anteà contrariæ ſententiæ mordicùs hærebant, alios in ſuam ſententiam pertraxerit, alios verò non parùm dubios reddiderit. *Sixtin. Amama* in Diſſertat. de Nom. *Iehova*, p. 326.

Quoad tuam (in tuo *Arcano*) conjecturam quod ſcilicet *Iudæi* ſua puncta deſumpſerint ab *Arabibus*, hanc veriſſimam autumo, méque demonſtrare poſſe reor. Sed hæc omnia longam diſſertationem exigunt. *Iohann. Morinus* in Epiſt. 72. ad *Ludovic. Capellum.* Gall.

Vir *Hebraicarum* literarum callentiſſimus *Ludovicus Capellus*. Dr. *Iac. Duport.* præfat. ad Metaph. Pſalm.

Ludovicus Capellus vir doctiſſimus, & in *Thalmudicis* verſatiſſimus. *Meric. Caſaub.* de quat. Linguis, p. 121.

Vir exacti judicii. *H. Conring.* de num. Ebræor. paradox. cap. 5.

Hactenus in *Punctorum Hebraic.* origine aſtruendâ duo maximi magiſtri deſudant, quorum alter Arcani *Punctationis* Author (cui nos multum profitemur debere) limatiſſimo vir judicio & undecunque doctiſſimus eſt. *Alexand. Morus* in exercit. de Scripturâ S. p. 69.

Argumenta

Argumenta de *punctorum* novitate Clariſſimi *Lud. Capelli* Antagoniſtarum facilè Principis, non tanti ſanè ſunt roboris, quali celebrantur, imo pleraque ſunt prorſus inania. *Caſp. Ledebur.* Præf. ad Lect. in Tractat. de Accentibus *Heb.* 1647.

Ludovicus Capellus prius evulgaverat præclarum Tractatum quem inſcripſerat *Arcanum Punctationis*, quo invictis argúmentis demonſtrat Punctorum *Hebrai* contextûs novitatem. Primum illud *Capelli* Opus, quod in Hollandia typis mandatum fuit, magnos inter *Proteſtantes* rumores excitavit, imò jam antequam prelo ſubjiceretur ipſos terruerat, ac ſi Religionis eorum principiis prorſus adverſaretur. *Alexander Morus* qui ipſum antequam in lucem ederetur jam viderat, non potuit ex æquo de Authore non judicare. *Limatiſſimo vir judicio*, inquit de *Capello* loquens, & *undecunque doctiſſimus*; eodemque loco de hoc libro verba faciens ſubdit, *Opus quantivis pretii, ſed à multis Zelo Dei flagrantibus etiam hic* Genevæ *reformidatum*. Idem *Morus* clarè ſatis oſtendit hunc Genevenſium Proteſtantium zelum non fuiſſe ſecundum veritatem, quandoquidem fatetur *Capelli* opinionem *Lutheri*, *Calvini*, *Zvvinglii*, *Fagii*, *Merceri*, *Druſi*, *Caſauboni*, *Scaligeri*, *Erpenii*, *Salmaſii*, *Grotii* & *Heinſii* ſententiæ conformem eſſe: Adeoque novitatem à *Capello* introductam eſſe dici nequit, ſed ab eo fortiùs tantùm ſtabilitam fuiſſe Opinionem à ſagacioribus & doctioribus *Proteſtantibus* jam approbatam. Nec dubium, *inquit Morus*, quin ejus cauſa vicerit, ſi res Doctorum ſuffragiis & authoritate tranſigatur. Verum meris præjudicatis meraque ignorantia peccant plerique horum *Genevenſium* Miniſtrorum, qui conſulere debuiſſent Præfationem præfixam fronti Bibliorum *Gallicorum* ex Hebraico Textu verſorum ibique reperiſſent quòd *Robertus Olivetanus* primæ illius Verſionis Author, Quæſtionem prolixè agitaverit, nec à Capello quidquam præſtitum fuerit, niſi quòd *Olivetani* opinionem majori luce donaverit. Præjudicati hujus quo *Germanorum* & *Genevenſium* Proteſtantium plerique imbuti ſunt origo petenda eſt ex eo quòd cæco impetu ſecuti ſint utriuſque *Buxtorfii* opinionem de Bibliorum Textûs Hebraici ſinceritate. Oratorii Presbyt. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. lib.3. cap.20.Gall.

* *Ludovicus Capella* inter Hæreticos primæ Claſſis numeratur in Indice *Madrit.* Edit. an. 1667.

Extant Critica Sacra. *Pariſiis* 1650. fol.
Extat Arcanum Punctationis Revelatum. *Lugd. Bat.* 1624. 4°.
Extat Hiſtoria Apoſtolica. *Geneva* 1634. 4°.
Extat Chronologia Sacra. *Pariſ.* 1655. 4°.

LUDOVICUS de DIEU.

V*Liſſingenſis Zelandus*, Natus eſt anno 1590. Obiit anno 1642. Mortuo *Joannes Polyander* parentavit. Linguarum *Orientalium* ad ſtuporem eru- Clar. An. D. MDCXXX.

ditus, atque indefeſſæ diligentiæ, quæ & mortis accelerandæ, atque immaturæ ei cauſa fuit, *Valer. Andreas.*

Scripta ejus hæc ſunt: Compendium Grammaticæ *Hebraæ*---Rudimenta Linguæ *Arabicæ* & *Perſicæ*----Grammatica Linguarum Orientalium, *Hebraicæ, Chaldaicæ*, & *Syriacæ* inter ſe collatarum----Animadverſiones ad Vetus Teſtamentum, præſertim *Syriacum*----Animadverſiones in Acta Apoſtolorum, quibus vulgatum Interpretem cum Textu Græco, Syro, Arabico contendit, & ex eo tuetur----In Apocalypſin S. *Iohannis Syriacè, Hebraicè*, & *Latinè*, cum Notis-----Hiſtoria *Chriſti* & *S. Petri* ab *Hieronymo Xaverio* S. J. *Perſicè* ſcripta, à ſe *Latinè* reddita.

Ille Phœnix ſacræ Theologiæ. *Dilher.* Diſput. Acad. Tom. 1.

Vir in Linguâ *Syriacâ* incomparabilis. *Idem* Tom. 2.

Optimus, & cùm omnis egregiæ doctrinæ, tum literarum Orientalium periſſimus vir, *Ludovicus* de *Dieu. Marc. Zuer. Boxhorn.* in epiſt. ad *Brunonem.*

Quem quotieſcunque ipſius in Scriptis meis mentionem facio, per conſcientiam nequeo, quin encomiis extollam, qui tantâ pietate, Theologiæ veræ, artium, & linguarum fermè omnium cognitione, ſyderis inſtar ex alto coruſcantis eminet. *Conſtantin l'Empereur* Epiſt. Dedicat. ad Itinerar. *Benjaminis.*

Singularis humanitas ac modeſtia ita propria tibi ſunt, ut non minus eximiis his naturæ dotibus, quàm virtutis tuæ, ac doctrinæ merito, in amorem tui, & admirationem accendas, te quotquot de proximo nôrunt. In quorum numero, ut me eſſe, non invitus agnoſco; ita non poſſum, non ea venerari dona, quæ magnus ille Deus largâ manu in te cumulavit. *Iac. Crucius.* l. 3. epiſt. ep. 1.

Criticæ Notæ quas evulgavit Ludovicus *de Dieu* ſub nomine *Animadverſionum in Veteris Teſtamenti Libros omnes*, quædam tantum ſelectiora Bibliorum loca reſpiciunt, quibus novas elucidationes afferre ſibi arrogavit. Cùm verò cæterorum explicationibus aliquid novi ſuperaddere affectaverit, interdum evenit ut ad minimas uſque Grammaticæ minutias deſcendat, pluſque ſubtilitatis quàm ſoliditatis oſtentent novæ illius interpretationes. Ad Linguas *Hebraica* affines frequenter confugit, ut eò meliùs vocum *Hebraicarum* ſignificationem propriam eliciat. Cùm illas Obſervationes Criticas in Biblia molitus eſt, perfectiorem reddere meditabatur novam Verſionem Belgicam totius Scripturæ quæ ex Synodi *Dordracena* decreto erat elaboranda. Primum tamen conſilium ſuum quandoque deſerit, pleraque in ſuas Notas inferendo quæ meræ ſunt eruditionis, quæque ad Criticam minimè pertinent; ut ſtatim à primis Notarum ſuarum verbis, ubi obſervat quòd juxta Cabbalam quæ *Gematria* dicitur, probetur ex primis *Geneſeos* vocibus Mundum initio anni, id eſt menſe Septembri conditum fuiſſe. Deinde eodem loco addit, quòd ſecundum aliam Cabbalæ ſpeciem quæ *Temura* vocatur ſeu Literarum metatheſis, Mundus Calendis Septembris creatus deprehendatur. Verum hujuſmodi obſervatio pluresque id genus aliæ, quas Operi ſuo inſeruit Author, prorſus inutiles ſunt ad literalis ſensûs explicationem & ad genuinam Bibliorum Verſionem adornandam. Alia Judæorum deliria Notis ſuis admiſcuit: ut cùm hanc quæſtionem cum Doctoribus

Digitized by Google

Doctoribus *Thalmudicis* movit in hæc ejuſdem Capitis verba *Deus creavit hominem:* Cur ſcilicet unicum in Orbe hominem creaverit *Deus*? Ad quod reſpondet cum *Thalmude*, Deum unicum hominem creaſſe, ut nos doceret quod ſi quis vel unum Iſraelitam deſtruat, idem id ſit ac ſi totum Orbem deſtrueret; ſi contra quis illum conſervet, idem id ſit ac ſi Orbem integrum conſervaret. Ejuſmodi animadverſiones in Opere tam compendioſo locum habere non deberent: Sed uſu ferè ſemper venit ut qui aliqua eruditione inſtructi ſunt, eâ libros ſuos repleant, minimè perpendentes an ad rem faciat ejuſmodi eruditio. Cæterum illæ Notæ Ludovici *de Dieu* admodum utiles eſſe poſſunt illis qui ad Grammaticum Scripturæ ſenſum applicant animum; In hoc autem præſertim excelluit, quamvis nimiam interdum ſubtilitatem oſtentet. Or. Presb. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 14. Gallicè.

Rudimenta Linguæ *Perſicæ*, quæ Ludovicus *de Dieu* adornavit & evulgavit in 4o. 1639. cum *Verſione Hiſtoriæ Chriſti* à *Xaverio*, apud omnes univerſim in pretio ſunt, quoniam opinio eſt quòd ſi in omnium Orientalium linguarum peritia æquales haberet, ſaltem eo ſuperiorem ullum reperiri vix poſſe. *Judicia Erudítor. Pariſiis* 1685. per *Baillettum*. Gall.

* *Ludovici* de *Dieu* Opera numerantur inter libros prohibitos in Decreto 18. Decembris 1646.

Extant ejus in omnes V. Teſt. libros Animadverſiones 4o. *Lugd. Bat.* 1648.

Extant in quatuor Evang. Animadv. 4o. *ibid.* 1631.

Extant in *Hiſt. Chriſt. Perſic.* conſcriptam, & ab illo *Lat.* reddit. Animadv. 4o. *ibid.* 1639.

Extant in *Acta* Comment. 4o. *ibid.* 1634.

Extant in *Epiſt.* S. *Pauli*, except. ad *Philem.* 4o. *ibid.* 1646.

Extant in *Epiſt. Canon.* & *Apoc.* 4o. *ibid.* 1646.

Extant in *Apoc. Syr. Hebr. Lat.* 4o. *ibid.* 1627.

JOANNES KIRCHMANNUS.

DIE 18. Januarii, Anno Dom. 1575. natus eſt *Lubecæ*. Die 20. Martii, Anno 1643. obiit *Lubecæ*. Clar. An. D. MDCXXX.

Scripſit de Funeribus *Romanorum* libros 4. De Annulis Librum ſingularem: Orationes varias: Rudimenta Rhetoricæ, Rudimenta Logicæ Peripateticæ.

Cùm viderim Cogitationes tuas de Ritu Sepeliendorum Cadaverum *Romanorum*, eaſque digniſſimas judicem, ut à cunctis legantur, ne differas in ipſis edendis, etiam atque etiam te hortor. Præterquam enim, quòd omnes eruditos juvabis, tibi quoque æternum nomen comparabis. *Hieronym. Mercurial.* in Epiſt. *Piſis* ſcriptâ ann. 1602.

Funeralia tua vidi, vel potius baſio excepi. Nihil dabo auribus: verè me cepit ſimplex & inornata venus, & ratio diſſerendi inaffectata. *Ioan. Wovver.* in Epiſt. 54. Cent. 1.

Munus

Digitized by Google

Munus tuum de *Annulis* ab autore eo eſt profectum, quem ex accuratis de *Funere* antiquorum libris pridem admiratus ſum. *Dan. Heinſ.* in Epiſt. ſcript. ann. 1624.

Ecce tibi eruditum Opus, à *Ioanne Kirchmanno Lubecenſi* elaboratum accepimus, qui, fortaſſe aſpernatur *Porcachii* exiles in eâ materie labores (ſed plurimi faciendos, quòd primus in arenam deſcendit) uberiùs abſolvit, quæ ille inchoavit. Nihil eſt, quod amplius deſideres. Ex optimis quibuſque *Latinis Græciſque* autoribus, effoſſis cæmentis, nobiliſſimum Sepulchrorum ædificium condidit. *Iul. Caſ. Capacius* Elog. l. 2.

Perlegi, vir clariſſime, & ita me Deus amet, perlegiſſe jucundum fuit, ea folia, quæ è tuo *de Annulis* libello ad me miſiſti. Tam enim accuratè, tantâque cum eruditione tota ejus hiſtoria à te tradita eſt, ut neque ei ad perfectionem, neque tibi ad ſummam laudem quicquam deeſſe videatur. *Ian. Rutgerſ.* in Litt. ſcript. an. 1623.

Dono etiam obſtringere me tibi voluiſti, libro nimirum *de Annulis*, monumento ingenii tui docto ſanè & laborioſo. Quod quanto ego accuratiùs lego, tantò magis jucundâ ejus, nec fructuoſâ minus lectione oblector. *Voſſ.* in Litt. ad *Kirchman.* ſcript. ann. 1628.

De quibus *Kirchmannus*, ſolertiſſimus *rituum funebrium* indagator conſulatur. *Sertor. Urſat.* l. 1. Monument. *Patavin.* §. 2.

Kirchmannus de funere *bonus eſt.* Saligerana 2.

Scaligero noſtro quantum placuerit Opus tuum *de Funeribus*, non facilè dixerim. Laudat enim καὶ τὴν ἀφέλειαν in ſcribendo καὶ τὴν ἀκρίβειαν in perſequendis ſingulis, quibus nullum volumen par futurum omnes putabamus. *Dan. Heinſ.* in Epiſt. ſcript. an. 1605.

Poſtquam libros illos tuos reconditæ eruditionis de *Funere Romano* atque *Annulis* ſummâ animi oblectatione perlegi, in penitiſſima & *Sacræ* & *Secularis Literaturæ adyta* te perrupiſſe animadverti. Alter famam tuam rogo funereo eripiet; alter nomini tuo annos addet innumerabiles. *Iohan. Mich. Dilher.* in Epiſt. *Ienæ* prid. Calend. Octob. 1636.

Ex quo doctiſſimos tuos de *Funere Romanorum* & *Annulis* libros videre datum eſt, quod adoleſcente ante annos, niſi fallor, 30. contigit, amare equidem te cœpi & colere. Dexteritatem enim judicii cum multiplici lectione conjunctam mirabar & oſculabar. *Georg. Calixt.* in Epiſt. *Fleusburgi* poſtrid. Kal. Jan. 1635.

Tuum de *Annulis* Commentarium ut omnia tua, perexpecto cupidè. *Iſaac. Caſaub.* in Epiſt. *Lut. Pariſ.* 8. Kal. April. 1608.

Kirchmannus in libro de *Funeribus Romanorum* multa deſumpſit ex *Kornmanni* libro de *Miraculis Mortuorum. Anton. Borremanſ.* lib. Var. Lect. cap. 4. pag. 32.

Vir ad omnem humanitatem factus & reconditæ eruditionis. *Stephan.* ad l. 5. Sax. Gramm. Hiſtor. Dan.

Kirchmannus optimum optimi ingenii fœtum edidit, & in publicum produxit, aureum nempè & omnibus numeris abſolutum librum de *Funeribus Romanorum.*

Digitized by Google

norum, quem uti omnes horridæ *Antiquitatis* periti oſculo & complexu acceperunt, ita ſummis in Cœlum laudibus extulerunt. Nullum enim volumen huic par futurum ſcribit *Heinſius*, vir tantæ eruditionis, quantum in unum hominem cadere poſſe vix quiſquam putet. Et ſanè, ſi nihil aliud ad egregium publicum *Kirchmannus*, præter elaboratiſſimum hoc opus, contuliſſet, ſatis ſuperque tamen feciſſet, & nomen ſuum à *funerea* oblivione egregie vindicaſſet. *Jacob. Stolterſhot.* in Orat. *Funeb. Kirchman.* vide *Henning. Witte* in Philoſ. memor. p. 530.

* Ejus libri de *Funeribus Romanorum*, ſi expurgentur, permittuntur in *Indice Madrit.* ann. 1667.

Extant de *Funeribus Romanorum* libri 4. *Lugd. Bat.* 1672. in 12°.

Extat de *Annulis* liber ſingularis. *Lugd. Bat.* 1672. in 12°.

Extant *Rudimenta Rhetorica. Bremæ* 1652. in 12°.

Extant *Rudimenta Logicæ Peripateticæ. Lubecæ* 1669. & ſæpiùs in 8°.

In Cl. Viri *Joannis Kirchmanni* de *Funeribus Romanorum* libros:

Funera dum ſcribis Veterum, Kirchmanne, Quiritum,
Luce beans ritus tam longâ nocte ſepultos,
Hæc te funeribus ſubducunt funera, jamque
Conciliant nullo perituram tempore famam.

Radulphus Fornerius Anteceſſor Aurelius.

AUBERTUS MIRÆUS.

B*Ruxellenſis*, natus eſt Anno Dom. 1573. prid. Kal. Decembris Decanus *Antverpienſis* obiit 1640. XIV. Kal. Novembris. Clar. An. D. MDCXXX.

Struxit Faſtos ſacros *Belgicos* ac *Burgundicos*: Item, Chronicon rerum *Belgicarum* à *Jul. Cæſaris* adventu uſque ad annum 1635. Elogia Illuſtrium *Belgii* Scriptorum. Multaque alia.

Vir fuit de *Eccleſiaſticis* in *Belgio* præſertim *Antiquitatibus* optimè meritus: qui hoc unum agebat maximè *ἀνέκδοτα* hactenus, & cum blattis tineiſque luctantia, in lucem aſpectumque publicum proferret, ut Eccleſiæ ſtatum ac regimen ob oculos poneret; ut Sacrorum Ordinum initia, progreſſuſque erueret; ut Principatuum *Belgii* Origines hactenus obſcuras illuſtraret, ac pleraque alia *Belgicæ* Antiquitatis Arcana hactenus abdita recluderet, idque non ex conjecturis aut fabellis popularibus, ſed ex probatæ notæ Hiſtoricis ac Chronographis, quinimò ex ipſis *Principum* Diplomatibus, quæ in eam rem ex publicis privatiſque *Bibliothecis* atque *Archivis* plurima ingenti labore, ac ſumptu collegit & publici juris fecit. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belgic.*

Rerum *Belgicarum* ac totius Hiſtoriæ *Eccleſiaſticæ* eximiè peritus. *Gaſſend.* de Vit. *Peiresk.* l. 2.

Digitized by Google

Aubertus Miraus vir Hiſtoriæ Eccleſiæ cognitione inprimis excellens. *Franc. Svvert. Athen. Belgic.*

Aubertus Miraus, Sol *Belgarum*, inter tot Sidera; caliginem, torporem, frigus pellens. *Juſt. Lipſ.*

In tabulis veteris ævi utilem operam poſuit. *Conring.* cenſur. diplom. Lindav. p. 117.

Antiquitatum ſequioris ævi curioſus indagator. *Conring.* de Antiquit. Acad. Supplem 32.

Geographiam tuam *Eccleſiaſticam* accepi, gratum profectò munus; quia & curioſum & utile. Simul ſemelque repræſentas, quicquid à *Sacris Inſulis* in Orbe terrarum regitur: nec poteſt jam tuum anguſtioribus limitibus nomen claudi. Ubicunque *Epiſcopi* ſunt, *Miraus* quoque erit, ingenio, labore, doctrinâ mirus, & jam dignus inter illos cenſeri. Amplius eſt, ſic deſcribere omnes Urbes, quàm uni præeſſe. Tuus ſinè calamus nihil *Pedo Epiſcopali* cedit: & corona tamen laborum (permitte ut dicam) *Mitra* erit. *Eryc. Putean.* Epiſt. Apparat. Cent. 2. Epiſt. 63.

Plurimùm mihi gratulator, quòd tibi viro in omni ſcientiarum genere verſatiſſimo placent *Exercitationes* meæ; eâ enim es eruditione, & apud omnes eruditos æſtimatione, ut nulli aut pauci improbaturi ſint quæ tuo calculo comprobas. *Joan. Morin.* in Epiſt. 12.

Cæteris accuratior eſt elegantiúſque loquitur in ſuis *Elogiis Belgicis*, ſed tenerum & quodammodo cæcum amorem in Patriam & Populares patefacit. Quapropter ad ipſius excuſationem dici poteſt unicum ejus ſcopum fuiſſe *Elogia* ſimpliciter contexere, non examinatis Authorum quos laudat prometitis. Jud. Erud. per *Baillet* Pariſ. 1685. Gall.

Magnam ejus eruditionem ornabant ſolida pietas animique grata lenitas, quæ omnium amorem ipſi conciliabant. Hic character in ejus quæ nobis ſuperſunt Operibus ſatis manifeſtus eſt. Integram poſſent Bibliothecam inſtruere; nec ullus unquam utiliores diſquiſitiones elucubravit. *Moreri* Diction. majore *Gallico*.

Reverendiſſime & Clariſſime Domine, *Bibliothecam Eccleſiaſticam* abs te mihi miſſam reverenter accepi, uti munus ſacrum ab homine ſacro. Admiratus ſum in eâ eruditionem, judicium, perſpicuitatem. Quàm multa legiſſe, opus eſt eum, qui hæc ſcripſerit! qua prudentiâ vigere, qui de ſingulis ita judicaverit! qua ingenii facilitate, qui res adeo implexas tam clarè digeſſerit! Debuimus ad hanc diem *Scriptores Eccleſiaſticos* illis ſeptem Nomenclatoribus viz. *Hieronymo*, *Gennadio*, *Ildefonſo*, *Honorio*, *Sigeberto*, *Henrico*, *Gandavenſi*, & *Iſidoro Hiſpalenſi*: jam incipimus eos alioſque debere & tibi, cujus operâ illuſtriores accipimus. Ut meritò tibi, tales inter viros adſcribendo gratulari non vanâ anticipatione poſſimus. *Fam. Strada* in Epiſt. dat. *Romæ* 21. Jan. 1640.

Aubertus Miraus à *Philippo Labbeo*, ad *Bibliothecam*, ejus *Eccleſiaſticam* reſpiciente, non modò *Chamaleonti* comparatur, uti variis inſidet autoribus, ita diverſos colores induenti, ſed etiam nominatim ut *Bellarmini*, *Voſſii*, *Reynaudi*, *Sirmondi*,

Digitized by Google

Sirmondi exſcriptor ſugillatur. Hîc, uti non abnuo, ſolere *Miræum* paſſim tacere quos deſcribit: ita nec ubique mutum agit piſcem, ut affuiſſe malignitatem credam, certè non tantam fuiſſe, cui toties etiam ubi citat per quos profecit, odioſum *exſcriptoris* nomen imponi, præſertim optimè alioqui meritò, debuerit. Sed nota eſt *Labbei* rabies. Quem ſi quis fortè ex ambiguitate vocabuli excuſandum putet is nihil aliud profecerit, niſi ut *Lupino* furori *Vulpinam* quoque verſutiam ſerviiſſe intelligamus. *Thomaſ.* de *Plag.* num. 508. 509.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Obiit *Antverpiæ*, ubi hoc ejus Epitaphium; in ambitu Chori:

D. O. M. S.

Auberto Miræo *H. Cath. Eccleſ. Decano, ſtudiis ſcriptiſque Clariſſimo, qui Ordinibus Religioſis origines, Annalibus geſta, piis Fundatoribus famam, Hiſtoriis lucem, ſcriptoribus per elogia vitam, Patriæ claritudinem, Eccleſiæ huic Decus aſſeruit: quibus aſſiduè laboranti, ac feliciter operanti & perennare digniſſimo Mors manum injecit Anno* 1640. *Menſ. Oct. die* 19. *vitæ ejus* 67. Joan. Carol. Franchemius Miræus *ex aſſe hæres Avunculo magno, Proparenti opt. in H. E. Choro condito, Gratitudinis ergò monumentum P. C.*

DIONYSIUS PETAVIUS, Soc. Jeſ.

NAtione *Gallus*, Patriâ *Aurelianenſis*, natus eſt Anno 1583. obiit Anno 1652. Clar. A. D. MDCXXX.

Emiſit 13. libros de doctrinâ temporum, quos duobus Tomis complexus eſt: item, Rationarium Temporum. Compoſuit etiam ingens opus de Dogmatibus Theologicis, 5. Tomis conſtans. *Syneſii*, *Themiſtii*, *Epiphanii*, *Juliani*, aliorumque opera *Latinè* tranſtulit & utiliſſimis notis illuſtravit. Extat ejuſdem Paraphraſis Pſalmorum *Græcis* verſibus expreſſa: item, Lyrica, &c.

Quô virô (*Petavio*) neſcio an habeat erudita *Jeſu Societas* doctiorem. *Gaſſend.* in Vit. *Peiresk.* p. 109.

Quô (*Petavio*) nemo hodie vivit in eâ, quàm falsò vocant, *Ieſu Societate* eruditionis ac doctrinæ nominibus clarior. *Dallæus* de Pſeudepigr. Apoſtol. l. 1. cap. 1.

Quem ego virum (*Petavium*) cum præſtantiſſimis quibuſque omnium ætatum varietate & copiâ doctrinæ, comparo. *Vavaſſ.* de Ludic. Dict. p. 241.

Petavius vir diligentiæ exactiſſimæ, & judicii ſolidiſſimi in Chronologicis, *Montacut.* Apparat. 2. §. 91.

Secundùm accuratiſſimos *Chronologos*, in quibus præcipuo loco habeo virum veræ eruditionis ac pietatis *Dionyſium Petavium. Grot.* 3. Vol. p. 948.

Permulta poſt *Scaligerum* optimè obſervavit. Sed, quia adhuc ſupereſt, nolim judicium interponere inter eos, quorum uterque præclarè adeò de *Chronologiâ*

Digitized by Google

logiâ meritus eſt, ut nullis plus hæc ſcientia debeat. *Voſſ.* de Scient. Mathemat. p. 238.

Nunc *Uranologium* verſo *Petavii* opus, etiam in hoc utile, quòd Scriptores optimos repertu raros promiſcui usûs fecit. Vellem literarum causâ quas non immeritò *Humanas* dicimus, ne vir ille indefeſſi laboris funem rixoſæ contentionis cum eruditiſſimo *Salmaſio* duceret. *Grot.* ad *Nic. Peireſk. Lit.* 16. Sept. 1630.

Uranologii caudam non totam quidem, ſed tamen inſpexi. Inter alia miror, quòd *Seldenum* à quo nominatus honorificè fuerat, quædam etiam placita ipſius defenſa, tanti non fecerit ut nomen ejus poneret. Tantùm & in libro & in *Indice Marmorum Arundelianorum* eruditorem appellat, nimirum quia *Hereticos* niſi contumeliæ causâ nominare piaculum eſt. *Idem* in Epiſt. 111. ad *Claud. Salmaſ.*

Dionyſius Petavius vir ſanè doctiſſimus, & cùm multifaria eruditione præditus, tum *Græca* inprimis Linguæ Scientiâ non leviter imbutus. Is igitur, inter complura alia egregia, tam in *Theologicis* quàm in *Philologicis* doctrinæ ſuæ monumenta, etiam *Metricam Pſalmorum Paraphraſin* poſt ſe reliquit, eruditam certè, & meo quidem judicio, elegantem. *Iac. Duport.* in Præfat. ad Metaphraſ. Pſalm.

Vir in *Hebraicis* haud leviter verſatus, ſed quod dolendum, viris ſummis, quoſque verè dixerim Reip. Literariæ Heroas, valde iniquus. *Paul. Colomeſ. Gall.* Oriental.

Qui ad omnia non ſolùm falſa aut inania, ſed etiam vera, certa & omnium conſenſu approbata, vellicanda & carpenda natus eſſe videtur. *Croii* Obſervat. in N.T. c. 9.

Fucus ille *(Petavius)* qui omnes reprehendit, ab omnibus reprehendendus, quique inter omnes *Scaligerum* quacunque occaſione vexandum arripit, jure an injuriâ nihil penſi habens. *Salmaſ.* in *Solinum*, 313.

At *Scaliger* peccavit in rebus ipſis, nec in verbis tantùm, quòd ſæpe demonſtravit Doctrinæ Temporum Pater. Scio, nec enim *Deus* fuit, nec humani à ſe quicquam alienum putavit. Sed qui tam duriter & acerbè caſtigat alios Pater, nunquamne caſtigandus ipſe eſt? Nunquamne ad *Epiphanium*, nunquamne in *Dogmatibus Theologicis* dormitat? Nihil dicemus gravius in mortuum, quanquam nec vivum & videntem nimium reveriti ſumus iis in libellis, quos contra ipſum à nobis conſcriptos in lucem tertia mox editio proferet. Memini cùm viveret, atque ad eum inviſendi causâ itaremus, ne nominari quidem *Scaligerum* ferre poterat, quin excandeſceret, ac ſtomachum in contumelioſas voces, ut homine partibus addicto, quàm erudito magis dignas erumperet. *Alex. Morus* præfat. ad Lect. in ſecund. *Euſeb. Scaligerani* edit. 1658.

Jeſuita ille *Petavius* inter Societatis ſuæ doctiſſimos numerandus eſt, ſed vir fuit moroſus, mordax & obtrectator, qui nunquam niſi ad aliquem refellendum ſcripſit. Duo conſarcinavit Volumina in folio ad *Ioſephum Scaligerum* refutandum, in quem tota conviciorum plauſtra evomuit, quamvis 20. jam retrò annis

Digitized by Google

annis diem hic obiiſſet. Meminiſtine ejus quod dicit *Plinius*, *Hiſtoria* ſuæ *Naturalis* Præfatione, ſolos ſcilicet *Lemures* cum hominum Manibus dimicare. In *Epiphanium* non ſcripſit, niſi ut Cardinalem *Baronium* ſingulis paginis corriperet. *Guido Patin.* Epiſtolis ſelect. Epiſt. 2. Gall.

Magno conatu, nihil magnum in *Epiphanio* præſtitit *Petavius Montacut.* Apparat. 5. Sect. 74.

Multum debemus diligentiſſimo *Petavio* ob *Epiphanii* editionem, & ob eruditas in eum notas. *Paul. Colomeſ.* in Paralipom. ad Chartophyl.Ecclef.

Nec ullum ferè eſt Carminis genus in quo non feliciter luſerit: quippe qui *Tragœdias* etiam ſcriptitarit, nec *Latinos* modò, verùm etiam *Græcos* atque *Hebraicos* verſus ſcitiſſimè procuderit. Certè *Hugo Grotius* hujuſmodi operum judex ſimul atque artifex peritiſſimus, *Dionyſii Petavii* Carmina magnoperè probare & laudare conſueverat *Henr. Valeſ.* Orat. in obit. *Dionyſ. Petavii.*

Extant Dogmata Theologica. *Pariſiis* 1644. 5. Vol. fol.

Extat opus de Doctrinâ Temporum. *Pariſiis* 1627. 3. Vol. fol.

Extat Epiphanius Verſione ac Notis illuſtratus. *Pariſ.* 1622. 2. Vol. fol.

Extat Appendix ad *Epiphan.* Animadverſiones. 1624. 8°. *Pariſ.*

Extat *Syneſius* cum Verſione & Notis. *Lutetiæ* primò editus 1612. deîn 1633. & tandem 1640. fol.

Extat Rationarium Temporum. *Pariſiis* 1652. 12°.

Extant Poëmata *Lat. Græc.* & *Hebræa*. *Pariſiis* 1642. 8°.

In Obitum P. *Dionyſ. Petavii*, *Soc. Jeſ.* Presbyteri, cultui B. Virginis *Genovefæ* addictiſſimi:

Paulatim lentâ es ſubductus morte, Petavi,
  Reſpondit votis & Genovefa *tuis.*
Optaſti vitam, longa dedit otia vitæ.
  Optaſti mortem, mors tibi longa data eſt.
Sed quæ mortalis protraxit tempora vitæ,
  Et mortem variis mortibus implicuit;
Immortalem eadem conceſſo numine vitam
  Præbuit, & nullis gaudia miſta malis.

Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

ERYCIUS PUTEANUS.

IN *Geldria Venloæ* natus anno 1574. *Mediolani* Eloquentiæ Profeſſor fuit, ac *Regii Hiſtorici* titulo ornatus. Inde in *Belgicam* acceſſitus *Juſto Lipſio* in Cathedrâ *Lovanienſi* ſucceſſit. *Lovanii* per annos 36. cum docuiſſet, obiit, anno Dom. 1646. Mortuum laudavit *Nicol. Vernulæus.* Clar. A. D. MDCXXX.

Hhhhhh 3 Edidit.

Digitized by Google

Edidit circulum *Urbanicum*: Librum de biſſexto: Hiſtoriam *Inſub*[illegible] ermones Geniales: Orationes: Epiſtolas, &c.

Viris principibus ac Magnatibus, cæteriſque omnis ordinis Primoribus in *Belgio*, & extra imprimis gratus, vel modeſtiæ ac doctrinæ gratiâ, ut vel *Epiſtolarum* ingens moles atque apparatus fidem facit. Superavit omnia encomia; *Atticumque* ſtyli acumen pari elegantiâ, & facilitate uſurpans, o[illegible]ndere non minus vivendo, quàm docendo ſemper ſtuduit, in *literis* etiam *Sapientiæ* ac *Virtutis ſtudium contineri*. Aliquid *Iuſti Lipſii* etiam in vultu ac voce ejus eſſe, plures confeſſi ſunt, præſertim qui *Lipſium* eâ ætate noverunt. Una ei cura ſemper fuit, benè de *Juventute* & *Republicâ* mereri. *Valer. Andreas* in Biblioth. *Belg.*

In eo (*Puteano*) omnes ingenium, elegantiam, facilitatem, modeſtiam admirantur & amant. Natus ad omnes Artes videtur, & ad virtutem compoſitus. Talem illum ſcripta teſtantur, profeſſio exhibet, converſatio probat. *Nic. Vernul.* l.3. de Acad. *Lovan.* c.13.

Eryeius Puteanus, vir admodum doctus & eruditus. *Joan. Bona* Card.

Vir clariſſimus, ac in pueritia condiſcipulus, & ex ſtudiorum conjunctione amiciſſimus ſemper, *Erycius Puteanus*. *Voſſ.* de Scient. Mathemat. p.91.

De *Puteano* ſic ſcribit *Boxhornius*: ‘Eximium ſeculi noſtri ornamentum fuit, ‘& ſequentium omnium, ſi virtuti ac litteris, quod debetur decus, maneat, im‘mortale erit.

Erycius Puteanus, vir doctiſſimus & diſertiſſimus. *Barth.* l.11. Adv. c.20.

Inter præcipua *Galliæ* ornamenta, dum viveret, merito ſuo ſemper habitus eſt *Erycius Puteanus*. *Iſ. Caſaub.* præfat. ad Hiſt. Auguſt.

Erycius Puteanus juvenis raris ingenii dotibus, & animi vitæque candore *Lipſ.* Cent.1. ad *Belgas*, Epiſt.70.

Unio hujus ſeculi vocatur *Pareo*.

Erycius Puteanus ingenio ad optimas artes facili & tenaci, in utravis linguâ *Græcâ* & *Latinâ* peritus, *verſu* & *proſâ* bonus, vitâ moribuſque modeſtus: & plura etiam reperienda, in eo ſi quis pernoverit, quàm hic dîcam. Habet *Matheſim*, *Philoſophiam*, *Muſicam* quoque: & planè digniſſimus eſt, cui bene velit, ſive benè faciat, quiſquis doctrinam, elegantiam, aut virtutem amat. *Juſt. Lipſ.* in Teſtimon. de *Puteano*, affix. Epiſt.57. Cent. ad *Ital.* & *Hiſpan.*

Tu quidem, *Eryci Puteane Lovanienſis* Gymnaſii decus inſigne, allicis juvenum undique confluentium agmina, ſolidiſſimâ, reconditæ literaturæ peritiâ: Sed *Italorum* voces Tuo nomini applaudentes, propria tibi referant *Scripta*, ipſorum perſæpe tria manibus, & comprobata conſenſu. Te unum meritò magno *Lipſio* anteceſſori ſuffectum prædicat *Belgium*. Te *Hiſtoriographi* regii peramplo auctum honorario, *Germani* ſuſpiciunt, & *Hiſpani*; ut propterea non ſemel à cunctis *Orbis* Gymnaſiis concupitus, eâ vivens fruaris majeſtate virtutum, quam non ingrata poſteritas, multorum etiam curriculo ſæculorum conſervatura ſit. *Joan. Imperial.* in parerg. Viror. Illuſtr.

Quod ad ejus eruditionem attinet, tam luculenta ejus ſigna in præclaris ſuis Scriptis reliquit, ut Poſteritas nunquam dubitatura ſit quin ea & ſolidiſſima & eminentiſſima

Digitized by Google

eminentiſſima fuerit. Quamvis ejus calamus ad argumenta quæ gloriâ ejus indigna erant ſe quandoque demiſerit, hæc tamen ſtyli ſui robore uſque adeo extulit ut neminis palato non ſapiant, omniumque applauſum excitent. *Iſaac Bullart.* Acad. Scientiar. Gall.

Erycius Puteanus, *Woverius Antverpienſis*, nugatores. *Scaligerana* 2. Gall.

Dominus *Voſſius* mihi dixit *Morettum* celebrem *Antverpiæ* Typothetam, dum *Erycio Puteano* aliquando exprobraret, quòd libellos tantum conſcriberet, reſponſum ab ipſo accepiſſe quòd *Plutarchus*,aliique Antiquitatis Authores tales etiam compoſuiſſent. Tum regeſſit ei *Morettus*,putas-ne tuos libros,quos divendere non poſſum, *Plutarchi* libris eſſe æquiparandos? Quo dicto *Puteanus* iratus ex *Moretii* taberna exivit. *Paul. Colomeſ.* Opuſc. 125 Gall.

Extant Geniales Sermones. *Mediol.* 1598. 4°. *Francof.* ad M. 1602. 8°.

Extant Hiſtoriæ *Inſubricæ Lovan.* 1630. *Lipſ.* 1676. in fol.

Extat *Circulus Urbanianus Lovan.* 1632 4°. Alia ejus opera variis in locis atq; temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium:

Eryci Puteani Memoriæ Æternæ.

Candor ipſe, lex amoris, ipſa lex Modeſtia, lex ſuavitatis ipſa, vera lex facundia, lumen Orbis eruditi, ſeculi fulgor ſui, nemini invidere natus, major invidentibus, occidit mortique ceſſit, neſcius tamen mori. Hunc verere & æmulare, livor, aut victus tace.

Viro Summo.

Juſti Lipſii *ſucceſſori, candoris & humanitatis Medulla, in exemplum eruditionis aut virtutis nato*, Batavii *Amici poſuerunt.*

Hoc Epitaphium ipſe ſibi vivus compoſuit:

ΣΠΟΥΔΑΙΩΣ ΣΗΝ ΑΡΙΣΤΟΝ.

Audire vivus pauca verba mortui
Si non times, quod hactenus feci, loquar.
Puteanus *ego ſum, fama quem circumfluit*
In liberis mihi ſuperſtes, & libris.
Hanc eſſe lucem umbram fuiſſe cogita:
Dum navigas, vel Scylla, *vel* Charybdis *eſt:*
Poſt fata portus: vita morte naſcitur.
Quid ergo? vive: ſic licebit non mori.
Vixiſſe pulchrè in rebus eſt æternitas.

Mortuum

Mortuum audis : ut ego te vivum
Benè precare mortuo.

NICOLAUS RIGALTIUS.

Clar. A. D. MDCXXX.

P*Ariſienſis*, Juriſconſultus, Regi à Conſiliis, & Bibliothecæ Regiæ præfectus, ſenex obiit Anno Dom. 1652.

Scripta ejus ſunt : Obſervationes & Notæ in Auctores Finium regundorum — In Gloſſas Agrimenſorias Gloſſarium — Funus Paraſiticum — Vita S. *Romani* — Notæ in *Martialem, Cyprianum, Tertullianum*, *Phædrum, Onoſandrum*, *Artimidorum*, & *Julianum* — Gloſſarium tacticum μιξοβάρβαρον — Carmina Varia.

Phædrus me tuus, clariſſime vir, humaniſſimè aliquando interpellavit, non liber, ſed *Theſaurus*; ſed qui à tuo ingenio pretii incrementum accepit. Ut nunquam ab oculis meis elegantiſſimus hic, non tam *Auguſti*, quàm tuus libertus recedit : ita *Rigaltii* nomen & ſimul affectum continuò mihi ſuggerit. *Eryc. Putean.* Cent. 4. Epiſt. 37.

Certè ex interiore literaturâ, &, ut ſic dicam, κειμηλίοις earum iſta ſunt, quæ tu ingenio & induſtriâ in lucem protuliſti, victura in tuam famam, & publicum uſum. *Juſt. Lipſ.* Cent. ad *German.* & *Gall.* Epiſt. 95.

Nicolaus Rigaltius vir eruditione perrarâ conſpicuus. *Gaſſend.* de Vit. *Peiresk.* l. 4.

Nicolaus Rigaltius, politiore doctrinâ, judiciique elegantiâ, & incorruptâ *Latini* ſermonis integritate, omnibus antecellens : Cui nos, ſi modò in hos genere literarum aliquid profecimus, id totum debere gloriamur. *Joan. Jacob. Buccard.* in laudat. *Peiresk.*

Nicolaus Rigaltius vir ille præſtans eruditionis & ingenii. *Bart.* l. 12. c. 3.

Cui plurimùm omnis *humanitas* debet. *Idem* l. 28. c. 20.

Omnes eruditi te ex promiſſo conveniunt, & à te *Plinii* emendationem quaſi pro ſuo jure expoſcunt : Nec jam tibi tergiverſari liberum eſt, præcipuè cùm ſis tam arduo negotio par, & idoneus. Igitur ſi laudi literariis tuis laboribus parte non parvum cumulum addere cupis, incumbe operi, quod immortalem nomini tuo gloriam conciliaturum eſſe tibi aſſeverare audeo. *Roland. Mareſ.* l. 2. Epiſt. 40. ad *Nicol. Rigalt.*

Rigaltio pro *Tertulliano* plurimum debeo. Editio eſt elegans, Notæ breves, ſed exacti judicii, &, ut monueras, interſparsâ libertate : præfationes nitidæ & cultæ. *Grot.* Epiſt. ad *Petr. Puteanum Hamburg.* 26. Apr. 1634.

Inflatior [*Jacobo Sirmondo*] *Nicolaus Rigaltius* & elatior, verborum negligens, laborat in ſententiis, eaſque pingui, ut ita dicam, interpretatione conveſtit. *Huet.* de Clar. Interpret.

Nicolaus Rigaltius Pariſienſis, Regius in *Mediomatricum* Senatu Conſiliarius, Regiæque

Digitized by Google

Regiæque Bibliothecæ Cuſtos, ob eruditionem celebris fuit, & ob ſingularem Doctorum Linguarum, præſertim verò Græcæ peritiam. Præclari omnes Viri ejus contemporanei ei Amici fuerunt: *Petrus* verò *du Puy*, cujus Vitam ſcripſit, unus ex præcipuis fuit. Vix quis tam inſignia merita animadvertere poterat, quin ea magni faceret. Dominus *Rigaltius* ſingulares quandoque fovebat opiniones. *Moreri.* Gall.

Dominus *Naudæus* dicit eum fuiſſe *Coryphæum* omnium quotquot ejus Sæculo *Humaniores Literas* colebant, Criticumque nemini ſecundum. Gall.

Si qua detur occaſio aliquas *Notarum* ejus *Theologicarum* carpendi, cætera fateri tenemur *Notas* & *Obſervationes* ejus circa *Criticam*, *Grammaticam*, & explanationem locorum *Tertulliani* difficiliorum, præſtantiſſimas eſſe. *Ell.* du *Pin.* Nova Biblioth. p. 293. Gall.

Dominus *Henricus Doduvell* aſſerit Dominum *Rigaltium*, quamvis cætera Doctum & peritum Criticum, parum eſſe accuratum in iis quæ ediſſerit, eum quamvis Romanam Communionem colat, *Calviniſtarum* partes utplurimum tueri; cùm apud Authores quos in lucem edebat aliquid videbatur adverſans nedum ejus *Eccleſiæ*, ſed & *Univerſalis Eccleſiæ* ritibus, id ſollicitè admodum ab eo fuiſſe obſervatum, forſitan ut eò lectu jucundiores per novitatem fierent ejus Obſervationes. *Biblioth. Univerſal.* & *Hiſtoric.* Ann. 1687. Tom. 4. pagin. 97. Gallicè.

Carmina ejus leguntur Tom. 3. Delit. *Gall.* 231.

Extant Gloſſarium *τακτικὸν μιξοβάρβαρον*, *Lutetiæ Pariſ.* anno 1601. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

GASPAR SCIOPPIUS.

G*Ermanus* obiit anno 1663. octogenario major.

Scripta ejus ſunt: Inſtitutiones Grammaticæ *Latinæ*---De Arte Criticâ----Suſpectarum Lectionum libri 5.-----Veriſimilium libri 4.-----Animadverſiones in *Voſſii* librum de *Vitiis Sermonis*-----Animadverſiones in *Thuanum*, *Caſaubonum*, alioſque ſub nomine *Paſchaſii Groſippi*-----Pædia----*Priapeia*-----Claſſicum Belli Sacri-----Infamia *Famiani Stradæ*-----*Scaliger* Hypobolimæus, &c. Clar. An. D. MDCXXX.

Neque tuos, *Gaſpar. Scioppi*, reticere faſtus poſſim, qui generis nobilitati, præſtantiorum quarumque doctrinarum notitiam addidiſti, ob quam *Germaniæ* tuæ ſpectabilis, *Italiæ* admirandus, Pontificibus, Regibus, ac Principibus ſingulis acceptiſſimus, privilegia nulli ampliùs tot amplitudine meritorum conceſſa obtinuiſti. *Ioan. Imperial.* in Muſæo Hiſt.

Nobis dilectus Conſiliarius noſter *Gaſp. Scioppius*, inter ævi hujus eruditos meritò recenſendus. *Ferdinand.* II. Imp. *Roman.* in Diplomate.

Nos ſanè de ſtudio, & doctrinâ variâque eruditione, & prudentiâ *Gaſparis Scioppii* eximiam quandam opinionem, non magis ex aliorum relatione, quàm

proprio judicio conceptam ſemper habuimus. *Idem* in alio Diplom.

Octav. Ferrarius in præluſ. p. 202. *Scioppium* vocat virum in omni literarum genere eminentiſſimum, qui ab ineunte ætate ita totus literis affixus fuerit, ut ſexto decimo anno libros evulgarit, quos ſenes admirarentur. *Idem* p. 225. duo in eo præcipuè commendat, miram & exactam vim judicii in æſtimandis aliorum Scriptis, & ſummam *Sacrarum Literarum* peritiam, ut, quod olim de *Eſdra* dictum eſt, deperditos Linguæ Sanctæ Codices ſolus reparare potuerit. *Addit*, plures libros à *Scioppio* confectos, quàm annos numeraret, ejuſque *Operâ* vel magnam Bibliothecam inſtruere poſſe.

Scioppius nihil niſi miſerabilis literator fuit, ut *opera* ejus inepta & maligna oſtendunt, ac extremâ ſenectâ, ſcriptis *Patavio Leidam* Literis, tranſitionem iterum ad Evangelicos offerebat, ſi in gratiam reciperetur: Sed rejectus *Apoſtata* contemptuſque ob vanitatem fuit. *Horn.* in Hiſt. Eccleſiaſt. p. 226.

Inter illos qui Blaſphemias contra *Sacram Scripturam* ſcripſerunt, ducit hodiè familiam iſte hoſtis *Dei* certiſſimus *Scioppius*; in cujus *Eccleſiaſtico* leviter inſpecto, multas legi ſuperioribus diebus adverſus τὰς θεοπνεύστους *Scripturas*, blaſphemias longè diriſſimas capite 90. in diſputationibus de *Fidei* articulis, non vult adhiberi verbum *Dei*, de quo extat vox *Domini*, *Inquirite Scripturas. Caſaub.* ad Apparat. *Annal. Baron.* num. 39.

Scaligeri duo, Pater & Filius, in utraque linguâ, & in omnibus diſciplinis peritiſſimi, quibus incaſsùm, ut *Lunæ Canis*, oblattravit *Scioppius*. *Boniſac.* Lud. Hiſt. p. 602.

Gaſpar Scioppius, vir deſultoriæ levitatis. *Phil. Labbe* part. 2. Bibliothec. Nummar.

Valla omnes *Grammaticos*, qui ante ipſum vixerunt, aggreditur. *Gaſpar Scioppius* non mitior eſt, nec ipſi *Ciceroni* ac *Varroni* parcit. *Annotat.* ad Relig. Medic. p. 356.

Paucula illa, quæ *Robertellus* & *Scioppius* de Arte Criticâ ſcripſere, tumultuaria ſunt, & hujus rei fundum omnem non emetiuntur. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt.

Quoad illa quæ in *Apuleium* ſcripſit quorum titulus *Symbola Critica*, negandum non eſt eum in illis feliciorem fuiſſe cæteris qui ante ipſum hujus Authoris difficilis elucidationi allaboraverant. Sed, hoc conceſſo, Critica ejus *Variarum Lectionum* limites ferè non excedit, quas plerique parvi faciunt. Si enim hujuſmodi laboris ſcopus eſſet, ut aliquis fructus ex illo perciperetur, opus eſſet ut peritus aliquis Vir examinaret, quid rationi magis conſentaneum in hac *Critica* diverſitate occurrat, utque in textum inſereret, quæ optima & Authoris ſenſui maximè conformia cenſeret. *Ephemerid. Erudutor.* diei Lunæ 16. Martii 1665. Gallicè.

Homo, ut notiſſimum eſt, ingenii maligni & oris maledicentiſſimi, qui propter præſtantiſſimorum, & de re literariâ optimè meritorum virorum invidas ac injurioſas calumniationes meritò *Canis* Grammaticus appellatur. *Lambec.* lib. 1.

Monſtrum

Digitized by Google

Monſtrum ex omni ſpurcitiarum & ſcelerum colluvie concretum. *Baud.* cent. 3. epiſt. 27.

Famoſus iſte turbo & publica tempeſtas pacis. *Sprinfeld.* de apanag. cap. 4. num. 38.

Multa ſcripſit *Scioppius* doctè & laborioſè, ſed pleraque eo animo & ſtylo, ut ad ſcommata & convicia factus videretur. *Limneus* in add. d. cap. 5. nu. 99.

Quis, quæſo, magnorum ejus & antecedentis ætatis virorum, cujus Scripta & famam ipſe [*Gaſp. Scioppius*] non majori cum infamiâ polluiſſet? *Joan. Decker.* de Script. Adeſpotis, p. 94. 1686.

Quid *Scioppius Giphanio* harpagârit, notum eſt doctis, inquit *Rittershuſius* in Epiſt. ad *Georg. Richterum*, p. 205.

Nam quòd ſuſpicatur *Scioppius* ignoraſſe *Phædrum* leges *metricas*, cui quæſo, perſuaſerit? eadem operâ P. *Syrum*, eadem operâ *Plautum*, *Terentium*, vetereſque alios accuſet, & *Virgilium* ipſum, ſi *Diis* placet. O pudor, πῶ ἐν εἶναι φῶ; ſed ſolens ſuo more facit *Scioppius*, qui *Scaligeros* auſus eſt, & *Caſaubonos* inſectari, κολοιὸς πρὸς αἰετόν. *Tanaquil. Fab.* Not. in Prolog. *Phædri*, l. 1. Fabul.

De *Salmaſio* non queror, qui cum nemini ſuorum temporum literato pepercerit, non magis quàm ille *Scioppius*, quem inſignis maledicentia *Zoilo* quovis nobiliorem reddidit, nihil profectò rationis eſt, cur parentis mei cauſam potionerem ducam, quàm cæterorum omnium, qui ætate noſtrâ claruere, quorum nemo virulentum ejus dentem evaſit. *Nic. Heinſius* Not. in *Ovid.* librum 2. *de Art. Amand.* verſ. 660.

Ciceronis Accuſator, de quo ut ad te ſcribam me rogas, eſt formidandus ille *Scioppius*. Mediolani librum prelo ſubmiſit, in quo *Ciceronem* incongruitatis & barbariſmi arguit. Hæc erga *Ciceronem* injuſtitia Scaligerum ſi reviviſceret ſolaretur. Sed ſpero *Scioppium* eundem librum alterum conſcripturum quo evincendum ſuſcipiet *Catonem* Virum minimè frugi, *Iuliumque Cæſarem* ignavum militem fuiſſe. *Balzacius* Epiſt. 12. ad Dominum *Chapelain*. lib. 18. Gall.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

GULIELMUS HARVEIUS.

ANglus, *Jacobi Caroli que* Regum *Angliæ*, Medicus primarius; in Collegio Medicorum *Londinenſium* Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor, motu Sanguinis circulari reperto nobilis. Obiit 3. Junii Ann. Dom. 1657. annoque ætatis 80. Clar. An. D. MDCXXX.

Scripſit Exercitationes Anatomicas de *Circulatione Sanguinis*, & de *Motu Cordis*: item Exercitationes de *Generatione Animalium*.

Carolus Fracaſſatus ait, *Italum* quendam hoc Inventum ante *Harvæum* excoluiſſe. Is nempe eſt Pater *Paulus Servita*, quem *Joannes Walæus* etiam in ſcenam protraxit, *Circulationiſque* hujus primum Auctorem prædicat. Nimirum nec lux eſt abſque umbrâ, neque gloria ſine invidiâ. Iſtius autem commenti fa-

Digitized by Google

bulam jampridem à te mihi narratam memini. Nempè *Legatum Venetum*, ad ſuos reditum parantem, libro tuo de *Circulatione Sanguinis* à te donatum fuiſſe; eandemque poſteà *Patri Paulo* legendum exhibuiſſe: Indeque virum hunc celebrem, memoriæ causâ, pluſcula tranſcripſiſſe, quæ, ipſo mox defuncto, in Hæredis manus inciderint: creditumque poſtea multis, eundem Scripti hujus Auctorem extitiſſe: habereque te literas à Patre *Fulgentio*, ipſius ſodali, ad te ſcriptas, quæ rem eandem clarè exprimerent. *Georg. Ent.* in epiſt. præfix. Apolog. pro Circuit. Sang.

Penſitatis hactenus æquâ lance inter ſe rationibus *Æmilii Pariſani*, & *Gul. Harvai*, concludere demùm licet *Circulationem Sanguinis* eſſe veriſſimam, atque *Harvao* immortales gratias à *poſteris* deberi, quod ipſis rem adeo ſubtilem ac proficuam communicaverit; eandemque firmiſſimis undequaque conquiſitis rationibus ratam fecerit, humaniter verò ignoſcendum, ſi alicubi (ut in re tenebricosâ fieri ſolet) ceſpitaverit: & quod ipſemet μετὰ δεύτερον πλοῦν facilè emendaturus fuerit: *Pariſano* autem gratias quoque debitas eſſe, vel eo nomine; quòd commento ab *Ulmo* mutuato, reliquiſque elumbibus argumentis, veritatem eandem uberiùs confirmaverit. *Georg. Ent.* 200. in Apolog. ſect. 200.

Ultimo demum loco ex *Anglo-Britannis* præcipuè commendandus venit, *Gulielmus Harvejus*, Circulari Sanguinis motu reperto nobilis. Quamvis enim novam hanc & omnibus retrò ſeculis inauditam ejus doctrinam cùm alii tum *Æmylius Pariſanus*, & *Fortunatus Plempius* convellere conati fuerint; ita tamen Ampliſſ. Dn. *Præſes* juxta cum aliis eos exceperunt, ut paſſim, per eruditum orbem magis magiſque *Harveiana* ſententia aſſenſum inveniat. *Sebaſt. Scheffer* Introd. ad Med. p. 3.

Præ omnibus tamen eminet immortalis *Guil. Harveius Anglo-Britannus*, rerum ad *Animalium γένεσιν* pertinentium ſcrutator indefeſſus & felix, ceu ex ejuſdem *aureis Exercitationibus* ſatis ſuperque perſpicitur, queis æternum applauſum, ac minimè perituram laudem eſt promeritus. Veruntamen cùm elegans iſte libellus decenti ordine careat; cùm Obſervationes in eodem enarratæ non ſint unius generis, variéque diſperſæ; cùm denique plurimæ diſſertationes ſint immixtæ, atque ſic omnia in unum quaſi acervum permiſtim collata, vix legitur cum eo fructu qualem tot inſignes Obſervationes aliàs ex ſeſe afferre queant. *Juſt. Schrader.* in Præfat. ad *G. Harv.* Obſervat. de Generat.

Guil. Harveius cùm ex invento, deprehenſoque *Sanguinis* motu glorioſiſſimum egiſſet triumphum, ad inveſtigandam *Animalium Generationem* animum adjunxit. Quamobrem adhibitâ frequenti *Zootomiâ* (nam ingens illi cujuſvis generis *Animantium* copia, & diſſecandi opportunitas abundè ſuppetiit) permulta in lucem protulit, à ſe primùm animadverſa atque notata; quæ mihi jamdiu ſaxum hoc volventi magno, fateor, adjumento fuere, &c. Interea non diſſimulabo *Harveium* in ejuſmodi ſtudio ita ſe præſtitiſſe, ut cùm ſummam in obſervando experiendoq; diligentiam exhibuerit, in judicãdo tamẽ perſæpe labatur: quippe experimenta magno labore atque induſtriâ conquiſita ad præconceptas Opiniones (quod dolenter potius, quàm contumelioſè dictum velim) perperam traducit.

cit. *Thom. Cornel.* Progymnaſm. V. de Generat. edit. *Lipſ.* 1683. in 12 o. p. 168.

Noſtro ſeculo *Guil. Harvejus*, *Anglus*, ſingulari induſtriâ & ingenii ad ſcrutandum nati acumine, hunc Sanguinis per arterias itum, & per venas reditum, è tenebris in lucem protraxi , & anno 1628. eruditorum cenſuræ primus publicè propoſuit; eundemque firmis fundamentis ita probavit, ut veritas non quaſi in crepuſculo micet, ſed ceu in medio conſtituta cœlo fulgentibus radiis totum literarium orbem illuſtret. Pro tanto beneficio à plurimis *Artis Medicæ* primoribus meritis tractatur laudibus, quorundam tamen inſimul mordetur calculis, fortunam *Columbi* experiens, qui pro laudabili *Novi Orbis* inventione, etiam à plurimis gloriam, à quibuſdam ſiniſtra judicia & ſugillationes reportavit. Paucis autem iiſque bonis placere optima laus eſt. *Gothofred. Moebii* Fundament. Med. Phyſiolog. edit. *Jenæ* 1661. in 4°. p. 275.

Nuper *Anglia* novam peperit de *Motu Cordis* opinionem, quam invulgavit *Gul. Harveius* Medicus Regis *Angliæ* & *Anatomes* in Collegio *Londinenſi* Profeſſor, edito eâ de re peculiari libello---Hoc ſuum Commentum multis veriſimilibus rationibus adſtruit; adeò ut jam multis doctis hodiè adridere incipiat; nomineturque honoris causâ à quodam populari ſuo *Circulator Microcoſmi*, ad diſtinctionem alterius *Angli*, qui primus *Macrocoſmum* circuit. Primùm mihi inventum hoc non placuit, quod & voce & ſcripto publicè teſtatus ſum: ſed dum poſteà ei refutando & explodendo vehementiùs incumbo, refutor ipſe & explodor; adeo ſunt rationes ejus non perſuadentes, ſed cogentes: diligenter omnes examinavi, & in vivis aliquot canibus eum in finem à me diſſectis veriſſimas comperi. *Plempii* fundam. Medic. fol. pagin. 128.

Ex recentioribus *Ariſtoteli* felicitate par, induſtriâque non minor, ſed ingenii acumine, gloriâque Inventorum citra dubium major, in *Angliâ* noſtro tempore inclaruit *Harveius*. Hic enim quantum in *Zootome* præſertim profecerit, eruditiſſima ejus de *Circulatorio* motu *Sanguinis*, & *Generatione Animalium* ſcripta ſat teſtantur. *Joan. Man. Majoris* Chirurg. Infuſor. edit. *Kiloni* 1667. 4°.

Eſt tanta eximii viri *Guil. Harveii* in *Naturæ* penetralia ſcrutando diligentia & ſagacitas: & in Obſervata tradendo tam candida ſinceritas, ut ejus tradita, quæ omnium fidem facilè merentur, amplecti non erubeſcamus; in perpetuam ipſi laudem cedet, quod invenerit, communique commodo liberaliter tradiderit de *Sanguinis motu* & *Animalium Generatione*.

------Quæ longa vetuſtas
Occulit arcanis Oracula merſa tenebris.

Jac. de *Back.* Diſſertat. de Corde Alloq. ad Lect.

Scientiam Humani Corporis, Phyſicæ partem utiliſſimam in libris ſuis de *Motu Sanguinis*, & de *Generatione Animalium*, mirabili ſagacitate detexit & demonſtravit *Gulielmus Harvaus* R. R. *Iacobi Caroliqne* Medicus primarius; ſolus

(quod ſciam) qui doctrinam novam ſuperatâ invidiâ vivens ſtabilivit. *Thom. Hobb.* præfat.ad Elem.Philoſ. ſect. 1. de Corpore.

Statua ejus conſpicitur in Collegio Medicorum *Londinenſium* ;cum hac Inſcriptione :

Induſtriâ, Sagacitate, Succeſſu Nobilis, perpetuos Sanguinis Æſtus circulari Gyro fugientis primus promulgavit Mundo : Nec paſſus ultra Mortales ſua ignorare Primordia, Aureum edidit de ovo *atque* pullo *librum : ſic novis inventis* apollineam *ampliavit artem----- Meruitque eſſe ſtator perpetuus.*

JOANNES SELDENUS.

Symbolum ejus fuit :

Περὶ παντὸς ἐλευθερία.

Clar. An. D. MDCXXX.

ANglus, celebris Juriſconſultus, natus eſt decimo ſexto Decemb. An. 1584. *Salvintoniæ* in Comitatu *Suſſexiæ*. Obiit ultimo die Novembris Anno 1654.

Reliquit inſignem Tractatum de Jure Naturæ----Alium de *Diis Syrorum*--- Librum de *Synedriis Hebræorum*----De Succeſſionibus & Pontificatu---De Anno Civili veterum *Judæorum*----De Decimis, vernaculo Sermone----Marmora *Arundeliana*---Liber ejuſdem extat de Nummis. Obſervationes porrò in *Fletam* ſcripſit.

Joannes Seldenus ad *Iuris Patrii* exactam ſcientiam, Legum *Moſaicarum*, reliquarumque Gentium, & literarum porrò omnium, non *Latinarum* modò & *Græcarum*, ſed *Hebraicarum* & *Gentium Orientalium* ſingularem cognitionem adjecit. *Arth. Duck* de Authoritat. Jur.Civil. l.2.8.p.193.

Seldeni doctrinam & eruditionem non ſuſpicio modò & veneror, ſed etiam admiror & exoſculor planè, *Cappel.* in diatrib. de Nom. *Iehovah.*

Magnum honorem *Seldeno* deferunt extranei, præſertim verò *Grotius*,qui eum vocat *Honorem Britanniæ, Annotat.* ad c.2.l.2.de Jur.Bell.& Pac.

Videatur de iis doctiſſimus Juriſconſultus *Iohannes Seldenus*, qui in his Sacris per medium fundum Antiquitatis peregrinatur, ut, ubi Sacros Scripturæ locos quàm multos, ad *Priſcos Deos* remittunt, nobis det enodatos : qui vir etiam ſi præterea aliud nihil præſtitiſſet, eſt tamen cur ei Antiquitatis amatores multum ſe debere fateantur. *Dilher.* Diſputat. Acad.Tom.10.p.248.

Anno 1644. *Joannes Seldenus*, *Anglus*, Juriſconſultus, ut tot aliis pulcherrimis Scriptis, ita Diſſertatione de *Anno Civili*, & *Calendario* Veteris Eccleſiæ, ſeu Reip. *Judaicæ*, præclarè admodum de ſtudiis meritus fuit. *Voſſ.* de Scient. Mathem. p. 466.

Per idem tempus accepit aureum eruditi *Seldeni* librum de *Arundelianis Marmoribus*, ſive *Saxis Græcè* inciſis, quæ perilluſtris ille Comes transferri ex *Aſiâ*

Digitized by Google

Aſiâ in *Angliam*, hortoſque ſuos curaverat. *Gaſſend.* de vit. *Peireſk.* lib. 4. p. 140.

De *Noachidarum* Præceptis, ex *Thalmudicorum* ſcriniis, toto demenſa horreo congeſſit vir Præſtantiſſimus *Ioannes Seldenus*, libris 7. de *Iure Naturali*, & *Gentium*, juxta diſciplinam *Hebræorum*: Qui cùm ſint ſummâ diligentiâ & mirâ eruditione conſcripti; nemini, ſaltem è doctioribus, non ſunt ſedulò evolvendi. Ex illo fonte nos ſitim ſaturavimus. *Ioan. Marsham.* in Chronic. Secul. [illegible]

De Doctrinâ *Thalmudicâ* quid in genere cenſendum [illegible] quibus ea cautionibus amplectenda, conſulant ſtudioſi profundæ ſimul eruditionis & judicii virum, *Iohannem Seldenum*, in opere eximio de *Iure Naturali Hebræorum*, &c. cujus nos judicio libenter ſubmittimus. *Meric. Caſaub.* de 4. Linguis, p. 111.

Vi[illegible] πολυμαθέστατος D. *Ioannes Seldenus* in ſcripto illo de *Diis Syris* accuratiſſimo, eruditioniſque reconditioris cumprimis fœto. *Gataker* [illegible] Geogr. Sacr.

Hoc Opus de *Diis Syris* aureum libellum vocat *Boc*[illegible] *Syris*) meo quidem calcu-

Inter omnia *Seldeni* Opera ecce, (librum de [illegible] *rardo Voſſio* uſque adeo gratum lo[illegible] omnium jucundiſſimum & utiliſſi[illegible] ferè totum ejus Authorem ubique laudavit, ut illud in ſuam *Theologiam* [illegible] verum laudatur *Seldenus*, ut ſingulorum teſtimonia dare, inſeruerit. T[illegible] minimè decreverim, unicum *Ludovici Molinæi* Medici Londinenſis huc refe[illegible] ejus Apologia ad *Renatum Verdæum*, qui eſt *Andreas Rivettus* enarrare ſufficiat. *Tantum abeſt*, inquit, *ut me noſtrorum* φιλαυτία *ceperit, ut maximè conceſſerim, imò ultrò agnoverim Galliam noſtram vix habere* Seldeno, *in ſuo genere eruditionis*, ſuperiorem; *at* Uſſerio *Archiepiſcopo* Armachano *ne parem quidem.* Quibus patet Dominum *Molinæum*, quamvis *Seldenum* impensè laudet, eum tamen Archiepiſcopo *Uſſerio* inferiorem agnoſcere. Qua in re ipſi nequaquam aſſentior, *Paul. Colomeſ.* Sel. Biblioth. p. 197. 198. Gall.

Vir Clariſſimus *Ioannes Seldenus* æternum noſtri ſeculi decus. *Marsham.* Canon, pag. 15.

Vir doctiſſimus----Opus ſuum dè Jure N. & G. eruditâ & modeſtâ æmulatione Grotiani Operis ſcripſit. *Boecler.* in Præf. Comment. Grot. de J. B. & P.

Equidem *Seldeni* opera laudare velle, nihil aliud eſſet, quàm Solis teſtimonium ſplendoris meditari, &c. Vid. *Boecler.* in dedicat. Operis *Seldeni* de J. N. & G.

Vir ſanè non vulgari eruditione præditus. *Arnold. Vinnius* ad ſect. 1. Inſtit. de R. D. n. 4. ubi tamen librum ejus, quem *Mare Clauſum* inſcripſit, improbat, ejuſque ſententiam Paradoxam dicit.

Quare igitur *Rich. Simon* non recenſuit celebris *Seldeni* Opera, qui *Latinè* non minus benè quam *Anglicè* ſcripſit, quique nobis tot inſignes elucidationes tradidit innumerorum *Veteris Teſtamenti* locorum in libris de *Diis Syris*, de *Decimis*, *Uxore Hebraica*, de *Synedriis Iudæorum*? Dices forſitan *Seldenum* adeo cognitum eſſe ut opus non eſſet illum *Rich. Simon.* commemorari: Sed plurimi ſunt alii, de quibus eadem ratione tacere debuiſſet. *Iudicia* plurium Theologorum *Hollandicorum* ſuper Critica *Rich. Simonis*. p. 378. Gall.

Iohannes

Johannes Seldenus fuit unus è maximis Viris quos unquam Anglica Gens habuerit. *Arundeliana Marmora* mirabili ſucceſſu emendavit, eorumque difficultates enodavit, iiſque tam excellentes *Notas* addidit, ut ideo dictum fuerit *Lapides* pro ipſo locuturos, etſi homines elogia ipſi debita reticerent. *Judicia* Eruditor. Pariſ. 1685. per *Baillettum.* Gallicè.

D. Seldeni præclara jam habuimus ex *Hebræorum* ſcriptis deprompta; quare [illegible] animo illi eſſe novis nos muneribus ſuis ditare gaudeo. De *Synedrio* pauca pro materiæ [illegible] dedit nobis *Cochius.* Non dubito quin D. *Seldenus* pro iſtâ ſuâ multijugi lectione plurima ſcitu utilia ac jucunda poſſit velitque addere. Nec minùs placet alterum reconditæ eruditionis argumentum de *Iure Gentium*, quale *Hebræi* coluere. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Samſon. Iohnſon. Lutet.* $\frac{20}{30}$. Sept. 1638.

Eruditiſſimus Dominus *Seldenus*, unus è præclariſſimis Viris quos ulla Ætas unquam produ[illegible] *Burnetti* Hiſt. Reform. lib. 3. 1539. p. 264. Anglicè.

Magna erat ejus in[illegible] qua matutinis horis utebatur in ſuis ſtudiis Philoſophicis, pomeridiano au[illegible] [illegible]pore Materiam coacervabat eorum Argumentorum circa quæ ſibi ſatisface[illegible] [illegible]bat. Robuſtum habebat corpus, fidelem Memoriam naturalem & artificialem, [illegible] conceptum tardum (quamvis identidem in Poeticam & Oratoriam excurreret, [illegible] ad animum à gravioribus meditationibus relaxandum, tum ad expoliendum & [illegible]xiorem reddendum Stylum ſuum, interruptum & aſperum (quæ vitia contrahebat ob immenſam materiam quam is illum amplecti adigebat) edoctus à *Benj. Johnſono*, ut quidem gloriabatur, *Horatium* imitari) ſed judicium ſolidum. Indoles ejus ad communicationem propenſa, Scutoriarum Imaginum eximius Interpres, ut patet ex ejus *Honoris Titulis*: Magnus Antiquarius, ut oſtendunt *Marmora ejus Arundeliana*; Tractatus in *Draytoni Eadmerum*, plurima ejus priſca Numiſmata, multóque plura neoterica; dives tum Muſæo, tum Arcis; Juris-Conſultiſſimus, quem talem demonſtrant ejus Obſervationes in *Fleta*, *in Tenuras*, *in Fortiſcuti Modum tenendi Parliamentum*, ejuſque Argumenta, quippe qui, ſi quis in toto Regno alius, Documenta in promptu haberet, *Decimis*, quæ omnem *Judaicam*, *Ethnicam* & *Chriſtianam* in hujuſmodi Argumentum Doctrinam complectitur: Ejus *Mare Clauſum* adverſus *Grotii Mare Liberum*, quo continentur omnes Leges, Conſuetudines & Uſus Orbis univerſi circa hoc Caput; Ejus *Uxor Hebraica*, *de Synedriis*, *Lex Naturæ ſecundum conſuetudines Hebraicas*, quæ totidem ſunt Monumenta ejus in Doctrina *Iudaica* perſpicacitatis; Libri ejus de *Diis Syris*, quibus evincitur quam benè noverit quomodò Ethnicorum Fabulæ mera fuerint corruptio Veritatum Scripturæ Sacræ, & quomodò Gentilium Doctrina *Chriſtianæ* Religioni poſſit conciliari; Liber ejus *de Decimis* impreſſus anno 1616. offendiculo fuit, tum ob ejus Præfationem, quoniam Cleri noſtri famam & Authoritatem minuebat reſpectu Doctrinæ; tum ob ejus Materiam quæ commodo ejuſdem detrimentum afferebat reſpectu utilitatis (quamvis ad eum reſponderit Eques *Johannes Templo*, quoad legalem & Hiſtoricam partem; Dominus *Nettles* inſignis *Talmudiſta* in *Reginæ Collegio Cantabrigiæ*, quoad partem *Judaicam*; Dominus *Montacutus* &

Dr. *Tilſlei*

Tilſley Rocheſtriæ Archidiaconus, quoad *Græcæ* & *Latinæ* linguæ, ut & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritiam;) Sæviſſima procella (inquit ille) quæ poſt Reformationem Beneficiorum Eccleſiaſticorum horrea concuſſerit: Sed omiſit, quod die 28. Januarii 1618. coram quatuor Epiſcopis & quatuor Juris Doctoribus publicoque Notario ſubmiſſionem ſuam conteſtatus ſit, & culpam agnoverit temeritatis ſuæ, Confeſſioni ſuæ manu propriâ ſubſcribens. *Doctor Lloya* in ſuis Adverſariis. Anglicè.

Extat Mare Clauſum *Londini* 1636. 8°.

Extat de Jure Naturali & Gentium, *Londini* 1640.

Extat de Synedriis & Præfecturis Juridicis Veterum Hebræorum, *Londini* 1650. & ſeqq. annis, 4°.

Extant Vindiciæ Maris Clauſi contra *Burgum*, *Londini* 1653. 4°.

Hoc ejus Epitaphium:

Joannes Seldenus,

Heic juxta ſitus, natus eſt 16. *Decemb.* 1584. Salvingtoniæ *qui viculus eſt* Ferring *occidentalis in* Suſſexiæ *maritimis, Parentibus honeſtis* Johanne Seldeno, Thomæ *Filio*, *è Quinis ſecundo anno* 1541. *nato.*

ET

Margaretâ *Filiâ, & hærede unicâ* Tho. Bakeri *de* Ruſſington *ex Equeſtri* Bakerorum *in* Cantu *familiâ, filius è cunis ſuperſtitum unicus, ætatis ferè* 70. *annorum, Denatus eſt ultimo die Novembris Anno ſalutis reparatæ* 1654. *per quam expectat heic Reſurrectionem felicem.*

DANIEL HEINSIUS.

Symbolum ejus fuit:

Quantum eſt quod neſcimus.

G*Andavenſis*, natus eſt anno 1580. Studiorum ſuorum rectore *Ieſepho Scaligero* uſus eſt. Anno ætatis 18. publicè primùm *Latinos*, deinde *Græcos* Autores interpretatus eſt: tandem Politices & Hiſtoriarum profeſſiones ſuſcepit: queis & Secretarii Acad. & Bibliothecarii nobile munus acceſſit. A *Guſtavo Adolpho*, *Sueciæ* Rege in *Conſiliariorum* numerum aſcitus & à ſereniſſimâ *Venetorum* Rep. Equeſtri D. *Marci* dignitate ornatus, ipſum *Urbanum* VIII. Pontif. Rom. eruditionis ſuæ admiratorem habuit, ampliſſimo honorario *Romam*, ut eam à barbarie vindicaret, invitatus. Obiit ann. 1655. Clar. An. MDCXXX.

Struxit Ariſtarchum ſacrum in *Nonnum*: item Exercitationes in Novum Te-

Digitized by Google

ſtamentum. Plurimaque alia, quorum Catalogum videre eſt apud *Valerium Andream* in Bibliothecâ *Belgicâ*.

Vir verè magnus, ſummus, ac doctiſſimus vocatur *Bocharto* in Geogr. Sac. Tam ſeveriorum quàm amœniorum literarum Sol. *Selden*, Præfat. ad lib. de *Diis Syr*.

Magnum ſeculi noſtri ornamentum *Daniel Heinſius*, vir admirabili eloquentiâ altiſſimâ eruditione, & multiplici linguarum Orientalium atque Occidentalium peritiâ à *Deo* exornatus. *Iohan. Polyand.* in Epiſt. ad *Ioan. Beverovic. Leidæ* 24. Jul. 1635.

Heinſio viro incomparabili, & in quem ut *Zeuxis* in ſuam *Venerem*, aut *Phydias* in *Clypeum Minervæ*, natura contuliſſe videtur, quicquid eſt *Venerum* & *Gratiarum* à me ſalutem. *Iacob. Cruc.* in lit. ad *Daniel Colonium*.

Vir abſque pari ingenioſus, eruditus, & diſertus, *Daniel Heinſius*, ſcriptor hujus ſeculi primarius, veterum non paucis ſuperior, paucis omninò inferior, cujus *Græcas Latinaſque* muſas, cujus eruditionem & eloquentiam, omnis Poſteritas & amabit & venerabitur; cujus lepor & gratiæ nulla non præconia merentur, ſatis autem extolli nequeunt. *Barth.* in Adverſar. p. 2803.

Næ tu merus *Aſteropæus* vere ἀμφοτεροδέξιος, qui prosâ & vorsâ æquè polleas. Cùm verſus *Græcos* tuos lego, *Homerum* non *Heinſium* puto me legere: cùm *Latinos*, *Ovidium* aut *Propertium*. *Caſaub.* Epiſt. 318.

Somnium tuum, Clariſſime *Heinſi*, vidi, legi, relegi. Sciebam quantus eſſes in ſeriò tractandis literis; quantus in omni genere ſeriæ ſcriptionis. Tantum in eſſe tibi lepôris, tantum amœnitatis ac venuſtiſſimæ venuſtatis, neque ego ſciebam, neque fortaſſe quiſquam alius eorum, qui è tuis ſcriptis te norunt. Deum immortalem! quàm ingenioſa ſermonis ſtructura ac diſpoſitio; quàm non è trivio, ſed neſcio unde ex abdito petiti joci: quàm docti & ſalſi ſales: quàm alta denique & profunda atque efluens eruditio tua in ſingulis propè verbis apparet! *Idem* in Epiſt. 526.

Anacreontica tua *Græca* indicant quantus in hoc genere futurus ſis. Certè nihil in illis verſiculis tuis vidi, quod non & laudabile, & generoſæ camœnæ auram non ſpiret. *Ioſ. Scalig.* in Epiſt. 277.

Heinſius eſt ingenium extra aleam, præſertim in eâ ætate. *Idem* Epiſt. 91.

Quod ad *Hymnum* tuum attinet: hoc auro oſtendis, ferrum eſſe quicquid alii cuderunt. Admiror penitus ſcriptum, & ſic capior, ut è manibus non deponam. *Belgæ* autem niſi te agnoſcant *Apollinem* ſuum, nec linguam, nec Poëſin intelligunt. Mihi Poëmata hæc omnia videntur admiranda eſſe; in admirandis *Hymnum* illum eminere. Sicuti illuſtriſſimum argumentum eſt, ita præſtitit *Muſa* ſua, quod nemo hactenus aſſecutus. *Eric. Putean.* Epiſt. Apparat. Epiſt. 32.

Heinſii nomen mihi propè divinum eſt. *Gabr. Naud.* 59. Epiſt 59.

Heinſius & *Grotius* ratum par & exemplum antiquæ virtutis & fidei. *Baud.* Centur. 4. Epiſt. 11.

O literæ tuæ! O libri! In literis, ipſe mihi præſens es, quas aureas, quas gemmas appello: & in libris, qui admirationem ſeculo, licet duro ac ferreo, incutiunt.

cutiunt. *Ariſtarchus* tuus ex oculis meis non recedit, quot verbis, tot documentis fertilis, omnem oſtendens unius ingenii doctrinam ac ſcientiam comprehendi. Et quis te aut non novit, aut orbis amore dignum non pronunciet? *Idem* in Epiſt. 82. p. 82.

Ego cum voluptate ſæpè legere ſoleo maximorum virorum *Hugonis Grotii* & *Danielis Heinſii* puerilia Carmina, quæ initio hujus ſeculi edita, poſteà Operibus ipſis non ſunt inſerta. Quæ etſi à Virilibus illis multùm diſcrepant, delectat tamen florum illa luxuries, quos tam præclari fructus poſteà ſecuti ſunt. *Dan. Georg. Morhof. Polyhiſt.* p. 62.

Summus vir, verèque Muſarum & Charitum μεγ' ἄγαλμα, *Daniel Heinſius*, in laudatione *Aſini*, ſcripto, ut genii, ita penitiorum literarum, ac civilis prudentiæ pleniſſimo. *Voſſ.* de Hiſti Lat. p. 138.

Heinſii ſacræ Exercitationes, opus ingens & eruditum. *Boxhorn.* in Epiſt. p. 106.

Incredibile quanto amore illum proſecuti fuerint *Joſephus Scaliger*, *Janus Douza*, aliique viri doctiſſimi. Naturâ ipſâ inſtructus ad Poëticam facultatem, patrio etiam rythmo excellit, ut paucis agam. Quæcunque ab eo profecta ſunt, limam ſapiunt politiorem: Phraſis terſa & elaborata: conceptus ſublimes: ita ut cum illis priſci ſermonis Scriptoribus certare velle videatur. *Swertii. Athen. Belgic.*

Daniel Heinſius in ſummis vatibus meritò æſtimandus, orbem eruditum ſibi devinxit varii generis, varii argumenti Poëmatis, in quibus nihil humile aut jejunum, omnia terſa, ſolida, ſonora. Dum apotheoſin condit *Thuano*, *Scaligeroque* verſu Epico, tertiam ipſe meretur; nec mori poteſt, qui de contemptu mortis tam cecinit vitaliter. Quàm lecta in ejus *Hipponacte* dictio? Sed & quàm hinc idde aculeata? quàm feliciter audet in *Herode Infanticida*? Nec *Elegis* ejus quicquam venuſtius. *Borrich.* de Poët. p. 143.

Dominus Balzacius aſſeverat duos *Heinſii* Tractatus in Horatii Satyricon eſſe duo præſtantiſſima opera. Ait ſe non opinari ſe unquam majorem renovatæ Antiquitatis copiam ſimul collectam vidiſſe, ut nec plus continuatæ rationis, pluſque ſubtilitatis majori robore ſtatuminatæ. Inutilem, pergit idem, non navat operam in extruendo trophæo locorum prorſus ſimilium ſuper vocem quampiam nulla difficultate implicatam, eorum more qui notas conſcribunt, quique loca in invicem coacervant, & in ſua Scripta nihil niſi Lectionis ſuæ cruditatem confuſionemque inferunt. *Balzac.* Epiſt. in Infanticidium p. 142. 143. Gallicè.

D. Voſſius mihi dixit *Heinſii* Patris ſtylum hinc facilè cognoſci poſſe quòd pluſquam quis alius pronomine Qui, quæ, quod uteretur. Id non ſine voluptate verum eſſe obſervavi. *Paulus Colomeſ.* Opuſc. 128. Gall.

* *Danielis Heinſii* Sacrarum excitationum ad Novum Teſtamentum libri 20. ejuſcemque *Ariſtarchus*, ſive ad *Nonni* in *Ioannem* Metaphraſin exercitationes emendatiores nunc, & auctiores editæ prohibentur in Decreto 19. Martt. 1633. in Decreto 18. Decembris 1646.

Extant ejus in Novum Teſtamentum exercitationes fol. *Lugd. Bat.* 1639. 4°. *Cantabrigiæ* 1640.

Extat *Ariſtarchus* Sacer 8°. *Lugd.* 1627. Alia ejus opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Morti proximus omnium penè rerum oblitus fuit; unde *Conſt. Hugenius Epigrammata* in ejus morbum & mortem modulatus eſt:

Sciverat Heinſiades, *quantum neſcire fatentur*,
Quos neſcire nihil credere fama jubet.
Vltima lento ſubrepens inſcitia morbo
Reddidit infantem, nec ſine laude ſenem:
Succeſſit melior fugiente ſcientia; poſtquam
Omnia deſcivit, ſcire mori didicit.

In ejus effigiem:

Cernitis? Hic Mundi Phœnix, ille alter Apollo,
Heinſius, *ut pingi corpore, & ore poteſt.*
Parte ſui meliore, animo tranſcendit Olympum,
Iamque diu Divos inter & Aſtra fuit.
Qui pluréis doctè ſcripſit, quàm viximus annos;
Et, prætextatus, Neſtore *major erat.*
Livor, abi. Palmam Batavæ *meruiſti* Athenæ,
Nec regio vatem viderat ulla parem.

Reinerius Neuſius *I. C.*

EDWARDUS HERBERTUS.

Clar. An. D. MDCXXX.

ANglus, ad Caſtrum *Montgomerienſe* natus dicitur, inter Collegii *Univerſitatis* Commenſales, poſtremis *Elizabethæ* temporibus (prout ex *Alumnorum* Catalogo, illâ tempeſtate compoſito, edoctus ſum) literas percepit; Annoque 1603. cùm *Aureæ Periſcelidis Eques* crearetur *Henricus Walliæ Princeps*, Eques de *Balneo* fiebat. Sunt qui credunt è *Collegio Reginenſi* fuiſſe *Herbertum* illum, verùm in errore proculdubio verſantur, atque prædicto poſteriorem fatendum eſt *Edvvardum Herbert* Agri *Montgomerienſis* Armigeri Filium, qui in *Reginenſium* numerum inque *Album Academicum*, primo Iulii die, anno Dom. 1608. ætat. 17. admiſſus reperitur. Utcunque Artium Linguarumque peritiſſimus fuit, tantamque à *Carolo* primo gratiam inivit, ut *Baro Caſtri Inſulæ* de *Kerry*, apud *Hibernos*, paucíſque poſt annis *Baro* de *Cherbury* in *Angliâ* crearetur. De illo plura referre ſuperſedeo, utpote qui ubique apud ſeculi hujus ſcriptores memoratur. *Anton.* à *Wood* in Hiſt. & Antiquit. Univerſ. *Oxon.*

Scripſit

Digitized by Google

Scripſit de veritate. De cauſis errorum, & de Religione laici. Expeditionem in *Ream* Inſulam. Vitam *Henrici* Octavi. De Religione Gentilium.

Tradidit mihi librum tuum de *Veritate* doctiſſimus *Doreſlaus*. Exoſculatus ſum munus iſtud *Literarium* non uno nomine. Pretium illi conciliat *autor, titulus*, & *ille*, per quem voluiſti ad me deferri opus graviſſimum, exactiſſimumque. Gaudeo in *Britannia Philoſophari Barone*, & ad ſtudia noſtra ſe demittere grandes illuſtreſque animas. Gaudeo *Philoſophiam* non illis ſolùm cordi eſſe, qui longâ ſtolâ ambulant, hoc eſt, Umbraticis Doctoribus, ſed & viris in lucem poſitis, quoſque dignior fortuna ſecrevit populo. Nec minus recreor Auguſto *Veritatis* vocabulo, ad quam aſſurgat ipſe è *Curuli* ſellâ *Cato*. Demerſam illam in profundo puteo dicebat *Plato*, Inveniri nô poſſe *Pyrro*, probabilem ſolùm eſſe *Academicus*. Inveniri poſſe, certamque eſſe & immobilem *Dogmaticus*. Tu vir ſumme, *Dogmaticorum* ſententiæ affinis, non inveniri ſolùm eam poſſe doces, ſed & oculis *Lectorum* nudam objicis. Legi pleraque; nec aliena te dicere & ſentire ab *Ariſtotele* & *Peripateticis* ſtatuo, licèt aliâ formâ orationis & mutatis vocabulis, quorum majeſtate & elegantiâ gratiores lectori, & admirabilis magis. Ubi diſſentis, facilè te diſſentientem fero, cùm & hoc inter *Veritates* communes ſit, *Non idem omnes ſentire*. Philoſopharis liberè, nec in *aliorum verba juras*, ut non ſolùm in territorio tuo, ſed & *Philoſophorum Regno Baronatum* exerceas. Qui uti libertatis civilis eſt ſtudioſiſſimus, ita pari libertate de *Vero* judicas, nulli beneficio vel metu obnoxius. Quibus *Stipendiaria* eſt *veritas*, anxiè loquuntur; & licet ſentiant ſecùs, linguam calamumque falsò mancipant. Ideo utilia ſibi loqui malunt, quàm vera. Tu in *libertatis* regno natus ea ſcribis, quæ nec fœdam ſervitutem, nec licentiam effrænem ſapiunt. Simul & candidè *Philoſopharis* & prudenter: acutè & religiosè: doctè & piè. *Caſp. Barlæus* in Epiſt. dat. *Amſtelod.* 24. Iun. 1635.

Quamvis hæc Hiſtoria (De Vitâ *Henrici* VIII. *Angliæ* Regis) jam anno 1649. evulgata, ſæpiuſque deinde recuſa, initium Collectionis noſtræ longè antevertat, ob *Auctoris* tamen celebritatem non indignam judicavimus, quæ per occaſionem nuperæ editionis(Anno 1683.) nobis ante paucos demum menſes oblatæ, his *Actis* inſereretur. Adeo enim, non modò apud *Anglos* ſuos, ſed *exteras* etiam *gentes* inclaruit *Herbertus*, ut ejus de *veritate* libri(ſi *Lloydo* in in obſervationibus ad vitas *Miniſtrorum Anglicorum* credimus Bibliothecæ *Vaticanæ* ſummo cum honore illati fuerint; Hæcque ipſa *Henrici* VIII. *Hiſtoria* (*Woode* in *Hiſt. Oxon.* affirmante)in Archivis Bibliothecæ *Bodleianæ* manuſcripta pretioſi alicujus *Cimelii* inſtar, aſſervetur. Enim verò ſi, præter mirificam ſententiarum concinnitatem, ſingularem in judicando dexteritatem, ſummumque quod ubiq; præ ſe fert, veritatis ſtudium ſpectemus, optimo ſane jure hunc Scriptorem inter præſtantiſſimos ætatis noſtræ referemus. Orditur autem *annales* ſuos ab Ann. 1491. quo lucem adſpexit *Henricus*, deſinitque in anno 1547. quo fato conceſſit *Princeps* ingentibus vitiis, quæ magnis virtutibus redemit famoſus. Videtur verò argumentum tam nobile de induſtriâ elegiſſe *Herbertus*, in quo ſuam in dicendo

Digitized by Google

cendo vim exereret, cùm non ſolùm inſignis rerum Germanicarum, *Gallicarum* & *Hiſpanicarum* inclinatio, ſed religionis etiam per Angliam memorabilis mutatio illo tempore facta fuerit, quæ ex *Actis* ſecretioribus ſummâ curâ perluſtratis, & Hiſtoricis ſeculi ſuperioris fide digniſſimis diligentiſſimè eruta, *Lectori* in compendio quaſi ante oculos ponit. *Acta Erudıtor.* Menſis Mart. 1686.

Aliquot ab hinc annis edidit librum *de veritate, prout diſtinguitur à revelatione, à veriſimili, à poſſibili & à falſo*, item librum *de cauſis errorum*, nec non *de Religione Gentilium errorumque apud eos cauſis.* (Nam cætera, quæ hinc inde Auctor promittit, num lucem huc uſque conſpexerint, non conſtat) quibus Commentariis ſuis mirum eſt quàm ſibi plaudat elatiſſimi animi Scriptor, &c. Omnem movet lapidem *Baro*, ut in odium, invidiam & contemptum adducat communiter receptam doctrinam, eamque cum ſuâ collatam noviter repertâ ſapientiâ, de titivilitiô quidem æſtimandam eſſe incautioribus perſuadet; imperitiam, prævaricationem nugas, ineptias, cavilla, ſtrophas, ſophiſmata, impoſturas, & neſcio quæ non, paſſim Scholis exprobrans. Quæ tamen εὑρήματα ſi paulò inſpectentur acriùs, nonniſi perſonatas ſubtilitates eſſe, aut, ſi quid ſolidæ ſubſit ſapientiæ, vix aliter, quàm vocum novitate, à receptâ ſcholarum doctrina diſcordare, dudum harum rerum peritiſſimis fuit animadverſum. *Kortholt.* de tribus Impoſtor. Sect. 2.

Aliquot dunc effluxere Menſes, Nobiliſſime & Generoſiſſime Baro, quòd librum tuum acceperim *de Religione Gentilium, errorumq; apud eos Cauſis*; idq; unà cum literis Sereniſſimi Electoris & tuis. Et pro libro & pro literis non poſſum non gratias agere quàm maximas. Delectatus ſum plurimùm & Argumento, & Scriptionis genere. Vix itaque dixerim, quàm avidè, quantoque cum fructu illum devorârim. Nam jam animus eſt, ut ſcribam tibi, quid de hoc Opere ſentiam. Scio quàm difficulter audire laudes tuas poſſis. Audiant has illi, quibuſcum ſæpè de hôc ſcripto colloquor, cum tempus & occaſio patitur, quæ nunquam non ſeſe offert. Dum itaque ſæpius lego, & relego, illos tuos Commentarios, animadverti verum eſſe iſtud, nullam in bonis rebus eſſe ſatietatem. *Ger. Ioh. Voſſ.* in Epiſt. dat. *Amſtelod.* 1645. 3. Kal. Jan.

Helingshead, Sped. & *Stovv*, meras rerum publicè cognitarum relationes tradiderunt, pluresque errores committunt. Eorum veſtigia premunt fere omnes neoterici noſtri Scriptores, eaque tantum excerpunt & repetunt quæ ab ipſis ſcripta ſunt. Dominus *Herberd* ſe minime dignum autumavit ut alii fecerant nugari ideoque diligentius exquiſivit autographa Monumenta quàm ullus eorum qui ipſum præceſſerant ſummaque fidelitate ac induſtria *Henrici* VIII. Hiſtoriam nobis tradidit; verùm rebus Religionem ſpectantibus tamdiù non immoratur ut argumentum poſtularet, hæc ſcilicet Viris diverſæ à ſe profeſſionis relinquens, & forſitan exiſtimans minus congruum ſuæ conditionis viro, hujuſmodi argumentorum plenam & accuratam tractationem perſequi. *Burnetti* Præf. ad ſuam Hiſt. Reform. part. 1. Angl.

Excellentiſſimus fuit Artifex, Polyglottus eximius, tam Virorum quàm Librorum ſtudiis operam navavit ipſeque duorum valde inſignium Operum Author

Digitized by Google

thor fuit, quæ ſunt Tractatus de *Veritate* Gallicè conſcriptus, tanto apud Tranſmarinos in pretio habitus, & etiamnum (ut perhibent) perhonorificè in Papæ Biblioth. Vaticana exiſtens; Ejus Hiſtoria Henrici VIII. ubi ejus Collectiones plenæ ſunt & authenticæ. Ejus obſervationes ſagacitatem ſpirantes, ejus Connexio valida & cohærens, totum verò opus accuratum. *Da. Lloidi* Adverſaria. Anglicè.

* Ejus libri de *Veritate* inter libros prohibitos numerantur in Indice *Romæ* impreſſo 1681.

Obiit 20. Auguſti Anno. Dom. 1648. inque Eccleſiæ S. *Ægidii*, extra urbem *Londinenſem*, Adyto ſepultus requieſcit.

Extat Tractatus de Veritate, unà cum libro de Cauſis errorum, & de Religione Laici. *Lond.* anno 1645. *Lat.*

Extat Vita *Henrici* Octavi. *Lond.* Anno 1649. *Angl.*

JACOBUS USSERIUS.

Clar. An. D. MDXXX.

PAtriâ *Dublinienſis* in *Hiberniâ* in Parochiâ S. *Nicolai* natus Anno 1580. quarto die Ianuarii, quaſi *Strenæ* loco in orbem miſſus; magnum certè futurus, cùm Patriæ ſuæ decus, tum Eccleſiæ Dei beneficium. Clarâ familiâ fuit Archiepiſcopus *Armachanus*, & totius *Hiberniæ* Primas. Obiit. viceſimo primo Martii, anno 1655.

Opera ejus *Latina* hæc ſunt: De Eccleſiarum Chriſtianarum ſucceſſione & ſtatu — Hiſtoria *Gottſchalci*---Epiſtolarum *Hibernicarum* Sylloge---De Primordiis Eccleſ. *Britannicarum*---*Ignatii* Epiſtolæ cum Annotationibus---Appendix *Ignatiana*--- De *Romana* Eccleſiæ ſymbolo Apoſtolico vetere, & aliis fidei formulis---De anno ſolari *Macedonum*---Epiſtola ad *Capellum* de variantibus textûs *Hebraici* lectionibus----Annales Veteris Teſtamenti----Annales Novi Teſtamenti De *Græcâ* ſeptuaginta *Interpretum* verſione ſyntagma----De *Cainane* ſuperaddito diſſertatio-----Chronologia ſacra. Scripſit plurima *Anglicano* ſermone.

Jacobus Uſſerius vaſtæ lectionis & eruditionis Theologus, inque *Antiquitate Eccleſiaſticâ* verſatiſſimus. *Voët.* Theſ. de *Angel.*

Reverendiſſimus Antiſtes *Iac. Uſſerius*, Arch. *Armachanus*, vir ſummâ pietate, judicio ſingulari, uſque ad miraculum doctus, & literis ſeverioribus promovendis natus. *Ioan. Selden.* Marmor *Arundel.*

Non opus eſſe arbitror, ut quod *Uſſeriano* nomini inſcriptum prodit, Lectori datâ operâ commendem. Norunt quotquot literas meliores colunt, nôrunt & ſemidocti; quanta fuerit *Uſſerii* & quàm diffuſa eruditio, quàm infinita lectio, quanta judicii gravitas. Inter tot certè literaturæ Inſtauratores & Orthodoxæ Religionis Pugiles, quos ſeculo poſtremo tulit Orbis *Britannicus* illum præ aliis habemus, quem nobis metipſis gratulemur, & in re literariâ Ducem ſtatuamus. *Henr. Wharton.* in Præfat. ad *Iac. Uſſer.* Hiſtor. Dogmatic. controverſ. inter Orthod. & Pontif. de *Scriptur.* & *Sacr. Vernaculis.*

Multum equidem debeo, quòd non ceſſes augere & Bibliothecam noſtram libris, & nos doctrinâ Ut mittam quæ miſeras priùs, quàm gratum acceptum-

que

Digitized by Google

que *aureolum*, ſive *aureum* potiùs munus tuum de *Britannicarum Eccleſiarum Antiquitatibus*. In quibus ambigo, magiſne mirari conveniat ſingularem Induſtriam, an ſummam eruditionem & judicium exactum, quod etiam tum elucet, cùm ſatius judicas judicio ſuperſedere. *Ger. Ioh. Voſſ.* in Epiſt. p. 375.

---- Quo de viro, rerum divinarum humanarumque peritiſſimo, nihil poſſum dicere tam ſublime, quin ejus id virtus ſuperet. *Voſſ.* de Mathem. p. 392.

Vir vaſtæ eruditionis, nec ſine laude nominandus. *Idem* ibid. p. 446.

Summa ſummi viri, & undecunque doctiſſimi merita de *Eccleſiâ*, & totâ *Rep. Literariâ*, nunquam ſinent, ut non æternùm ab omnibus *literarum* amantibus memoriâ gratâ celebretur. *Idem* de Vit. Serm. c. 10.

Iacobus Uſſerius Archiepiſcopus *Armachanus*, totius *Hiberniæ* Primas, Antiquitatis primævæ peritiſſimus, Orthodoxæ Religionis vindex ἀνανηίρρητος, errorum malleus, in concionando frequens, facundus, præpotens vitæ inculpatæ exemplar ſpectabile. *Rob. Pink.* Vice-Cancellar. *Oxon.* publicis Almæ Academiæ ſuffragiis in convocatione. A. D. 1644.

Iacobum Uſſerium locupletiſſimum ſolidæ eruditionis & totius Antiquitatis *Gazophyllacium* appellat *Prideaux*, Epiſc. *Virgorn.* in Apocal. de Mille Annis.

Virum ſingularis pietatis, & omnigenæ eruditionis laude cumulatum *Uſſerium* vocat *Davenant* Epiſc. *Sarisber.* Exhortat. ad Pacem.

Alexander Morus in oratione *Genevæ* habitâ, *Uſſerioque* inſcriptâ, illum vocat excellentiſſimum *Dei* ſervum, Reverendiſſimum virum Dei, ſeculi noſtri *Athanaſium*, tuum pectus eſt Bibliotheca ſpirans; tu *Britanniæ*, quod *Auguſtinus Hipponi*, vale, *Maximum Britanniæ* decus. Anno 1648.

Iacobus Uſſerius omnigenæ ac reconditæ eruditionis laude, linguarum Orientalium peritiâ planè ſingulari inclytus---- Illud venerabile toti *Europæ* caput--- Sepoſitâ authoritate illâ, quâ apud omnes pollet maximâ, &c. *Arnold. Boot.* Epiſt. contra *Lud. Capell.* & Append. ad *Buxtorf.*

Ingentes tuæ virtutes, ſumme *Uſſeri*, non veſtro tantùm Orbi notæ ſunt, ſed & noſtro, & ubicunque terrarum pietati ſuum decus & eruditioni ſuum pretium conſtat. *Spanhem.* Epiſt. Dedicat. 3. part. Dub. Evangel.

Acatholicorum doctiſſimus vocatur *Uſſerius* à *Fitz-Simons Ieſuitâ.*

Quod & digniſſimo Archiepiſcopo *Armachano* debemus, in quo, cum incredibili doctrinâ & rarâ purioris *Antiquitatis* cognitione, (quam *norunt & Tagus & Ganges, forſan & Antipodes*) Morum eximius candor, & in inſtruendo imperitiores mira ſuavitas, ſeriâ quadam & Epiſcopali mixta gravitate, certare dignoſcuntur; à quo non parùm me in hoc opere provehendo adjutum profiteor, utpote qui luto hærentem ſæpiùs extraxit, & deviantem in vitam reduxit. *Rog. Twiſd.* Epiſt. Lector. Hiſt. *Anglic.* Script. 10.

---Archiepiſcopus *Hiberniæ Uſſerius*, magnæ diligentiæ judiciique Vir. *Grot.* in Proleg. Hiſtor. Goth.

Conſcia eſt *Hibernia*, intelligit *Anglia*, novit *Orbis Chriſtianus* univerſus qui & quanti fuerint ejus pro Eccleſiâ Dei ſuſcepti labores quantæ curæ & ſollicitudines. Nota ſunt Regum *Iacobi Carolique* de eo judicia, Diligentiam ejus & induſtriam

induſtriam quis non mirabitur? Ego certè quoties eam cogito, non poſſum quin exclamem (quod de *Cæſare Cicero*) ô horribilem diligentiam ! *Gul. Bateſ.* in Vit. *Uſſer.*

Reverendiſſimus *Iac. Uſſerius*, Archiepiſcopus *Armachanus*, ſuo merito ob inſignem literarum omnium ſcientiam, inter *Britanniæ* Noſtræ Ornamenta annumerandus eſt. *Arth. Duck.* de Authorit. Jur. Civil. *Roman.*

Jac. Vſſerius, vir admirandæ, tum pietatis, tum eruditionis, *Colomeſ.* in Paralipom. ad Chartoph. Eccleſiaſt. p. 43.

De tanto Præſule ſilere præſtat, quàm pauca dicere: cùm talis ſit (quod olim de *Antonino* Philoſopho dixit Hiſtoricus) *Quem mirari facilius quis, quàm laudare poſſit.* Pietatem ejus inſignem, perpetuam in legendo, ſcribendo, concionando, induſtriam, eruditionem in re antiquariâ, Theologia, & omni humanioris literaturæ genere ſummam, cum æquali modeſtiâ conjunctam, fuſiùs laudare nec opus, nec mihi animus; Hiſtoriam enim non ſcribo; ſed *Epiſtolam*; Virtus enim *Vſſeriana* eſt ſui ipſius *Panegyrica*, laudis noſtræ non indigna. Vivit, æternumque vivet in *Scripturis* ſuis *Cedro* dignis, in ore & corde Doctorum, in memoriâ hominum, & monumentis temporum; illumque [quem *Hibernia* parens ingrata, tali filio & Præſule indigna, bonis [præterquam animi] omnibus exutum in exilium miſit) *Poſteritas* ſera venerabitur.

Quò nihil majus, meliuſve terris
Fata donavere, bonique Divi;
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.

Thom. Barlovv, nunc Epiſc. *Lincolnienſis* in Epiſt. Dedic. Dom. *Timoth. Tyrill*, præfix, *Vſſer.* Chronol. Sacr.

Dono tuo accepi *Diatribam* tuam de *Symbolis Veteris Eccleſiæ.* Pro iſtis tuis erga me meritis, debitas rependo gratiarum actiones. Magnâ cum voluptate, nec ſine fructu, legi poſtrema iſta opuſcula; in quibus igneum ingenii vigorem, & reconditam eruditionem, abſtruſiſſima quæque rimantem, & bono publico eruentem, ex animi ſententia dico, ſum admiratus. *Claud. Sarrav.* ad *Iac. Vſſer. Armac. Lut. Pariſ.* 28. Octob. 1647.

Tantum abeſt ut me noſtrorum φιλαυτία ceperit, ut facilè conceſſerim, imò ultrò agnoverim *Galliam* noſtram vix habere *Seldeno* in ſuo genere eruditionis ſuperiorem; at *Uſſerio* Archiepiſcopo *Armachano* ne parem quidem. *Lud. Molinæus*, Med. in Apolog. ad *Andr. Rivet.*

Ex quibus patet, quamvis à *Molinæo* magnis efferatur laudibus *Seldenus* ab ipſo tamen infra Epiſcopum *Uſſerium* collocari: Qua in re me ſibi ſuffragantem non habet, *Colomies.* Biblioth. ſelect. Gall.

Neceſſarium non puto *Vſſerii Armachani* opinionem, ſeu potius paradoxum

 confutare,

confutare, qui duplicem τῶν *Septuaginta* nomine inſcriptam *Verſionem Græcam* extitiſſe arbitratur. *Priorem τῶν Septuaginta* verè fuiſſe putat, hanc ſub *Ptolomæo* Philadelpho continuatam fuiſſe; ſed alteram, quæ *Alexandriæ* pariter ſub Ptolomæo Phiſcone fuerat elaborata, quæque genuina non eſt, eam eſſe quæ hodie dum nobis ſupereſt Dominus *Valois* novum hoc Syſtema optimè confutavit, Epiſtola in hanc rem ad Uſſerium conſcripta. Oratorii Presbyter. *Richard. Simon*. Hiſt. Crit. V. T. l. 2. c. 3. Gall.

Inter quos [ſcilicet *ejus Operis fautores*] primas meritò tenet, Primas ille Reverendiſſimus *Hiberniæ Jacobus Uſſerius*, Archiepiſcopus *Armachanus* ὁ μακαρίτης vir doctrinâ multifariâ, pietate, modeſtiâ omnibus conſpicuus, cui propria hæc laus erat nil proprium habere, ſed ex effuſâ bonitate omnia, in Reipublicæ literariæ bonum communicare, qui inſtructiſſimâ ſuâ Bibliothecâ libros plurimos MSS. vel impreſſos variorum Idiomatum nobis libenter commodavit, conſiliumque ſuum quando ipſum convenirem libenter impertivit, quô in multis me adjutum profiteor. *Brian. Walton* præfat. in Bibl. Polyglott.

Deus bone! quàm reconditâ literaturâ refertus. Stupebunt exteri, gratulabuntur poſteri hanc felicitatem. *Joseph. Hall.* (Epiſc. Norvvic.) in Epiſt. *Gratulat.* pro libris *Annalium* dono miſſis.

Reverendus hic Author, præter magnam ſuam peritiam in omnigena utiliore & politiore literatura, immenſam ſuam lectionem, ſuamque facilitatem in uſum quavis occaſione revocandi quicquid legerat, ſibi adeo univerſam celebritatem paraverat ob piam & ordinatam ſuam vitam, lenitatem & moderationem, ut & ſuam humilitatem, affabilitatem, liberumque acceſſum in omnibus converſationibus, ſimul cum ſua facilitate atque lubentia ad gratam conſuetudinem continuandam cum iis quibuſcum verſatus erat, ut vel merum ejus nomen authoritatem ſecum gereret, & ad reverentiam atque exiſtimationem & Perſonæ & judicii ſui adigeret vel illos ipſos, qui neminis, niſi proprio ſui ipſorum judicio facilè ſe ſe ſubmittere ſolent. Hæc Doctor *Sanderſon* Epiſcopus *Lincolnienſis*, Præfatione præmiſſa *Tractatui poſthumo* Domini Primatis de Poteſtate Principis, & Obedientia Subditi. Anglicè.

Clementia tua eruditos Labores tuos dignata eſt mecum communicare pro quibus verè profiteri poſſum, Eccleſiam in poſterum non minoris reverentiæ Memoriæ tuæ debitricem fore illâ quâ nos hodierno tempore Perſonam tuam colere tenemur. *Gul.* Londinenſis Epiſcop. poſteaque Cantuarienſis Archiepiſc. Epiſtola quæ nunc in manibus eſt illius Eruditi ac Solertis Nobilis *Jacobi* Tyrelli *Uſſerii* Epiſcopi ex filia Nepotis. Anglicè.

Naturales ejus dotes tam variæ, tamque inſignes fuerunt, ut rarò in uno eodemque homine tales concurrant; Nimirum inventio fœcunda, Memoria tenax cum Judicio: quorum ope jam ab adoleſcentia illicò paratus erat ad quodvis exercitium ſibi impoſitum, quodque ambitu ſtudiorum ad quæ appuliſſet animum comprehenderetur. Verboque ut quod res eſt dicam, optimè illi poteſt

teſt applicari Character quo B. Auguſtinus inſignitus eſt, videlicet. Inſignis erat ſanctiſſimi Præſulis manſuetudo, ac miranda animi lenitas, & quædam invincibilis clementia: Linguam habebat ab omni petulantiâ & conviciis puram; Ingenii felicitas prorſus erat incomparabilis, ſive ſpectes Ingenii acumen, vel obſcuriſſima facilè penetrans, ſive capacis memoriæ fidem, ſive vim quandam mentis indefatigabilem. *Vide* Vitam Archiepiſcopi *Uſſerii* ſcriptam à Doctore *Par*, ejus quondam Capellano, præfixam nupero Voluminí Epiſtolarum ad præfatum Primatem & ab ipſomet ſcriptarum, Anglicè.

Simul cum ingenti atque vaſta eruditione ſua (Epiſc. Uſſerius) nemo unquam meliorem Animam, Mentemque magis Apoſtolicam habuit. In ſua Converſatione veram *Chriſtiani* ſimplicitatem exhibuit. Nam Iracundiæ, Arrogantiæ, Obſtinationis, vel Amoris Mundi ne minimulum quidem veſtigium in illo Viro obſervabatur: adeò ut tota columbæ innocentia in ipſo exiſteret. Modo quodam hominum corda ſibi lucrifaciendi, horumque Conſcientias afficiendi utebatur, qui redivivam Ætatem Apoſtolicam quadantenus ſpirabat. In duobus hiſce optimis exercitiis magnam temporis ſui partem inſumebat, Arcana videlicet Precatione, alienarumque Conſcientiarum Directione, tum publicis concionibus, tum privatis ſermonibus; temporis autem reſiduum Studiis ſuis dicabat; In quibus quàm ſtupenda fuerit ejus diligentia & accuratio, cum judicio ſubacto ex multitudine Voluminum ab ipſo conſcriptorum liquidò conſtat. Adeo ut clariſſimis & optimis Viris quos Seculum, imò Univerſus forſitan Orbis tulerit, certiſſimè ſit annumerandus. Verùm nemo eſt omnibus numeris abſolutus, ad Muneris ſui partem regiminis functiones ſpectantem minimè natus erat; nimia erat Animi ejus lenitas ad aſperum opus reformationis Abuſuum promonendum, quapropter in ſtatu quo res invenerat illas relinquebat. Reformationis tempus venturum eſſe ſperabat: Plurimos abuſus reſcindendi neceſſitatem animadvertebat, & fatebatur tolerantiam abominandarum corruptionum à *Canoniſtis* invectarum adeo fœdam maculam eſſe in Eccleſia optimè omnium alio quovis reſpectu reformata, ut metueret ne hinc in totam Conſtitutionem maledictio & exitium accerſeretur. Sed quamvis Deum precaretur ut auſpicatior opportunitas affulgeret, & animitus cuperet ad horum reformationem concurrere, non tamen eum adhibebat conatum quo illam ex ſuo munere ſuſcipere tenebatur. Admodum autem veroſimile eſt hanc negligentiam animum ejus gravaſſe dum moribundus decumberet: identidem enim ſubmiſſiſſimè precabatur, ut Deus peccata omiſſionis ſibi condonaret, ſuaque in officio ſuo delicta. Non ſine magna repugnantia id à me tandem impetrare potui ut aliquid dicerem quod characterem minuere videbatur Viri tam eximii, qui in cæteris omnibus quoſvis ſuos contemporaneos antecellebat, ſed hac tantum in parte infra ſe ipſum depreſſus eſt: Et illi qui omni alio reſpectu ipſum amabant & admirabantur, hunc in ipſo defectum deploraverunt, qui unicus nævus in ipſo remanſiſſe videbatur, & abſque quo majori forſitan quàm conveniret venerationi apud homines fuiſſet. *Burnetti* Vita Epiſcopi *Bedelli* p. 85. 86. 87. Angl.

* *Iacobi Uſſerii* liber Graviſſimæ Quæſtionis *Chriſtianarum Eccleſiarum*, Occidentis præſertim partibus, Hiſtorica explicatio, ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem continuâ ſucceſſione, & ſtatu, omnino prohibetur in Decreto 5. Martii. 1616.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa. Vide Catalogum ad Calcem vitæ Rev. Primatis à *Richardo Par*, S. T. P. Sacellano olim ſuo fideliter conſcriptum.

En ejus Epitaphium à *Richardo Par*, S. T. P. ad calcem vitæ non minus verè quàm argutè ſcriptum, quamvis nullum niſi in operibus, ejus memoriæ adhuc poſitum eſt monumentum:

M. S.
Jacobus Uſſerius,
Archiepiſcopus Armachanus
Hìc ſitus eſt.
ob
Præclaram Proſapiam,
Raram eruditionem,
Ingenii acumen,
Dicendi, & ſcribendi facundiam,
Morum gravitatem ſuavitate conditam,
Vitæ candorem, & integritatem,
Æquabilem in utraque fortunâ animi conſtantiam,
Orbi Chriſtiano, & piis omnibus charus;
Omniumque judicio, præterquam ſuo,
Præſul verè magnus.
Qui Eccleſiam veterum inſtitutis,
Clerum exemplo,
Populum concionibus,
Aſſiduè inſtruxit:
Chronologiam Sacram priſtino nitori reſtituit:
Bonarum Artium Profeſſores,
Inopiâ afflictos,
Munificentia ſublevavit:
Denique qui Hereſes repullulantes calamo erudito contudit.
His ingenii dotibus, his animi virtutibus ornatus,
Præſul optimus, piiſſimus, meritiſſimus,
Cum inter Bella Civilia, & Eccleſia, & Patria ſuæ funeſta,
Sibique luctuoſa,
Nec Eccleſia, nec Patria diutius prodeſſe poterat,
In Chriſto Pacis Authore placidè obdormivit,
Anno Æra Chriſtiana MDCLV.

Ætatis

Digitized by Google

Ætatis ſuæ 76.
Rigate in Comitatu Surreia
Martii 21. obiit.
Apud Weſtmonaſterium *in Capella S.* Eraſmi *ſepultus.*
April. 5. 1656.

ROBERTUS SANDERSON.

ROtheramiæ, in Agro *Eboracenſi*, Miniſtro patre natus, 19. Septembris anno *Dom.* 1587. Circa annum 1603. in Collegium *Lincolnienſi* admiſſus, poſt *Baccalaurei* in Artibus gradum, in *Socium* electus eſt. Sed relicto mox Collegio, Rector de *Bothby-Paganelli* in Agro *Lincolnienſi*, necnon Eccleſiæ ejuſdem *Cathedralis* Præbendarius factus eſt, & tandem longo poſt tempore S. Theologiæ Doctor, ejuſdemque Facultatis in Academiâ *Oxon.* Profeſſor *Regius*. His omnibus, Regiarum partium ſtudio, quibus ſemper hæſerat fidelis, à *Parliamento* privatus eſt; ſed in *Caroli* II. reditu Epiſcopatu *Lincolnienſi* remuneratus. Clar. A. D. MDCXXX.

Scripſit Logicæ & Phyſicæ Compendium. De Juramenti Promiſſorii obligatione Prælectiones ſeptem. De obligatione Conſcientiæ Prælectiones decem. *Epiſcopatum* prout nunc in *Angliâ* ſtabilitur, *Regiæ* poteſtati neuquam præjudicare, *Angl.* Quæſtiones duas practicas ſolutas, *Angl.* Quinque alias ejuſdem generis Quæſtiones practicas, ab eodem, variis temporibus, ſolutas, *Angl.* Sermones triginta, & amplius. Cæteros, quos publici juris fecit, libros, cum in *Catalogo Bodleiano* recenſeantur non heic operæ pretium erit enumerare. Quamplurimos inſuper Tractatus apud ſe conſervatos, quanquam multorum judicio in publicam lucem prodire dignos, cùm ſuprema & fatalis hora inſtaret, ipſe flammis tradidit, ne ſcilicet defuncto, imperfecti quæſtûs gratiâ evulgarentur.

Ab ipsâ juventute prægnanti fuit, necnon capaci intellectu, fideliſſimâ memoriâ, judicioque ſolidiſſimo; quæ quidem omnia, methodo, & multa cogitatione mirum in modum excoluerat. Hiſce *Naturæ* dotibus, maturus jam annis, prudentiam, & induſtriam ipſe addiderat, ſimul & ſagacitatem in quærendo, & perſpicuitatem in explicando: animo ſerenus, & ſedatus, vitâ & moribus gravis & ſobrius. In Fidei & Religionis Controverſiis exercitatiſſimus; *Patrum* & *Scholaſticorum* Scriptis volvendis verſatiſſimus, ſuique Seculi *Caſuiſtarum* (quos vocant) facilè princeps. Neque quiſquam ferè eſt, alicujus ſaltem apud *Noſtrates* in *Literis* famæ, qui non honorificentiſſimè ſemper illius mentionem fecerit. *Uſſerius Armachanus perſpicacis* ipſum compellatione inſignivit, & accepto ab illo cujuſdam à ſe propoſitæ *Quæſtionis* reſponſo, omnes ejus apices, & circumſtantias, ab illo tam feliciter conſideratas fatetur, omnemque dubitandi anſam adeo præciſam eſſe, ut ne minimus quidem ulteriori ſcrupulo locus relinqueretur. Sic & *Hammondus ὁ πάνυ*, illum appellat *acris*, & *ſubacti judicii virum*

rum, qui meditatò loquitur, prudenter cognoſcit, exactè diſtinguit, decretoriè fert ſententiam, ſenſa animi liquido, aptè, veraciter expromit. Ant. à *Wood* in Hiſt. & Antiquit. Univerſ. *Oxon.*

Propter mite ingenium, animum æquabilem, mores candidos, doctrinam ſingularem, bonis omnibus ſemper acceptiſſimus----Edidit alia quædam quæ à viris doctis & prudentibus admodum probantur; de *Conſcientiâ* verò acutè, diſtinctè, perſpicuè, ſummoque cum judicio ſcripſit------In Controverſiis dirimendis verſatiſſimus erat. *Rob. Grov.* in Reſponſ. ad *Celeuſma*, pag. 38, 39.

Aliam hiſtoriolam ſilentio præterire non debeo, quippe quâ Doctoris *Sanderſoni* Pietas, ejusque quatenus *Caſuitæ* eximia peritia & acre judicium arguuntur. Cum aliquando colloquerer cum Illuſtri Equite *Roberto Boile* (cujus Pietatem pluris æſtimo quàm ejus nobilitatem & eruditionem, quamvis utraque inſignis exiſtat) de Caſu Conſcientiæ circa *Juramenta & Vota* eorumque naturam & obligationem, in quæ peculiaribus de cauſis, intimiùs tunc penetrare cupiebat, *Sanderſoni* Librum de *Juramento* apud ipſum laudavi, cujus lectione cùm ſibi abundè ſatisfactum eſſet, à me petiit nùm arbitrarer, *Doctorem* illum induci poſſe ad ſcribendum de *Caſibus Conſcientiæ*, ſi honoraria penſio ipſi aſſignaretur, ut Libri ad hunc finem neceſſarii ſibi ſubminiſtrarentur. Ipſi reſpondi me putare eum id facturum: Epiſtolâ verò ad Doctorem ſcripta, ipſi retuli, quanto cum delectamento Præclarus ille Vir & plures alii legiſſent librum ejus *De Juramento*; ipſumque rogavi num ipſi liberet ad emolumentum Eccleſiæ aliquem elaborare Tractatum de *Caſibus Conſcientiæ.* Mihi reſpondit ſe gaudere quòd aliquis aliquem è ſuis libris fructum percepiſſet, addens inſuper, ſi futurus aliquis ſuus Tractatus tantùm emolumenti cuipiam allaturus foret, quantùm videbamur dicere à priori ſuo allatum fuiſſe, ſe manum ad opus illud libentiſſimè admoliturum, quamvis abſque ulla penſione. Hoc cùm accepiſſem reſponſum, præfatus ille Vir illuſtris quinquaginta Libras per manus meas tranſmitti curavit ad bonum illum Doctorem, cujus conditio, ut plurimorum tunc temporis bonorum admodum tenuis erat; ipſe autem extemplò recognovit, abſolvit & evulgavit eximium illum librum de *Conſcientia.* Qui liber mole quidem exiguus eſt, non autem pretio, ſi beneficium conſideremus quod ex illo ad peritum Lectorem redire poteſt. Ibi enim occurrunt tot generales Propoſitiones circa *Conſcientiam*, circa ejus Naturam & Obligationem, explanatæ atque probatæ tam ſolida Conſequentia & tanta Rationis evidentia, ut qui illas legit, memoria retinet & poteſt prudenter *hic & nunc*, & appoſitè ad particulares Caſus applicare, illatum auxilio ac luce, poſſit rationabiliter mille particularia Conſcientiæ dubia vel ſcrupulos reſolvere. Hæc Doctor *Thom. Barlovv* nunc Epiſcopus *Lincolnienſis*, Epiſtola ad Dom. *Iſ. Waltonum.* Dat. *Londini* 10. Maii 1674 Impreſsâ cum D. *Waltoni* Relatione vitæ Doctoris *Sanderſoni.* Angl.

Quamvis ipſum acriori *Judicio* quàm alios Natura beaviſſet, ei tamen uſque

adeo

adeo diffidebat, ut iterum atque iterum retractaret *Conſequentias*, & adeo differret ac ſecum recoleret quid *determinaturus* eſſet, ut quamvis nemo meliùs unquam determinaret, attamen quando campanæ ſigno in Auditorium advocabatur, ut *Oxonii Theologicas* ſuas *Lectiones* haberet, omneſque Diſcipuli expectarent ad illum audiendum, nondum eo tempore, aut ſaltem tunc demum temporis ſtatuiſſet & ſcripſiſſet quod determinandum præcogitaverat; adeo ut id veriſſimum eſſe videretur, quod antiquus & intimus amicus ejus Doctor *Scheldon* ſæpius dixerat, nimirum, quòd Judicium ejus phantaſiam adeo ſuperaret, ut quicquid ab hac ſuggeretur ab illo faſtidiretur & improbaretur, continuò pendendo & rependendo, donec tantùm fluxiſſet temporis ut ſcribere cogeretur, non quod optimum, ut veroſimile eſt, ſed quod ultimum animo volverat. *Iſ. Walton* in Vita Doctoris *Sanderſoni*. Angl.

Doctor Robertus *Sanderſon* ex Nobili Familia *Sanderſonorum* in *Eboracenſi* & *Lincolnienſi* Comitatibus, in Schola *Lincolnienſi* educatus, ſub Methodico Magiſtro, & ſedulo Præceptore in ejuſdem Loci Athenæo; qui acre illius ingenium, capacem ejus intellectum, fidelem ejus Memoriam, ſolidum ejus Judicium, cui vires addiderunt Methodus & profunda Apprehenſio, magnæ ſpei gravitatem ejus, ſilentem, ſedentariam & ſtupendam ejus Induſtriam, ad exquiſitam illam perfectionem deduxit, qua uſque ad ultimam vitæ metam ornatus fuit (hanc autem ſedulitatem ſtrictamve accurationem obſervare voluit in jaciendis Doctrinæ fundamentis, ut hæc viciſſim in ea quæ ſuperſtruerentur influerent.) In adoleſcentia Memoriæ Artem didicit; cùm enim in pueritia juberetur memoriæ mandare, quę non intelligebat, ſimilitudinibus uti cogebatur, & mente recolere quæ ignota ſibi erant, cogitando de quibuſdam iis quæ noverat affinibus. Serius erat in ſuis propoſitis, prudens in ſtudiis ſuis induſtrius in ſua Methodo; clarus in conceptibus, ſagax in ſuis Diſquiſitionibus; ſerenus ordinatus & methodicus, in cogitatis ſuis; Sobrius & comis in ſuis moribus, quoniam ejus educatio præclaris ejus dotibus addiderat eam humilitatem, manſuetudinem; modeſtiam, obſequentiam, & urbanitatem, quæ laudabili ejus diſpoſitione adauctæ ipſum in ætate provecta reddiderant ſuperioribus morigerum, erga æquales officioſum, erga inferiores indulgentem, affabilem, munificum, [bona in juventute diſciplina Obedientiæ habitum in ætate matura generat.] Sollicitus ejus Animus conflictabatur cum tricis, perplexitatibus, obſcuritate atque confuſione Naturæ; & intentus erat genuinæ rerum apprehenſioni, potius quàm operoſæ verborum collectioni, excepta Grammaticæ peritia quæ ad mentis cogitata congruè, & Rhetoricæ ad eadem perſuaſibiliter proferenda ſufficeret, eoque Logicæ uſu, quo ſuos conceptus methodicè ordinarii, duci ac dirigi poſſent; res diſtinctè apprehendendo, de iis ſanè judicando, veritatem in iis latentem feliciter eruendo, errores, deceptiones, & fallacias, quæ circa illam nobis obtruduntur evidenter confutando: veritateſque detectas rationibus omni exceptione majoribus urgendo. *Dan. Lloidi* Adverſaria. Angl.

* Ejus Libri de *Conſcientiâ*, ſeu de Obligatione Conſcientiæ, & de Juramenti Promiſſo-

Promiſſorii Obligatione, inter Libros prohibitos numerantur in *Ind. Rom.* impreſſ. Anno 1681.

In Choro Eccleſiæ ſuæ *Bugdenenſis* in Agro *Huntingtoniæ* inhumatur, cui ſequens Epitaphium ſic inſcribitur:

Depoſitum *Roberti Sanderſon*, nuper *Lincolnienſis* Epiſcopi, qui obiit Jan. 29. anno Dom. M. DC.LXII. & ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto, hic requieſcit in ſpe beatæ Reſurrectionis.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa ſunt.

PETRUS HEYLINUS.

Clar. A. D. MDCXXXV.

Natus eſt *Burfordiæ*, agri *Oxonienſis* Oppidi Mercatorii 29. Novemb. anno 1599. In Collegio *Magdalenenſi* educatus eſt. Anno Dom. 1631. Novembris primo Præbendarius *Weſtmonaſterienſis* in loco Doctoris *Darrell* defuncti factus eſt. Anno 1638. per commutationem cum Magiſtro *Atkinſon* Collegii S. *Ioannis Baptiſtæ* Eccleſiæ de *Iſlip* juxta *Oxonium*, Rector de *Warnborough* Auſtrali in Agro *Hantonienſi* evaſit, & ejuſdem Comitatûs pro pace conſervandâ *Juſtitiarius*, aſcitus eſt Anno 1639. Apr. 10. in Convocationem *Cleri* pro *Eccleſia Weſtmonaſt.* aſcitus eſt. Anno 1642. deſertis omnibus ad Regem *Oxonii* commorantem ſe contulit, à quo *Mercurios Aulicos* ſingulis ſeptimanis conſcribendi cura ipſi demandata eſt: In hoc munere per integrum penè annum perſtitit, in eodem à Magiſtro *Joann. Birkenhead* è Coll. *Omnium Animarum* tum ſuccenturiatus. Paulo poſt à Parliamento inter Delinquentes declaratus, bonis omnibus, & libris totâque Eccleſiaſticâ multatus eſt. Anno 1644. Patrono ſuo *Laudo*, & deinde ipſo Rege in anno 1648. immani ſententiâ è medio ſublatis, primò in pagum, quem *Miniſter Lovellorum* vocant, juxta *Burfordiam*, inde ad Curiam *Lacetanam Abendoniæ* ſe recepit, utrobique in Eccleſiæ *Anglicanæ* defenſiones ſcribendo totus; uſque dum redeunte *Carolo* II. ad omnes, quibus excidiſſet, in *Eccleſiâ* promotiones reſtitutus ſit.

Scripſit varia, cæteris verò palmam præripiunt Hiſtoria S. *Georgii* de *Cappadocia.* Hiſtoria Sabbati. Expoſitio Symboli. Coſmopraphia. Hiſtoria Epiſcopatûs. Hiſtoria Reformationis Eccleſiæ *Anglicanæ* ab *Henrico* VIII. ad Reginam *Elizabetam.* Vita *Gulielmi Laud* Archiep. *Cantuar.* Hiſtoria Presbyteriana.

Vir eximiis Naturæ dotibus, ingenio & memoriâ inſtructiſſimus. Poëta, Hiſtoricus, Orator (etiam extemporaneus) addo & *Satyricus* inſigniſſimus. Hoc ſolum infelix, quòd aliquammultos, priuſquam obiret, annos, ex acri quâ laborabat febre, oculos amiſit. Hoc illi ad altiora in *Eccleſiâ* ſurgenti ſimul & majora

Digitized by Google

majora in ſtudiis molienti ſuffl minavit. *Ant.* à *Wood.* in Hiſt.& Ant.Univ.*Oxon.*

Doct. *Heylin* Vir fuit eximiis dotibus ac eruditione præditus, quique Hiſtoriam jucundè ſatis ſcripſit; ſed in quibuſdam nimio partium ſtudio ducebatur, quod boni hiſtorici famæ repugnat: Cumque ipſemet quibuſdam controverſiis admodum implicitus eſſet, omnia ejus circa Eccleſiam noſtram Scripta clarè oſtendunt utras partes tueretur, quod, ut mihi quidem videtur, Hiſtoricum minimè decet, qui neutri partium addictus eſſe debet. Et ſi modò infamia poſſet aſpergere quos *Puritanorum Sectam* nominabat, ab initio Reformationis, non admodum curabat an univerſæ Reformationis fama hinc coinquinaretur. *Stillingfleeti* Dialogi inter Rom. Sacerdotem, Fanaticum Eccleſiaſten,& Eccleſiæ *Anglicanæ* Theologum. Anglicè.

Bini Authores Eccleſiaſticam Hiſtoriam aggreſſi ſunt, *Fuller* & *Heylin*. In prioris manus inciderunt ſcripta quædam pauca, antequam ab illo evulgarentur nondum viſa; ſed quoniam phantaſticus erat & inſolitum ſcribendi modum affectabat, ejus opus Lectori parum ſatisfacit: Sed Doctor *Heylin* comiter & venuſtè ſcripſit, methodoque ac ſtylo laudabili, ejuſque Opus ab omnibus libentiùs legebatur quàm ullum aliud ante illud editum. Sed aut rerum ignarus admodum fuit; aut affectibus valde indulſit, cumque violentiſſimis præjudiciis exacerbatus eſſet in Viros quoſdam, qui rerum tunc temporis geſtarum pars magna fuerant, multa tam inſolenti modo refert, ut clam ad id inſtigatus videatur ab *Eccleſiæ Romanæ* Sectatoribus, quamvis illum Poteſtantem ſincerum fuiſſe nullus dubitet, ſed quibuſdam propriis opinionibus obliquè abductum. In uno ſanè nequaquam excuſari poteſt, quòd nulla unquam authoritate firmat quæ ſcribit, quod cuivis condonari nequit ſcribenti de rebus ante ſuam ætatem geſtis, novaque & eatenus incognita referenti. Adeo ut quibus fundamentis nixus majorem libri ſui partem contexuerit conjectare tantùm nobis liceat, plures autem in ſuis conjecturis ad ipſi favendum haud multùm proclives ſint. *Burnetti* Præf.ad 1. part.Hiſt.Reform.Angl.

In omnibus ejus Libris Stylus ejus blandus & tamen maſculus eſt, ſenſus ejus plenus & copioſus, ejus verba clara & intellectu facilia, ejus notiones numeroſæ ac perſpicuæ, ejus Argumenta appoſita, momentoſa,& evincentia. Hujuſmodi perfectiones, quæ in uno Individuo rariſſimè concurrunt, Doctori *Heylin* inerant in eminenti & ſupremo gradu, videlicet judicium ſolidum, acutum ingenium, fœta & opulenta phantaſia, Memoria tam prodigioſa, prompta & tenax, ut plerarumque omnium Artium & Scientiarum Apotheca fuerit. Quodque maximè mirum eſt, neque ætas, neque ærumnæ detrimentum ei attulerant. Nam plura erudita volumina, quæ nomen ejus præ ſe ferunt, poſtquam viſu orbatus eſſet, ſcripta fuerunt. Hìc autem præterire nequeo debitum illum characterem quem illi tribuit Doctiſſimus quidam vir, nunc vero Eccleſiæ noſtræ Præſul, quòd nimirum Doct. *Heylin* nullum unquam ſcripſerit librum, quantumvis mediocre ac è trivio ſumptum foret ejus argumentum, quin dignus idem fuerit qui à Doctis legeretur. Alius verò celebratiſſimus Profeſſor, jam, Oxonienſis, cùm ipſum officioſè aliquando inviſiſſet, domum rediit ſumma cum admiratione incomparabi-

Digitized by Google

lis ejus peritiæ, dicens ſe nullum unquam Academicæ Cathedræ Doctorem audiviſſe qui copioſiùs magiſque dilucidè de quovis Argumento judicium ferret quàm Doctor noſter fecerat, de variis Theologicis capitibus ſibi propoſitis. Adeo ut quod de *Catone Livius* aſſerit, abſque ullo veritatis diſpendio de hoc venerando Viro affirmari poſſet, *Natum ad id diceres, quodcumque ageret. Georgius Vernon* Rector *Bortoni ad Aquam* in Comitatu *Gloceſtriæ*, in Vita Petri *Heylin* excuſa *Londini* anno 1682. p. 253. 254. Angl.

Ejus Hiſtoria S. *Georgii* à Doctore *Hakevvill* agri *Surrejenſis* Archidiacono multùm impugnata eſt, in Libello, quem contra eam ſcripſit, calumniis referto. Poſteà verò *Hakevvillus* in libro cui *Naturæ Apologiam* titulum fecit, omnia à ſe in libello prædicto, contra hanc Hiſtoriam prolata, æquiſſimo animo retractavit.

Obiit *Weſtmonaſterii* 8. Maii in ipſo *Aſcenſionis* die 1662. & in ejuſdem Eccleſię Choro ſepultus eſt, juxta ſedem Subdecani. Verùm *Cenotaphium* ad Aquilonarem parietem extra Chorum erigitur, cum hoc Elogio à Doctore *Johanne Earle*, ejuſdem Eccleſiæ tunc temporis *Decano* compoſito:

Hîc jacet è propinquo Depoſitum mortale *Petri Heylin* S.T.D. hujus Eccleſiæ Præbendarii & Subdecani, viri planè memorabilis, egregiis dotibus inſtructiſſimi, ingenio acri & fœcundo, judicio ſubacto, memoriâ ad prodigium tenaci; cui adjunxit incredibilem in ſtudiis patientiam; quæ, ceſſantibus oculis, non ceſſarunt. Scripſit varia & plurima, quæ jam manibus hominum teruntur, & argumentis non vulgaribus ſtylo non vulgari ſuffecit. Conſtans ubique Eccleſiæ & Majeſtatis Regiæ Aſſertor, nec florentis magis utriuſque quàm aſflictæ: Idemque perduellium & ſchiſmaticæ Factionis Impugnator acerrimus: Contemptor Invidiæ, & animo infracto. Plura ejuſmodi meditanti mors indixit ſilentium; ut ſileatur efficere non poteſt. Obiit anno Ætat. 63. Poſuit hoc illi mœſtiſſima conjux.

CASPAR BARTHIUS.

Clar. An. D. MDCXXXV.

NObilis *Saxo*, natus eſt Anno 1587. obiit Anno 1658. Concinnavit admirandum Opus *Adverſariorum*: Commentaria in *Claudianum*, *Statium Papinium*, *Guilhelmum Britonem*, *Mamertum*, & alios. Pietatem ejus ſatis oſtendit elegantiſſimum Opus *Soliloquiorum*. Aiunt ipſum cxx. *Adverſariorum* libros reliquiſſe, prioribus multò meliores. *Konig.*

Gaſpar Barthius, immortale *Germaniæ* ornamentum. *Dilher.* in Diſputat. Acad.

Clariſſimum illud *Germaniæ* lumen *Barthius* incomparabili *Adverſariorum Idem* ibid. Tom. 2.

Gaſpar Barthius Criticus, & Philologus multæ eruditionis. *Jo. Card. Bona.*

Barthius

Digitized by Google

Barthius vir multæ quidem lectionis, ſed naris haud prorſus emunctæ. *Paul. Colomeſ.* Opuſc.p.250.

Caſpar Barthius, vir doctiſſimus, & propè infinitæ lectionis. *Voſſ.* Inſtit. Poët. lib.2.p. 30.

Virum [*Barthium*] narramus generis & famæ claritudine, elegantiſſimarum Artium, tum *Græcarum* tum *Latinarum* cognitione, veræque ſapientiæ Profeſſione excultiſſimum, cui parem inexhauſtæ Doctrinæ Opibus *Germania* vix habuit, & quo in primæ, mediæ, infimæ Antiquitatis Scriptoribus, iiſque ſive *Chriſtianis* ſive *Gentilibus* luculentiùs verſatum *Exteri* vix poterunt oſtendere, imò cujus virtutem juvenilem ac cordatos auſus *Joſephus Scaliger* ſuſpexit adeò, ut divinationis inſtar hanc illi de *Barthio* vocem excidiſſe compertum ſit, *Natum eſſe adhuc unum æternitati ingenium, quod ſi ad maturitatem perveniret, literas aliquandiu vivere poſſe. Theodor. Spizel.* in Templo Honor. Reſerat.

Quanta in talibus, & præcipuè, quod Auctores ipſos attinet, major hodie Philologorum pars ignoraret, abſque eo [*Barthio*] fuiſſet: Etiam eo adoleſcenti uti Doctore non erubuerunt *Taubmannus, Siberus, Schmidius.* Quæ *Gruteri*, aliorumque apud exteros Virorum de eo tum lata fuerint judicia, domi eorum literæ aſſervatæ partim, partim lectæ docent. Diligentia & labor in eo ſtupendus, ſi tantum cogito quæ habeo & vidi inedita, nec unquam edenda. *Chriſtoph. Daumius* in Epiſt. ad *Thom. Reineſ.* dat. die 28. Decemb. Anni 1650.

In ſinu gaudeo, frivola mea eâ felicitate fuiſſe, ut inciderent in Cenſorem talem. Cl. enim *Barthium*, at quem virum eſſe certis documentis ſcire videor. Judicium verò ejus, qui de omni genere *Scriptorum* pronunciare præſumpſit fecitque luculentiſſimè, ſuſtinere non eſt in laude ultima. *Thom. Reineſ.* in Epiſt. dat. *Altenburgi* die 5. Aug. 1637.

Pauci *Critici* plures Authores quàm ipſe mendis expurgaverunt. Hæc publica ejus profeſſio fuit atque occupatio. Commentarios reliquit in *Claudianum, Statium, Gulielmum Britonum, Mamertum* &c. In *Virgilium* etiam laboravit, in *Petronium, Rutilium*, Epiſtolas *Plinii* junioris, alioſque Authores, ſed præcipuum ejus Opus ſunt ejus *Adverſaria* in 60. libros diviſa, quæ apud plurimos, præſertim verò apud *Germanos* in pretio & exiſtimatione ſunt. *Barthius*, ut perhibent, 120. alia *Adverſaria* prioribus adhuc præſtantiora moriens reliquit; Et in omnibus ejus impreſſis operibus honeſtatis & modeſtiæ characterem quendam cernere eſt, qui eorum meritum illuſtrat. Quidam tamen animadverterunt eum, quando judicia ſua format, memoriæ defectu in contradictiones interdum labi. Judicia Eruditorum per *Bailletum*, Pariſ. 1685. Gallicè.

Ingens apud Barthium occurrit numerus Citationum quæ nihil continent, quæque ad hoc tantum conſarcinatæ videntur, ut vaſtam lectionem & felicem memoriam oſtentent. *Biblioth. Univerſalis & Hiſtorica*, anni 1687. Tom.5. pag.237. Gallicè.

Copiâ lectionis inexhauſtâ, memoriæ promptitudine ſtupendâ, judicii gravitate ſummâ, & ingenii præſtantiâ incomparabili Philologus excellentiſſimus.

 Omnis

Omnis eruditionis antiquæ penu. Quemadmodum vel unicum illud *Adverſariorum* volumen, cujus ſimile nunquam ab uno homine in literas miſſum, teſtatur. *Varro* alter, ſi quiſquam, meritò dicendus, qui tam multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacarem itemur, tam multa ſcribit, quàm vix quendam legere poſſe credamus. *Tobias Magirus:* in Eponymol. Critico.

Gaſpar Barthius de omni eruditione humaniori benè meritus, & præſertim de *Claudiano*. Cenſere aliorum *Poëmata* maluit, quàm multa ipſe ſcribere: quoties tamen iſtuc eum rapuit impetus, ſatis docuit nihil ſibi in arte universâ invium eſſe. *Borrich.* de Poët. p. 125.

Extant Adverſariorum libri 60. *Franc.* 1624. Fol. Alia ejus Opera variis in locis atque temporibus impreſſa ſunt.

DAVID BLONDELLUS.

Clar. An. D. MDCXL.

GAllus, obiit *Amſtelodami*, ſexto die Aprilis Anno Dom. 1655. annoque ætat. 64.

Scripta ejus ſunt: Libellus de *Joannâ Papiſsâ*----Apologia pro ſententia S. *Hieronymi* de Epiſcopo & Presbyteris---De Primatu Eccleſiæ---Aſſertio Genealogiæ *Franciæ*---Tractatus de *Sibyllis*----De Formulâ, regnante *Chriſto*----*Iſidorus* Vapulans---De Euchariſtia, &c.

David Blondellus, Gente *Gallus Cabilone* in *Campania* ortus eſt. A teneris annis miram in Literas propenſionem oſtendit, in iis ſatis felicem ſucceſſum nactus eſt: Eruditas enim addidicit Linguas ac Theologiam: ſed Hiſtoriæ præſertim ſeſe addixit. Dominus *Blondellus* feliciſſima, ſi quis alius, memoria pollebat, id ei maximo ad propoſitum iſtud emolumento fuit; magno etiam ingenii acumine præditus erat, quo utiliter ad novas detectiones uſus eſt---Vir frugi erat, lectionis prodigioſæ, rerum maximarum capax; & quamvis nec *Gallicè*, nec *Latinè* ritè ſcripſerit, ejus tamen opera eruditione mirifica fœta ſunt quæ illa reddit digna Eruditorum curioſitate. *Moreri* Diction. Gall.

Blondellus vir inter Religionis ſuæ conſortes parem in *Criticis* fortaſſe non agnoſcebat, ſi verò errores in illis commiſerit ejus fortunæ commodis potius quàm vel ignorantiæ, vel præjudiciis, ii ſunt aſcribendi. *Judic. Eruditorum.* Pariſ. 1685. Gall.

Doctiſſimus ille temporum magiſter *Blondellus*. *Tanaq. Faber.* part. 1. Epiſt. p. 148.

Nunquam *Græca Eccleſia* tantum *Zonaræ, Balſamoni, Nilo, Græciſ*que aliis debuit, quantum nunc *Blondello*. Præter lectionem & multiplicem & diligentem amo valdè methodum & perſpicuitatem. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Sarravium, Lutet.* 7. Jul. 1639.

Blondellus, magnæ vir diligentiæ, ſed ſuæ parti ſupra æquum addictus. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Voſſ. Lutet.* 2. Aug. 1643.

Blondelli omnia videre deſidero. Eſt enim peritiſſimus Hiſtoriæ, ſed nonnunquam

Digitized by Google

quam tranſverſum eum agit pars illa cui ſe addidit. *Idem* Epiſt. ad eundem 15. April. 1645.

David Blondellus, vir doctiſſimus, adversùs *Chifletium* ſcribere juſſus, non rarò facit, quod in adverſario reprehendit, neque ſemper penſi habet, quid ſcribat, dummodo cauſæ ſuæ ſerviat: quanquam profectò hoc non eſt cauſæ ſervire, ſed nocere, ſi quis ſtudio certandi proxima quæque arripit, cenſet, vexat, neque de ulterioribus & citerioribus cogitat. *Io. Boecler.* in diſſert. de S.R.J.

Privata auctoritate ſtylum publicum totius Europæ corrigere auſus. *Ibid.* Voc. Romanum.

Prout in partes ſibi inviſas aut dilectas incidit, in contraria quaſi ventô circumagitur. *Ibid.*

Incomparabili labore conſcripſit accuratiſſimam *Cenſuram Decretalium Iſidori. Conring.* de O.J.G.c.16. ubi & c.17. Opus iſtud præclariſſimum vocat.

Stupendæ vir induſtriæ. *Idem* ad part. 1. Lampad. c.6.

Spirans illa Bibliotheca omniſque antiquitatis hiſtoricæ theſaurus, celeberrimus D. *David. Blondellus. Schoock.* in Fab. Hamel. p. 91.

David Blondellus, vir Antiquitatis Hiſtoriæque *Eccleſiaſticæ* ſingulariter peritus. *Valent. Henr. Vogler.* Introd. Univerſ. in Notit. Script. c.6.

Nemo fere eſt eruditorum, ſacra præſertim tractantium, qui vel ex ipſis tuis doctiſſimis laudatiſſimiſque lucubrationibus non perſpexerit, vel ex famâ ſaltem non didicerit, quanta tua ſit in omni literarum genere excellentia, & quàm accurata Antiquitatum, maximè Eccleſiaſticarum notitia: quarum tamen omnium Auctores ſic triviſti, omnes ſinus atque anfractus ſic explorasti, omnia ſecula, tempora, ac penè momenta ſic ad unguem indagata calles, ut prodigii inſtar ſit, unum hominem res tam abditas eruere, tam involutas explicare, tam diverſas, tamque innumerabiles animo omnes amplecti ac memoria tenere potuiſſe *Io. Dallaus* Præfat. Apolog. pro Eccleſ. Reform.

Percurri cum voluptate D. *Blondelli* Diatribam de *Suburbicariis*: de ipsâ re nunquam aliud quàm ipſe ſenſi. Non poſſum ſatis laudare viri ſummam diligentiam defæcatumque judicium. *Hug. Grot.* Epiſt. 183. ad *Claud. Sarravium*.

Blondelli diligentiam pridem admiratus; quò plura ejus lego, eò admiror magis. *Grot.* Epiſt. ad *Sarrav.* 18. Jan. 1640.

In Antiquitate Eccleſiaſticâ verſatiſſimus fuit *Blondellus. Rivet. Grot.* deſcript. dialyſ. §. 10.

David Blondellus inter omnes Miniſtros, qui Reformatos ſe vocant, Hiſtoriæ Veteris peritiſſimus *Rivet.* Apologet, Diſcuſſ.

Blondellus vir piiſſimus, & ſupra fidem in rebus Eccleſiaſticis doctus. *Bochart.* in Epiſt.

Ac *Sibyllina* quidem Carmina, & priſcis Urbis ad *Siricium* Epiſcopis affictas (impudentiâ an ſtultitiâ majore incertum) à *Lucumone* neſcio quo Epiſtolas *Blondellus* noſter ὁ μακαρίτης pro ſtupendâ illâ, quâ pollebat, eruditionis *Eccleſiaſticæ* copia ita accuratè excuſſit, ita omnia novitatis & impoſturæ argumenta patefecit, ut omnibus & noſtratum, & alterarum partium hominibus, æquis quidem & can-

Digitized by Google

didis aſſentiendi neceſſitatem, pervicacibus verò & φιλομύθοις diſſentiendi pudorem injecerit. *Jo.Dal.*in Epiſt.ad *Sam.Bochart*.lib.de libr.ſuppoſ.*Dionyſ.* Areopag. & *Ignat.* Antioch. præfix.

Extat de *Joanna Papiſsâ Latinè*, *Amſtelod.*1657.8°.

Extant Pſeud-Iſidorus & Turrianus vapulantes, *Geneva* 1628. 4°.

Extat Apologia pro ſententiâ *Hieronymi* de Presbyteris & Epiſcopis: *Amſtelod.*1646. 4°.

RENATUS des CARTES, ſive CARTESIUS.

clar. An. D. MDCXL.

NObilis *Gallus*, Philoſophus hujus ſeculi celeberrimus. In *Turonibus* natus, ſtirpe fuit, in *Aremoricâ*, & *Pictonibus*, illuſtri: à primâ juventâ ſtudiis deditus, in Philoſophiâ,& Mathematicis,ſtupendos fecit progreſſus: Arma dein in *Germaniâ* & *Hungariâ* feliciter circumtulit. Hinc Philoſophiâ ſeceſſum poſcente, *Egmontium* in *Hollandiam* conceſſit,ibi annos 25. commoratus; Edidit hìc primò *Meditationes* primæ Philoſophiæ, quibus cùm varia objicerentur, omnibus eruditè & ſolidè ſatisfecit. Intereà ex omnibus orbis partibus per Epiſtolas laceſſitus, ut velut *Oraculum* quoddam reſponſa daret.Dein *Pariſios* veniens, à *Ludovico* XIII. & *Card. Richelio* invitatus eſt, ut ibi ſedem figeret: Sed *Aulam Muſis* non convenientem ratus excuſavit ſe. Nihilominus *Chriſtinæ Suecorum Regina* frequenti rogatu *Holmiam* venit, ut ſingulis diebus horâ quintâ matutinâ in Bibliothecâ ejus illam inſtrueret. Sed paulò poſt obiit vir incomparabilis Anno 1650. ætatis 54. *Hofman.*

Scripſit Dioptricam: Geometriam: Principia Philoſophiæ: Meteorologica: Epiſtolas: De Homine: De Paſſionibus, &c.

Nobilis *Carteſius*, Philoſophorum hoc ævo Coryphæus, omni laude dignus propter acumen & ſolertiam, & Heroicos conatus in promovendo Philoſophico ſtudio. *Sam. Mareſ.* Theol. Elenchtic. Nov. Synopſ. Tom. 2. Controverſ. 21.

Fortunatus Plempius eum *Renatum Democritum* vocare ſolebat.

Fuit profectò *Carteſio* ingenium erectum, & indagandæ *Veritatis* avidum, & ſuſcepto par negotio, niſi viventi præſidia, tandemque vita defuiſſet: ſumma fuit *Mathematicarum* diſciplinarum peritia,quarum tam immodico flagrabat ſtudio, cæteras ut omnes ſub earum Præſcripta redactas vellet; id quod optandum, ſed materiæ conditione vix ſperandum permittitur: fuit acre limatumque judicium, & niſi liquidæ ac prope dixi tractabili demonſtrationi cedere neſcium, ſed nimis anxium in rebus præcipuè *Metaphyſicis* & *Ethicis*, quas *Mathematicâ* perſequi diligentiâ ἡ ὑποκειμένη ὕλη non patitur: fuit denique tanta in *Commentando* felicitas, ut *Ariſtotele* commodiùs, addo & veriùs, in *Phyſicis* permulta docuerit. Et hoc negare non eſt niſi malignorum. Sed an ideò *Ariſtoteli* comparandus? Riſum vix tenebam, nuper, cùm in *Aulicos* incidiſſem, qui de *Ariſtotele* contemptiùs quàm de Diſcipulo, de *Carteſio* magnificentiùs quàm de *Magiſtro* loquebantur.

Et

Digitized by Google

Et ita judicare *Sciolorum* demum eſt. Nos laudamus *Carteſium*, *Ariſtotelem* admiramur. Abſit invidia dicto: non dicam centum, ſed compluria tamen ex ſummis ætatis noſtræ ingeniis in unum conflari oporteret, ut *Ariſtotelem* redderent. *Alex. Murus* in Præfat. præfix. *Euſebii* Chronic.

Renatus Carteſius: vir proculdubiò optimus atque ingenioſiſſimus, ac ſeriò Philoſophus, & qui videtur ad Philoſophiæ hujus [De *Materia* & *Motu*] contemplationem ea attuliſſe auxilia, qualia fortaſſis nemo unquam alius; intelligo eximiam in *Mathematicis* peritiam; animum naturâ atque aſſuefactione meditationis patientiſſimum; judicium præjudiciis omnibus &, popularium errorum laqueis exutum, extricatumque, quinetiam plurimis iiſque non niſi certiſſimis & ſelectiſſimis experimentis inſtructum: abundans otium, ab inutilium librorum lectione, & avocamentis ſeculi electione propriâ immune, ne memorem incomparabile ingenii acumen, & facultates quibus præſtabat eximiis tam clarè & diſtinctè *cogitandi*, quam mentem ſuam paucis verbis admodum plenè ac dilucidè explicandi. *Iſaac. Barrow.* in Opuſc. p. 156.

Carteſii Epiſtolæ pleræque Phyſici Argumenti ſunt. Novæ Philoſophiæ autor fuit *Carteſius*, quæ tamen non ita nova eſt, ut non apud Antiquos ejus Dogmata appareant, ut per ſingula capita facilè demonſtrari poſſet. Fuit qui illa ex *Moſe* deducere voluit; primis ſcilicet *Geneſeos* capitibus, quod ipſi *Carteſio* ne quidem per ſomnium in mentem veniſſe opinor. Ejus *Hypotheſes* vix per ſe ſunt intelligibiles, niſi illuſtrentur vivâ doctrinâ. *Mathematicas* certè corporum affectiones, & quicquid ab iis operationum dependet in naturâ, ut ſunt permultæ, nemo profundiùs & exquiſitiùs demonſtravit, quàm *Carteſius*. Poſt mortem ejus editæ ſunt Epiſtolæ in 4°. *Lugd. Batav.* quæ ad viros doctos ſcriptæ ſunt ſuper dubiis Philoſophiæ ſuæ locis. Nullo itaque ex Commentario meliùs intelligi poteſt doctrina *Carteſiana*, quam ex iſtô, quem præbent Epiſtolæ. Multa illic proponuntur rariora naturæ Φαινόμενα, in quibus explicandis illic ſuum exercuit ingenium. *Gallicâ* etiam linguâ plures ſcriptæ. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 297.

Domini *Carteſii* acumen admirationi meritò fuit. Et ſanè Geniis qui hoc poſtremò ſeculo claruerunt ſupra vulgus elatiſſimis accenſendus eſt, ingenii fœcundi reconditæque eruditionis. Ejus Syſtremo ritè diſpoſitum, Doctrinæ ipſius concatenatio ad ejus ſcopum tendens, ejuſque ordo bene excogitatus deprehenditur. *Moreri* Diction. Gallico.

Meditationes ejus Metaphyſicæ, ad Seculi noſtri gloriam arguunt neminem ante ipſum hoc Argumentum (*quòd nimirum Deus* exiſtat, *Animaque noſtra immortalis ſit*) tam profundè, tam evidenter tamque ſolidè pertractaviſſe. Et ſanè quemadmodum Poëtæ *Minervam* è Jovis cerebro naſci finxerunt, ille *Principia* ſua è naturali ratiocinio deducit, *Philoſophiamque* intra *Ideas* noſtras naſci facit. Hoc pacto liberat illam ab opinione cui à Sophiſtis mancipata detinebatur, ut in Certitudine illam fundet. Illam ingenioſis ſuis dubiis infallibilem reddit; detractoque velo, quo menti noſtræ occultabatur, faciei ejus apertum intuitum nobis permittit.—Methodus ejus præclariſſima Europæ ingenia ſtupefecit,

quæ

quæ Argumentationibus Scholæ aſſueta, ejus Axiomata prima fronte ægrè quodam modo deguſtaverunt. Qui illa oppugnaverunt ſunt *Caterus Belgii* Theologus eruditus, *Hobbes* celebris Philoſophus *Anglus*. *Arnaldus Andillius Sorbonæ* Doctor unus è præclariſſimis Galliæ geniis. *Petrus Gaſſendus* Vir in humanioribus literis & in Philoſophia verſatiſſimus: poſtremus, iſque omnium concitatiſſimus Loyolita quidam. His plures alii Theologi atque Philoſophi operam ſuam addiderunt. Objectionibus ſuis ſubruere anniſi ſunt recentiorem hanc Philoſophiam quam *Carteſius* antiquæ ruderibus ſuperſtruebat, verùm poſt multos conatus irritos plurimi fundamenta ejus inconcuſſa deprehenderunt. *Iſ. Bullart.* in Acad. Scient. Gall.

Hunc Tractatum (de Homine) uſque adeo confuſum reliquerat D. *Carteſius*, ut à nemine intelligi poſſet, niſi D. *Clercelier* ejus materiam ordine diſpoſuiſſet, eundemque Dom. de *Forge* & *Guſcoven* figuris illuſtraſſent. Erudit. *Ephemerides Gallica*, diei Lunæ 5. Jan. 1665.

Ultrajectini quidam Theologi *Carteſium* infamare moliti, publicè ſcripſerunt ejus Philoſophiam effræni vitæ favere & ad Atheiſmum deducere. Nullo fundamento nitebatur ejuſmodi calumnia; nullus enim Philoſophus tantam adhibuit operam ad *Dei* exiſtentiam & Animæ rationalis immortalitatem demonſtrandam; omneſque vitæ ſuæ actiones tam ritè compoſuit, ut ejus mores Doctrinæ ſuæ conformes ſemper fuerint. Illum tamen in Publicis Theſibus impietatis accuſarunt, plures ejus Opiniones ab *Univerſitate* Civitatis ſuæ damnari curaverunt; quoniam autem illis paulò vehementiùs reſpondit, criminis litem ipſi intentârunt, pluresque adverſus ipſum judiciales ſententias obtinuerunt; ſed criminationem prorſus diluit, amplâ Apologiâ in qua apud *Ultrajectinos* Magiſtratus de iniquis judiciis in ſe latis conqueritur. Ibidem die Lunæ 31. Jan. 1667. Gall.

Ex omnibus qui in ejus Dioptricam ſcripſerunt, nemo illam tam acriter impugnavit ac D. de *Format. ibid.*

Iis quæ de Adverſariorum ſuorum Operibus dicit nimia non eſt adhibenda fides: Fatendum eſt enim illum ex animi impotentia nimis contemptim de illis quandoque loqui, omneſque alios eruditos judicium valde diverſum de iiſdem pronunciaſſe. *Ibid.*

Denique ut Genti noſtræ & *Carteſii* memoriæ debitam laudem tribuamus, fateamur Phyſicam ejus ſubtiliſſimis & abſolutiſſimis recentioribus annumerandam eſſe; curioſas ideas & egregios mentis conceptus continet; cumque attentius eadem conſideratur, melius ordinatum Doctrinæ Syſtema quàm apud *Galilæum* & apud *Anglos* in ea reperitur: imò plus novitatis & inventionis quàm apud *Gaſſendum* in ea occurrit. Verbo ut abſolvam, Opus hæc eſt, cujus ordo optimè excogitatus eſt. Methodus ejus penitus eſt Geometrica, quæ à principiis ad principia, à propoſitionibus ad propoſitiones procedit. *Rapinus.* Animadverſ. in Phyſicam §. x. Gall.

Verum

Digitized by Google

Verum quidem eſt illum dubitationem nimis docere cujuſmodi exemplar imitandum ingeniis natura ſua incredulis haud aptè proponitur. *Idem* in Philoſophiam §. 18.

Carteſius omnia in dubium revocari voluit, ut eâ ratione ſummam de omnibus certitudinem inveſtigaret; at exitu tam infelici, ut tandem magno ſudore atque majori apparatu nihil niſi *ſe eſſe* probaverit. Quod tamen opinor ſimplici intuitu, ſine ſolenni iſtâ diei indictione, ſine prolixâ meditationum ſerie, ſine tanto ſyllogiſmorum ſtrepitu, ſat notum ſibi habere potuiſſet. *Sam. Parker.* in Diſputat. de *Deo*, & Provident. Divin. Diſput. 6. §. 16.

* *Renati Des-Cartes* Opera ſequentia prohibentur, donec corrigantur: De Primâ Philoſophiâ, in quâ *Dei* exiſtentia, & Animæ Humanæ à Corpore diſtinctio demonſtratur---Notæ in programma quoddam ſub finem Anni 1654. in *Belgio* editum---Explicatio mentis Humanæ---Epiſtola ad *Petrum Dinet* Soc. Jeſu per *Franciam* Præpoſitum Provincialem---Epiſtola ad celeberrimum virum D. *Gisbertum Voetium*, in quâ examinantur duo libri; &c.---Paſſiones Animæ---Opera Philoſophica. *Index Romæ* Impreſſ. Anno 1681.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Hoc ejus Epitaphium:

D. O. M.

Regnante

Chriſtinâ, Guſtavi *primi Pronepte*, *Magni filiâ*, *Avorum incepta*, *Patriæque terminos victoriis novis promovente, pacem demùm armis quæſitam Artibus ornante: accitis undique Terrarum ſapientiæ Magiſtris, ipſa in exemplum futura*, Renatus Deſcartes *ex Eremo Philoſophicâ in lucem, & ornamentum aulæ vocatus, poſt quartum Menſem morbo interiit, & ſub hoc lapide mortalitatem reliquit Anno Chriſti* CIↃ. IↃCL *vitæ ſuæ* 54.

In Effigiem *Carteſii* hæc Carmina compoſuit Anonymus quidam:

Talis erat vultu Naturæ *filius: unus*
Qui menti in matris viſcera pandit iter.
Aſſignanſque ſuis quævis miracula cauſis,
Miraculum reliquum ſolus in orbe fuit.

JOANNES DALLÆUS.

Ecclesiæ Reformatæ *Pariſienſis*, quæ *Carentone* ſuos cœtus habuit, Paſtor. In *Galliâ* natus eſt ſexto die *Ianuarii*, Anno Dom. 1594. Obiit *Pariſiis* 15. Clar. A. D. MDCXL.

Digitized by Google

die Aprll. Anno Dom. 1670. ætatis 77.

Scripſit de Uſu Patrum. Multaque alia.

Dallæus, Theologus, pietate & eruditione nulli ſecundus *Hofman.*

Dallæus vir multæ ac variæ Lectionis. *Tanaquil. Faber* l. 1. epiſt. p. 140.

Ioannes Dallæus Eccleſiaſtes *Pariſienſis* in erudito ſuo opere, cujuſmodi ſunt omnia illius, de *Uſu Patrum Sam. Mareſ.* Theol. Elench. Nov. Syn. Tom. 2.

Vir Antiquitatis Eccleſiaſticæ promus condus feliciſſimus, *Ioh. Dallæus. Hottinger.* Biblioth. Quadripart. p. 218.

Ioannes Dallæus in SS. Patrum monumentis diligenter verſatus, in diſcernendis operibus ſpuriis admodum acutus. *Ioan. Pearſon.* in Vindic. Epiſt. S. *Ignat.* pag. 1.

Dallæum magno in honore habuerunt incomparabiles illi viri *Baro* de *Faukland*, & *Gulielmus Chillingworth*: qui in Scriptis ſuis adverſus Pontificios hoc Autore ſæpiùs uſi ſunt.

Proteſtantem *Perronium* vocat *Baro* de *Faulkland.*

Dallæum quidem ſummo ingenio, præſtanti eruditione ac doctrinâ, nec minori pietate virum fuiſſe, & de *Eccleſiâ Reformata* plurimis in rebus optimè meritum, ultrò omnes hîc confitemur. Verùm id malè nos habet, quòd ille contra *Eccleſiam Romanam* diſputans, noſtram etiam, tanquam iiſdem erroribus obnoxiam, ſub communi *Latinorum* nomine indiſcriminatim oppugnarit, nuſquam diſtinguens inter eoſdem ritus ut à *Romanâ* atq; à *noſtrâ* Eccleſiâ uſitatos, etiamſi plurimum intereſſe benè nôrit. *Gul. Bevereg.* in Procem. Cod. Canon. Eccleſ. Primitiv.

Franciſcus Turrianus, Jeſuita, librum ſingularem edidit, quo probare conatus eſt. *Canones* vulgo *Apoſtolorum* dictos, ab ipſis *Apoſtolis* conſtitutos, & à ſanctiſſimo eorum diſcipulo *Clemente Romano* literis mandatos, atque in eam, quam hodie habemus, formam redactos eſſe. Hanc *Opinionem* vir egregiè doctus, & in *Antiquitate*, præſertim *Eccleſiaſticâ*, verſatiſſimus, *Ioannes Dallæus*, multis, iiſque ſolidiſſimis argumentis refutavit. Sed quod commune eſt hominum etiam eruditiſſimorum fatum, in refellendâ iſtâ *Turriani* ſententiâ ſummè occupatus, præ nimio incenſi in eam animi ardore, eò tandem devenit ut omni aſſeveratione affirmarit, hanc *Canonum* Collectionem non tantùm non ab ipſis *Apoſtolis*, vel à viris *Apoſtolicis* compoſitam eſſe, ſed ab *Hæretico* neſcio quo tenebrione conſarcinatam, eamque nec ante quintum illudque adultum à *Chriſti* incarnato ſeculum *Eccleſia Chriſtianæ* innotuiſſe, & quinto exeunte jam primùm extitiſſe, publicarique cœptam eſſe. Quod quidem non eſt à delirâ *Turriani* opinione tantùm recedere, verùm etiam in aliam ei ex diametro contrariam ſeſe præcipitare. ------Nos quidem mediam inter duas iſtas extremas, *Turrianicam* ſcilicet & *Dallaanam*, opiniones amplexi ſumus: Hos ſcilicet *Canones* nec ab ipſis Domini *Apoſtolis* Anno Dom. XLV. ut vult *Turrianus*, conſtitutos eſſe, nec tamen quinto exeunte ſeculo eos primùm extitiſſe, vel publicari cœptos eſſe, ut hariolatus eſt *Dallæus*, ſed medio inter ea tempore, ſecundo videlicet exeunte, vel tertio

Digitized by Google

tertio ſaltem ineunte ſeculo conſtitutos pariter editoſque fuiſſe. *Idem* in Cod. Canon. Ecclеſ. Primitiv. &c. l. c. 1.

In diverſas admodum ſententias abeunt Operis de *Uſu Patrum* cenſores. Id magni faciunt Presbyteriani: *Angli* verò Epiſcopales idem parvi æſtimant. Lectori utras ipſi libuerit partes amplecti permitto. *Paulus Colomies* in ſua Sel. Bibliotheca. Gall.

Cum aliquando Pariſiis Dominum *Valleſium* primogenitum conveniſſem, inter alia mihi dixit plurimos eſſe qui libros conſcribere ſibi ſumebant, ſed perpaucos ſibi notos qui *Dallaum* in ſcribendo æquarent. *Paulus Colomies*. Opuſc. p. 95. Gall.

Licèt quidquid operum hactenus edidiſti, vir Reverende, mihi plurimùm placuerit, tuaque omnia, cùm *Latinè* tum *Gallicè* ſcripta, æquali plauſu ab eruditis, atque adeò piis omnibus, excepta ſint diffiteri tamen non poſſum, laborum tuorum primitias, Tractatum nempe tuum de *Patrum* in decidendis de *Religione* Controverſiis *Uſu*, me plurimùm ſemper cepiſſe. Non ſolùm enim Opus iſtud mira rerum lectu & ſcitu jucundiſſimarumque varietate refertum eſt, verùm etiam eloquentia orationiſque nitor cum rebus ipſis certant, tantâque eruditione & facundiâ argumentum illud pertractaſti, ut vix quicquam magis elaboratum erudito hoc ſeculo prodiiiſe videatur. *Ioann. Mettayer* in Epiſt. ad *Dallaum*, quam præmiſ. lib. de Ver. Uſ. PP.

* *Ioannis Dallei* de duobus *Latinorum* ex *Unctione* Sacramentis, Confirmatione, & extremâ, quam dicunt, *Unctione*, Diſputatio, inter Prohibitos habetur libros in Indice *Romæ* impreſſo Anno 1681.

Varia ejus Opera variis in locis atque Temporibus ſunt impreſſa.

HENRICUS HAMMONDUS.

ANglus, *Suthrienſis*, natus anno Dom. 1605. die 18. Auguſti, apud *Cherſey*, S. T. D. Archidiaconus *Siceſtrenſis*. Obiit Anno Dom. 1660. Ætatis 55. Scripſit Annotationes in Pſalmos, atque in Novum Teſtamentum, multaque alia. Clar. A. D. MDCXL.

Ex omni illo *Commentatorum* numero, qui in *Pſalmos* ſcripſerunt, de Neotericis loquor) ut *Calvinum*, *Muſculum*, *Lorinum*, *Mollerum*, alios omittam, duos præcipuè & præ aliis maximè adjumento fuiſſe fateor. Ii ſunt, *Simeon* de *Muis*, in *Commentario*, de quo jam antea dixi, & noſter *Hammundus*, ὁ μακαρίτης, in Paraphraſi ſuâ & Annotationibus vernaculo ſermone ſcriptis: (utinam verò, hæ & illæ alteræ in *Novum Fœdus*, *Latinè* loquerentur, quò & ad *exteros* etiam dimanaret tantus theſaurus;) nobile par *Interpretum*, me quidem judice, & qui in indagando eruendoque literali (quem vocant) ſenſu *Textus Davidici*, ſagaciſſimi feliciſſimique. *Iacob. Duport*. Præfat. ad Metaphraſ. Pſalm.

Doctiſſimus *Hammondus*, etiam noſtras, in *Pſalmos* ſcripſit in quo multa reperiet Lector acumine pluſquam vulgari, parique eruditione, conſcripta, non-

nulla etiam ſingularia. *Matth. Polus* Præfat. Tom. 2. Synopſ. Critic.

Clariſſimus *Hammondus* noſtras, anteà ſuo merito laudatus, in eruditiſſimis ipſius *Annotationibus* in N. T. in quibus non pauca ſunt planè ſingularia. *Idem* præfat. Tom. 4. Synopſ. Crit.

Neque enim ſi quod extaret, omiſiſſet hoc loco doctiſſimus *Hammondus*, cui omnis *Eccleſiaſtica Antiquitas* æquè ac domus ſua, nota erat. *Joan. Dall.* de lib. ſuppoſ. *Dionyſ.* & *Ignat.* p. 346.

Orat. Presbyt. *Simon* mentionem quoque nullam fecit celebris *Hammondi*, qui in *Pſalmos* & in *Proverbia* tam doctè ſcripſit, ne quid de cæteris ejus Operibus dicam. Author iſte qui dubio procul inter periti ſſimos ſeculi noſtri Criticos non ultimus eſt dignus erat qui inter Scripturæ Interpretes collocaretur, in quos Criticen ſuam exercere libuit Presbytero *Simoni*, ne tum propter magnam apud *Anglos* operum ejus celebritatem, ſed etiam quia pauci revera ſunt Commentatores apud quos adeo ſingulares Obſervationes reperiantur ac apud iſtum plerique omnes meri Exſcriptores ſunt vel *Epitomatores* eorum qui ante illos ſcripſerunt Hammondus verò quæcunque dicit è proprio penu ferè depromit. Iudicia Theologor *Hollandorum* 377. Gall.

Præclara naturalis ejus ſolertia, præclarior acquiſita. Per totam Artium Encyclopediam in linguis accuratus & eloquens erat, fidus reſpectu Veterum & recentiorum Scriptorum, in Philoſophia verſatus admodum, in Philologia verſatior, in Theologia Scholaſtica eruditus, in Eccleſiaſtica Antiquitate Magiſter, conſummatus in Patrum, Conciliorum, Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, & Liturgicorum notitia. Reverâ eminens intellectualibus ſuis Virtutibus, eminentior verò in Moralibus fuit. *Davidis Lloid.* Adverſaria. Anglicè.

Henricus Hammondus, vir planè ſummus, Theologus omnium conſummatiſſimus, eruditæ pietatis decus ſimul, & exemplar; Sacri Codicis Interpres facilè omnium oculatiſſimus, Errorum malleus. Poſt homines natos fœliciſſimus; veritatis Hyperaſpiſtes ſupra quàm dici poteſt nervoſus; in cujus Scriptis eluceſcunt ingenii gravitas & acumen, judicii ſublimitas & ἀκρίβεια, ſententiarum ὄγκος καὶ δεινότης, docendi Methodus utiliſſima, nuſquam dormitans diligentia. Vid. Epitaph. quod in memoriam *Hammond.* ſcripſit vir admodum Reverend. *Thom. Pierce* S. T. D.

Epitaphium ejus tale legitur in Opuſculis *Iſaaci Barrow*, p. 301.

Lege, Luge, Diſce.

Ne te prætergreſſum pœniteat, ſiſte pedem
Hic, & animum, Viator. Etenim,

Hic jacet *H. Hammond*, S. T. D. Theologorum ſui ſeculi Coryphæus. Literatorum princeps. *Anglicæ* Gentis decus. *Eccleſiæ* volumen. Veritatis aſſertor peritiſſimus. Pacis cultor devotiſſimus. Ordinis fautor ſtudioſiſſimus. Antiquitatis

Digitized by Google

tiquitatis genuinæ fidiſſimus Interpres, & propugnator acerrimus. Sanctitatis Magiſter præſtantiſſimus. Omnibus ornamentis inſtructiſſimus. Philoſophus ſolidè acutus, dilucidè ſubtilis. Orator inaffectatè politus, nervosè copioſus. Diſputator vehemens, extra acerbitatem. Egregius Criticus, atque ſuperbiâ tamen aut ſupercilio. Lectionis infinitæ, ſed exquiſitè digeſtæ. Maximi ingenii, Majoris judicii, conſummatæ eruditionis cum pari modeſtiâ; Tantis dotibus uſus præclariſſimè. De *Eccleſiâ, Principe, Patriâ*, optimè meritus. Utriuſque Tabulæ Legum præco, obſervator, vindex. *Eccleſiæ Anglicanæ* enſis & clypeus: quam à falſi *Schiſmatis* labe purgavit, à veri contagio munivit, *Romanis* hoſtibus & perfugis *Sectariis* fuſis fugatis. Sinceræ doctrinæ radio veteres tenebras *Pſeudo-Catholicas* diſpulit, nova lumina *Anti-Catholica* extinxit. *Presbyterianam* paritatem proſtravit. *Fanaticam* licentiam coercuit. Temporum iniquitatem expugnavit Scriptis victoribus, patientiâ triumphali, Eccleſiaſtici ordinis, juriſque vindex fortiſſimus, ac feliciſſimus. *Liturgiæ* patronus conſultiſſimus. Theologicorum dogmatum ſcrutator ſedulus. Difficultatum enodator accuratus. Veritatum explorator ſagax. *Novum Teſtamentum*, *Pſalterium Davidicum*, luculentâ Paraphraſi, eximio *Commentario*, ſancto exemplo illuſtravit. Calamo ſcripſit, vita edidit *Practicum Catechiſmum*. Chriſtianæ fortitudinis, patientiæ, manſuetudinis illuſtre *Exemplar*. Mentis inſigni prudentiâ, invictâ conſtantiâ, candore illibato, ſolertiâ indefeſſâ mirabilis. Morum integritate ſpectabilis, gravitate venerabilis. Summâ pietate in *Deum*; extremâ Fide in *Principem*; propenſâ charitate in *Omnes* conſpicuus *Vir*, *Scholaſticus*, *Theologus*, planè incomparabilis, omni *Epitheto* major, quolibet *Elogio* potior. Meruit haberi *Martyr* aſſiduis pro *Eccleſiâ* curis & vigiliis confectus. Occidit diei noſtri *Lucifer*, Anno 1660. ſalutis partæ, primo Regis Reſtituti, Patriæ liberatæ, Eccleſiæ inſtauratæ quæ à ſe ſtrenuè promota, & ardenter concupita præſagiit animo, ſed oculo non adſpectavit, in hoc feliciſſimè infelix.

Vade, Cogita, Imitare.

Nec Magnum tamen Hammondum *ſatis ulla loquantur*
Saxa, *nec à morſu* temporis *ulla tegant:*
Clarius oſtendit Scriptis *ſe illuſtribus, illo*
Digna ſui tantùm ſunt Monumenta *Libri.*

Plura de eo ſcire cupientem ad libellum de Vitâ ejus à Doctore *Ioanne Fell*, Reverendo *Ædis Chriſti* Decano, poſteà verò Epiſcopo *Oxonienſi*, conſcriptum remittimus.

Omnia ejus Opera in 4. Vol. in fol. continentur.

Digitized by Google

GABRIEL NAUDÆUS.

Clar. A. D. MDC. XL. PAriſinus, Eminentiſſimorum Cardinalium, *Franciſci* à *Balneo*, *Franciſci Barberini*, *Iulii Mazarini*, ac demum Sereniſſimæ *Chriſtinæ* Reginæ *Suecorum*, *Gothorum* & *Vandalorum* Bibliothecarius. Natus eſt IV. Non. Februarii 1600. Obiit 29. Julii Anno Dom. 1653.

Edidit Pentadem Quæſtionum iatrophilologicarum: Bibliographiam Politicam: de Studio liberali Syntagma: Conſilium de Bibliotheca ſtruenda & Epiſtolas varias, Genevæ impr.

Gabriel Naudæus Pariſinus, nominis inter literatos magni. *Gaſſend.* de Vit. *Peiresk.* p. 153.

Librorum iſte ſuæ ætatis *Helluo* doctiſſimus *Gabriel Naudæus*. *Annotator* in lib. 16. c. 4. *Aulii Gellii* cum Not. Var.

Quæ ad inſignem eruditionem comparandam præſidia conferunt, *Gabrieli Naudæo*, fermè univerſa adfuerunt; Patriæ & ſæculi eruditio, ſolers ingenium, indefeſſus in ſtudio labor, otium, librorum copia, cultiſſimorum hominum conſuetudo, & mira in ſcribendo facilitas. Elog. *Naudæi* præfix. epiſt. *Naud.*

Cæterùm te hîc appello, *Gabriel Naudæe*, inclytam *Pariſiorum* ſobolem, ac non vulgarium florentis ingenii fœtuum varietate fœcundam. Probantur, leguntur à doctis omnibus tua quotidie monumenta literarum. Angit eos etiam atque etiam expectatio cæterorum, quæ nondum completa rerum pulcherrimarum divitias pollicentur. *Ioan. Imperial.* in Muſ. Hiſt. p. 202.

Audio *Naudæum* noſtrum, *Gallicæ* probitatis exemplum, tuique amantiſſimum, nova ſubinde moliri monumenta literarum; è quibus, quæ jam luci imminet, *Politica Bibliographia*, opinione Doctorum hominum diu concepta, partum haud ſerò decus admittat meritiſſimæ laudis, quam is & editâ nuper de *Venenis Diſſertatione* præſtanter adeò comparavit, ut fermè dixerim, *Naudæum* ſibi gloriam *Venenis* ipſis aluiſſe, inſigni doctrinæ miraculo. Virum novi liberalibus doctrinis politiſſimum; novi in omni vetuſtatis ratione cum induſtriâ verſatum: quò ad ea quæ publica fecit, ornamenta ſtudiorum, diligentiæ, ac laboris plurimum contuliſſe haud dubiè videri poſſit: verùm illuſtre illud de *ſtudio liberali* ſyntagma, quo nobiliſſimum Adoleſcentem egregiè inſtitutum voluit, ſcimus aulicis curis penè diſtracto, ſubſicivis horis, raptim excidiſſe; ut incredibile cuiquam ſit, potuiſſe illum, nullo commentandi otio, nullo librorum adjumento, tam multis ex antiquitate erutis rationibus, & exemplis, quid ad omnem ingenuum morem, erudito diſciplinarum cultu, cum laude faciat, apto ſtudiorum, atque exercitationum delectu, diſertè adeò, & accommodate præſcribere: niſi fortè inexhauſtâ illâ, quæ *Catonis* olim fuit, legendi aviditate ita pridem nobilis *helluo* ingenium expleverit, ut is carere libris nuſquam poſſit, dum ſuo non careat ingenio, ſeque unum ipſe circumferat. *Gaſpar.* de *Simeonib.* Epiſt. ad *Leon. Allat.*

Vir

Digitized by Google

Vir ingenio, judicio, & multâ lectione præpollens clariſſimuſque. *Conring.* ſupplem. 30.

Vir multiplici lectione planè incomparabilis & verè ἔμψυχος βιβλιοθήκη ejuſque de causâ non olim *Galliæ* duntaxat, ſed *Italiæ* etiam, ipſiuſque adeò *Romæ*, imo univerſi orbis eruditi in admiratione. *Conring.* cap. 19. Centur. diplom. Lindav.

Vir πολυμαθέστατος & longiore ævo digniſſimus. *Schoock.* in fab. *Hamel.* pag. 26.

In *Naudeo* obſervare licèt, eum interdum ſtudio partium odioque Nationis aut Religionis quibuſdam iniquiorem eſſe, multos etiam Auctores egregios ob eaſdem cauſas, ut videtur, planè præterire. Exemplo eſſe poſſunt, quæ de *Clapmario, Grutero, Forſtnero, Scipione Gentili*, & quibuſdam aliis ſatis frigidè aut etiam malignè ſcripſit. *Anonym. Auctor.* vid. *Konig.*

Iatro Philologicam eruditiſſimi *Naudæi* diſſertationem adverſus naturâ *Alaſtoras* cum ſummo applauſu percurri. Utinam plura ab ingenio illo videamus. *Caſp. Gevart.* Epiſt. ad *Ioan. Franciſc. Singelandum.*

Extat Syntagma de ſtudio Militari, *Romæ* 1637. 4°.

Extat Bibliographia Politica. *Venetiis* 1633. 8°. & *Lugd. Bat.* 1642. 8°.

Extant Epigrammatum libri 2. *Pariſiis* 1650. 8°.

SAMUEL PETITUS.

Natione *Gallus*, Sacræ Theologiæ apud *Nemauſenſes* Profeſſor, obiit Anno Dom. 1654. Clar. A. D. MDCXL

Hujus *Scripta* ſunt: Miſcellanea, 4°. ----Eclogæ Chronologicæ, 4°. ------Variæ Lectiones, 4°.-----Commentarii in leges *Atticas*-----Obſervationes, 4°,------Diatriba de Jure Principum edictis, &c. 8.-----Verſus *Latini* in obitum *W. Schikardi.*

Ingenioſiſſimus *Petitus*, vir non ſui nominis, ſed verè inter *Gallorum* literatorum maximos numerandus. *Thom. Reineſ.* l. 1. Var. Lect. c. 25

Cui magnopere obſtrictus eſt totus *Orbis Literatus*-----Feliciſſimum annum exopto eximio *Petito. Gerard. Ioan. Voſſ.* ad *Sam. Sorberium. Amſtel.* Kal. Jan. 1643.

Samuel Petitus, vir *Hebraicè* & *Copticè* doctiſſimus, & in omni Antiquitate, Eccleſiaſticâ præſertim, oculatiſſimus. *Paul. Colomeſ. Gall.* Oriental.

Salmaſius Petituſque ex paucis libris communicatis in *Linguâ Copticâ* plurimùm profecerunt. *Gaſſend.* in vit. *Peireſk.* p. 168.

Petitus hic nomine, doctrinâ *Magnus* eſt; nam & ſcriptis multis jam inclaruit, quibus eruditiſſimum ſe linguarum *Orientalium* oſtendit, & in omni antiquitate Eccleſiaſticâ verſatiſſimum, ne de *Theologiâ* ac *Philoſophiâ* dicam, cujus eſt peritiſſimus. *Salmaſ.* Id *Gulielm. Staackmann. Leyd.* 3. Id. Jan. 1635.

Vir doctus *Samuel Petitus*, ſed haud dubiè minùs felix in emendandis *Veterum* Scriptis.

Digitized by Google

Scriptis. *Tanaquil. Faber.* Epiſt. l. 1. Ep. 10.

Leges Atticas edidit, à ſe, quo voluerat, modo collectas & concinnatas, ad quas Commentarium addiderat. Erat vir probus, & doctus, ſed iis præſidiis, quæ ad opus hujus argumenti elaborandum neceſſaria erant, deſtitutus. *Deſider. Herald.* ad *Iuſ. Attic.* & *Roman.* l. 2. c. 12.

Petiti leges *Atticas* videre aveo, ut cognoſcam an ſupra *Scaligeri* collectionem, quâ uſum me memini, aliquid præſtiterit. *Hug. Grot.* ad *Cordeſium*, 30. Octob. 1634.

Exiguus noſter, vir bonus eruditusque, nodum in ſcirpo quærit, non metuenda metuens. Nam ſi *Novi Fœderis* auctoritati non obſtant tot quæ olim deprehenſæ ſunt, & quotidie deprehenduntur, *diſcrepantes Scripturæ*, quid mali facit qui in *Veteris Fœderis* libris ſive ex Orientalioribus *Iudæis*, ſive ex *Interpretibus antiquis*, aliquas fuiſſe præter eas in quas inciderunt *Maſoretæ*, ſedulò obſervat & verecundè docet; *Idem* ad *Claud. Sarrav.* 18. Jan. 1640.

Nulla quippe eſt ex omnibus *Correctionibus Plautinis* quam pro verâ ac probatâ ſumere auſim, multæ abſurdiſſimæ. Quas in *Græcis Authoribus* excogitavit nihilo meliores. Legem *Senarii Iambici* apud *Græcos Comicos* non videtur tenuiſſe, adeò ſæpe contra *Metri* menſuram offendit. *Salmaſ.* ad *Hug. Grot.* 8. Id. Maii 1630.

De *Punicis Plautinis* tecum ſentio, vel *Plutone* cæciorum in pleriſque deprehendi. *Idem* ad eund. *Divione* Kal. Jan. 1630.

De *Sermone Punico* apud *Plautum* ſcripſi, poſſe ad *Ebraiſmum* reduci, & fore, ut, ſi monſtra Lectionum & ineptias Librariorum inde reſigamus, iſta *Punica* planè *Ebræa* eſſe certò ſimus deprehenſuri. Hoc verò omnium eſſe veriſſimum, intereà dum mea eduntur, oſtendit elegante ingeniô homo *Samuel Petitus*, qui omnium iſtorum *Plautino-Punicorum* à doctis depoſitorum veras lectiones ex *Ebraiſmo* conſtituit & expoſuit, ita ut nemo deſiderare prætereà poſſit quidquam, ad eum omninò remitto, ſi qui ultrà dubitent. *Thom. Reineſ.* in Epiſt. quadam dat. *Altenburgi* 5. Aug. 1637.

Eximiæ doctrinæ vir, *Samuel Petitus*, Anno 1632. edidit *Eclogas Chronologicas*. Opus eſt pereruditum. *Voſſ.* de *Mathemat.* p. 238.

Cùm *Ioſephum* interpretandum ſuſceperit *Petitus*, magnæ vir diligentiæ *Linguarumque* ſciens, multùm eo nomine gaudeo paratus conferre quicquid potero quod in hoc negotiorum æſtu ſanè exiguum eſt. *Grot.* ad *Peiresk. Lut.* 22 Maii, 1637.

Petitus unus eſt ſex illuſtrium illorum *Proteſtantium*, quos Dominus *Colomiez* ſolos cenſet magna valuiſſe literatura inter ſuos Conſectaneos, Vide *Miſcellanea Hiſtorica* p. 73. Gallicè.

Extant Miſcellanea. *Pariſ.* 1630. 4°.
Extant Eclogæ Chronologicæ. Paris. 1631. 4°.
Extant Variæ Lectiones. *Pariſ.* 1633. 4°.
Extant Commentarii in *Leges Atticas*. *Pariſ.* 1635. fol.
Extant Obſervationes. *Pariſ.* 1642. 4°.

CLAUDIUS

Digitized by Google

CLAUDIUS SALMASIUS.

D*Ivionenſis*, natus eſt Anno 1596. obiit anno 1652. Eum adhuc Iuvenem *Ioſephus Scaliger* & *Iſaacus Caſaubonus* admirati, imò profeſſi ſunt, ſe à literarum ejus lectione ſemper doctiores diſcedere. cùm vix 14. annorum eſſet, *Nilum* & *Barlaamum* de Primatu Papæ recenſuit. Decimo quinto ætatis anno *Florum* edidit unà cum Notis, & *Ioh. Grutero* dedicavit. Hæc ſcripta poſteà plura alia ſecuta ſunt, quæ omnia enumerare difficile foret. Inter præcipua ſunt Commentarii in *Auguſtam* Hiſtoriam: Opus exercitationum *Plinianarum* in *Solinum*: Apparatus Sacer: Tractatus de Annis Climactericis: Libri de uſuris, modo uſurarum & fœnore trapezitico: Defenſio Regia pro *Carolo* I. Liber de Tranſubſtantiatione, &c. Reliqua ejus opuſcula *Antonius Clementius* in Vita *Salmaſii* pag. 64. recenſet. A *Venetis*, multis aureorum millibus promiſſis invitatus eſt, ut ter tantùm in anno publicè prælegeret: quod modeſtè recuſavit. A *Belgis* ſolus dignus æſtimatus eſt, ut magni *Scaligeri* locum licèt longo tempore poſt impleret. Mortuus eſt non ſine veneni ſuſpicione. Poſt mortem multa ejus ſcripta (ſic enim juſſerat) ab uxore combuſta ſunt, quòd in iis durius in viros doctos invectus fuiſſet. viri eruditi fateri coguntur, fuiſſe eum doctiſſimum Theologum, ſolertiſſimum Iuriſconſultum, exquiſitiſſimum Medicum, nobiliſſimum Philoſophum, admirabilem Philologum. Linguarum notitiæ adeo avidus eret, ut *Arabicam*, *Ægyptiacam*, *Perſicam*, *Chinicam*, & *Indicam*, cæteris *Europais*, quas anteà callebat, adjungere non dubitaverit. O ſeculi miraculum! *Hugoni Grotio* audit *optimus interpres veteris Salmaſius ævi. Scioppius* appellat *literarum principem*. Gronovius *Varronem* & *Eratoſthenem ſeculi noſtri*. *Reineſius* in Var. Lect. 1. 6. Clar. An. D. MDCXL.

Salmaſii exquiſitiſſimæ eruditioni tantum tribuo, ut non modò, quæ doctæ ad bonos autores notavit & ingenioſè iſtorum medelis excogitavit, tantum non exoſculer longèque meis abortivis præferam: ſed ultrò frivolis meis cedere paratus ſim, ſi ipſi contrà videri viderim. *Konig*. in Biblioth.

Vir nobiliſſimus, idemque celeberrimus *Polyhyſtor*, in antiquis ſcriptoribus atque antiquitatibus verſatiſſimus *Salmaſius*. *Gisbert. Voët.* par. 1. Diſput. Select. p. 762.

Vir ſtupendæ & ad miraculum reconditæ eruditionis excellentiſſimus *Salmaſius*. *Iac. Ouzel.* ad *Minut. Felic.* p. 9. 1652.

Aſſentio *Claudio Salmaſio*, virum nunquam ſatis laudato. *Voſſ.* de Hiſt. *Græc.* cap. 17.

Ingens illud literarum columen *Claudius Salmaſius*. *Idem* de Hiſt. *Lat.* p. 693. in *Ethico*.

Vide maximi illius viri (*Ioſ. Scaligeri*) Epiſtolam 240. ad *Claudium Salmaſium*, tum magnam Reip. Literariæ ſpem, nunc eximium ejus, & incomparabile ornamentum. *Idem* lib. 3. Inſtit. Poëtic. c. 20. Sect. 7.

Digitized by Google

Vir nunquam ſatis laudatus, nec temerè ſine laude nominandus. *Idem* de Idolat. l. 4. c. 91.

Eſt quidem Juvenis *Divionenſis Salmaſius*, ad miraculum doctus. *Iſ. Caſaub.* in lit. ad *Scalig. Lut.* 15. Kal. *Mart.* 1607.

Eſt profectò dignisſimus, quem omnes boni ament. Omitto incredibilem eruditionem pari modeſtiâ conditam: illud equidem pluris facio, quòd puriorem religionem palam non dubitavit nuper profiteri. *Idem* in Litt. ad *Georg. Mich. Lingelshemium*, *Breton.* 4. Non. Sept. 1606.

Viri clarisſimi *Claudii Salmaſii* eruditionem conſummatisſimam ſilentio venerari malo, quàm laudes ejus ingenii mei culpâ deterere. *Hug. Grot.* limine Notar. ad *Stobæi* Florileg. *Pariſ.* 1623

Vir infinitæ Lectionis Cl. *Salmaſius*. *Idem* in Annot. ad lib. de Verit. R. C. 1640. p. 308.

Claudius Salmaſius, vir undecunque doctisſimus, & qui divinis in omni diſciplinâ lucubrationibus hoc conſecutus eſt, ut jam non hominis, ſed ipſiuſmet ſcientiæ *Salmaſius* nomen habeatur. *Ægid. Menag.* ad Sereniſſ. *Chriſtinam* in Epiſt. *Balzacii*, 1651.

Is [*Salmaſius*] eſt ſanè, in cujus ſententiam omnes boni doctique libenter eant, adeò in literis ſuo merito principatum tenet. *Claud. Sarrav.* in litt. ad *Vincent. Fabricium.*

Quanto gaudio perfuſus eſſes, audiendo *Bochartum*, de mille arcanis (*Salmaſium*) ſolicitè & curioſè interrogantem, nunquam *inanem* recedere; juraſſes non defeciſſe *Oracula*. Uno in homine miratus eſſes piiſſimum & doctiſſimum *Theologum*, eloquentiſſimum *Oratorem*, ſolertiſſimum *Iuriſconſultum*, *Medicum* exquiſitiſſimum, Philoſophum nobiliſſimum, & omnigenæ linguæ, ſcientiæ & eruditionis βιβλιοθήκην ἔμψυχον. *Idem* in litt. ad *Iacobum Palmarium.*

Hæc cùm ita luſiſſemus, & conjecturis omnia tentaſſemus, Clarisſimus vir, omni literaturæ genere excultisſimus, & in diffuſâ eruditione. *Ægyptiaca* etiam *Linguæ* peritisſimus *Claudius Salmaſius* uno verbo nos expedivit. *Lud.* de *Dieu* in Animadverſion. ad Act. Apoſt. c. 7. Sect. 43.

Virum (*Salmaſium*) medullitùs amo, colo, veneror, tanquam rarum ſeculi decus, & doctrinæ miraculum, deque eo nihil à me tam ſplendidè dici poteſt, ut ad meritorum ſublimitatem aſſurgat. *Iac. Cruc.* in litt. ad *Theod. Schrevelium.*

Dominus *Salmaſius Criticis* ſuis ſagacibus ſuaque in obſcuriſſimam Antiquitatem penetratione tantam ſibi paravit famam, ut vel unicum ejus nomen in Lectoris mente Literaturæ ac Eruditionis magnas excitet ideas. Res ſic ſe habet quoad illuſtres illos Doctos, ut quoad Populorum Domitores in Hiſtoria, quorum nomina omnia ſupra vulgus mentibus ingerunt, & quævis Elogia ſuperant. Sic nempe Domini *Salmaſii* nomen libri cujuſpiam fronti præfixum ejus magnificum Panegyricum efficit. Vide Dominum *Beauval*, in Operum eruditorum Hiſtoriâ. Februar. 1689. Gal.

Nuper deceſsit *Claudius Salmaſius*, vir in omni literarum genere eminentisſimus

Digitized by Google

mus, ac ſine controverſiâ hujus ævi ſummus. Sed quæſitâ meritis ſuperbiâ immodicus ſui æſtimator, aliorumque contemptor, omniſque ſententiæ, cujus ipſe autor non eſſet, inimicus. *Octav. Ferrar.* in lit. ad lector. quas poſteriori libror. parti de *re Veſtiariâ* præmiſit.

Vir alioquin ad *literas* ſummo honore tractandas, & illuſtrandas natus, ſi modeſtiam adhibere, & arroganti de ſe perſuaſione, ac erga alios malignitate excuſsâ, mentem animi in iis ſedulò occupare potuiſſet. *Deſider. Herald.* Animadverſ. in *Salmaſ.* obſervat. in *Ius Attic.* & *Rom.* l. 2. c. 7.

Salmaſius nemini ſuorum temporum literato pepercit; nemo omnium qui ætate noſtrâ claruere virulentum ejus dentem evaſit. *Nic. Heinſ.* Not. ad *Ovid.*

Habebat hoc vir ille incomparabilis, ut uberrimo ingenio nulla ſufficeret manus, & ubi inſtituerat ſcribere, nec rerum, nec verborum modum noſſet. *Ioan. Frid. Gronov.* in lib. de *Seſtertiis.* 165. p. 46. 47.

Scripſit librum pro *Carolo* I. Rege *Angliæ* magni nominis vir *Claudius Salmaſius*; ſed, ne quid diſſimulem, non reſpondet expectationi; admodum enim tumultuarius eſt, & graviter *Salmaſius* peccavit, quòd non diſtinxerit inter varias *Regnorum* ſpecies; ſed ita diſſerit ac ſi ſimpliciter omnibus Regibus una eademque poteſtas; & quæ reperit apud Autores de *Regibus*, illa omnia *uni Regi* applicat; cùm tamen *Ariſtoteles* plures ponat *Regni* ſpecies, licet minùs plenas vel mixtas. Debuiſſet potiùs argumentari ex legibus & conſuetudinibus *Regni Anglicani*, non ex iis, quæ in hiſtoriis legerat. Excepit eum mordax Scriptor *Miltonus*, ſed in quo deſideres prudentiam & æquitatem judicii: in Sarcaſmo eſt artifex, unde petulans ejus ingenium ſatis ſe prodidit. *Herman. Conring.* de Regn. *Angl.*

Salmaſii de *Uſuris* librum vidiſſe te opinor. *Theologis* ſententiam ſuam vix probaſſe videtur. Noſti quàm periculoſum ſit in ejuſmodi argumentis ingenium exercere; præſertim cùm contra receptam ab omnibus ſententiam in aliam, & novam itur. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in litt. ad *Ioan. Iſaac. Pontanum*, p. 84.

Salmaſii Epiſtolæ prodierunt poſt mortem iſtius viri, doctrinâ variâ plenæ, ut fuit ille vir diffuſæ lectionis & ingenii; ſed paucæ illæ ſunt, quarum ego longè plures ab illo ſcriptas eſſe exiſtimo. In tantâ enim celebritate hominum viventi penè quotidianum fuit Epiſtolarum commercium quarum αὐτοσχεδιάσματα ipſi perierunt, & in angulo apud viros doctos ſparſim latent. Ut enim extemporalis fuit in omni lectione ſuâ, omniaque, prout ſemel conceperat, in typographiam miſerat: ita vix credibile eſt, Epiſtolas illum deſcripſiſſe: dolendum tamen eſt, intercidiſſe illas in quibus fortaſſe multa fuerunt, quæ prodeſſe orbi literario potuerint. Apud *Sarravium* non paucæ ejus Epiſtolæ leguntur, quas in opere illo Epiſtolarum non deprehendas. Reperiuntur & in Bibliothecâ Gudianâ nonnullæ. *Dan. Geor. Morhof.* Polyhiſt. pag. 292.

Salmaſius Notas ad *Rhodii* aras deſcripſit ex *Holobolo* Rhetore. *Colomeſ.* Opuſc. p. 138. *Iſ. Voſſ.* ad *Pomp. Mel.* p. 213.

* *Claudii Salmaſii* Opera prohibentur in Decreto 18. Decemb. 1646.

Varia ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

In Effigiem *C. Salmaſii* hæc Carmina compoſuit C. *Barlæus.*

Galia *quo nuper, jam ſidere* Leyda *ſuperbit,*
Præluccet magnis artibus iſta Pharos.
Hæc ſunt perſpecti, Lector, compendia Mundi,
Fronte ſub hac Pallas *prodigioſa latet.*
Partimur doctrinam alii. Hic ſe tota recondit:
Immenſoſque habitat mens ſpatioſa Lares.
Scribite ſcriptores. Cui pagina ſcripta Solini *eſt,*
Iudice me, ſcripti Circulus orbis erit.

FRIDERICUS SPANHEMIUS.

Chr. An. D. MDCXL.

AMbergenſis Palatinus filius *Wigandi*, Senatoris Archipalatini, Theologus hoc ſeculo celeberrimus, *Geneva* primò, dein *Lugduni Batauorum*, Profeſſor. Edidit varia, inter quæ eminent *Dubia Evangelica*, *Exercitationes* de *Gratiâ* Uniuerſali, *Miles Suecicus*, &c. Obiit Anno Chr. 1649. ætatis 49. *Heidan.* Oratione Funebri.

Accuratiſſimus ſcriptor *Fridericus Spanhemius* in eximio illo Opere de *Dubiis Evangelicis. Bochart.* in Geograph. p. 104.

Spanhemius, vir planè eximius, ſuperioribus diebus Profeſſionem Theologicam feliciter apud nos eſt auſpicatus. Talis *Atlas* illud cœlum debebat ſuſtinere. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Litt. ad *Adrian. Hofferum, Lugd. Bat.* 1642. Novemb. 12.

Glorioſiſſimum me reputo quòd bene de me Dominus *Spanhemius* exiſtimet; Virum enim illum maximi facio. *Balzacius*, Epiſtola 28. ad D. *Chapelain.* l. 10. Gallicè.

Vir magne, docta ingenii tui monumenta magno labore, magnoſque vigiliis elucubrata, ſummâ cum voluptate, ſummo cum fructu vidi & legi. De Republicâ certè litterariâ mereri magis non poteras, quàm *Dubiis* tuis *Evangelicis*, dignis memoriâ, & laude ſeculorum. Non quòd vel *Dubia* ſtatuatur *Veritas Evangelica*. vel de ea ambigendum cenſeas. Abſit ab homine *Chriſtiano* qui aliquo pietatis ſenſu ducitur tam impia cogitatio. Sed *dubia*, quæ vel profanorum furor, vel infirmorum imbecillitas non invenit in *Scripturâ*, ſed in *Scripturam* invexit, à radice revellere tibi fuit animus. Laudabili mehercule inſtituto! Nam non Sectariorum ſolùm, ſed & *Pyrrhoniorum* ac *Atheorum* funeſta agmina paſſim occurrunt, qui ſacrilegâ prorsùs temeritate, *Veritatem Evangelicam* infeliciter ſubtiles, vel convitiis apertè laceſſunt, vel per cuniculos labefactant, judicaſti quâ polles prudentiâ, hoc ſcribendi genus non utile ſolùm, ſed & neceſſarium eſſe, & ſine crimine non debere negligi. Exemplo Patrum, *Tertuliani, Origenis, Epiphanii, Hieronymi. Auguſtini* & aliorum qui ſtrophas Adverſariorum deteſtas ſolidè eliſerunt, & S. Scripturæ dignitatem maſculè tutati ſunt, ne hominum

Digitized by Google

hominum imperiorum protervia ullo modo fraudi eſſe *Eccleſiæ Chriſtianæ*, ſed ut in luce & oculis omnium, *Veritas* clariùs ſplendeſceret. *Iacob. Gruc.* in Epiſt.

Quàm eſt laudabile, multis linguis loqui poſſe & ſcribere. Uni genti nati videntur, quibus ſimplex eſt lingua; quibus biſulca, & triſulca pluribus. Inter hos nomen mereris, Clariſſime *Spanhemi*, dum iis vocibus loqueris quibus ſe maximè explicat hodierna facundia. *Latinas* innuo & *Gallicas*, quarum documenta dediſti Scriptis luculentiſſimis. *Caſp. Burl.* in Epiſt. ad *Frid. Spanhem Amſteld.* 18. Mart 1645.

Plurimum me tibi debere profiteor, quòd Tomis ſecundo & Tertio *Dubiorum Evangelicorum* liberaliter me donaveris. Legi eos quamprimum potui maximâ cum aviditate. Satis mirari nequeo diligentiam tuam in evolvendis tot *Interpretibus*, partim antiquis, partim novis, quibuſdam etiam horum mihi ignotis hactenus; tum verò non pauca *Chronologiæ, Hiſtoriæ* præceptorum video abs te quàm ab aliis enucleatiùs expoſita. Neque doleo quædam, quæ ego pridem annotaveram, mihi tuo labore prærepta. Quin gaudeo potius meum judicium tuo, viri tam eruditi, judicio confirmari. *Hug. Grot.* in Litt. dat. *Lutet.* 16. Feb. 1639.

Facultas *Theologica* per obitum *Spanhemii* adhuc vacat. Majorem certè orbitatem pati non potuit *Academia*. Utinam illa illuceſcat aliquando dies, quâ ſurrogetur in locum defuncti, qui cum eo paria faciat, ſed mihi crede faciliùs reperietur qui locum ſubibit, quàm qui implebit. Doleo ſæpe mecum extinctum hoc lumen ſeculi, decus virtutum, & principem ingenii, & doctrinæ, omnique ſcientiarum genere cumulatiſſimum. Sed ita Deo viſum, cujus voluntati noſtram ſubjici par eſt. *Iac. Cruc.* in Epiſt. ad *Ioan. Cruc.* p. 516.

* *Friderici Spanhemii* Diſſertationes Theologico-Hiſtoricæ omninò prohibentur. Index *Romæ* impreſſ. 1681.

Extant Dubia Evangelica 2. Vol. in 4°. *Genevæ.* 1639.

HENRICUS VALESIUS.

Hiſtoriographus Regius, natus eſt *Lutetiæ Pariſiorum* anno Chr. 1603. 4. Idus Septembris, die Mercurii. Obiit Nonis Maii Anno Chriſti 1676. Clar. An. D. MDCXL.

Scripſit Notas & Annotationes in *Ammianum Marcellinum*, in *Euſebium, Socratem, & Evagrium*, &c. Multa in Scriniis volumina moriens reliquit, partim abſoluta, partim imperfecta. ejus Notæ in *Valerii Harpocrationis* Lexicon editæ ſunt *Lugd. Batav.* 1682 4°. Unum oculum amiſerat.

Vir ſummus ſummos *Grammaticos*, & *Rhetoricos*, atque adeò *Oratores* ipſos plurimùm ſupergreſſus eſt: quippe qui *Græcas, Romanas* & *barbaras* notas habebas *antiquitates*, cui erat *Hiſtoria* ſacra prophanaque comperta, qui *Græcum Latinumque* ſermonem tamquam *Patrium* noverat; qui denique ad magnitudinem ingenii, vimque & acrimoniam judicii, aſſiduâ lectione, ac mediatione variam & interminatam in omni literarum genere doctrinam adjunxerat. *Hadrian Valeſ.* frater in Vit. *Hen. Valeſ.*

Digitized by Google

Nemo *Criticorum* Profeſſionem ſuam magis condecoravit quàm Dominus *Valeſius*, omnibus ad illam ritè exercendam neceſſariis dotibus inſtructus erat, ejuſque dignitatem magno cum ſplendore tuitus eſt,imo & adauxit. *Indicia* Erudiror. Pariſ. 1685. Gall.

Dominus *Valois* inter totius Regni *Græcæ* linguæ cultores excelluit,& in Eccleſiæ ac Imperii Hiſtoria verſatiſſimus erat,in omnibuſque argumentis ab *Euſebio, Socrate*, *Sozomeno*, *Theodoreto*, *Evagrio* pertractatis. Quapropter ex omni parte reſpondit expectationi juſſiſque *Cleri Gallici*; qui ei ut totius Seculi viro ad hoc maximè idoneo glorioſam demandaverat provinciam Hiſtoricos vertendi, ſi mandatum idem non exequeretur Dominus de *Monchal Tholoſæ* Archiepiſcopus. Certóque affirmari poteſt illum nedum obſcuraviſſe & deleviſſe omnes illorum Authorum verſiones ante ſe elucubratas, ſed etiam pauciſſimos *Interpretes* ipſum nec ſuperare, imò nec adæquare poſſe. Quædam tamen loca occurrunt in aliquibus harum *Verſionum* ubi Doctus ille vir, Criticorum hodiernorum judicio, ambobus ſuis oculis opus habuiſſet. *Idem*. Gallicè.

Eruditus *Henricus Valeſius* omnium *Euſebii* Verſionum vitiis obſervatis aliam iis abſolutiorem elaborare molitus eſt. Illam adjunxit *Græco* contextui ad quatuor manuſcripta recognito, doctiſſimaſque Notas eidem addidit. Ejus Verſio Literariæ Reipublicæ applauſum omniumque Eruditorum promeruit. Duobus attributis parum vulgaribus ornari poteſt, quod nimirum & elegans & literalis ſit. Critici quidam aliquos tamen lapſus in illa obſervaverunt; Sed omnibus ſatisfacere impoſſibile eſt, difficillimumque in tantæ prolixitatis opere nuſquam hallucinari. *Ell.* du *Pin.* in Biblioth. Nov. Vol. 2. pag. 9. Gallicè.

Negari non poteſt, quòd in Notis *Valeſianis* in *Harpocrationis Lexicon* plurima occurrant, quæ *Scripturam* non intellectam aliis aperiunt, tererrima *Scriptorum* loca reſtituunt, *Latinos Græcorum* Interpretes corrigunt, *Hiſtoriam* multis partibus illuſtrant, obſcuriſſima *Fabularum* deridicula, & nativum Verborum atque dicteriorum leporem, qui in fabularum ſcenis diſcitur, revelant, Poëtarum quoque & oratorum luſus ac delicias, ſuavitate *Græca* conditas *elegantia*, ſine fuco ſiſtunt. Ut taceamus, quæ in cognitione *Autorum Græcorum* præſertim, in doctrinâ *Græcæ* linguæ, in tribunalis *Græci* formulis & harum Origine, in contractuum, & *forenſium Actionum* generibus, necnon in rebus *Geographicis* & *Chronologicis* illuſtrata ab eodem hîc reperiuntur. *Acta Erudstor.* vol. 1. p. 250. 251.

Ediderat anno 1636. *Pariſiis Marcellinum Henricus Valeſius*, vir de literis egregiè meritus, ex manuſcriptorum Codicum fide doctiſque conjecturis, quantum fieri potuit, emendatiſſimum, notiſque illuſtratum perquam eruditis. Ex quo tempore & familiaris magis reddi hic *Autor* eruditis cœpit, à cujus lectione antea quamplurimos tot in eo lacunæ ac mendæ abſterruerant: & *Editio* præcipuè illa *Valeſiana*, diſtractis brevi tempore *exemplaribus*, ſummo apud doctos omnes in pretio fuit. *Ibid.* ut ſupra p. 13. 14.

Henricus

Digitized by Google

Henricus Valeſius, vir eruditione cum maximis hujus ac ſuperioris ætatis *Philologis* comparandus. *Colomeſ.* 44. in Paralipom. ad Chartoph. Eccleſ. Gul. Cave p. 44.

Henricus Valeſius vir ſummus, cujus mors nuper rei *literariæ* ingentem impoſuit & irreparabilem plagam, omnibus eruditis diutiſſimè lugendam. *Ioan. Georg. Græv.* Præfat. ad *Ciceron.* Epiſt. cum Not. Var.

Ingeniorum noſtræ ætatis principem vocat idem *Grævius* Tom. 2. Not. in Epiſt. *Ciceron.* p. 407.

JOANNES LUDOVICUS GUEZIUS BALSACIUS.

G*Allus*, Poëta *Latinus*, obiit anno Dom. 1654. Reliquit tres libos Carminum, item Epiſtolas, &c. Clar. A. D. MDCXL.

Ioannes Ludovicus Gayus Balzacus, celebris ille ſcilicet, cui nemo non *Gallicè* modò, ſed *Latinè* etiam ſcribentium elegantiæ palmam non facilè cedat. *Gaſſend.* de Vit. *Peiresk.* p. 250.

Balzaci literæ ſelectæ, *Gallico* ſermone ſcriptæ, *Amſtelodami* apud *Elzevirios* editæ an. 1656. in 12. Apud populares ſuos varia expertus eſt judicia ob novum aliquod dictionis genus in *Gallico* ſermone: Eſt enim argutus, floridus, Metaphoris aliquantulum indulgens; quæ ſcribendi ratio quibuſdam, qui caſtigatiores videri volebant, diſplicuit. Nam Satyræ adverſus illum ſcriptæ & integri libri, quos ipſe tamen validè ſatis excepit & retudit. *Latinas* Epiſtolas ſcripſit, quæ raræ ſunt, in quibus ſingularis quidam Linguæ *Latinæ* nitor, & *Gallica* quædam facundia, optimè ad ſermonis *Latini* genium applicata. In *Gallicis* Epiſtolis habentur ſingularia de rebus literariis & auctoribus judicia. Non has tantum, ſed & aliorum *Gallorum*, Epiſtolas perſtringit *Iacobus Hovvelius* in literis ſuis familiaribus, *Anglicâ* linguâ ſcriptis; nam Epiſtolâ primâ dicit, vicinos ſuos tranſmarinos, vernaculâ linguâ ſcribentes, ſtylo uti marcido, qui ſimilis ſit corpori carnoſo ſine juncturâ & arteriis. Vocat eorum expreſſiones *Hecticas*, & meris verbis flatulentas, aranearum telas, quæ non ſtringant Lectores--Illæ Epiſtolæ, quas junior edidit *Balzacus*, turgent Metaphoris, & aliquid *Aſiatici* ſonant. Maturiore ætate temperavit ſibi paululum, & quod tumidum anteà videbatur, in mollius dicendi genus commutavit. Si quid ego judico *Gallicæ* illius eloquentiæ, vel potiùs grandiloquentiæ; quam Genti illi familiarem in *Sulpitio Severo*, *Euchrio* aliqui, in *Budæo* Eraſmus notavit, ſpecimen in illo quoque obſervare mihi videor. Magna interim partium ſtudia fuerunt in *Galliâ* adverſus hujus viri eloquentiam, aliis ut novam integris libris damnantibus; aliis ut perfectiſſimi ſermonis exemplum imitantibus. Hiſtoriam omnem ejus rei prolixâ diſſertatione complexus eſt *Sorellus* in Bibliothecâ Gallicâ. In *Balzaci* Epiſtolis notari merentur, quæ habet de lite inter *Guietum* & *Grotium* ſuper præſtantiâ *vini* & *cereviſiæ* pag. 313. *Franciſci Gueti* Ruſticum Epigramma pro *vino* adverſus *Batavos Cereviſiæ* potores illic legatur. *Grotii Phalæcus* pro

Cereviſiâ

Digitized by Google

Cereviſiâ inter poëmata ejus reperitur. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 295. 296.

Nec vererer *Balzacii* Latinas Epiſtolas cum Epiſtolis *Antiquorum* comparare, ac neſcio, an etiam præferre debeam: *Ciceronianas* excipio, nihil enim illis in eo genere perfectius. Sunt tamen, quibus aliquæ nimis cultæ & compoſitæ, nec ſatis faciles & familiares ex *Balzacianis* iſtis videantur. *Ægid. Menag.* in Epiſt. ad *Chriſtianam Suedorum* Regin. præfix. Carminib. *Balzac.*

Epiſtolarum tuarum conceptus graves ſunt & à vulgaribus cogitatis non minus remoti ſunt quàm conformes ſenſui communi virorum qui peracri judicio valent: Earum dictio pura eſt, verba verò ejus ſunt delectûs qui cum laudabili ſimplicitate conſiſtere poteſt, earum ſenſus perſpicuus & nitidus & periodi ſuis omnibus numeris abſolutæ. Cardinalis *Richelius* Epiſtola ad *Balzacium. Pariſiis* 4. Febr. 1624. Gall.

Stylus ejus argumentorum adeo jucundorum naturæ tam congruus eſt, ut *Axiomata* ejus *Politicâ* vel ipſarum fœminarum captui attemperentur, ejus verò *Amatoria* Epiſtolæ Philoſophorum gravitatem non offendant. Apologia pro D. *Balzacio*.Gall.

Quòd ſi Artem minùs atq; Artificem, Poëſin dico atq; *Balzacium* amares, *Balzacii* certè Verſus non amare non poſſes; ita ſunt *Latini* & caſtigati; ita canori atq; rotundi, adeo abhorrent ab omni verborum vilitate, adeò in iis omnia vivunt, & moventur; tanta vis eſt atque ſublimitas; tam felix audacia; tam nihil puerile, nihil otioſum atque arceſſitum. Propter quæ, *Hugo Grotius, Nicolaus Borbonius, Franciſc. Guietus, Hadrianus Valeſius, Carolus Feramuſius*, ut ſũmi Poëtæ, ita Poëtarum judices exactiſſimi, *Balzacium* inter eximios hujus ſeculi Poetas collocarunt. *Ægid. Menag.* in Epiſt. ad *Chriſtin. Sued.* Regin. præfix. Carmin. *Balzaci.*

Si *Balſaco* tuo viſum fuiſſet, Nobiliſſime Virorum, intra patrium ſermonem, cui exornando totum ſe impendit nominis exiſtimationem cohibere, nemo tam præclaro inſtituto non faveret. Majoris verò eruditionis famam cùm ambiret, ne diſertus magis, credo, quàm eruditus videretur, ſummum decus ſeculi aggreſſus eſt, qui ingenio ſublimi, nec judicio minori, tum ſcientiarum omnium cognitione, & antiquitatis utriuſque inſtructus, nuſquam jam hærere poteſt. Id tentandum interim ſuſcepit, quòd cùm omnia ſint ſumma, inter prima ejus monumenta numeramus; *Herodem* ſcilicet, *Infanticidam*: Tragœdiam, ut breviter hoc dicam, excitatam & cœleſtem: quam univerſus ordo Literatus cum ſtupore admirationis legit, prædicatque. Quæ *Antiquitatis* ita vim omnem geniumque expreſſit, ut (ne quid dicam amplius) æquarit. *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Epiſt. ad. *Conſtantin. Huguenium*, *Lugd. Bat.* 1636. Jul. 12.

Superat utrumque [*Ioannem Auratum*, & *Ioannem Bachotium*] *Io. Ludovicus Guezius Bolzacius*, cujus in verſibus felix audacia, nihil Jejunum, otioſum, accerſitum. Solebat dicere *Ioannes Saracenus*, ſuperari *Balzacium* à paucis in genere levi & æquabili, in gravi & ſublimi à nullo æquari. Nexum tamen Poëticum alicubi requiret Lector, & alicubi colliſiones verborũ aſperiores forſan averſabitur; utcunq; cætera ejus ſcripta ultimam propemodum limam receperint. Tres *Carminum* ejus libros edidit illuſtris *Ægidius Menagius*, varii argumenti in quibus

Digitized by Google

Epica cum *Elegis* de principatu certant. Inter *Epica* præſtat *Chriſtus Victor*, inter *Elegia* propemodum *Amyntas. Borrich.* de Poët. p. 111. 112.

Vir ingenio compto, & *Gallicæ* eloquentiæ laude clarus, *Balzacus*, ſed in Religione plus quàm infans. *Molinæus* Præfat. ad Hyperaſpiſt.

Extant opera ejus *Gallicè* Tom. 2. in fol. *Pariſ.* 1665.

CASPAR BARLÆUS.

A*Ntverpianus*, Doctor Medicus, primùm Logices in Academiâ *Lugduno-Batavâ*, poſt Philoſophiæ Moralis apud *Amſtelod.* Profeſſor, obiit Anno 1647. Reliquit. Carmina, Orationes, & Epiſtolas. Clar. A. D. MDCXL

Caſparus Barlæus, dubium Poëta melior, an Philoſophus. *Voſſ.* de Grammat. lib. 1. c. 3.

Barlæus, Orator & Poëta *Batavus*, cuivis *Antiquorum* comparandus. *Hofman.*

Barlæo valetudinem opto proſperiorem, vel *Poëſeos* causâ quam ornat. *Hug. Grot.* in Epiſt. ad *Voſſ.* Cal. Jan. 1638.

Poëſi plurimum valet, vinctâque numeris oratione ſublimè incedit; ſed nec ſolutâ minus diſertus eſt. *Valer. Andr.* in Biblioth. *Belgic.*

Ita admirando planè artificio, & incredibili *Auditorum* delectatione ac fructu, apud *Amſtel. Logicam* exponit vir ſummus, & clariſſimus *Caſpar Barlæus*, quem meritò numerare ſoles inter primarios *Reip. Literariæ* proceres. *Jo. Beverovic.* ad *Jo. Weſterburgium* de Vit. term. p. 169.

Magni viri [*Barlæi*] inſignem doctrinam nunquam non veneror, laudo, prædico. *Jo. Weſterburg.* ad *Io. Beverovic.* p. 179.

Ille vatum noſtri ſeculi Princeps *Barlæus*, *Marc. Zuer. Boxhorn.* in Epiſt. ad *Pontanum*, p. 4.

Nec in *Belgis* defecit Genius Poëticus, ſed nonnunquam gloriam Veterum propemodum obſcuravit. Sanè *Caſpar. Barlæus Antverpianus*, & inventionum artificio, & cultu dictionis, optimo cuique *Antiquorum*, etiam ipſi *Claudiano* palmam dubiam facit, in quocunque argumento, quocunque *Poëmatum* genere oppidò nitidus, facundus, exquiſitus: dignus qui ab omnibus *Heliconis* alumnis in ſinu geſtetur, ità piè & ſuaviter *Sacra* emodulatur, maſculè *Heroum* geſta, opportunè & convenienter varietatem Actionum Humanarum; ubique experrectæ induſtriæ, cui accedit nativa quædam facilitas, copia, majeſtas. Agnovit illam dexteritatem *Card. Richelius*, & lecto *Panegyrico* cujus exordium, *Nunc nova purpurei ſumens exordia faſces*, planè Regia munificentiâ proſecutus eſt. Ad ſummam, in uno *Barlæo* oſtendere voluit Natura, *Phœbum* ſemper juvenem eſſe, nec cum mundo effœto conſenuiſſe. *Borrich.* de Poët. p. 40.

Barlæi Epiſtolæ facetiis & ſalibus perſperſæ multa iſtius temporis notabilia ſæpè memorant. Fuit *Barlæus* Philoſophus & Poëta præſtantiſſimus, quanquam à *Batavis* ipſis non magni æſtimatus; ingenium fœcundiſſimum & feſtiviſſimum

PPPPPP habuit,

Digitized by Google

habuit, in *Elegia, Scazonte* & *Phalencis* mirè ſuavis & argutus, in *Epico* carmine luxuriâ nimia penè moleſtus: Quam ejus loquacitatem contemptim habuere *Heinſius* aliique caſtigatiores Poetæ. Id certè verum eſt, in delectu verborum non multùm ſe cruciaſſe, ſed primos impetus plerumque eſſe ſecutum & ingenii ſui ubertatem. Miſero fato periit, puteo ſubmerſus; an ſponte, an caſu, incertum. Ejus extant Epiſtolæ, quas non adeò ob dictionem legi velim, quàm ob argutias & urbanitatem: Facetiarum pleniſſimus eſt, ubique jocis circumfluens; ac incidunt nonnunquam, quæ ad Hiſtoriam literariam ſui temporis, præcipuè in *Batavia*, pertinent. Lepida inter alia Epiſtola eſt LXXI. quam ad *Petrum Gruterum* Ludimagiſtrum ſcripſit, hominem in ſtylo κακόζηλον & antiquarium, ubi per mimeſin perpetuam eum cum ſtylo ſuo exagitat. Eſt verò *Gruterus* etiam inter *Simias Lipſianas*; ſed qui præter κακοζηλίαν *Lipſianam* mirè ineptus eſt in frigidis Alluſionibus & verbis Antiquitatis. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. p. 300. 301.

In *Barlæi* Epiſtolis habent *Lectores* quod diſcant, *Hiſtorici* quod notent, *Theologi* quod animadvertant. De rebus ſacris, de veritate pacificâ, de Religionis libertate diſſerit Auctor tam piè quàm animosè: de *Philoſophorum* arcanis ſagaciter & perſpicuâ ſubtilitate. Erga familiares officioſus eſt ſcriptor, in fautores gratus, cum gaudentibus gaudet, & dolentibus præbet ſolatium. Sic miſcet utile dulci, rerum argumentorumque varietate, monitis, jocis, ſalibuſque. Plura adderem, ſed non eget domeſtico teſte. *Gerard. Brandt.* in Epiſt. ad *Arnold. Hooft*, præfix. Epiſt. *Barlæi.*

Barlæi jactura, cujus aliquas circumſtantias à me petis, cum *Walæi* & *Weslingii* interitu non eſt conferenda, quamvis præclarus vir fuerit ille; plures enim ſemper exiſtent eximii *Poetæ* quam eximii *Medici*. *Amſtelodami* cum degerem de vitæ illius exitu varii ſpargebantur rumores, ac ſi melancholia quædam ipſum acceleraſſet. Verum quidem eſt quod cùm in Principis *Auriaci* obitum Funebrem Orationem carmine concinnaſſet, Doctor autem *Spanhemius* alteram proſa pronunciaſſet, impatientiſſimè remunerationis inæqualitatem toleraverit; ut enim feſtivè dixit Dom. *Salmaſius*, mira hæc fuit hallucinatio, quod *Equitis* ſtipendium Pediti, *Peditis* verò Equiti perſolveretur: *Barlæus* quingentas tantum libras, alter verò quingentos nummos accepit. *Sorbiere* Epiſt. ad Dom. *Patin* pag. 442. Gall.

Socinianus nec ſum, nec fui, vellent quidem me eſſe, qui explendi in me odii materiam ſolicitè quærunt. Sed his innocentiam meam pro ſcuto opponam. *Barl.* ipſe in Epiſt. ad *Petr. Cunæum*, 12. Septemb. 1636.

Extant ejus Poëmata, *Lugd. Batav.* 1628. 8o.

Extant ejus Epiſtolæ, *Amſtel.* apud *Jo. Blaeu.* 1667. 8o.

JOANNES

Digitized by Google

JOANNES MORINUS.

NAtione *Gallus*, Patriâ *Bleſenſis*, Congregationis Oratorii Presbyter. Obiit ann. 1659. ætatis 68. Clar. A. D. MDCXL.

Edidit Biblia *Græca* Interpretum LXX. Item Exercitationes *Eccleſiaſticas* in utrumque *Samaritanorum* Pentateuchum: Tractatum de Sinceritate *Hebraici Græcique* Textûs dignoſcendâ, contra *Taylerum*, *Bootium*, ac *Muiſium*, Grammaticam *Samaritanam*, &c.

Vir impensè doctus *Ioannes Morinus* è Congregatione Oratorii. *Gaſſend.* in Vit. *Peireſk.* p. 68.

Orientalium literarum peritiſſimus *Ioannes Morinus*. *Voſſ.* in Harmon. Evang. pag. 350.

Io. Morinum Congregationis Oratorii Presbyterum, in linguis Orientalibus fuiſſe verſatiſſimum, ſed *Pentateucho Samaritano* nimis addictum ſcripta clamant. *Paul. Colomeſ. Gal.* Orient. p. 166.

A Domino *Patin* audivi, Cardinalem *Richelium*, cùm aliquando de *Io. Morino* Oratorii Presbytero incideret ſermo, dixiſſe ipſum egregium eſſe ingenium, ſeque Illum timere. *Paul. Colomeſ.* Opuſc. p. 129. Gall.

Nunquam interituram ſibi peperit famam, quia verò meritò ſuperſtructa erat. Pauci profundæ ejus eruditioni parem aſſecuti ſunt. Præſtantis erat ingenii, fœcundæ phantaſiæ, memoriæque tam fidelis ut nihil unquam ipſi elaberetur eorum quæ ipſi concredita fuerant. *Moreri* Majori Dictionario Gallico.

Joannes Morinus vir doctiſſimus, cui multum ob labores in *Samaritano Pent.* docti omnes debent. *Brian. Walton* in Diſſert. de Ling. Oriental. 1658. p. 41.

Mirum eſt *Jo. Morinum* virum aliàs doctiſſimum, ſtatuere tam *Græcam* LXX. quàm vulgatam *Latinam* divinæ authoritatis eſſe, cùm inter ſe ſæpiſſimè diſcrepent & contraria affirment. *Idem* ibid. p. 118.

Si *Capellum* cum *Morino* comparare liceat in iis quæ uterque de rebus *Biblicis* compoſuit, in hujus quidem libris plus eruditionis apparet, ſed quæ ſæpius ſit extra rem, at in illo plus ingenii atque judicii qui nunquam à ſcopo aberret, & id quod ſibi propoſuit firmiſſimis rationibus comprobet. Vit. *Io. Morini* præfix. Antiquit. Eccleſ. Orient. 1682. p. 69.

Utinam *Morinus* in tractanda *Eccleſiæ* Diſciplinâ & Hiſtoriâ omnem Operam ſuam collocaſſet, neque agendum illi fuiſſet cum *Tayloris*, *Bootiis*, *Hottingeris*, *Muſſii*, *Flavigniis* & aliis ejuſmodi hominibus, qui illius, ut erat paulò iracundior ac difficilior, bilem commoverant. Haberemus enim maximam Theologiæ partem ab eo graviſſimè tractatam, & non ex more *Scholaſticorum*, qui temerè & ſine judicio de rebus magni ponderis ſententiam ferunt, nihilque edunt in *Theologiam* præter ſophiſmata & argutias quæ viros doctos ad riſum & contemptum incitent. *Ibid.* p. 99. 100.

Nemo in Bibliorum Criticen plura, imò nec eruditius ſcripſit quàm *Joan. Morinus* Oratorii Presbyter. Quoniam plurimos hodie ſequaces habet, qui ejus Opiniones minùs accuratè excuſſas cæco impetu ſectantur, non abs re fuerit, ſi eaſdem majori ſedulitate penſiculemus. Cùm apud ſe ſtatuiſſet alteram τῶν *Septuaginta* Editionem juxta Vaticani exemplar evulgare, & in Pariſienſibus *Polyglottis* excudendum Hebraico-Samaritanum exemplar *Pentateuchi*, jam ab illo tempore animo molitus eſt hodiernum contextum Hebraicum quantùm poſſet deſtruere, ut eò magis τῶν Septuaginta Verſionem & Hebræo-Samaritanum Pentateuchum commendaret, quaſi depravatus eſſet textus Hebraicus Judæorum plurimis in locis, in quibus diſcrepat à Verſione *Græca* τῶν Septuaginta, & ab Exemplari *Hebræo-Samaritano*, imò & ab ipſa Vulgata. De Eccleſia hac ratione ſe præclarè meriturum putavit, omnibus modis tuendo Veteres Verſiones, quas uſu diuturno approbaverat. Verùm fortaſſis non animadvertit Eccleſiam, dum authenticas declaravit Veterem τῶν *Septuaginta* Verſionem, novamque B. *Hieronymi* Interpretationem, nunquam ſibi propoſuiſſe Hebraicum Textum damnare, nec Judæos quòd eundem depravaverint accuſare. In ejus Libris innumera ſunt utilia, altiſſimaq; occurrit eruditio. Proteſtantes quidam *Morino* reſpondere conati ſunt. Sed præterquam quòd præjudiciis in gratiam Judæorum pleni erant, adeo infirma ſunt eorum reſponſa, ut facilè crediturus ſit Lector ratione nixum fuiſſe *Morinum* in omnibus quæ adverſus *Maſſoretarum* textum Hebraicum in hiſce libris attulit. Dominus de *Muis* ſagaciùs multò *Hebræi* Textus Apologiam ſcripſit, eademque opera quibuſdam *Joann. Morini* propoſitionibus reſpondit. Optandum tamen eſſet eum moderatiorem fuiſſe, nec conſilium prætexendo *Morinum* acriùs oppugnandi, qui nimium oſtentavit Zelum pro Veterum Verſionum ab Eccleſia approbatarum propugnatione, ad alterum extremum tam prope illum non acceſſiſſe, *Maſſoræ* aſcribendo plura ipſi minimè debita. Quamvis D. de *Muis* Hebrææ Linguæ peritus eſſet, totam tamen non videtur habuiſſe eruditionem neceſſariam ad bonum reſponſum *Morini* Libris opponendum. Orat. Presb. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V.T. l. 3. c. 18.

Joannes Buxtorfius in Diſſertatione de Literarum *Hebraicarum* genuina Antiquitate, *Morini* Exercitationes vocat Librum crudâ & indigeſtâ materiæ mole infertum & confertum.

Extant Biblia LXX. Interpret. cum Præfat. ac Prolegomenis, *Pariſ.* 3. vol. fol. 1628.

Extant Exercitationes in utrumque *Samaritanorum* Pentateuchum. *Pariſ.* 1631. 4°.

Extant Exercitationes Eccleſiaſticæ. *Pariſ.* 1626. 4.

SAMUEL BOCHARTUS.

Clar. A.D. MDCL.

R*Hotomagenſis*, Anno 1599. natus, anno 1667. obiit. Fuit Theologus & Philologus eximius.

Scripſit

Scripſit. *Hierozoicon*, & Geographiam Sacram, &c.

Samuel Bochartus Proteſtantis Religionis apud *Cadomenſes* Miniſter fuit. Ejus propenſio erat in politiores litteras quarum callentiſſimus erat, aſſiduéque Poetas *Græcos* & *Latinos* Vetereſque Patres legerat. Dom. *Bochartus* Linguarum etiam peritiſſimus erat, *Latinâ, Græcâ, & Hebraicâ* loquebatur & ſcribebat, Arabicæque ſatis gnarus erat. Ejus merita nedum apud ejus partium homines exiſtimationem ipſi conciliarunt, ſed etiam apud omnes apud quos probitas & Doctrina in pretio erant. Eorum illuſtriſſimos indigitare haud difficile foret; ſed obſervaſſe ſufficiet eum à Regina *Sueciæ* Stokolmiam accitum fuiſſe anno 1652. ibique publicis ſignis eam oſtendiſſe quanti ejus eruditionem faceret. *Moreri*, Diction. Gall.

Samuel Bochartus, illud ſæculi noſtri *Miraculum*, cujus ſi quis ſit qui nomen ignoret, aut ſtupendam cum ſummâ modeſtiâ conjunctam eruditionem non ſuſpiciat, næ illum penitus ἄμυσον eſſe oportet. *Jo. Lud. Fabric.* in Orat. inaugural. de Anim. immortalitat.

Samuel Bochartus eruditionis, licèt Abyſſus, adeò tamen propriæ opinionis & æſtimationis expers fuit, ut haud ſemel commiſſos in ſcriptis ſuis errores publicè ſit profeſſus; *Ingenuè agnoſco* (dicit inter alia Geograph. Sacr. lib. 1. c.14.) *nos in iis erraſſe, quæ de* Caſpiis *portis* & Niſæo *Campo diximus.* Adeo ut ſummo jure *Apuleianum* hoc convenire Viro huic dixeris quòd inter doctos nobiliſſimus, inter nobiles doctiſſimus, inter utroſque optimus, &, quod merito addas, inter omnes modeſtiſſimus fuerit. *Gul. Salden.* de Uſu & Abuſu Librorum.

Doctiſſimus, Linguarumque Orientalium peritiſſimus vir *S. Bochartus* in admirando opere, *Geographia Sacra. Ouzel.* Animadverſ. ad *Minut. Felic.* pag. 34.

Vir longè doctiſſimus in illo diffuſæ eruditionis opere, *Geographia Sacra. Pocock.* in portam *Moſ.* c. 3.

Opus laborioſum, ſcilicet *Geographia Sacra*, & variâ eruditione refertum. *Voët.* in Biblioth. ſua, p. 420.

Quæ autem *Tarſis*, & ubi fuerit, nuper in *immortali Opere* demonſtravit, quod rure ſcis, longè doctiſſimus *Bochartus Tanaq. Faber.* Epiſt. l. 1. p. 36.

Samuel Bochartus, doctiſſimus & judicii abſque controverſiâ limatiſſimi. *Lambec.* Hiſt. lit. prodr. 4.

De quo adeundus *Bochartus* in admirando opere de *Animalibus Biblicis*: *Bochartus*, inquam, quem ut, dum viveret, veneratione ſingulari coluimus, ita nunc fato functum lugemus, cum omnibus bonis, quibus nota erat viri illius, in ſummâ omnium ferè linguarum & univerſæ antiquitatis peritiâ admirabilis morum probitas, pari modeſtiâ juncta. *Paul. Colomeſ.* Obſervat. Sac. pag. 127.

Samuel Bochartus, vir *Punicæ* Linguæ ad miraculum peritus, ſed (proh dolor!) maximo Reip. Literariæ damno nuper ereptus. *Colomeſ.* in opuſc. pag. 205.

Digitized by Google

Vir eruditionis cumulatiſſimæ *Samuel Bochartus*. *Petr. Gaſſend.* in epiſt. ad M. *Neuraum*, *Pariſ.* 7. Kal. Novem. 1653.

Eatanea eadem eſt quæ *Baſan*, quod bene obſervat ſeculi noſtri ornamentum *Samuel Bochartus* in Geographiâ S. *Jo. Jonſ.* de Scriptor. Hiſt. Philoſoph. p. 286.

Samueli Bocharto divini ingenii viro, & pro tali jam olim mihi noto, & ex quo noto, culto ſemper & amato, haud invitus accedam. *Meric. Caſaub.* ad Laërt. p. 4.

Obſervatione dignum eſt illud Doctiſſimi *Bocharti*, qui multa de linguis antiquis nobis ſuppeditavit; *Babylonem* ſemper *Hebraica* Linguæ fatalem fuiſſe, tum ob Linguarum *Confuſionem* ibi factam, tum quòd *Judæi* captivi ibi linguam patriam dedidicerint. *Brian. Walton.* in Diſſert. de Ling. Oriental. pag. 20.

De hoc *Homeri* loco *Athenæus*, l. 2. ſed *Samuel Bochartus* ſacrarum humanarumque literarum lumen clariſſimum, rem pro ſua ſingulari doctrinâ longè aliter tractavit in admirando opere, cui nomen eſt *Phaleg*. *Tanaq. Faber* Not. in *Longinum*, p 288.

Hominum quotquot vivunt doctiſſimus *Bochartus*, *Iſ. Voſſ.* in obſerv. ad *Melam*, p. 197.

Idem non ſemel affirmat. *Menagius* Not. ad *Laertium*, & *Joannes Schefferus* in op. de Milit. Navali, p. 341.

Sed neſcio quo fatorum conſilio, huic ultimo ſeculo nec merenti, nec talia æſtimanti, reſervati ſunt eximii illi viri *Martinius*, *Spelmannus*, *Kilianus*, *Voſſius*, *Salmaſius*, *Bochartus*, *Junius*, *Menagius*, *Skinnerus*, qui primi *Etymologorum* nugari deſierunt. vid. *Editor.* Etymol. Ling. *Anglican. Steph. Skinneri*, in Epiſt. ad Lect. Anno 1671.

Cademenſis Bochartus eruditiſſimum Commentarium ad *Geneſeos* cap. 10. perfecit: in quo *Geographia Sacra* illuſtris & nova tractatio cum omnigena doctrinâ conjuncta ſuaviter te afficiet. *Cl. Sarrav.* ad *Salmaſ. Lut. Pariſ.* 15. Mart. 1645.

En mihi relatam mortem Viri, ſi quis uſquam gentium, in *Orientalibus Linguis* doctiſſimi. Is erat Dom. *Bochartus Cadomi* in Normannia Eccleſiaſtes, quem paucis horis abſtulit Apoplexia. Annum ſeptuageſimum nondum attigerat. Nimia animi contentio & in ſtudiis intemperantia obitum ejus unicè accelerarunt. Propediem librum ſuum de *Paradiſo Terreſtri* prælo ſubmittere decreverat. Apud me habeo præclaros duos libros ab illo elucubratos de *Geographia Sacra* & de *Animalibus Biblicis*, eoſque interdum cum voluptate lego. Ejuſmodi homines nunquam mori deberent. *Guido Patin.* Epiſt. ſel. Epiſt. 158. Gall.

Bochartus duo ingentia volumina compoſuit quorum unum *Phaleg*. alterum verò de *Animalibus Scriptura Sacra* inſcribitur in quibus multa Bibliorum loca elucidavit: Verùm quoniam diffuſus, admodum eſt ille Author, & vir Doctus, ac eruditione potius quàm judicio valens haberi videtur affectaſſe, optan-

Digitized by Google

optandum eſſet ut duo illa Opera in compendinm redigerentur, ea tantum retinendo quæ ad Librorum Sacrorum intelligentiam conferre poſſunt. Verum quidem eſt quòd pleraque eorum quæ referuntur cùm in *Phaleg*, tum in libro de *Animalibus* quorum mentio in Scriptura occurrit, meris ut plurimùm conjecturis nitantur: Sed id genus conjecturæ utiles quandoque ſunt, quatenus ſi per illas non ſemper detegatur veritas, ad errorem præcavendum ſaltem conducunt; Hac autem in re poſterior Liber, qui agit de Animalibus apud Authores Sacros memoratis, utiliſſimus eſſe poteſt; quamvis enim vera ignorentur nomina plerorumque *Animalium*, quorum *Biblia* meminerunt, ſatis quandoque lucis affert ad animalia quædam excludenda, quibus eadem nomina convenire nequeunt. *Rich. Simon.* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 20. Gall.

Liber quem *Bochartus* in lucem emiſit cui titulus *Phaleg*, præferri debet diſſertationibus quas idem *Arias Montanus* evulgavit etiam ſub nominibus *Phaleg.* & *Canaam*, quæque *Apparatûs* ejus partem conſtituunt. *Idem ibid.* lib. 3. c. 17.

Extat Geographia ſacra, *Cadomi* 1651. fol.

Extat Hierozoicon, *Londini* 1663. 2. vol. fol.

Ultimum diem obiit loquens in *Cadomenſis* Academiæ conſeſſu, die Lunæ 16. Maii 1667. quæ fuit occaſio cur D. de *Brieux* eleganti hoc Epitaphio ipſum decoraverit:

Scilicet hæc cuique eſt data ſors æquiſſima, talis
Ut ſit mors, qualis vita peracta fuit.
Muſarum in gremio teneris qui vixit ab annis,
Muſarum in gremio debuit iſte mori.

Dominus Bochart opulentus erat, optimum reliquit patrimonium filiæ unicæ quam *Rotomagenſis* Curiæ Senator quidam uxorem duxerat. Verùm ingenii ejus filiis multò ſolidioribus opibus gaudet. Potiſſimi ſunt duo illa egregia Opera quæ adhuc in vivis publici juris fecit. Prius eſt *Phaleg* ſeu *Geographia Sacra*: alterum verò de *Animalibus Sacræ Scripturæ*. Operam præterea navaverat in Tractatu de *Mineralibus*, *Plantis* & *Gemmis*, quorum in Sacris Codicibus mentio; in alio de Paradiſo Terreſtri, in Commentariis in Geneſin & in volumine Diſſertationum. Omnia ejuſmodi Fragmenta cum plurimis Epiſtolis eruditione refertis in Domini Le *Moine* amici ejus intimi manus pervenerunt; à quo quædam eorum evulgatum iri ſperabatur, ſed ob moleſtum quoddam negotium regno extorris factus, id nondum præſtare potuit; Profeſſor nunc *Lugduni Batavorum* electus hac de re forſitan cogitabit. Id tanquam certum mihi dictum eſt. *Moreri* Diction. Gallico.

JOANNES

Digitized by Google

JOANNES LAUNOIUS.

Clar. A. D. MDCL. *Conſtantienſis*, Theologus *Pariſienſis*, natus eſt viceſimo primo Decemb. 1603.

Scripta ejus multa ſunt & varia, cæteris verò palmam præripiunt, Quinque Tomi Epiſtolarum: Opuſculum de *Dionyſiis*: Tractatus de variâ *Ariſtotelis* in Academiâ *Pariſinâ* fortunâ: Diſſertatio de rectâ *Nicæni* Canonis 6. intelligentiâ: De mente *Concilii Tridentini* circa ſatisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ: De Commentitio *Lazari*, *Magdalenæ*, & *Marthæ* in *Provinciam* appulſu: De verâ causâ ſeceſsûs *Brunonis* in Deſertum: Diſſertatio de Auctoritate negantis Argumenti: Judicium de *Hadr. Valeſii* diſceptatione de *Baſilicis*.

Martinus Schoockius part. 2. fab. *Hamel.* c. 20. ait *Launoium* eſſe ſerium & eruditum Veritatis antiſtitem, ac vindicem: Scriptaque illius uni veritati eruendæ dicata eſſe.

Joannes Launoius, vir [ex elogio *Ægidii Menagii*] doctiſſimus, humaniſſimus, & inter *Theologos Pariſienſes* (nam talem eſſe *Launoium*, ne vel ipſe livor negaverit) celeberrimus. Utinam verò diutiùs vixiſſet Autor non minùs doctiſſimus quàm diligentiſſimus, ut multos labores ſuos utiliſſimos continuare abſolvereque potuiſſet! *Acta Erudit.* Menſ. Jul. 1686.

Nemo eſt inter hujus ſeculi Scriptores qui merito ſuo apud cordatos omnes majori in pretio ſit habitus, quàm *Joannes Launoius*. Quinetiam citra invidiam dixerimus, vix alium inveniri, qui majore tum candore, tum ingenii acumine, ſepoſito omni *partium* ſtudio, res *ſacras* tractarit, atque imperiti vulgi errores animoſiùs impugnârit, aut etiam feliciùs proſtraverit. *Elog. Ioann. Laun.* 12°. Impreſſ. *Lond.* 1685. vid. præfat.

Pariſienſis Theologus φιλαλήθης, qui cum *Iacobo Sirmondo*, candidiſſimo nuper ſociorum, magno ſtudio, ſpretis ſuorum calumniis, Gallicanam Eccleſiam fabulis liberare hodie nititur. *Conring.* præfat. in *Caſſand.* & *Wicel.*

Multum tribuo Viri judicio, utpote quod abundè ille mihi probavit eximiis aliquot libellis, quibus fabulas nonnullas Eccleſiaſticas in vulgus receptas maſculè exploſit. *Idem* de Antiq. Acad. Supplem. 39.

Clariſſimus *Sorbonæ* Doctor vocatur *Dalæo* de Cultu Relig. in Præfat. pag. 9. Ubi diſſertatio illius *de Auctoritate negantis Argumenti* anno 1662. edita doctiſſima quoque dicitur.

Dominus *Launoius* bonus erat *Criticus*; Ad hoc autem magno fuerunt ei emolumento familiaria cum Jeſuita *Sirmondo* colloquia. Omnes ferè *Gallicanarum* Eccleſiarum Veteres Traditiones *impugnavit*, ſententiam ſuam *Sulpitii Severi* & *Gregorii Turonenſis Epochis* ſuperſtruendo, quæ tamen omninò falſæ ſunt, ut peritiſſimis pluribus Criticis perſuaſum eſt. *Moreri* Diction. Gall.

Nulli forſitan *Critici* inter Catholicos extiterunt, qui tanto cum emolumento tantoque ſucceſſu libertate illa uſus ſit, quæ tam neceſſaria eſt iis omnibus

Digitized by Google

bus qui de aliorum Scriptis ſanum judicium ferre volunt. Hujuſmodi libertas audaciam eam in illo produxit, qua quiſquam alius impunè fortaſſis agere non eſſet auſus: Hanc verò audaciam ſecuta eſt paulò nimia confidentia in propria ſua authoritate, quæ ipſum ad præcipitata quandoque impulit judicia de Scriptis ſeu Operibus quibuſdam non ſemper à ſe examinatis accuratione & acumine ſibi ſolitis. Cætera tamen nunquam ſatis laudari poſſet Vir ille quoad fortitudinem illam qua promovit *Poſitivæ* liberationem à jugo ſervitutis qua premebatur à *Scholaſtica*. *Judicia* Eruditorum per *Bailletum*. Pariſiis 1685. Gallicè.

Extat de Variâ *Ariſtotelis* in Academia *Pariſinâ* fortunâ. *Hagæ Comitis* 1656. 4°.

Extat de rectâ Canonis *Niceni* 6. intelligentiâ. *Pariſ.* 1662. 8°.

Reliqua ejus Opera variis in locis atque temporibus ſunt impreſſa.

Epitaphium ejus hoc eſt:

D. O. M.

Hic jacet Launoius Conſtantienſis, Pariſienſis *Theologus*: *Qui veritatis aſſertor perpetuus, Jurium Eccleſiæ & Regis acerrimus vindex, vitam innoxiam exegit: Opes neglexit, & quantulumcunque, ut relicturus, ſatis habuit. Multa ſcripſit nullâ ſpe, nullo timore: Optimam famam maximamque venerationem apud probos adeptus Annum ſeptimum & ſeptuageſimum exceſſit: Animam Chriſto conſignavit die* 10. *Mart. Ann.* 1678. *Hoc monumentum amico jucundiſſimo poni curavit.* Nicolaus *le* Camus, *ſupremæ ſubſidiorum Curiæ Princeps.*

JOANNES LIGHTFOOT.

Natus eſt in ædibus Paſtoris *Stoke* ad *Trentam* in Comitatu *Staffordienſi*, die Veneris 29. Martii 1602. Obiit *Eliæ* 6. Decemb. 1675. Claruit A. D. MDCL.

Compoſuit *Harmoniam Vet.* & *Novi Teſtamenti*: Horas *Hebraicas* in quatuor Evangeliſtas, multaque alia ſcripſit, quæ duobus Tomis. fol. impreſſa ſunt. *Latinè Roterodami* 1686.

Ejus eruditio optimè ex Operibus ab eo editis nota eſt. Sita præſertim erat in Hiſtoriâ, Chronologiâ, Theologiâ Syſtematicâ, Orientalibus Linguis, ſed præſertim in *Rabbinorum* & *Thalmudicorum*. Scriptorum lectione ac cognitione. In hiſce ultimis ſine dubio multum temporis ac laboris impendit, ac puto me poſſe dicere, quantum quidem ex ejus Scriptis apparet, in utroque *Thalmude*, (in quorum intelligentia ſita eſt potiſſimum eruditio *Judæorum*, quippe quibus eorum *Jus Canonicum* & *Civile* continetur) fuiſſe eum verſatiſſimum & peritiſſimum omnium *Europæorum*—— ——Stylus

Digitized by Google

rit eſſe *Rich. Simon*, cùm huic Authori hoc cum illo commune ſit, quod innumeros Rabbinos citet; ſed quibus admodum felicius utitur quàm *Rich. Simon.* Verùm Authores iſti (*Hammondus* & *Lightfootius*) Anglicè ſcripſerunt: Ideoque hæc videtur eſſe cauſa cur illi minùs quàm cæteri innotuerint. Theologorum *Hollandiæ* ſententia. p. 797.

Hoc ejus Epitaphium.

Joannes Lightfoot, *S. T. P.*

Agro Staffordienſi *oriundus*, *Eccleſiæ* Magnæ Mundoniæ *in Agro* Hertfordienſi *Rector.* Aulæ S. Catharinæ *apud* Cantabrigienſes *Præfectus*, *&* Elienſis *Canonicus. Eruditione omnifariâ, præſertim* Orientali, *inſtructiſſimus. Qui* Thalmudicam *doctrinam miro judicii acumine tractavit*, *&* Rabbinicæ *literaturæ venam exhibuit* (*quod rarum*) *ſine Scoriis.* S. Scripturis *Obſcurioribus lucem dedit, confuſis Harmoniam. In* Chronologiæ *δυσνοήτοις eruendis conjector feli*[illegible]*ſimus. Et* Hebraicæ *veritatis vindex ſtrenuus. Intimus Templi* Hieroſolymitani *Myſtes*; *Qui ſecretiora.* Adyta *penetravit*, Sacra *ordinavit.* Atria *menſus eſt calamo vere* Angelico. *Terram* Canaaniticam, *injuriâ temporis magnâ parte deperditam, face requirens* Thalmudicâ, *ſibi ipſi, & Orbi reſtituit. Qui bonas literas optimis ornavit moribus, ſuavitate ſingulari, candore ſummo, humilitate eximiâ: Amicis maximum reliquit ſui deſiderium, omnibus exemplum. Senectute vegetâ ſtudendo, ſcribendo, concionando lubenter impenſâ, depoſuit tandem quicquid erat mortale.* Horis *verò* Hebraicè *&* Thalmudicè *impenſis Nomen ſuum reliquit* Æternitati *ſacrum.*

THOMAS HOBBES.

NAtus eſt *Malmesburiæ*, Agri *Wiltonienſis*, Nonis Aprilis, An. 1588. Obiit 1679. die 4°. Decembris, ætatis ſuæ 91. Opera ejus Philoſophica anno 1668. *Amſterod.* in quarto prodierunt. In eis continentur problemata Phyſica: Dialogi ſex de emendatione hodiernæ Geometriæ: Libri tres de corpore: Liber de homine: Libri tres de cive: Tract. de naturâ aëris: Tract. de Principiis & ratiocinationibus Geometrarum: Leviathan ſive de materiâ, formâ & poteſtate civitatis Eccleſiaſticæ & civilis. Anno 1671. prodiit ejuſdem Roſetum Geometricum. Clat. An. D. MDCL.

Thomas Hobbes in operibus ſuis ad *Civilem Scientiam* ſpectantibus plurima habet quantivis pretii; & nemo, cui rerum ejuſmodi eſt intellectus, negaverit, tam profundè ipſum *Societatis Humanæ* & *Civilis* compagem rimatum fuiſſe, ut pauci priorum cum ipſo heic comparari queant. Et quà à vero aberrat, occaſionem tamen ad talia meditanda ſuggerit, quæ fortaſſe aliàs nemini in mentem veniſſent. Sed quòd & hic in Religione peculiaria ſibi & horrida dogmata finxerit,

Digitized by Google

rit, hoc ipſo apud multos non circa rationem ſui averſationem excitavit: Quanquam & illud non rarò contingere videas, ut ab illis maximo cum ſupercilio condemnetur, abs quibus minimè lectus fuit aut intellectus. *Sam. Puſendorf.* de Jur. Nat. & Gent. vide Præfat. ad Lect.

Magnam Linguarum *Græcæ Latinæ*que peritiam & in hodiernis exercitationem haud mediocrem tanto viro adſtruere ſupervacaneum facilè cenſeatur; certè *Anglicani* ſermonis Genium adeò feliciter expreſſit, ut cum præſtantiſſimis Gentis noſtræ ſcriptoribus conferendus veniat. Exemplo ſit graviſſimus Hiſtoricus *Thucydides*, quem vel ipſis veteribus ſubobſcurum adeo perſpicuè, adeo venuſtè & eleganter tranſtulit, ut nihil ſupra. Vita *Thom. Hobb.* in Præloq. ad Lector.

Hobbes, *Gaſſendus* & *Carteſius* tres ſunt Viri quos omnibus illis quotquot gloriantur Italia & Græcia poſſumus opponere, eorumque deliramenta (ſi quæ aliquo infirmitatis humanæ caſu ipſis contigerint) mihi magis arrident, quam vel graviſſima quorundam aliorum Philoſophorum dogmata *Sorbiere* Epiſt. 32. pag. 216. Gal.

Gaſſendo fuit chariſſimus *Thomas Hobbes*, cujus libellum *De Corpore*, manibus *Pratai* noſtri, paucis ante obitum menſibus accipiens, oſculatus eſt; ſubjungens, Mole quidem parvus eſt iſte liber, verùm totus, ut opinor, Medullâ ſcatet. *Sam. Sorbier.* Præf. in Opp. *Gaſſend.*

Liber de *Cive* certè eſt non vulgaris, dignuſque, qui omnium, qui altiora ſapiunt, manibus teratur; neque (ſi illa ſepoſuero, quæ Religionem, in quâ ſumus ἑτερόδοξοι, adtinent) ſcriptorem agnoſco, qui argumentum ſcrutetur, quàm ille, profundiùs. *Petr. Gaſſend.* in Epiſt. ad *Sam. Sorberium.*

Neque parùm debere nos profitemur *Thomæ Hobbes*, cujus Hypotheſis in libro de *Cive*, etſi quid profani ſapiat, tamen cætera ſatis arguta & ſana. *Sam. Puſendorf.* Præfat. in Element. Juriſprud. Univerſ.

Hoc probè ſcio *Hobbium* nihil nobis obtuliſſe, niſi quod apud veteres in *Epicuro* reprehenſum inveniamus. Ut enim *Epicurus* omnia à *Democrito* ſurripuiſſe dicitur, ita *Hobbius* omnia *Epicuri* flagitia ingenti faſtu tanquam ſua recudit; atque ut nova videantur novis nominibus (quorum ille, ut ſunt novatores omnes, egregius artifex) appellare affectavit. Exemplo ſit magnum iſtud & primum omnis ſuæ Philoſophiæ Moralis & Civilis effatum: ut enim *Epicurus Voluptatem* ultimum cujuſque finem eſſe ſtatuit, ita hic eadem vocabuli ambiguitate *ſui amorem*; at ſicut ille ſolam corporis voluptatem, ita hic nil niſi corporis ejuſdemque membrorum amorem intellexit; ſic enim ubique definire placuit; quocunque igitur nomine appelletur, ſive voluptatis, ſive ſui *amoris*, eodem revolvitur; ſcilicet cùm nullam voluptatem *Epicurus*, nullumque *ſui amorem Hobbius* agnoverit, niſi quæ ad corpus ejuſque membra referantur, quid ſequitur niſi ſapientem ejus ſolius curam habere, ejuſque gratiâ omnia agere, atque adeo ab utroque vitam belluinam inducit *Sam. Parker.* de *Deo*, in Diſp. p. 86. 87.

Ex omnibus neotericis Philoſophis, qui maximi nominis fuerunt, ſunt *Gallilaus*, *Italus*, *Baconus*, *Hobbes*, *Boile*, *Angli*; *Carteſius*, *Gallus*; *Helmontius Belga*.

ga—*Hobbes* obſcurus eſt gratiarumque expers, in ſuis Ideis ſingularis eruditus, parum tamen ſolidus; in ſua doctrina inconſtans, modò enim Epicuræum, modò Peripateticum ſe ſe exhibet.—*Thomas Hobbes* magnam ingenii profunditatem oſtendit, ut etiam inter poſtremorum horum Seculorum *Epicureos* audaciſſimus eſt, eorumque in omnibus principia, nequaquam ſibi temperans, ſectatur. In omnibus quæ mentem ejuſque principales operationes reſpiciunt perperam ratiocinatus eſt, horum ſcilicet principium Phantaſmatibus & Imaginationi tribuens. *Rapin. Animadverſionibus* in Veterem & novam Philoſ. Sect. 18. & Animadv. in Phyſ. Sect. 9. Gall.

Hoc judicium nuper *Galeottus Galeatius Karlsbergius* de *Hobbio* tulit: Famam quam numerorum proportionumque ſcientiâ comparavit, prudentiæ ſtudiis adeo non auxit, ut quoque labefactaverit maximè. Nam *juſtum* & *injuſtum* perperam æſtimat, *legem* malè definit, *Principem* impiè ſolvit lege. Civitatem cùm adornat, aut deformat, aut evertit. Pactorum religione non multùm tangitur. *Societates Civiles* non conſiderat, ut debet; jamque *principia* nova confingit, jam vetera, majori, dubium, libidine, an contradicendi procacitate deſtruit. Abſolutum *Princips* Imperium aſſerit; *Civem* non *juri*, ſed mero *Principis* arbitrio ſubjicit, affirmans, faciendum, patiendum, cùm facere, pati, agere, omittere, pro fructu velit jubeat *Princeps*. Vereor, ne hâc *Cyclopicâ* licentiâ *Cyclopicam* Remp. condat. Vivat in eâ *Hobbeſius* ſi velit: nobis longè alia placet. *Joan. Decker.* de Script. Adeſpot. p. 328. 329. Ann. 1686.

Inter *Pufendorfium* & *Grotium* medius quaſi eſt *Thomas Hobbes*, *Anglus*, qui *in Elementis Philoſophicis de Cive* juris naturalis & Gentium inſtitutiones molitus eſt; ſed hic quidem propter Hypotheſes quamplurimas maximè paradoxas non tantùm exterorum, ſed & civium ſuorum indignationem metuit. Et ſanè, licet Scriptor ille ſatis acuti judicii linguæque ſatis politæ fuerit, tamen illi uſitata ſcribendi ratio ſtupendam aliquam animi perverſitatem arguit; Nam *Statum Naturalem* is proponit talem qualis nunquam fuit, nec unquam eſſe poteſt. Et falſiſſimum eſt quod in Annotatione ad c. 1. Sect. 10. dicit: injuſtitia erga homines ſupponit leges humanas, &c. *Joan. Eiſenhart.* inſtit. jur. nat. c. 2. Sect. 11.

Unus *Hobbeſius*, quamvis novæ ſectæ principatum affectans, Logicam ſuo videtur æſtimaſſe pretio, ſolamque illam ex omnibus diſciplinis veteres poſſidere ait: Utut peſſimus in formandis demonſtrationibus artifex & magnus ac merus plerumque paralogiſta, atque ex arbitrariis ac fictis Hypotheſibus juxta cum æmulis ſuis veram proprièque dictam ſcientiam Lectori vanè atque ſuperbè pollicitus. *Val. Henr. Vogler.* de ſtudiorum hodiernis corruptelis p. 37. & ſeq.

Anglus *Hobbes* librô *Elementorum Philoſophorum de Cive* edito non dubitavit hiſce verbis gloriari: *Phyſica res novitia eſt, ſed Philoſophia civilis multò adhuc magis, ut quæ antiquior non ſit librô, quem de Cive ſcripſi.* Inſano profectò faſtu, &c. ſatis autem apertum eſt in illis quidem *de Cive elementis* nihil eſſe boni, quod non ab omni retrò memoria fuerit notum. Ne quidem illud autem po-

tuiſſet ſupereſſe, ſi præjudicii defectu vidiſſet *Hobbes*, quàm multùm alia deduci debeant ex illo horribili principio, *naturâ inter homines non ſocietatem, ſed diſcordiam inſtitutam eſſe*; & verò illo poſito omnis ſocietas humana contra Naturæ fuerit inſtitutum. Quo adſerto neſcio num quid excogitari poſſit abſurdum magis & improbum. Sed relinquimus hominem illum inſanienti ſuæ ſapientiæ. *Conring*. de Civ. prud. c. 14. fin.

Niſi ipſe ſummus admirator ſui, quàm Auditor veterum eſſe maluiſſet, ad maximorum ingeniorum gloriam perventurus erat. *Joan. Boecler*. in Præfat. ad lect. Comment. *Grot*.

Periculoſis ac malè cohærentibus axiomatibus ſuis præſtantiſſimam ſcientiam politicam non parum conturbat. *Voet* lib. 2 Bibl. Theol. c. 22.

De libro cui titulus eſt *Leviathan*, hiſce verbis exclamat *Joan. Arrowſmith*: 'Dic ſodes, amice lector, ecquis unquam liber ad omne genus irreligionis po'tentiorem januam aperuiſſe compertus eſt? Credo equidem neminem, ſi de 'eis ſermo ſit, qui nomen *Chriſti* præ ſe ferunt. Vid. Tact. Sac. p. 124.

Hoc unicum in omni ſuâ Philoſophiâ ſategiſſe videtur *Malbeſburienſis*, ut omnes quotquot videmus effectus, tum *Naturæ* communis, tum humanæ, ſolis materiæ viribus adſcribantur. *Sam. Parker*. de Deo, p. 88.

Samuel Mareſius part. 2. Controverſ. contra *Tirinum* p. 476. *Politicam Hobbeſii* patriæ ſuæ morbis exulcerandis, quàm mitigandis magis accommodatam eſſe exiſtimat.

In Libellum ejus de *Naturâ Hominis*:

Quæ magna Cœli *mœnia*, *& tractus* Maris,
Terræque *fines*, *ſiquid aut ultra eſt*, *capit*;
Mens *ipſa tandem capitur*: *Omnia hactenus*:
Quæ noſſe potuit, *nota jam primum eſt* ſibi.
Accede, Lector, *diſce quis demum ſi es*;
Et Inquilinam jecoris agnoſcas tui,
Quâ propiùs *hæret nil tibi*, *& nil tam* procul.
Non hic Scholarum frivola, *aut* Caſſi Logi,
Quales per annos fortè plus ſeptem legit,
Ut folle pleno prodeat, Rixæ Artifex;
Vanaſque merces futili linguâ crepet:
Sed ſancta, *rerum pondera*, *& ſenſus graves*,
Quales parari decuit, *ipſa cum fuit*
Pingenda Ratio, *& Vindici ſuo adſtitit*.
Panduntur omnes Machinæ *Gyri tua*,
Animæque *vectes*, *Trochlea*, *Cunei*, *Rota*,
Qua concitetur arte, *quo ſufflamine*
Siſtatur illa rurſus, *& conſtet ſibi*:
Nec ſi feneſtram pectori humano ſuam

Aptâſſet

Aptâſſet ipſe Momus, *inſpiceret magis*
Hic cerno levia Affectuum *veſtigia*,
Gracileſque Senſûs *lineas*; *video quibus*
Vehantur alis blanduli Cupidines,
Quibuſque ſtimulis urgeant Iræ *graves*:
Hic & Dolores, & Voluptates ſuos
Produnt receſſus; *ipſe nec* timor *latet*.
Has nôrit artes quiſquis in foro velit.
Animorum habenas flectere, & *populos cupit*,
Aptis ligatos nexibus jungi ſibi.
Hic Archimedes *Publicus figat pedem*,
Si quando Regna Machinis Politicis
Urgere ſatagis, & *feras gentes ciet*,
Imiſque Motum ſedibus Mundum quatit:
Facile domabit cuncta, *qui Menti imperat*.
Conſultor audax, & Promethæi *potens*
Facinoris Anime! quis Tibi dedit Deus
Hæc intueri ſæculis longè abdita,
Oculoſque luce tinxit Ambroſia tuos?
Tu mentis omnis, *at tuæ nulla eſt capax*.
Hac laude ſolus fruere: *Divinum eſt opus*
Animam creare, *proximum huic*, Oſtendere.

Rad. Bathurſt, A. M.
Col. *Trin*. *Oxon*. Soc.

Sequentia in Dom. Hobbes laudem Anglico carmine cecinit ejus Admirator *Abraham Cowley*, quæ ob elegantiam Lectori gratum nos facere putavimus, ſi verbatim Latinè repoſuerimus, quamvis de nativo nitore multum ejus allegoriæ ſic detrahi fateamur.

Pro Dom. Hobbes.

I.

V*Aſta* Philoſophiæ Corpora
Sæpius vidi ac legi:
Sed ea omnia ſunt Corpora mortua,
Vel Fabricata Corpora;
Hactenus autem Vivam Animam contemplari *non licuit mihi*,
Præterquam in tuis Libris & *in* Te *ipſo*.
Deo unicè datur noſſe,
An pulchra ejus Idea & *quam aſpectabilem nobis reddis*
Divino Archetypo ſit omninò conformis, *nec ne*.
Hoc ſaltem audacter profitebor,
Hanc Veritati *adeo conſonam eſſe*, *ut ejus vicem nobis ſufficienter præſtare poſſit*.

Haud

Digitized by Google

Haud ſecus, ac in Natura *ſunt tuæ* Proportiones;
Æquè ac concors eſt earum Varietas,
Tam firmiter *quàm partes in ſuo quieſcunt* Centro.
Omnia denique tam ſolida ſunt,
Ut non minus quàm Natura abhorreant *à* Vacuo.

II.

Stagirita *potens diutinum exercuit*
Imperium in̄ Univerſas mentes.
Βεϱχύβιος *Leopardus natalem ſuam Regionem ſubactam vidit;*
Fortior Aquila Romana *evolavit,*
Frequentius ætatem *ſuam renovavit, eamque* extinctam *vidit.*
Ipſa Mecha, *invito* Mahumete *occupata,*
Horrendoque Diluvio *ab* Oriente *fugata*,
Monarchiam *ſuam in* Occidente *denuò condidit.*
Sed quemadmodum vaſti cujuſvis Imperii ætas labilis eſt,
Tandemque novum aliud aliquod ex ejus ruderibus exurgere ſolet;
Sic & nobile hoc Imperium
Gradatim labi, ejuſque gloria ſplendorem marceſcere contigit,
Tandemque in Scholaſticorum *manibus omninò interiit.*
Tunc mera ſuccreverunt verba
Eaque omnia Barbara
Interiit, inquam & evanuit.
Vita *ejus &* Anima *exhalata in* Aera *vacuum abiverunt.*

III.

Arva *quæ quondam colonorum* Aratro *copioſè reſpondebant,*
Exhauſta & effœta nullam nunc Meſſem exhibent:
Sterilem ac ingloriam, ſpiniſque tantùm horridam Ætatem *nunc vivimus,*
Præteritamque Abundantiam *jactamus,*
Unde præſens Pauperies *parum levaminis accipit.*
Frugibus *enim quibus ſuſtentemur, in poſterum deſtituemur,*
Ni novos conſeramus Agros.
Manu ſacrilega *veterum* tumulos *violamus;*
Ipſorum Rudera *ſcrutamur,*
In Eorum Ruinis *ut inanes* Umbræ *vagari amamus,*
Bacillorumque *ſtultâ* divinatione
In Defunctorum *Monumentis*
Defoſſos *rimamur Theſauros.*
Dum Munifica Tellus *etiamnum tegit*
Tot intactas fodinas Auro *hactenus* irreperto *fœtas.*

IV.

IV.

Mare Balticum, Pontus Euxinus & *Mare* Caſpium,
Et anguſti littoris Mediterraneum,
Retruſi tantùm Sinus tibi videntur,
Quos pererrent miſellæ Mentis Horiolæ:
Sed ampla tua Navis *per* Oceanum *vaſtum velificatur,*
Nihilque quàm Æquor & Æthera *conſpicatur;*
Donec incognitas Terras *exploraverit.*
Tu præclarus alter Columbus Auriferæ Regionis *novæ Philoſophiæ;*
Quin & multò audacius quàm ille ſuſcepiſti facinus.
Docta enim America *tua,*
Non modò à Te *primùm detecta,*
Nec inculta futuræ induſtriæ relicta fuit;
Sed Facundiâ *tuâ, tuâque ſolertiâ*
Plantariis, Coloniis, Ædificiis, *legibuſque illam excoluiſti.*

V.

Paulò antehac putaveram,
(Nec, uſque adeo anguſta eſt mea Mens,
Tantam opulentiam capere poteram)
Quòd quantumvis Eloquentiæ Promptuarium,
Ne mediam quidem partem ſufficere valeret,
Splendidi, novi & durabilis texti,
Ad valida Membra Giganteorum tuorum Senſuum *veſtienda.*
Solida tua Ratio, *ut* Clypeus *ille de Cælo miſſus,*
Ad Trojanum *illum* Heroa,
Quibuſvis mortalium telis impenetrabilis,
Auro & Gemmis *totus præterea fulgidus eſt,*
Et mirabilibus geſtis Artis *docta manu cælatus:*
Clypeus, *qui conſpectus delectamentum affert*
Vel ipſorum Hoſtium oculis,
Tum etiam cùm certò prævident ſe per illum *in prælio ſuccubituros.*

VI.

Nec poteſt Nix *illa, quâ* frigida Senectus *conſpergit*
Tuum venerabile caput,
Vel reſtinguere, vel ullatenus languefacere nobilem Ignem qui in illo ardet.
Sed quicquid olim fuiſti,

Digitized by Google

Et quicquid poteſt eſſe Juventa, *etiamnum in te perenant*;
Uſque adeò perfectè
Frueris robore virilis ætatis, *vividoque* Animi *flore*,
Toteque nativo calore, *ſed eo nullatenus* Febriculoſo;
Quemadmodum in Ætnæo *vertice, contraria ſic conſpirant*,
Ut eodem loco cernere liceat pruinas & erumpentes ignes;
Et tamquam fideles vicini tranquillam pacem colant
Rigens Nix & Flamma vorax; *adeo ut illa prope iſtam ſecurè dormiat.*
Sed ſi tecum examinemus
Naturam & Cauſas, *concludemus*
Rem aliter ſe habere non poſſe:
Rebus Immortalibus *rugas* Tempus *inducere nequit:*
Quodque moriturum *nunquam eſt*, juventute *perenni floreat oportet.*

Abraham Covvley.

PHILIPPUS LABBE, Soc. Jeſ.

Clar. An. D. MDCL.

GAllus, *Bituricus*, natus eſt menſe Junii Anno Dom. 1607. Obiit 25. Martii Anno Dom. 1667.

Scripta ejus hæc ſunt: Nova Bibliotheca MSS. librorum, Vol. 2. Fol.---De *Byzantina* Hiſtoriæ Scriptoribus---*Galleni* Vita.---Bibliotheca Bibliothecarum---Concordia Chronologica---De Scriptoribus Eccleſiaſticis *Bellarmini* Philologica & Hiſtorica Diſſertatio---Bibliographia Patrum Societatis Jeſu in *Franciâ*---Bibliotheca Anti-*Janſeniana*---Synopſis Conciliorum---Notitia dignitatum Imperii *Romani*. Aliaque edidiſſet Opera, quæ propemodum abſolverat, ſi illum mors non abſtuliſſet.

Philippus Labbe Soc. Jeſu, vir infinitæ lectionis, & eruditionis, atque acerrimi judicii in veterum ſcriptis recenſendis. *Io. Bona* Card.

Summæ doctrinæ vir *Philippus Labbæus. Voſſ.* de Hiſt. Græc. l. 4. c. 21.

Philippus Labbe, homo plurimæ utique lectionis & induſtriæ, ac meritò laudandus, niſi in viros à *Papicolis* alienos, eoſque graves, pietate & doctrinâ præſtantes, effusè nimis debacchatus eſſet. *Henning. Witten.* Præfat. ad Memor. Theolog. Clariſſ. p. 24.

Jeſ. *Labbeus* in duarum Linguarum *Græcæ* nimirum & *Latinæ* notitia præſertim excelluit, ut & Authorum, ac Librorum, Hiſtoriæque. Sed ejus eruditio longè inferior fuit ejus diligentiæ; Illeque laboris amor famam ejus utcunque minuit; quippe qui ad Scriptorum ſuorum numerum multiplicandum potius quàm ad eadem expolienda ipſum impulerit, ſolertiſſimumque Exſcriptorem ipſum reddiderit, ſed valde mediocrem Authorem in iis quæ marte proprio elaboravit, ſi quæ duas Linguas ſpectant excipiantur. *Iudic. Erud. Baillet.* Gall.

Quod ad illum Librum attinet, quem Jeſ. *Labbeus* conſcripſit, cui titulus *Specimen*

Digitized by Google

Specimen novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum librorum, fatendum eſt eum & utilem ſimul & curioſum eſſe: Sed præterquam quòd admodum imperfectus eſt, paulò etiam ſiccior & macilentior quàm par eſſet deprehenditur, illiſque explicationibus, nimium nudatus quæ ad inſtituti ejus intelligentiam requirerentur. *Ibid.*

Jeſ. *Labbei Diſſertationes* in *Bellarmini* Tractatum de *Scriptoribus* Eccleſiaſticis, inter Scripta quæ ab eo ſunt evulgata optimis accenſentur; Quæ cauſa eſt, cur qui ipſum non amant dixerint eum è Jeſ. *Sirmondi* Manuſcriptis hauſiſſe quæcumque in illo Libro laudabilia occurrunt. Id verum quidem eſſe poſſet; Cùm tamen Jeſ. *Labbeus* plures ſibi excitaret inimicos ſuperbo & impotenti quo ſe gerebat animo, quis dubitet quin probum hoc in illum gratis cudi potuerit? *Nouvelle* de Republ. Literaria Jan. 1686. p. 106. Gall.

Bellarmini librum de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* recenſuit nuper, & Diſſertationibus Philologicis auxit *Philippus Labbaus*, ſcriptor bilioſus, qui planè *Iſmaeliticâ* temeritate optimis quibuſvis, nullâ religionis habitâ ratione, inſultat ſcriptoribus. Eſt ſcriptum ejus, quod non diffiteor, ager laborioſè quidem cultus; ſed in quo ſpinæ & urticæ ita luxuriant, ut ne quidem, quod bonæ frugis eſſe videatur, aliundè depromptum, decerpi queat. *Hottinger.* Biblioth. Quadrip. p. 2.

Hujus [*Conciliorum* editionis] adornandæ autor P. *Philippus Labbaus*, cùm eam multum promoviſſet, piis æquè ac eruditis laboribus immortuus eſt. Is *Avirici Biturigum* nobili familiâ natus 4. Id. Quintil. anno 1607. annum deinde agens 17. Societati Jeſu nomen dedit: in eàque tum humaniores literas, tum Philoſophiam ac Theologiam, magnâ doctrinæ commendatione docuit: ac deinde in legendo ſcribendoque totus, egregiam in omni eruditionis genere laudem, ingenti librorum, quos edidit multitudine, adeptus eſt. Vir laboris aſſiduitate, facilitate ingenii, memoriæ tenacitate, paucis ſecundus. *Gabriel. Coſſart.* in Præfat. ad Lect. SS. Concil. præfix. Impreſſ. Fol. *Lut. Par.* 1672.

Philippus Labbe, ſcriptor ut plurimæ lectionis & exquiſitæ doctrinæ, ſic mordacis admodum, præſertim in alienos à ſuâ, hoc eſt *Pontificia*, religione calami, quos in illo de *Eccleſiaſticis Scriptoribus* Opere ſuo paſſim petulantiſſimè criminatur. Sed quod uni alterique impingit plagium, ſibi objectum viciſſim audit, ipſe videlicet *Cornicula Æſopica*, & paſſim dicta aliis, etiam nominibus diſſimulatis, in rhapſodiam illam ſuam tranſcribens, ut jam *Hottingerus* monuit in *Enneade* Diſſertationum Philologico-Theologicarum Diſputat. 8. *Thomaſ.* de *Plag.* 479.

Extat Catalogus librorum à *Philippo Labbao* emiſſorum, ab amico collectus *Pariſ.* 1662. 4°.

FRANCISCUS VAVASSOR, Soc. Jeſ.

Ultra quadraginta jam annos ſcriptis in lucem editis per orbem literarium inclaruit *Franciſcus Vavaſſor*, Patriâ *Burgundus*, ex Comitatu *Caroleſio*, & anno ætatis 14. ſeculi hujus 21. in Societatem Jeſu, ut vocant, cooptatus, & poſtquam *Pariſiis* Humaniora duos, Rhetoricam quinque, & Theologiam poſiti- Clar. An. D. MDCL.

vam ſeu expoſitivam ſex & triginta annos docuerat, ibid. Anno 1681. die 16. Decemb. non ſine ingenti literatorum mœrore his terris ereptus. *Acta Erudit.* Vol. 2. p. 267. 268.

Scripſit tres libros Epigrammatum: libellum de Epigrammate: Tractatum de ludicrâ Dictione: librum de Formâ *Chriſti* in diebus Carnis: alium de Miraculis Chriſti: Poëmata varia.

Vir diſertiſſimus, & ſummi ingenii ac doctrinæ *Franciſcus Vavaſſor. Jo. Georg. Grav.* part. 2. Not. in Epiſt. *Ciceron.* p. 61.

Is certè quidem *Judex*, cujus perſpicacitatem nihil fugeret, integritatem nihil corrumperet. *Jo. Lucas* in Epiſt. præfix. *Petr. Jo. Perpiniani* Epiſt.

Franciſcus Vavaſſor, vir in æſtimandis *Veterum recentiorumque* ſcriptis acerrimi judicii, eruditione multiplici, *Græcæ* & *Hebraicæ* Linguæ ſciens, ut pauci; *Latinæ*, ut nemo magis, ab omni memoriâ. Orator comptiſſimus, Poeta perelegans, Interpres Scripturæ ſemper fidus. *Jo. Luc.* in Teſtimon. præfix. *Vavaſſoris* Multipl. & Var. Poeſi.

Jeſ. *Bouhours* ait *Vavaſſorem* peracri judicio, ſiquis alius, inter ævi ſui *Criticos* fuiſſe, quamvis ei non aſſentiretur, circa judicium quod ex animi cæca impotentia de quibuſdam Libris tulerat. Sermones *Ariſti* & *Eugenii*, Dialogo 2. pag. 169. Gall.

Franciſcus Vavaſſor apud ſuos *Sodales* omneſque Doctos magno fuit in pretio. Eximius Poeta, præclaruſque fuit Orator, Theologiamque Poſitivam totis 36. annis docuit. Evulgatæ ſunt *Pariſiis* in 8o. 1683. *Obſervationes ejus de vi & uſu Verborum quorundam Latinorum.* Ibi extant ducentæ vel circiter Obſervationes *Grammaticæ*, ex quibus nobis conſtat eum magna animi contentione Veteres Authores legiſſe, plurimaſque circa verborum & phraſeωn energiam ſubtiliſſimas explorationes acceptas ipſi ferendas eſſe. Admodum reddidit conſpicuum tempus, quo plurimæ voces in Linguam Latinam introduci cœperunt, multaque nota fecit diſcrimina inter vocabula quæ vulgò idem ſignificare putantur. *Novella* de Repub. *Literaria.* Septemb. 1684. p. 132. Gall.

Jeſ. *Vavaſſor* cujus jacturam Eruditi omnes acerbiſſimè indoluerunt, unus eſt ſingularium horum hominum, de quorum Scriptis nihil deperdi poſteritatis intereſt. Citra omnem exaggerationem dici poteſt eum ſi alius quiſquam hoc ſeculo & in tota *Europa*, omnes Linguæ Latinæ modos & argutias optimè calluiſſe; Imo nonnulli profiteri non dubitarunt neminem forſan ab *Auguſti* ſeculo illam puriùs & elegantius eſſe locutum. De veterum & recentiorum Authorum genio perſpicaciſſimè dijudicabat; Mente ſana, judicio ſolido, accuratione incomprehenſibili, Veritatis amore inuſitato ſummaque ad laborandum contentione commendabilis erat. Teſtimonium quo *Critices* ejus bonitatem limatumque ejus ingenium ornat Jeſ. *Petavius* Epiſtolarum ſuarum lib. 5. Epiſt. 34. 36. 37. *Elogio* integro æquivalens eſt; Sed ex Operibus clarius adhuc innoteſcit *Authoris* meritum. *Ephemerides Eruditorum* Gallicæ. 22. Febr. 1683.

Liber ille *de Ludicra Dictione* qui *Joculares Poetas* noſtros laceſſit, mirificus eſt in ſuo genere, nec ſolidius ingenioſiuſque ratiocinari poteſt quiſpiam quàm illuſtris

Digitized by Google

luſtris ille *Jeſuita*. Quid dicam de gratiis & veneribus ſtyli ejus, de *Critices* ejus argutiis, de judicio quod circa celeberrimos, Antiquitatis Authores nobis pronunciat? Sanè eruditus Dom. *Gravius* nullis dignioribus laudibus Scriptum illud ornare poterat quàm cùm ipſum ſuis in Heſiodum Notis, denominat *Librum omnibus Gratiis & Veneribus conditum*. Si verò diſertus Dom. *Balzacius* paulò diutius ſuperſtes fuiſſet incomparabilem illum Tractatum totis viribus laudâſſet. *Paulus Colomies* ſuâ Biblioth. Selectâ. p. 1. 2. Gal.

Franciſcus Vavaſſor non Jobum modò, ſed & miracula *Chriſti* heroico verſu extulit, floridior in expingendis Miraculis quàm in *Jobi* Hiſtoria, ut in quâ arctioribus ſeſe limitibus incluſerat, utrobique tamen purus, planus, emendatus. *Borrich.* de Poet. p. 120.

Erat *Vavaſſor* non comptus tantùm *Orator*, atque *Poëta* elegans, ſed & *Latinæ* literaturæ tam ſciens, ut nemo magis; unde & tale illi à *Jo. Commirio*, Jeſuitâ, poſitum eſt Epitaphium:

> Vavaſſor *jacet hic, quem poſtquam fata tulerunt,*
> Auſoniæ *Charites dedidicere loqui.*

Acta Erudit. Cal. Jul. 1683.

LUCAS HOLSTENIUS.

HAmburgenſis, *Vaticanæ* Bibliothecæ præfectus, obiit Anno Dom. 1681. annoque ætatis 65. Clar. An. D. MDCL.

Multos ſcriptores nondum editos in lucem protraxit. *Porphyrii* ſcripta Περὶ Ἀποχῆς nitidiſſimè edi curavit.

Jampridem clarum eſt per Orbem & illuſtre *Lucæ Holſtenii* nomen, & immortalia ejuſdem habentur in rem *literariam* merita, dum eleganti ſtudio rariores *Auctores* expolivit, eorumque memoriam ab oblivione & interitu, integritatemque à corruptelis vindicavit, reconditas quoque *Antiquitates* profanas juxta & ſacras recenſuit: quarum exacta cura eruditorum omnium admirationem, Magnatum amorem, cumprimis autem *Romæ Purpuratorum* favorem ſibi conciliavit, à *Franciſco Barberino* Cardinale doctiſſimo (quem *Bibliothecæ* & Facultatum ſuarum *Heredem ex Aſſe* ſcripſerat, Anno 1661. annos ſexaginta quinque natus vitâ diſcedens egregio ſepulchrali monumento in Eccleſiâ *Germanorum S. Mariæ de Anima*, quæ appellatur, poſito, cohoneſtatus. Plura autem extarent præclara eruditæ ejus induſtriæ monumenta, ſi per *fata* licuiſſet abſolvere, & in publicum emittere, quæ affecta habuit. *Acta Erudit.* Ann. 1684. p. 487.

Lucas Holſtenius, Hamburgenſis, eruditorum ocellus. *Gaſſend.* de Vit. *Peireſk.* lib. 4.

Digitized by Google

Lucas Holſtenius Hamburgenſis, vir clariſſimus ſingularis doctrinæ, & admirandæ eruditionis in omni genere literaturæ. *Jo.* Card. *Bona.*

Germanorum, uno aut altero excepto, doctiſſimus *Lucas Holſtenius. Paul. Colomeſ.* in Paralipom. ad Chartoph. Eccleſiaſt. p. 6.

Leo Allatius & *Lucas Holſtenius* præ cæteris in *Græcorum Auctorum* lectione, & *Manuſcriptorum* tractatione verſatiſſimi ſunt. *Gab. Naud.* in Epiſt. ad *Pet. Gaſſend. Romæ* 6. Mart. 1632.

Holſtenium doctiſſimum itineris ſui *Italici* comitem vocavit *Philippus Cluverius Ital. Antiq.* lib. 2.

Lucas Holſtenius vir fuit qui cum vaſta eruditione, & peracri judicio, inſolitâ Geographiæ peritia præditus erat. *Novellæ* de literaria *Rep.* Tom. 1. pag. 485. Gallicè.

Publici juris fecit varia de Eccleſiaſtica & profana Antiquitate Scripta cum Criticis Notis, quibus innotuit magna ejus in Antiquitatibus experientia, judicii ejus ſoliditas, eruditioniſque ejus vaſtitas. Sed pleraque Opera ejus Poſthuma quæ in lucem prodierunt, imperfecta videntur, parumque accurata, ſeu quòd morte præventus ultimam ipſis manum non adhibuerit, ſeu quòd nimis negligentes fuerint qui editiones ejus accuraverunt. *Judicium Erudit.* per Baillettum Pariſ. 1685. Gall.

Athanaſii Homiliæ ſeptem ſtudio *Lucæ Holſtenii* erutæ ex diverſis *Bibliothecis*, & *Latinè* redditæ, ita mihi languidæ, humileſque ſunt, ut magno *Athanaſio* doctis viris indignæ prorsùs videantur. Has ego ſemel atque iterum legi, ſed pueriles valdè nihilque veteris ſucci continere adverti. *Caſimir. Oudin.* in Supplem. de Scriptor. vel Script. Eccleſ. à *Bellarm.* omiſſ. p. 38.

Extant Emendationes in *Euſebii* librum contra *Hieroclem. Pariſ.* 1628.

Extat Diſſertatio de Vitâ & Scriptis *Porphyrii*, & Obſervationes ad Vitam *Pythagoræ, Romæ* 1630. 8o.

Extant de *Abyſſinorum* Communione ſub unicâ ſpecie lib. 2. *Col. Agr.* 1653. 8o.

Hoc ei Epitaphium ſtruxit *Franciſcus Barberinus* Cardinalis:

D. O. M.

Lucæ Holſtenio, Saxoni Hamburgenſi, *qui clarus in* Galliis, Romæ *clarior, gentium omniumque ætatum* Hiſtorias & Eccleſiæ *res mente complexus, diverſis regionibus peragratis, diverſos eorum fines & nomina probè tenuit, varias quoque linguas, præter* Græcam Latinam*que, quarum ſcriptoribus plurimum lucis attulit. Antiquam Philoſophiam calluit. Ab* Urbano IX. *Canonicatu* Baſil. Vatic. *ab* Innocentio X. *præfecturâ* Bibliothecæ ornatus, *ab* Alexandro VII. *ſapienter unus electus, ut occurreret* Suecorum Gothorum*que Reginæ incomparabili, quæ miram in tanto viro ſummi ingenii ſummæque modeſtiæ conjunctionem ſuſpexit & prædicavit, Vita denique laudatiſſima & illuſtrium Operum curſu interrupto*

rupto, eximius patriæ Germaniæ *amator propugnatorque* Religionis Catholicæ *obiit 4. Non. Febr. Anno* MDCLXL

JOANNES HENRICUS HOTTINGERUS.

T*igurinus*, Philologus, & Theologus inter primos noſtri ſeculi. Natus Anno Dom. 1620. Tantam multijugæ eruditionis ſuæ Famam voce ſcriptiſque in exteras oras ſparſit, ut à *Gallis*, *Germanis*, *Belgis*, *Anglis*, *Suecis*, *Danis*, *Italis*, per literas quotidie adiretur. Ipſe Sereniſſ. Elect. *Palatinus* Anno Chriſt. 1655. uſuram ejus à Proceribus *Tigurinæ* Reip. petiit & impetravit, ad tempus: quo exacto, fruſtra ab *Haſſis*, *Amſtelodamenſibus*, *Bremenſibus*, aliis expetitus, rediit in Patriam Anno 1661. quam porro illuſtrare perrexit, donec à Curatoribus Academiæ *Lugduno-Batavæ* vocatus, veniam eò diſcedendi ad annos aliquot à Magiſtratu *Tigur.* impetravit. Cui itineri dum ſe parat, in *Limagi* trajectu, undis merſus, obiit Anno 1667. *Hofman.* in Lexic. Clar. An. D. MDCLX.

Scripſit plurima, hæc verò palmaria ſunt: Theſaurus Philologicus ſeu Clavis S. *Scripturæ*-----Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Novi Teſtamenti Tomi 9. Grammatica quatuor linguarum----Juris *Hebræorum* leges----Collegium Sapientiæ Reſtitutum----Smegma Orientale---Promptuarium ſeu Bibliotheca Orientalis----Cippi *Hebraici*----Schola Carolina----Speculum *Tigurinum*---Primitiæ *Heidelbergenſes*--Lexicon Harmonicum Pentaglotton--Bibliotheca Hiſtorico Theologico-Critica---Exercitationes *Morinianæ*----Diſſertationes *Miſcellaneæ*----Bibliothecarius Quadripartitus---Hiſtoria Orientalis.

Fortiſſimus Religionis vindex, abyſſus eruditionis, & literatorum facilè Princeps. *Jo. Henr. Heidegger.* in Vit. ejus.

Haud ita pridem, novum veluti aliquod Sydus, inter vos exortus D. *Jo. Henr. Hottingerus*, amicus mihi exoptatiſſimus, ad *Linguarum Orientalium* & *Antiquitatis* ornamentum & incrementum vobis datus & natus. Addat ei ſupremus dies, & egregiis ejus conatibus ubertim ex alto benedicat. *Jo. Buxtorf.* fil. in Epiſt. Diſſert. Philologico-Theolog. præfix.

Jo. Henr. Hottingerus non admodum accuratus eſt in ſua Orientali Bibliotheca, ut nec in cæteris à ſe conſcriptis. Quamvis ejus libri avidè quadantenus lecti fuerint ob curioſarum rerum quam in illis ſibi propoſuit tractationem, præclari tamen Scriptoris nomine non gaudet, nec apud Religionis ſuæ conſortes, nec apud populares ſuos, ut à Domino *Morello* celebri Antiquario *Bernate* mihi relatum eſt. *Indicia Eruditorum.* 1685. Gall.

Vir Orientalis literaturæ ſine exemplo peritiſſimus, ſimulque inuſitatæ induſtriæ & probitatis. *Conring.* de Antiquit. Acad. Supplem. 20.

Nec verò habuit temerè hoc ſeculum quenquam, cui *Hottingerus* fuerit ſecundus, ſive φιλοπονίαν, ſive φιλαληθείαν, ſive Orientalis literaturæ peritiam in iſtis annis inuſitatam videamus. *Conring.* de num. Ebræor. paradox. cap. 1.

P. Angelus,

P. Angelus à S. *Joſeph.* taxat *Hottingerum*, quòd in *Bibliotheca Orientali* jejunam nimis notitiam circa *Perſica Bibliotheca* Catalogum habuerit, cùm in omni facultate veterum pariter ac recentiorum exhibere potuerit elucubrationes. *Acta Erud.* Anni 1684. p. 442.

Hottingerus ſuum Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum Suppoſititiorum ineptiſſimè corraſit ex *Andreâ Riveto* & *Roberto Coco*. *Labbe* in Biblioth. Bibliothec.

Si modum aliquem in ſuis Operibus ſervaſſet *Hottingerus*, nec minutiis uſque adeo inhæſiſſet, aliquid in ipſis ad ſensûs Scripturarum literalis intelligentiam utile reperiri poſſet. Sed quoniam ferè ſemper partium ſtudio ducitur, nimiſque præcipitanter libros ſuos compoſuit, frequentibus hallucinationibus eſt obnoxius. Unum ex ejus in hoc argumentum Scriptis illud eſt, quod adverſus *Morini Exercitationes Samaritanas* contexuit; ſed nequidem in hoc Opere omnino accuratus eſt. Orat. Presbyt. *Rich. Simon.* in Hiſtor. Critic. V. Teſt. l. 1. cap. 19. Gall.

* Hiſtoria Orientalis, & Theſaurus Philologicus, ſeu Clavis S. Scripturæ, inter libros prohibitos recenſentur in Indice *Romæ* edit. anno 1681.

Extat Theſaurus Philologicus, ſeu Clavis S. Scripturæ, *Tigur.* 1649. 4o.

Extat Hiſtoria Orientalis. *Ibid.*

Extat Etymologicum Orientale, ſeu Lexicon Harmonicum ἑπτάγλωττον. *Franc.* 1661. 4o.

Extat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Novi Teſt. Enneas ſeu pars prima. *Tigur.* 1651. in 8o.

Extat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pars ſecunda. *Tigur.* 1651. 8o.

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

Clar. An. D. MDCLX.

JUriſconſultus, & Polyhiſtor celeberrimus, Patriam *Hamburgum* habuit, ubi primam lucem aſpexit Anno 1611. *Muſas* ſtatim à puero incredibiliter amare cœpit, feliciterque excoluit. Juvenis factus *Germaniam, Italiam, Galliam*que peragravit, nec non clariſſimorum virorum favore & amicitiâ inclaruit. In *Belgium* delatus *Daventriæ* ſedem poſuit: inde in *Batavam* Academiam à potentiſſimis *Hollandiæ* Statibus in *Dan. Heinſii* locum evocatus eſt. Obiit *Leydæ*, Anno 1672. magno rei literariæ diſpendio. *Konig.*

Scripta ejus ſunt: Diatriba in *Papinii* Sylvas——Tres Obſervationum libri—Monobiblus Obſervationum in *Eccleſiaſticis Scriptoribus*——Liber de Seſtertiis, ſive de vetere pecuniâ——Plurimos Claſſicos Autores recenſuit emendavitque, ut *Plautum, Saluſtium, Livium, Senecam, Plinium, Quintilianum, Agellium*, &c. plures emaculaturus ſuoque nitori reſtituturus, niſi morte præventus, cœptam abrumpere telam coactus fuiſſet.

Gronovius

Digitized by Google

Gronovius criticus eſt eruditionis magnæ, & , quod rariſſimum, judicii paris. *Boxhorn.* in Epiſt. ad *Ioan.Pontan. Lugd.Bat.* 1637. Jul.8.

In veterum monumentis reſtituendis eximiam noſtris temporibus navavit operam, doctrinæ copiâ, ingenii acumine, & indagandi felicitate præſtantiſſimus vir *Joannes Fridericus Gronovius. Acta eruditor.* Vol.2.p.49.

Gaudeo in expoſitione hujus loci conſentientem mihi habere virum maximum *Joannem Fridericum Gronovium. Ioan. Scheffer.* Not. in libr. 3. Fab. 3. *Phædri.*

Gronovii librum de *Seſtertiis*, feliciſſimi ingenii ac profundiſſimæ eruditionis Opus vocat idem *Schefferus* Notis in lib. 4. *Fab.* V. *Phæd.*

O factum bene! *Gronovi* præſtantiſſime. Quanta lux literis *Græcis* propediem acceſſura eſt, poſtquam tu illarum interpretandarum provinciam ſuſcepiſti! Nunc demum habet florentiſſima *Academia* virum, Scriptorum editorum copiâ nobilem, & cujus ſplendore tam clara per ſe *Profeſſio* illuſtretur---Tu omnes numeros conſummatæ eruditionis jampridem implevisti. *Tanaquil. Faber* in Epiſt. 75.

Tantæ ſunt ſuavitatis, *Gronovi* doctiſſime, *Obſervationes* tuæ, ut ſemel in manus ſumptas quanquam in multis negotiis deponere nunquam potuerim. Sunt omnia plena emendationibus ingenioſis, explicationibus pereruditis. Ipſa tot *Scriptorum*, de quibus bene mereris, varietas mirè oblectat animum; mei quoque quòd benignam feciſti mentionem pergratum eſt. *Hug. Grot.* in Epiſt. *Lutet.* 25. Mart. 1639.

Edidere *Senecam Tragicum* varii: Omnibus tamen accuratior hactenus illa editio, quæ è pluteis *Joannis Frederici Gronovii* exiit, ut quæ textum exhibeat curioſiſſimè emendatum, & notas eruditas. *Borrich.* de Poet. p. 57.

Gronovio præ reliquis *Statius* tantum debet, quantum cæteris omnibus, qui aliquid lucis ei affuderunt. *Ioan. Veenhuſ.* in Præfat. præfixt *Stat.* Opp.

Remitto cum largis gratiis *Gronovii Papinium.* Valde me delectarunt notæ tam accuratæ, & in pondere non magno ſatis ponderoſæ Viri ad reſtituendum genuinum *Auctoribus* ſenſum peculiari quopiam *Genio* nati, à *Charitibuſque* educati. *Chr. Dammius* in Epiſt. ad *Thom. Reineſ.* Dat. *Cygnea* die 21. Feb. 1654.

Ejus in *Titum Livium* Commentarii magna in æſtimatione ſunt, Eos evulgavit tribus Voluminibus in 8o. ann. 1665. Sed Dominus *Colomies* arbitratur conſultum fore ſi eis adjicerentur Epiſtolæ filii ejus, qui parum provecta ætate Patris menſuram, inquit, jam impleverat; additque plura in iis occurrere loca Geographiam ſpectantia mirificè emendata. Neſcio cur Dominus *Furreterius Johannem Fridericum Gronovium* incommodis *Pædagogis* & imperitis *Criticis* annumeraverit. Dominus *Baillet*, Judiciis Eruditorum. *Pariſ.* 1685. Gallicè.

Gronovius Livio ſuo æternùm addictus implebit *Patavium* ſuo nomine. Tot eximia in unum caput congerit, ut pulchrè *Turnebum* referre mihi videatur: non autem jejunos illos, qui ut plurimum leves nugas magno & prolixo ſtudio

Sſſſſſ popello

popello venditant. *Claud. Sarrav.* in Epiſt. ad *Alex. Morum Lut. Par.* Prid. Non. Nov. 1643.

Quàm gaudeo de munere tuo, molem ſi libelli ſpectes, minuto ſin fructum, ingenti. Ita multa bona de *Seſtertio*, obiter etiam de aliis doces vel doctiſſimos; in his etiam heroas illos *Budæum*, *Hottomannum*, *Scaligerum*, & tot alios in Rep. literariâ principem obtinentes locum. Gratulor ingenio tuo; gratulator Urbi veſtræ, imò Orbi, quando ut voce urbem, ſic orbem calamo doces. Deus diutiſſimè te conſervet, præſertim ſeculo hôc ad barbariem non ſenſim eunte, ſed gradu adeò præcipiti graſſante. Quæ eò fidentiùs ſcribo, quia nihil periculi eſt, ne ſermo cujuſquam inflare poſſet, quando non minus modeſtiam mirari ſoleo, quàm ingenio acri, acre additum judicium, & utrique raram eruditionem & multijugam. *Ger. Ioh. Voſſ.* in Epiſt. CCCCLXXXV.

Extat Diatribe in *Pap. Statii* Sylvarum libros 5. *Hagæ Comitis* 1637. 8°.

Extat Monobiblos Obſervatorum in Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Daventriæ* 1651. 12°.

Extant Obſervationum libri 3. *Lugd. Bat.* 1639. 8°.

Extat de Seſtertiis, ſeu veteri pecuniâ *Græcâ* & *Romanâ*, *Daventriæ* 1643. 8°. Et *Amſtel.* 1656. 8°.

THOMAS WILLIS.

Clar. An. D. MDCLXX. Natus honeſto loco, circa A. C. 1620. Patre Philoſophiæ Magiſtro in Academiâ *Anglorum Oxonienſi* creato: ipſe verò primùm Theologiæ operam dedit in eadem Academiâ: Sed poſtea mutato conſilio ad Medicinam converſus, ejus Doctor & Profeſſor Philoſophiæ Naturalis *Oxoniæ* renunciatus eſt: circa A. C. 1667. *Londinum* ad Medicinam faciendam evocatus eſt, ibique obiit A. C. 1677. ætatis ſuæ circiter 57.

Scripſit de Fermentatione, de Febribus, de Cerebri Anatome, de Anima Brutorum, Pharmaceuticen Rationalem, multaque alia quæ ad rem Medicam pertinent.

Nuperrimè *Thomas Willis Anglicæ* Academiæ Dynaſtes, qui cùm Fermentatione Febrium Doctrinam clariùs quàm fecerint veteres recluſiſſet, in Cerebrum tam diligenti incubuit ſectione, ut de macula medullaria ſucci nervei, ſpirituumque aptas ad Cerebri ac interiorum ſenſuum motus operationes, & collatis diverſorum animantium Cerebri ſtructuris, non conſtantes imaginationis, Phantaſiæ, appetituum, ac memoriæ modos, ac demum vel ipſam animam brutorum, quàm graphicè oculis ipſis ulteriùs ſubditurum promittit, ſingulari auſu & nobili coitu ſit aſſecutus. *Car. Fracaſſat.* Differt. Epiſtolic. de Cerebro ad *Marcell. Malpighium*, p. 177. 178. edit. *Amſtel.* 1669. in 12°.

Submiſsè ac reverenter veniam poſco, quòd Doctori *Willis* non aſſentiar. Nemo ſagacis ingenii Praxin ejus culpare poteſt: Methodos authenticas non alteravit, ſed novas & plauſibiles pro antiqua rationes attulit. Is in eo Character eſt

eſt agnoſcendus, quòd vix quiſquam in ejus ſententiis dum vigilat eum ſuperet; & hæc eſt peculiaris ejus felicitas,quod vel ejus ſomnia jucunditate atque cohærentia non careant. *Henr. Stubbe,* Diſſertatione de Phlebotomia, adverſus G. *Thonſoem* p.44. 45. impreſſa *Londini* 1671. in *4to.* Angl.

Semper conſideravi Diſſertationem eruditi illius Viri (nimirum Doctoris *Willis*) de *Febribus*, ut unum è maximi judicii Scriptis quod Facultas noſtra unquam produxerit. Succincta eſt ſine obſcuritate & ſine omiſſione ullarum circunſtantiarum, quæ ſive frequenter, ſive tarò ſub Medici conſiderationem cadunt, & cùm Praxis tum Medicamenta tam integra traduntur ab eo, tamque uſu comprobata ſecundum Artis & practicarum Obſervationum Regulas,à nobis obſervatas, ut ab omnibus invidiæ atque malitiæ telis ſecura ſit. Ibid.p.171.

Liber ille [*Pharmaceutice Rationalis*] Domini *Willis* poſtremum opus non eſſet niſi mors illum abſtuliſſet, in medio gloriæ, quam Doctis ſuis Scriptis ſibi paraverat. *Angliæ* tumultus obſtiterunt ne in Scenam prodiret ſtatim ac ejus merita id jure poſtulabant: Sed bella non impediverunt quin privatim pace profunda frueretur, cujus mirifici fructus, animique ejus primi fœtus fuere *Tractatus de Fermentatione*, de *Febribus*, & *de Urinis*. Tractatus ejus de *Cerebri Anatomia*,de *Scorbuto* & de *Morbis quos ſtipant convulſiones*, in lucem venerunt, haud diù poſtquam Philoſophiæ profeſſione condecoratus fuit. Sed Oxonienſi Univerſitate ampliori Theatro dignus erat. Anno 1667. *Londinum* Evocatus eſt ad Medicinam exercendam, idque ineffabili gloria & ſucceſſu præſtitit. Ægrotum à quibus accerſebatur multitudo nunquam tamen fecit ut muſæum ſuum deſereret, & poſtquam omnem his tulerat opem, Sanis doctrinæ ſuæ lucem impertiebat, nec magnus Præſcriptionum numerus quas quotidie tenebatur exarare, non obſtabat quin libros conſcriberet. Ille quem elaboravit in *inſolitum Sanguinis* ardorem, & in *Muſculorum motum*, in lucem prodiit initio urgentiſſimarum ejus Occaſionum, huncque ſecuti ſunt alii de *Anima Brutorum*, de *Cerebri morbis*, tandemque ejus *Pharmaceutice. Ephemerides* Gallicæ *Eruditorum*. Diei Lunæ 20. Julii 1676. Gall.

Triſtiſſimus affertur nuncius, Autorem immortalitate digniſſimum, Pleuritidis ineluctabili impetu oppreſſum è vivis exceſſiſſe, nec profuiſſe *Domino* Artes, quæ *aliis omnibus* profuerunt. Dabit veniam Lector, ſi memoriæ tam ſacræ aliquantiſper parentemus; nec ſupervacuum ducet paucis audire, qualis ille vir fuerat, qui talia ſcripſerat: porrò intelligere geſtiet, quàm bonus erat ille qui tam doctus, quàm etiam in pietatis praxi exercitatus, qui in Praxi Medica verſatiſſimus---Circa Annum 1667. *Londinum* ad Medicinam faciendam evocatus, mirum dictu, quàm citò, & quantâ cum laude inclaruerit,præſertim cùm ita eſſet naturâ & moribus factus, ut nec verbis ad fucum faciendum compoſitis, nec vafris Agyrtarum technis ſe venditare poſſet. Sed licèt totos dies, & tantum non noctes in ægrotantium curâ exhauriret, Arti ſuæ excolendæ libriſque conſcribendis uſque vacavit,unde inter mille interpellationes nati ſunt Tractatus De Sanguinis Accenſione, & Motu Muſculari, De Animâ Brutorum, De morbis Cerebri, Pharmaceutices Rationalis pars prior, & demum altera----

Porrò pientiſſimæ Animæ Divini Numinis cultus eadem uſque cura inſederat; & quandoquidem horis Canonicis in Eccleſiâ Parochiali Ædibus ſuis vicinâ precibus publicis per negotia intereſſe non liceret; ut officia ſacra primo mane & ſero veſpere ibidem celebrarentur, procuravit; iiſque, negotiis quibuſcunq; fruſtrà reclamantibus ſemper ferè vacavit. Inſuper cùm videret inſtitutum illud utile admodum fuiſſe pluribus, qui in viciniâ pariter toto die in Mercaturâ aliiſque artibus exercendis diſtringebantur, Sacerdotem id munus per futura ſecula obiturum idoneo ſalario dotavit. Vit. *Thom. Willis*, præfix. Opp. ejuſdem, Impreſſ. *Genevæ apud. S. De Tournes* 4o.

TANAQUILLUS FABER.

Vixit & ſcripſit An. D. MDCLXXXV.

C*adomenſis*, Profeſſor *Salmurienſis*, exaravit Epiſtolas Criticas *Salmurii* editas, Anno 1659. Notas in *Lucianum* de morte *Peregrini*, Anno 1653. item in *Ælianum*, *Anacreontem*, *Dionyſium Alexandrinum*, *Apollodorum*, *Longinum*, *Terentium*, *Lucretium*, *Phædrum*, *Iuſtinum*, &c.

Tanaquillus Faber Cadomenſis, non ſolùm *Græcis* & *Latinis* Literis egregiè eſt imbutus, ſed & rarâ valet ἀγχινοίᾳ. *Sam. Bochart.* in Hierozoic. 2. 18.

Tanaquillus Faber, homo dum vixit, perfacetus fuit, omnique *Græcâ* & *Latinâ* urbanitate mirificè excultus. *Iac. Tollii* Fortuit. p. 320.

Quantum in Linguâ *Græcâ* & *Latinâ* ſupra Doctorum vulgus ſapias, & valeas, nemo ferè hìc ignorat. Cl. *Sarrav.* in Epiſt. ad *Tan. Fabr. Lut. Par.* 29. Mart. 1651.

Tanaquillus Faber præclarus vir eſt primæque hodiernorum Eruditorum Claſſis. *Guido Patin*, Epiſt. 148. Gallicè.

Tanaquillus Faber Vitas quorundam *Græcorum Poetarum* idiomate noſtro contexuit. Author *Ephemeridum Eruditorum* ait illas jucundiſſimo ſtylo ſcriptas eſſe, eòque gratiùs exceptas fuiſſe, quòd de hujuſmodi materia nihil hactenus lingua noſtra ſcriptum eſſet. Sed ut diverſi guſtûs ſunt homines, idem ille ſtylus qui quibuſdam arridet, aliis nauſeam movet, quoniam illum nimis humilem deprehenderunt, quique pædagogicam ut quidam arbitrantur, affectationem ſapiat. Præterea plura narrare poterat quàm ab eo factum eſt. Multam tamen eruditionem continet illa *Synopſis*, dolendumque eſt quòd nihil nobis dixerit de inſigni auxilio quod ex hoc Opere *Lilii Gregorii Giraldi* accepit *Iudicia Eruditorum* per *Bailletum* Paris. 1685. Gallicè.

Tanaquillus Faber duo evulgavit Volumina *Epiſtolarum Philologicarum* 4. Tomis. Omnia quæ illis pertractat Argumenta ferè ſunt *Critica*. Plurima in illis viſuntur Veterum loca quæ admodum eruditè ab ipſo explicantur, ingenioſæ Conjecturæ ad loca reſtituenda quæ depravata videntur, eximiæque obſervationes circa *Hiſtoriam* & *Chronologiam*. Sed difficile eſt dicere an magis

proficua

Digitized by Google

proficua quàm nocua ſit Authoribus de quibus loquitur, illa Domini *Fabri Critica.* Sic enim plura operum illorum loca elucidavit, plures in iiſdem notabiles nævos propalavit, imo etiam contendit demonſtrare illos frequenter linguam non intellexiſſe, qua in ſuis Libris uſi ſunt, nec Authores quos in illis citant, & inter alios in exemplum adducit *Titum Livium, Terentium, Ariſtotelem, Horatium, Tacitum, Euſebium, Euſthatium* &c. Satis ei non fuit *Hiſtoricos,* & *Poetas* emendare, *Criticem* ſuam in ipſam *Scripturam Sacram* convertit, pluraque tetigit loca in quibus voces mutavit, periodos tranſpoſuit, & quandoque lineas integras eraſit: idque nullam ejus quod aſſerit probationem afferens, niſi quòd ſibi videatur ſenſum hac ratione meliorem & pleniorem fore. *Ephemerides Eruditorum* Gallicæ, Diei Lunæ 3. Maii *1666.*

Extat præterea in hoc altero Epiſtolarum Volumine *Ariſtophanis* Comœdia una, quam recèns Latinè reddidit doctiſſiméque commentatus eſt Dom. *Le Fevre.* Potuiſſet tamen tam ſollicitè non explicare quædam in quibus ipſe *Ariſtophanes* aliquam obſcuritatem affectaſſe videtur. Abſurdum ſaltem videbitur, quòd eodem Volumine occurrat explicatio plurium *Scripturæ Sacræ* locorum & ſpurciſſimorum *Ariſtophanis* dictorum, ideſt, eorum quæ in Ethnicorum libris impuriſſima ſunt, & eorum quæ in *Chriſtianiſmo* ut ſanctiſſima ſuſpiciuntur. *Ibidem.*

Quæ cùm ita ſeſe habeant, miror extitiſſe nuper admodum *Tanaquillum Fabrum,* virum cætera eruditum & ingenioſum, ſed præ nimio ſui amore caligantem haud rarò, quod ferendum utcunque eſſet, ſi hæc φιλαυλία & immoderata ſui oſtentatio cum malignitate & contemptu alieno non conjungeretur. Hunc, inquàm, *Tanaquillum Fabrum* miror in *Epiſtolis* nuper editis auſum affirmare, nævum in hoc ipſo, de quo nunc agimus, *Naſoniano* loco à nemine animadverſum, nedum ſublatum fuiſſe, cùm vix alius in toto *Naſone* locus occurrat, qui ingenia noſtri temporis plura exercuerit, atque in ſe converterit, ut jam vidimus. Nec monere id neglexit meus pater in editione ſuâ quâ ſe uſum eſſe *Faber* ipſe non diffitetur. Iſtud verò magis mirandum tam ſecurè & confidenter *Salmaſiana* ſcrinia à *Fabro* compilari, & cum *pulviſculo,* quod aiunt, hoc eſt, cum *Lucretiano* loco, qui *Nazoniani* caſtigationem unicè confirmet, corradi, atque in ſuccum & ſanguinem *Epiſtolarum* ſuarum converti. *Nic. Heinſ.* Not. in *Ovid.* lib. 2. De *Art. Amand.* verſ. 660.

Sit gracilis, macie quæ malè viva ſuâ eſt.

Tanaquillus Faber vir doctiſſimus fuit, Philologus, Græcarum literarum peritiſſimus, velocis, ſed & audacioris ingenii, *Salmurienſis* Academiæ Profeſſor: multa ex ingenio ſuo in Autoribus repoſuit, etſi Manuſcriptis Libris deſtitutus; quæ tamen ipſi temeritas nonnunquam feliciter ceſſit ingenii ſolertiâ ſæpè percipienti, quòd alii magno labore in Manuſcriptis requirunt. Non ſemel tamen aliis ob audaciam ſuam vapulat Scriptoribus: nam corrigi ſæpè pro

lubitu mendoſa loca, *deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Multa ſuarum conjecturarum complexus eſt Epiſtolis ſuis, quarum libri duo ſunt, quibus autorum veterum loca adverſus omnium ſententias explicat, ob feſtivitatem ingenii & acumen magno in pretio habendus. Aliquem Epiſtolarum illarum locum, ubi *Livium* reprehendit, ut qui quondam Latinæ Linguæ vocem non ſatis intellexiſſet, ſugillarunt *Ephemeridum* Scriptores Gallici, qui tamen ab ipſo probè depexi libro quodam Gallico, cui titulus: *Iournal du Iournal.* Scripſit, ut hoc obiter memorem, de Religionum unione Librum Gallicâ Linguâ, quo nec Pontificiis nec Reformatis placuit, illorum vitia in nuditate ſuâ ſiſtens, horum verò invidiam incurrens, quòd jungere *Gryphes Equis* laboraret: qui liber & in Belgicam Linguam converſus eſt. Cæterùm magnæ fuerunt iſtius Viri Calamitates domeſticæ, de quibus ſæpè conqueritur. Filiam doctam habuit, quæ hodie libros ſcribit in gratiam *Delphini*, quæ & ipſa dicitur imitari Patrem. Edidit quoque *prima Scaligerana*, quibus Præfationem præmittit, in qua de fatis ſuis queritur. *Dan. Georg. Morhof.* Polyhiſt. pag. 297. 298.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

Prima Columna continet Indicem Alphabeticum Authorum qui in hoc libro recenſentur; Secunda *deſignat ſæculum Authorum qui ante Chriſtum floruerunt;* Tertia *ſæculum eorum qui* poſt *Chriſtum floruerunt;* & Quarta *Paginam libri in quâ ſinguli Authores reperiri poſſunt.*

A	ante Chr.	poſt Chr.	pag:
		1223	406
Accurſius *Franciſcus.*		1585	823
Acoſta *Ioſephus*		129	153
Ælianus:		1520	546
Æmilius *Paulus*			31
Æſchines:	353		7
Æſchylus,	482	560	327
Agathias.		1535	585
Agricola *Georgius*		1474	479
Agricola *Rodulphus*		1520	549
Agripoa *Henr. Cornelius*:		1260	416
Albertus Magnus:		1555	587
Andreas Alciatus		780	342
Alevinus.		1590	837
Aldrovandus *Ulyſſes*:		1398	445
de Alliaco *Petrus*.		374	247
D. Ambroſius.		1570	740
Amiotus *Iacobus*:		380	257
Ammianus Marcellinus:		870	354
Anaſtaſius.		1093	369
Anſelmus.		161	169
Antoninus *M. Aurelius*:			41
Apollonius Pergæus:	240		43
Apollonius Rhodius.	235	123	150
Appianus:		163	170
Apulejus.			

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Aquila		128	151
Aquinas *Thomas*:		1255	413
Aratus	271		39
Archimedes	221		44
Aretinus *Leonardus*		1410	453
Ariſtophanes	400		21
Ariſtoteles	343		32
Arnobius		303	213
Arrianus		147	166
Athanaſius.		326	223
Athenæus		155	167
Audoenus *Iohannes, vulgò* Ovven.		1610	913
Averroes		1150	385
D. Auguſtinus		396	270
Auguſtinus *Antonius*:		1570	741
Avicenna:		1040	357
Auſonius		390	268
BAcon *Franciſc.*		1610	903
Balæus *Ioh.*		1552	683
Baldvinus *Franciſc.*		1560	708
Baldus:		1400	447
Balſacius *Ioh. Lud.*		1640	1031
Balſamon		1180	396
Barbarus *Hermolaus*		1480	487
Barclaius		1620	933

Digitized by Google

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Barclajus *Ioh.*		1620	933
Barlæus *Caſpar*		1640	1033
Baronius *Cæſar*		1590	861
Barthius *Caſpar*		1635	1010
Bartolus de Saxoferrato		1350	435
Baſilius		370	241
Baudius *Dominicus*		1600	877
Becanus *Ioh. Goropius*		1560	712
Beda		703	339
Bellarminus		1610	908
Bembus *Petrus*		1520	554
Bernardus		1115	372
Beroaldus *Philippus*		1500	515
Beroſus	257		40
Beza		1560	710
Billius *Iacobus*		1575	771
Bleſenſis *Petrus*		1160	392
Blondus *Flavius*		1440	465
Blondellus *David*		1640	1012
Bocatius *Ioh.*		1366	437
Boccalinus *Trajan.*		1610	927
Bochartus *Samuel*		1650	1036
Bodinus *Ioh.*		1570	744
Boethius		510	317
Bradvvardinus *Thomas*		1348	430
Brahe *Tycho*		1588	789
Barnabas Briſſonius		1580	791
Brodæus *Ioh.*		1550	658
Bucerus *Martinus*		1530	575
Buchananus *Georgius*		1545	654
Bucholcerus *Abraham.*		1576	787
Budæus *Gul.*		1530	565
Busbequius		157[illegible]	786
Buxtorfius *Ioh.* ſenior		1610	910
C			
C *Julius* Cæſar	46		66
Cajetanus		12[illegible]	547
Ioh. Calvinus		1545	646
Calviſius *Sethus*		1605	596
Gul. Camdenus		1600	880
Camerarius *Ioachim.*		1535	590

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Campanella *Thomas*		1620	936
Cantacuzenus *Ioh.*		1341	428
Canterus *Gul.*		1570	748
Canus *Melchior*		1530	569
Capella *Martianus*		490	307
Capellus *Ludovicus*		1630	971
Capitolinus *Iulius*		298	211
Cardanus *Hieronymus*		1544	641
Carteſius *Renatus*		1640	1014
Caſa *Ioh.*		1545	643
Caſaubonus *Iſaac.*		1600	882
Caſſander *Georgius*		1560	727
Caſſiodorus *M. Aurelius*		514	318
Caſtalio *Sebaſtian.*		1555	700
Cato *M. Porcius*	190		47
Catullus *C. Valerius*	44		69
Cedrenus *Georgius*		1057	361
Chaucerus *Galfred.*		1380	443
Chemnitius *Martin.*		1570	768
Chryſoſtomus		398	276
Ciacconius *Petrus*		1570	750
Cicero *M. Tullius*	78		57
Cinnamus *Ioh.*		1160	394
Claudianus *Claudius*		388	263
Clavius *Chriſtoph.*		1580	821
Alexandrinus *Clemens*		192	178
Cluverius *Philippus*		1616	931
Columella		58	107
Cominæus *Philippus*		1490	510
Comnena *Anna*		1118	375
Contarenus *Gaſpar*		1535	606
Copernicus *Nicolaus*		1536	609
Cujacius *Iacobus*		1570	752
Cunæus *Petrus*		1620	938
Q. Curtius		80	111
Cuſanus *Nicolaus*		1448	467
Cuſpinianus *Ioh.*		1515	538
Cyprianus		248	201
Cyrillus Alexandrinus.		412	287

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
D.			
Dallæus *Ioh.*		1640	1017
Dantes Aligerus		1310	421
Delrio *Martin. Anton.*		1600	885
Demoſthenes	356		29
Dempſterus *Thomas*		1610	914
de Dieu *Ludovicus*		1630	973
Dio Caſſius		230	194
Dio Chryſoſtomus		111	145
Diodorus Siculus	60		62
Diogenes Laërtius		140	158
Dionyſius Halicarnaſſ.	26		80
Douſa Pater *Ianus*		1580	824
Douſa, Filius *Ianus*		1597	875
Druſius *Ioh.*		1600	887
Duarenus *Franciſc.*		1550	660
Ducæus *Fronto*		1610	916
E.			
Elias, Levita		1540	611
Emmius *Ubbo*		1610	917
Ennius *Quintus*	184		49
Epictetus		82	123
Epiphanius		370	239
Eraſmus		1510	526
Erigena *Ioh.*		858	349
Erpenius *Thomas*		1620	940
Evagrius Scholaſticus		595	333
Euclides	332		35
Eunapius		380	260
Euripides	448		12
Euſebius		315	219
Ezra *Aben*		1145	384
F.			
Faber *Iacobus*		1503	521
Faber *Petrus*		1585	826
Faber *Tanaquillus*		1685	1060
Fabricius *Georgius*		1565	729
Fagius *Paulus*		1545	645

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Fallopius *Gabriel*		1535	596
Fernelius *Ioh.*		1540	623
Ficinus *Marſilius*		1480	492
Flacius Illyricus *Matth.*		1560	714
Flaccus C. *Valerius*		73	116
Florus *L. Annæus*		201	184
Folieta *Hubertus*		1565	737
Fracaſtorius *Hieronym.*		1530	581
Frontinus *Sext. Jul.*		85	128
Fulgentius Afer		508	313
Fulgentius Grammaticus		510	315
G.			
Gaguinus *Robertus*		1494	513
Galenus *Claudius*		143	163
Galfridus Monumotenſis		1151	388
Galilæus Galilæi		1605	897
Gaſſendus *Petrus*		1625	964
Gaza *Theodorus*		1455	473
Gelenius *Sigiſmund*		1545	651
Gellius *Aulus*		112	146
Genebrardus *Gilbert.*		1580	793
Gennadius		492	309
Gerſon *Ioh.*		1404	449
Geſnerus *Conradus*		1550	661
Gifanius *Obertus*		1590	838
Gilbertus *Gul.*		1610	919
Gildas		581	328
Glareanus		1530	584
Goltzius *Hubertus*		1570	755
Goveanus *Antonius*		1550	666
Gratianus		1131	380
Gratius	paulò		88
Gregorius Magnus		590	330
Gregorius Nazianzenus		370	244
Gregorius Thaumaturgus		254	204
Gregorius Nyſſenus		375	250
Gronovius *Ioh. Frid.*		1660	1056
Groſteſt *Robertus*		1235	408
Grotius *Hugo*		1620	945
Gruterus *Janus*		1610	922

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Grynæus *Simon*		1530	570
Gualter. de Hemmingford		1335	426
Guicciardinus *Franciſc.*		1520	531
Guilandinus *Melchior*		1580	795
Gulielmus *Ianus*		1584	830
Gyraldus *Lilius Gregorius*		1530	577
H.			
Hammondus *Henricus*		1640	1019
Harveius *Gu'.*		1630	987
Heinsius *Daniel*		1630	993
van Helmont *Ioh. Baptiſta*		1620	955
Helvicus *Chriſtoph.*		1615	929
Herbertus *Edvvardus*		1630	996
Hermogenes		156	168
Herodianus		224	192
Herodotus	440		15
Heſiodus	944		
Heſychius		500	310
Heurnius *Ioh.*		1580	799
Heylin *Petrus*		1635	1008
Hierocles		302	212
Hieronymus		378	252
Hilarius		354	231
Hincmarus		845	344
Hippocrates	450		10
Hirtius *Aulus*	45		68
Hobbes *Thomas*		1650	1043
Hoeſchelius *David*		1605	900
Holſtenius *Lucas*		1650	1053
Homerus	907		
Hooker *Richardus*		1590	845
Horatius	36		75
Hotomannus *Franciſc.*		1575	773
Hottingerus *Ioh. Henric.*		1660	1055
Hoveden *Rogerius*		1199	400
Huntingtonenſis *Henricus*		1150	387
Hyginus *C. Iulius*		4	90

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
I.			
Iamblicus		345	228
Iameſius *Thomas*		1620	944
Janſenius *Cornelius*		1555	684
Ignatius		100	137
Joſephus *Flavius*		94	131
Jovius *Paulus*		1540	633
Irenæus		179	174
Iſæus	380		25
Iſidorus Hiſpalenſis		595	334
Iſidorus Peluſiota		412	286
Iſocrates	394		23
Juellus *Ioh.*		1559	705
Julianus		361	235
Julius Africanus		220	191
Junius *Franciſc.*		1590	857
Junius *Hadrian.*		1545	652
Juſtinianus		527	320
Juſtinus, Hiſtoricus		142	161
Juſtinus Martyr		140	159
Juvenalis		95	135
K.			
Kempis à *Thomas*		1450	469
Kimchii *David*		1190	398
Kirchmannus		1630	975
L.			
Labbe *Philippus*		1650	1050
Lactantius		303	216
Lamber. Schafnaburgenſis		1077	366
Lambinus *Dionyſius*		1560	715
Lampridius *Ælius*		296	209
Lanfrancus		1070	362
Langton *Stephanus*		1204	402
à Lapide *Cornelius*		1620	950
Laſcaris *Ioh. Andreas*		1480	494
Latinus Latinius		1565	733
Launoius *Ioh.*		1650	1040
Lazius *Wolfgangus*		1555	686

Lelandus

Digitized by Google

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Lelandus *Ioh.*		1540	626
Leonicenus *Nicolaus*		1480	485
Leunclavius *Ioh.*		1565	734
Libanius		360	233
Lightfoot *Ioh.*		1650	1041
Linacer *Thomas*		1510	534
Lindvvood *Gul.*		1422	455
Lipſius *Iuſtus*		1590	840
Livius *Titus*		12	91
Lombardus *Petrus*		1141	381
Longinus *Dionyſius*		240	200
Lucanus *M. Annæus*		60	111
Lucianus		170	172
Lucilius	129		54
Lucretius	105		55
Lullus *Raimundus*		1300	420
Lutherus *Martin.*		1517	540
Lyranus *Nicolaus*		1320	424
Lyſias	406		20
M.			
Macrobius		344	226
Maimonides		1160	390
Maldonatus *Ioh.*		1570	758
Malmesburienſis *Gul.*		1130	378
M. Manilius	32		77
Manutius *Paulus*		1560	718
Mariana *Ioh.*		1595	874
Martialis		82	125
Martyr *Petrus*		1540	613
Maſius *Andreas*		1555	703
Mela *Pomponius*		45	104
Philippus Melanchthon		1540	615
Mercator *Gerardus*		1570	770
Mercerus *Ioh.*		1555	697
Mercerus *Ioſias*		1621	952
Mercurialis *Hieronymus*		1580	800
Meurſius *Ioh.*		1620	953
Minutius Felix		220	189
Mirandula *Ioh. Picus*		1484	497
Miræus *Aubertus*		1630	977

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Molinæus *Carolus*		1540	618
Molinæus *Petrus*		1620	958
Arias Montanus *Benedict.*		1575	774
Montanus *Michael*		1580	819
Morinus *Ioh.*		1640	1035
Mornæus *Philippus*		1595	872
Morus *Thomas*		1520	561
Munſterus *Sebaſtian.*		1530	579
Muretus *M. Ant.*		1575	777
Muſculus *Wolfgangus*		1540	621
N.			
Nannius *Petrus*		1550	664
Naudæus *Gabriel*		1640	1022
Nepos *Cornelius*	40		71
Neubrigenſis *Gul.*		1200	401
Nicetas Acominatus		120	404
O.			
Ocellus Lucanus	incertæ		
Oecolampadius *Ioh.*	ætatis	1520	544
Oecumenius		990	356
Onuphrius Panvinius		1565	731
Oppianus		217	187
Origenes		230	197
Oroſius *Paulus*		416	290
Ortelius *Abraham.*		1575	780
Ovidius	2		85
P.			
Pagninus *Sanctes*		1510	536
Pamelius *Iacobus*		1575	779
Pancirolus *Guido*		1570	757
Papinianus		202	183
Paracelſus		1535	597
Paris *Matthæus*		1240	410
Paſſeratius *Ioh.*		1585	831
Paterculus *C. Vellejus*		27	101
Patricius *Franciſc.*		1580	797
Pauſanias		139	155
Peireſcius		1620	960

Digitized by Google

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Pererius *Benedictus*		1585	834
Perronius *Iac. Davyus*		1600	889
Perottus *Nicolaus*		1460	477
Perſius		57	105
Petavius *Dionyſius*		1630	979
Petitus *Samuel*		1640	1023
Petrarcha *Franciſc.*		1350	432
T. Petronius Arbiter		64	113
Peucer *Caſpar*		1565	735
Phædrus		20	96
Philelphus *Franciſc.*		1450	471
Philo		40	102
Philoſtorgius		425	295
Philoſtratus		204	186
Photius		858	351
Picherellus		1560	725
Pierius Valerianus *Ioh.*		1520	557
Pighius *Albertus*		1535	592
Pighius *Stephanus*		1580	802
Pignorius *Laurentius*		1620	962
Pindarus	476		9
Pinellus		1580	804
Pintianus		1535	607
Pithæus *Petrus*		1580	805
Platina *Bartholomæus*		1474	481
Plato	366		26
Plautus	182		50
Plinius, *ſenior*		75	118
Plinius, *junior*		100	141
Plotinus		250	203
Plutarchus		104	143
Poggius		1407	451
Politianus *Angelus*		1490	507
Pollux *Julius*		185	176
Polus *Reginaldus*		1540	627
Polybius	220		46
Polycarpus		94	131
Pomponius Lætus *Julius*		1480	491
Pontacus *Arnoldus*		1600	891
Pontanus *Ioh. Jovian.*		1485	500
Porphyrius		270	206

	ante Chr.	poſt. Chr.	pag.
Poſſevinus *Antonius*		1590	849
Poſtellus *Gul.*		1550	667
Priſcianus		528	326
Proclus		500	312
Procopius		527	323
Propertius	19		82
Proſper *Tiro*		446	304
Prudentius		405	282
Pſellus *Michael*		1050	359
Ptolomæus *Claudius*		140	156
Puteanus *Erycius*		1630	981
Q.			
QUintilianus		85	127
R.			
RAbanus Maurus		847	346
Rabelæſus *Franciſc.*		1540	631
Rainoldus *Ioh.*		1590	847
Ramus *Petrus*		1560	721
Raulæus *Gualter*		1610	906
Rhenanus *Beatus*		1535	594
Rhodiginus		1510	531
Rigaltius *Nicolaus*		1630	984
Ritterhuſius *Conradus*		1600	892
Robertellus *Franciſcus*		1555	695
Rondeletius *Gul.*		1555	695
Rufinus		390	265
S.			
SAbellicus		1490	505
Sadoletus		1530	573
Salmaſius		1640	1025
Salvianus		440	302
Saluſtius	49		64
Samarthanus *Scævola*		1590	851
Sambucus *Ioh.*		1575	782
Sanderſon *Robertus*		1630	1006
Sannazarius *Iacobus*		1500	516
Satisburienſis *Joh.*		1172	395

Sarpius

Digitized by Google

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Sarpius *P. Paulus*		159	864
Savanarola *Hieronym.*		1480	490
Savilius *Henricus*		1610	925
Scaliger *Jul. Cæſar*		15	600
Scaliger *Joſephus*		158	808
Schottus *Andreas*		1590	8,6
Scioppius *Gaſpar.*		1630	985
Scotus *Ioh. Duns*		1300	418
Seldenus *Ioh.*		163	990
Seneca *M. Annæus*		20	98
Seneca *L. Annæus*		60	109
Sennertus *Daniel*		1610	921
Senenſis *Sixtus*		1555	691
Seratius *Nicolaus*		159	868
Severus *Sulpicius*		400	280
Sidonius		472	306
Sigebertus		1100	371
Sigonius *Carolus*		1570	760
C. Silius Italicus		72	115
Simlerus *Ioſias*		1570	762
Sirmondus *Iacobus*		162	966
Sleidanus *Ioh.*		1540	628
Socrates Scholaſticus		440	299
Sophocles	445		14
Sozomenes *Hermias*		440	301
Spanhemius *Fridericus*		1640	1028
Spartianus *Ælius*		293	208
Spelmannus *Henricus*		1620	942
Statius *Publius Papinius*		85	129
Stephanus *Robertus*		1540	636
Stephanus *Henricus*		1580	811
Strabo		15	94
Strada *Famianus*		1590	857
C. Suetonius Tranquillus		112	148
Suidas		1080	367
Sydnæus *Philippus*		1586	828
Sylburgius *Fridericus*		1580	813
Sylvius *Æneas*		1458	475
Symmachus		384	261
Syneſius		410	284

	ante Chr.	poſt Chr.	pag
T.			
Tacitus *Cornelius*		100	139
Taubmannus *Frid.*		1605	901
Terentius *Publius*	154		52
Tertullianus		192	180
Themiſtius		352	229
Theocritus	27		38
Theodoretus		423	292
Theognis	538		6
Theophraſtus	30		36
Theophylactus		1071	364
Theophylactus Simocatta		611	337
Thuanus *Jac. Auguſtus*		1600	893
Thucydides	429		18
Tibullus	13		83
Tiraquellus *Andreas*		1550	671
Toletus *Franciſc.*		1580	814
Torquatus Taſſus		1585	835
Torrentius *Levinus*		1580	817
Toſtatus *Alphonſus*		1440	458
Trapezuntius *Georgius*		1440	460
Tremellius		1560	723
Trithemius		1490	503
Triſmegiſtus *Hermes*	Moſi coævus		1
Turnebus *Adrianus*		1555	688
Turrianus *Franciſcus*		1550	681
V.			
Valerius Maximus		27	99
Valeſius *Henricus*		1640	1029
Valla *Laurentius*		1440	462
Varro *M. Terentius*	68		60
Vatablus *Franciſcus*		1535	603
Vavaſor *Franciſc.*		1650	1051
Velſerus *Marcus*		1595	870
Veſalius *Andreas*		1550	678
Victor *Aurelius*		396	275
Victorinus Afer.		362	237
Victorius *Petrus*		1550	673
Vida *M. Hieronymus*		1550	675

Digitized by Google

	ante Chr.	poſt Chr.	pag.
Vieta *Franciſc.*		1590	859
de Villa Nova *Arnoldus*		1340	427
Vincentius *Bellovacenſis*		1244	411
Vincentius *Lerinenſis*		434	298
Virgilius *Polydor.*		1540	638
Virgilius Maro *Pub.*	39		73
Viterbienſis *Ioh. Annius*		1475	483
Vitruvius	31		78
Vives *Ioh. Ludovicus*		1500	519
Volaterranus *Raphaël*		1505	523
Voſſius *Ger. Ioh.*		1625	969
Urſinus *Fulvius*		1575	784
Uſſerius *Iacobus*		1630	999
Vulcanius *Bonaventura*		1590	860
W.			
WEſtmonaſter. *Matt.*		1377	441
Whethamſtead. *Ioh.*		1430	456
Wiclevus *Ioh.*		1370	439
Wierus *Ioh.*		1570	764
Willis *Thom.*		1670	1508
Wolphius *Hieronym.*		1570	766
X.			
XEnophon	387		24
Ximenius *Franciſc.*		1506	525
Xymenius *Roderic.*		1208	405
Xiphilinus *Ioh.*		1073	365
Xylander *Gul.*		1565	738
Z.			
ZAnchius *Hieronym.*		1570	767
Zonaras *Ioh.*		1118	376
Zoſimus		425	296
Zvvinglius *Hulderic.*		1525	560

FINIS.

42?,371

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Googl

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

by Google

423871
L. 10 –

Digitized by Google

Digitized by Google